

Del Colegio de la Compania de Jesus de Granada. Libro de ay otu n

FRANCISCI
TOLETI *B-6696*


E SOCIETATE IESV
S. R. E. PRESBYTERI CARD. TIT. S.
MARIAE TRANSPVNTINAE

COMMENTARII
In prima XII. Capita Sacrosancti Iesu Christi D.N.
Euangelij secundum Lucam.

A D^M D. N.

CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

CVM PRIVILEGIIS.




ROMAE

Impensis Ioannis Antonij Franzini, & haeredum
Hieronymi Franzini. MDC.

APVD ALOYSIVM ZANNETTVM.


SVPERIORVM PERMISSV.




4. a. 6.

-16- 14

Biblioteca Universitaria
GRANADA
R
216
130





4. a. 6.

- 16. 74

Biblioteca Universitaria
GRANADA
A
216
130


Del Colegio de la Compañia de Jesus de Granada - Libreria de don

FRANCISCI
TOLETI *B-6696*

E SOCIETATE IESV
S. R. E. PRESBYTERI CARD. TIT. S.
MARIAE TRANSPVNTINAE

COMMENTARII
In prima XII. Capita Sacrosancti Iesu Christi D. N.
Euangelij secundum Lucam.


A D S.^{MVM} D. N.
CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.
CVM PRIVILEGIIS.



ROMAE
Impensis Ioannis Antonij Franzini, & haeredum
Hieronymi Franzini. M D C.

APVD ALOYSIVM ZANNETTVM.

SVPERIORVM PERMISSV.






S.^{MO} D. N.
C L E M E N T I V I I I .
P O N T . M A X .

Michael Vasquez è Societate IESV Felicitatem.



DEbentur, BEATISSIME PATER, quicumque ex arbore fructus proueniunt, factori suo, a quo persæpe non minus huiusmodi partus, quàm parens ipsa diligitur. Etenim nemo est, qui labores suos germinare non gaudeat. Quare non dubito, quin hi Francisci Toleti foetus, quos ætate sane matura pulcherrimos tulit, Sanctitati Tuæ periucundi futuri sint: quandoquidem a Te ille tum semper in oculis, ac plane in manibus habitus est; tum vero maxime supremis annis; cum, vt in Ecclesiæ regimine vsui foret magis, in cœtum eiusdem Ecclesiæ Cardinalium transcriptum arctiore Tibi vinculo coniunxisti. Et ille quidem, cuius volucre ingenium non in præsentium modo, sed in posteriorum etiam bonum ferebatur, nihil sibi iamdiu non subtraxerat, quo suos in Lucam Commentarios, opus per annos plurimos conceptum, natum tandem apud se proxima foetura, proferendo, meritis Tuis, id est votis suis aliqua ratione satisfaceret. Atque vtinam talem virum a Deo impetrare in æuum diuturnius potuissemus: haberet Sanctitas Tua sapientem æque, ac peramantem filium, in quem paternæ sollicitudinis non parum oneris declinares; haberet Christiana res pulcherrima monumenta, quæ animus ille cessationis impatiens meditabatur; ego vero fruerer singulari patrocinio, ac beneuolentia, cuius vel ipsa me recordatio vehementer

menter oblectat. Sed quando illud non licuit, his saltem nos egregijs lucubrationibus, expressis perillustri ingenij notis oblectemur: ac Tu in primis, BEATISSIME PATER, qui tanto quam cæteri magis auctorem in opere quasi spirantem agnosces, atque amabis, quanto olim plus operæ in illum tuæ collocatæ reperies. Ego interim præclaram nactus occasionem debitum Sanctitati Tuæ studium meum declarandi (quo & priuata in me merita Tua, & hoc ipsum opus, quod Te iubente imprimendum curauit, volentem ducunt) in spem veni posse a me, Tibi quidem non nihil satisfieri; ipsi vero Toletum plurimum: quando melius de eius opere mereri non potui, quàm si illud in manus istas Tuas plane cælestes traderem, a quibus eam lucem acciperet, quam orbi terrarum referet vniuerso. Vale.




MICHAEL VASQUEZ

E SOCIETATE IESU


THEOLOGVS

LECTORI S.



HSI Francisci Toleti nomen & dignitate, & doctrina tantum sit, quantum eius monumenta testantur; quia tamen in illorum lucem acrius intueri eruditorum, id est non omnium, oculorum est, ideo hoc loco viri laudes & numero, & delectu temperatas in conspectum dare commodum duxi: non quidem meo præconio, quod male de suscepta causa mererer, sed eorum a quibus laudari gloriosum est, luculento principum virorum, laudatorumq. testimonio. Accipe igitur, Lector, quæ de Francisci Toleti virtute, atque doctrina Summorum Pontificum inter cætera extant oracula, in quibus multo possit æquius gloriari, quam qui olim hominum sapientissimus Delphico responso ferebatur. Et Gregorius quidem huius nominis XIII. in quodam Breui Roma dato XVI. Kal. Decemb. anno Domini 1584. Toletum ipsum alloquens, hæc habet: *Tanta est doctrina, prudentia, fides, & diligentia tua, quæ grauissimis in muneribus longo, & intimo vsu nobis cognita sunt, ac perspecta, ut tua scripta, sicut cæterorum, aliorum iudicio, & examini subijci æquum non sit. Itaque Commentaria illa cum annotationibus in D. Ioannem, quæ summo cum labore, ac vigilantia abs te lucubrata esse scimus, sine alterius cuiusquam approbatione, aut licentia, quandocumque tibi videbitur, in lucem edendi ac imprimi faciendi, harum auctoritate plenam ac liberam tibi damus & concedimus facultatem. Quid illustrius, quam tanti Pontificis suffragio a communi hominum condicione secerni? sed neque illud prætereundum, quod idem Gregor. in litteris ad Gerardum Card. Leodien. datis XIII. Kalend. Februar. 1580. Harum, inquit, rerum sollicitudo facit, ut mittamus dilectum filium Franciscum Toletum Concionatorem nostrum, virum excellenti doctrina, pietate, prudentia præditum, atque omni laude cumulatum. Nec alia fuit Sixti Pont. Max. de eodem sententia, quam, tum alias sæpe, tum in litteris ad eundem Toletum missis sub Annulo Piscatoris VIII. Kal. Maias 1590. declarat in hæc verba. Spectata tua in nos, & Apostolicam sedem merita ab eminenti doctrina profecta, qua in verbo Dei Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & nobis in spiritu, & veritate, & summa cum eloquentia per viginti unum & amplius annos prædicando, incredibili omnium Theologorum admiratione, & eorundem prædecessorum nostrorum, ac nostra, totiusq. S. R. E. Cardinalium Collegij approbatione præcellis, a nobis suo quasi iure requirere videntur, ut tuis commoditatibus, us præsertim, quibus spiritualis animæ consolatio augeatur, benigne, ac fauorabiliter annuamus. Sane cumulatus quicquam, aut speciosus, quamuis laudis amantiissimus, exoptare potuit nemo. Verum his omnibus longe adhuc præstat Sanctiss. D. N. Clementis VIII. testimonium: is enim in litteris ad eundem Card. V. Non. April. 1596. datis: Cum tu, inquit, antequam sel. rec. Pij Papæ V. Prædecessoris nostri mandato Apostolici prædicatoris officio fungereris (in quo postea summa cum laude diu es versatus) in societate Iesu religiosam vitam duxeris, & in Collegio Romano Philosophiam, & Theologiam publice tanta cum auditorum utilitate docueris, ut permulti, te magistro, in eisdem facultatibus excelluerint, ac deinde studiorum ipsius collegij Romani præfecturam ita gesseris, ut omnes tibi, non doctrina solum, sed auctoritatis etiam præcipuum locum merito tribuendum censuerint. Videas quam diligenter, & quasi per otium huius res gestæ a Pontifice celebrentur. Quare mirum non est, si ex his maximis capitibus tantum laudis in Toletum deriuatum sit, ut ex illo in Patriam domum, ac gentem plurimum redundarit. Natus est Corduba, in vrbe prouinciæ Beticæ illustrium virorum frequentia nobili, siue armorum, siue doctrinæ laude præstantium: quam tamen urbem non minus ipse doctrina, prudentia, eloquentia, religione, morum integritate illustrasse, quam ab ea splendoris accepisse iure optimo videri potest. Adijt, ubi per atatem licuit, insignem Salmanticæ Academiam, in qua ita docentes audijs, quasi breuis docturus audientes: ita non totus studia dilexit in studijs, ut alio mentem, aurem alio sine vtriusque*

utriusque detrimento diuideret; suam nimirum tutante causam Deo, largiusque in eius animo influente, ubi vberior sibi seges existeret. In ipso enim philosophiae curriculo, quam ille tanta Academia plaudente docebat, ad Societatem nostram diuino impulsus numine properauit: atque in ipso Religionis tyrocinio Romam missus qualem se virum praestiterit, ex relatis paulo ante summorum Pontificum litteris peti potest. Illud, omittis alijs, non omittam. Nunquam Cardinalium creandorum expectatio imminebat, quin Toleti nomen in primis communi omnium voce Roma exaudiretur, & tantum non acclamaretur; dum interim ille plus adeo honorem subsequenter fugeret, quam alij fugientem subsequuntur. Quin etiam, ubi praclusum sibi undecumque aditum ab honore vidit, impetrari ab eo non potuit, ut hilari fronte Cardinalatus insignia, qua iamdiu Toleti complexum, expetere viderentur, admitteret: nec admissurus erat, nisi coactus obedientia illius, qui ei praecipere poterat, peccati lege propostita. usque adeo avidior Toleti visus est honor, quam honoris ceteri. Hoc ad quotidianos labores onere superaddito, & grauissimorum cura negotiorum distractus, praesertim vero ieiunio quadraginta dierum, quod sibi ante Assumptae Virginis festum diem seuerè quotannis indixerat, male acceptus, in grauem sane morbum sub id tempus incidit, in quo non tam medicorum monitu, qui huiusmodi viris egre ista denunciant, quam incremento morbi, & familiarium, amicorumque aspectu (qua in re me non inficio illi fidum extitisse) instantem sibi mortem cognouit, seque continuo comparauit ad vitam. Et quidem qua pietate, & cultu accersita Ecclesia sacramenta suscepit: quo animi sui sensu modo Deum, modo Dei Matrem, quibuscum usque ad extremum Spiritum suavissime collocutus est, ut sibi adesset, in supremo vita periculo precaretur, nec locus referri, nec oborta iam mihi in sola rei memoria lacryma patiuntur. Enimvero quantum ille ab huius vitarebus emineret, argumento vel in primis fuit, quod cum quidam ei ex religiosis, qui illic aderant, viris suggereret, ut cum S. Martino oraret: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, ijs sibi minima opus esse respondit. ad qua alter cum Pauli votum proposuisset, Cupio dissolui, & esse cum Christo; hoc vero, inquit, ad me: atque illud inter mortuis vocibus identidem repetens obdormiuit in Domino, relicto una cum praclarissimarum virtutum exemplis sui etiam desiderio incredibili. Bibliothecam Collegio Romano delegauit; corpus, & qua supererant bona in Basilica B. Mariae Maioris deponi voluit, quo in loco magnificum sane sepulchrum e regione Ioannis Patricij, atque uxoris eiusdem Ecclesiae fundatorum a Capitulo, grata in tantum virum voluntatis ergo, constructum est. Hac de auctore. De opere illud ausim dicere, Toletum in ceteris videri posse sui similem, hic vero seipso superiorem existimandum, non solum quia posteriora consilia meliora sunt, sed praecipue, quod in hunc Evangelistam, ut amores suos, sic vires, conatus, operam omnem iamdiu contulerat: credo quia in eo frequentior incidere mentio de Sanctissima Dei Matre, cuius erat studiosissimus differendi; ut vel hinc B. Virgini additi haec perlegendi cupiditas excitetur. Porro in hoc opere non aliud eius institutum fuit, quam quod in Ioanne exponendo erat: primum enim a commentatione textus exordians, breuem ac perspicuam verborum explicationem proponit: adait deinde notas, quibus difficultatum capita, & varietatem, quam in textu interpretatione SS. Patres, Scriptorumque antiquiores docuere, complectitur. dum interim, & quae textui quadrent magis, mirabili ingenij perspicacitate diiudicat; & morales sententias, quibus conciones aspergere prima cum laude solitus erat, suo loco reponit. atque haec inter se omnia ita connectit, ut dum intimos quosque doctrina recessus accurata disquisitione rimatur, tum maxime per summa rerum cacumina, moralium flores sensuum non sine fructu lecturus, spatium videatur. plane ut inter Theologos oratorem Dei habeas, inter Oratores theologum. Atque utinam inchoatum opus potuisset absolvere: ut enim mihi dicere solebat, non erat quod alij a se in Marcum, & Matthaeum commentarij expectarentur; cum in hunc unum illorum interpretationem conferre meditaretur. Sed quando hoc factum optare, est dolere non factum, bisce tu Lector duodecim capitibus, quanta maxima a me potuit cura in iustum volumen redactis frueri.



CLEMENS PAPA VIII. AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CVM sicut accepimus, dilecti filij Ioannes Antonius Francinus, & Hæredes Hieronymi Francini, & Ioannes Sonnius Bibliopolæ vrbis magno eorum sumptu, & multis laboribus Commeteria bo. me. Francisci Cardinalis Toledo in sanctum Lucam typis cudi fecerint. Nos ipsorum impressorum indemnitati, ne ex impressione huiusmodi nimium dispendium patiantur, prouideri, eosque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & a quibusuis excōis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sntijs, censuris, & pœnis a iure, vel ab homine quauis occōne, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum pntium dūtaxat consequendum harum ferie absoluentes, & absolutos fore censentes. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, vniuersis & singulis vtriusq; sexus Christi fidelibus, praesertim librorum Impressoribus, & Bibliopolis, tam in Vrbe, quam in toto Statu temporali S.R.E. mediata, vel immediatè sub iugentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, & typorum omnium, pro vna videlicet accusatori, & alia Camera Apostolicæ, pro reliquis vero tertijs partibus dictis Hæredibus applicandorum pœna toties quoties contrauentum fuerit incurrenda, ne prædicta Commentaria dicti Francisci Cardinalis, vel quamcumque eius partem sine speciali Ioannis Antonij, ac Hæredum prædictorum, vel ab eis causam habentium licentia, tam in magno, quam in paruo folio, etiam sub prætextu additionum, annotationum, aut declarationū imprimere, aut etiam ab alijs sine hmoi licentiâ impressa vendere, seu venalia habere, vel proponere, ad quindecim annos proximos a primæua dictorum Commentariorū impressione computandos, audeant, seu præsumant Mandantes propterea vniuersis, & singulis Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum ordinarijs, ac Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, & Prætoribus, in statu nostro Ecclesiastico huiusmodi, vt pœnam supradictâ in contrauentientes eo ipso irremissibiliter exequantur, ipsiq; Ioanni Antonio, ac Hæredibus, seu ab eis deputatis, vel causam habentibus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, Contradictores per prædictas, & alias eis beneuifas pœnas, ac opportuna iuris, & facti remedia appellacione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstant. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus, etiam Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam in ipsis voluminibus impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xiiij. Decembris. MDXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octauo.

M. Vestrius Barbianus.

HENRY PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE:

ANOZ aymès & feaulx Consipliers les gens tenans noz Courtz de Parlemens de Paris, Thoulouze, Rouan, Bourdeaulx, Dijon, Aix, Grenoble, & Bretagne, Baillix, Preuortz, & Seneschaux desdictz lieux, & a tous noz aultres officiers Salut. Auons receu l'humble supplication de noz chiers & bien aymès Jehan Anthoine Franzini & heritiers de Hierosime Franzini libraire de Rome, & Jehan Sonnyus libraire demeurant en nostre Ville de Paris, contenant quilz ont recouuert vng liure intitulé, *Francisci Cardinalis Toleti in Sacrosanctum Luca Evangelium Commentarij*, lequel liure ilz vouldroient volentier fair imprimer, mais ilz doubrent qu'aultres Imprimeurs & libraires qu'eux ne voullussent faire le semblable, & les frustrer par ce moyen de leurs labeurs, fraiz & despences, si par nous ne leur estoit pourueu & permis dicelluy imprimer. Pour ces causes desirans iceulz Franzini & Sonnyus nestre frustrer de leurs labeurs fraiz & despences, leur auons permis, & par ces presentes permettons de pouuoir faire imprimer, ou imprimer ledict liure, avec Inhibitions & deffences a tous aultres Imprimeurs & libraires de nostredict Royaume de l'imprimer, ny fair Imprimer & mettre en vente sans le vouloir, congè & consentement desdictz Franzini & Sonnyus, & ce iusques a douze ans prochainement venantz a compter du Jour, & Datte, que l'Impression premiere dudit liure sera acheuee d'imprimer, sur peine de mille escuz, confiscacion desdictz liures, d'amende arbitraire, ou autres plus grâde peine, sil y escheët, despens dommaiges & Interestz desdictz Franzini & Sonnyus. Si vous mādons & a chacun de vous aultres commettons en droit foy, si comme a luy appartient, que de noz presens priuileges & de tout le cōtenu en iceus vous faictes & souffrez iceux supplians ioir & vfer plainnement & paisiblement ensemble ceux qui auront charge de eux, et a ce faire souffrir, & obeir contraignez tous ceulz qui pour ce seront a contraindre par toutes voies & maniere deues & raisonnables, voullant que en mettant par les supplians a la fin, ou au commencement de chacun desdictz liures par bref le contenu en nostre present priuilege il soit tenu pour deuement signiffie. Car tel est nostre plaisir. Donne a Paris le 26. Jour de Nouembre l'an de grace 1599. Et de nostre Regne le vnziesme.

Par le Roy en
son Conseil.

Dupp.^{tes}

Perrochet.

FRANCISCI
CARDINALIS TOLETI
IN SACROSANCTVM
LVCÆ EVANGELIVM
COMMENTARII.



CAPVT PRIMVM.



QUONIAM quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa sunt, rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi, asecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Fuit in diebus Herodis, regis Iudæa sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela, & non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur, in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt ut incensum poneret, ingressus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: & vinum, & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Elia: ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus. Et factum est, ut impleri sunt dies officij eius abiit in domum suam: post hos autem dies concepit Elisabeth uxor eius, & occultabat se mensibus quinque, dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, & nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM. hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi

OLEMENS DAPA VIT
AD IERONIMUM

Imprimatur, si videbitur Reuerendis. M. S. P.
P. Episcopus Rauellen. Vicefg.

Imprimatur.
Fr. Io. Maria Brasichellen. Sac. Pal. Mag.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the quality of the scan.

Handwritten notes or signatures at the bottom of the page, including what appears to be a name and a date or reference.

obumbrabit tibi. Ideoq. & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Iuda: Et intravit in domum Zachariae, & salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audiuit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth: & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. & beata, qua credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria:

Magnificat anima mea Dominum: & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancilla sua: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius.

Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes.

Suscipit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in saecula.

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens. Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudaeae divulgabantur omnia verba haec: & posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quis putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit, dicens.

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suae:

Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos:

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

Iurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis:

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.

In sanctitate, & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis, praebis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel.

PRAEFATIO EVANGELISTAE.

Quoniam quidem multi conati sunt.

COMMENTARIA.

Causam, cur Evangelicam historiam texendi munus susceperit, reddit; eam autem est, quia multi aggressi sunt eam scribere, quos tacite fugillat, quasi imperfecte, & non ad veritatis normam scripserint, si enim perfecte scripserint, non erat, cur laborem hunc Lucas assumeret.

ANNOTATIO. I.



VGVSTINVS lib. 4. de consen. Euang. cap. 8. hanc praefationem non ad Euangelij narrationem pertinere censet, idque verum est. Posset autem quispiam interrogare, cur solus Lucas inter ceteros Evangelistas praefatione utatur. Cui interrogationi Titus Bostrenus tacite respondere videtur. Ceteri, inquit, Evangelistae ab ipsis stacim rebus initium faciunt, Lucas vero tamquam grandia, quaedam expositurus breui exordio praemisso aggreditur. Haec causa si quid probaret, Ioannes etiam praefatione uti debuit, qui a maioribus sumpsit exordium, & Marcus, qui non a minoribus exorsus est. Quidam recentiores alias comminiscuntur causas. Mihi tres videntur praecipuae, quae ex ipsius praefationis verbis deducuntur. Vna est, ut rationem redderet, cur post multos, qui Evangelium scribere conati erant, ipse etiam idem efficeret, cum Dominum non audierit: altera ut sibi fidem scribendorum conciliaret, explicando se licet Dominum non viderit, tamen omnia diligentissime peruestigasse ab ijs, qui viderunt, & audierunt: tertia, ut eam narrationem se Theophilo dedicare declararet. Fateor potuisse Lucam praefatione non uti, sicut potuerunt ceteri tres eam praemittere, hoc enim est ex genere eorum, quae si fiant, bene fiunt; si vero praeterrmittantur, non ob id malum aliquod committitur.

Cur Lucas solus praefatione utatur inter alios Evangelistas.

Auctoris sententia.

Quomodo multi conati Evangelium scribere dicantur a Luca.

Qui sint illi multi quos Lucas significat conatos Evangelium scribere.

A Euangelia conscripta a multis, quorum vnum dicebatur secundum Aegyptios, alterum secundum Basilidem ab ipsomet conscriptum, tertium secundum duodecim Apostolos, quartum secundum Thomam, quintum secundum Matthiam, aliaque multa, quae se legisse affirmat. Ambrosius eorundem meminit praeter Aegyptiorum Evangelium. Epiphanius vero propter Evangelium Cerinchi, & Evangelium Merinthi, & aliorum dictum interpretatur. Titus Bostrenus autem & Theophylactus de Evangelio secundum Aegyptios, & secundum duodecim Apostolos intelligunt. Beda idem dicit, quod Ambrosius, addens etiam dictum hoc propter Evangelium secundum Apellem. Augustinus demum nihil in particulari dicit, sed solum eos intelligi censet, qui scripserunt, & nulla eorum in Ecclesia extat auctoritas. Haec sunt, quae Doctores antiqui in hac parte sentiunt.

B Quid autem in hac difficultate mihi sit visum, sequentibus dictis aperiam. Primum quidem probabilius, & accommodatius est contextui, verbum non accipi in malam partem, tum quia significatio verbi, tam graeci, quam latini indifferenter accipitur, siue in bonam, siue in malam partem, idem enim significat, ac aliquod aggredi, aut opus aliquod faciendum suscipere: tum quia illa particula (conati) quam postea Evangelista adhibet, nempe (visum est & mihi) significat se etiam pariter velle conari, & opus aggredi: si igitur in malam partem acceptum illud esset, non debuisset se illis coniungere, dicendo se etiam id opus adoriri. quod argumentum me multum mouet, ut sentiam verbum hoc accipi generaliter, tam in bonam, quam in malam partem, ut vtramque complectatur. Secundum, vera est communis, & concors Patrum sententia, hic fugillari eos, qui non, ut par erat, scripserant, tamen id non verbo (conati sunt) significatur, sed alio modo tacite insinuat a Luca, dum dicit propterea se scribere, quia ipse affectus esset omnia, adhibita diligentia, igitur illi non erant omnia affecti, quae gesta fuerant, nec diligentiam debitam adhibuerant in ijs perquirendis, quam Lucas se fecisse testatur; aliter enim si illi ea praestitissent, non erat, cur ipse scriberet. Tertium, horum numero non comprehendit Matthaeum, nec Marcum, quia hi non scripserant Graece, sed ille Hebraice, hic Latine, Lucas autem Graece, & ad Graecos scribens, de his scriptoribus loquebatur, qui eodem scripserant idiomate. Quarto, per hos multos non potuit intelligi Basilides, ut putat Origenes, nec etiam Apelles, ut existimat Beda; ratio manifesta est, nam hi duo fuerunt tempore posteriores Luca, & consequenter nondum conscripserant Evangelia, nam Lucas de his loquebatur, qui suo tempore scribere conati erant. Fuisse autem Basilidem posteriorem Luca, constat ex Eusebio lib. 4. hist. Eccl. cap. 7. Apellem vero Basilide posteriorem ex eodem manifestum est lib. 5. cap. 13. idem etiam sentiendum.

Auctoris sententia.

est de Cerintho, & Merintho. nam etiam hi post-
riores fuere, vt deducitur ex eodem Eusebio lib. 3.
cap. 22. Quinto, de alijs praedictis incertum est, qui
ante Lucam scripserint, hoc vero certum est non
nullos Graece scripsisse, quorum Euagelia cum alijs,

A quae postea scripta fuerunt, utpote vana, & falsa con-
tinentia, ac imperfecta, Ecclesia reiecit, retentis ac
probatiss Quattuor, quae hucusque conseruantur, &
diuino Spiritu conscripta confitemur, & fide credi-
mus, quae in eis contenta sunt.

Ordinare narrationem.

COMMENTARIA.

EXponit, quid illi multi conati sint, ordinare, inquit, narrationem, idest texere
historiam, & ea, quae gesta sunt, distincte, & ordinate describere. Euangelium
enim Lucae, ac ceterorum, historia quaedam est ordinata, ac distincta narratio ge-
storum, ac doctrinae Christi.

ANNOTATIO. II.

VERbum ordinare non significat omnia, quae ge-
sta sunt ordine recensere, hoc enim non semper
effecerunt Euangelistae, nam quaedam praeposuerunt,
quaedam vero alia postposuerunt, non secundum
temporis ordinem, quo facta sunt; at vero in praeci-

B puis, ac plurimis id obseruarunt, nempe temporum
ordinem sequentes, omnia vero inter se conuenien-
ti ratione disposuerunt, etiam in ijs, in quibus tem-
poris ordo non tenebatur

Quae in nobis completae sunt, rerum.

COMMENTARIA.

EXplicat, quae sint haec, quorum narrationem ordinare multi conati sunt, ea
nempe, quorum nobis certa fides facta est, & quae explorata, ac certa fide tene-
mus; illa scilicet, quae Christus gessit, ac docuit, haec Lucas ipse Act. 1. explicuit,
dicens: Sermonem feci de omnibus, quae coepit Iesus facere, & docere. res autem
appellat, quia non fabulae, aut fragmenta, sed res verissimae sunt. In nobis autem di-
cit completas; quia ea omnia facta, & gesta esse, fide indubitata credimus.

ANNOTATIO. III.

VERbum graecum περιηροφημένον, quod inter-
pres vulgatus vertit (completae) participium
passiuum est a verbo περιηροφείν, quod in scriptura
duas habet significationes. Significat enim idem,
quod perficio, seu compleo; & idem etiam, quod
certam fidem facio de aliqua re. In priori signifi-
catione accipitur. 2. Timot. 4. Ministerium tuum im-
ple; idest perface, nihil praetermittas ex ijs, quae tuum
officium postulat. in posteriori vero usurpatur in
eodem capite: Dominus, inquit, confortauit me, vt
per me praedicatio impleatur, idest persuadeam homi-
nibus ea, quae praedico, & eorum plenam, ac ex-
ploratam fidem faciam. Eadem significatio etiam
est Rom. 4. plenissime sciens, quod qui promisit po-
tens est facere; idest persuasus, certamque fidem te-
nens Deum posse facere, quae promisit, & Rom. 14.
Vnusquisque in suo sensu abundet, idest de eo, quod
iudicat, ac sentit, sit plene persuasus, loco enim illius
verbi (abundet) Graece habetur hoc idem verbum.
Iuxta hanc duplicem significationem, duplex est sen-
sus huius sententiae. Prior est secundum priorem si-
gnificationem, nempe, res dici in nobis completas,

quia in Evangelio per Christum perfecta sunt, quae
in lege fuerant promissa. quam significationem Am-
brosius amplexus est, & ei magis accedit vetus inter-
pres. Posterior est iuxta alteram significationem,
nempe res has completas dici in nobis, quia de earum
veritate fides perfecta, ac firma facta nobis est per
Apostolos, certique sumus de eis, non quasi ex hu-
mano auditu, & opinione, aut cum dubietate aliqua.
Hic sensus est communissimus apud interpretes, quae
sequuntur Orig. hom. 1. in Lucam, Athanasius in
Epist. ad Ammum monachum, Titus Bostrenus, Euse-
bius lib. 3. hist. Eccles. cap. 8. Theophylactus, & Euse-
thymius; & idcirco eum nos amplexi sumus, & ver-
bum latinum (completae) in eam traximus signifi-
cationem, sicut trahi etiam debet in alijs locis Pauli ci-
tatis. Notat autem Titus Bostrenus apposite dictum
esse (rerum) neque enim, inquit, Dominus Iesus
imaginaria, vt haereticis nugari lubet, sed vera natu-
ralique carne indutus in mundum hunc venit. nam
vt ipse veritas est, ita quaecumque parauit, aut per-
tulit, vere parauit, ac pertulit. Haec ille.

ANNOTATIO. IIII.

ALtera difficultas in eisdem occurrit verbis, nimi-
rum, quid illud (nobis) indicet. Origenes enim
hom. 1. in Lucam, & Titus Bostrenus interpretantur
de ipso Luca solo, quasi dicat, se certa fide, & indu-
bitata persuasum esse de his, quae scribere aggredi-

tur. Haec tamen expositio non videtur accommoda-
ta, nam nondum de seipso loquitur vsq; ad illa ver-
ba (visum est & mihi) tuncq; numero singulari uti-
tur. Verius dicunt Ambrosius, & Euthymius, nem-
pe de omnibus fidelibus loqui, qui non viderunt,
nec

nec audierunt Christum, sed fidem ex auditu con-
ceperunt, certique erant de ijs rebus, quas Christus
gessit, & docuit. Quod autem quidam recentiores
ad Lucam, & Theophilum referunt, nullo proba-

bili nititur fundamento. nam in ceteris fidelibus
erant etiam completae res, ac earum fides erat illis
perfecta.

Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt.

COMMENTARIA.

REFertur haec sententia ad primam, in hunc sensum: Multi conati sunt ordinare
narrationem rerum, sicut ab ijs, qui viderunt, traditae nobis sunt; non quod eas
ipsi viderint, sed quod ab alijs audierint, & tamquam traditas scribere conati sint.
Isti porro qui tradidisse dicuntur, sunt Apostoli, & ceteri Discipuli, qui a principio
praedicationis, & manifestationis Christi eum sunt comitati iuxta illud Ioann. 15.
Vos testimonium perhibebitis, qui ab initio mecum estis.

ANNOTATIO. V.

ORigenes hom. 1. in Lucam, & Titus Bostrenus,
ceterique fere expositores hanc sententiam,
connectunt cum proxima praecedenti, in hunc sen-
sum (nobis completae sunt res, sicut tradiderunt,
qui ab initio viderunt) idest credimus, ac certa fide
persuasi sumus de rebus, sicut ab Apostolis traditae
fuerunt; siue de Luca sit sermo, siue de omnibus fi-
delibus, vt in praecedenti annotatione discussimus.
Significat ergo Lucas ea, quae vel ipse credit, vel ce-
teri etiam fideles credunt, ab ijs, qui Christum viderunt,
fuisse quasi per manus accepta; vt ex hoc eor-
um veritatem confirmet, aut suam in scribendo au-
thoritatem comprobet. Mihi multo facilius, & ac-
commodatior explicatio visa est, si ad illos multos re-
feratur haec sententia in eum sensum, quem in com-
mentario exposui, nimirum, quoniam multi cona-
ti sunt texere historiam rerum fidei nostrae, sicut ab

Apostolis traditae sunt, idcirco mihi etiam visum est
idipsum aggredi, quia diligentissime omnia ab eis
perquisiui, & didici, ex quo veritatem narrare cer-
to potero, quasi non omnes illi, aut ab ijs audierint
omnia, aut non ita diligentes in perscrutandis, &
conseruandis fuerint. Hunc exitimo sensum esse
legitimum. Hic facile soluitur altera difficultas, ad
quid nempe referatur verbum illud (viderunt) na
Doctores allegati referunt ad illud, quod sequitur
(sermonis) quasi diceret, qui viderunt sermonem,
& ministri fuerunt ipsius sermonis; at mihi proba-
bilis visum est referre ad praecedentem sententiam,
nempe illud (rerum) in hunc sensum: quidam cona-
ti sunt ordinare narrationem rerum, quae fide nobis
perspectae sunt, sicut tradiderunt qui ab initio eas vi-
derunt, testesque ex visu fuerunt, hoc tamen in se-
quenti annotatione magis manifestabitur.

ANNOTATIO. VI.

POffet quispiam opponere Apostolos, & Disci-
pulos non vidisse omnia, quae tradiderunt. nam
Natiuitatem Domini non viderunt, nec Angelum,
annunciantem Zachariae, ac Beatae Virgini, nec alia
multa. Respondeo vidisse oculis proprijs maiorem
partem rerum, nam & viderunt Christum, & mira-
cula ipsius, doctrinam eius audierunt, resurrectionis
ipsius, passionis, & mortis testes oculati fuerunt,
cetera ab ore ipsius perceperunt, & hoc satis est, vt
dicantur vidisse. Est enim verbum videndi generale
cognitioni etiam auditus, non enim viderunt sermo-
nem, sed audierunt vocem eius, nam & Exo. 20. di-
citur Populus vidisse voces. Quidam dicunt Lucam

ad Beata Virgine multa didicisse de Annunciatione, &
infantia Saluatoris, quae postea scripsit, quod quid-
dem verum existimo, nam eius imaginem vt supra
diximus depinxit, quod argumento est, illum eam
vidisse. tamen hoc non satisfacit difficultati, nam
nec Zachariam vidit, de quo tamen scripsit, nec haec
sententia de Luca prolata est, sed de ijs, a quibus Lu-
cas accepit, nempe ab Apostolis, vt dicit Irenaeus
lib. 3. cap. 14. nec etiam hoc consonat sequenti sen-
tentiae, nam ij, qui viderunt, dicuntur ministri ser-
monis, nempe missi ad praedicandum, idcirco pro-
babilius est, quod dictum est prius.

Et ministri fuerunt sermonis.

COMMENTARIA.

CONNECTitur haec sententia praecedenti, tradiderunt enim res fidei nostrae, qui
viderunt eas, & qui constituti, & destinati fuerunt ad praedicandum, & eas mun-
do manifestandum. Hoc est ministros esse sermonis, non enim omnes, qui Christum,
& miracula eius viderunt, ac doctrinam audierunt, facti sunt ministri sermonis, ac
praedicationis, sed Apostoli praecipue, ac Discipuli ipsius; quod quidem veritatem
narratarum rerum maxime commendat, maior enim fides exhibetur narranti, qui
vidit, & simul institutus est a Domino minister doctrinae.

Lucas a B. Vir-
gine multa di-
didicisse fertur
de infantia Sal-
uatoris.

Duplex in Scri-
pturis signifi-
catio verbi
περιηροφείν

Sermonis nomine quid significet Lucas in præcedenti sententia.

Origenes hom. 1. in Lucam, Ambrosius & Euthymius in commentarijs suis, & Hieronimus in præfatione in Matthæum hunc sermonem, Christum ipsum interpretantur, & ad eum referunt utrumque verbum, nempe viderunt Christum ipsiq; ministrarunt, qui Verbum, & sermo Patris est. Titus Bostrenus ambiguum censet, nempe aut Christum, aut doctrinam Christi. At vero prior interpretatio, non videtur mihi satis accommodata, nam maior captatur auctoritas in ijs, à quibus res fidei traditæ sunt per hoc, quod ministri sunt prædicationis facti, & Doctores à Deo constituti, quàm per hoc, quod Christo ministrarunt ipsi inferuientes, & adhærentes, mulieres enim multæ ministrarunt ipsi, quæ non fuerunt

ministra sermonis, & prædicationis à Christo destinata. Non igitur sermo hoc in loco pro Christo, sed pro eius prædicatione, seu doctrina accipitur, cuius ministerio Apostoli ab ipso Christo sunt destinati. Vnde conuenientius illud (viderunt) ad res ipsas, de quibus ante dictum erat, hoc autem (ministrarunt) ad sermonem referimus, quasi Apostoli dicti sint, & res vidisse, earumq; oculos fuisse testes, & ad prædicandum, ac annunciandum eas mundo, prædicatores esse institutos. His adiunge, quamuis verum sit Christum esse sermonem, seu Verbum Patris, Græce enim dicitur λόγος, tamen peculiaris est hic modus loquendi Ioanni, nec enim in ceteris Evangelistis id vocabulum pro Christo sumptum legimus.

Visum est mihi.

C O M M E N T A R I A .

Conclusio est præcedentium, nempe, cum multi conati sint ordinare, & texere historiam rerum, quarum fides nobis perspecta est, quasque tradiderunt, qui Christum viderunt, visum etiam mihi est ea ordinare, sicut & illis visum est. Particula (&) hunc indicat sensum, scilicet, multis visum est ordinare narrationem, ideo etiam mihi idem visum est, cur sibi visum sit, statim exponit.

A N N O T A T I O . V I I I .

Non videtur probabile Lucam distante, aut hortante Paulo, seu iube Petro scripsisse Euangelium, ut aliqui dicunt.

Apparet hic probabilitate carere, quæ nonnulli dicunt, nempe Lucam scripsisse Paulo distante, siue quod alij affirmant, ipso hortante, siue quod Euthymius asserit, illius permisso; siue etiam, quod alij scribunt, iussu Petri. Si enim hæc ita essent, Lucas tam insignis auctorem, cuius ductu scribebat, non tacuisset, nec absolute dixisset, visum est mihi. Non tamen per hoc consilium Spiritus sancti excluditur, qui eum ad scribendum suo instinctu induxit, ut recte affirmavit Epiphanius hære. 51. Cum enim

inquit, post Matthæi, & Marci Euangelium hæretici generationem Christi diuinam negarent, non legentes Spiritus sancti descensum in eum, nisi post Baptismum: Spiritus sanctus impulit Lucam, ut Euangelium enarraret, & diuinam eius Conceptionem describeret, ut illum conceptum, & natum Deum omnes intelligerent. Quia vero Spiritus sanctus inspirans consilium hominis requirit, dicitur enim Act. 15. Visum est Spiritui sancto, & nobis, idcirco Lucas dicit, visum est mihi.

Affecuto omnia à Principio diligenter.

C O M M E N T A R I A .

Ecce causa, cur ipsi visum sit scribere Euangelium, quia affecutus est omnia à principio diligentia magna, & inquisitione facta ab ijs, qui viderant, & ministri sermonis fuerant, à quibus accurate peruestigauit, & intellexit cuncta, quæ gesta sunt, ex quo fidelissime, & plenissime narrare ea potuit. Insinuat illos, qui conati sunt scribere non omnia perfecte affecutos fuisse. A principio vocat à Ioannis conceptione, & missione Angeli ad Zachariam. Hinc enim videtur quasi incepisse Christi aduentus, & eius historia, nempe à Præcursores illius. His etiam verbis sibi legentium fidem conciliat, quippe qui ab ipsis Apostolis ea omnia perceperit, quæ scripsit, ut ait Irenæus lib. 3. cap. 14.

A N N O T A T I O . I X .

Recte Ambrosius notauit Lucam omnia nouisse, non tamen ea omnia scripsisse, sed ex omnibus elegisse, quæ scribenda iudicauit, ut etiam dicit Augustinus lib. 4. de consens. Euang. cap. 8. nam multa, quæ Matthæus, & Marcus scripserant, prætermisit, multa etiam, quæ postea Ioannes narrauit, & ipse etiam nouerat, diuino consilio siluit. At vero plurima, quæ ceteri tacuerunt, & quidem admiranda exarauit. exorsus enim est à Ioannis Baptistæ conceptione, & natiuitate, deinde conceptionem & Natiuitatem Saluatoris nobis manifestauit. Quæ au-

tem sint ea, quæ à solo Luca scripta habemus, Irenæus notauit lib. 3. cap. 14. cuius verba referre libet, ut ea ante oculos legentium proponamus, sic enim inquit: Plurima, & magis necessaria Euangelij per Lucam cognouimus, sicut Ioannis generationem, & Zachariæ historiam, & aduentum Angeli ad Mariam, & exclamationem Elisabeth, & Angelorum ad Pastores descensum, ea, quæ ab illis dicta sunt, & Annæ, & Simeonis de Christo testimonium; & quod duodecim annorum in Hierusalem relictus sit; & Baptismum Ioannis; & quot annorum Dominus bapti-

Lucas multa scripsit, quæ alij Euangelistæ tacuerunt, & quæ ea sint.

baptizatus sit, & quia in quintodecimo anno Tiberij Cæsaris; & in Magisterio illud, quod ad diuites dictum est; Væ vobis diuites, quoniam percipitis consolationem vestram; & væ vobis, qui satiati estis, quoniam esurietis, & qui ridetis nunc, quoniam plorabitis; & væ vobis, cum benedixerint vos homines omnes. Secundum hæc enim faciebant, & pseudoprophetae Patres vestri: omnia huiusmodi per solum Lucam cognouimus; & plurimos actus Domini per hunc didicimus, quibus & omnes vtuntur; & multitudinem piscium, quam concluderunt hi, qui cum Petro erant iubente Domino, ut mitterent retia. Et illa, quæ per octodecim annos passata curata fuerat mulier die Sabbatorum. Et de hydro-pico, quem curauit Dominus die Sabbatorum, & quemadmodum disputauit quod curauit in hac die. & quemadmodum docuit Discipulos primos discubitus non appetere. Et quoniam pauperes, ac debiles vocare oportet, qui non habent retribuere. Et qui pulsauit nocte sumere panes, & propter instantiam importunitatis sumit. Et quomodo apud Pharisaum recumbente eo peccatrix mulier osculabatur pedes eius, & vnguento vnguebat, & quæcumque propterea dixit ad Simonem de duobus debitoribus. Et de parabola diuitis illius, qui reclusit, quæ ei nata fuerant, cui & dictum est: In hac nocte exostulabunt animam tuam à te, quæ autem præparasti cuius erunt? Similiter autem & Diuitis illius, qui vestiebatur purpura, & iocundabatur nitide, & egeni Lazari. Et eam quam ad discipulos suos dixit responso-

nem, quando dixerunt ei: Adijce nobis fidem, & eam quæ ad Zachæum publicanum facta est, confabulationem: & de Pharisaeo, & Publicano, qui simul adorabant in templo; & dedecem leprosis, quos simul emundauit in via; & quoniam de vicis & plateis claudos, & cæcos iussit colligi ad Nuptias. Et parabolam iudicis, qui Deum non timebat, quem instantia Viduæ fecit, ut vindicaret eam. Et de arbore ficti, quæ erat in vinea, quæ non faciebat fructum. Et super hæc omnia post resurrectionem in via ad discipulos quæ locutus est, & quemadmodum cognouerunt eum in fractione panis, & alia multa quæ inueniri possunt à solo Luca dicta esse. hæc Irenæus. Quæ omnia profecto ostendunt exquisitam Lucæ diligentiam in peruestigandis ijs, quæ scripsit, & quantum vtiliter ac plene scripsit. Recte autem dixit Irenæus alia multa ultra narrata Lucam solum scripsisse, nam & sudorem Christi, & ab Angelo factam confortationem ab eo nouimus, similiter & illud; Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti, quin immo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud; & totum illud; Lucerna corporis tui est oculus tuus; & copiosum illum sermonem in loco campestri post electionem Apostolorum. Sunt etiam alia quæ facile vnusquisque inueniet, quamuis nonnulla prætermiserit, quia ab alijs scripta nouit: Ut autem ceteris Euangelistis consentire videtur, multa communia illis enarrauit, sic enim vnicum esse Euangelium cum Matthæo, & Marco ostendebatur.

Ex ordine tibi scribere.

C O M M E N T A R I A .

Explicat, quid sibi visum sit, scribere, nempe ea, quæ ab Apostolis prædicata sunt, ac dicta, ex ordine, id est distincte, & ordinate, non quod omnia eo ordine relata sint, quo gesta sunt, sed quod multa quidem eo ordine sint exarata: in alijs quibus verò ijs maxime, quæ de Christi doctrina scripta sunt, connexio quædam, & distinctio accommodata ad docendum, seruata sit, ut supra in Annot. 2. dictum est.

A N N O T A T I O . X .

Lucas an seruauerit in omnibus ordinem temporis, quo gesta res fuerunt.

Quidam recentiores ex hoc loco colligunt Lucam seruasse in omnibus, ordinem temporum, quibus gesta sunt, quorum tamen opinio facile conuinci potest à veritate aberrare, cum constet nonnulla per anticipationem quandam narrata ab eo esse. seruauit quidem ordinem temporis in præcipuis, in nonnullis autem prætermisit, & alio loco nonnulla constituit. qui quidem ordo, magis narrationi, & doctrinæ elucidationi accommodatus erat, cum non

instituisset omnia simpliciter scribere, ut supra diximus. Ex ordine igitur scripsit omnia, sed non in omnibus eundem ordinem seruauit. nam & in humanis scientijs tradendis non idem ordo tenetur, quamuis omnia ex ordine tradantur; est enim & ordo doctrinæ, & ordo rei, seu naturæ, cum autem Euangelium non tantum sit historia gestorum, sed etiam doctrina, & instructio fidelium, vterque ordo seruatus est in eo scribendo.

Optime Theophile.

C O M M E N T A R I A .

Fidelis quidam est, non mediocri conditionis, ac pietatis, cui Euangelista suum volumen destinauit; sic appellatus, cui etiam Acta Apostolorum post hoc nuncupauit, ut constat ex cap. 1. eundem enim hunc & illum non ex solo nomine colligimus, sed etiam ex eo, quod Euangelium illi esse prius dedicatum Lucas in eodem capite insinuauit.

A N N O T A T I O . X I .

Theophilus, cui nuncupat Lucas volumē suū, quis fuerit.

Multiplex est doctorum opinio de hoc Theophilo, primo quidem nonnulli putant non esse nomen proprium, nec certum aliquem virum signi-

ficari, sed omnem fidelem, ac pietatis cultorem, ad quem hoc dirigitur Euangelium, ita sentiunt Origenes hom. 1. in Lucam, Ambrosius in commentarijs & Epiph.

Epiphanius hæref. 51. dicitur autem fidelis Theophilus, quasi à Deo dilectus, ut dicit Origen. siue quasi diligens Deum, & dilectus à Deo, ut inquit Ambrosius. Secundo, quidam alij certum virum signari, & nomen proprium affirmant. in qua sententia sunt Chrysostomus hom. 1. in Acta, Oecumenius Act. 1. & Augusti. lib. 4. de consen. Euang. cap. 8. & Euthymius. Tertio, alij virum certum indicari existimant, tamen ambiguum relinquunt, an id fuerit proprium eius nomen, an vero sic sit appellatus, eo quod pietatis cultor esset, ac fidelis. huius opinionis est Titus Boetrenus. Harum opinionum prima non videtur probabilis, tum quia sermo est in singulari, tibi, inquit, optime Theophile, & iterum (ut cognoscas), tum quia subiungitur, de quibus eruditus es, quod non cuilibet fideli accommodatur, cum sit sermo præteriti temporis: tum etiam ex epitheto (optime) quod vnum certum indicat. Igitur quidam particularis vir designatur. Tertia vero opinio non videtur etiam probabilis, illud enim epithetum (optime) nomen proprium indicat esse, quod sequitur, aliter enim vtrumque esset epithetum sine nomine. Secunda igitur opinio legitima est, scilicet nomen Theophili esse proprium viri cuiusdam.

Quis autem is fuerit, incertum est. Oecumenius existimat fuisse præfectum alicuius provincie, similiter Euthymius, addens eum, vel fuisse ordinis senatorij, vel alicuius provincie præfectum, idque probat ex epitheto (optime) quod Præfectis, aut Primatibus dabatur, ut constat Act. 23. & 24. ubi di-

citur optimus Felix, qui erat præfectus, & Act. 26. Festus, qui præfectus erat. De hac, ut dixi, re nihil certi statui potest, nec argumentum ab epithetis efficax est, cum sæpe honoris causa ea impartiamur etiam ijs, qui officio & munere carent.

Inquirunt Chrysostomus, hom. 1. in Acta, & ibi Oecumenius, cur vni viro totum Evangelium conscripserit, ac propter vnum tantam diligentiam adhibuerit. Respondent id Lucae humanitati apostolo dignæ adscribendum, audierat enim Christum dicentem. Non est voluntas Patris mei, ut vel vnus pereat ex pusillis his. Hæc responsio, qua parte dicitur Lucas Christum audisse, superius reiecta est, quoad alteram vero partem vera est. licet fortasse, facilius dicere possimus, etiam si vni scripserit, non tamen pro illo solo scripsisse, sed pro omnibus, sicut & Paulus multas epistolas, aut hominibus particularibus, aut Prouincijs scripsit, quæ tamen in vtilitatem totius Ecclesie ordinabantur. fortasse hic Theophilus erat homo publicus, & eius auctoritas multis vtilitatem adferre poterat, ideoque inscribitur ei Euangelium, ut is instructus veritate alios ad eandem pertraheret. Augusti. lib. 4. de consen. Euang. cap. 8. videtur existimare incertum, an iste Theophilus sit is, cui Acta Apostolorum etiam nuncupauerit; an alius eiusdem nominis. At vero id non in dubium reuocandum videtur, cum in principio Actorum mentio fiat Euangelij, quod prius illi fuerat inscriptum, sicque Chrysostomus, Oecumenius, & alij tenent.

Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

COMMENTARIA.

ECce causa, & finis, cur inscribat hoc volumen Theophilo, ut nempe à Theophilo hæc legens, cognoscas veritatem, ac firmitatem earum rerum de quibus ante fuisti eruditus, seu catechizatus, idest viua voce instructus. cum enim legeris eadè, quæ sermone concepisti, multum in fide firmaberis, eorumque certitudo, & firmitas magis tibi innotescet. Hebraismus est, verborum, idest rerum.

ANNOTATIO. XII.

Theophilus an fuerit Lucas discipulus.

Theophylactus existimat Theophilum Lucae Discipulum fuisse, ab eoque viua voce prius Evangelium accepisse, nunc autem ad eum scribere, ut scripto magis firmetur in illorum, quæ audiuit, fide. solent enim, ut inquit, homines liberius loqui, quam scribere, & scripta magis considerare, quam verba, idcirco illa maiorem fidem conciliant, quam hæc. Qua de causa Lucas dicit se scribere Theophilo, ut agnoscat veritatem eorum, de quibus verbo instructus fuerat. Hæc Theophylacti sententia, qua parte Theophilum affirmat Discipulum fuisse Lucae, ab

eoque viua voce instructum, incerta est, immo potius ex textu deducitur contrarium. indicat enim Theophilum ab alijs instructum fuisse de rebus fidei, ad quem, ut eum magis in fide suscepta confirmaret, veritatemque rerum, de quibus instructus erat, ostenderet, decreuit volumen scribere præmissa diligentissima inuestigatione omnium eorum, quæ ille nec ita plene, nec ita ordinate audierat, sicque fidei veritatem recognosceret. iam enim ante veritatem multorum nouerat, cum fidelis esset, nunc tamen recognouit, & in fide auctus, & roboratus est.

CAPUT PRIMUM.

Fuit in diebus Herodis Regis Iudæ.

COMMENTARIA.

Quibus de causis Lucas exorditur à Ioannis Baptistæ conceptione & natiuitate.

EXORDITVR Euangelium Lucas à Ioannis Baptistæ conceptione, & natiuitate; tum quia Christi, cuius doctrinam, & opera describit, ille præcurfor erat; tum, ut quàm dignus fide testis sit Ioannes, omnibus patefaciat. Venit enim Ioannes, ut testimonium perhiberet de Christo. tum demum, ut ex ipsius Ioannis aduentu, quem ante faciem Christi venturum Prophetæ prædixerant, Christum verè venisse apud incredulos comprobaret. Tempus ergo conceptionis, & natiuitatis, quod etiam commune fuit Christo, indicat, ut facti veritas magis innotescat; & propterea regni Herodis primi meminit, nam id Iudæis, & gentibus erat manifestius. Dicitur autem Herodes rex Iudææ, quia in tota terra Iudæorum super Iudam, & ceterarum tribuum reliquias dominabatur. Hic fuit primus ille Herodes alienigena.

ANNOTATIO I.

Quare Euangelista meminit Herodis regnantis.

Diebus Herodis. Hebraismus est pro eo, quod dicimus tempore Herodis. Est autem apposita locutio, ut tempus regni huius sæculi, dies appellentur, ad breuitatem eius indicandam. Cur autem regni Herodis mentionem fecerit, duas alias causas adfert Theophylactus. Vna est, ut morem Prophetarum seruaret, qui prophetias suas à tempore tunc dominantium regum exordiebantur, quod Lucas nunc fecit, quia de Zacharia, & Elisabeth, qui Prophetæ erant, loquebatur. Altera est, ut insinuaret diem aduentus Christi appropinquasse, ablato iam regno à Iuda, & ad alienigenam Herodem translato iuxta Prophetiam Iacob Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est. Huius doctrinæ addendum, quidam

recentiores existimant, non solum regnum à Iuda ablatum, & in alienigenam translatum esse, sed etiã omnem potestatem iudicandi, quæ residebat in Septuaginta iudicibus de tribu Iuda appellatis Sanhedrim, cessasse, quos Herodes in principio regni occidit, ut refert Ioseph. li. 14. Antiq. cap. 17. nam si solum regnum ablatum esset, non erat sufficiens signum aduentus Christi; cum in captiuitate Babylonica regnum Iuda abscissum esset, sed oportebat etiã cum regno de Iuda auferri omnem iudicandi potestatem, cum Iacob & regnum, & ducem, seu scribam debere tolli in aduentu Christi prænucciauerit. Hæc adnotasse sufficiat, nam de vero sensu prophetiæ Iacob alibi plura dicendi dabitur occasio.

ANNOTATIO II.

Quot fuerint Herodes dicti, & quis eorum hic, de quo Lucas loquitur.

Tres exiterunt dicti Herodes, primus fuit filius Antipatri alienigena, ut auctor est Ioseph. li. 14. antiq. cap. 17. dictus Ascalonita, quem Cæsar Augustus regem Iudææ instituit. Habuit autem hic ex diuersis vxoribus multos filios, quorum duos Aristobolum natu maiorem, & Alexandrum incolumis ipse occidit, tertium vero Antipatrum appellatum morti proximus interfecit fecit, tres vero superstites fuerunt, Archelaus, & Herodes dictus Antipa, & Philippus. Hic secundus Herodes, filius nempe primi à Romanis factus est Tetrarcha Galilææ. Tertius Herodes fuit filius Aristoboli, qui filius fuit Herodis primi, quem Pater occidit, superstiti filio hoc dicto Herode Agrippa, cum sorore Herodiade. Hic in maiorem euectus est dignitatem, quam patruus eius Herodes Antipa, nam fuit rex, id quod ægreferens Herodias foror eius, & vxor Herodis Antipæ, maritum impulit Romam adire regie dignitatis obtinendæ causa, sed contra euenit, nam ab Herode Agrippa per litteras apud Cæsam Cæsarem accusatus, priuatus est Tetrarchatu, & in exilium perpetuum, Lugdunum est relegatus, & Tetrarchatus Galilææ regno Herodis Agrippæ accusatoris accreuit, ut auctor est Ioseph. lib. 18. antiq. cap. 9. Primus ergo Herodes magnus dictus est, de quo nunc meminit Lucas, qui occidit etiam infantes innocentes.

Huius trigesimo primo regni anno conceptus est, & natus Ioannes, similiter & Christus; regnauit enim annis triginta septem, à tempore, quo à Romanis rex est creatus, ut refert Ioseph. li. 17. antiq. cap. 10. Secundus Herodes huius filius Tetrarcha Galilææ fuit tempore passionis Domini, qui & occidit Ioannem Baptistam. Tertius vero Herodes filius Aristoboli occidit Iacobum fratrem Ioannis, cuius fit mentio Act. 12. hic verbis perijt diuino iudicio, ut refertur eodem cap. 12. relicto filio in eadem dignitate regia, qui vocatus est Agrippa, & hic est, quo cum locutus est Paulus Act. 26. Lucas ergo sermonem de primo Herode faciens à reliquis duobus, filio, & nepote distinxit, regem enim appellans ab Herode secundo discernit, qui fuit, non rex, sed Tetrarcha, dicens autem regem Iudææ, distinguit à tertio, qui rex fuit, sed non Iudææ, sed Trachonitidis, & Galilææ.

Attende autem esse diuersa hæc duo (rex Iudææ, & rex Iudææ) Reges Iuda dicti sunt, qui duarum tribuum tantum reges erant, Iuda, & Beniamin, diuisi, & separatis decem tribubus sub alijs regibus, qui dicti sunt reges Israel. At rex Iudææ omnibus tribubus, & in tota terra promissionis dominabatur; tota enim illa regio dicta est Iudæa, cuius rex Herodes iste fuit, quo tempore facta sunt, quæ nunc Lucas noster enarrare incipit.

Regis Iudææ, & regis Iudææ discrimen.

C O M M E N T A R I A.

Parentes describit, certior enim est conceptio, & natiuitas, cuius parentes certi sunt, vt eam nemo inficiari possit, eaque de causa, & nomen, & dignitatem refert. Sacerdos erat Zacharias nomine. est etiam huius descriptionis altera causa, quia nempe de eis multa & præclara narranda erant. Consulto autem Euangelista dignitatem nomini præmittit, non enim dicit, Fuit quidam vir nomine Zacharias Sacerdos; quæ enim gesta nunc narrabat, ad dignitatem spectabant, scilicet adolere incensum in altari; dum enim hoc geritur, conceptio Ioannis ab Angelo prædicatur, idcirco, fuit, inquit, Sacerdos quidam. Si summus Sacerdos fuisset, vtique Euangelista id indicasset, nec nomine simplicis Sacerdotis vsus esset, id quod etiam, quæ sequuntur, confirmant.

A N N O T A T I O. I I I.

Zacharias non fuit summus Sacerdos.

Ambro. in præsentis, & August. tract. 49. in Ioan. Zachariam summum Sacerdotem fuisse existimant, & eiusdem sententiæ fuit Chrysof. hom. 2. de incomprehensibili Dei natura. cui adhaerent Theophyl. & Euthym. eo argumento ad hoc affirmandum moti, quod adolere incensum solius esset summi sacerdotis, idq; semel in anno, quando Sancta Sanctorum ingrediebatur. quod quidem argumentum innititur fundamento non vero, existimant enim præfati doctores altare thymiamatis, seu incensum fuisse intra Sancta Sanctorum, quod si verum esset, vtique argumentum erat firmissimum. at ita non est. erat enim altare hoc iuxta velum, quod diuidebat Sancta Sanctorum à reliqua parte templi, sed non intra, sed extra Sancta, sicq; alijs etiam sacerdotibus licebat adolere thymiamata, seu incensum. Zachariam autem non fuisse summum Sacerdotem efficacius ostendunt verba Lucae, cum enim omni ex parte historiam hanc describeret, vt testimonium Ioannis commendaret, non dissimulasset aperte narrare Za-

chariam summum fuisse Sacerdotem, si reuera esset. Adde si summus esset Sacerdos, non diceretur de vice Abiæ, nec forte exisse, vt incensum adoleret. quod enim dicitur fuisse tunc temporis duos summos Sacerdotes contra legem, non probatur vlla ratione. hoc enim longe post factum est, vt constat ex historia Iosephi. Diximus de hac re super Ioan. cap. 18. Annot. 1. idcirco nil aliud in hac parte adiungendum, aut repetendum duximus. Quidam recentiores asserunt fuisse principem Sacerdotum, erant enim inter Sacerdotes quidam velut capita familiarum, nam lib. 1. Paralip. cap. 24. cum distinxisset Dauid Sacerdotes in viginti quattuor familias, singulis singulos præfecit, qui tamen omnes summo ac supremo Sacerdoti suberant, qui etiam Pontifex dicebatur. probabile est autem perdurasse semper hos præfectos secundum generationes, & dicebantur hi Principes sacerdotes, seu etiam sacerdotum principes, quorum vnus Zacharias fuisse creditur, non est tamen omnino certum.

De vice Abiæ.

C O M M E N T A R I A.

A Vtò numero Sacerdotum ab Aaron per Eleazarum, & Ithamar progenitorum, diuisit eos Dauid in viginti quattuor familias, singulis Principes, & capita præficiens sub vno tamen summo Sacerdote, easque disposuit, vt ordine, & alternatione quadam suis temporibus templo inferuient, ne aliquis inueniretur otiosus, neve multitudo confusionem generaret, aut occasionem dissensionum, aut ambitionum præberet. Sorte autem ordinem in eis constituit. Octauum ergo locum sortita est familia, quæ erat Abiæ, qui tunc fuit Princeps familiæ, habentur omnia hæc 1. Paralip. cap. 24. ex hac familia ortus erat Zacharias, ideoque de vice Abiæ dictus est, græcè ἐπιμεσία dicitur, quia secundum dierum alternationem, vnaquæque familia suis statutis diebus in templo vicissim ministrabant. Hoc quoque verbum indicat Zachariam non fuisse summum Sacerdotem, sed vnum ex multis, quorum erat vicissitudo, & alternatio in ministerio, vt habetur 1. Paralip. cap. 24.

A N N O T A T I O. I I I I.

Abiæ Princeps fuit octauæ familiæ inter 24. in quas diuisi fuerunt Sacerdotes.

Theophylactus, Euthymius, & Titus Bostrenus Zachariam & Abiam duos collegas in Sacerdotio, & Symmetas existisse existimant, qui alternis vicibus ministrabant, interpretantur ergo posita verba sic, de vice Abiæ, idest post vicem Abiæ qui

ei in ministerio templi succedebat. quàm violenta sit hæc interpretatio nemo non videt. Probabilius multo & verius cum Ambrosio dicimus Abiam hunc fuisse vnum ex Principibus illis, quos Dauid in viginti quattuor familias sorte diuisit, vt ex ordine,

ne, vicissimq; ministrarent, cui octaua fors contigit, vt habetur 1. Paralip. cap. 24. Erat autem Zacharias de posteris huius Abiæ, idcirco nunc dicitur de vice eius, quia secundum ordinem stabilitum à Dauid eo tempore ministrabat, quod deputatum erat posteritati Abiæ. Illud autem (vice) græcè ἐπιμεσία non tantum significat alternationem in ministerio, sed etiam numerum præscriptum dierum, quibus singulæ familiæ ministrabant. Theophylactus hebdo-

madam existimat & ante eum Iosephus lib. 7. antiquit. cap. 11. quasi singulæ per hebdomadam ministrarent, sicq; inuicem sibi succederent. quod probabile est, quamuis non omnino sit certum, parum tamen refert, quot diebus singuli ministrarent, cum teneamus hanc alternationem multorum Sacerdotum secundum ordines per familias descendentes ab illis primis.

Et uxor illius de filiabus Aaron.

C O M M E N T A R I A.

Zachariam fuisse de tribu Aaron ex ipso Sacerdotio manifestum erat, nemo enim inter Iudæos Sacerdos esse poterat, nisi qui originem ab Aaron traheret, idcirco Euangelista tribum Zachariæ non alijs verbis expressit, at vxorem de Aaron esse non constabat, tùm quia poterat esse de tribu Leuitica, etiam si non esset de familia Aaron, tùm quia qui erant de Aaron, coniungebantur cum alijs tribubus, maxime cum tribu Iuda, vt dicemus inferius, ea igitur de causa vxorem esse de Aaron, Euangelista verbis apertis indicauit, vt eo etiam significaret Ioannem Baptistam fuisse nobilissimæ, & honestissimæ familiæ. erant enim tribus Iuda ob regiam potestatem, & tribus Leui ob ministerium templi Dei omnium tribuum præstantissimæ. Inter familias autem Leuiticas, quæ erat ex Aaron eminebat ceteris, quia nemo ad summum Pontificatum, nec ad Sacerdotium admittebatur ex Dei instituto, nisi qui erat ab Aaron; ministri enim inferiores à familijs ceteris Leuiticæ tribus desumebantur. Familiæ autem claritatem Euangelista recenset, vt Ioannis testimonium de Christo, eo magis commendaretur. nobilioris enim conditionis, & originis homines, ceteris paribus, fide digniores sunt. Filias Aaron appellat posteritatem femineam eius.

A N N O T A T I O. V.

Existimo causam vnam ex potissimis, ob quam Euangelista tribum, seu familiam matris adnotauit, eam fuisse, vt omnem falsam suspicionem depelleret ab animis Iudæorum; vt enim ipsemet Lucas cap. 3. refert, cogitabat populus, an forte Ioannes esset Christus. Huic dubitationi obuians ea de Ioanne proponit, quibus ex Scripturis plane constat

eum non potuisse esse Christum. erat enim futurus Christus de tribu Iuda, at Ioannes & ex patre, & ex matre erat de Aaron, si enim mater esset de Iuda, potuissent forte Iudæi suspicari eo ipso impletam esse prophetiam, quæ de Iuda futurum esse Christum prædixerat.

Et nomen eius Elisabeth.

C O M M E N T A R I A.

Nomen etiam matris describitur, vt eo certior, & manifestior sit Ioannis conceptio, & natiuitas, vtiusque enim parentis notitia distincta filij natiuitatem illustrat, præsertim propter ea, quæ in ipsa diuinitus gesta sunt.

A N N O T A T I O. V I.

Quid nomina, Zacharias, & Elisabeth indicent.

Non inutiliter adnotandâ existimo vtriusq; nominis significationem, cum enim sit conceptio, & natiuitas Ioannis plena mysterijs, nomina etiam parentum mysterio vacare non est credendum. Zacharias apud Hebræos idem significat, quod latine, memoria Dei. Elisabeth autem idem, quod Dei iuramentum. Vtrumq; quadrat Ioannis conceptioni, & natiuitati, præcursor enim futurus Christi, eius aduentum proximum indicabat, in quo quidem Christi aduentu, Deus & recordatus dicitur eorum, quæ promiserat, & impleuit, quæ iurauerat. De priori Beatissima Virgo dixit; Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ. Quod etiam prædixit Dauid Psal. 97. Notum fecit Dominus salutem suam, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, re-

cordatus misericordiæ suæ. De posteriori locutus est ipsemet Zacharias, Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Zachariæ ergo, & Elisabeth præcursoris parentes, ipsis suis nominibus indicabant futuram ex se prolem, quæ Domini aduentum suo præconio proxime præcurreret. Est & aliud in eisdem nominibus adnotandum, nempe nomen Dei esse in vtroque nomine, vt eo significaretur Dei virtutem ad Ioannis conceptionem in vtroque parente miraculum perpetrasse, nam & pater grandæuus, per ætatē generationi ineptus erat, & Elisabeth sterilitatis, & senectutis vitio laborans concipere non valebat, in vtroque igitur parente Altissimi virtus, & potentia effecit, vt & ille gigneret, & hæc conciperet supra naturam.

Erant

COMMENTARIA.

Non sola parentum nobilitate, sed etiam eorum iustitia & sanctitate celebratur Ioannes. erant enim parentes eius secundum carnem quidem generis dignitate illustres: secundum vero animum, iustitia insignes, ea autem iustitia, quæ vera est iustitia, & quæ hominem apud Deum ipsum iustum facit. de qua Paulus Rom. 4. dicit, Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. quasi diceret Abraham viua ac perfecta promissionum Dei, & venturi Christi fide iustificatus est apud Deum, peccatorum remissionem, & reconciliationem cum Deo obtinuit, eiusque amicus factus est. Hac iustitia iusti erant Zacharias & Elisabeth. Nec iustitia parentum minus prodest filiis, immo multo magis, quam nobilitas corporis, quod in Annotationibus sequentibus expositum inuenies.

ANNOTATIO VII.

Cur iustitia parentum prætorioris commendatur.

Tria discutienda sunt in proxima sententia. Vnū est quare iustitiæ amborum parentum Evangelista meminerit. Alteram, quæ sit hæc iustitia, tertium, quo pacto cedat in laudem, & utilitatem filij. Quod ad primum spectat, ratio vna in textu explanatione proposita est, nempe vt Ioannis commendatione firmius eius confiter testimonium de Christo, qui claritatem generis, & parentum sanctitatem habuit coniuncta. Altera est, vt ipsorum parentum prophetia naranda maiorem conciliaret fidem; multa enim & Zacharias, & Elisabeth Spiritu sancto in-

spirante pronunciarunt. Tertia est, vt Evangelista obuiaret hominum sinistra de illis opinioni. Vna enim ex pœnis cõtra legis illius transgressores à Deo fulminatis videbatur sterilitas. nam Exod. 23. & Deuter. 7. obseruatoribus legis promissum erat: Nõ erit sterilis in te. à contrario ergo sensu transgressoribus comminari videbatur Deus sterilitatem, ne igitur propria ipsorum culpa caruisse prole, viderentur, iusti pronunciantur, vt diuinum in hoc mysterium, non autem eorum vitium agnoscat.

ANNOTATIO VIII.

Quæ fuerit iustitia in parentibus Ioannis commendata.

Secundo loco discutiendum est, quæ sit hæc iustitia, qua hi ambo iusti esse dicti sunt. August. lib. 2. de peccat. meri. cap. 13. distinguit iustitiam duplicem; vnam quæ ex fide Christi est, qua vere homo iustus est, & Deo gratus: alteram, quæ ex lege est, nempe quæ tunc temporis posita erat in obliuiantia mandatorum exteriorum legis. quæ quidem iustitia perfecta per se non erat, nemo enim per legem iustificari à peccato potuit, erat tamen quædam iustitia speciosa, de qua Paulus Philip. 3. dicit, vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Iesu Christi. Dicit ergo Augustinus de hac posteriori iustitia esse hanc sententiam intelligendam, quæ non facit hominem immunem à peccato. Quod si obiecias verbum illud (ante Deum) quo vera & interior iustitia indicatur, respondet id non aliud significare, quam quidquid in illis ambobus erat iustitiæ huius, non esse simulatum, & ad homines, sed verum, quia legem illam vere obseruabant, non simulata. Censet ergo Doctor hic egregius, ac primarius hanc iustitiam esse, de qua Paulus loco allegato testatur, quæ mihi fuerunt lucra, hæc propter Christum arbitratus sum detrimenta, & arbitror, vt stercora. In hanc sententiam inductus est Augustinus argumento Pelagianorum, hi enim docentes hominem sine peccato esse posse, vtebantur inter alia hoc loco Euangelij, Erant iusti ante Deum, quasi sine vilo peccato essent. quibus Augustinus respondens affirmat hanc iustitiam esse intelligendam de iustitia legali, & exteriori, quæ non excludit peccatum, nec vere iustum efficit. Huic expositioni videtur, siue accessisse, siue eam prius excogitasse Hier. epist. ad Algasi-

q. 8. hunc enim locum ad idem propositum adferens, de iustitia exteriori interpretatur.

At vero Origen. hom. 2. in Lucam, & Ambrosius hoc in loco de iustitia vera, quæ hominem iustum facit coram Deo, & peccatum excludit, hanc interpretantur sententiam; & vere sic est intelligenda. hoc enim est, quod commendat Evangelista in his parentibus, nempe iustos, & Deo charos fuisse, non enim solum dictum est, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus, quod ad exteriorem iustitiam pertinet, sed præmissum illud etiam est, iustos esse coram Deo, quod præcipuum & primum est, & vt id etiam argumento comprobemus, fieri non potuisset, vt in omnibus mandatis & iustitiis incederent nisi iustitia vera, quæ per fidem, & dilectionem est, præcessisset interiori. Docte igitur Grego. li. 35. Mora. cap. 6. de cordis etiam iustitia hunc locum intellexit, & Chrysost. hom. 4. in Mattheum, hanc iustitiã omnem virtutem complecti affirmat, quasi dictum esset, erant omni virtute perfecti. Nec erat, cur Sanctus Augustinus ad hanc iustitiam confugeret, vt Pelagianis responderet, nam iustitia hæc, quæ ex fide est, & amicum ac iustum ante Deum facit, in hoc sæculo non ita perfecta est, vt nullum peccatum admittat, cum iusti, etiam Apostoli sine veniali peccato non vixerint, augetur quidem iustitia hæc magis, ac magis, non tamen ad terminum vllum peruenit, in quo sine peccato vilo reperitur, iustus enim ita viuunt, vt sine mortali peccato esse valeat, gratia & iustitia ad illa omnia superanda ministrante virtute, sine veniali non item. Errabant ergo Pelagiani ex iustitia horum parentum deducentes nullum habuisse peccatum, cum huic iustitiæ

Parentum iustitia cedit in laudem filiorum.

Tertio loco considerandum est, quo pacto iustitia parentum cedat in laudem filiorum. Ambrosius enim parentes iustitiæ laudari affirmat, quia eam in filios transmittunt. Sic enim, inquit, Scriptura docet parentes oportere laudari, vt veluti transmissæ immaculatæ puritatis hereditas in ijs, quos volumus laudare, præcellat. Et rursus: Isaac a parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit. Rursus etiam: Tales maiores habere debuit prænuntius Christi, vt non repente concepti, sed à maioribus acceptam, & in ipso infusam iure naturæ prædicare fidem Dominici videretur aduentus. Hæc omnia habet Ambrosius.

Iustitia parentum, quo modo transfundatur in filios.

Inquirendum igitur est, quomodo parentes iusti in filios iustitiam transfundant, & qua ratione eorum iustitia filijs proficit. In primis illud certum est, & in confesso apud omnes, iustitiam parentum non ita transmitti in filios, vt parentes iusti iustos filios generent, cum siue iusti, siue peccatores parentes sint, generent filios peccatores. omnes enim nascimur filij iræ, & in peccato concepti. nec iustitia Zachariæ, & Elisabeth efficere potuit, quominus Ioannes Baptista in peccato originali conciperetur. id enim solis primis parentibus concessum erat, si non peccassent, vt ipsi iusti filios in originali iustitia genuissent. Præterea illud etiam pro certo habendum est, nec sic prodesse iustitiam parentum filijs, vt minus peccatores concipiuntur. In cuius declarationem aduerte, quosdam existimasse patres peccatores generare filios non solo originali peccato, quod ab Adæ peccato trahitur, infectos, sed etiam maculatos peccato originali, quod ab eorum peccatis, deriuatur, vnde filij peccatorum hominum in grauiori & multipliciori originali concipiuntur, quia non solum Adæ, sed & eorundem peccata in illos transmittuntur originaliter. quam sententiam Augustinus Enchir. cap. 46. 47. & Leo primus Epist. 86. non improbabilem esse censuerunt, iuxta quam iustitia parentum dici posset prodesse filijs, & in eos transmitti quantum ad hoc, quod minori labe peccati concipiuntur. At hoc non est probandum, vt recte Anselmus sentit lib. de concep. Virg. cap. 23. cuius ratio ea est, quia iusti non transmittunt iustitiam in filios, non enim filij iustorum iusti nascuntur, aut concipiuntur, non igitur peccatores propria transmittent peccata, vt eorum rei efficiantur filij. Multis alijs ea doctrina impugnari posset, quæ cum non sint præsentis instituti, libens prætermitto. Superest ergo, vt iustitia parentum multis alijs modis filijs proficit, quorum quattuor proponam. Primus est inclinatio. quod sic explico, in peccato reperiuntur sæpe duo, nempe & culpa, & praua quædam consuetudo, dicimus enim hominem ebrium, ab actu ipso ebrietatis, in quo est culpa, & ebriosum, qui multis ebrietatibus affuetus prauum habitum ad nouas ebrietates inclinatem acquisiuit, sic etiam in ceteris vitijs euenit. Non semper autem remissa

Quattuor modis Parentum sanctitas filijs prodesse solet.

enim hos ambos iustos fuisse, quales illos, de quibus dictum est, Sepries in die cadit iustus, quæ iustitia profecto est etiam cordis, & vera, quæ secum admittit venialia, & quæ non ita constans est, vt amitti non possit. nam qui iustus est in hoc sæculo, cadere ab ea iustitia potest. Concludo hos dictos iustos vera iustitia, quæ per fidem, & dilectionem erat, quæ tamen quantumuis magna augetur potest, & cum peccatis venialibus est, & adhuc constans non est, per peccatum enim, quod voluntarium est homini, amitti potest.

ANNOTATIO IX.

culpa hæc prauæ consuetudines auferuntur, sed manent etiam post culpæ veniam expellendæ per actus plures contrarios, quæ quidem etiam si culpæ non sint, ad culpam & peccatum perpetrandum inclinant, dicunturque plagæ peccatorum, quæ remanent etiam ipsis non remanentibus, sicut excussa spina remanet plaga. Huiusmodi igitur malos habitus, & prauos mores, seu consuetudines in filios transferri sæpe experientia docet; ex ebriosis enim non raro filij ebriosi, & in id vitium inclinati nascuntur. Similiter ex furibus & asuetis ad alia vitia, nascuntur filij ad eadem propensi, quæ res argumento fuit quibusdam antiquis existimandi animas fieri ex traduce, vt refert August. lib. 2. de origine animæ cap. 6. quod autem in vitijs euenit, id etiam in virtutibus conspiciamus, nam parentes dediti exercitijs quibusdam bonis, filios in eadem inclinatos generant. quamuis autem hæc non semper, plerunque tamen fiunt, iuxta quem modum dicimus iustitiam parentum immitti in filios, eisque prodesse. Secundus modus est educatio. prodest enim iustitia parentum filijs educatione, & hoc mirum in modum, boni enim patres educant filios in sanctitate, vt à primis annis discant timere Deum. quantum autem hoc proficit, sensere Gentiles, quorum quidam dixit: Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu. Experimur etiam nos, quot enim nunc Christiani si parentes habuissent infideles, in eadem nunc infidelitate inuenti essent, quotque nunc sunt inter infideles, qui fideles essent, si tales obtinuissent parentes eis datum esset. donum enim & magnum Dei est parentes fideles, & inter fideles habere bonos propter educationem, quod Paulus nos docens. 2. Tim. 1. dicit: Gratias ago Deo meo, cui seruiò à primogenitoribus meis. Tertius modus est imitatio, nam quales patres filij experiuntur, tales & ipsi sæpe sunt, plurimum enim refert exemplaria recta, & bona habere, quotidie ante oculos. nam conuersatio filiorum, & parentum continua, & diuturna esse solet, & eorum memoria retinetur, iustitia ergo parentum imitatione quodam modo transmittitur in posteros, sicut etiam malitia, de qua Act. 7. dicitur, Spiritui sancto vos semper reistitistis, sicut & patres vestri.

Quartus est impetratio. iusti enim parentes multa bona filijs impetrant, & temporalia, & spiritualia; de temporalibus habemus 3. Reg. 11. Peccantibus filijs Dauid, Salomone, & Roboam, propter iustitiam Dauid Salomoni non abstulit Deus regnum, Roboamo autem reliquit duas tribus Iudam & Beniamin, quod etiam sapissime Deum facere dubitandum non est. Contra autem malitia parentum nocet filijs, quatenus sæpe puniuntur propter peccata patrum, temporaliter, sicque Gregor. lib. 15. Moral. cap. 31. filios portare iniquitatem patrum, interpretatur. De spiritualibus vero multa sunt exempla, illud tamen efficax est, vt Augustinus ab infidelitate liberaretur matris sanctitas à Deo impetravit. nocere autem, malitiam

malitiam parentum filiis spiritualiter, affirmat Anselm. lib. de concep. Virg. cap. 24. ob malos etiam patres saepe Deus negat auxilia, & beneficia multa spiritualia filiis, quibus acceptis boni efficerentur, quamuis necessaria, quibus possint boni esse, si velint, impartiantur, quod etiam scriptura docet, nam 2. Reg. 12. ob David peccatum permittit Deus ipsi Absalom bellum in patrem gerere, & concubinis eius abuti, quod peccatum impeditum esset, si David non peccasset, quamuis Absalom non excusatus sit à culpa, quia sponte & libere fecit, quod si nolisset, non fecisset, auxilio Dei non denegato, quo peccatum tale euitare potuisset, non tamen datum est illud, quo omnino id peccatum non perpetrasset propter culpam patris.

Propter peccata etiam & incredulitatem Iudaeorum, posteris etiam est regnum Dei ablatum. Matth. 21. Quamuis & posteris non omnino priuentur omni auxilio, ut valeant in regnum ingredi, si velint. De hoc detrimento tam temporalis, quam spirituali proveniente filiis ob peccata patrum illud. Psal. 108. intelligendum est: In memoriam redeat iniquitas patris eius, & peccatum matris eius non deletur. Iustitia ergo parentum prodest, & quia bona impetrat, & quia mala multa auertit à filiis tam temporalia, quam spiritualia. Ecce quibus modis iustitia parentum filiis prodest, & quanto consilio in laudandis filiis parentum iustitia commendetur.

Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.

COMMENTARIA.

PERGIT parentum iustitiam explicare. est autem triplex iustitia. Prima est interior, quae in fide, & dilectione, quibus homo gratus, & amicus Deo efficitur, consistit. Altera est moralis, quae in exercitio bonorum operum, & virtutum sita est, qualis est obseruantia Decalogi, & eorum quae ad ipsum spectant, quae externas actiones complectitur. Tertia est legalis, quae in illius veteris legis obseruatione consistebat, & ad Dei cultum & religionem spectabat, quae etiam exterior erat. Haec duae ab illa prima deriuabantur, propter quam multum proderant, & sine qua ad iustitiam coram Deo pertingere nec poterant, immo nec ipsae omnino consistere valebant. Iustitiam enim moralem, aut legalem perfecte nemo potest assequi sine fidei iustitia, per quam habetur Dei gratia, quae sola facit, ut ceterae iustitiae perfecte habeantur. Iustitia ergo moralis illo exprimitur verbo (incedentes in omnibus mandatis) legalis vero, & caerimonialis, quae ad religionem Dei pertinebat, illo (in iustificationibus Domini) quasi clarioribus verbis diceretur; omnibus virtutum operibus, & cultui, ac religioni erga Deum incumbant, adeo ut irreprehensibiles essent ab hominibus, qui vix parcunt cuius etiam sancto, quin oblatrent, & detrahant ei. horum autem iustitia erat ita perfecta, & accepta, ac nota, ut nemo occasionem habuerit reprehendendi eos in aliquo. Illud autem verbum (incedentes) continuum, & indefessum operum bonorum studium indicat, quo in via Dei semper maiores progressus fieri debent. nec vnquam standum, aut indulgendum est otio, & pigritiae, ut enim inquit Gregorius vita iusti est velut cimba vecta contra aquae fluxum, cui stare est regredi.

ANNOTATIO. X.

DVO consideratione digna sunt in verbis proxime explanatis. Vnum est, quae sint mandata, & quae iustificationes, in quibus ambo parentes incessisse dicuntur. Irenaeus lib. 3. cap. 11. legit (in iustitijs) quod idem est. quae autem sit iustitia haec, non explicat. Origenes hom. 2. in Lucam, & Ambrosius eum sequens, mandata interpretantur Dei praecipia. qui enim diuinis praecipis obtemperat, in Domini mandatis incedere dicitur. per iustificationes vero intelligunt iudicia, quibus de alijs iudicamus, qui ergo de alijs iudicat congrue, & ut par est, in iustificationibus Domini incedit. Euthymius autem mandata ad praecipia morum iustificationes vero ad legalia refert. Restrictius autem loquens Titus Bostrenus iustificationes caerimoniae interpretatur, quae ad Dei cultum pertinent. At vero, ut haec res perfectius dilucidetur. adnotandum est, in lege illa, quattuor haec maxime fuisse contenta, mandata, iustitias, seu iustificationes, iudicia, & testimonia. Mandatum quod in Hebraeo dicitur מצוה ad mores pertinebat, qualia erant Decalogi praecipia

& quae ad eius obseruantiam ordinabantur, quibus homo ad virtutum opera inducebatur. Iustitia, seu iustificatio dicta in Hebraeo חקק ad caerimoniae, & religionem, ac cultum Dei spectabat, qualia erant sacrificia, & sacri ritus, aliaque ad cultum diuinum pertinentia. Iudicium in Hebraeo dicitur משפט ad politiam humanam institutum erat, qualia sunt apud nos ciuiles leges. Deus enim clementissimus haec omnia populo illi tradidit, & legem ei omni ex parte completam praebuit, nimirum ea, quae ad rectos mores, & quae ad religionem, & quae ad humanam conuersationem necessaria erant. Horum trium distinctionem habemus Psal. 89. Si in iudicijs, inquit, meis non ambulauerint, si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint. Testimonia vero ad diuinas promissiones spectabant, Deus enim illi populo, multa, ac praecleara, & maxime Filij sui de illius semine secundum carnem aduentum promisit, quae dicta sunt testimonia, in Hebraeo autem עדות de quibus dictum est Psal. 118. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.

Mirandis

Mirandis enim operibus fidem suis promissionibus Deus conciliauit, ut quamuis res futuras, non autem praesentes continerent, omni essent dignae fide.

Horum quatuor proprietates docuit nos David Psal. 18. Testimonium, inquit, Domini fidele, sapientiam praestans paruulis. Fidele appellat propter certitudinem euentus, quae enim promittit Deus, infallibiliter efficit. Rom. 3. Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? absit. est Deus verax, omnis homo mendax. Sapientiam dicitur dare paruulis, quia testimonia, & promissiones Dei Christum venturum redemptorem, & Saluatorem ignorantibus indicant, quod nosse summa sapientia est. Prosequitur David: Iustitiae, inquit, Domini rectae, laetificantes corda. Religio & cultus veri Dei rectus dicitur, quia in verum Deum dirigit, qui finis est, & principium verum, qui enim Deos falsos colit, obliquam ambulat viam, quia à suo vero principio, & sine diuertit. Laetificat autem corda vera religio, iuxta illud Psal. 104. Laetetur cor quarentium Dominum, quia in vero sine quies est, & laetitia. Pergit. Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Praeceptum, & mandatum idem sunt, & ad mores spectant, quod lucidum dicitur, & illuminans; illuminans quidem, quia ea docet, quae facienda, & ea prohibet, quae fugienda sunt. Lucidum autem, quia in se est adeo manifestum, ut lumine naturali facile, maiori ex parte agnosci queat, quod ex eo liquet, quod gentibus absque externo magisterio innotuerit. Rom. 2. Gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt. Postremo iudicia Domini vera, iustificata in semetipsis; leges enim à Deo latae ad politicam illam gubernationem, verae dictae sunt, quia nihil iniquum, aut vitiosum in eis reperiri, aut esse potuit. in semet autem iustificatae, quia vel ex ipsis statim agnoscit homo, quam iustae sint. ut enim lex sit perfecta, iusta debet esse, tanto autem perfectior est, quanto magis eius iustitia est manifesta. in Diuina autem perfectior est, quanto magis eius iustitia est manifesta, in Diuina autem hac lege est adeo clara, ut vel ex ipsarum legum notitia, statim earum iustitiam agnoscas.

ANNOTATIO. XI.

Quid sit sine querela incedere.

Secundo loco considerandum est, quid sit sine querela incedere in eadem sententia illud verbum (sine querela.) Quidam haeretici, ut refert Augustinus Epist. 95. hoc loco abutebantur in sui erroris confirmationem. contendebant enim hominem omni posse carere peccato, cuius erroris paulo superius meminimus. Augustinus autem illis consutatis sensum huius verbi ita explicat, ut dicat non quodcumque peccatum venire in querelam, sed graue, quod aliàs dicimus mortale, sine quo certum est iustos viuere posse. quae autem sit ista querela, non explicat, tamen videtur significare esse reprehensionem, & querimoniam, quae homo alterius hominis factum aut opus reprehendit. nam apud Deum omne peccatum etiam leue reprehensibile est. Origenes hom. 2. interpretatur de reprehensione, & querela apud Deum, dicit tamen tunc nos mandata, & iustificationes Domini sine querela facere, quando quae bona sunt, bene, & iuste facimus. contingit enim bonum non bene facere, quando opus in se bonum quidem est, tamen ex vana aliqua gloria procedit, aut aliqua circumstantia vitiosa inficitur. Cum autem bonum bene sit, sine querela efficitur, propter quod dictum est. Deuter. 16. quod iustum est, iuste exequeris. At profecto hoc difficile accommodatur, quis enim est, qui in omnibus mandatis, & iustificationibus Do-

His igitur suppositis Lucas ait hos parentes Ioannis incessisse in omnibus quidem mandatis Domini, quia in omni bono & studioso opere versabantur, diuinaque mandata ad mores spectantia diligenter seruabant, in iustificationibus vero, quia ijs, quae ad diuinum cultum, & religionem erant instituta, summo studio incumbant. Dices, cur non dicti sunt in iudicio etiam ambulasse? Respondeo, quia potius hoc ad Principes spectabat, quorum est leges iustas edere, & secundum eas iuste iudicare. Vnde de filiis David in regno succedentibus dictum est Psal. 89. Si custodierint filij tui legem meam, si in iudicijs meis ambulauerint. vel quia etiam hoc nomine vtramque partem conclusit Eoangelista, tam legalia, quae ad politiam, quam quae ad caerimoniae pertinebant. nam in Scriptura haec nomina incerte confunduntur, & vnum pro alio, aut pluribus accipitur. Prior responsio magis placet. Postremo addo Euthymium reddidisse causam, cur legalia dicta sint iustificationes, nimirum, quia plena erant iustitiae, & quia incedentes in ipsis iustificarent, quae quidem doctrina non est absolute recipienda, nam nec legalium, nec caerimonialium, immo nec moralium virtute vlli data est iustitia coram Deo, quae remittit peccata, & ei reconciliat, sed virtute fidei viuax, & formatæ Christi. hac iustitia ex gratia à Deo obtenta, obseruantes iustificationes iustificabantur, quia augebant iustitiam, quatenus ex prima illa radice procedebant. Sed hoc non est peculiare legalibus, sed commune est etiam moralibus. Legitima causa cur dicta sint iustificationes, illa est, quoniam religio est quaedam iustitia, per quam exhibemus Deo, quod ipsius est proprium, nimirum cultum, & reuerentiam, ac patriam, sicut per iustitiam virtutem moralem exhibemus proximo, quod eius est. In religione autem reperitur maius debitum, quam in iustitia particulari. sumus enim magis debitores Dei quam hominibus, idcirco praecipua religio dicuntur iustitia, seu iustificatio, quia ea implentes facimus, quod maxime iustum, & debitum est. Haecenus de primo.

mini ita incedat, ut omnia iuste, & bene coram Deo peragat. Ambrosius de vtraque querela interpretatur, erant enim sine querela apud Deum, & homines. iuxta illud Rom. 12. Prouidentes bona coram Deo, & hominibus. Mihi certe placet prima opinio; si eam sentit Augustinus, sin minus, hanc legitimam existimo, ut dicti sint incessisse sine querela, quia nemo hominum, apud quos versati sunt, quidquam habuit, quod iure in eis reprehendere posset. de iustitia enim coram Deo, iam dixerat fuisse eos iustos ante Deum, quo verbo vsus est Paulus in eodem sensu Philip. 2. Ut sitis, inquit, sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauae & peruersae. & Philip. 3. Secundum, inquit, iustitiam, quae ex lege est, conuersatus sine querela, nempe hominum. Idem enim est sine querela, ac sine reprehensione, nam Graece idem significat, ac si dictum esset, erant incedentes in mandatis, & iustificationibus irreprehensibiles, nimirum, ut eorum vita nequeat reprehendi ab vlllo hominum. & Tit. 2. Verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex aduerso stat, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. non imperat ibi Paulus, ut Episcopus nullum peccatum habeat, nec etiam leue, sed ab ijs abstinere, quae iure ab hominibus reprehendi solent, qualia sunt grauiora, sine quibus iusti viuunt.

B 2 Et

Quomodo parentes Ioannis incessisse dicuntur.

Et non erat illis filius.

C O M M E N T A R I A.

Prosequitur historiam. Sensus est, prole, & spe eam habendi priuati erant. illud enim verbum (erat) omnem differentiam temporis, præteriti, præsentis, & futuri complectitur, nempe nec fuerat illis filius, nec de præsentis erat, nec futurum sperabant. quem sensum sequentia verba indicant, estque phrasia scripturæ. Rom. 3. Est Deus verax, nempe fuit, de præsentis est, & erit. Isai. 48. Non est pax impijs. Sunt multa huiusmodi testimonia, in quibus verbum, actum, & potestatem, omnemque differentiam temporis significat. Non erat igitur his filius, quia nec vnquam habuerant, nec habere naturali virtute poterant, sed priuati actu, & potestate secundum naturam erant. quo quidem Ioannis conceptio, & natiuitas valde commendatur, & testimonio eius futuro de Christo, multum roboris accedit.

Eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

C O M M E N T A R I A.

Dvas causas, cur filius illis non erat, refert. Vna est, quia Elisabeth sterilis erat, quæ quidem causa generalis est. omne tempus amplectens, vt nec haberet, nec haberet, nec habere posset filium. sterilitas enim priuat omni ex parte, & omni tempore filiorum generatione. Altera est, quia etiam si illa sterilis non fuisset, tamen tam ipsa, quam Zacharias coniux erant in eam ætatem prouecti, in qua virtus naturalis gignendi deficere solet, hoc est processisse in diebus suis. Hæc posterior causa confirmat eum sensum, in quem sumus interpretati verba præcedentia. si enim tantum significatum esset, non esse illis filium, non erat accommodata hæc causa, quia ambo processerant in diebus suis. nam antequam processissent, potuerunt habere. illa igitur sententia significat non solum non habuisse filium, sed etiam spe habendi vnquam priuatos esse, cum Elisabeth sterilis esset, & ambo ætate processissent, & vel hoc solo nomine apti non essent generationi.

A N N O T A T I O X I I.

Aduerte tria impedimenta, quominus filius illis esset. Duo erant ex parte feminae, sterilitas, & ætas prouecta, quorum vtrumque per se potens erat generationem impedire. Tertium ex parte viri, nempe ætas, quæ eò iam peruenerat, vt generare non posset. Si tamen aliquis inquirat, an Zacharias ita fuerit ætate prouectus, vt non solum de vetula, quamuis sterilis non esset, sed nec de iuvene gignere potuerit, sicut de Abraham emortuo inquit Augustinus lib. 16. de Ciuit. c. 28. huic, nihil habeo certi, quod sine dubitatione respondeam. Existimo tamen vtrumque parentem ad eam ætatem peruensisse, vt neuter omnino naturali virtute generare, aut concipere potuisset. Vnde Elisabeth, licet sterilis non fuisset, in ea ætate erat, vt nec de iuvene viro concipere posset, emortua eius vulua, & muliebribus deficientibus, sicut de Sara dictum est Gen. 18. Simili etiam modo Zacharias nec de vetula, nec de iuvene etiam non sterili, poterat generare. hoc enim verba Evangelistæ significare videntur, ambos nempe processisse in diebus suis, idque in causa esse, quod filium habendi spe priuati essent. quod etiam in Abraham, & Sara euenit, vt diximus in commentarijs epistolæ ad Rom. cap. 4. Vnum tamen non præmittendum, existimo generationem, seu conceptionem Ioannis Baptistæ mirabiliorem exitisse, quam Isaac ex Abraham, & Sara. In hac enim Ioannis tria impedimenta conuenerunt, uti diximus, at in ea quæ fuit Isaac duo tantum. non enim ex Scriptura habemus Saram naturaliter sterilem fuisse, quamuis id affirmet Au-

gustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 28. nam Gen. 13. solum dicitur muliebria ei defuisse, quo quidem tempore non poterat naturaliter concipere, at quod ante sterilis esset, Scriptura non refert, immo contrarium indicat, cum causam aliam non exprimat, cur concipere non posset, quam prædictam. quod etiam ex Paulo Rom. 4. confirmatur, dicit enim corpus Abraham emortuum, & vuluam Sara emortuam, non tamen sterilem dicit, sicut Abraham emortuus erat, non tamen naturaliter sterilis. quod etiam comprobatur Gen. 17. audiens enim Abraham promissionem filii, dixit: Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? nihil de sterilitate opposuit, quæ si fuisset, vti que meminisset, quia ea rem creditu difficiliorem faciebat. Origen. in Epistolæ ad Rom. cap. 4. vuluam Sara emortuam dicit propter mortificationem, quam Sancti in suis corporibus exercent, de qua dictum est: Mortificate membra vestra. Nec obstat, quod Gen. 16. ipsa Sara dixit, nempe: Concluse me Dominus, ne parerem. non enim inde infertur sterilitas naturalis, sicut etiam Gen. 20. dictum est: Concluserat Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram. non tamen inde sequitur illas fuisse naturali constitutione steriles, sed impedisse eas Dominum ne conciperent. Dices, cur ergo non concepit ex Abraham iuvene, si sterilis non erat? Respondeo, hoc diuino mysterio adscribendum esse, quod si rationem aliquam naturalem quæras, scito non satis esse ad generationem filiorum, vt vterque parens sit secundus, sed oportere vtriusque qualitates

Commentarij. Caput Primum.

qualitates non dissidere inter sese, vt Philosophi docent, & præcipue Stoici, fieri enim potest, vt duo simul coniuncti generare non possint, qui tamen seiuuncti ex alijs, & generarent, & conciperent. In Abraham vero potius ad diuina mysteria recurrendum est, quia Deus filium nasci non permisit, nisi quado diuina

mysteria significanda erant. Adde etiam, non semper generationem filiorum fieri, quamuis neuter parentum sit sterilis, vt ipsa experientia docet. multa enim necessaria sunt ad generationem, etiam vbi sterilitas non est. Causas autem naturales sterilitatis perscrutari alienum valde est ab instituto nostro.

Factum est autem, cum Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum.

C O M M E N T A R I A.

Quo tempore filij promissio facta sit Zachariæ, narrat Euangelista, nempe, quando munus sacerdotis exercebat. Sensus ergo est, cum Zacharias sacerdotij munus exequeretur in templo, ordine vicis suæ id exigente, cum alternantibus vicibus sacerdotum, ministerium peruenisset tunc ad posteros Abiæ, inter quos erat Zacharias, quo ministrante, & sacerdotis munere fungente factum est, quod statim narratur. illud (ante Deum) templum, in quo sacerdotes ministrabant, significat.

Secundum consuetudinem Sacerdotij sorte exiit, vt incensum poneret ingressus in templum Domini.

C O M M E N T A R I A.

Quid factum sit fungente sacerdotio Zacharia secundum vicem suam, exponit, videlicet, vt sortiretur, seu sorte obtineret templi ministerium ad adolendum incensum, iuxta consuetudinem sacerdotum, quorum erat singulis diebus in altari thymiamatis mane, & vespere adolere incensum, seu thymiamata. Exo. 30. cum enim multi sacerdotes de vice Abiæ simul inseruirent, diuersa sacerdotij munera sorte inuicem diuidebant, adolendi igitur incensum fors Zachariæ contigit. Templum Domini appellat eam templi partem, in qua erat altare thymiamatis, quod erat positum ante velamen, quod diuidebat Sanctum Sanctorum, vbi erat arca, & quo solus summus Sacerdos semel in anno ingrediebatur, vt partim indicauimus supra, partim dicemus infra. Altare vero hoc erat exterius iuxta velamen, dicitur autem ingressus in templum, quia ante eam templi partem erat alia, vbi erat altare holocaustorum, & alia pars, quæ dicitur foris, in qua multitudo populi conueniebat, non enim licebat ad illam templi partem accedere, nisi solis sacerdotibus.

A N N O T A T I O X I I I.

Quo genere sortium vteretur Hebræi.

Illud (forte exiit) Græce habetur sortitus est, quidam vertunt, sorte illi obuinit, sermo autem hic indicat plures sacerdotes simul conuenisse ex eadem familia, & vice, sortitionemque fieri, quis eorum ingrederetur in templum ad adolendum incensum. Quod genus sortis hoc esset, ignoratur. quidam ex verbo illo (exiit) occasionem accipientes affirmant, factam fuisse sortibus in urnam immixtis, sic enim fors dicitur exire, aut sorte exire is, cui sorte obuinit, idque ita fieri potuit, tamen certum non est, cum

vocabulum Græcum non aliud significet, quam latine sortiri, seu sorte aliquid obuinit. illud autem verbum (exiit) positum est impersonaliter, quasi diceretur, sorte accidit, aut sorte obuinit. Hæc fors probatur Zachariam non fuisse summum Sacerdotem, qui illo tunc temporis, vnus cum esset, non eligebatur sorte, de eoque incenso, & thymiamate sermo est, quod singulis diebus adolebatur, vt in textu diximus à sacerdotibus.

Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.

C O M M E N T A R I A.

Paratum erat testimonium futuri miraculi, vt tanto illustrior efficeretur conceptio, & natiuitas Præcursoris. dum igitur sacerdos in ea parte templi, vbi erat altare incensi, illud adolebat coram Domino, populi multitudo foris erat, nempe in parte anteriori templi, vbi eodem tempore preces ad Deum fundebat, communis enim erat oblatio, & quæ pro toto populo offerebatur.

Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris Altaris incensum

COMMENTARIA.

Utrum Zacharias incensum adolet, Angelum Domini videt stantem in dextra parte altaris, ubi adolebatur incensum. Visio hæc corporea fuit, oculis enim corporis Angelum, non quidem in suamet substantia, sed in figura corporea, qua sæpe Angeli vti erant, aspexit. Stabat autem Angelus, non autem sedebat, tum, ut ministrum se esse Dei, & quæ dicturus erat, tanquam nuncium Domini referre, significaret, tum etiam ut se illuc tunc venisse Zachariæ causâ, moxque reuersurum indicaret. A dextris autem altaris stetit, ut qui prospera, & bona nunciaturus venerat. Additum est illud (incensum) ut altare thymiamatis, ubi hoc gestum est, ab altari holocaustorum, quod extra erat, Euangelista distingueret. Attende autem, cum dicitur Angelus Domini visus à Zacharia, significari ita visum Angelum à Zacharia, ut nouerit eum esse Angelum Domini bonum, quamuis quis Angelus esset, tunc ignorauerit. quod autem videretur, & ut Domini Angelus agnosceretur non facultate naturali oculis Zachariæ, sed Dei gratia, ac munere singulari effectum est, ut recte dicit Orig. hom. 3. in Lucam.

Angelus quomodo à Zacharia visus dicitur.

Zacharias corporeis oculis vidit Angelum

Angelus Domini in Scriptura, tam bonus quam malus dici consuevit.

ANNOTATIO. XIII.

Non est hoc in loco Græce idem verbum, quo vsus est Matthæus cap. 2. dicens; Apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph. hic enim verbum est ἀγγελος, quod ad visionem exteriorem refertur, & non ad eam, quæ imaginatione sola efficitur. rem enim creditu valde difficilem persuasurus, exteriori, & sensibili vsus est locutione, hæc enim efficacius mouet mentem. Factum etiam hoc est aliam ob causam, nempe, ut sua visibili præsentia Angelus significaret verum, & sensibile filium à Zacharia esse generandum. Posset autem aliquis inter-

rogare, cur non apparuit etiam Elisabeth, non enim minus difficile erat ipsi Elisabeth credere se sterilem & vetulam concepturam. Respondeo, quod factum est cum Zacharia per Angelum accedente nouo miraculo, quia mutus euasit, signum fuisse sufficiens Elisabeth ad credendam promissionem. Adde non fuisse necessarium, nam mulier subdita viro est, viro autem persuaso ad mutuum obsequium inter se exhibendum, amplius non requirebatur, quamuis interius à Spiritu sancto Elisabeth motam fuisse ad credendum, nemini dubium esse debet.

ANNOTATIO. XV.

Annotandum est in Scriptura, & bonum, & malum Angelum appellari Angelum Domini. De bono habetur Psal. 33. Immitet Angelus Domini in circuitu timentium eum. Act. 5. Angelus Domini per noctem aperuit ianuas carceris. De malo vero dicitur Psal. 34. Fiant tamquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos. & iterum: Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. Vtrumque locum Hieronymus ibidem de malo Angelo interpretatur.

Sunt autem tres causæ communes, propter quas vterque Angelus dicitur esse Domini. Prima est Hieronymi loco allegato ratione dominij, & creationis; Deus enim & bonum & malum Angelum creauit, & vtriusque est Dominus, non quod malitiam fecerit, aut malum creauerit. nam ut Basilius homilia, quod non sit Deus creator malorum, inquit, Deus creauit naturam Angeli, & bonum fecit, ipse tamen sua electione malus factus est, sicut & hominē creauit bonum, ipse tamen sua voluntate se effecit malum, & peccatorem, non tamen propterea desinit esse creatura Dei, sub eius dominio posita, eaque de causa Angelus Domini etiam dicitur.

Altera causa est ratione ministerij, non solū enim in ministerio erga homines Deus vtitur Angelis bonis, de quibus dicitur Heb. 1. Omnes sunt ministratori spiritus, missi propter eos, qui hereditatem capient salutis, sed etiam malis, tum ad punitionem malorum hominum, ut docet Basilius. Isai. 13. reddens rationem, cur opera Dæmonum vtitur Deus ad infligendas poenas. nimirum, inquit, quia scäui sunt, & nulla compassione mouentur, idcirco ad hoc opus

sunt apti. De hoc ministerio dicitur Psal. 77. immisiones per Angelos malos, tum etiam ad correctionem eorundem hominum malorum, ut respiciant, & emendentur. 1. Cor. 5. Iudicauit, inquit, tradere huiusmodi hominem Satanæ, in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat. tum demum ad probationem, & exercitium iustorum, ut eorum iustitia conseruetur, augeatur, notificetur, & amplius coronetur. 2. Cor. 12. Datus est mihi stimulus carnis Angelus Satanæ, quem locum graues Doctores de malo Angelo interpretantur. Hoc docet Ambrosius lib. 1. de poenit. cap. 13. ubi Dei potentiam commendat, qui dæmonis opera vtitur contra eundem dæmonem, nam & malos conuertit, & bonos exercet tentatione, & afflictione per dæmones inflicta, cum ipsi nihil magis auersentur, quam bonum hominem, exemplo vtitur medici, qui vtitur vipera contra venenum vipera.

Tertia causa est ratione potestatis, nihil enim Angeli tam boni, quam mali, erga homines faciunt, nisi potestate à Deo accepta, quod Augustinus docet Psal. 77. & probat illo Iob. cap. 1. Dominus dedit, Dominus abstulit. cum ruina illa dæmonis operauerit facta, Dominus abstulisse dicitur, quia potestas data est dæmoni à Deo. hoc idem docet liber de natura boni, contra Manichæos cap. 31. adducens illud Rom. 13. Omnis potestas à Deo est, affirmans id verum esse etiam in malis Angelis. Longe enim differunt potestas, & vsus potestatis, potestas bona quidem est, sed ipsi dæmones abutuntur bona potestate, boni vero ea bene vtuntur. nam intentione nocendi nobis, & odio contra nos potestatem mali Angeli exercent, boni vero charitate, & obedientia

Angeli boni aliter vtuntur potestate à Deo accepta, quam dæmones.

dientia erga Deum. Potestas ergo malorum bona est, voluntas vero, seu intentio mala, sicut in ministro iustitiæ, qui reum sibi traditum puniendū, odio & voluntate nocendi punit, sic dicit Gregor. lib. 2. Moral. cap. 3. & lib. 8. cap. 6. adducens illud 1. Reg. 18. Spiritus Domini malus irruerat in Saul. Quomodo, inquit, si malus spiritus, Domini dicitur? Domini, inquit, propter potestatem; malus, propter eius voluntatem. Sicut in exemplo posito illum dicere licet ministrum iustitiæ malum, iustitiæ, propter legitimam potestatem; malum, propter intentionem, & volun-

tatem sinistram. tam ergo bonus, quam malus Angelus dicitur Domini propter creationem, & dominij, & propter ministerium, & propter potestatem; Angelus vero bonus ultra has causas dicitur Domini, propter voluntatem bonam, qua Domino inferuire intendit, & eius voluntatem exequi conatur, & propter Dei dilectionem, quia ei charus, & gratus est. Sic in præfenti loco vsurpatur; hæc enim opera per solos Angelos bonos Deus efficit, & paulo inferius ipse se Gabrielem esse manifestat.

Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.

COMMENTARIA.

Affectus, actus quidam sunt animæ, & cum quadam corporis alteratione fiunt, sanguis enim, & bilis, ceterique humores cum spiritibus commouentur, cum timemus, tristamur, similibusque affectibus agitamur. hæc duo Euangelista ex visione Angeli Zachariæ accidisse narrat, cum enim mortem sibi imminere existimaret, corporis eius humores exagitantur, & animo horret, ac refugit, idcirco turbatur, & timet. Dicitur autem timor irruisse super eum, tum quia timor hic inuoluntarius erat, naturali quadam necessitate conceptus, tum etiam, quia magnus, & vehemens fuit, quasi superans vires eius, quique propterea impediri non potuit.

ANNOTATIO. XVI.

Zacharias cur timuerit.

Non immerito posset aliquis interrogare, quare Zacharias timuerit, præsertim cum sciuerit Angelum esse Domini, qui ei apparuerat; non enim credere debemus Zachariam existimasse fuisse Angelum malum, ut dictum est, in superiorum verborum explanatione, cur ergo timuit, si illum esse Angelum Domini nouerat? Respondeo cum Exo. 20. dictum esset, Non videbit me homo, & viuet, fuisse opinionem inter Iudæos diuulgatam, qui Angelum Domini videbat, statim eum esse moriturum, hinc est, quod Exod. 20. dicebant Iudæi: Nō loquatur nobis Deus, ne forte moriamur, & Iudic. 6. de Gedeone habetur

sic: Videns Gedeon, quod esset Angelus Domini, ait, Heu mihi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. Dixitque Dominus: Pax tecū, ne timeas, non morieris. Præterea Iudic. 13. dicitur: Statim intellexit Manue Angelum Domini esse, & dixit ad vxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Dominum. & Tob. 12. Tobias pater, & Tobias filius audientes esse Angelum Domini, qui loquebatur eis, turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram in faciem suam. Eodem modo turbatur nunc Zacharias, & eius turbatio, & timor argumento sunt eum credidisse, quem videbat, Angelum esse Domini.

Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia.

COMMENTARIA.

Turbatum, & timentem Angelus confortat. Ne timeas, inquit, verbo hoc, virtute Domini per suum Angelum operante, animum Zachariæ serenat, timoremque expellit, ut animus tanto nuncio percipiendo vacare attentius valeat; hac de causa nomine proprio vtitur, quo quandam beneuolentiam captat, & familiaritatem indicat. Potuit Angelus impedire timorem, ne insurgeret, sicut & insurgentem amouit; tamen id non effecit, & ut nunciantis maiestas repræsentaretur, & ut eo ipso ad credendū ei, animus Zachariæ præpararetur. timor enim ille ad concipiendam magnam opinionem illius, qui loquebatur, inducebat, facilius autem credimus ijs, quos plurimi facimus, & quos multum veremur.

ANNOTATIO. XVII.

Quo differant boni & mali Angeli appellationes.

Thanasius in vita S. Antonij tradit commune esse Angelo, tam bono, quam malo a principio, quando apparent, timorem incurere; hoc tamen est inter vtrumque discriminis, quod bonus post timorem consolationem adhibet; malus vero non item, sed eius timor permanet. Idem etiam Theophyl. hoc in loco adnotat. Quod quidem nunc obseruatum inuenimus, bonus enim Angelus timentem Zachariam confortat, & consolatur. Non est autem verbum reprehensionis, Noli timere, quasi Zacharias

male fecerit timendo, cum timor naturalis non sit vitiosus, & timor voluntarius erga Angelum, reuerentia quædam debita, & honesta sit: sicut etiam nec fuit verbum reprehensionis, quod idem Angelus dixit postea Beatissimæ Virgini: Ne timeas Maria. Bonus ergo timor erat, sed in eo non oportebat perseverare, ut animus mysterio tanto nunciando attētius, & deuotius inouberet, idcirco bonū expellitur, ut quod melius est introducat, nā & perfecta charitas foras mittit timorē, qui tamen initium est sapientiæ.

C O M M E N T A R I A.

Non solo vocis imperio timorem depellit, sed etiam ratione, & argumento; nam, inquit, tua deprecatio, quam ad Deum fudisti, exaudita est, si igitur quod petebas, & desiderabas, consecutus es, ad idque annunciandum venio, non est cur turberis, & timeas, sed quod læteris, & exultes. Loquebatur Angelus Zachariæ scienti, quid deprecatus esset, propterea non explicat, quod petierat, se tamen Dei Angelum declarat, qui Zachariæ petitionem, & Dei exauditionem, priusquam opere esset manifestata, nosset. Quantum autem ex colloquij tenore conijci potest, aduentum Messiae in populi salutem Zacharias precabatur; hæc enim oratio communis erat iustis illis, ac Prophetis, oratio profecto digna Sacerdote, cuius est, & suæ & populi saluti consulere.

A N N O T A T I O. X V I I I.

Zacharias quod dum orabat, petierit.

Augustinus lib. 2. quæst. Euagel. cap. 1. de hac Zachariæ deprecatione duo dicit. Vnum est non sic esse intelligendam, quasi Zacharias pro obtinenda prole deprecaretur. Hoc duobus argumentis comprobatur. prius est, quia desperauerat se iam filium habere posse, nemo autem petit, quod desperat, eo autem processit desperatio, inquit, ut Angelo nunciandi, & promittenti, non crediderit. Posterius argumentum est, quia æquum non videbatur, ut Sacerdos offerens incensum pro populo, qui tunc orabat foris stans, relictis publicis votis incumbere propriis, & filium peteret. Alterum dictum Augustini est, deprecationem hanc fuisse pro totius populi salute, & peccatorum remissione, quæ erat facienda per Christum. Huic secundo dicto consentiunt Chrysost. hom. de natiui. Ioan. Bapt. quæ habetur tom. 2. & hom. 2. de incomprehensibili Dei essentia, quæ habetur tom. 1. Ambrosius etiam in præsentia, Theophyl. & Euthym. Quidam autem recentiores deprecationem Zachariæ de prole consequenda fuisse affirmant, idque sequentibus Angeli verbis confirmant, prosequitur enim sic: Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filium. illud [Et] more Hebræorum loco [nam] positum esse affirmant, quasi diceret, nam vxor tua pariet tibi filium. Et certe si sic dictum esset ab Angelo, argumentum erat probabile quidē, sed non necessarium, Zachariæ orationem fuisse pro filio, at id sibi recentiores assument sine auctoritate aliqua, nam particula [Et] quamuis loco causalis aliquando sit posita, id tamen non discernitur, nisi quando ratio contextus ad eam interpretationem nos compellit, frequens enim vsus eius est, ut copulariue teneatur. Cum igitur in præsentia non sit vrgens ratio interpretandi causaliter, debet potius secundum communem vsum intelligi, sicut & antiqui Doctores intellexerunt, idque probat deprecationem Zachariæ non fuisse pro prole, quandoquidem ultra exaudi-

tionem adiungitur [Et vxor tua pariet tibi filium.] Quasi dictum esset, ultra id, quod deprecatus es, obtinebis filium, quem non petebas. Expositio igitur Patrum est retinenda, & sequenda, Zachariæ nempe orationem fuisse pro Christi aduentu, in quo salus populi, & remissio peccatorum posita erat, quemque illi Patriarchæ, & Prophetæ summopere desiderarunt, iuxta illud Gen. 49. donec veniat desiderium collium æternorum. Hoc tamen addendum ex ultimo argumenta August. probabilia quidem esse, non autem necessaria. Responderi enim ad primum posset, Zachariam tunc temporis non deprecatum esse pro habendo filio, quem iam se habiturum non sperabat, superiori vero tempore antequam senuerat, & quando sterilitas coniugis nondum experientia perspecta erat, id ipsum summopere fuisse deprecatum, quod etiam antiqui Patres fecerunt. Illa ergo deprecatio videbatur quidem illi non exaudita, quæ vere exaudita, sed dilata erat, donec opportuno tempore compleretur; sæpe enim id Deus facit, ut ipsemet August. tract. 102. in Ioan. docet; quædam, inquit, petuntur, quæ differuntur, ut congruo tempore à Deo exaudiantur. hoc igitur Angelus nunciat temporis congruitate adueniente. deprecatio, inquit, tua exaudita est, & ut Zacharias, qui multis deprecationibus vsus fuerat, multa que alia petierat, intelligeret, Angelus declarans deprecationem subiungit, Vxor tua pariet filium, illudque [Et] aut declaratiue, aut causaliter teneri potest, iuxta vsum scripturarum. Ad secundum idem respondere possumus, tunc non orasse pro filio obtinendo, sed ante, quamuis etiam si tunc deprecatus fuisset pro prole, nihil iniquum commisisset, si non propterea vota publica reliquisset, votis enim publicis coniungi etiam priuata possunt, certum tamen est tunc non id petiisse, quia id consequendi spem iam deposuerat.

Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filium.

C O M M E N T A R I A.

Signum exauditiæ orationis Angelus exhibet, quasi diceret exauditam esse deprecationem tuam, Christumque, pro cuius aduentu orabas, iamiam aduentare, ex hoc agnosces, quod mirandam quandam rem experieris, nempe vxoris tuæ puerperium, quo pariet tibi filium. Ne vero putaret Zacharias filium sibi promitti ex alia vxore futura, additum est nomen, vxor, inquit, tua, quam nunc habes Elisabeth. Ne autem hæc ex alio viro, Zacharia mortuo, conceptura crederetur, additum est [tibi] quasi diceret, tu ipse ex hac eadem sterili tua vxore filium generabis. Ne

bis. Ne denique existimaret concepturam Elisabeth filium, fatum tamen conceptum non edituram in lucem, quod soleant aliquando senes concipere quidem, sed virium imbecillitate ad perfectionem prolem non perducant, adiecit verbum, pariet, nam quæ parit, concepit, non autem quæ concipit, semper parit. Promissio igitur distinctissima est.

A N N O T A T I O. X I X.

Quorum superiora verba dicta sunt.

Chrysost. hom. 2. de incomprehensibili Dei essentia, fatetur quidem hæc dicta esse ab Angelo, tamquam indicium exauditiæ deprecationis, tamen in hunc modum interpretatur: Cum deprecaretur Zacharias pro peccatorum populi remissione, Angelus dixit, Oratio tua exaudita est: & hoc erit indicium, quod vxor tua pariet filium, qui ostendet eum, qui peccata remisurus est, dicendo, Ecce qui tollit peccata mundi. Ita connectit Chrysostom. & consentiunt Euthym. & Titus Boitrenus. at mihi accommodatior connexio visa est, ut conceptio ex sterili, & sene in signum, & argumentum sit data Zachariæ aduenientis Christi, pro quo ille deprecabatur. hoc enim est, quod repetens idem Angelus Beatissimæ Virgini dixit. nam post annunciatam filij Dei

conceptionem addidit signum, Et ecce, inquit, Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Illud non est silentio prætereundum, quod adnotauit Ambrosius, quam largus sit Dominus Deus in exaudiendis orationibus suorum, concedit enim, quæ petunt, & adijcit plura, quam petunt. deprecabatur Zacharias pro Christi aduentu, Deus autem non solum exaudit eum, quia Filium suum mittere dignatur, sed etiam adijcit, quod ille non petebat; immo nec petere ausus esset, id est filij, & tanti filij generationem. Eandem doctrinam adnotauit Hiero. Isai. 38. alio exemplo Ezechia, qui ægrotus petijt sanitatem, Dominus autem non tantum eam concessit, sed etiam quindecim annos vitæ, & victoriam contra inimicos, quæ ille non petebat, promisit.

Dei largitas erga deprecatores iustos.

Et uocabis nomen eius Ioannem.

C O M M E N T A R I A.

Non tantum est prædictio futuri nominis, sed etiam præceptum nomine Dei factum, conuenit autem nomen officio, qui enim futurus erat præcursor auctoris gratiæ, nomen accipit ab ipsa gratia, nam Ioannes gratiam Dei significat, quam non lex, sed Christi fides dabat, nomine igitur ipso Christum iamiam venturum indicabat, per quem gratia, & veritas factæ sunt.

Et erit gaudium tibi, & exultatio.

C O M M E N T A R I A.

Sæpe euenit filios nondum natos in summis votis esse parentibus, natos vero molestiam, & dolorem adferre, non sic fiet in Ioanne, sed erit tibi causa gaudij, & exultationis, id est lætitiæ animi, & corporis. Exultatio enim est lætitia, quæ præ magnitudine intra animum detineri non potest, sed quibusdam corporis gestulationibus, & motibus foras erumpit. illud [erit] refertur ad Ioannem, quasi dictum esset, erit tibi gaudio, & exultationi, seu erit gaudium, & exultatio, id est causa gaudij, & exultationis.

Et multi in natiuitate eius gaudebunt.

C O M M E N T A R I A.

Non priuatum tantum, sed publicum erit gaudium. multi enim eius natiuitate, seu propter eius natiuitatem gaudebunt. Hebraismus est frequens casui instrumenti præponere particulam [in] gauisi sunt quidem multi, cognati nempe, & vicini, ut dicitur inferius, at nemo patris lætitiæ æquauit. idcirco patri gaudio, & exultationi, cæteris gaudio futurus prædicatur.

Erit enim magnus coram Domino.

C O M M E N T A R I A.

Causam gaudij communis parentibus, & alijs multis explicat, simulque prænunciat, qualis filius hic futurus sit; erit enim, inquit, magnus coram Domino. magnus, inquit, sanctitate, & officio; sanctitate quidem, quia Spiritu sancto reple-

bitur adhuc ab utero matris, & accepta sanctitate miros perfectionis progressus faciet. Officio, quia praecedet in spiritu, & virtute Eliae parare Domino plebem perfectam. Dicitur autem magnus coram Domino, seu in conspectu Domini, ut Graece habetur, quia praebit ante faciem Christi, ut praecursor, illum populo ostensurus. Haec enim verba Angelus ipse sequentibus verbis exponit, & interpretatur.

ANNOTATIO. XX.

Quorum Angelus praenunciet Ioannem futurum magnum.

Quod ad litteralem sensum spectat, quidam recentiores reddi rationem, seu causam nominis existimant, nempe, cur Ioannes sit appellandus, quasi gratia, seu donum Dei, nimirum, quia erit magnus coram Domino, accommodatius tamen ad gaudium patri, & multis commune refertur. Tunc autem posset dubitare aliquis, non enim videtur haec causa gaudij ex Ioannis natiuitate concepti, quia magnus futurus erat coram Domino, nam haec magnitudo fuit post natiuitatem, quando adultus, suae sanctitatis specimen magnum exhibuit, & officium praecursoris exercuit, hoc autem loco causa adfertur eius laticiae, quam parentes, & cognati, ac amici eius natiuitatis causa perceperunt. Respondeo, ex mirabili natiuitate Ioannis, omnibus manifesta eius futura magnitudo perspecta est. praeterea reuelante Spiritu sancto nouit Zacharias in natiuitate Ioannis, quantus ille erat futurus, idque publice omnibus manifestauit, quando prophetans, dixit: Benedictus Dominus Deus Israel, &c. magnitudo igitur haec Ioannis futura etiam a natiuitate innotuit multis. Haec duo indicat Euangelista inferius, Super omnia, inquit, montana Iudae diuulgabantur omnia verba haec, & posuerant omnes, qui audierat in corde suo dicentes, Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo. merito ergo dictum est, multos eius natiuitate esse gauisuros, quia magnus coram Domino futurus erat. Illud autem coram Domino multipliciter explicatur. Primo Ambrosius positum putat, ut distingueret Angelus hanc magnitudinem ab ea, quae est corporis, & potentiae secularis; magnitudo enim Ioannis sanctimoniae, virtutis, & officij futura erat. Secundo Theophyl. dictum interpretatur, ut distingueret ab hypocritis,

Quid est coram Domino magnum esse.

Magnus tribus modis aliis dici potest.

Ioannes fuit magnus etiam coram hominibus.

qui coram hominibus magni sunt. Tertio, quidam recentiores phrasim Hebraeam existimant, ad denotandam singularem quandam praestantiam, sicut Gen. 10. dictum est: Nembrot robustissimus venator coram Domino.

Mihi dicendum videtur hanc locutionem saepe in scriptura usurpatam esse, non tamen in omnibus locis idem significare. Supra enim dicti sunt Zacharias, & Elisabeth iusti ante Dominum, seu in conspectu Domini, ut veritas iustitiae illorum significaretur. Dicitur etiam est Zacharias fungi Sacerdotio ante Dominum, quia in templo Domini. Dicitur etiam est Nembrot robustissimus venator ante Dominum, seu coram Domino, non propter excellentiam, & praestantiam, nam verbum illud [robustissimus] id significauerat, sed quia id munus non erat Deo ingratum. In omnibus his locis eadem est phrasim, non tamen significatio eadem. in praesenti autem nihil horum significat, sed indicat praesentiam Christi, coram quo Ioannes officio, & magnitudine sua insignis & clarus futurus erat ipsum indicando, baptizando, de eoque testimonium perhibendo, & ad eum recipiendum ut verum Messiam, populum exhortando, quem sensum, & Angelus exposuit dicens: Praebit ante faciem Domini, & pater etiam ipse: Praebit ante faciem Domini, hoc idem est, quod nunc dicitur [coram Domino] Christus enim Deus, & homo est, quem nunc Dominum appellat, & articulus Graecus hoc loco emphasim habet, coram illa Domino. Nec erat opus, cur Angelus hoc verbum apponeret ad distinctionem praedictam, nam qualis esset ista magnitudo verbis sequentibus ipse Angelus aperitissime declarat.

Auctoris positio.

Vere magnus Ioannes, qui apud Deum talis est.

Non est vere magnus qui apud homines talis est.

ANNOTATIO XXI.

Quod vero ad doctrinam quamdam moralem spectat, aduerte tribus modis contingere aliquem dici magnum, coram seipso, coram hominibus, coram Domino. Ille magnus dicitur coram seipso, qui se magnum putat. de hac magnitudine Basil. interpretatur illud Isai. 10. Inducit super mentem magnam. qui autem sic magnus dicitur, non est vere magnus, immo hoc ipso, quo aliquis se magnum existimat, efficitur vere paruus. haec enim est superbi conditio, qui se magnum putat, ut eo ipso sit paruus. quod recte docet Grego. lib. 3. Pastor. c. 1. admoni. 18. Quanto, inquit, magis se eleuat, tanto magis cadit, & tato est inferior, quanto maior sibi videtur. Ioannes noster non sic magnus futurus dicitur, nam huic magnitudini contradicit humilitas, quae tanta fuit in eo, ut cum habitus esset a populo Christus, & ut dicit August. tract. 4. in Ioan. potuisset homines fallere, & persuadere se esse Christum, respondit, non sum ego dignus, soluere corrigiam calceamenti eius.

Ille magnus est coram hominibus, qui hominum opinione magnus habetur. Haec magnitudo, quae in hominum opinione posita est, in Ioanne inuenitur, & quidem mira. Primo, quia uti diximus paulo ante, tanta fuit sanctitatis habitus, ut Christus, & Messias crederetur a multis, ut habetur Luc. 3. etiam

si de tribu Aaron extiterit, certumque esset apud Iudaeos Christum futurum de Iuda. Secundo, quia eius testimonium compellebat Iudaeos credere Christo; de quo ille testimonium perhibebat, quod non posset fieri, nisi esset singularis & mirandae opinionis apud illos. Tertio, quia omnes Euangelistae eius testimonio vsi sunt contra incredulos ad veritatem Christi confirmanda, quod eum maximam fuisse in hominum opinione ostendit. Quarto, quia ad hanc magnitudinem peruenit sine miraculis, quae nulla fecit, sed vitae sanctitate, & splendore, quod fieri non posset, nisi eius viuendi ratio praestantissima planeque admirabilis omnibus visa esset. Ergo magnus etiam coram hominibus videri potest. fuit autem haec magnitudo necessaria ad officium, & munus Ioannis, quo testimonium perhibebat populo de Christo. siquidem tantae rei praecognitionem magna apud omnes auctoritatis, ac sanctitatis opinione valere oportebat, ut mysterio fidem sibi & assensum conciliaret.

Haec magnitudo, quae in opinione hominum sita est, si per se consideretur, non est absoluta magnitudo, nec facit hominem vere, & absolute magnum, sed comparatione quadam, scilicet ratione eorum, qui illum existimant magnum, & hoc multis de causis. Primo quidem, quia saepe homines collocant magnitu-

magnitudinem in ijs, quae magna non sunt, ut in diuitijs, honoribus, dignitatibus, & potentia, ceterisque similibus huius saeculi bonis. Secundo, quia etiam aliquando collocant in ijs, quae vere magna sunt, qualia sunt, quae ad sanctitatem vitae, hoc est virtutes, & gratiam Dei, & morum innocentiam spectant, falluntur saepe, dum quempiam existimant talem esse qui reuera non est. Tertio, quia etiam non omnino fallantur, iudicio tamen eorum non nihil a veritate receditur, dum magnum aliquid existimant, quod non est reuera tantum quantum ipsis apparet. quo fit ut plerumque iustorum hominum virtus, & probitas sparsam apud reges sanctitatis famam, atque opinionem non assequatur. infirmis enim conualescens sanus, & caecis, ut dicitur, monoculus acri prospectu, & oculorum acie praestare videtur. hoc accidit nobis in hoc saeculo constitutis, quibus sanctitas hominum maior apparet, quam sit iudicanda, & saepe minus malus, bonus censetur, non ergo magnitudo haec quae ab hominum iudicio pendet absolute magnum facit.

Ille demum est magnus coram Domino, qui vere, & absolute magnus est, qui ea habet, in quibus magnitudo consistit, & tantus, ut apud eum, qui falli non potest, & qui iustitiae, & illimitatae perfectionis, & magnitudinis est, magnus iudicetur. talis & tantus fuit, & futurus nunc praedicitur Ioannes noster, quod facile intelliges, si & virtutem, & officium eius consideres, in his enim eius magnitudo absoluta consistit. Officio quidem omnes superauit Prophetas, qui ante ipsum extiterunt. Luc. 7. Christus de eo loquens ait, Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est. Et rursus: Vtique dico vobis, plusquam Prophetam. Virtus autem, & sanctitas vitae ex nonnullis apparet. Primo ex admirabili eius poenitentia, cum enim, ut inquit Athanasius serm. 4. contra Arrian. nullum habuerit vquam mortale peccatum, tanta carnis mortificatione

se domuit, ut Dominus Matth. 11. dixerit de eo, Venit Ioannes neque manducans, neque bibens. Secundo ex eius castitate, & puritate, ut enim, inquit, Hieronym. Epist. ad Rusticum, de viuendi forma, a tenebris fugit in desertum, matremque propriam, reliquit, ne ex eius aspectu, aut alterius feminae, vel minimum aliquid inhonesti conciperet. seruare enim voluit mentem & oculos puros, ut Christum videret, & indicaret. Tertio ex eius humilitate, qui, ut diximus ex August. tract. 4. in Ioan. cum facile pro Christo haberi posset, & ad Christi nomen, ac munus admittendum inuaretur, respondit: Non sum ego Christus. Quarto ex eius zelo, qui ne ad testimonium de Christo reddendum, aliqua ex parte minus idoneus videretur, irreprehensibilem vitam instituit, de quo Cyril. lib. 2. thesau. cap. 4. vnum dignum adnotatione docuit, nempe cum Iudaei Christum legis transgressorem appellarent, Ioannem ne testimonium suum minueretur, propter legem mori voluisse, & eam contra Herodem defendendo morti se exposuisse, ut testimonium de Christo exhibitum firmum maneret, & obuiaret falsae existimationi contra Christum, quasi significare vellet, non esse legis transgressorem eum, de quo qui testimonium perhibebat pro lege mori non recusaret. Quinto ex eius conuersatione, qui triginta annorum ex deserto egreditur, in quod se puerulus receperat, & per tot annos conuersatione angelica, & mentis eleuatione in Deum vixerat. Postremo ex eius sanctitatis antiquitate, qui in utero matris existens, gratia Spiritus sancti repletus est, & Christum venientem in utero matris agnouit, & adorauit, in qua vitae sanctitate semper creuit usque ad mortem, eamque vitam martyrio consummavit. Vere igitur magnus coram Domino. Multa alia dici possent, sed ex his paucis facile ea agnosceret, qui meditatatus fuerit. Nos vero sequentibus commentarijs, & annotationibus aliqua referemus.

Et vinum, & siceram non bibit.

COMMENTARIA.

Exponit Angelus, quae ad magnitudinem sanctitatis, & officij spectant, incipit autem a sanctitate, & duo praenunciat. Vnum est abstinentia mira Ioannis. Vinum, inquit, & siceram non bibit, quasi diceret, a vino, & omni eo, quod inebriare potest (hoc enim sicera significat) abstinere. fuit quidem Ioannes temperatissimi, & parcissimi cibi, melle enim siluestri, & locustis utebatur, ut dicitur inferius. tamen potus facta est mentio, tum quia difficilius est a potu, quam a cibo abstinere; tum ut hac abstinentia vitam Ioannis totam Deo consecratam fore indicaret. erat enim haec abstinentia Nazarorum, de quibus habetur Num. 6. & quod hi ad tempus faciebant, Ioannes toto vitae tempore effecit, quasi Domino perpetuo consecratus. Hoc idem de Samson illo fortissimo Angelus praenunciauit. Iud. 13. Vinum & siceram non bibit.

ANNOTATIO XXI.

Ioannes a vino, & sicera, & abstinent.

Sicera nomen est Hebraicum a verbo שכר quod significat inebriari, inde nomen sicera significans potum quemcumque, qui inebriare potest, siue ex uuis, siue ex palmarum fructu, siue ex quauis alia materia sit confectus. Vsus est autem Ioannes abstinentia hac, tum ob carnis puritatem, Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, tum etiam ob mentis aciem, ut aptior contemplationi fieret, Eccles. 2. Cogitavi, inquit, in corde meo abstrahere a vino carnis meae, ut animum meum transferrem ad sapientiam, & deuitarem stultitiam. His de causis, cum

sacerdotes in templo ministrabant, a vino abstinere tenebantur, ut habetur Levit. 10. & Ezech. 44. Ioannes autem summam puritatis, & contemplationi deditus etiam a sicera abstinere. tum maxime, ut se testem Christi exhiberet dignum fide, & populi opinionem magnam sibi conciliaret, non in propria gloria, sed ut hac via ad Christi fidem Iudaeos conuerteret suo testimonio, quod reuera euenit, nam in eam admirationem sui homines ita excitauit, ut persecutores, qui numquam defunt Sanctis, non humanis viribus, sed demonis virtuti eius abstinentiam tribuerent,

tribuerent, dicit enim Dominus de eo: Venit Ioannes neque manducans, & bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Iusti vero, & fideles diuinæ virtuti ma-

xime in eo elucenti adscribent, ideoque inde dignissimum reputant: atque hæc causa est, cur eius abstinentiæ Angelus meminit.

Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris sue.

COMMENTARIA.

Prosequitur Angelus magnitudinem sanctitatis Ioannis explicare, & post abstinentiam, quæ ad corpus maxime pertinet, quod ad animam spectat, prænunciat, nec singularum virtutum ordinem, & distinctionem enumerat, sed ad omnium virtutum, donorum, gratiarumque fontem recurrit, replebitur, inquit, Spiritu sancto. nemo plenus est Spiritu sancto, qui non eminenti gratia, insignibus donis, ac virtutibus præcellat. Nec tempus incertum relinquit Angelus, quando hoc futurum erat; adhuc, inquit, ab utero matris. sunt quidam pleni Spiritu sancto, nam & mater eius Elisabeth paulo inferius repleta dicitur Spiritu sancto. & Act. v. Apostoli repleti sunt Spiritu sancto, & Stephanus Act. 7. plenus eodem Spiritu fuit, sed adulti hanc Spiritus sancti plenitudinem acceperunt, at Ioannes ab utero ipso incipit repleti, & extra uterum, & per totum vitæ tempus perseverabit, & maius, ac maius continuo complementum accipiet, in diesque in sanctitate, & magnitudine gratiæ, ac Spiritus proficiet. Apposite autem Angelus abstinentiæ à vino, & sicera connectit hanc Spiritus sancti plenitudinem. abstinentia enim, & sobrietas corporis multum disponit animum ad Spiritus sancti receptionem, ut quo magis euacuatur corpus cibo, & potu, propter Deum, eo magis anima Dei gratia impleatur. propter quod Paulus Ephes. 5. Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto. Ioannes autem ab utero prædicitur implendus Spiritu sancto, non solum propter gratiam, & virtutes, sed etiam propter Prophetiæ munus, quod in matris utero exercuit, non loquendo, sed exultando, ut dicemus inferius, extra uterum vero perfectissime executus est.

ANNOTATIO. XXIII.

Qualis fuerit hæc Spiritus sancti plenitudo, Ioanni communicata.

Quod ad litteram spectat, Ambrosius legisse videtur [in utero] cum tamen & Græci codices, & Latina exemplaria habeant [ab utero] quod longe diuersum est. nam illud [in utero] significat terminum plenitudinis, quasi intra uterum acceperit plenitudinem: at illud [ab utero] indicat exordium, nimirum incipiet impleri, & continuabitur plenitudo usque ad vltimum vitæ tempus. quod verum est, nam semper Ioannes augmentum habuit in sanctitate, & gratia, ac donis Spiritus sancti, & in ipsa Prophetia. Quod autem ad sensum spectat, dubitatio est, quid hæc Spiritus sancti plenitudo significet? cui dubitationi facile esset respondere, nisi Augustinus nobis difficultatem ingessisset, nam epist. 57. ad Dardan. sanctificationem Hieremiæ, quæ in utero facta est, ut dicitur cap. i. Priusquam te formatum in utero noui te, & antequam exires de vulua sanctificauit te. & hanc sanctificationem Ioannis etiã in utero factam edisserens, docet, non esse sic intelligendas, quasi in utero gratiam acceperint, per quam homines renascuntur in Christo, & efficiuntur templum Dei. Cui sententiæ videtur etiam fauere Hieronymus. Hierem. i. qui vtriusque sanctificationis Hieremiæ scilicet, & Ioannis mentionem faciens, censet esse intelligendas secundum eundem sensum, quo Paulus Gala. 1. de se pronunciat, dicens: Tum placuit ei, qui me segregauit ab utero matris, non quod sancti Spiritus gratiam acceperit Paulus in utero matris, sed quod ab utero sit destinatus, ut esset Apostolus Christi futurus. quem sensum sequens Theodoretus Hierem. i. interpretatur illud verbum, antequam exires de vulua sanctificauit te, id est separauit te.

Augustinus vnico argumento sibi hanc suam sententiam persuadet, quia qui gratiam iustificantiem accipiunt, & membra viuæ Christi efficiuntur, dicuntur, & sunt renati, at nemo dicitur renatus, nisi sit prius natus, cum igitur, qui intra matris uterum sunt, nondum sint nati, non possunt esse renati. Conceptio enim, quæ intra uterum est, non est natiuitas, aliter bis nasceretur homo, nempe cum in utero concipitur, & cum ex utero egreditur. quidquid sit de Hieremiã, de quo non est nostrum præsens institutum, mirum est profecto Sanctum Augustinum in eam venisse opinionem, quæ vix scripturæ accommodari potest, & cui patres etiam antiquiores aduersari sunt. Ut autem ab his incipiam Athanasius. Ser. 4. contra Arian. Per multi, inquit, fuerunt Sancti puri omnis criminis, siquidem Hieremiã ex utero sanctificatus fuit; & Ioannes dum adhuc à grauida matre gestaretur, exultauit in gaudio ad vocem Deiparæ Virginis. Cyprianus Epist. 73. quæ est ad Iubaianum de Ioanne loquens, gratia, inquit, diuina in utero matris est impletus. Ambrosius etiam in præsentia dicit, prius in Ioanne fuisse Spiritum gratiæ, quam vitæ. Appellat spiritum vitæ aerem, quem continua respiracione accipimus, quasi diceret in utero nondum respirabat corpore, & habebat Spiritum gratiæ, idem tenet lib. 5. de fid. cap. 4. Cyril. Hierosolym. Catechesi 3. multa dicit de Ioanne, quæ inferius referemus, ad rem vero nostram id facit, qui in utero, inquit, matris cum gestaretur, à Spiritu sancto sanctificatus est. Gregorius etiam, qui post Augustinum fuit, non solum id affirmat, sed & Augustini argumentum tacite refellit. nam lib. 3. Moral. cap. 5. inquit, de Ioanne loquens,

Ioannes vere fuit sanctificatus in utero.

loquens, prius ut ita dixerim renatus, quam nascetur. Illud autem verbum Gregorij (ut ita dixerim) adiecit, ne quis existimaret, ante conceptionem renatum fuisse, nam conceptio est principium natiuitatis, quæ completur, quando emittitur ex utero, ut statim dicam. Bernardus etiam in sermone de sancto Ioanne Baptista sic habet: Neminem vnquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus præter Hieremiã, & Ioannem Baptistam. sed longe minor Hieremiæ sanctificatio, quam Ioannis. ille quidem in utero matris sanctificatus est, hic repletus Spiritu sancto fuisse cognoscitur. multo quippe excellentius est Spiritu sancto repleti, quam sanctificari, ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem signat. denique & Apostoli, qui manibus suis tractauerunt de verbo vitæ, cum Spiritum sanctum acceperint de Saluatoris afflatu, vix quinquagesimo à resurrectionis die ad illum gradum potuerunt peruenire, ut diceretur de eis, repleti sunt omnes Spiritu sancto. & licet Spiritus sanctus largiore tunc munere credentium corda repleuerit, hoc tamen Ioannes legitur in utero affectus, quod Apostolica celsitudo tandem longiori permissione meruit obtinere. Hæc Bernardus & rursus: Hieremiã, inquit, admiranda sanctificatio, qua etiam in peccato conceptus est, nascitur tamen sine peccato, antequam enim exiret de ventre sanctificatus est, nec poterat nasci, non sanctus, qui in utero matris sanctificatus. Mira res, etiam à transactis sæculis non audita, hominem conceptum in peccatis, nasci sine peccato, Ioannem vero longe gloriosior virtus impleuit, qui & sanctificatus est à peccato, & ita dominante Spiritu superfluis, ut & purgatus exeat, & repletus. Hæc Bernardus. Scriptura etiam hoc ipsum manifestat. Quis enim audebit dicere plenum Spiritu sancto esse eum, qui est in peccato, & filius iræ, & Deo inimicus? talis enim est, qui est in originali peccato. profecto nemo. alias Apostolorum status, & Stephani, qui dicuntur pleni Spiritu sancto, esset nobis incertus pro illo tempore, si hæc plenitudo non excludit peccatum. Præterea dicitur ab utero replendus, atqui ea, quæ subsecuta est plenitudo extra uterum fuit gratiæ veri Dei, quæ hominem iustificat, & non sola prophetiæ, igitur hæc incepit esse in Ioanne etiam in utero existente. Adde credidisse in utero in Christum, adorasse eum, & dilexisse ut inferius dicemus, quando de exultatione illius agemus. idque sensit communis consensus Patrũ, quos illic proferemus, ergo gratiam iustificantiem accepit intra uterum, per quam ab originali, in quo erat conceptus, liberatus fuit. quod factum est, quando habitus est dignus, qui à Christo intra uterum matris sue

existente visitaretur, ut dicendum erit postea. Argumentum autem Augustini non videtur tale, ac tantum ut dimoueat nos ab hac veritate. In primis si argumentum hoc firmum esset, non possent baptizari infantes intra uterum matris, quando partem aliquam corporis, manum videlicet, aut pedem, aut aliam quampiam emittunt, periculumque mortis imminet, cuius contrarium vsus Ecclesiæ recepit. solent enim baptizari, & etiam si postea manum retrahant, & nunquam nascantur, sed moriantur in utero, sunt baptizati, & renati. Simile huic est, si prægnans moriatur, & statim aperiatur uterum, si fetus viuus inuenitur, baptizatur, ecce renascitur, & tamen nondum natus est, nec nascetur. Et hæc praxis solida est, & vera, quam obseruat Ecclesia. Ut autem ad argumentum respondeamus, aduerte natiuitatem dupliciter accipi. Vno modo pro generatione ipsa, qua homo gigni dicitur, & hæc est vera, propria, & substantialis natiuitas, à qua homo dicitur genitus etiam intra uterum, & dicitur filius Adæ, & per eam contrahit peccatum originale. huius natiuitatis etiam scriptura meminit. Matth. 2. quod in ea natum est de Spiritu sancto est. hæc sufficit, ut possit homo renasci in Christo. nam non solum renati, sed regenerati dicuntur in Christo, & dicitur regeneratio secundum Spiritum. sic genitus erat Ioannes, quando regeneratus est per gratiam Spiritus sancti. Altero modo accipitur natiuitas pro egressu ab utero, quæ quidem est complementum quoddam generationis, & prioris natiuitatis, qua non fit de nouo homo, quia iam factus est, sed mutat statum quandam vitæ, ut uiuat extra uterum. hæc non est necessaria, nec ad nascendum in Adam, & contrahendum peccatum, nec ad renascendum in Christo, cum per gratiam datam in utero ante egressum sit homo regeneratus, & iterum genitus in Christo, sicut per generationem naturalem in utero erat genitus in Adam, præsertim cum hoc non ordinariæ lege, sed priuilegio Spiritus sancti factum sit in Ioanne, & in Hieremiã. Natiuitas ergo substantialiter accepta, quæ est generatio viuens, est ante egressum ab utero, & hæc necessaria est, ut homo renatus, & regeneratus dicatur. Vnde Ioan. 3. cum dictum est Nicodemo, Oportet nasci denuo, vsus est Euangelium verbo Græco, quod significat gigni, seu generari, non ergo quia Ioannes non erat ab utero matris egressus, ob id non potuit gratiam Spiritus sancti regenerationis accipere, cum iam genitus esset carnali generatione, & peccatum contraxisset ex Adam. Ratio etiam ultra hæc omnia hoc ipsum comprobatur, non enim insciandum est tam miram Christi, & matris visitationem attulisse Ioanni peccati medicinam,

Natiuitas duplex, in utero, & ab utero.

Et multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum.

COMMENTARIA.

Quæ ad officium futurum Ioannis spectant, prænunciat Angelus. in duobus autem præcipue munus Ioannis positum erat. Primum est, cuius nunc Angelus meminit; multos, inquit, ex Iudæis pertrahet ad fidem Messia, ut credant in eum, & recipiant eum, Dicit autem (filiorum Israel) quia Ioannes non ad gentes, sed ad solos Iudæos fuit à Deo missus. Hoc fecit Ioannes digito eum populis, quos baptizabat, demonstrando, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est, qui post me venit, cuius ego non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. Propter testimonium autem Ioannis omni fide dignissimum multi crediderunt in Christum, de quorum numero fuerunt ipsius Ioannis discipuli, quos ad Christum conuertit, e quibus nonnulli discipuli Christi, & Apostoli facti sunt, sicut Petrus, & Andreas.

Andreas. Messiam, & Christum appellat Dominum Deum ipsorum, tum quia de Iudæorum semine carnem accepit, tum quia illi ante aduentum ipsius in eum sperabant, & credebant: tum etiam, quia veri Dei cultus, & religio apud solos Iudæos tunc vigeat mundo erroribus, & idolatrijs obscurato. Psal. 75. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. tum demum propter particularem curam, & prouidentiam, quam Deus habuit de illo populo, iuxta illud Psal. 94. Ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Insigne profecto munus hoc fuit Ioannis, & cum Apostolis commune, propter quod plusquam Propheta dictus est à Domino.

A N N O T A T I O. XXIII.

Dominus Deus, frequentius in veteri quam in noua scriptura reperitur.

Non est absque consideratione prætereundum in veteri scriptura frequentissime dictum esse, Dominum Deum; & dominium copulatum esse cum diuinitate, eaque de causa etiam nunc ab Angelo repetitur. Quod idcirco factum existimo, ut admonerentur filij Israel status legis, sub qua tenebantur, erat enim status seruitutis, quod Paulus ad Gala. 4. docens, inquit, Cum essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes; at ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. & ad Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum

in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Status enim euangelicus est filiorum adoptionis Dei, idcirco Matth. 6. docens nos Christum orare præcepit, ut Deum Patrem inuocaremus, quod nomen maioris dilectionis, & prouidentiae Dei erga nos est, & quod etiam nos magis ad Deum amandum, & colendum obligat, & inducit. Plura de hac re diximus in Commentarijs super Ioannem. Hæc autem sic intelligas, non quod Deus deserit esse Dominus, aut nos serui non simus, cum hæc perpetuo maneat, sed quod Deus, qui semper Dominus est, nobiscum egerit, ut Pater, & nos in filios eius etiam adoptati simus, qui serui tantum natura eramus.

Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & uirtute Elia.

C O M M E N T A R I A.

Alterum, in quo Ioannis officium positum erat, Angelus declarat. Præcedet, inquit, in spiritu Elia, id est, idem officium præstabit, quod Elias, quando ueniet, nam præcurret ante Dominum, & erit Præcursor eius in priori aduentu, sicut etiam Elias futurus est præcursor in secundo, de quo sciebat Zacharias prædictum esse Malachiae 4. Ecce ego mittam uobis Eliam Thesbitem, antequam ueniat dies Domini magnus, & horribilis. Nec solum erit præcursor, sicut Elias, habebitque similem spiritum, & officium, sed etiam erit similis in uirtute ad munus tale exequendum, id est zelo, & uehementi quodam studio diuinæ legis, quod in Elia apparuit. 3. Reg. 19. quando dixit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel. dicitur autem præcessurus ante illum, seu coram illo, quia sic præcedet, ut sit ei proximus tempore, non ut Prophetæ, qui præcesserunt, sed multo ante. at Ioannes incepit prædicare prius quam Christus, sed attigit tempus prædicationis ipsius. cum audis similitudinem, non inferas paritatem Elia, & Ioannis, hic enim maior fuit, quia plusquam Propheta. Relatiuum [illum] refertur ad antecedens [Dominum Deum ipsorum] ex quo irrefragabile sumitur argumentum Christi diuinitatis. si enim Ioannes præcursor fuit, & præcessit ante Christum, Christus autem est Dominus Deus filiorum Israel. Christus igitur uerus, & sempiternus est Deus; filij enim Israel uerum Deum colebant, & credebant. Præterea, si Christus Deus ille est, qui erat filiorum Israel, & quem Iudæi colebant, ergo idem Deus est, qui dedit legem, & qui auctor est Euangelij contra Marcionem, & quosdam alios impios contrarium asserentes. Non est autem idem conuertere filios Israel ad Christum, & præcedere ante Christum. Illud enim fecit Ioannes, quando Christum præsentem populis demonstrabat, ut diximus in præcedenti Commentario; hoc autem antequam Christum ostenderet, cum populos instruebat, & ad poenitentiam hortabatur, eosque præparabat, ut ipsis præparatis, & per poenitentiam dispositis Christum prædicaret, ne si impræparati essent, a fide in eum concipienda retraherentur. Erat enim fides uenturi mutanda, & transferenda in nouum statum, uidelicet in fidem præsentis, idcirco ut capaces fierent

fierent tantæ translationis, dispositio præcessit, ut in sequentibus uerbis explicabitur. Arduum enim erat credere dicenti, hic ipse, quem uidetis, est Christus, & Messias, quem sperabatis, & in quem uenturum ante credidistis. Propter prius dictus est Ioannes plusquam Propheta, propter posterius Propheta. Angelus autem incepit narrare, quod posterius tempore fuit, quia id erat præcipuum munus Ioannis, & causa prioris.

A N N O T A T I O. XXV.

An Spiritus & uirtus pro eodem usurpentur hoc loco.

Quod ad uerba spectat illud [in spiritu & uirtute] positum est loco [cum spiritu & uirtute] sicut Luc. 21. dictum est, Videbunt filium hominis uenientem cum potestate magna, & maiestate. Sic nunc dicitur uenturus Ioannes cum spiritu, & uirtute Elia. Aduertendum etiam est quoddam neotericos illud [et] interpretari, quia, quasi ista sententia sit causa præcedentis, quam significationem fateor aliquando in scriptura talem particulam haberi, ut notauimus super Ioannem. tamen hoc in loco non pro [quia] posita est, sed copulandi uirtutem habet, cum sint distincta opera, nec inter se necessario connexa hæc duo, populum disponere ad Christum suscipiendum, & eum populo demonstrare, quæ Ioannes exercuit, ut diximus in Commentario. Quod uero ad sensum pertinet, non conuenit inter omnes in explicandis his duobus [spiritu & uirtute] Titus Bostrenus spiritum gratiam Spiritus sancti interpretatur; uirtutem uero munus, & ministerium; & in priori conuenit etiam Euthymius, secus in posteriori, nam uirtutem interpretatur efficaciam, quam Ioannes habuit in sui muneris exercitio. Nonnulli recentiores uirtutem eam intelligunt, quæ ad mores spectat, quomodo dicimus uirtutem temperantiam, iustitiam, reliquasque similes, quod non uidetur accommodate dictum. nam uocabulum Græcum δύναμις potestatem, & facultatem significat, quæ interdum minus latine uirtus dicitur. Mihi igitur cum Gregor. hom. 7. in Euang. uisum est sentire, ut spiritus ad munus, & officium Ioannis referatur. solet enim spiritus pro dono ipso, & munere Spiritus sancti accipi, sic dicimus spiritum prophetiæ, spiritum scientiæ, spiritum euangelizandi, & Paulus Apostolatum sibi concessum uocat spiritum suum. habuit ergo Ioannes eundem spiritum cum Elia, quia præcursor Saluatoris uterque est, licet non in uino, eodemque aduentu. Elias enim præcurret posteriorem, Ioannes uero

præcursor annunciat prioris. Virtus autem non ad uirtutes morum, sed ad efficaciam, & zelum, uehementemque animi ardorem spectat, in quo consensio cum Euthymio. Fuit enim Ioannes maximo animi robore in annuntiando Christo, sicut erit Elias quando ueniet. Nec intelligas de uirtute miraculorum, nam Ioannes nullum miraculum fecit, idque ex diuina prouidentia, ne homines fallerentur putantes Messiam esse, cum præsertim multi id existimarent etiam sine miraculo. Fuit ergo uirtus, & potentia eius in admiranda uitæ sanctitate, & prædicationis efficacia, ac libertate collocata. Illud tamen dubitationem facit, nam quidam etiam Patres antiqui uirtutem, & spiritum Elia ad ea, quæ præterierunt, referunt. nam Elias etiam si uenturus sit, tamen multo ante uixit, & adhuc uiuit. comparant ergo ad uirtutem, & spiritum, quæ in Elia apparuerunt. sic uideatur Ambrosius sentire, & consentiunt quidam recentiores multas similitudines proponentes inter Eliam & Ioannem, ut enim ille Achab regem impium reprehendit, sic hic Herodem, ut ille zelator legis, ita & hic, ut ille zona pellicea præcinctus erat, ita & hic, & sunt alia huiusmodi. At profecto difficile accommodatur hoc, nam Elias nondum præcursor Domini factus est, hoc autem in loco confert Angelus utrumque in officio præcurrendi, & populum disponendi, & præparandi, ut uerba sequentia comprobant, idemque postea Dominus significauit Matth. 11. loquens de Ioanne. Ipse, inquit, est Elias, qui uenturus est, id est, ipse est præcursor, qui nunc uenire debuit, sicut Elias postea uenturus est. Oportet ergo spiritum, & uirtutem Ioannis conferre spiritui, & uirtuti, quæ apparebunt in aduentu futuro Elia, quando præcursor erit Domini. Alias profecto, nec uerba Angeli aptari poterunt, nec similitudo procedit perfecta, nam alij multi Prophetæ extiterunt similes Elia in ijs, quæ gesta per ipsum sunt.

Ut conuertat corda Patrum in filios.

C O M M E N T A R I A.

Cum Ioannes præcursor sit futurus sicut Elias, idem efficiet, quod & Elias faciet in aduentu posteriori, hic enim præcedet, ut duo munera præstet. Vnum est conuertere cor patrum ad filios, ut scriptum est Malach. 4. Id ipsum etiam Ioannes in aduentu priori facturus prænuntiatur, restituet enim sua prædicatione, & reuocabit illam fidem, & deuotionem patrum, Patriarcharum nempe, ac Prophetarum antiquorum erga uenturum Messiam in filijs, & posteris, ut & ipsi uiua fide, & deuotione, ac cordis puritate Messiam prosequantur, illudque ardentissimum desiderium patrum iam multis uitijs refrigeratum, accendet in filijs. hæc enim dispositio debuit præcedere in ijs, quibus paulo post demonstrandus, & ad oculum ostendendus erat Christus, eaque de causa Ioannes prius tempore, quam Christus apparuit prædicans populis poenitentiam, & annuntians imminentem Christi aduentum.

ANNOTATIO. XXVI.

Hiéronymus Malachi. 4. hanc sententiam explicat, sicut & in textu dictum est, hoc enim est corda patrum conuertere ad filios, illorum mentem, fidem, desiderium, & deuotionem erga uenturum Christum excitare in posteris, ut & filij imitentur patres illos, de quibus dictum est Ioan. 8. Abraham

pater uester exultauit, ut uideret diem meum, Et Luc. 10. Multi Reges, & Prophetae desiderauerunt uidere, quae uos uidetis, & audire, quae uos auditis, Eundem sensum amplexus est August. lib. 20. de ciu. cap. 29. & Grego. lib. 11. moral. cap. 9.

Et incredulos ad prudentiam iustorum.

COMMENTARIA.

Alterum Eliae in posteriori aduentu munus est conuertere cor filiorum ad patres, ut scriptum est. Malach. 4. id ipsum etiam Ioannes in priori aduentu praestiturus praedicatur. Angelus autem non secutus est uerba Malachiae, sed sensum. quod enim Malachias dixerat, conuerteret cor filiorum ad Patres, Angelus de Ioanne dixit; conuerteret incredulos ad prudentiam iustorum. Tria effecit Ioannes ordine hoc gesta. Primo quidem praedicauit Iudaeis poenitentiam, & mandatorum Dei obseruantiam, ut peccatis abiectis, quae sunt opera tenebrarum, clariori fidei luce Christum agnoscerent, & reciperent, quem iam adesse annuntiabat. Secundo quia multi increduli erant, nec Christum adesse credebant, eos reuincebat per signa, quae Deus per Prophetas de aduentu Christi dederat, ut vel ex his crederent iam tempus Christi esse impletum. Tertio Christum ipsum digito ostendit affirmans illum ipsum esse, quem prius annuntiauerat. ratione primi lucerna ardens appellatus est, ratione secundi Propheta, ratione tertij plusquam Propheta. propter primum ergo, & secundum dicitur conuersurus corda patrum in filios. propter secundum uero conuersurus incredulos, non solum quidem ad fidem, sed ad prudentiam iustorum, nempe ut signa a Deo data aduertant, & diligenter considerent, eaque considerantes credant, id enim prudentiae opus est, & hoc idem est conuertere cor filiorum ad patres, nimirum contemplari, & meditari signa aduentus Christi a Deo per patres reuelata. Appellat iustos, uel illos sanctos patres, uel homines pios, & sanctos illius temporis, quorum erat diligenter attendere, & obseruare omnia signa, quibus aduentus Christi significabatur.

ANNOTATIO. XXVII.

Graece legitur ἀπειθεῖς, quod quidam rebelles, quidam alij inobedientes uertunt, uulgata habet incredulos, uel quia legit ἀπίστος, uel quia rebellio, & inobedientia illa ex infidelitate proficiscitur, unde unum nomen pro altero usurpatur. Illud autem ad prudentiam, graece habetur ἐν φρονήσει id est in prudentia iustorum. sensus non mutatur, idem enim est conuertere incredulos in prudentiam, & in prudentiam iustorum. Quidam uertunt ad frugalitatem iustorum, sed parum accommodata. Haec quo ad uerba annotata sunt, quod uero ad sensum spectat, aduertit Dominum Deum, cum praediceret aduentum Filij sui in carne futurum in humilitate, ad saluandum nos morte. & passione sua, ne homines eum non agnoscerent, & in ea ignorantia, & infidelitate periret, per suos Prophetas multa documenta, & signa dedisse, & praenuntiasse, quibus eum agnoscerent, nam & huius humilitatis eos praemonuit, locum etiam, patriam, tribum, tempus, miracula, & multas alias circumstantias praesignauit, in iungens illis, ut attentis, & vigilantes essent, ne incuria, & inconsideratione in infidelitatem laberentur. sic enim dictum est Prouerb. 8. Beatus uir, qui obseruat ad postes ostij mei, & uigilat ad fores meas quo-

tidie, qui inuenerit me, inueniet uirum. Christus etiam ipse adueniens ad hanc considerationem inducebat eos dicens Ioan. 5. Scrutamini Scripturas, illae enim sunt, quae testimonium perhibent de me. Haec obseruantia, & attentio ad quandam prudentiam pertinebat. prudentiae enim spiritualis erat, prouide, & caute agere semper in ijs inspiciendis, quibus agnitio Christi uenientis habenda erat. Non solum Dominus Iudaeos de ijs omnibus praemonuit, sed eorum imprudentiam, & inconsiderationem, unde orta est infidelitas, per eisdem Prophetas praenuntiat, & inculcat obiciens eis animalium irrationalium prudentiam naturalem Hierem. 8. Miluus, inquit, in caelo cognouit tempus suum; turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Isa. 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepem Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Qui igitur prudentes erant, & obseruarunt tempus cum omni fide, deuotione, & diligentia, agnouerunt Christum, & hi iusti dicuntur, ad quorum prudentiam Ioannes praecursor reducere incredulos uehementer conatus est.

Tria Ioannis munera, ob que tribus nominibus a Christo fuit insignitus.

Qui increduli, & qui prudentes dicuntur.

Parare Domino plebem perfectam.

COMMENTARIA.

Scopus Ioannis in his duobus praedictis erat parare Domino, & Christo uenienti populum bene dispositum, & instructum ad suscipiendam Christi doctrinam & praedicationem. Ioannes quidem non perficiebat populum, quia baptismus eius, gratiam non conferebat, nec ipse auctor erat salutis, & iustitiae, eum tamen ornabat & praeparabat, ut per Christum aduenientem perficeretur. instructus enim populus scripturarum notitia, & bonis moribus dispositus, facilius poterat Christum agnoscere, & doctrinam eius amplecti. Haec sunt, quae Angelus Zachariae de promisso filio praenuntiat.

ANNOTATIO XXVIII.

Illud (parare) graecismus est, latine autem, parare Domino. Illud autem (Domino) Christum significat, de quo paulo ante dixerat, multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsum. Illud (perfectam) graece ἡ τελειωμένη, quod quidam uertunt, instructam, quidam ornatam, aut paratam, & reuera utrunque complectitur, nam Ioannes instruxit doctrina, & ornauit, seu parauit populum po-

nitentia, & mandatorum obseruantia, ad quam ipse inducebat, & exhortabatur; quod quidem ad quandam populi perfectionem pertinebat, non quod perficeret gratia, & iustitia, qua Christus sua praedicatione, & uirtute effecit, sed quod ad ea disposuerit dispositione perfecta, nam quod recte dispositum est, dicitur etiam perfectum in ratione dispositionis.

Et dixit Zacharias ad Angelum; Unde hoc sciam?

COMMENTARIA.

Intellexit Zacharias Angeli uerba, tamen ad eis fidem praestandam signum, & argumentum petit. Unde, inquit, sciam hoc? id est quod mihi signum, & argumentum erit, ut hoc credam, & dictis tuis assentiar. Culpabilis est haec incredulitas, cum Angelum Dei esse nouerit, eius promissioni fidem non adhibere, sed argumentum, & signum ad credendum petere.

ANNOTATIO. XXIX.

Græce habetur, per quid, seu secundum quid sciam? Sensus idem est. Chrysostomus hom. 2. de inco- prehensibili natura Dei, interpretatur sic, ut modum scire petierit, quo haec futura erant, ex haesitatione, tamen, & incredulitate. accommodatior autem sensus est, ut intelligamus de signo, & argumento, hoc enim significat illud (per quid) praeterea etiam, quia de re ipsa haesitabat, ideo argumentum, credendi petijt, similibus fere uerbis uisus est Abraham erga Deum promittentem terram illius hereditatem. Genes. 15. Quomodo, inquit, sciam, quod possessurus sim eam?

at non fuit similis sensus. uerbum enim Abraham non ex infidelitate processit, de quo dictum est, credit Abraham Deo, & reputatum est ei in iustitiam. neque signum, aut argumentum petijt, ut crederet, sed modum, quo illam terram esset possessurus, scire, & intelligere postulauit, ut dicit Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 8. quem modum statim Deus illi reuelauit, at Zacharias non modum scire quaerit, sed argumentum, & signum credendi postulat, idcirco infidelitatis crimen incurrit.

Ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.

COMMENTARIA.

Causam suae incredulitatis, & cur signum petat, affert Zacharias. nam ego, inquit, sum senex, qui generare non possum, uxor etiam mea est aetatis prouectae, quae concipere non ualet, cum igitur utriusque aetas uerbis tuis contradicat, resque, quam annuntias, sit supra naturae ordinem, argumentum, & signum, ut tibi credam me petere non mireris. Incredulitas Zachariae, in eo fuit, quod non credit Angeli uerba uera esse, huius tamen sententiae in sequenti annotatione perfectiorem explicationem inuenies.

ANNOTATIO. XXX.

Similia fere uerba dixit Abraham Deo promittenti filium Gen. 17. Putasne, inquit, centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria parietur haec non dubitantis fuerunt, sed praemiraculi, & fidei magni-

tudine admirantis, ut docet Augustin. lib. 16. de ciu. cap. 26. Uerba autem Zachariae dubitantis, & non credentis fuere, ut ex Angeli reprehensione deducitur. eam enim incredulitatem exprobrauit, & propter eam poenam

30

In sacrosanctum Luca Evangelium

poenam taciturnitatis infligit. Quæ autem fuerit ista incredulitas, explicatione indiget. Attende igitur Zachariam credidisse quidem Deum posse facere, ut quamvis senex esset, filium ex vxore ætate prouenturam generaret, nec in hoc incredulus fuit, quamvis Chrysostomus, ut mihi quidem videtur minus probabiliter hominem, de incomprehensibili Dei natura, id affirmaverit sciebat enim Zacharias sacerdos ex Scriptura Abraham senem ex Sara, cui per senectutem muliebria defecerant, Dei virtute filium genuisse, noverat etiam Rachel, & Annam, quæ steriles erant, coepisse, Deum etiam omnia verbo ex nihilo creasse, & nihil illi impossibile esse dicerat, non igitur de virtute Dei dubitavit. si enim Zacharias non cre-

didisset Deum posse id facere, non petisset signum, sed absolute respondisset nulla ratione id fieri posse. Incredulitas ergo Zachariæ ea fuit, quia non credit Angelum vera narrare, nec eius dictis fidem habuit, sicut inter nos accidit, qui sæpe difficilia narantibus non credimus. sic Zacharias, quamvis non dubitaret posse Deum facere, quæ promittebantur, de Angeli tamen dictorum veritate dubitavit, an vera præiuraret. magnitudo enim promissionis excedentis ordinem, & potestatem naturæ cum in hanc dubitationem, & incredulitatem impulit. Huic explicationi verba Angeli valde accommodantur, uti in eorum expositione, liquidum erit.

Et respondens Angelus dixit ei, ego sum Gabriel, qui sto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.

COMMENTARIA.

Quia Zachariæ incredulitas in eo posita erat, quod de veracitate personæ annuntiantis dubitavit, Angelus personæ suæ excellentiam, & cuius nomine loquatur aperte denuntiat, ut se omni exceptione superiorem, & omni dignum fide declaret. Ego, inquit, sum Gabriel, qui non sum de Angelorum qualiumcunq. numero, sed sto ante Deum, id est de primis, qui astant ante Deum, iussa eius executuri. Alludit ad illud Tob. 12. Ego sum Raphael, vnus ex septem, qui astant ante Deum. Præterea non mea auctoritate tunc locutus sum, sed missus à Deo, verba ergo Dei sunt; quæ dixi tibi. Præterea non infausta tibi præiuravi, ut timore futuri mali, occasionem aliquam non credendi arripere, sed euangelizavi, & bona annuntiaui; igitur nulla ratio compulit, ut de meis dictis dubitares, quamvis magna, & supra naturam annuntiauerim. Nouerat Zacharias Gabrielem ex Scriptura Dan. 8. & 9. vbi eius facta est mentio. Sciebat etiam a principio Zacharias bonum Angelum Dei illum esse, Gabrielem tamen eum esse ignorabat, donec Angelus id ei manifestavit. Attende non fuisse hæc verba nuda, nam nec eis fidem Zacharias dedisset, sed coniuncta diuinæ virtuti, quæ intellectum Zachariæ illustravit, ut agnosceret vera esse, quæ nunc proferebantur, quod quidem paulo post magis explicabitur.

ANNOTATIO. XXXI.

Quid sit coram Domino astare. Graece illud (asto) habetur in præterito παρῆσθαι, quod significat se tunc primum de celo descendisse, ut prædicta nuntiaret, est autem natura angelica circumscripta, ut cum vno est in loco, non sit in alio, & cum est in terra, non sit simul in celo, ut recte dicit Damascenus lib. 2. de fide cap. 3. quamvis enim vbiunque sint Angeli boni, beati sint, & Deum videant, tamen non sunt vbi cumq. simul. Quidam recentiores Hebraismum existimant, præteritum enim pro præteriti positum est, quod etiam si verum sit in multis alijs locis, tamen in hoc peculiarem habet rationem, cur in præterito dictum sit, ut explicui. Ad stare autem ante Deum, non tantum significat esse in caelis, quod est commune omnibus Angelis bonis, sed indicat in ministerio quâ principalitatem, ut diximus in commentario iuxta

illud Tob. 12. Ego sum vnus de septem spiritibus, qui astant ante Deum. Habet autem quandam emphasim, & argumentum simul illud nomen Gabriel. idem enim significat, quod latine fortitudo Dei, ut vel ipso suo nomine respondeat Angelus rationi, quam attulerat Zacharias iuxta dubitationis, nimirum quia senex erat, & eius vxor processerat in diebus suis. Ego, inquit, sum Gabriel, id est Dei fortitudo, quia per me magna, & ardua, & quæ naturæ virtutem superant, solet operari, nihil ergo meo nomini contrarium annuntio. Cuius autem ordinis fuerit inter angelicos spiritus, & ad quam Hierarchiam pertineat Gabriel, & de nomine ipso Angeli, dicemus paulo inferius, cum de eo iterum loquemur, hic enim missus est ad Beatissimam Virginem.

COMMENTARIA.

Postquæ Angelus veritatem suorum dictorum confirmavit, Zachariæ poena eius incredulitati cõuenienti corripit, ecce inquit, quia meis verbis fidem nõ habuisti loquendi facultate priuaberis, & eris mutus, nec verbũ facere poteris vsq. ad illud tempus

tempus, quando fient, quæ tibi nuntiaui, & quæ tu non credidisti. tu enim non credidisti Elisabeth parituram tibi filium, eris ergo tacens vsque ad illud tempus, meaque verba implebuntur tempore suo destinato, & decreto à Deo, quasi diceret, tu quidem poena afficeris, tamen incredulitas tua veritatem verborum Dei non euacuabit, nec protrahet, sed suo statuto tempore implebuntur, quo erant implenda, etiam si tu credidisses. Ordo accommodatus est correctionis, ut prius conuincatur errati sui, qui deliquit, postea corripietur, sic enim prodest correctio. illud (ecce) admonentis est, ut ex inflicta poena, delictum agnoscat, & illius poeniteat.

ANNOTATIO. XXXII.

Probabile est, quod Zacharias nõ solum mutus, sed etiam surdus manserit.

Aduertendum est illud (tacens) græce σιωπῶν, Theophylactum interpretari, eris surdus, quasi poena Zachariæ fuerit, ut simul & mutus, & surdus esset. fuitque accommodata poena delicto, quia enim audiens verba Angeli non credidit, priuatur auditu, & quia verba protulit incredulitatis, priuatur loquela, pro qua interpretatione multa faciunt. Primo quidem nomen ipsum, nam σιωπῆ, silentium significat, & σιωπῶν, sileo, quasi silentium patiens, quia omnia illi silent, quod surdis maxime conuenit. Secundo quia superfluum videtur, eris tacens, & non poteris loqui, nisi illud ad auditum, hoc ad loquelam referatur. Tertio, quia Zachariæ vtramque passus videtur poenam ex ijs quæ dicuntur inferius. Innuebant, inquit, patri eius. Nam si audiret, vti que non erat opus nutibus, sed sermone. Et ibi Ambr. adnotat eum, & mutũ fuisse simul, & surdum, quod etiam censet Euthym. in illo verbo (& permansit mutus) vnde non est improbabilis interpretatio Theophylacti, maxime quia muti omnes naturaliter surdi sunt.

Non in signũ sed in poenam mutus permanet.

Et secundo aduertendum nonnullos recentiores existimare poenam hanc inflictam esse Zachariæ in signum, ut crederet, quasi dictum esset, tu petijisti signũ ut scires, & crederes verbis meis. Ecce signum, eris mutus, vsque ad tempus; quando hæc fiant, ut experientia agnoscas potentiam Dei ea facientis. Hanc tamen sententiam non probo, quando enim poena hæc infligebatur, iam Zacharias fidem adhibuerat, audiens enim, ego sum Gabriel &c. credidit. punitus autem

est propter præcedentem incredulitatem, quod verba Angeli confirmant. non enim dictum est, eris tacens, quia non credis, sed quia non credidisti; quasi iam crederet, & propter præcedentem incredulitatem corripere. nec est verisimile Zachariam audientem verba mirifica Angeli dicentis se esse Gabrielem, & à Deo missum, adhuc perseuerasse in sua incredulitate.

Est tertio aduertendum illud, vsque in diem quando hæc fiant non referri ad omnia per Angelum prænunciata, quæque impleta sunt, cum Ioannes peregit officium suum, sed ad ea quæ præcipue à Zachariæ nõ fuerunt credita, nempe quod ex Elisabeth habiturus esset filium, hoc enim est, quod animum Zachariæ à credendo auertit, quo impleto perfecte, quia non est locutus vsque ad octauum diem, quando Ioanni adhibita est circumcisio, & nomen impositum, nam eo tempore iam partus confirmatus est, & spes vitæ eius cocepta, idcirco ante octauum diem non circumcidetur, quamuis etiam hoc factum sit propter significationem mysterij.

Est quarto aduertendum illud verbum (non credidisti verbis meis) indicare Zachariæ incredulitatem non eam fuisse, ut negaret Deum posse facere, ut ex Elisabeth filium gigneret, quia vnus senex, sic enim dictum esset, quia non credidisti Deo, sed dictis Angeli non credidit, putans non sibi narrari vera, nec futura, quæ dicebantur, est enim à fide difficultate de territus, uti diximus paulo superius.

ANNOTATIO. XXXIII.

Contra dicentes Zachariæ ex admiratione mutũ euasisse.

De hac Zachariæ taciturnitate adnotandum est Isidorum Pelusiotam lib. 1. epist. 131. referre quendam nomine Timotheum existimasse eam ex stupore ab Angeli visione concepto prouenisse, quam sententiam merito ipse rejicit, argumento tamen, nõ admodum firmo. ait enim Zachariam diuinos prospectus, atque angelicas visiones habuisse familiares, quasi dicere vellet, non obstupuisse angelica illa apparitione. Hoc tamen textui non est consentaneum, siue enim assuetus fuerit Angelorum visionibus; siue non, certum est isto Angelo vehementer esse conturbatum, & timorem irruisse super eum, quod dictum non esset, nisi magno quodam horrore esset correptus. Efficacius illa sententia refutatur duobus alijs argumentis. Vnum est, quod post illum timorem, & stuporem locutus est, & dixit, vnde sciam hoc, &c. non igitur stupor vocem abstulit. Alterum est, quod Angelus adiunxit, quia non credidisti verbis meis, non poteris loqui, ex quo apparet taciturnitatem, fuisse incredulitatis poenam, non autem stuporis effectum, si enim credidisset, non fuisset profecto tanto supplicio affectus. Nec etiam est simpliciter probanda ratio, quam ipse Pelusiotas affert, illud silentium typum fuisse silentij legis, quæ cessatura erat id, quod repetit eodem libro Epist. 257. nam si in-

telligatur, quasi ea sit integra causa silentij, non est recipienda, cum silentium non typus tantum, sed poena fuit incredulitatis, quod si velit dicere eam, poenam fuisse typum legis silentij, non est rejicienda eius sententia, cum sit valde probabilis. Nam Ambrosius, & Euthymius sequuntur. hoc tamen difficultatis in hac sententia inest, quod similitudo claudicare videtur, nam Zacharias mutus postea locutus est, lex autem ablata, non restituerat amplius, nisi quod dicere possumus non esse in omnibus similitudinem querendam. Hæc igitur sunt ex lectione euangelica certa, Zachariam peccasse, & eius peccatum incredulitatis fuisse, & propter id ad tempus esse multatum, quæ Doctores etiam Catholici affirmauerunt, ex quibus aliquot testimonia proferam. Irenæus libro tertio cap. 11. Zacharias, inquit, desinens mutus esse, quod propter infidelitatem passus fuerat nouello spiritu adimpletus noue benedicebat Deum Gregorius Nazianzenus oratione prima de pace sic habet. Vincit Zachariæ linguam Ioannes in lucem editus soluit, neque enim vocis parentem prodeunte voce silere conueniebat, sed quem admodum illa non credita linguam constrinxerat, ita etiam æquum erat, ut in lucem prodians patrem, cui fauste prænunciata fuerat, in libertatem assereret. Hæc

Gregorius. Accedat Ambrosius, Zacharias, inquit, qui non credit, & statim silentio condemnatur. Augustinus homil. 44. quia, inquit, non credit, accit. Sunt etiam alij multi in eadem sententia.

Zachariae incredulitas quae peccatum fuerit.

Quod si quis interroget, quale, & quantum peccatum hoc fuerit? Respondeo me relinquere iudicium hoc Deo, qui nouit omnia corda. & optime scit opera metiri. Valde probabiliter mihi videtur dicendum non fuisse mortale peccatum, neque enim Deus iustum hominem, qui in omnibus man-

datis, & iustificationibus sine querela usque ad illam horam inceserat, cuiusque orationem exaudierat, & cui tantam promissionem praenuntiari fecerat, permitteret in tale peccatum ruere, ut gratiam, & iustitiam amitteret, crederem ergo fuisse veniale, licet graue, quamuis enim nesciret tunc fuisse Gabrielem, nouerat tamen Angelum esse Domini bonum, poena autem inflata est propter peccatum, ut natiuitas Ioannis clarior, atque illustrior redderetur.

Et erat plebs expectans Zachariam; & mirabatur, quod tardaret ipse in templo

COMMENTARIA.

Plus temporis insumptum est in ijs, quae gesta sunt, quam tolerent Sacerdotes in adolendo incenso impendere, ideo plebs, quae in oratione foris stabat, longiori expectatione, quasi lassata, mirabatur, quod in templo tam diu moraretur. Templum appellatur ea pars templi, in qua erat altare thymiamatis prope velum, ut supra diximus.

Egressus autem non poterat loqui ad illos; & cognouerunt quod visionem vidisset in templo.

COMMENTARIA.

EX mora, & carentia vocis collegerant ij, qui foris stabant, cum in templo visionem vidisset, tribueruntque silentium illud stupori, quem ex visione conceperat. solet enim stupor, & vehemens pavor vocis prolationem impedire, neque enim cognoscere potuerunt Zachariae incredulitatem hac iusta poena diuinitus fuisse multatam. Visionem appellat externam Angelorum apparitionem.

Et ipse erat innuens illis.

COMMENTARIA.

CVm Zacharias illis tunc diebus in templo ministraret, & cum populo loqui multa oporteret, voce deficiente nutibus, & signis utebatur. Illud (erat) quandam continuationem temporis significat, quasi diceret illis diebus, quibus cum populo agebat, utebatur signis loco vocum.

ANNOTATIO. XXXIII.

Quidam recentiores illud (&) causaliter interpretantur quasi loco (nam) positum sit iuxta quam interpretationem, haec sententia connecti deberet praecedenti in hunc modum, cognouerunt quod visionem vidisset, quia innuebat eis, id est ex hoc nouerunt eum loqui non posse, quia nutibus, & signis utebatur loco vocum; non enim statim, ac egressus est, & loqui non potuit, nonerunt eum priuatum voce, nisi postquam viderunt illum uti nutibus. Haec tamen expositio non videtur accommodata; nam populus ex solo silentio, quando egressus est, maxime aliqua mora intercedente, nouit eum loqui non posse, indeque eum visionem vidisset deduxit. Quid si

autem innueret, explicat Titus Bostrenus hunc in modum, nimirum populum causam silentij interrogasse, illam vero nutibus indicasse, idque probabile est, non quod de filij promissione, neque de sua incredulitate aliquid reuelarit, sed quod significauerit se visionem vidisset, quam populus ex eius taciturnitate, & silentio agnouerat: mihi tamen probabilius est, Euangelistam non hoc narrare voluisse, sed ab eo die, quo Angelum vidit in posterum apud populum nutibus usum esse Zachariam loco vocum; nam permansit in ministerio templi aliquot diebus ut suum ministerium expleret.

Quid innuebat Zacharias egressus de templo.

Et per-

Et permansit mutus.

COMMENTARIA.

Causa est precedentis sententiae, quia permansit mutus, etiam post illud tempus, quando egressus est, idcirco innuebat, seu signis utebatur apud populum. Permansit autem mutus iuxta verbum Angeli usque ad tempus ab eo praescriptum. Hoc populum confirmauit in ea opinione, quod visionem vidisset, immo credibile est, omnes aliquod magnum concepisse mysterium, cum facile intelligerent stuporem solum non efficere potuisse tam longum silentium, nisi mysterium aliquod esset, praecipue vero quia illis iam temporibus visiones Angelorum rarissimae essent, sicut & Prophetiae.

ANNOTATIO. XXXV.

Græce illud (mutus) habetur κωφός, quod verbum Euthymius significare affirmat, & mutum, & surdum, ex eoque deducit Zachariam, utramque poenam sustinuisse, quod etiam supra diximus ex Ambrosio, & Theophylacto, idque est pro-

babilissimum. Illud autem, Et, causaliter positum est, iuxta frequentissimum Hebraismum in scriptura, eaq. mihi accommodatissima expositio visa est, quam in commentario posui.

Et factum est, ut impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam.

COMMENTARIA.

Silentium non impediuit Zachariam a ministerio templi, sed in eo peragendo mansit usque ad praefinitos dies, quibus secundum vicem suam ministrabat, propterea dictum est supra, quod erat innuens illis, nempe populo loquebatur toto illo tempore, non vocibus, sed signis, & nutibus, quibus muti uti solent, ut mentis suae sensa explicent. Completis autem diebus ministerij, & functionis suae in domum suam abiit, non enim habitabat in Hierusalem, sed in montanis Iudaeae, venerat autem in Hierusalem gratia ministrandi in templo. Commendanda est Zachariae religio, tanto enim promisso accepto non prius profectus est in domum suam, vbi erat Elisabeth, ex qua filium erat suscepturus, quam diuinum ministerium impleret.

Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor eius, & occultabat se mensibus quinque.

COMMENTARIA.

Multa praetermittit Euangelista, quae postquam domum redijt Zacharias, gesta sunt, nam & Elisabeth admiratam fuisse silentium viri, & Zachariam nutibus indicasse omnia probabilissimum est, copulae etiam maritali operam dedisse certum est, at Euangelista ea omnia insinuans, ad narranda, quae Angelus praenuntiavit, praeparat, post hos igitur dies ministerij, Elisabeth ex Zacharia concepit. Insinuat Euangelista dicens, (post hos dies) parum intercessisse temporis. Haec autem agnoscens se concepisse, ut solent feminae signis proprijs comprehendere, occultauit conceptionis miraculum spatio mensium quinque ob causam, quam Euangelista ex verbis ipsius Elisabeth in sententia sequenti refert.

ANNOTATIO. XXXVI.

Menses hi quinque, a quo tempore computandi.

Hi quinque menses computantur a die conceptionis Ioannis Baptistae, quando animatus est fetus, & menstruus sanguis conuerti incipit in alimentum conceptae prolis, sic efficitur, ut Ioannis conceptio praecesserit Christi secundum carnem conceptionem sex mensibus. nam ut statim dicitur sexto mense missus est Angelus ad Beatam Virginem. Cum igitur Christus conceptus sit in aequinoctio verno, quod tunc erat vigesima quinta die mensis

Martij, ut asserit Augustinus libro quarto de Trinitate capit. 5. dicens Ecclesiam tenere Christum conceptum octauo Kalendas Aprilis, consequitur Ioannis conceptionem fuisse in aequinoctio hiemali mense Septembri, ut testatur Chryllostomus sermone de natiuitate Ioannis Baptistae tom. 2. Sic enim poterunt computari hi quinque menses, quibus se Elisabeth occultauit ante mensem sextum, quando Saluatoris annunciatio facta est, & eius conceptio peracta.

Sententia Bernardi exponitur.

Quod quidem cum verum sit, sequitur vix posse sustineri sententiam Bernardi in sermone de Natiuitate Ioan. Baptistae affirmantis promissionem Angeli ad Zachariam factam fuisse in festo expiationis, quando summus Sacerdos ingreditur in Sancta Sanctorum, existimat etiam Zachariam fuisse summum Sacerdotem, & dum ingrederetur in Sancta ad adolendum in censum, qui ingressus illo solo die licebat, ut habetur Leuit. 16. & ad Hebr. 9. tunc Angelum ei apparuisse, & praeunntiasse, quae dicta prius sunt. Hae autem consiliter non possunt, nam si Ioannis conceptio facta est in aequinoctio hiemali, ut probatum est, necesse fuit praecessisse dies quadraginta formationis foetus, naturalis enim via conceptionis, secundum omnes Philosophos est, ut in maribus quadraginta dierum spatio formetur foetus, priusquam animam recipiat, & dicatur conceptus. non ergo in festo expiationis facta est annuntiatio, nam hoc festum agebatur die decima Septembris, ut constat Leuitic. 16. quando Zacharias erat in Hierusalem, immo aliquot diebus ibi Zacharias permansit, antequam rediret in domum, si igitur post reditum numeremus quadra-

ginta dies, fiet ut ab ultimo, quando est conceptus animatus, & conceptio dicitur facta, non possint numerari quinque menses ante mensem Martij, qui fuit sextus, quando conceptus est Saluator, & hoc probat etiam Zachariam non fuisse summum sacerdotem.

Adde cum dictum sit superius impletos esse dies functionis, & officij eius, non posse nos de festo expiationis id intelligere, quod vno solo die peragebatur. Facta est ergo Angeli apparitio, & praenuntiatio mense Augusti, sic conceptio perfecta est mense Septembri, & Elisabeth potuit se quinque mensibus integris occultare, vsque ad sextum, quando missus est Angelus ad Beatam Virginem, & vnico instanti, ut dicemus, formatio, & conceptio Saluatoris effecta. Ex hoc sumitur argumentum efficacissimum, altare thymiamatis non fuisse collocatum intra Sancta, quod semel in anno licebat ingredi, idque soli summo sacerdoti, & in expiationis festo, si igitur Zacharias in eo adoleret incensum extra diem expiationis, quando Angelus apparuit, non erat profecto, intra Sancta, nec ipse erat summus sacerdos, uti superius diximus.

Dicens, quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

COMMENTARIA.

Causam, cur se occultaret, Elisabeth ipsa exponit, quia, inquit, quando placuit Domino auferre opprobrium meum inter homines, id est sterilitatis infamia a me tollere, id non effecit, cum eram iuuenis, facileque mihi narranti concepisse me vel primo mense crederetur, at nunc cum sim aetatis nimis prouecta, nemo afferenti fidem habebit, quousque vterus ita intumescat, ut si non verbis, saltem factis credatur. Sterilitatem appellat opprobrium, & infamiae notam apud homines, non autem apud Deum, nam populus sterilitatem adscribebat peccato, & vitio, at Deus etiam iustissimos fecit esse multo tempore steriles, idque magno mysterio, & beneficio. Attende Elisabeth grati animi significationem, fidem, & prudentiam, gratam quidem voluntatem, quia opus hoc Deo auctori tribuit, inquit enim respexit Dominus, & mecum benigne egit. fidem autem, quia natiuitatem, & felicem partum credebatur, & expectabat. sic enim opprobrium inter homines erat auferendum; prudentiam vero, quia conceptum non euulgauit, quandiu apud auditores fidem se non inuenturam existimauit.

ANNOTATIO. XXXVII.

Quare Elisabeth per tot menses se occultarit.

Obscura est superior sententia, quam primo loco nonnulli antiqui Doctores interpretantur. Elisabeth erubescens quaedam, & pudore se occultasse, pudebat enim eam apud homines significare se liberis in aetate nimium prouecta operam dedisse, ita dicunt Ambrosius, Euthymius, & Titus Bostrenus. Elisabeth, inquit, mulier erat grauis, & pudica, ea propter rubore quodammodo suffundebatur, quod in senectute concepisset. Hae expositio mihi difficilis visa est, cum enim fidelis, & iusta Elisabeth, in hoc diuinam virtutem agnosceret, verisimile non est rubore, & verecundia quadam humana tantum Dei opus occultare tanto tempore voluisse. is profecto rubor non videretur laudi, sed vitio potius tribuendus. crediderim magis occultasse se toto hoc tempore, ut virtus diuina cognosceretur, & commendaretur, si enim a principio, quando ipsa primum nouit, tunc id manifestasset, Dei opus hominum ludibrio exponeret, nemo enim credidisset; quin po-

tius ei omnes illulissent. Quocirca eo potius tempore aperiendum, & declarandum censuit, cum iam negari non posset, quod prudentiae, & religionis erga Deum, non autem verecundiae humanae fuit, quae suae potius famae, quam diuinae gloriae rationem habuisset. Prudenter autem non vsque ad ipsum partum occultauit, ne si inexpectatus, & praeter omnium opinionem, partus adueniret, suppositus non autem proprius eius filius ab omnibus crederetur eius sane calumniae semina vel hac maxime ratione extincta sunt, cum ante nonnullos menses multis praegnans palam visa est. Tunc enim euulgari coepit, ut dicit Ambrosius, quando in sexto mense a Virgine visitata est, & Ioannes in vtero eius exultauit. quod eo argumento probatur, quia Beata Virgo ex Angeli reuelatione Elisabeth grauidam esse primum nouit, quod si iam ante diuulgatum id esset, utique Beata Virgo sciisset. Praetermissa ergo sententia hae antiqua nonnullorum patrum, secundo loco Gregorius

gorius in librum. 1. Regum. lib. 4. cap. 4 spirituales hanc occultationem interpretatur. Occultabat se, inquit, mensibus quinque, qui enim spirituales, ac fortes esse nequeunt adhuc per quinarium numerum designantur, quae autem recens concipit, quinque mensibus celat: quia per sensus corporis bona agit, sed quia spiritualis, ac fortis in hoc bono opere nondum est, ea, quae agit, sapienter abscondit. Hae Greg. quae ad moralem potius, quam ad litteralem sensum spectant. Tertio loco recentiores quidam parum considerate sic interpretantur, causam occultationis

eam fuisse, ne argueretur ab alijs, si minus res ipsa euenisset, nam si ad maturitatem conceptus non peruenisset, vitio datum fuisset Elisabeth, quod se grauidam euulgasset. Hae autem expositio omnino est improbabilis, & reijcienda. praesupponit enim Elisabeth non credidisse perfecte diuinam praemissioni factae marito, cuius contrarium verba ipsius indicant. nam opprobrium eius ablatum esse a Deo confessum est credens, & certo sperans filium se parituram. Vera igitur causa, & legitima expositio ea est, quam diximus, & in commentario explanauimus. 24.

In mense autem sexto.

COMMENTARIA.

Interrupta Ioannis historia ordinem temporis prosequens, quae gesta ante natiuitatem illius sunt, Euangelista describit, intertexit autem narrationem annunciationis Beatissimae Virginis per Angelum factae, & Christi Saluatoris conceptionis, quam narrationem soli Lucae inter Euangelistas debemus, ut adnotat Irenaeus libro tertio, capite quarto. Historiam ergo secundum temporis ordinem continuans, tempus annunciationis tradit. In sexto, inquit, mense a conceptione Ioannis post quinque illos, quibus se Elisabeth occultabat, qui fuit mensis Martij, primus anni secundum Iudaeorum computationem. Nemo vitio dabit, si in historia tam admirabili, in qua nostri Redemptoris conceptio describitur, aliquanto diffusius eam per annotationes explicando immorabimur, sunt enim singula verba plena mysterijs.

ANNOTATIO. XXXVIII.

Mensis Martij cur a Domino electus ad conceptionem suam secundum carnem.

Nonnulla digna adnotatione hoc in loco se offerunt. Primum est, quare Dominus hunc mensem elegit conceptioni suae secundum carnem, si enim, ut inquit Gregorius libro secundo Moralium capit. 2. Quando in Scriptura notantur tempora, mysteria indicantur, multo magis in hoc summo mysterio id factum esse credendum est. Huius rei possumus tres causas adferre ex tribus mirandis operibus in hoc mense gestis.

Primo quidem in hoc mense mundus creatus est, ut enim affirmant Athanas. quae ad Antioch. 9. & quae ad 17. August. in quae. ex veter. testament. capit. 8 & quae. ex utroque mistis quae. 106. & Anselmus libro secundo de fide, capite septimo. Sol in signo Arietis creatus est, quod est aequinoctium vernum, & mensis Martij, quamuis quidam asserant mense Septembri in aequinoctio hiemali creatum esse, illud tamen longe probabilioribus rationibus nititur. Christus igitur Verbum Dei, quo omnia creata sunt, veniens secundum carnem, ut quae creauerat repararet conuenienter eo mense concipitur, quo illa creauerat, ut idem creator, & reparator significetur. Hac ratione vsus est Athanasius loco citato.

Alterum opus mirabile factum est in hoc mense, in eo enim aquae diluuij, quae totam terram inundauerunt, intra proprios, & antiquos ierminos conclusae sunt, sic enim habetur Gen. 8. Incipit enim inundatio mense Aprili, ut recte adnotat Ambros. lib. de Noe, & arca cap. 17. & per vndecim menses perdurauit, vsque ad Martium, qui erat primus, quando imminuta sunt. Conuenienter autem secundo mense diluuium accepit exordium, quia peccatum post creationem hominis fuit, creauit enim Deus hominem rectum, ipse postea peccatorem se constituit, reparandus tamen erat per eum, qui eum rectum a principio creauit, idcirco Filius Dei carnem induit, ut hominem repararet in eo mense, in quo homo creatus est rectus, & bonus, quia per Christum ad rectitudinem

& bonitatem restituendus erat.

Tertium insigne opus Dei in hoc mense gestum fuit liberatio populi iudaici a captiuitate illa Aegyptiaca, ut habetur Exo. 12. quae quidem liberatio figura fuit admirandae liberationis generis humani a captiuitate daemonis, & peccati, & mortis per Christum efficiendae, idcirco conuenienter carnem in qua, & per quam liberaturus erat mundum, sumit eodem mense, ut figurae adaptetur veritas, qua etiam de causa in eodem mense passus est, & redemptionem nostram perfecit.

His causis connectuntur, & aliae a significatione scripturae. Deus enim in nostra salute efficienda frequentissime rebus sensibilibus vsus est, & vitur, tum quia nobiscum agit, qui sensibus sumus praediti, tum etiam se auctorem & factorem etiam rerum sensibilibus ostendat, tum demum, ut per eas spiritualia, & intelligibilia mysteria significet. His de causis in lege veteri sacrificia sensibilibus creaturarum instituit, & in nouo sacramenta gratiae in sensibilibus collocavit. Eandem etiam rationem in tempore assumendae carnis tenere dignatus est, elegit enim hunc mensem, ut in eo multa significaret mysteria eius, qui carnem induebat, sunt autem praecipue quattuor significata.

Primo quidem in hoc mense Sol materialis ingreditur signum, quod appellatur Arietis, quo quidem significauit, quae in hoc mundo facere veniebat, ipse enim Sol est iustitiae, qui illuminet mundum luce fidei, & gratiae, ut postea illuminet lumine gloriae, coniungitur Sol, & accedit Arietis, quia se hostiam, & sacrificium facturus erat pro nobis. Arietis enim erat vnus ex sacrificijs, quod maxime offerebatur pro peccatis, vnde & ipse Agnus dicitur est. Io. 1. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, quia futurus erat hostia pro peccato, & ut adnotant Cyril. lib. 2. in Ioa. c. 2. & Orig. hom. 2. in Num. eadem de causa Gen. 22. significatus est illo ariete, quem Abraham inter vepres cornibus haerentem reperit & obtulit holocaustum Deo.

Sensibilibus, ad salutem nostram efficiendam cur Deus frequentissime vsus est.

Christus pastor noster.

Secundo, ut hoc ipso indicaret se futurum Pastorem nostrum, qui suo corpore, & sanguine, & donis spiritualibus nos erat pasturus, sicut pastor pascit arietes; implendumque fore illud, quod per Ezechielem cap. 34. dictum erat: Suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascat eas. & Ioan. 10. Ego sum Pastor bonus. Non quod Christus factus, aut stellarum necessitati subditus esset, ut impie, & falso asseruerunt Priscillianistae referentibus August. tract. 8. in Ioa. & Gregor. hom. 10. in Euang. sed quod sua spontanea voluntate, tamquam omnium Dominus elegerit conceptionis tempora apta ad significanda ea, quae facturus erat.

Christus iustus, & iustificans.

Tertio in hoc mense fit aequalitas quaedam dierum, ac noctium, quae de causa Ambrosius lib. de Noe cap. 17. affirmat hoc mense significari natalem hominis iusti, nam iustitia aequalitatis causa, & custos est, cum igitur Christus & iustus sit & iustificans, quia in se plenus iustitia fuit, & nobis est iustitiam impertitus.

ANNOTATIO. XXXIX.

Cur Evangelista non dixerit mense primo anni, sed sexto a conceptione Praecursoris.

Secundo adnotandum est, hunc mensem fuisse primum, & anni exordium, Iudaei enim ab hoc mense initium sui anni sumebant, praecipiente Domino Exo. 12. a principio etiam mundi ab eo numerus mensium anni computabatur, nam in Genesii historia, quando dicitur mensis decimus, aut undecimus, aut septimus, computatio fiebat a primo Martio. Cum igitur haec ita sunt, cur Evangelista non dixit, mense autem primo, maxime cum historiam Christi describere incipiebat, sed dictum est, mense sexto a praecedentis anno initio computationis accepto, nam quinque menses ad annum praecedentem spectabant? Nemo sibi persuadeat haec inconsiderate, aut leni de causa, humanitas facta esse; sunt enim ea omnino plena altissimis mysterijs, nec enim satis est, si quis dixerit, id esse sic dictum, ut mensis proximus quinque praecedentibus indicaretur, si enim diceret, primo mense, non significaret, an anni proximi, an sequentis. sed haec causa non euacuat difficultatem, nam potuisset dicere, primo mense proximo, maiora igitur & profundiora nobis significavit Spiritus sanctus per suam Evangelistam. Proponam quaedam, quae mihi videntur accommodatiora.

Vnus & idem Deus auctor veteris & noui testamenti, contra Marcionem.

Primum est, ut significetur idem Deus auctor veteris, & noui testamenti, qui veteribus noua contexuit, & quae imperfecta praecesserant, perfecit, nam cum dicitur sexto mense annus posterior cum priori coniungitur, quinque enim menses ad anteriorem, sextus ad praesentem spectant, sic vnus Deus indicatur, qui veterem instituit legem, & Euangelium condidit, idcirco Matth. 13. regnum caelorum simile perhibetur patrifamilias, qui de suo thesauro profert noua, & vetera. Quo quidem facto haeresis antiqua reprobat Marcionis, qui ut refert Tertull. in libris contra ipsum, & Epiph. har. 42. alium Deum dicebat, Creatorem caeli, & terrae, auctoremque veteris testamenti, alium autem auctorem Euangelij, & Patrem Saluatoris nostri Christi, cum sit vnus, & idem, qui prius creauit omnia, postea legem dedit, & per Prophetas futura nunciauit, & postremo Christum Filium suum misit in mundum, noua semper veteribus adiungens, quod & Aggeus Propheta cap. 2. vniuerso verbo significans dixit: Adhuc ego mouebo caelum, & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus. Illud [Adhuc] hanc vnitatem Dei opera operibus contextentis indicat, ut notat Chrysost. hom. 3. 2. in Epist. ad Hebraeos. Isaia etiam cap. 44. id ipsum alijs verbis indicans dicit: Ego primus, & ego novissimus. Conuenienti ergo ratione annus novus.

conuenienter hunc mensem elegit, in quo carnem indueret, ut eam iustitiam nobis indicaret, de qua dictum est Iere. 23. Suscitabo David germen iustum, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.

Quarto in hoc mense incipiunt augeri dies, & noctes decrescere, electus igitur hic mensis est, ut significaretur futurum esse per Christum, ut diminutis umbris legis, & tenebris gentium, lumen Euangelicum inciperet crescere in Christo, & per Apostolos eius mirum in modum augeri, & expandi in aetatis tempus, quando segetes metuntur, & congregantur. ea propter non in aequinoctio autumnali concipi voluit, quando dies decrescunt. Ob quam causam Ambros. lib. 4. Hexam. cap. 5. tempus legis diebus autumnum comparat, tempus vero Euangelij diebus aestiuis, quando lux, & calor multum vigent, quae fides auctiorem, & charitatem perfectiorem significat. His igitur septem de causis in mense hoc sexto concipi filius Dei decreuit.

Christus lumine Euangelij, umbras legis, & tenebras gentium expulit.

veteri coniungitur, dum dicitur, sexto mense.

Secundum est, ut significaretur idem Christus, qui venit, & qui per Prophetas praenuntiatus, & promissus fuit, quique in umbris, & figuris legis illius continebatur. quam ob causam a Paulo ad Hebraeos 13. dicitur, Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in saecula. qui enim prius promissus, & figuris significatus est, ipse postea venit, & Euangelium instituit, & venit postremo iudicare, & vitam aeternam corporibus resumptis dare, & Apocal. cap. 22. Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis. Hac igitur de causa praesens annus veteri connectitur sexto mense.

Christus Dominus qui venit, idem qui per Prophetas praedictus, & promissus.

Tertium est, ut hoc eodem significetur Christus Saluator omnium, non tantum eorum, qui post eum sed etiam eorum, qui ante eum secundum carnem fuerunt. quod Paulus Rom. 3. alijs verbis significat dicens, Quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine ipsius, &c. propter remissionem praecedentium delictorum. Ea propter paulo inferius Evangelista noster generationem secundum carnem Christi describens ad Adam usque perducit. Cuius etiam figura praecessit Num. 13. in palmite illo vuae, quem duo homines ligno pendente portabant, qui populo priorem, & posteriorem significabant, quos Christus suo sanguine redemit, ut interpretantur Ambrosius serm. 72. & August. serm. 100. de tempore. Hoc idem significatur nunc temporis computatione facta, ab anno superiori, & sequenti, cum dicitur, sexto mense.

Christus Saluator omnium.

Numer. 13.

Quartum est, quia Ioannes quodam modo ad Euangelium pertinebat, quia praecursor Christi fuit, eaque de causa dicitur plusquam Propheta, terminusque legis, & initium quoddam Euangelij, Luc. 16. Lex, & Propheta usque ad Ioannem, ex eo regnum Dei euangelizatur, & Matth. 11. A diebus Ioannis Baptistae regnum caelorum vim patitur. ipse enim incepit praedicare aduentum Christi praesentem, & demum, quia Ioannis conceptio facta est propter Christum ipsum, ideo recte tempus vtriusque coniungitur.

Ioannes Baptista cur plusquam Propheta dicitur.



ANNOTATIO. XL.

Quare Christus sexto mense a conceptione Praecursoris concipi voluit. Senarius primus numerus perfectus.

Tertio adnotandum est non septimo, aut octavo, aut quarto, alioque mense, sed sexto conceptionem Domini factam fuisse post Ioannis conceptionem. non est hoc silentio praetereundum, nam ut aduertit August. lib. quaest. in Genes. cap. 52. numeri in scriptura sunt sacratissimi, & magna indicant mysteria. Attende igitur senarium esse primum numerum perfectum, qui constat ex omnibus suis partibus, quas Arithmetici aliquotas appellant, quinarium autem proximus est perfectus, sed a perfectione recedit, nec eam attingit, capropter lex numero quinario exprimitur, ut asserit Augustinus tractat. 17. in Ioan. Lex enim illa proxima erat senario perfectus, quia paedagogus erat in Christo, ut dicitur Galat. 3. & ad fidem eius perducebat, tamen ipsa per se non iustificabat, quia ut habetur Hebr. 7. nihil ad perfectum adduxit. Christus verus, & perfectus senarius iustitiam effecit, & virtute sua per fidem nos iustificauit, & in illa etiam lege iustificabat per fidem eandem, non autem per legem. Abac. 2. Iustus meus ex fide viuunt. Hinc lex illa quinque libris conclusa erat, ut eius imperfectio quinario significaretur, erat igitur Ioannes legis figura, ut idem Augustinus dicit serm. 20. de sanctis, idcirco quinque mensibus praecedit eius conceptio, sexto autem concipitur Christus, qui Euangelium perfectionis instituit.

Adhuc tamen vnus desideratur, quod quarto loco adnotandum est, nimirum, cur hi sex menses non a natiuitate sumuntur, nempe ut sexto a natiuitate Ioannis mense Christus Dominus conceptus sit. nec enim hoc vacat mysterio, quod nonnullis de causis factum esse existimo. Primo quidem, ut verus & perfectus praecursor significaretur, scriptum namque erat de eo Malach. 4. Ecce ego mittam Angelum meum, qui praeparabit viam tuam ante te, debuit ergo conceptio conceptionem, & natiuitas natiuitatem praenunire. Secundo ut eius testimonium esset plenius, sic enim, & intra ventrem, & extra ventrem matris potuit testimonium perhibere de Christo. Tertio ut intelligeremus omnes indigere Christo in ventre, & extra ventrem. concepti enim sumus in peccato, in quo & nascimur, Ioannes ergo in ventre matris uisitatus a Christo purgatur a peccato, ut sanctus nascatur, nos vero in ventre non sanctificati nascimur in peccato, sed indigemus Christo non solum propter peccata, quae extra ventrem adulti commissimus, sed etiam propter peccatum, quod in ventre contraximus. His omnibus de causis constat, quanto cum mysterio dictum sit, in mense sexto.

Cur a sexto mense natiuitatis Ioannis Christus Dominus conceptus sit.

Missus est Angelus Gabriel a Deo.

COMMENTARIA.

Quod factum sit sexto mense narrare incipit, describit autem missionem quandam, personam missam, personam mittentem, personam, ad quam missio facta est, & demum quae per missionem effecta sunt. Verbis autem propositis, tria prima comprehensa sunt, missionem, verbum, missus, significat, missa persona Angelus Gabriel, mittens Deus ipse est.

ANNOTATIO. XLI.

Sex missionum genera a Deo facta referuntur in Scriptura.

Multa in proximis verbis notatu digna occurrunt, quorum primum est in illo verbo (missus est) sex enim missionum genera a Deo facta legitur in Scripturis sacris. Prima est, per quam Filius Dei missus est a Patre homo factus, de qua dicitur Galat. 4. Misit Deus Filium suum factum ex muliere. eius enim incarnatio missio dicta est. Altera est per quam Spiritus sanctus missus est sub visibili specie in discipulos post Christi in caelos ascensionem, de qua dicitur Ioan. 16. Si abiero, mittam eum ad vos. Veraeque existimo praenuntiationem a Dauid Ps. 42. illis verbis. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Veritas Filium, lux Spiritum Sanctum significat. Tertia est, per quam Spiritus Sanctus idem mittitur inuisibiliter per gratiam, & dona sua in corda hominum, ad eam sanctificanda, purificanda, & perficienda, de qua dicitur Rom. 8. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda uestra. Quarta est, per quam Deus mittit Angelos ad aliquod annuntiandum, vel ad aliquod opus in hoc mundo peragendum, de qua scriptum est Act. 1. Misit Deus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis. Quinta est, per quam mittit etiam Deus hominem ad aliquid etiam annuntiandum, aut faciendum, de qua dicitur Ioan. 1. Fuit homo missus a Deo. Sexta est per quam creaturas irrationales mittit Deus ad aliquod efficiendum, de qua scriptum est Ionae 1. Misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari. Et Psal. 77. Misit in eos coenomyam,

& comedit eos, ranam, & disperdidit eos. Sunt harum sex missionum plurima testimonia, a quibus breuitatis causa, & quia res notissima est, supersedeo. Si ordo temporis consideretur, vltima missio est Spiritus sancti in Apostolos & penultima Filij missio in carnem, non quod reliqua missionum genera non fiant post has duas, saepe enim sunt, & factae sunt, sed quod ante illas duas in veteri Scriptura legamus factas ceteras quattuor. nam Spiritus Sanctus inuisibiliter missus est in corda illorum iustorum, qui secundum carnem Christum praecesserunt, & in Prophetas, per quos locutus est. missi etiam sunt Angeli, & hic idem Gabriel prius ad Zachariam missus erat, missi sunt etiam homines, nam Deus misit Prophetas, missae sunt etiam creaturae irrationales, ut constat ex locis allegatis. si igitur tempus spectetur, antiquiora sunt quattuor missionum genera duobus primis. at si ordo causalitatis, & efficientiae spectetur, omnium prima est missio Filij, nam ceterarum causa est. missus enim est Spiritus sanctus visibiliter in homines, quia missus erat Filius. Ioan. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus. Quotquot autem ante Christum secundum carnem Spiritum sanctum acceperunt, propter Christum acceperunt, nisi enim venturus esset, & futurus homo, nemo vnquam iustificatus esset. Angeli, & Prophetae propter hoc idem missi sunt ad homines, & creaturae etiam irra-

irracionales magna ex parte missæ sunt ad corrigendum homines, ob hoc mysterium, quod futurum erat. omnis enim gratia, & beneficium spirituale Dei erga homines factum, originem, & causam habuit, quia Filius Dei carnem pro hominibus suscepturus erat. Si etiam ordo dignitatis consideretur, hæc missio est omnium prima, non solum earum, in quibus creaturæ mittuntur, sed etiam eius, quæ fuit Spiritus sancti, nam quamvis quantum ad personam missam sit eadē dignitas, quia æqualis, & consubstantialis est Filio Spiritus sanctus; tamen ex parte termini maior est, & dignior missio Filij, quia Spiritus sanctus non est vnitus, creaturis illis visibilibus, in quibus apparuit, nec est vnitus donis suis, at Dei filius vnitus est naturæ humanæ, & factus est homo, idcirco ex parte termini dignior est, & excellentior hæc missio, quam sit missio Spiritus sancti.

Consideranda etiam est inter has missiones differentia multiplex. Prima quidem est inter tres priores, & tres posteriores, istæ enim communes sunt toti Trinitati; nam Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnica, & indiuidua missione mittunt Angelos, homines, & creaturas irracionales, at tres illæ priores non sunt communes toti Trinitati, quantum ad principium ipsius missionis, nam solus Pater misit Filium, Pater, & Filius miserunt, & mittunt Spiritum sanctum, vt enim docet Augustinus lib. 4. de Trin. cap. 19. missio duo habet, vnum ex parte mittentis, & hoc est effectus ipse exterior, qui resultat ex missione, missio ergo Filij à Patre, est produci à Patre quantum ad primum, & carnem indui: quantum ad secundum missio Spiritus sancti est produci à Patre, & Filio, & per gratiam vniri mentibus, seu cordibus hominum, seu per formas visibiles apparere, & significari. quantum igitur ad principium solus Pater mittit. Filium, quia solus Pater producit eum, solus Pater, & Filius mittunt Spiritum sanctum, quia à solis eis duobus procedit, at vero quantum ad terminum missionis, tota Trinitas est causa, nam Pater, Filius, Spiritus sanctus produxerunt, & creauerunt illam humanitatem, quæ Christo est vnita, tres etiam eadem personæ producant gratiam, per quam Spiritus sanctus vnitur cordibus fidelium. in missionibus vero tribus posterioribus non sic est, sed totæ tres personæ etiam quantum ad principium missionis mittunt Angelos, homines, ceterasque creaturas. Hac de causa Ambrosius lib. 2. pe fid. cap. 4. & August. tract. 63. de verb. Dom. illud Galat. 4. Misit Deus Filium suum, de solo Patre mittente interpretati sunt.

Hinc sequitur secunda differentia, tres enim missiones priores non sunt ex imperio, & dominio, non

enim Pater misit Filium imperando ei, vt homo fieret, nec Pater & Filius mittunt Spiritum sanctum imperando, & præcipiendo, sed mittunt ex virtute productiua. quia enim Pater generat Filium, dicitur mittere Filium, quia Pater, & Filius producant Spiritum sanctum, dicitur mittere Spiritum sanctum, quamuis non ex hoc solo sit missio, nisi ex parte termini accedat effectus exterior, vt quod fiat homo, aut per gratiam vnatur homini, hi effectus fiunt à tota Trinitate ex imperio, & dominio, quo cuncta creant, ceteræ vero missiones ex solo imperio, potestate, & dominio fiunt, quo Deus Angelos, homines, & creaturas mittit tamquam earum Dominus, & potestatem in omnia habens.

Hinc est tertia differentia, solus Deus est, qui mittit Filium, & Spiritum sanctum, at reliquæ tres missiones à creaturis fiunt, nam & Angelus Angelum, & hominē mittit. de Angelo habetur Zach. 2. Ecce. inquit, Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & ecce Angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ei: Curre, & loquere ad puerum istum. vt enim dicit Greg. hom. 34. in Euang. Angelus superior mittit inferiorē. Quod Angelus mittat hominem habetur. 4. Reg. 1. dixit Angelus ad Eliam, Surge, & ascende in occursum nuntiorū Regis. Homo etiam hominem mittit, quod probatione non indiget, cum sit res mani festissima. etiam Angelus, ac homo mittunt creaturas diuina virtute, vt constat in multis miraculis. denique tres posteriores communes sunt Deo, & creaturis, quamuis non æqualiter, at tres priores soli Deo propriæ.

Postrema differentia est inter vltimam, & quintam ac quartam. nam quando homo, aut Angelus mittitur, cum sint creaturæ rationales agnoscunt imperium eius, à quo mittuntur; creatura vero irrationalis non sic mittitur, quasi agnoscat imperium, sed eā mitti nō aliud est, quam à Deo excitari, & per eas effectus illos efficere, quos intendit. Vnde Hieron. in illud Matth. 8. Imperauit ventis, & mari, inquit, imperauit, non errore illorum, qui putant omnia esse animata, sed maiestate conditoris. Hæc Hieronym. vti enim potestate erga creaturas, hoc est mittere, & imperare eis. Cum igitur tot sint missionum genera, in præsentī sermo est de ea, per quam Deus misit Angelum notificando ei, quod per eum fieri volebat, & iubendo, vt faceret & ad locum, in quo id facturus erat, destinando. Fuit ergo missio ex dominio, & imperio, quo Deus vtitur erga Angelos. Fuit etiam missio hæc à tota Trinitate, vt paulo post dicemus. Pater enim, Filius & Spiritus sanctus miserunt Angelum, vti dictum est, non sicut in missione Filij, aut Spiritus sancti.

ANNOTATIO XLII.

Secundo modo vsurpatur, vt est nomen officij, & naturæ, pro substantijs illis spiritualibus, & incorporis, quæ Dei voluntatem annuntiant, iuxta quæ significationem appellamus omnes illas substantias Angelos, vt enim, inquit, Dionysius libr. de cœlesti Hierarch. cap. 5. omnes illæ sunt nuntij voluntatis diuinæ. non quidem omnes respectu hominum, sed quædam nuntiant hominibus, quædam vero inuicem inter se superiores inferioribus, vt paulo inferius dicemus. Sic vsurpatur ad Hebr. 2. Nusquam Angelos apprehendit. Et ad Hebr. 1. Tanto Angelis melior effectus. Nec putes officium Angelorum solum esse nuntiare, nam per eos multa alia facit Deus, vt dicit Greg. hom. 34. in Euang. Castigat enim homines, & per eosdem beneficia confert. Hinc Basilus, & Theodoret. exponunt illud Psalm. 103. qui facit Angelos suos

suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, dicunt Angelos dici spiritus, quando beneficit Deus per eos, quando vero castigat, flammam ignis. Sunt etiam multi ex his hominum custodes, & magistri. Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris. Ab illa operatione, quæ notior, & communior est, sumptum est nomen.

Tertio vsurpatur, vt est nomen officij, naturæ, & ordinis, iuxta quam significationem, cum sint tres Hierarchiæ, & in singulis tres ordines, vltimum ordinem dicimus esse Angelorum. hi enim frequentius ad nos solent mitti, & sic distinguimus Angelos ab Archangelis, principibus, ceterisque ordinibus. in qua significatione accipitur ad Rom. 8. Neque Angeli, inquit, neque Principatus. Cum igitur in scriptura hoc nomen tripliciter vsurpetur, scito hoc in loco accipi secundo modo, nempe generaliter pro omni substantia illa spirituali, & incorporea cœlesti, nam Gabriel, non erat de ordine Angelorum, sed de superiori ordine, vt paulo inferius dicemus, dictus tamen est Angelus communi significatione, qua omnes ordines illi dicuntur Angeli, & sic etiam accipitur superius, quando dicitur, Angelus apparuisse Zachariæ, & ad ipsum loqui, nam idem est ille Angelus, qui nunc etiam missus est ad beatissimam Virginem.

Hinc deducimus mysterium incarnationis prius notum fuisse Angelis, quam hominibus, pro cuius rei intelligentia aduerte, mysterium incarnationis tribus modis potuisse manifestari. Vno modo quantum ad factum ipsum, nempe Deum carnem sumpturum esse, & sic ab exordio mundi, & Angelis & hominibus innotuit, & à Deo est eis reuelatum, sic tamen, vt Deus per Angelos hominibus indicauerit, ita docet August. lib. 7. de ciui. c. 32. ex quo fit prius Angelos nouisse, cum per eos homines nouerint. Altero modo, quantum ad temporis circumstantiam,

ANNOTATIO XLIII.

Tertio loco posset non immerito aliquis interrogare, cur Deus in hoc mysterio vti nuntio dignatus est, cum pouerit per se ipsum reuelare beatissimæ Virgini? fateor, si id Deo placuisset, fieri potuisse, & quidem conuenienter, tamen multo conuenientius, & congruentius fuit nuntio vti, cuius congruentiæ aliquot causas adferre non est inutile. Prima quidem est, quia hac via fides beatissimæ Virginis magis exercebatur, & perficiebatur, quo enim difficilius fuit tantum mysterium credere Angelo nuntianti, quam Deo ipsi per se reuelanti, tanto maior, & robustior fides credentis apparet, & efficitur. Huius fidei magnitudo commendatur postea a beata Elisabeth dicente, Beata, quæ credidisti; cum enim beatissima Virgo prius debuisset Filium suum mente, quam ventre concipere, congruentissime fidei eius exercendæ, & roborandæ per nuntium præberetur occasio. Hanc causam insinuat Tertul. in lib. de carne Christi, dicens: Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli, quod illa credendo deliquit, ista credendo deliquit.

Secunda causa eā est, in hoc enim mysterio celebranda erant tria sponsaliorum genera. Primum est inter Deum Patrem & beatissimam Virginem; desponsauit enim eam sibi, & qui Filium generauit ab æterno Deum; ex ea in tempore genuit hominem, dicitur namque paulo post, Virtus altissimi obumbrabit tibi. Vnde Augustinus ferm. 14. de natali Domini, beatam Virginem appellat sponsam Dei. Alterum inter Filium Dei & naturam humanam; vno enim verbi æterni cum humanitate sponsaliorum speciem quan-

dam refert, & vterus Virginis ea de causa thalamus dictus est. Psalm. 18. Ipse tamquam sponsus de thalamo suo. De his nuptijs scriptum est Cant. 3. Videte filia Sion regem Salomonem cum diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius. Tertium fuit inter Christum & Ecclesiam Euangelicam, quam sibi in fide, & charitate spondebat; beatissima ergo Virgo in his sponsalij consensum præbuit, nomine proprio, tanquam sponsa Patris, & nomine humanæ naturæ de sua carne assumendæ, nomine etiam Ecclesiæ, vt præcipuum, & primum membrum eius. Solet autem in nuptijs intercedere nuntius, & paronymus quidam, qui & consensum mittentis defert, & consensum eius, ad quam mittitur, recipit, debuit ergo interuenire nuntius hic in tot ac tantis sponsalitijs. Vnde August. ferm. 14. de natali, hunc nuntium paronymum appellat. Tertia causa congruentiæ traditur ab Augustino eodem sermone, nempe, vt eadem via restitueretur homo, qua perditus erat. Dæmon enim per serpentem aggressus est Euam, vt eam perderet, Deus igitur per Angelum beatissimæ Virgini loquitur, vt mundum in ea reuocet. Hanc causam adfert Bernard. ferm. 2. de Pentecoste dicens: Missus est coluber tortuosus a diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem; missus est interim Angelus a Deo, vt Verbum Patris per aurem Virginis intraret antidotum, qua venenum intrauerat. Hæc Bernardus.

Quædā est in
-miseri dicitur
-miseri dicitur
-miseri dicitur
-miseri dicitur
-miseri dicitur

Multiplex in
ter has missio-
nes differen-
tia.

Quid nomen
Angelus signi-
ficet, & qui-
bus modis in
Scriptura vsur-
petur.

A N N O T A T I O. XLIII.

Quare nō per
hominem, sed
per Angelum
facta fuerit
hæc annūtia-
tio.

Quarto loco inquirendum est, quandoquidem nuntio Deus vti voluit, cur Angelo non hominē vsus est, aut cur aliquem Prophetam ad id munus nō elegit? Multæ rationes huius rei esse possunt. quarum Prima est ex parte Dei mittentis, cum enim ipse Deus esset carnem sumpturus, conueniens fuit aliquem ex suis curialibus destinare nuntium, non ex ijs, qui in terra degunt, Angelus autem ex ijs erat, qui semper vident faciem Dei. Secunda causa est ex parte personæ, ad quam mittitur, erat enim Virgo purissima sine vlla labe peccati, debuit ergo mitti Angelus, qui nulla labe culpæ infectus fuit, hanc rationem adfert Chrysof. in orat. de annuntiatione. Tertia causa est ex parte personæ mittendæ, vt enim vnus ex Angelis fuit causa ruinæ hominum, nempe Angelus malus, ita congruum erat, vt vnus etiam ex Angelis in eorumdem reparatione operam poneret. Hanc causam adfert Iren. lib. 5. cap. 19. Quemadmodum, inquit, Eua per angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius: ita & hæc nempe beata Virgo per angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum obediens eius verbo. Quarta est ex parte eiusdem personæ mittendæ, cum enim Deus angelicam naturam nollet assumere, sed humanam, fuit congruum eos non

omnino excludere a participatione tanti mysterij, idcirco nuntios effecit, maxime cum & hoc mysterium etiam ad eos spectaret, nam illorum ruinæ implendæ erant. Quinta causa est ex parte mysterij, quod agebatur, erat enim Deus ex vna parte, ex altera homo, natura namque humana diuinæ erat copulanda, nuntius igitur medius eligitur inter vtrumque, cuius natura inferior est diuina, & superior humana. Sexta causa est ex parte ipsius Christi Dei, & hominis, cum enim ipse sit non tantum hominum, sed etiam Angelorum caput, rex, & Dominus, congruum erat vti Angelorum ministerio. Postrema est, ex parte dispositionum præcedentium aduentum Christi; à principio enim mundi vsus est Deus erga hominum salutem, Angelorum opera. per eos enim reuelauit multa hominibus, per eos dedit legem; per eos eduxit populum de Aegypto; per eos introduxit in terram promissionis; per eos victorias perfecit multas contra inimicos, multaq. mirabilia pertrauit, quæ omnia gratia huius aduentus facta sunt, congruebat igitur vti eis in hoc peragendo. His igitur de causis apparet, quàm rationabiliter Deus vti Angelo tamquam internuntio in tanti mysterij celebratione voluerit.

A N N O T A T I O. XLV.

Qualis Angelus sit Gabriel.

Quinto loco adnotandum est, qualis Angelus sit Gabriel. Aduerte sacros Doctores secutos Dionysium lib. de cœlesti Hierarchia, substantias spirituales in tres Hierarchias diuidere, supremam, mediam, & infimam, & singulas Hierarchias in tres ordines partiri, supremum, medium, & infimum. In prima quidem, & suprema sunt hi ordines, Seraphim, Cherubim, & Throni, eo ordine distributi, quo numerantur. In media sunt Dominationes, Virtutes, potestates. In vltima sunt Principatus, Archangeli, Angeli. Hic est ordo secundum Dionysium, quem Gregor. hom. 34. in Euang. aliqua ex parte narrando immutauit, tamen Dionysij potius amplectenda est doctrina, cui accessit Athanasius in hom. de Deipara. De vltima Hierarchia affirmat Dionysius esse omnes, quotquot in huius inferioris mundi operibus, & gubernatione Deo inferuiunt. Principatus quidem sunt, qui curam habent, & præfunt Regnis, & Prouincijs, & his subduntur in hoc ministerio ordines inferiores eiusdem Hierarchiæ, nempe Archangeli, & Angeli. De ijs Principatibus est illud Daniel. 10. Princeps Persarum restitit mihi viginti vno diebus, & ecce Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum. In hoc ordine constituunt Michaellem Dionys. cap. 9. & Athanasius hom. de Deipara. De eisdem Principibus est illud Deuter. 32. Constituit terminos populorum secundum numerum filiorum Israel. Septuaginta legunt.

secundum numerum Angelorum. & Basil. lib. 3. contra Eunomi. ita legit. Similiter Damasc. lib. 2. de fide. c. 3. vbi nomen Angelorum vsurpant, vt commune est toti Hierarchiæ vltimæ, sicut etiam Dionysius. Principatus enim sunt, qui prouincijs præfunt. De ordine vero Archangelorum sunt, vt dicit Greg. hom. 34. in Euang. qui magna & insignia nuntiant, ex Angelis vero, seu ex vltimo ordine, qui minora nuntiant, & qui sunt custodes singulorum hominum priuatorum. His suppositis dico secundum Doctorem communem opinionem Gabrielem esse de ordine Archangelorum, qui sunt supra Angelos, & sub Principatibus. Hæc est sententia Ambrosii lib. 1. de Spiritu sancto c. 7. Iren. lib. 5. c. 21. Aug. serm. 14. de natali Domini & Gregor. hom. 34. in Euangelia. Non autem esse de Principatibus videtur ex scriptura deduct, nam Daniel. 8. legitur vir quidam dixisse Gabrieli, Gabriel fac intelligere istam visionem. Hieronymus ibi affirmat virum hunc esse Michaellem, igitur Michael est superioris ordinis, vti enim diximus ante, solus superior Angelus mittit inferiorem, cum igitur Michael sit de Principatibus, consequitur Gabrielem esse ordinis inferioris, cum mittatur à Michaelle, non tamen de ordine Angelorum vltimo, sed de medio, qui enim mysterium supremum annuntiaturus erat, de numero supremorum nuntiorum assumendus erat, quales sunt Archangeli.

A N N O T A T I O. XLVI.

Quare Gabriel præ alijs ad hoc munus fuerit electus.

Sexto, nomen ipsum Gabrielis est considerandum, ex eo enim deducitur causa & ratio, propter quam inter Archangelos hic est in nuntium tanti mysterij electus. Aduerte igitur nomina Angelorum, quorum in scriptura sit mentio, sumpta esse ab ijs officijs præcipuis, ad quæ peragenda sunt missi. Hinc est, quod Origen. lib. 1. peri arch. cap. 8. & Hieron. Daniel. 8. tria illa nomina celeberrima Gabrielis, Michaelis, & Raphaelis sic interpretantur. Dicunt

enim Michaellem esse præpositum precibus, supplicationibus, & oblationibus fidelium, ob idq. appellatur Michael, quod idem significat, ac Latine, quis sicut Deus? quasi diceretur, vt inquit Hieron. nullus est propitiari peccatis, nec preces exaudire, nisi Dei. Raphael autem præest sanitati corporum, idcirco ad illuminandum Tobiam missus est, & nomen idem significat, ac medicina Dei. Gabriel vero præest proelijs, ac bellis hominum, idemq. significat, ac fortitudo

Michaelis, Raphaelis & Gabrielis etymologia.

fortitudo Dei, seu robustus Dei. quam etiam Etymologiam tradit Gregor. hom. 34. in Euangelia, ex qua Hieronymus, & idem Gregorius causam inferunt, cur ad hoc mysterium annuntiandum Gabriel sit missus, nempe quia Christus, qui annuntiabatur, bellum gesturus erat contra Diabolum, & de eo victoriam reportaturus. Psal. 23. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis, & potens in prælio. & Luc. 11. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt, quæ possidet; at si fortior eo superuenerit, vniuersa arma eius auferet. Veniebat etiam Christus bellum illud inferre inter homines, de quo dictum est Matth. 10. Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. ea de causa Isai. 9. inter alia nomina Christus fortitur illud, quo appellatus est, fortis, in Hebræo גבר ea propter nuntius præmittitur nominis eiusdem particeps, Gabriel, qui proelijs, & bellis præesse solet. recte autem fortitudo Dei dicitur, quia Christus virtute diuinitatis victoriam consecutus est. Matth. 12. in digito Dei eicio dæmonia. Hæc est nominis significatio, & vna causa, cur Angelus hic missus sit nuntius. Est etiam alia ratio, & etymologia non spernenda, apud Hebræos גבר idem significat, quod apud Latinos vir, quod quidem nomen est ætatis, & sexus, nec enim femina, nec masculus parvæ ætatis dicuntur vir, sed solus masculus ætatis perfectæ à verbo גבר quod est præualere, confortari, seu confirmare; inde nomen, quasi robustus corporis viribus, quod fit in ætate matura. Sunt multa loca scripturæ, in quibus hoc nomen eam retinet significacionem. Iob. 38. Accinge sicut vir lumbos tuos. Threno. 3. Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua.

Sunt alia etiam testimonia huiusmodi. Ab hoc nomine trahitur nomen Gabriel, adiuncto nomine גבר quod significat Deum, quasi Latine dictum esset, Vir Deus, quod soli conuenit Christo, hic enim est homo Deus, seu vir Deus. Est autem ex mysterio huic Angelo nomen id inditum, quia annuntiaturus erat eum, qui futurus erat vir Deus, & Verbum caro, quamuis enim multo ante hoc nomen sortitus sit, tamen ex præuisione eius, quod futurum erat, illud accepit à Deo, cui futura sunt præsentia.

Itaque quando placuit Altissimo reuelare præcise tempus huius aduentus, Danieli numerum hebdomadarum præscribens, tunc Gabrielem ad hoc annuntiandum misit, vt pote quem destinauerat suo tempore tanti mysterij nuntium futurum. Hanc nominis etymologiam tradiderunt Proculus in hom. de nativitate, quæ habetur in Actis Concil. Ephes. tom. 6. cap. 7. & Theophyl. in præsentia, Gabrielem, inquit, missum esse nuntium, quia nomen idem significat, quod homo Deus. His adiungo, non tantum significare idem, quod homo Deus, sed etiam, quod vir Deus, vt significaretur Christus futurus homo, quantum ad naturam, & ætatis, ac corporis progressus facturus, tamen quantum ad animam atque intelligentiam semper futurus vir, quia in ventre matris adhuc existens summa scientia, & charitate etiam quantum ad actum, & rationis usum fuit plenus. De quo graues Doctores interpretantur illud Hierem. 31. Mulier circumdabit virum, quo in loco est nomen hoc גבר. Denique quia annuncian- dus futurus erat bellator fortis, & vir Deus, Gabriel Angelus mittitur nuntius, cuius nomine vtique mysterium significabatur.

A N N O T A T I O. XLVII.

Deus inferioribus Angelis per superiores manifestat voluntatem suam.

Postremo adnotandum est illud (à Deo) quo significatur persona mittens, vt diximus quidē superius hoc in loco totam Trinitatem significare, non enim missus est Angelus, sicut Filius, & Spiritus sanctus, Filius enim, quia à solo Patre est, ideo à solo eo mittitur: Spiritus sanctus vero, quia à Patre & Filio est, à solis Patre, & Filio mittitur, non autē à se ipso quia à se ipso non procedit. Angelus vero, quia creatura est, à tota Trinitate mittitur, sicut à tota Trinitate creatus est. Vnde nō naturali processione, sed ex imperio Dei mittitur. Vt autem quomodo à Deo missus dicitur sit, magis exprimat, aduertenda est doctrina Dionysij de cœlesti Hierarch. cap. 9. nempe Deum ea, quæ vltimæ Hierarchiæ committit faciendam in terris, non immediate illi manifestare, sed per superiores, in his enim rebus per superiores illuminat inferiores, & suam eis explicat voluntatem. Hæc de causa Daniel. 8. per Michaellem mittitur Gabriel ad Daniëlem, & per illum Dei voluntas ei reuelatur, iuxta quam doctrinam ita missus dicitur Gabriel à Deo, qui non à Deo immediate accepit præceptum, nec quæ diciturus erat, sed per superiores spiritus medios, quos elegit Deus ad hoc munus præstan-

dum, sic etiam Deus hominibus sæpe dicitur loqui, & præcipere per Prophetas, per Apostolos, & denique per alios medios, ad Hebr. 1. Locutus est Deus olim Patribus in Prophetis, nouissime locutus est nobis in Filio. Hac ratione interpretanda est doctrina Chrysof. hom. 2. in Matth. dicentis, Deum locutum esse Gabrieli, Vade in ciuitatem Galilææ, &c. Quamuis enim Deus possit cuncta per se operari sine creaturis, tamen id non vult semper facere, sed ordinem seruat, & vitur creaturis; nam id in honorem & dignitatem cedit creatoris. Ex hoc consequitur mysterium hoc prius innotuisse quibusdam, aut vni, aut pluribus primæ Hierarchiæ, & per hos manifestatum esse ordinate per inferiores ordines vni, aut pluribus vltimæ, nempe Principatibus, & per hos ordini medio vltimæ Hierarchiæ Archangelorum, nempe Gabrieli, qui iussa Dei intelligens promptissimo, & gratissimo animo excepit, & de cælis ad terras descendens venit in ciuitatē Nazareth, & qui prius Zachariæ prænuntiauit præcurforem, idem nunc sexto mense annuntiat beatissimæ Virgini Saluatorem.

In Ciuitatem Galilææ.

C O M M E N T A R I A.

Describitur locus, quò à Deo missus est Angelus, in ciuitatem quandam, inquit, Galilææ, ibi enim commorabatur tunc beatissima Virgo, quæ concepit, ac paritura erat mundi Saluatorem. Huius rei mysterium, & loci declarationem in adnotatione inuenies.

ANNOTATIO. XLVIII.

De duplici
Galilæa, &
vtra earum hæc
fuerit.

Palæstina, quam post captiuitatem Aegyptiacam duodecim tribus incolebant, Galilæa pars quædam est; in diuisione autem per Iosue facta, hæc Galilæa fors fuit duarum tribuum, nempe Zabulon, & Nephtalim. Iudæam vero, in qua erat Hierusalem habitabant tribus Iuda, & Benjamin. Partitio autem hæc inter duodecim tribus facta fuit, quantum ad agros, & possessiones, quas singuli habebant secundum proprias sortes, licebat tamen commorari vbi vnicuique placebat. nam qui erant ex Iuda, in Galilæa, & qui erant ex Galilæa, in Iuda habitare poterant, sortes tamen semper singulorum in ea erant parte terræ, quæ propriæ tribui obuenerat. beata ergo Virgo, & Ioseph, cum essent de tribu Iuda, partem suam habebant in regione Bethlehem, quæ erat de sorte Iuda, tamen habitandi gratia venerant in Galilæam, & ibi commorabantur, quando missus est Angelus. Huius Galilææ duæ sunt partes, quas Hieronymus lib. de locis Hebraicis appellat duas Ga-

lilæas, inferiorem, & superiorem. Inferior erat versus meridiem, quæ habitabatur à tribu Zabulon, vbi erat mare Tiberiadis, & ciuitas Nazareth. Superior vergebat ad Septentrionem, & incolebatur à tribu Nephtalim, & hanc Hieronymus appellat Galilæam gentium. In ea Salomon assignauit Hiram regi Tyri viginti oppida in pretium eorum, quæ contulerat pro templi ædificatione. 3. Reg. 9. & erat coniuncta Tyro, & Sidoni, eaq. de causa quidam affirmant Galilæam gentium dictam esse, quia gentibus erat confinis, & à gentibus multis habitabatur; maxime postquam à Salomone tradita sunt oppida Regi Tyri. Quidam vero totam Galilæam appellant gentium, quia totam multæ gentes habitabant, ita affirmant Ioseph lib. 3. de bello Iudaico cap. 4. & Strabo cap. 16. vbi de Galilæa agit. Angelus ergo missus est in partem inferiorem Galilææ, ibi enim sita erat ciuitas Nazareth.

ANNOTATIO. XLIX.

Galilææ no-
mine mysteria
aliqua desi-
gnata.

Consideranda sunt mysteria aliquot hoc nomine significata, non enim casu, sed diuino consilio ac prouidentia factum est, vt Christus, qui de tribu Iuda futurus erat secundum carnem, in Galilæa, in alienaq. tribu conciperetur. Nonnullas huius tanti mysterij causas ex nominis etymologia inuestigare conabimur; sunt enim variæ nominis huius rationes, & deriuationes, ex quibus aliqua, quæ ad rem faciunt deducemus. Primo quidem apud Hebræos גליל idem significat, quod apud Latinos, tumulus, inde גליל id est terminus, seu cõfinium, nam tumulus, seu acruus lapidum frequenter statui pro confinio solet. Galilæa ergo confinium, seu terminum significat. Vnde illud Isai. 9. Via maris trans Iordanem Galilææ gentium, quidam vertunt loco. Galilææ, terminum, & Hieronymus ibi vertit tumulum, quia tumulus lapidum solet poni loco confiniij, & termini. Iuxta hanc significationem sumimus causam, cur Dominus in Galilæa homo factus est, nimirum, quia ipse futurus erat terminus legis, & initium Euangelij. Rom. 10. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. illud (finis) non solum finalem causam, propter quam res est, significat, sed etiam terminum, & complementum, quoniam Christus vtrumque habuit. ipse enim scopus est, & finis, propter quem lex illa instituta est, & quem lex significabat, & in quem omnia illa, quæ in lege erant, tendebant. Galat. 3. Lex pædagogus noster fuit in Christo, idem etiam fuit terminus legis, propterea subiunxit Paulus: Vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.

Christus tri-
bus modis le-
gem impleuit

Tribus ergo modis Christus legem impleuit. Primo quidem quia præceptis illius vltro obtemperauit. circuncisus enim est, & festa legis, ceterosq. ritus diligenter obseruauit. Altero modo, quia quæ in lege prædicta erant, ac significata de illo, re ipsa præstitit. horum duorum meminit August. lib. 17. contra Faust. cap. 6. Tertio vero modo, quoniam sacrificijs illis, ac cærimonijs antiquis finem imposuit, propter hoc ergo in Galilæa, & confinio homo factus est.

Galilæa quasi
transmigratione
dicta, transla-
tio nem Ecce-
sæ à Iudæis
ad Gentes de-
notat.

Secundo nomen hoc Galilæa, potest trahi à verbo גליל quod idem significat, quod apud Latinos transmigratione, inde Galilæa, quasi transmigratione, quam etymologiam secutus est Gregor. hom. 2. in Euang. iuxta quam significationem aliud mysterium

indicatur, sit enim homo in Galilæa, id est, transmigratione, vt significet religionem, ac fidem abiectis maxima ex parte Iudæis, populoq. illo repudiato migrationem in gentes, quod ipse Christus Matth. 21. comminatus est Iudæis. Auferetur, inquit, à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius, & Rom. 11. Nolo vos ignorare mysterium, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, vt plenitudo gentium intraret. Quod Hieremias cap. 14. prædixit, de Christo enim loquens ait: Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi vir declinans ad manendū. ibi Hieronymus exponit, cur dictus sit, vir declinans, quia translaturus, inquit, erat religionem ad gentes, quam migrationem Apostoli fecerunt Act. 13. dicentes: Quia repellitis illud, & indignos vos facitis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. In huius ergo rei significationem carnem sumit in Galilæa.

Tertio hoc idem nomen deriuari etiam potest à verbo גליל quod idem significat, quod Latine voluere, seu rotare, vnde גליל id est rota, & Galilæus, quasi rotator, seu reuoluens, & Galilæa, quasi reuolutio. Hanc etymologiam secutus est Gregor. Nyssen. orat. 2. de Resurrectione, ex qua deriuatione, & significatione sumimus causam aliam, cur Christus homo factus sit in Galilæa, & Galilæus esse, & dici voluerit, multiplicem enim, & admirabilem reuolutionem, & vt ita dicam, rotationem suo aduentu effecturus erat in mundo. Prima fuit, qua populum Iudæorum, qui erat prius populus, & dilectus Dei, factus est vitio suo non populus, & non dilectus, contra vero gentiles qui erant non populus, & non dilecti, effecti sunt Dei misericordia populus dilectissimus. mirabilis rota hæc est, ille erectus deprimitur, hic depressus erigitur. Hanc reuolutionem prædixit Osee cap. 1. Voca, inquit, nomen eius. Non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero vester Deus. & cap. 2. Dicam non populo meo, populus meus es tu. quem locum interpretans, & citans Paulus Rom. 9. Vocabo, inquit, non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, & erit in loco, vbi dictum est, Non plebs mea vos. Postremo autem mundi tempore, postquam intrauerit plenitudo gentium, tuum populus Iudæorum depressus, iterum

Galilæa quasi
reuolutio La-
tine, quod
Christus mira-
biles reuolu-
tiones aduen-
tu suo esset
patraturus.

iterum erigetur, & accedet Ecclesiæ Christi, vt habetur Rom. 11. mira ergo reuolutio hæc est, meritoque in Galilæa homo fit, Galilæusque dictus est. Altera reuolutio est, qua totam gentium religionem falsam euertit, & idola omnia, ac eorum cultum deiecit, penitusque deleuit, ac veram fidem, religionem, & cultum erexit, & confirmauit. De qua 1. Thessal. 1. dictum est. Quomodo conuersi estis ad Deum à simulachris seruire Deo viuo, & vero. Hac ratione vtitur Gregor. Nyssen. loco citato ad ostendendum, quare Christus in Galilæa conceptus, & educatus est, prædicauit, ac discipulos congregauit. Ad quam forsitan etymologiam, & rationem Angelus alludit, quando Christo ascendente in Cælum Act. 1. Discipulis admirantibus dixit: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cælum? quasi diceret, o viri, qui debetis mundum reuoluere, & per quos gentes à falsis dijs, ad verū Deum, sunt conuertē de, quid hæc statim non enim hæc est vestra mansio. Tertia reuolutio est, quæ etiam nunc fit, & fiet vsq. ad finē sæculi, qua corda hominū reuoluit, & conuertit mira, & diuina conuersione, & ex lupis agnos mansuetos,

& ex leonibus oues facit, ac terrenis cupiditatibus obstrictos, sensibusque deditos, & voluptatibus sæculi immerfos extrahit, & commutat in homines spirituales, purissimos, & sanctissimos, & contrarijs vitijs depulsis in mores Angelicos euahit. Ephes. 5. Eratis tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et Col. 1. Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transfudit in regnum filij dilectionis suæ. Postrema reuolutio est inimicorum. victorem enim dæmonem, qui de homine triumphabat, vicit, & superauit. & qui in ligno vincebar, in ligno victus est, & vincitur, carnem, & mundum, & mortem, quorum imperio subdebamur, rededit in nostrā seruitutem, victores subegit, ac superauit, & victis victoriam dedit. Rom. 5. Sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Christum. & 1. Cor. 15. Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum. Propter has igitur quattuor insignes reuolutiones significandas merito in Galilæa, id est in reuolutionis, & conuersionis prouincia homo fieri elegit.

Cui nomen Nazareth.

COMMENTARIA.

Nomen ciuitatis indicat, digna enim nominis claritate erat ciuitas, in qua tantum mysterium celebratum est, & in qua mater futura Dei commorabatur & a qua nomenclaturam Christus accepit. Dictus enim est Nazarenus à patria, vt habetur Matth. 2. eamque in cruce signari voluit. Ioan. 19. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Est autem Nazareth ciuitas parua in Galilæa inferiori in monte undata, & prope montem Thabor sita.

ANNOTATIO. L.

Christus qua
ratione Na-
zarenus dictus
sit.

Hieronymus Isa. 11. tractans qua ratione Christus sit dictus Nazarenus, refert duas huius nominis etymologias. Vna est, quam ipse probat nempe, vt scribatur cum נצר zain, & tunc deriuatur à verbo נצר nazar, quod idem significat, ac latine separo, sanctifico, consecro. Nazarenus ergo idem est, quod latine separatus, sanctificatus, consecratus, quod nomen Christo Domino optime conuenit, ipse enim fuit separatus ab hominibus, quia hi omnes peccatores sunt, ipse vero solus sine peccato est vere sanctificatus, & consecratus, qui diuinitatem ipsam habuit unitam suæ humanitati, de quo Paulus Hebr. 7. sic dicit: Talis decebit, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Iuxta hanc etymologiam clare liquet optimo consilio elegisse ciuitatem Nazareth, à qua dictus est Nazarenus, vt ex nominis significatione, qualis esset, qui in ea conceptus est, significaretur. Et hanc causam, cur in Nazareth concipi voluerit, sumptam ab hac significatione, & etymologiam adfert Euseb. libr. 7. demonstr. Euang. cap. 5. iuxta hanc etiam etymologiam in veteri lege quædam se vel ad tempus, vel perpetuo Deo dedicabant, & se à communi viuendi modo separabant iuxta præscripta num. 6. & dicebantur Nazari, quasi separati ab alijs, & Deo consecrati, de quorum numero fuit Sampson Iudi. 13. qui fuit Christi figura. Hac eadem significatione vsus Gregor. Nazianzenus orat. de funere patris sui, appellat religiosos Nazaræos, quia modo quodam peculiariter se dedicant Deo, & à communi vita ceterorum Christianorum segregantur.

Alteram etymologia est, quam Hieronymus di-

cit esse sapientum Hebræorum, qui asserunt nomen hoc Nazareni scribendum esse cum littera צ tsade, cui apud Hispanos responderet c , cum puncto inferiori, quam ipsi appellant, cerilla, tunc autem deriuatur à verbo נצר quod idem significat, quod latine custodio, præ seruo, obseruo, seu à nomine נצר quod significat florem. Hæc etymologia non placet Hieronymo, quia littera tsade non responderet latine litteræ z, zain, sed s, at Nazarenus scribitur cum zain. At profecto etymologia hæc non videtur spernenda, nec tam facili argumento repellenda, quæ efficacioribus argumentis nititur. Primo quidem in titulo crucis vero, qui Romæ asseruatur maxima veneratione, habetur scriptum nomen hoc cum tsade, quod argumento magno est Christum tunc appellatum sic esse. Nec est alicuius momenti quorundam recentiorum euasio, illum nempe titulum scriptum esse a Romanis militibus, qui ignari idiomatis Hebræi sic scripserunt. hæc inquam euasio est valde inconsiderate prolata, tum quia titulus ille maxima diligentia fuit confectus, quod vel ex eo liquet quod tribus idiomatis fuit conscriptus, Hebraice, Græce, & Latine. tum quia non casu, aut hominum consilio id factum est, sed diuina plane prouidentia, neque sine mysterio, vt omnes Doctores sacri fatentur. nec est facile admittendum errorem tanti momenti fuisse permissum à Deo in re tanta. tum etiam quod est valde notandum, quia si ignorantia militum aliquid in hoc peccasset, potius quod scribendum erat cum tsade scripserunt illi cum littera notiori qualis est Zain, non autem cum tsade, quæ est Latinis plane ignota, quippe qui nullam habent litteram ipsi

Alia Hebræo-
rum etymolo-
gia, qua con-
temnenda non
est.

correspondentem, habent autem, quæ respondet Zain. porro ignari solent scribere litteris sibi notis; non autem litteris ignotis, cum igitur scripserint cum tsade, quæ est propria Hebræis, non autem Latinis, nec Græcis, profecto argumento est illos scripsisse, ut Hebræice scribendum erat. Demum, quia nomen ihud notissimum, & vulgatissimum tunc tunc temporis apud omnes. Christus enim Nazareus omnibus tunc notus dicebatur Nazareus, non ergo in eo errarunt. Secundo hæc etymologia confirmatur, quia nomen Nazareus cum zain, quo appellabantur illi qui secundum legem erant Nazaræi, semper Græce scriptum est cum Alpha, at Christus Nazaræus, seu Nazareus cum omega, ut constat Ioan. 1.8. & Luc. 1.8. quod ea ratione credimus factum, quia cum Græci non haberent litteram tsade, & loco eius utendum esset littera zain, nequis existimaret Christum dictum Nazaræum, sicut illos, qui secundum legem erant Nazaræi, Evangelistæ dixerunt littera proxima, & Christum appellarunt, Nazarenum, seu Nazaræum, præter Marcum, qui Romæ scribens propter Latinos usus est littera Alpha. nunquam tamen inuenimus illos, qui secundum legem erant Nazareni, dictos fuisse Nazaræos, cum omega. Adde Epiphanium hæref. 29. affirmantem Christum dictum Nazoræum, & Christianos Nazoræos, non autem Nazareos, sicut illos legis. Tertio comprobatur hoc idem ex Evangelio, quod Matthæo adscribitur Hebræice scriptum cap. 2. Scriptum enim est nomen hoc cum tsade. Venit, inquit, in ciuitatem Nazareth, ut impleretur, quod scriptum est per Prophetas, qui Nazaræus vocabitur. Nec argumentum Hieronymi multum roboris habet. nam incumbit illi probare litteram tsade non habere latine respondentem zita, hoc enim negamus, immo maxime respondet, quia tsade fortiore habet pronuntiationem, quam littera s, simplex, & est maxime vicinus sonus eius sono litteræ zain, seu zitæ, quamuis in principio dictionis aliquando Latini, & Græci loco illius utantur, Sigma. ut in nomine Sion. Non est igitur spernenda etymologia hæc, secundum quam apparent diuina mytheria, cur in Nazareth carnem sumpserit, & ab ea appellationem fumere dignatus sit. Primo quidem, si a verbo נצר deriuetur, tunc idem est, ac ciuitas custodiæ, quo quidē signi-

ficabatur ex ea proditurus verus custos Christus, talis enim appellatus est Iob 7. Quid faciam tibi, o custos hominum. qui homines seruauit, præseruat, & conseruat a dæmonis potestate, a peccatis, & a morte, ne pereant. Hic est bonus ille Pastor, qui suas oues sic custodit, ut dicere vere possit Ioan. 10. Ego cognosco oues meas, & sequuntur me, & vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea. Hic est ille vineæ, & Ecclesiæ fidelissimus custos, qui animam propriam posuit, ut illam custodiret, ut vere diceret Cant. 1. Posuerunt ne custodem in vineis: vineam meam non custodiui, quia propriæ animæ, seu vitæ non pepercit, ut nos saluaret. Secundo si deriuetur a nomine נצר quod significat florem, tunc Nazareth erit quasi ciuitas floris, seu florida, quia in ea conceptus est flos ille, de quo Cant. 2. dictum est, Ego flos campi, verus, & perfectus flos, præcurrens fructum venturum, sic Christus flos iustitiæ, sanctificationis, & gloriæ fructum prænuñtiauit, & effecit. Rom. 6. Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Quadrat autem similitudo floris, nam flos, ut fructum adferat, ipse destruitur, & quandiu integer manet, fructus non apparet: sic Christus Dominus morte sua fructum animarum nostrarum sanctificationis attulit, non allaturus, nisi moreretur. Isa. 53. Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum. Ioan. 12. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum adfert, si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Et rursus: Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Tertio, est etiam aliud mysterium, nam nomen hoc etiam significat, idem, quod germen, seu surculus; ciuitas ergo surculi, & germen est Nazareth, in qua productum est illud mirabile germen, de quo dicitur Hierem. 23. Sufcitabo Dauid germen iustum, seu germen iustitiæ in terra peccatorum, & transgressorum, ubi nulla erat iustitia, quæ hominem iustum efficeret coram Deo, producitur Christus, qui factus est nobis iustitia, & sanctificatio, 1. Corinth. 1. Hæc omnia, & plura mytheria significata credimus hac electione diuina, secundum quam in Nazareth homo factus est Filius Dei.

ANNOTATIO. LI.

Immerito Iudæi verum Christum non admittunt, quia Galilæus, & Nazaræus est.

Anotandum etiam est, vnum ex ijs, quæ Iudæos maxime remouerunt a credendo in Christum & quo suæ incredulitatis excusationem prætexebant, illud fuisse quod Christum Galilæum, & Nazarenum existimauerunt, cum tamen per Prophetas scirent futurum de Bethlehem, quæ erat in Iuda. cum enim Herodes, ut refertur Mar. 2. in aduentu Magorum nosse vellet, ubi Christus nasceretur, sapientes Iudæorum responderunt in Bethlehem nasciturum, sic enim scriptum esse per Prophetam Michæam cap. 5. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet Dux. Hac ratione, seu excusatione moti Christum repellebant tanquam Nazarenum & Galilæum. Legimus enim Ioan. 1. Nathanaëlem audientem a Philippo: Quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ inuenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth, admiratum esse, & obiecisse patriam, A Nazareth, inquit, potest aliquid boni esse? quod verbum, non affirmantis, ut Augustinus existimauit, sed opposentis est, ut interpretatus est Cyrillus, & ibi nos explicuimus. Præterea Ioan. 7. diffensione facta inter maiores Iudæorum, quibusdam dicentibus, hic est Christus, quibusdam negantibus, oppositio ea facta

est; Numquid a Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit, quia de semine Dauid, & de Bethlehem castello, ubi erat Dauid, venit Christus. Præterea, ut ibidem refertur, Nicodemo partes Christi agenti Pharisei obiecerunt dicentes: Numquid tu Galilæus es, scrutare Scripturas, & vide quia a Galilæa Propheta non surgit.

Huic Iudæorum excusationi, & oppositioni respondendum esse existimo quibusdam assertionibus sequentibus. Prima est, Christus, & de Bethlehem fuit simul & de Nazareth, neque vnum alteri repugnat. In hoc quidem errarunt Iudæi, quia erat Nazaræus, inferentes non esse Bethlemitam, cum vtrumque sit complexus, conceptus quidem in Nazareth, & educatus, tamen natus in Bethlehem, ut constat ex historia Evangelica.

Secunda assertio. Vtrumque prædictum fuit per Prophetas, & Nazaræum futurum, & Bethlemitam. De posteriori apertum est testimonium Michææ, cuius paulo ante meminimus, & refert Matthæus c. 2. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet Dux. De priori vero certum est ex Evangelio per Prophetas illud esse prædictum. Nam Matthæus inquit, Venit in ciuitatem

Christus & de Bethlehem, & de Nazareth fuit, & vtrumque a prophetis prædictus.

uitatem Nazareth, ut impleretur, quod dictum est, per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur, at apud quem Prophetam reperitur hoc testimonium, certant sacri Doctores. Chrysofost. hom. 9. in Matth. Affirmat multa monumenta Prophetarum esse perperdita, nec eorum integra haberi a nobis volumina, in illisque hoc testimonium contineri. Auctor imperfecti homil. 2. asserit allegari a Matthæo Prophetas alios, non hos, quos nunc habemus, illorum autem scripta non extare. Secundum hos Doctores in libris, quos nunc habemus, testimonium hoc non continetur. Hac tamen solutio parum satisfacit, non enim eorum assertio firmo nititur fundamento nempe probandum erat, quod supponunt. At Hieronymus Matth. 2. recurrit ad significationem nominis, nam Nazaræus significat Sanctum, si scribatur cum zain, ut ipse Hieronymus scribendum censuit, Sanctum autem futurum Christum multi Prophetæ prænuñtiant. Hac tamen responsio non videtur accommodari posse Evangelio, nam Matthæus dicit prædictum esse per Prophetas Christum Nazaræum vocandum esse, quia de patria Nazareth, non autem quia Sanctus futurus erat. nam Sanctus dici poterat, etiam si non esset de Nazareth, at Christus vocatus Nazaræus a patria. immo Matthæus id adnotasse videtur, ut occurreret obiectioni Iudæorum. Christum non recipientium, quia Nazaræus erat, quibus Evangelista opponit id etiam per Prophetas prænuñtatum fuisse. Quidam recentiores scribentes nomen cum zain affirmant testimonium hoc haberi Iudic. 13. ubi de Samsone in figura dicitur, Erit Nazaræus Dei ab infantia sua. Simile etiam Gen. 49. dicitur de Ioseph qui fuit etiam figura Christi. Fiant, inquit, in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos. At quia Christus non dictus est Nazaræus, ut illi qui secundum legem erant, sed Nazaræus a patria, & cum littera tsade scribitur, ut dixi supra, aliter existimo respondendum, Evangelistam videlicet allegasse illud Isa. 11. secundum litteram Hebraicam, ubi enim nos legimus, flos de radice eius ascendet, in hebræo est נצר seu נצר quod sapientes hebræorum, & Hiero. ibi, & Matth. 2. refert, nomen esse appellatiuum affirmant, quasi dictum esset, & Nazaræus de radice eius ascendet, & connectitur cum præcedenti, Egredietur virga de radice Iesse, qui fuit pater Dauid, & Bethlehemita, de hac autem radice ascendet Christus, qui Nazaræus erit, Hieronymo non placet hæc etymologia, quia scriptum putat Nazareth cum zain; at ut supra diximus, multo probabilius est, scriptum esse cum tsade. Vulgata autem significationem interpretans vertit, flos ascendet, quia nomen נצר significat florem, si tamen ibi sit nomen appellatiuum, ut esse potest, tunc est testimonium expressum, quod a Matthæo citatur, nec est inconueniens quod vitur numero plurali, per Prophetas scriptum est, nam apud Hebræos sæpe pluralis numerus pro singulari, & e contrario vsur-

patur. firma ergo manet assertio, per Prophetas prædictum fuisse Christum futurum, & de Bethlehem, & de Nazareth.

Tertia assertio, Iudæi non potuerunt sui erroris, ignorantie excusationem vllam prætexere, nec grauissima culpa vacarunt, quod Christum, ut Nazarenum, & Galilæum repulerunt. Hac assertio multis probatur rationibus. Primo quidem Scripturas non obseruarunt diligenter, in quibus prænuñtatum erat Christum fuisse Nazarenum, nec aduerterunt verba Michææ, ut enim recte adnotat Chrysofostomus hom. 7. in Matth. Michæas dixit. Ex Bethlehem egressurum Duce[m] Christum, non autem dixit ibi mansurum, aut commoraturum, ac vere egressus est, quia ibi natus est, & in Aegyptum profectus, & in Nazareth reuersus. Secundo eius Natiuitas in Bethlehem fuit manifesta aduentu Magorum, quando venerunt in Hierusalem, publice annuntiantes Christi natiuitatem, & proficiscentes in Bethlehem inuenere Christum, quis excusare poterit Iudæos, qui tunc nullam diligentiam fecerunt, nec miserunt Bethlehem ad veritatem indagandam. Tertio, historia pastorum, quibus Angelus apparuit, & qui festinantes venerunt Bethlehem, & inuenere Christum, ignorari non potuit; si solliciti fuissent Iudæi, ut par erat, habuerunt, unde nosse potuissent, natum in Bethlehem. Quarto facinus illud Herodis horrendum, contra infantes mundo manifestauit Christum in Bethlehem natum, & inde discessisse, cum non fuerit inuentus ab Herode. Scire enim poterat in Scriptura Herodem non potuisse tunc occidere Christum, nec impedire, quæ prædicta erant a Deo per Prophetas. Quinto quando tot, ac tanta miracula Christi viderunt, & doctrinam eius audierunt, cur non diligenter inuestigarunt eius natiuitatem, cum Virgo Beatissima adesset, cum testimonia habere poterant, modo enim quando inquisitio aliqua fit ad dignoscendam hominis alicuius propapiam, occultissima, & difficillima scitu, clarescunt & in lucem prodeunt, potuerunt ergo, & debuerunt tanti hominis, quantus Christus etiam illis videbatur, inuestigare natiuitatem, & educationem, & omnia minutissima, si sic vtique fecissent, inuenissent & Bethlehemitam fuisse, & non tantum Galilæum. Sexto opera, ac miracula Christi fuerunt talia, ac tanta, ut quamuis ignorassent in Bethlehem natum, debuissent potius interpretari Scripturam, & existimare dictum Christum futurum de Bethlehem, quia oriundus erat secundum carnem de Bethlehem, nam notum omnibus erat Beatam Virginem, & beatum Ioseph esse de familia Dauid, & a Bethlehem oriundos esse. nam in de descriptione illa a Cæsare indicta, vterque in Bethlehem profectus est, quia oriundi erant ab illa, non igitur excusationem iustam suæ incredulitatis, nec causam æquam repellendi Christum, quia Nazaræus erat, habuerunt:

Nulla ratione excusari potest Iudæorum incredulitas.

Ad Virginem.

COMMENTARIA.

Describit Evangelista personam, ad quam Angelus missus est, Virgo erat mente, & corpore; talem enim matrem decebat Christum habere, ut nouus homo, nouo modo conciperetur, & nasceretur; & purissimus corpore, & anima, de purissima ex omni parte Virgine procederet. Cetera in annotatione perlege.

A N N O T A T I O. LII.

Quattuor affi-
gnantur ratio-
nes ob quas
noluit Deus
nonam carnem
quam assump-
sit ex nihilo
creare, sed iam
creatam assu-
mere.

Verbum hoc (ad Virginem) multa & magna continet mysteria, è quibus nonnulla considerabimus. Primo quidem, quare Deus volens fieri homo non sibi creauit de nihilo carnem, sed de ea, quæ facta erat, assumpsit. Secundo, quædo sic voluit carnem assumere non nouam sibi creando, quare de muliere eam accepit. Tertio, quare de Virgine. Quantum igitur ad primum attinet, potuisset quidè Dei Filius sicut animam de nihilo creauit, etiam de nihilo corpus creare, & sibi vnire, homoq; fieri, aut saltem carnem seu corpus de terra formare, sicut fecit corpus Adæ, noluit tamen, sed de carne humana carnem accepit. Huius mysterij aliquot rationes, & causas inuestigabimus.

Prima est Tertul. lib. de carne Christi, quia id in Christi gloriam cedebat, venerat enim vt in carne euacuaret hominum peccata; gloriosum igitur illi erat id in ea carne peragere, in qua erat peccatum, nempe magnum est in carne noua non peccatrice peccatum destruere, at maius fuit in carne eadem, quæ infirmabatur peccato, peccatum delere, non quòd ipse peccauerit, aut peccatum acceperit, sed quòd de carne, in qua erat peccatum, carnem sumpsit, qua destruxit peccatum. Hanc huius mysterij causam etiam Chrysof. serm. 13. in epist. ad Rom. adfert, & insinuatur Paulo Rom. 8. Deus inquit mirrens Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus.

Secunda causa est, vt perfectius, multoque clarius diuina iustitia appareret. Obseruandum est enim Deum humanam carnem assumpsisse, non tantum vt hominem à peccato liberaret, & in salutis statum reuocaret, id enim facere potuit etiam carne non assumpta. Nec etiam tantum, vt pretium redemptionis nostræ redderet Patri, nam id potuit etiam facere sumpta natura Angelica, in qua mereretur nostram liberationem, & offerret Patri merita sua pro nobis, ac spiritali sacrificio nos redimeret. Nec etiam, vt in eadem natura fieret satisfactio,

in qua facta erat iniuria, id enim fieri poterat sumpta carne de nouo creata, aut de terra formata, quæ procul dubio fuisset eiusdem substantiæ. Non hæc inquam solum intendit Deus, cum homo fieri decreuit, sed etiam vnum aliud quidpiam vltra prædicta, nimirum vt in illa ipsa peccatrice carne, in qua facta fuerat iniuria, fieret satisfactio, & homo qui debitor erat, solueret; hanc enim Dei Filius purificans ab omni labe sibi assumpsit, & sic in natura, in qua erat debitum, fit solutio, quod perfectiorem iustitiæ rationem complectitur, hanc causam tradit Iren. lib. 3. cap. 31. & latius lib. 5. cap. 21.

Tertia causa vt ostenderet Deus se esse eundem Deum, qui nostram naturam creauerat. si enim aliam carnem, seu aliunde eam sibi assumeret, non defuissent, qui cogitarent aliū fuisse auctorem carnis huius peccatricis, & alium, qui in alia carne reparauit, quandoquidem etiam si eandem carnem sumpsisset, fuerunt impij Marcionistæ, qui alium creatorem, alium redemptorem sūxerunt, contra quos efficax militat argumentum, quòd de ea carne, quæ creata erat, caro sumpta est, in qua illa est reparata, sic enim ostenditur vnus, & idem creator, & redemptor hominum qui plasma, quod creauerat, & se peccati macula infecerat, restituit, & sanctificauit. Hæc ratio est Iren. lib. 5. c. 59. quo eodem facto conuincuntur Manichæi, qui naturam ex se malam esse affirmant, & à malo principio conditam, at si natura ex se mala esset, malitia ab ea separari non potuisset, Christus vero de eadem massa carnem sibi purificatam accepit igitur malitia separabilis est à carne nostra, hanc rationem attulit Chrysof. serm. 13. ad Rom.

Quarta causa est, vt illa natura, quæ ceciderat, in Christo exaltaretur, & qui eò mali deuenerat, vt esset filius iræ, & perditionis, & seruus peccati, in tantam eueheretur dignitatem, vt in Christo vniretur diuinitati, & esset homo, qui simul esset Filius consubstantialis æterno Patri. His igitur de causis congruum admodum videtur Filium Dei hominem fieri volentem carnem accipere de eadem carne, quam venerat reparare.

A N N O T A T I O. LIII.

Quattuor de
causis conue-
niens fuit, nō
aliter quàm
de muliere
Deum carnem
assumere.

Quod spectat ad secundum, quare de muliere carnem hanc accepit, aduerte potuisse Dei Filium de carne peccatrice carnem sibi etiam assumere, & non de muliere, sed de viro eam sibi formando, sicut de Adæ costa corpus Eux construxit, & illa sic assumpta effecisset omnia, quæ in præcedenti annotatione dicta sunt, at non de viro carnem voluit assumere, sed de femina. Hoc enim congruentissimis causis etiam effectum est, quarum nonnullas proponemus.

Prima est, vt ab ea initium reparationis fieret, à qua ruina sumpsit exordium. Orsus est enim Dæmon hominem destruere, ac perdere à femina, incipit etiam Filius Dei à femina hominem reparare, vt sicut Eua initium fuit mortis, ita altera felix Eua exordium fieret vitæ, quod comminatus est Deus tunc ipsi serpenti dicens Gen. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum. Hæc causa simul cum testimonio scripturæ allegato est Iren. lib. 5. cap. 21. & August. in qq. ex vete testam cap. 8.

Quomodo, inquit, peccatum factum est, sic emendatum est: per mulierem factum est, per mulierem sublatum est, regnum per ligni gustum amissum est, per lignum quæsitum est.

Secunda causa, vt sic sexus vterq; honoraretur: erat enim per peccatum multum abiectus, & depressus, sexus quidem virilis clarificatus est eo, quòd carnem virilem assumpsit, clarificanda ergo erat femina, vt ex ea caro acciperetur. Hæc causa est Aug. lib. de fide, & symb. cap. 4.

Tertia causa, vt eo facto significaret se esse feminæ plasmatorem, nouerat enim Dei Filius impios hæreticos dicturos feminam non esse Dei, sed Satanæ opus, quales extiterunt Seueriani, & Andronici, vt refert Epiph. hæres 45. item impios quosdam alios affirmaturos aliquando solos viros fuisse redemptos, non autem feminas, qui omnes hoc facto confunduntur, & conuincuntur, quòd caro, in qua sumus redempti, de femina sumpta est, igitur femina opus Dei est, necis sexus à redemptione repulsus est, qui carnem exhibuit, in qua redemptio perficeretur.

Quarta

Quarta causa est, vt sic Dei Filius significaret, qualis ad nos accedebat, veniebat enim non vt iudex, sed vt Saluator, non ad damnandum, sed ad compatiendum, & ad miserendum, idcirco carnem de femina accepit. Sexus enim femineus est multum procliuus ad compatiendum, & subueniendum, & miserendum, tali enim epitheto scriptura hunc sexum exornat. Threno. 4. Manus mulierum misericordium coperunt filios suos. Basil. in homil. in aliquot scripturæ locos, affirmat Deum teneritudinem quandam mulieribus dedisse propter filiorum educationem, ob eamque causam fuisse à Deo hunc sexum dulcior-

rem, & humaniorem creatum. merito ergo de femina carnem assumpsit, qui misereri veniebat, quique ad filios sibi faciendos, & educandos descendebat, vt affectum suum erga eos eo facto indicaret. De quo affectu Matth. 24. ipsemet pronuntiauit: Quoties volui congregare filios suos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & noluiisti. est enim gallina feruentissima, & affectuosissima erga pullos suos. & Hebr. 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. His igitur de causis congruum maxime videtur, vt carnem de femina Christus Dominus assumpserit.

A N N O T A T I O. LIIII.

Quinque de
causis fuit
conueniens vt
de Virgine car-
nem sumeret.

Quod ad tertium attinet, nimirum, quare de virgine caro sumpta est? non est dubitandum illam potuisse de corrupta, seu de non virgine sumi, etiam per modum conceptionis, & natiuitatis, sicut de virgine sumpta est, vt inferius dicemus, at id noluit Deus sed purissimam Virginem elegit, vt in ea, & ex ea homo fieret, idq; non sine congruentissimis rationibus.

Prima quidem, vt medicinx ordo responderet morbi progressui. Incepit enim peccatum à muliere virgine, quia nondum Eua cognita erat, quando peccauit, & peccato suo traxit ad se Adam, in quo tota est natura humana infecta, debuit ergo salus à muliere virgine incipere. Hanc causam adferunt Iustinus in dialog. cum Trypho, & Irene. lib. 3. cap. 33. & Tertul. lib. de carne Christi.

Secunda, cum Christus esset secundus Adam reparaturus quod primus perdidit, debuit quandam eum eo similitudinis proportionem habere: primus autem de terra virgine nondum hominum manibus tractata seu culta fuit formatus: secundus ergo de intacta virgine sibi etiam carnem formatam induit. Hanc causam proferunt Iren. lib. 3. cap. 31. Ambros. serm. 37. & August. serm. 5. de natiuit. Dom.

Tertia causa est propter significationem, Deus e-

nim factus homo est, vt hominem ad integritatem quandam, & spiritualem virginitatem reuocaret, iuxta illud 2. Cor. 11. Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo, ea propter de Virgine purissima carnem sibi formauit. hanc causam adducit Greg. Nyss. orat. de Natiuit. Dom. Decebat, inquit, eum, qui propter integritatem, & incorruptibilitatem vniuersitatis in humana carne versatus est, initium facere ab ea, quæ natiuitati eius inseruiret integritate, & incorruptibilitate.

Quarta causa, quia sine opera virili concipiendus erat, vt paulo inferius dicemus, debuit ergo Virginem intactam eligere, ne eius conceptio vlla via posset tribui copulæ præcedenti.

Quinta est, vt quantum sibi virginitas, & castitas placeret, indicaret, hæc est August. serm. 7. de natiuit. Dom. Diligamus, inquit, castitatem, quia vt hæc sibi placere Deus indicaret, pudicitiam vteri virginalis elegit. Plura de hac virginitate in sequentibus dicturi sumus. Iam vero inquirendum erat, quare per modum conceptionis, & natiuitatis de Virgine caro sumpta est; præterea qualis, & quanta fuerit hæc virginitas: hæc tamen & alia suis in locis explicanda reseruamus, cum de verbis Angeli, & responsione Beatissimæ Virginis scribendi occasio dabitur.

Desponsatam viro.

C O M M E N T A R I A.

Virgo erat, sed viro desponsata. decuit enim Filium Dei matris honori consulere, & scandalum hominum præcauere. Si enim desponsata viro non esset, eius partus vitio, & peccato matris ab ijs, qui mysterium ignorabant, tribueretur. Cetera in annotationibus perlege.

A N N O T A T I O. LV.

Assignantur ra-
tiones ob quas
de desponsa-
ta nasci voluit

Cvr Dei filius nasciturus ex Virgine, eam desponsatam elegerit, Sacri Doctores varias proferunt causas. In primis Origen. hom. 1. in diuersos locos. & Hierony. Matth. 1. causam hanc afferunt, cur de desponsata nasci Christus voluerit, nimirum ne beata Virgo à Iudæis lapidaretur, quasi quæ stuprum commisisse putaretur. Hæc doctrina difficile sustineri potest, nam in scriptura veteri non inuenitur tale supplicium latum contra stuprum. Nam Leuit. 21. virgo quidem stuprum committens flammis cõburebatur, non tamen omnis, sed quæ sacerdotis erat filia, vt significaretur, quanta debeat in domo sacerdotis castitas esse; at Beata Virgo non erat filia sacerdotis

quippe quæ non de tribu Leui, vt sacerdotes, sed de tribu Iuda erat, in quo lapsus est, vt inferius copiosius docebimus. Faustus hæreticus, vt refert August. lib. 23. contra eundem cap. 4. qui affirmans Beatam Virginem filiam fuisse Ioachim sacerdotis, consequenter asseruit eam esse de Tribu Leui, quod est falsum. Nec credibile est Hieronymum, & Origenem existimasse Beatam Virginem filiam fuisse sacerdotis, non ergo hoc Leuitici præcepto comprehendebatur. Adde hanc non lapidari, sed iussam esse comburi. Deuteronomij autè 22. non lapidabatur quæcunq; virgo stuprum committens, sed illa quæ erat desponsata, si vero desponsata non erat, non puniebatur, sed tantum

vir stuprans cogebatur dare patri puellae quinquaginta siclos argenti, & illam ducere, nec toto vitae tempore dimittere eam poterat. Præterea Exod. 22. habetur, si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam in uxorem. Non igitur lapidabatur, quæ stuprum perpetrabat, si desponsata non erat. Hæc igitur causa desponsationis non videtur firma. Quapropter ea dimissa, alias inuestigabimus probabiliores. Quarum quædam ex parte Christi, quædam ex parte Virginis; quædam vero ex parte matrimonij; quædam demum ex parte credentium sumuntur.

Prima, vt mysterium celebratur demonibus.

Prima ergo est ex parte Christi, qua multi Doctores vtuntur, vt demonibus hoc mysterium occultaretur, vt enim Basil. homil. de humana Christi generatione: & Damasc. lib. 4. de Fid. cap. 15. asserunt, dæmon ex illo Isai. 7. testimonio, Ecce Virgo concipiet, nouerat Christum de virgine nasciturum, ea propter diligentissime virginis obseruabat, vt eius aduentum agnosceret, vt ergo Dominus illum eluderet, & in sua astutia comprehenderet, elegit Virginem viro desponsatam, vt partum non virginitati, sed matrimonio dæmon adscriberet. Hæc causa assignatur ab Ignatio epist. ad Ephes. Origen. homil. 16. in Lucam. & hom. 1. in diuersos locos. Basil. loco citato, Ambros. Luc. 1. & Hieronym. Math. 1. ob quorum Doctorum auctoritatem causa hæc declaranda est. Prima enim facie non videtur efficax, cum dæmon cognoscere possit virginitatem feminæ, sicut & homo, quod si impeditus est a Deo, potuit etiam impediti, ne cognosceret, quamuis coniugata non esset. In primis illud certum est Dominum voluisse aduentum suum celare demonibus; tum, vt dicit Ambros. ne impedirent mortem eius, qua mundum redempturus erat, 1. Corin. 2. Nemo Principum cognouit, si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent; tum, vt inquit Bernard. hom. 2. de beata Virgine, vt eodem ordine, quo homo ceciderat, repararetur: cecidit autem sic, nam dæmon seduxit feminam, & postea virum cadere fecit, nunc autem factum est, vt in femina prius seduceretur dæmon, ac postea a viro Christo caperetur, & destrueretur. Præterea certum etiam illud est, dæmonem sui intellectus subtilitate, & acumine naturali potuisse cognoscere beatam Virginem post partum mansisse virginem, & incorruptam. nam si homini nota, & manifesta esse potest feminæ virginitas, multo magis dæmoni, Deo tamen permittente; & volente dæmon non animaduertit. cernens enim illam esse coniugatam, cetera speculati contempsit, matrimonio omnem illi impediende suspicionem, crediditque partum esse ex viro, cui sciebat esse feminam desponsatam, sicque deceptus est per desponsationem, non quod non posset virtute naturæ suæ dæmon agnoscere virginitatem, sed quod inuestigare in coniugata non curauerit, eaque de causa non prius conceptio Christi annuntiatur, quam virgo esse viro desponsata. Dæmon enim ijs, quæ recte, & iuste fiunt, parum intendit. Causa igitur a tot, tantisque Doctoribus tradita, hæc via, & modo intelligenda est. Huius rei figuram Rupertus lib. 11. de victoria Verbi Dei cap. 19. asserit præcessisse in Saule. 1. Reg. 16. quo ignorante vnctus est Dauid in regem a Samuele.

Secunda, vt ostenderetur Christum esse de femine Dauid.

Secunda causa ex parte Christi est Hieronymi Matth. 1. & lib. aduersus Heluidium, vt generationis ordo texeretur, & Christus de femine Dauid, sicut promissum erat, esse significaretur. non enim erat consuetudo Iudæorum generationis ordinem a feminis sumere, sed a solis viris. Si autem beata Vir-

go desponsata non esset, Christus habitus esset, vt ex incerto, & obscuro patre genitus, accepissentque Iudæi apparentem occasionem negandi eum esse Messiam, quippe quem de femine Dauid esse non constaret, at putantibus eum esse ex Ioseph, ablata est occasio contradicendi; mysterio autem detecto apparuit esse de sola matre, quæ erat de femine Dauid; vt igitur Iudæis scandalum, & impedimentum tolleretur, ne Christum de femine Dauid esse negarent, idcirco de desponsata nasci voluit. Hæc ratio Hieronymi sic est explicanda.

Tertiam, quæ est ex parte beate Virginis, causam profert Ambrosius in præfati; nimirum vt testimonio beate Virginis maior accresceret fides, dum suam tuetur virginitatem; si enim desponsata non esset, impij homines opponerent eam suam virginitatem defendere, vt peccatum suum occultaret, & ne ex fornicatione concepisse putaretur, at cum sit desponsata, id opponi non potest, cum absque vilo peccato, & dedecore femina coniugata filios habeat. Quando igitur apud homines eius testimonium profertur, de Spiritu sancto, non de viro concepisse, non est, vnde calumniâ pati possit.

Tertia, vt maior fides haberetur Mariæ.

Quarta causa ex parte Virginis est eiusdem Ambros. & Bernar. Serm. 2. super Missus est, vt ea ratione bonæ opinionis, & existimationis beate Virginis apud homines consuleretur, homines enim ignari mysterij, Filium peperisse videntes, de stupro concepisse censere, quam notam infamiae matri purissimæ Filius inuri ab hominibus non est passus, quin potius, vt Ambros. hic, & lib. de institut. Virgi. cap. 6. Recte, inquit, maluit Christus ad tempus putari de viro natus, quam Virginem matrem tali vitio in hominum opinione denigrari. Non solum autem matri honori hæc via consultum fuit, sed etiam aliorum scandalo obuiatum est. nam graues scandala patiuntur homines, quando ab ijs, quos sanctos ac iustos ipsi putabant, scelus aliquod committi intelligunt. Vnde Origen. hom. 7. in Ezech. affirmat dæmonem maxime incumbere pertrahendis viris iustis ad aliquod malum perpetrandum, vt in eis multos homines scandalizet, & perdat. Cum igitur beata Virgo deuotissima, ac purissima haberetur, vt vere erat ex religiosis parentibus orta, in templo educata, Sanctorum hominum secundum carnem cognata, profecto si de stupro concepisse arbitrentur, maximum scandalum in ea paterentur, præsertim cum per tot annos Filius eius apud eam mansurus esset, omnia hæc impedita sunt per desponsationem.

Quarta, vt Virginitas fama celebraretur.

Quinta causa etiam ex parte beate Virginis est, Damasc. lib. 4. de fid. cap. 15. qui præter primam superius allatam, hanc etiam adiungit, vt custos esset beate Virginis. teneræ enim ætatis beata Virgo, & honestissima multis ministerijs indigebat, quæ per solum virum decenter fiunt. nam in peregrinatione in Aegyptum, & in quotidianis ministerijs, quæ ad victum pertinent, viri opera necessaria erat, datus est igitur matri Dei fidelissimus, & diligentissimus minister, potius sic appellandus, quam custos, vt autem omnis sinistra hominum suspicio repelleretur, sponsus eius factus est.

Quinta, vt eundem, & socium Mariæ haberet.

Sexta causa etiam ex parte beate Virginis est Ambros. in præfati propter significationem. Beata enim Virgo figura erat Ecclesiæ, hæc autem virgo, & sponsa Christi est, congruum igitur erat etiam Dei matrem Virginem, & sponsam esse. Adnotat autem Ambros. in hac similitudine, & figurâ, sicut Beata Virgo vni fuit nupta, tamen ab altero repleta, scilicet a Spiritu sancto, sic Ecclesiam exterius nuptam esse Sacerdoti visibili, tamen a Spiritu sancto repleti, vt fit

lios

lios adoptionis faciat, iuxta illud 1. Corin. 3. Ego plantavi, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit, sed neque qui rigat, neque qui plantat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus.

Septima, vt status matrimonij honoraretur.

Septima causa est ex parte matrimonij, vt uterque status virginum, & coniugatorum honoraretur, & probaretur. Quidam hæretici statum virginitatis, quidam alij nuptias improbarunt, at dum virgo, & nupta eligitur in Dei matrem, uterque status approbatur, & a Deo esse conuincitur.

Octaua, vt medicina morbo conformaretur.

Octauam huius desponsationis causam, quæ est ex parte matrimonij asserit. Iren. lib. 3. cap. 33. vt esset quædam proportio inter morbum, & medicinam. Vna enim Virgo viro desponsata per virum ruinæ humanæ causa fuit, Eua videlicet, quæ ad matrimonium copulata nondum tamen cognita, principium fuit peccati; congruum ergo fuit vnam

ANNOTATIO. LVI.

Verum fuit matrimonium inter Mariam, & Ioseph.

Valis autem hæc desponsatio sit, inquirendum est, nam in hac parte errarunt hæretici multi, quidam autem Catholici Doctores non vt oportet, locuti videntur. In primis Iulianus Pelagianus, vt refert August. lib. 5. contra eundem cap. 9. inter Beatam Virginem, & Ioseph non verum matrimonium, sed tantum hominum opinione extitisse dixit: eo autem argumento motus est, quia non fuit copula, nec futura erat, non igitur potuit verum esse matrimonium, existimabat enim hic hæreticus copulam esse de substantia matrimonij.

Iuliani Pelagiani error.

Heluidii error.

Secundo loco Heluidius, vt refert Hieronymus aduersum eum, in principio. affirmavit quidem verum fuisse matrimonium, eodem tamen, quo Iulianus, argumento deceptus, in contrariam partem declinauit asserens copulam fuisse inter Beatam Virginem, & Ioseph, post natum Dominum. contra quam hæresim disputandum est paulo inferius. Cum autem hi duo hæretici in Euangelio legerent desponsatam esse Beatam Virginem viro, & Ioseph dictam esse coniugem, simulque de substantia matrimonij copulam esse arbitrentur, partes contrarias elegerunt, ille tamen ne copulam admitteret, maluit detorqueere verba scripturæ, & affirmare dictam esse desponsationem, quantum ad opinionem, non autem quantum ad veritatem. Hic vero detorqueret verbum Euangelij, copulam induxit, & tam hic, quam ille ignorantiam suam prodiderunt, cum & verum matrimonium, & simul copula nulla intercesserit, vt modo declarabimus.

Tertio loco, Catholici quidam, & graues Doctores, vt utrumque errorem vitarent, medium quiddam inueniunt, asseruerunt enim fuisse sponsalia, & desponsationem veram, quæ sine copula est, negarunt tamen matrimonium, aut nuptias fuisse. Ita censuere Hilarius Matth. 1. & ibidem Theophylact. atque Epiphanius hæres. 78. hi tamen sacri Doctores explicandi sunt, quod paulo post fiet.

Quarto loco Augustinus lib. 1. de nupti. & concupisc. cap. 14. & lib. 23. contra Faust. cap. 8. & lib. 2. de consen. Euang. cap. 1. ac alibi sæpe verum fuisse matrimonium censet, etiam sine vlla omnino copula, lib. autem 5. contra Iulian. cap. 9. eam sententiam probat, & confirmat illo testimonio Matth. 2. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, coniux enim non diceretur, nisi verum matrimonium esset. Addit etiam secundum argumentum, quia si verum matrimonium non fuit, non erat, cur genealogia Ioseph describeretur ab Euangelistis. Id ipsum comprobatur, nam si matrimonium non fuit,

virginem viro desponsatam per virum filium scilicet suum, principium fieri reparationis, vt salus a matrimonio proficisceretur, a quo etiam infirmitas prodierat.

Nota, vt ostendatur Mariam eiusdem naturæ nobiscum esse.

Postrema causa quæ ex parte credentium, est Athanas. epist. ad Epictetum, vt ex sponso cognosceremus Beatam Virginem eiusdem substantiæ nobiscum fuisse, sicut erat etiam sponsus eius, quo efficeretur, vt corpus Christi eiusdem esse etiam nobiscum substantiæ manifestaretur, de illa sumptum esse, non enim defuerunt hæretici, qui beatam Virginem alterius substantiæ a nostra fingerent, Deumque eam fuisse dogmatizarent, vt refert Epiphanius hæres. 78. de qua re infra dicemus. His igitur de causis valde congruum fuit Dei filio, de virgine desponsata, & matrimonio copulata carnem accipere.

fed tantum sponsalia, non celabatur partus diabolo, nec consulebatur honori beate Virginis, nec obuiabatur scandalo, nec alia procedebant, quæ diximus paulo ante, quando causas adduximus, propter quas Virgo desponsata electa est. Adiungenda etiam sunt verba Euangelij. Matth. 2. vbi Beata Virgo vxor, & Ioseph vir eius dicitur, quæ verum matrimonium indicant, & hæc est sententia vera, & legitima, Hilarius autem, & ceteri citati, non sic intelligendi sunt, vt dicere velint desponsationem solam, quæ est promissio de futuro matrimonio interfuisse inter Beatam Virginem, & Ioseph, hoc enim reiiciendum est, sed desponsationem appellarunt matrimonium de præfati, in quo copula non est: Solet enim nomine sponsaliorum etiam tale matrimonium appellari, non tamen propterea negandum est veras nuptias, & verum matrimonium fuisse, & in hoc loquendum, & sentiendum est cum Augustino. Faluntur autem hæretici existimantes copulam esse de substantia matrimonij, vt enim recte dicit Augustinus lib. de bono vdiuit. cap. 8. non semper matrimonia celebrantur propter copulam, sed aliquando etiam propter humanitatis solatium, & mutua obsequia inter coniugatos. & lib. 1. de nupt. & concupiscen. cap. 11. matrimonia fide mutua perfici tradit. & idem August. lib. de bono coniugij cap. 5. & ante eum Ambros. lib. de institut. virgin. cap. 6. affirmat verum posse esse matrimonium inter eos, qui copulam carnis non intendunt, quod intellige, quando naturalis potentia non deest. Ea propter licet coniugibus ex voto communi a copula abstinere, nec tamen ob id desinant esse coniuges, aut separandi inter se sunt, cum præter copulam multa obsequia sint, propter quæ matrimonium & celebrare, & continuare liceat. Fuit ergo verum matrimonium inter Beatam Virginem, & Ioseph, quamuis nulla vquam intercesserit copula. Hac de causa Christus est dictus filius Ioseph multo verius, & perfectius, quam per adoptionem, vt docte adnotat Augustinus lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 11. non quod genuerit Christum, sed quod verus, & legitimus vir fuerit eius, quæ genuit eum, & in hunc finem Deus instituit, & præordinauit hoc matrimonium, vt proles talis nasceretur, & etiam si daremus prolem esse necessariam in matrimonio (copula enim non per se, sed propter prolem instituta est) huic matrimonio non defuit, cum ex vno coniugum, nempe Beatissima Virgine Spiritus sancti opera proles tanta concepta, & genita est.

Copula non est de substantia matrimonij.

A N N O T A T I O. LVII.

Cum Maria decreuisset Virginitatem seruare, quosum voluerit matrimonium contrahere.

Non minus grauis difficultas se offert, cum Beata Virgo non intenderit copulam, sed in sua virginitate perseuerare, quare, aut qua ratione matrimonio se coniungere voluit, quoue animo id celebrauit? Augustinus libro de sancta Virginitate cap. 4. respondet, Beatam Virginem etiam si non intendifset copulam, matrimonio tamen se copulasse, quia mores illius temporis id postulabant, quibus verbis significat Augustinus tunc matrimonium fuisse in legis præcepto. nam & lib. de bono viduit. cap. 8. asserit, tunc temporis matrimonium fuisse obsequium legis, nunc vero infirmitatis remedium. Accedit auctoritas Hieronymi. aduersus Heluidi. prope finem, vbi affirmat, illo tempore lege fuisse obligatas tam feminas, quam viros ad matrimonium contrahendum. Nec dissentit Epiphanius hæref. 78. dicens Beatam Virginem traditam fuisse Ioseph propter legem; indicatque matrimonium tunc in præcepto legis fuisse, quam doctrinam quidam Scholastici Doctores magni nominis receperunt, confirmantes eam illo Deuterono. 7. & Exod. 23. Non erit apud te sterilis vtriusque sexus. Aduersus hanc tamen doctrinam hoc maxime facit, quod in tota veteri scriptura tale præceptum non reperitur, fuerat quidem à principio, quando pauci homines erant, illis tamen postea multiplicatis cessauit in singulis, nemo enim obligabatur contrahere in particulari, mansit tamen præceptum in communi, sicut & modo in Evangelio, necesse est matrimonium contrahere, nemo tamen in particulari absolute obligatur. Illa autem testimonia Deuteronomi. & Exod. allegata ad rem nullatenus faciunt, non enim sunt verba præcipientia, sed potius promittentia, ijs enim, qui lege obseruarent, inter alia bona terræ, hoc quoque promisit Deus, inter eos ne in pecoribus quidem non futuram sterilitatem. Inde autem non licet inferre matrimonium fuisse singulis præceptum. Contra eandem doctrinam etiam vrget multos tempore legis extitisse aut virgines, aut saltem sine villo matrimonio, quos nemo audebit damnare, quasi legis transgressores. Hieronymus ipse lib. 1. contra Iouinian. refert virginitatem seruasse Iosue, Eliam, & Eliseum. idem dicendum est de Ioanne Baptista, & alijs, quorum meminit Ignatius Epist. ad Ephes. Iosephus etiam lib. 18. Antiquitatum, refert se etiam extitisse Essenorum, qui vitam Anachoriticam agebant in deserto Iudææ virginitati vacantes. Facit etiam aduersus eam doctrinam, nam si Beata Virgo propter legis præceptum matrimonio se iunxit, debuit etiam in copulam consensum habere, ea enim ratione matrimonium præcipiebatur, ne esset sterilis in Israel, oportebat ergo indulgere copulæ, si ea verba præceptum continent.

Cui nomen Ioseph.

C O M M E N T A R I A.

Nomen viri manifestatur, non solum vt quis fuerit sponsus beatæ Virginis, distincte cognoscatur, sed etiam vt virtus, & excellentia eius ipso nomine significetur. quod quidem in annotatione explicatum inuenies. Hebraismus autem est ab ijs, quæ vltimo dicta sunt, incipere; erat enim dictum ad Virginem desponsatam

Aliam viam sequuntur Damascenus lib. 4. de fid. cap. 15. & Epiphanius hæref. 78. & Gregorius Nyssenus orat. de Natiuitate Christi. Hi Doctores affirmant Beatam Virginem à pueritia fuisse in templo præsentatam, id quod etiam Augustinus probat Serm. 14. de natiuitate Domini, traditamque fuisse Sacerdotum curæ, ac custodiæ, qui eam adultam, & nubilem matrimonio copulare decreuerunt, ijs ergo Beata Virgo obsecuta est. Addit tamen Gregorius, Sacerdotes propter legis præceptum id fecisse. Iuxta doctrinam hanc respondere possumus Beatam Virginem consensisse matrimonio, vt Sacerdotibus obediret, quorum potestati, & curæ tradita erat. Quod si interroget aliquis, qua ratione non consensit in copulam, si in matrimonium consensit, etiam si id ex obedientia acceptauerit? Respondent Doctores allegati eam traditam fuisse à Sacerdotibus Ioseph ad solam custodiam, & desponsationem sine vlla copula, sicque celebratum fuisse matrimonium sine copulæ voluntate, aut consensu ex parte Beatæ Virginis, & ex parte Ioseph. Huic doctrinæ consonat illud Hieronymi. aduersus Heluidium in fine, dicentis Ioseph fuisse custodem, non maritum Beatæ Virginis. Aduersus autem hanc doctrinam illud militat, si tale matrimonium eo modo celebratum esset, aut omnibus, aut Sacerdotibus manifestum fuisset nullam inter eos copulam futuram esse, quando igitur Christus natus est, profecto ignorantes mysterium existimassent Ioseph infidelem, aut Beatam Virginem adulteram, neutro autem modo consulebatur honori Beatæ Virginis, nec probanda essent multa ex ijs, quæ diximus, propter quæ voluit Christus nasci de desponsata.

Difficile est profecto inuenire viam, per quam omnis in hac parte euacuetur difficultas, vt simul in matrimonium consenserit, & animum à copula alienum habuerit. Existimo tamen probabiliter dici posse, Beatam Virginem, siue à Sacerdotibus, siue à parentibus tradita matrimonio fuerit, diuina inspiratione, & reuelatione in matrimonium consensisse, certam, suam semper virginitatem a Deo conseruandam; non enim dubitandum est eam, quæ mater Dei futura erat, sicut ex privilegio omni caruit peccato, ita in omnibus suis actionibus directam & gubernatam esse à Spiritu sancto, & maxime in ijs, quæ ad huius mysterij celebrationem spectabant, quapropter & matrimonium acceptauit, & simul copulæ non consensit, nec matrimonium eius purissimæ corporis, & animæ virginitati quicquam detraxit. Vnum hoc in loco inquirendum videbatur, nempe an voto virginitatis Beatissima Virgo se obligauerit, id tamen remittimus examinandum in verborum illorum explanatione [quoniam virum non cognosco.]

Probabile est matrimonium hoc diuina reuelatione fuisse contractum.

fatam viro, idcirco à viri nomine exorditur. quamuis etiam huius rei ratio sit, vt veritatem matrimonij indicet, caput enim vxoris vir est, etiam si enim sponsæ sanctitas absque vlla proportionem maior fuerit, tamen quod ad desponsationem, & matrimonium spectat, vir præcedit, eaq. de causa etiam Angelus Matth. 2. ad Ioseph loquitur, Tolle, inquit, puerum, & matrem eius.

A N N O T A T I O. LVIII.

Commendatur magnitudo beatissimi Sponsi Mariæ Virginis.

Quod attinet ad nomen Ioseph idem significat apud Hebræos, quod apud Latinos auctus, seu accrescens. Ad hanc significationem alludens Iacob Gen. 49. quando filio suo Ioseph benedixit, sic locutus est: Filius accrescens Ioseph, filius accrescens. quasi diceret; vere à fili Ioseph auctus es, & accrescisti, sicut nomen tuum significat, nam excelluisti, & in dignitatem prouectus es tantam, vt omnium fratrum tuorum sis supremus, & qui natu penultimus eras effectus, sis primus honore. Hoc idem nomen sponsus beatæ Virginis ex diuino consilio sortitus est, vt potiori iure de eo dicere possimus, vir accrescens Ioseph, vir accrescens. in tantam enim effectus est dignitatem, vt matris Dei, cui inter puras creaturas sanctitate, & dignitate nihil est æquale, meruerit esse verus sponsus, & vnigeniti Filij Dei pater nuncupatus. Quibus duobus privilegijs, & titulis auctus est super omnes Patriarchas, & Prophetas, qui ante eum fuerunt, quibus si adiungas, quod quem Reges, & Prophetæ desiderauerunt videre, & non viderunt, & audire, & non audierunt, ipse eum non solum vidit, & audiuit, sed in vlnis sæpe portauit, frequenter amplexus, & exosculatus est, per plures annos cibauit, vestiuit, & paternis officijs ipsi ministravit, iure profecto hoc nomen adeptus videbitur. Si vero virtutem animi spectes, non inferiorem, aut æqualem illi Patriarchæ filio Iacob, sed longe superiorem inuenies. In Ioseph enim illo castitas mirifice commendatur, qui

vt refertur Genes. 39. dominæ sollicitanti ad peccandum, non solum non acquieuit, sed etiam elegit potius iram Domini sui pati, & peccatorem reputari, quam crimen contra Deum committere. Vere magna castitas hæc est; at quis non admiretur supra modum nostrum Ioseph, qui per plures annos cum Virgine pulcherrima, sponsa sua ita conuersatus est, vt tamen nec vilo verbo, nec cogitatione, nec motu interiori, quæ minus cum summa puritate conuenirent, quæq. solent in sanctissimis viris, vel aliqua leui causa subreperere, fuerit inquinatus. Tale profecto sponsum, & consortem habere decebat illam, in qua summa puritas erat, Deiq. Filium matri suæ si non parens, saltem non degenerem sponsum eligere æquum erat, nam quibus Deus munus iniungit, pro muneris qualitate solet communicare perfectionem. Multa dici possent de viri tanti sanctitate, quæ ad conciones referuamus. Hoc vnum adnotasse contenti, si qui in terris deuoti sunt Matris Dei mirabiles in sanctitate progressus faciunt, quantos putabimus fecisse eum, qui per multos annos cum ipsa viuere ac familiariter agere meruit? si quibus ad horam Christum videre aliquando licet, ij spiritus feruorem ardentissimum concipiunt; quantam charitatis flammam existimabimus in illo fuisse, qui illum educauit, quem Filium Dei, & mundi Saluatorem non solum perfectissime credebat, sed suis obsequijs præsens venerabatur? Hæc de nomine.

A N N O T A T I O. LIX.

Ioseph sæpe Virgo permansit.

Non sunt duo quædam silentio prætereunda. Vnum est Epiphanius hæref. 78. affirmasse, Ioseph, quando cum beata Virgine nuptias celebrauit, fuisse viduum, ex alteraq. vxore filios genuisse, qui fratres Domini dicti sunt. Huius etiam sententiæ mentionem fecimus in commentarijs supra Ioannem, quæ nullo argumento probabilis, aut testimonio efficaci fulcitur. Probabilius, & certius est, quod Hieronymus aduersus Heluid. & Augustinus serm. 18. de tempore, asseruerunt, Iosephum fuisse Virginem. quam quidem sententiam vel ipsius doctrina Epiphaniij confirmat, ipse enim Epiphanius ibidem tradit passionis tempore Ioanni Euangelistæ beatam Virginem fuisse commendatam, quia ille virgo erat, decebatq. virginem virgini commendare, quam etiam causam attulerant Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. & Ambrosius lib. de institut. virgin. cap. 7. Si ergo virgo commendata est Ioanni, propter eius virginitatem; profecto non minus decebat virgini tradi Virginem in matrimonium, immo magis congruum id videbatur, nam Ioanni data est in matrem, qui titulus auferret omnem suspicionem inhonestatis, at Ioseph data est in sponsum, qui titulus copulæ coniecturam admittit, maxime cum matrimonij tempore beata Virgo fuerit adolescens, non autem passionis tempore, vt igitur castitas omnino comprobaretur, virgini Virgo tradenda erat, & ita tenendum est.

Alterum, quod silentio prætereundum non est, eundem Epiphanius existimasse Ioseph prouectæ ætatis extitisse, octuagesimum enim excessisse annum, quando beata Virginitatis sponsus factus est, quæ quidem sententia pugnare videtur cum causis desponsationis superius adductis. Nec enim bonæ Virginis apud homines opinioni consulebatur, quæ ex tam prouecto sene concepisse, nequaquam facile crederetur, ex quo etiam calumnia contra Christum ab incredulis Iudæis sequebatur, opponerent enim eum de semine Dauid non fuisse, nec etiam sic partus celabatur Diabolo. Præterea ministerio, ad quod fuit electus, vt beatæ Virgini, & ipsi Christo in ijs, quæ ad corpus spectant, ministraret, tam prouecta ætas inepta erat, indigebat enim potius ipse alieno obsequio, quam ille alteri id posset exhibere. Hoc etiam virtutis ac castitatis excellentiæ ipsius detrahit, vt enim inquit Basilii oratione 8. de temperantia & incontinentia. temperantia, quæ est in senectute, non tam temperantia, quam libidinis, & incontinentiæ quædam est imbecillitas. Non igitur Ioseph ita grandævum credimus, sed eius fuisse ætatis, quæ omnem falsam suspicionem copulæ vitiosæ impediret, & in qua facultas ministeria, & obsequia Filio, ac matri necessaria suppeditandi vigeret. Nec est, quod aliquis obijcere audeat, propter periculum incontinentiæ senem fuisse electum, cum id affirmare esset diu-

Non grandævus sed maturæ ætatis erat Ioseph cum Virgini nuptiæ

nae gratiae injuriam inferre. qui enim cum elegit tantam dignitatem, eam potuit illi gratiam impartiri, & vere impartitus est, ut puritatem omnimodam consequeretur. plus enim potest gratia, quam aetas, castiorque eualet, quem gratia adiuuat etiam in viridi aetate, quam quem aetas longa sine gratia corporis viribus extenuat, ut enim Augustin. lib. 14. de ciui. c. 16. recte dicit aliquando deficiente corpore animi libido non deest. contra vero dicere possumus gratia Dei iuuantem, etiam corpore vigente, & animi, & corporis puritatem adesse. Nec oblat a

Pictoribus Ioseph in aetate senili depingi, id enim ad representandam nobis eius castitatem factum est. Quantum autem temporis Ioseph cum beata Virgine vixerit, ignotum est, scimus usque ad duodecimum aetatis Christi annum vixisse, ut inferius dicitur, an vero plures annos superuixerit, incertum est. Ambrosius existimauit eum superstitem fuisse tempore passionis Christi, quod non videtur probabile. De hac autem re, & super Iohannem scripsimus, & illo etiam loco super Lucam repetemus.

De domo Dauid.

COMMENTARIA.

Non tantum nomen, sed etiam prosapia, seu progenies viri describitur. Erat, inquit, de domo Dauid, id est de stirpe, & progenie Dauid. Origo Ioseph notatur, tum ut beatae Virginis, ex qua Christus secundum carnem natus est, generatio agnoscat, & constet impletum esse, quod prius fuerat Dauidi promissum. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam Psal. 131. erat enim ipsa beata Virgo de eadem domo cum Ioseph, tum etiam ut eiusdem promissionis omni ex parte veritas constet, quandoquidem etiam ex parte eius, qui pater Christi habitus, & sponsus matris Christi electus est. Prophecia completur.

ANNOTATIO. LX.

Chrysostr. hom. 2. in Matthaeum, hunc locum Lucae interpretans, sic legit, erat de domo & familia Dauid, & non solum ad Ioseph, sed etiam ad beatam Virginem refert. Quod autem ad primum dictum spectat, fere omnia exemplaria Latina, & Graeca habent in hoc loco, vnum tantum, nempe (de domo Dauid) quamuis in quodam exemplari Graeco utramque legitur. lectio tamen communis est probanda, scriptum quidem est utrumque inferius cap. 2. eo, inquit, quod esset de domo, & familia Dauid. hoc tamen in loco vnum tantum reperitur, quia sola cognatio, & prosapia significabatur. Quare autem inferius additum sit de familia, dicemus, cum ad illud exponendum peruenimus. Quod ad secundum dictum Chrysostr. spectat, interpretatione opus est, si enim velit quantum ad verborum contextum, hoc referri ad beatam Virginem, durum est, & difficulter accommodatur, nam de solo Ioseph videtur Euangelista locutus, sicut etiam quando nomen eius narrat, dicit enim, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid. Sicut igitur nomen ad Ioseph ipsum, ita domus ad eundem refertur, maxime quia consequitur (& nomen Virginis Maria) si eam de Domo Dauid verbis exprimere in-

tendebat, dicendum erat sic, cui nomen erat Ioseph, & nomen Virginis Maria, de domo Dauid; hoc modo secundum litteram ad utrumque referri poterat. Non igitur sic est intelligendus Chrysostr. sed aliter, nempe hoc ad beatam Virginem referri per consecutionem, nam si Ioseph de domo Dauid erat, consequeretur etiam beatam Virginem de Domo eadem esse. qualis autem sit ista consecutio, ipse explicat Chrysostr. nempe quia viro non licebat, nec feminae accipere in coniugium aliquem, nisi de eadem tribu, & cognatione. viri ergo stirpe, & prosapia exposita etiam sponsae progenies explicatur. Hoc autem diligenter examinare differimus in proprium locum, nempe cap. 3. quando genealogia Saluatoris ab eodem Euangelista describitur, hoc nunc adnotasse sufficiat beatam Virginem absque vilo dubio fuisse de semine & progenie Dauid. Qua autem ratione Ioseph origo describitur, cum non fuerit pater verus Christi, & quare non a beata Virgine genealogia narretur, & an consequatur, si Ioseph fuit de domo Dauid, etiam beatam Virginem de eadem Domo extitisse, in eo loco, quem diximus, inquirendum est, & ibi qui scire volet scriptam inueniet.

Et nomen Virginis Maria.

COMMENTARIA.

Quae dicta sunt de Ioseph, occasione quadam narrantur, nempe ad beatam Virginem describendam, idcirco postquam eam desponsatam viro dictum est, nomen eius explicatur, ut historia, quae de ipsa sequitur, accommodatius texatur, quod non ita fieret, si a principio sic scriptum esset, Missus est Angelus ad Virginem, cui nomen Maria, desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph. Quale autem, & quantum nomen Mariae sit in annotatione lege.

Chrysostr. hom. 2. in Matthaeum, hunc locum Lucae interpretans, sic legit, erat de domo & familia Dauid, & non solum ad Ioseph, sed etiam ad beatam Virginem refert. Quod autem ad primum dictum spectat, fere omnia exemplaria Latina, & Graeca habent in hoc loco, vnum tantum, nempe (de domo Dauid) quamuis in quodam exemplari Graeco utramque legitur. lectio tamen communis est probanda, scriptum quidem est utrumque inferius cap. 2. eo, inquit, quod esset de domo, & familia Dauid. hoc tamen in loco vnum tantum reperitur, quia sola cognatio, & prosapia significabatur. Quare autem inferius additum sit de familia, dicemus, cum ad illud exponendum peruenimus. Quod ad secundum dictum Chrysostr. spectat, interpretatione opus est, si enim velit quantum ad verborum contextum, hoc referri ad beatam Virginem, durum est, & difficulter accommodatur, nam de solo Ioseph videtur Euangelista locutus, sicut etiam quando nomen eius narrat, dicit enim, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid. Sicut igitur nomen ad Ioseph ipsum, ita domus ad eundem refertur, maxime quia consequitur (& nomen Virginis Maria) si eam de Domo Dauid verbis exprimere in-

tendebat, dicendum erat sic, cui nomen erat Ioseph, & nomen Virginis Maria, de domo Dauid; hoc modo secundum litteram ad utrumque referri poterat. Non igitur sic est intelligendus Chrysostr. sed aliter, nempe hoc ad beatam Virginem referri per consecutionem, nam si Ioseph de domo Dauid erat, consequeretur etiam beatam Virginem de Domo eadem esse. qualis autem sit ista consecutio, ipse explicat Chrysostr. nempe quia viro non licebat, nec feminae accipere in coniugium aliquem, nisi de eadem tribu, & cognatione. viri ergo stirpe, & prosapia exposita etiam sponsae progenies explicatur. Hoc autem diligenter examinare differimus in proprium locum, nempe cap. 3. quando genealogia Saluatoris ab eodem Euangelista describitur, hoc nunc adnotasse sufficiat beatam Virginem absque vilo dubio fuisse de semine & progenie Dauid. Qua autem ratione Ioseph origo describitur, cum non fuerit pater verus Christi, & quare non a beata Virgine genealogia narretur, & an consequatur, si Ioseph fuit de domo Dauid, etiam beatam Virginem de eadem Domo extitisse, in eo loco, quem diximus, inquirendum est, & ibi qui scire volet scriptam inueniet.

ANNOTATIO. LXI.

Sacrosanctum nomen Mariae tria significat.

Huius sacratissimi nominis tres sunt etymologiae, quarum prima hac est, apud Hebraeos מַרְיָה significat amaritudinem, & מַר, mare, inde מַרְיָה quasi mare amaritudinis, seu amaritudo maris. Ambrosius lib. de institut. Virgin. cap. 5. admittit hanc etymologiam, negat tamen ab hac significatione sumptum esse nomen Beatae Virginis, sed conuenire dicit Mariae sorori Moysi, cui idem nomen erat, quod & Beatae Virgini. Non tamen omnino reiicienda est, nam & in Beatissima Virgine aliquando completum est, ut mare amaritudinis esset nempe in passione filij sui, quando gladius pertransiuit animam eius, iuxta figuram Noemi; Ruth. 1. vbi legitur Elimelech, & Noemi Bethlehemitas famis vitandae causa recessisse in regionem Moabitarum, ibique marito mortuo feminam viduam in patriam reuersam, cumque audisset vocari se Noemi, quod nomen significat pulchram, nolite vocare me Noemi idest pulchram, sed Marah, idest amaram, quia amaritudine repleuit me Omnipotens. Profecto incomparabiliter maior, & acerbior fuit dolor compassionis Beatissimae Virginis, ut vere dicere posset, vocate me Mariam, id est mare amaritudinis, nec est opus ut etymologia significatio semper conueniat ei, cui nomen est impositum, nam & lapis dicitur a ledendo pede, non tamen semper laedit, satis est, si aliquando laeserit. Illa autem etymologia, quam adfert Ambrosius, ut idem significet Maria, quod Deus ex genere meo, non inuenio, qua ratione trahi possit ab idiomate Hebraeo, aut Graeco.

Secunda etymologia nominis huius est ab idioma te Syro, simul & Hebraeo, apud Syros enim מַרְיָה significat mare, inde maria, quasi Domina maris. Hanc etymologiam secutus est Damascenus libro 4. de fide capit. 15. vbi affirmat nomen Mariae idem significare, quod domina, ratione autem huius significationis vere Beatae Virgini nomen conuenit, ut enim recte ibi dicit Damascenus, quia Dei mater est, dominium habet super omnes creaturas,

Et ingressus Angelus ad eam.

COMMENTARIA.

Prosequitur Historiam ingressus Angeli indicat eam non in plateis, aut in vijs, ut quidam recentiores Haeretici fabulantur, sed domi tunc fuisse, ut recte adnotat Eusebi. homi. de annunti. & quidem in cubiculo clausam, & in domus penetralibus solam sine comite, ut asserit Ambrosi. lib. 2. de Virgini. & lib. 1. offic. cap. 18. immo orans inuenta est ab Angelo ingrediente, & ostium clausum penetrante, ut dicit Bernar. hom. 3. de Beata Virgi. credendum enim est, Deum, qui eam formauerat, & elegerat in matrem, cunctasque illius actiones mirabili prouidentia disponebat, mentem eius in perfectissimam, & altissimam contemplationem excitasse tunc temporis, quando conceptura erat Dei filium, & efficienda Dei mater; & valde consentaneum videtur rationi eam diuinum hoc mysterium aduentus Dei tunc considerasse, nihil tamen de se tale praefundissima sua humilitate cogitasse, aut suspicatum esse.

ANNOTATIO. LXII.

Angeli tribus modis manifestantur hominibus quae Deo precipiente, eis reuelant.

Ingressum hunc Angeli ad Beatam Virginem praenuntiarum fuisse ab Esaia, testatur Epiphanius haer. 78. inquit enim Esaia cap. 8. Accessi ad Prophetissam & concepit & peperit filium. Prophetissa Beata Virgo est, accessus est Angeli nuntiantis, ingressus

& domina merito appellatur, nemo quippe Sanctorum dominus est, quod si interdum eos dominos appellamus, id eis potius honoris gratia quam propter dominium tribuitur, at Beatissima Virgo domina est ex dominio, non solum inferiorum creaturarum, sed & caelestium, hocque epitheto ab Ecclesia nuncupatur, O gloriosa domina. & Ave domina Angelorum, Ave regina Caelorum. Hanc doctrinam docte tradidit Athanasius. sermo. in Euangelium Deiparae prope finem vbi sic inquit, Quia ipse est rex, qui natus est ex Virgine, idemque & Dominus, & Deus, eapropter & mater, quae eum genuit, & regina & domina; & Deipara proprie, & vere censetur; licetque nobis ista congruenter dicere, dum ad ipsam, & ad eum, qui ex ipsa genitus est, carnificum filium respicimus. Haec Athanasius. Nec abs re dicitur domina maris, quamuis enim omnium sit domina, hominum tamen, qui in hoc mundo, velut in periculo, & turbulento mari, nauigant, peculiarem habet prouidentiam, & affectum, vbi continenter invocatur eius auxilium, & perpetuis laudibus celebratur iuxta ipsius Prophetiam Luc. 2. Beatam me dicent omnes generationes.

Tertia huius nominis etymologia est a nomine Hebraeo מַאֲרָה idest luminare. Gen. 1. Fecit Deus luminare maius, & luminare minus, in Hebraeo hoc nomen legitur. Maria ergo idem est quasi luminare, vel illuminatrix. in sancta enim Ecclesia, quae caelo comparatur, Christus est sol iustitiae, luminareque maius illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; Sancti autem velut stellae, qui suo exemplo, & doctrina illustrent hominum mentes; Beatissima vero Virgo luminare minus, & luna est, minor Filio, Sanctis vero longe maior, in qua virtutes omnes super omnium Sanctorum virtutes splendunt, & iure illuminatrix dicitur, quae solem vitae nobis peperit, iuxta has tres etymologias nomen hoc accommodari potest Beatae Virgini.

conceptio, & partus, filij est conceptio, & natiuitas Christi opera Spiritus Sancti facta. Pro intelligentia autem huius angelicae apparitionis sunt nonnulla adnotanda. Primo quidem, quantum ex scripturis sacris licet deducere

deducere, Angeli tribus modis manifestant hominibus, quæ suo ministerio illis Deus significari vult. vt docet Augustinus lib. 12. super Genes. ad liter. cap. 7. & sequentibus. Vno modo intellectualiter, nimirum producendo in intellectu hominis species, & lumen, quibus intelligant, & scientea, quæ eis intendit. reuelatur hoc modo vsus est Angelus, quãdo Matth. 2. Ioseph reuertenti ex Ægypto indicauit: ne rediret in Iudæam. Admonitus, inquit, secessit in partes Galilææ. Illa admonitio fuit vere intellectualis per species in intellectu ab Angelo producta. Altero modo spiritualiter, quando non tantum intellectum hominum excitant per species, & lumen, sed etiam imaginationem; & sensus exteriores mouent per aliquam speciem corpoream, quæ apprehendit vocem aut figuram aliquam; sicut nobis accidit in somnis, quam visionem, seu locutionem appellat Augustinus spiritualem, quia non fit ad sensus exteriores, sed ad solos interiores. sic Angelus locutus est Ioseph Matth. 2. quando ei dixit, vt fugeret in Ægyptum. Angelus, inquit, Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Tolle puerum, & matrem, dicitur apparuisse, & dixisse, quia imaginatiuam, seu phantasiam Ioseph mouit, vt apprehenderet figuram corpoream, & voces similes exterioribus Angeli significantis, quæ illum facere volebat. Tertio modo, corporaliter, & sensibiliter, quando non solum hominis interiora excitant, sed etiam sensibus exterioribus apparerit imprimendo species vel vocum, vel figurarum exteriorum, vt paulo post dicemus. Hanc reuelationem, seu modum significanti appellat Augustinus visionem, quamuis enim fiat aliquando sensibus alijs præter visum, nempe per vocem, tamen à principali sensu omnis reuelatio sensualis visio denominatur. sic apparuit Angelus Zachariæ, quando à dextra altaris visus est in forma corporea, & voces eius exteriori auditu percepit. Sunt multa exempla harum reuelationum Angelicarum in scriptura veteri, ad intelligentiam vero sufficienti, quæ posita sunt. Hæc Angeli apparitio fuit tertij generis, quia in figura corporea, & per voces exteriores facta est.

Angeli multis modis corporali visione se manifestant.

Secundo adnotandum est huiusmodi apparitionem, quæ dicitur visio, & fit sensibus exterioribus, multipliciter fieri. Primo quidem per solas voces in aere formatas, sic Angelus apparuit Abraham Gen. 22. quando clamauit, Abraham, Abraham, ne extendas manum super puerum. Secundo, quando pars aliqua corporis apparet, vt Daniel. 5. accidit Balthasari, quando vidit extrema digitorum humanorum scribentium in pariete. Manæ, Thecel, phares. Tertio quando apparet in figura humana integra, sic Tob. 5. Angelus multis diebus apparuit Tobiæ, & locutus est cum illo in via. Quarto, quando apparet non in humana figura, sed in specie alterius corporis aut animalis, sic Ezech. 1. apparuit in specie leonis, vituli, & aquilæ, & Exo. 3. apparuit in specie ignis. Multa harum apparitionum exteriorum exempla in scriptura inueniuntur. Apparitio autem quæ facta nunc est Beatissimæ Virgini, visio fuit, nam Angelus visui exteriori ipsius per species visibiles se præsentauit, & vocibus exterioribus aures eius excitauit, & in figura humana, non feminea, sed virili visus est. talem apparitionem indicant verba Euangelistæ. dicitur enim ingressus, & locutus, quæ duo significant humanam figuram, & voces. Idem affirmant sacri Doctores, inter quos sunt Hierony. Epist. ad Eustochi. & Aug. ser. 14. de Nat. Domi. vbi affirmat apparuisse tanquam iuuenem facie rutilante, veste coruscante, ingressu mirabili. Ambros. lib. 1. offic. cap. 18. asserit apparuisse in forma peregrina

quasi de re noua, & peregrina nuntium portantem. Congruum autem valde fuit Angelum sic apparere, cum enim annuntiaret Deum carnem humanam iam iam assumpturum, debuit nuntius in humana, & visibili forma apparere, vt & dictis, & factis nuntium quod deferrebat, exprimeret; si enim in lege, & ante legem Angeli visibili, & humana specie sæpe visunt, vt indicarent Angelorum Dominum aliquando carnem humanam sumpturum, profecto quando tale mysterium celebrandum erat, conueniebat nuntium in humana specie visibili apparere, quam existimo fuisse pulcherrimam visu, & auditu suauissimam; quia annuntiabat speciosum forma super filios hominum, & eum, qui locutus erat verba vitæ æternæ, qualiter nemo ante locutus erat. Præterea cum quæ significantia, & reuelanda erant, essent difficillima creditu, & maximi momenti, debuerunt reuelatione efficacissima manifestari, qualis est, quæ non intellectu solo, & sensu interiori, sed quæ etiam sensibus exterioribus fit. Præterea cum Beatissima Virgo mente, sensu exteriori, & interiori tunc Deo seruiret, & in diuinas laudes inuigilaret, deduit vt nuntium acciperet mente, & sensu tam interiori, quam exteriori. An autem tunc Beata Virgo eum nouerit, dicemus inferius.

Tertio adnotandum est Angelos huiusmodi corpora non habere ex se, quasi eorum substantia ex his sit composita, sicut conflata est hominum natura ex corpore & anima. Existit olim inter sacros Doctores non vulgaris controuersia, an Angeli corpora connaturalia haberent, eorumque substantia ex corpore & spiritu constaret. multi enim & grauissimi Doctores affirmarunt, inter quos sunt Origen. lib. 2. Periarchi cap. 2. & 3. Tertul. lib. de carne Christi. & lib. de velan. Virgin. Basil. lib. de Spiritu Sancto. cap. 16. Lactant. lib. 2. diuin. institut. cap. 15. cum alijs, quos prætermitto. Augustinus autem fuit in hac re dubius, & varius, nam in nonnullis locis affirmauit eos esse corporeos, vt in Epist. 115. ad Nebridii. At lib. de fid. & symb. c. 59. & lib. 15. de ciu. cap. 23. difficultatem excitauit, & insolutam reliquit. Communior tamen Doctorum sententia est Angelos esse incorporeos, & immateriales, sicut animas secundum se, ita habent Iustin. in quæstion. de incorporeo. respon. 4. & ante illum Dionysius Areopag. lib. de cælesti Hierarch. cap. 2. vbi Angelos appellat essentias omnino immateriales. Idem Athanas. lib. de communi essentia patr. fil. & Spir. Sancti. vbi definit Angelum viuentem, rationalem, materiæ expertem. Consentiant his Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 10. Damasc. lib. 2. de fid. cap. 3. & Greg. lib. 4. moral. cap. 9. cum alijs. Quorum sententia est omnino amplectenda, quam etiam probauit Concil. Lateranen. Vnde desumptum est cap. firmiter de summa trin. & fid. catholi. vbi creaturarum diuisio fit in incorpoream, & corpoream, & hominem ex utraq; compositum, quod etiam scriptura confirmat, nam Angelos appellat spiritus, quasi materiæ expertes. Id autem est aduertendum Doctores illos, qui Angelos corporeos esse existimauerunt, non sic eos corporeos sensisse, quasi figuram humanam haberent, aut aliquam aliam ex ijs, in quibus apparuisse leguntur, ex quo fit, nemine dissentiente hoc corpus, in quo Angelus Beatæ Virgini apparuit, non fuisse proprium, aut de substantia Angeli, sed assumptum eo modo, quem sequentibus verbis explicamus.

Quarto igitur aduertendum est Angelos huiusmodi corpora, in quibus apparent, ex materia externa constare, & conficere, ex vaporibus condensatis, & varijs coloribus, non tam qualitatatum missione. quam luce, seu lumine illustratis, sicut accidit

Angeli non habent, sed sumunt corpore quando hominibus appaerit.

Quæ ratione Angeli corpore assumant.

cidit in nubiam coloribus ex varia luminis reflexione prouenientibus, diuina enim virtute boni Angeli id efficiunt; mali vero naturales creaturarum virtutes applicando. Quibus quidem corporibus Angeli non vniuntur, sicut anima corpori, sed in ipsis sunt præsentem, & eis tanquam instrumentis virtut ad opera corporea, nec enim per ea opera vitæ exercet, quasi videant, audiât, aliave similia vitæ opera exerceat, sed apparent cum hisce membris, & per ea voces proferunt, aut motus corporeos exercent, vnde Tob. 12. inquit Angelus, videbar vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu vtor, qui ab hominibus videri non potest. accipiebat quidem Angelus cibos, & conterebat corporis assumpti dentibus, sed in substantiam suam non conuertebat, quasi illis nurriretur, ideo non dicitur vere manducare. sonos etiam proferebat formatos in modum vocum, tamen non procedebant à Spiritu

exhalato, vt in nobis, corpus deniq; verum erat, sed non pars Angelicæ substantiæ, nec animatum, aut viuificatum ipso Angelo, sed vt instrumentum motum ab illo, post vsu vero corpora hæc dimittuntur, & dissoluuntur, sicut nubes, aut vapores dissolui solent. Vtuntur autem Angeli his corporibus propter nos, tum vt nobis se adaptent, & ea quæ dicunt aut faciunt, vehementius nostris mentibus imprimant; tum vt suas spirituales virtutes per signa corporea quodammodo nobis significant. Sic solent Angeli depingi, & vt adnotat Chrysol. hom. de incomprehensibili natura Dei. Gabriel aliger depingitur ad significantas eius sublimes virtutes, & vt eum de Cælo ad terras descendisse exprimamus. In huiusmodi ergo eleganti, & specioso corpore, non proprio, sed assumpto Virgini Beatissimæ se nunc præsentat nuntiaturus exteriori sono, & voce summum incarnationis Filij Dei mysterium.

ANNOTATIO. LXIII.

Qua hora diei vel noctis Angelus Mariæ apparuit.

Consideratione dignum videtur, quo diei tempore Angelus nuntium detulerit, & mysteriū hoc celebratum fuerit, vt enim inferius dicemus, statim post Angeli discessum Verbum caro factum est. In hac re non habemus scripturæ testimonium, sed solum Sanctorum Doctorum auctoritatem, non omnium quidem, sed paucorum, & rationes aliquot probabiles, & congruentes. In primis Athanas. in sermo de Deipara. prope finem, in exordio diei dicit Angelum salutasse Beatam Virginem, appellat diei exordium, quantum existimo post mediam noctem, quando solent horæ matutinæ decantari. Dies enim Ecclesiasticus à media nocte in mediam noctem computatur. ratio etiam idem probat, nam cum Christus Dominus natus sit noctu, vt ex Euangelio constat, consequens est conceptum fuisse noctu, sic enim nouem menses perfecte numerantur à conceptionis hora vsq; ad partum, conceptionis enim, & natiuitatis Christi tempus fuit ordinatissimum, sicut autem vigesima quinta Decembris natus est noctu, ita vi-

gesima quinta Martij conceptus est noctu. Præterea quemadmodum noctu natus est ad significantas tenebras ignorantie Dei, quibus mundus premebatur quasq; ipse expulsurus nascebatur, sic eadem ratione eodē tempore conceptus est. Præterea, vt veritati conueniat, Angelus enim missus ad occidenda primogenita Ægyptiorum; & liberandos Iudæos de captiuitate figura fuit aduentus Saluatoris in carne ad liberandos homines de captiuitate Dæmonis, & delenda peccata eorum, venit autem ille media nocte. Sap. 18. Cum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens de cælo a regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram profiliuit. ergo Christus etiam nocturno tempore cõceptus est nam conceptio aduentus quidam est; tunc enim Deus factus est homo, & descendisse de cælis vere dicitur per incarnationem suam, vt dicere similia verba de eâ conceptione liceat, cum quietum silentium tenerent omnia &c.

Dixit.

COMMENTARIA.

Non tantum in humana specie ingressus Angelus apparuit, sed humanis etiam vocibus vsus est, ea verba proferens, quæ à summo Deo, à quo mittebatur, proferenda acceperat.

ANNOTATIO. LXIII.

Angeli quandoque Dei personam, quandoque vero propria repræsentant.

Angeli in humana forma bifariam locuti sunt cum hominibus, priori quidem modo agentes personam Dei, cuius nomine loquebantur; sic Gen. 18. tres viri apparuerunt Abraham, & locuti sunt quasi Deus, cum Angeli essent, quia personam Dei repræsentabant; sic etiam Abraham, & Prophetis sæpe apparuisse, & locutus esse legimus. Posteriori modo Angeli apparuerunt propriam personam agentes & tanquam Dei ministri, & nuntij loquentes; sic Gabriel apparuit, & locutus est cum Daniele cap. 10. & Raphael cum Tobia cap. 12. Hoc igitur modo loquitur nunc Angelus cum Beata Virgine, non quidem Dei personam repræsentans, sed propriam, quasi nuntius Altissimi: vnde verba omnia, quæ pronuntiat, sunt à Deo mittente ordinata, & ea loquitur, quæ in mandatis accepit. Dixit autem de re nouissima, altissima, honestissima, vtilissima, & dele-

tabilissima. Quid enim æque nouum, ac Deum ferri hominem, & virginem parituram, ac matrem simul futuram? quid ita excellens, & alium, ac hominem Deum esse, & humanitatem vni diuinitatis? Quid sic honestum, & sanctum; velut conceptio, Spiritu Sancto superueniente, & virtute Altissimi obumbrante facta? Nihil æque vtile, ac redemptionis, & salutis æternæ opus, nec sic delectabile, vt concipi Saluatorem hominum, victorem mortis, Diaboli, & inferni, ac peccatorum. Dixit breuissimo compendio, quæ si scribenda, & calamo exaranda essent, mundus libros capere non posset.



Aue.

COMMENTARIA.

Gabriel Angelus quattuor praeiicit ut annuntiatione B. Virginis.

Quattuor Angelus facit. Primo quidem Beatam Virginem salutatur. Secundo nuntium explicat. Tertio modum perficiendi rem annuntiatam indicat. Quarto difficultatem, quae de re ipsa concipi poterat, euacuat. A salutatione incipit, tum ut suum ingressum pacificum, & eximij cuiusdam boni causa, factum esse significet; tum, ut ipsa salutatione ad magnitudinem mysterij attendendam, animum excitet; tum etiam ut personam eius, quae iam iam futura erat Dei mater, veneretur; tum demum, ut ad consensum rei nuntiatae Beatam Virginem quodam modo inducat. Verbum autem Aue, exhortantis est ad gaudium, & congratulantis Beatam Virgini ipsius priuatam ac propriam & communem omnium salutem. Est autem salutationis initium valde accommodatum, nam, & salutem, & gaudium annuntiat ei, quae conceptura, & paritura erat auctorem salutis, & gaudij, primum ipsius Virginis, deinde totius generationis humanae.

ANNOTATIO. LXV.

Aue Verbum est gaudij & congratulationis.

Notam, & insolitam salutationem hanc esse adnotant Origenes hom. 6. in Lucam, & Ambrosius in praesenti, & recte. nemo enim hominum audiuit ab Angelo, & quidem verba Dei referente, Gratia plena, benedicta tu in mulieribus. Hieronymus in serm. de assumpt. B. Virg. affirmat, Angelum ipsum admiratum fuisse Beatam Virginis excellentiam, quae tanta erat, ut merito dicere ei posset, gratia plena, &c. Verbum eius primum explicatione indiget, quae, apud Graecos idem est, quod apud Latinos Salve, & gaude. Sacri Doctores posteriorem amplectuntur significationem, ut Basilus hom. de Christi humana generatione. Maria, inquit, edocta, & iussa est ab Angelo gaudere. Gregorius Nise. orat. de nat. Dom. & Euthymius in praesenti, & Titus Bostren. ad gaudium referunt, id quod Augustinus etiam insinuat ser. 15. de pati. Dom. Non est autem hoc loco vox imprecantis, sed annuntiantis, & exhortantis ad gaudium & letitiam, tum de proprio, tum de communi bono: proprio quidem, quia super omnes creaturas etiam coelestes exaltanda erat, mater futura Dei, de quo gaudio ipsa paulo post protulit illud. Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia fecit mihi magna, qui potens est: De communi vero, quia fructus ventris eius totius mundi salus, & redemptio erat. Est etiam altera huius verbi ratio, quam adferunt Augustinus, & Gregorius Nise. locis

allegatis, nempe ut Angelus Beatam Virginem Aue illi primae opponeret, indicans illam principium futurum salutis, sicut Aeva initium mortis, & miseriae. Primum enim verbum contra Aeuam prolatum Gen. 3. illud fuit: Multiplicabo arum eas tuas; primum igitur Beatam Virgini verbum allatum contrarium est, gaude, quasi diceret; primae mulieri tristitia primo annunciata est, quia initium fuit mortis, at tibi annuntiat primo gaudium, quia futura es mater vitae. De causis gaudij in Saluatoris aduentu dicendum erit inferius cap. 2. in explicatione illius sententiae [gaudium euangelizo vobis]. Possimus etiam hoc idem salutationis verbum interpretari simul, ut etiam significet idem, quod, Salve. non quod Angelus imprecetur salutem ei, quam sciebat matrem salutis futuram, sed quod salutem per eam annuntiat futuram quasi diceret, Salve, quia salus mundo per te aduenit, & in te medicina vitae, ac sanitatis conficietur. Praeterea est verbum congratulationis, quo Angelus Beatam Virgini congratulatur, & letitiam prae se ferre de maximis donis, quibus a Deo illa erat affecta, & proxime afficienda, qua ratione Ecclesia nunc decantat: Salve Sancta parens, enixa puerpera Regem. Verbum igitur hoc & salutis, & gaudij est, atque exhortantis, annuntiantis, & congratulantis, ut declaratum est.

Gratia plena.

COMMENTARIA.

Salutationis Angelicae conexio.

Salutatio haec tacite mysterij annuntiationem continet, quam a Beata Virgine nondum perceptam dilucidioribus postea verbis explicat. Connectuntur autem omnia tria salutationis verba, nempe gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, verbo, Aue, quasi tres causae gaudendi. Primum est, gratia plena, quasi dicat, gaudere te, & saluere iubeo, quia gratia plena. Tu praeter tua humilitate profundissima, talem te non reputas; at a summo Deo, a quo mittor, qui falli non potest, hoc nomine digna iudicaris, & ab eo te hoc nomine salutandi mandatum accepi, Et vere gratia plena es, quae supra omnes Deo sic placuisti, & grata, & accepta facta es, ut lium suum de te carnem assumere decreuerit. Aue ergo gratia plena. Plura habes in annotatione.

ANNOTATIO. LXVI.

Gratia tria significat.

Gratia plena, Graece est vnum verbum, *χερις*, quod trahitur a nomine *χαρις*. Oportet ergo explicare, quid *χαρις*, quod Latine gratia dicitur, significat. Aduerte igitur & in sacra scriptura, & apud prophetas etiam scriptores nomen hoc tripliciter usurari. Primo quidem pro quadam complacentia affectus, secundum quam dicitur homo homini placere: sic Gen. 39. dicitur: Inuenit Ioseph gratiam coram domino suo, id est placuit, & acceptus est domino suo, & Esther 2. Inueniebat Esther gratiam apud omnes, qui videbant eam, id est placebat; & grata erat oculis videntium, & omnibus complacebat. Illa igitur complacentia, quam videntes erga Esther, aut dominus erga Ioseph concipiebant, dicitur *χαρις*, & gratia. Non est autem idem gratia, & amor: nam amor est affectus quidam, quo alteri bonum volumus; gratia vero affectus, quo aliquis nobis placet & gratus, ac acceptus est: ideo nomina distincta sunt apud Graecos *χαρις*, & *Αγαπη*. Amamus etiam saepe eos, qui nobis non placent, nec accepti sunt, quales sunt inimici, ideo gentes idolatrae finxerunt aliam Deam amoris, aliam gratiae.

Gratia & amor differunt.

Secundo hoc nomen significat id, quod est in illo, qui nobis placet, & acceptus est, causaque est, ut nobis placeat, hinc est gratiam significare leporem; venustatem, elegantiam, denique quidquid illud est, in quo complacemur. Dan. 1. Dedit Deus gratiam in conspectu Principis Eunuchorum. Eccles. 26. Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata. Colos. 4. Sermo vester sit in gratia semper sale conditus. Sicut autem in prior significatione distinguebatur ab amore, ita etiam in hac posteriori distinctio est, nam quod amorem conciliat aliorum, dicitur Philtron, quod vero gratiam, & acceptionem, & complacentiam, gratia seu *χαρις*.

Tertio significat beneficium, quod ex gratia & complacentia procedit, ijs enim, qui nobis placent, solemus beneficia conferre, ideo ipsum beneficium gratia dicitur, Eccles. 29. Gratiam fidei iussoris ne obliuiscaris. Gen. 12. Viuat anima mea ob gratiam tuam. Non autem quodcumque beneficium gratia dicitur, sed quod gratis, & sine villo pretio, aut merito, sponte, & libenter confertur. Rom. 11. Si gratia iam non ex operibus. In praesenti ergo accipitur in secunda significatione, ut gratia sit illud, quod est in aliquo, quod gratum, & acceptum facit alteri, siue quo vnus placet alteri, siue Deo, siue homini, nam etiam Deo placent homines, & accepti sunt. Ab hoc nomine *χαρις* iuxta secundam significationem trahitur verbum *χαρισμα*, significans idem, quod Latine gratum facere, seu efficere, ut aliquis placeat alteri. sic Eph. 1.

dictum est. In laudem gratiae ipsius, in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo, ibi est verbum hoc. De enim per Christum fecit nos gratos sibi, donans ea, quae ipsi placent, & quae ei nos acceptos, & gratos efficiunt. inde deriuatum est participium passiuum in feminina terminatione *χεριτωμενη*, quasi grata facta Deo, in qua ea sunt, quae Deo maxime placent, & accepta sunt. erat talis Beata Virgo, gratiosa in oculis Dei, ita tamen ut eam gratiam a Deo ipso obtinuerit. potest enim participium locum nominis verbalis tenere, ut fieri solet. Attende autem participia, siue verbalia nomina, quae deriuantur a verbis terminatis in [ω], significare quandam abundantiam, & plenitudinem, ut non quouis modo gratam, sed abundantissime, & plenissime gratam fuisse indicet, quod Latinus interpres sapienter considerans vertit, gratia plena. Illud enim participium nominaliter accepit, ideo non vertit, gratia repleta, sed plena gratia, ut maiorem in hoc abundantiam significaret, certum enim erat Deo esse acceptam. Fuit autem illa vere plena gratia, quae ita accepta fuit, & placuit Deo, ut in matrem vnigeniti Filij sibi consubstantialis electa esset ab aeterno Patre. Hinc patet, quantum errent Neoterici quidam, qui hanc vocem reijciunt, quasi Graeco vocabulo minus accommodatam, & verendum censent, Aue gratia dilecta, aut gratiosa, alijque modis, contra receptissimam, & ab Ecclesia receptam versionem, Aue gratia plena, quae supra omnes eorum interpretationes perfectius explicat vim vocis Graecae, & gratiam Beatam Virginis verius significat. Cui accedit auctoritas grauissimorum Patrum, Ambrosius enim in praesenti, & lib. 1. de Spiritu Sancto c. 7. & Augustinus serm. 14. & 15. de Nat. Dom. ita legunt & interpretantur, quibus ne quis falso opponat, non fuisse in Graeco idiomate multum versatos, adiungo Graecos Patres doctissimos. Athanasius in hom. de Deipara hoc participium eucharitomeni interpretans dicit, Beatam Virginem ea de causa sic esse appellatam, quia adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret, quid apertius dici potuit, quo verbum nostrum probaret, Gratia plena? Accedat Epiphanius haere. 78. prope finem ubi, ut significationem participij eucharitomeni explicaret, addidit verbum expressum [secundum omnia] eucharitomeni quo plenitudinem, & abundantiam exprimeret, quae eo nomine insinuata erat. Hieronymus etiam, qui etsi Latinus sit, propter sermonis tamen Graeci insignem peritiam inter Graecos est computandus, in serm. de Assumpt. Beatam Virg. vertit (gratia plena) sicq. exponit, ut paulo inferius dicemus. Haec de voce hac dicta sint.

ANNOTATIO. LXVII.

De multiplici plenitudine gratiae, qua Maria a Deo cumulata est.

Ut merito iureque optimo Beatam Virginem gratia plenam dici intelligamus, quae sit haec abundantia, & plenitudo indagandum est. Multiplici de causa Beata Virgo gratia plena appellata est, multoq. gratiae plenitudinis modos obtinuit. quorum primus est quantum ad partes, seu diuisiones gratiae, ut enim a Paulo docemur 1. Cor. 12. diuisiones gratiarum sunt, quas Deus non singulis omnes confert, sed pro sua voluntate distribuit. Alij, inquit, datur sermo sapientiae, alteri gratia sanctorum, alteri opera virtutum, alij sermo prophetiae. Denique Spiritus Sanctus non omnes vni, sed singulis partem pro suo be-

neplacito donat. At Beatam Virgini gratiam quoad omnes suas partes contulit, & in ea omnium diuisorum membra cumulauit, ut supra omnes sanctos gratia plena sit. Hanc plenitudinem tradidit Athanasius hom. de Deipara, ubi sic inquit: Ita quoque Spiritus Sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quae illi per rationem principatus diuini adsunt, imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret. Haec Athanasius. Accedit Hieronymus serm. de Assumpt. B. Virginis. Bene, inquit,

ne, inquit, plena, quia ceteris per partes prastatur Maria vero se tota infudit plenitudo gratia. Et paulo inferius inquit: In Mariam totius gratia plenitudo, quae in Christo est, venit, quamvis aliter, quia etiam si in sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena. Doctae igitur S. Thomas de Aquino 3. p. q. 27. ar. 5. dicit, Beatam Virginem, quamvis omnes gratias habuerit, non tamen omnium usum habuisse, nam miraculorum virtute in hoc saeculo non est vsa, licet eam obtinuerit.

Plenitudo gratiarum an fuerit B. Virginitate an te, vel post incarnationem Filii.

Hanc plenitudinem gratiarum in Beata Virgine fuisse non est dubitandum, in vero hac plenitudo fuerit ei collata ante Filij incarnationem, an vero post, id est in controuersia. nam Athanasius, & Hieronymus locis allegatis affirmant eam gratiam Spiritu Sancto superueniente, quando filium concepit, consecutam fuisse. At S. Thomas asserit etiam ante conceptionem Filij illi fuisse datam: mihi probabilius videtur, quod Athanasius, & Hieronymus tradunt non tamen propter hoc excludenda est plenitudo haec a verbo Angeli, nam ut hi patres dicunt gratia plena salutatur, non a sola gratia praesenti, sed ab ea etiam, quae iam iam implenda erat, quod enim proximum est praesenti, pro praesenti habetur, maxime ab Angelo, qui, quae futura in hoc mysterio erant, nouerat, & hunc Spiritus Sancti aduentum praenuntiaturus venerat.

Gratia partes in duplici sunt differentia.

In cuius rei declarationem, & ut certa ab incertis distinguamus, aduerte, gratia partes in duplici esse differentia, quaedam enim perficiunt hominem absolute, quae nimirum ad rectitudinem, & sanctitatem, & innocentiam habentis pertinent, qualia sunt donum gratiae iustificantis, fides, charitas, spes, ceteraq. virtutes, dona Spiritus Sancti, fructus, & beatitudines. Quaedam aliae perficiunt hominem in ordine ad alium, nec homini dantur propter utilitatem praecipue propriam, sed propter alios, qualia sunt donum linguarum, donum prophetiae, virtus miraculorum, & gratia sanitarum, ceteraq. similia quae dicuntur gratiae grati datae. De prioribus non est in controuersiam vertendum Beatam Virginem habuisse plenitudinem ante Filij conceptionem, ijs enim gratijs disposita, & praeparata est a Deo, ut dignum Filij habitaculum effici mereretur, eratq. perfectissima, & sanctissima, Deoq. acceptissima super omnes creaturas; ut vere dicta sit ab Angelo gratia plena, & gratiosissima apud Deum. De posterioribus controuersia est, uti diximus, & sententiae Athanasij, ac Hieronymi adhaesimus, uti iam dictum est, nimirum hanc plenitudinem post Filij conceptionem consecutam fuisse, cum primum mater Dei effecta est. Haec igitur est prima plenitudo.

Beata Virgo etiam ex parte subiecti gratia plena.

Secunda plenitudo fuit ex parte subiecti recipientis gratiam. Sunt enim in homine plures partes, scilicet, anima, & corpus, seu spiritus, & caro, seu intellectus, & sensus, ratio, & appetitus, quae quidem partes in hominibus iustis non replentur gratia, etenim iusti, & sancti in hoc saeculo non eam gratiam acceperunt in anima, quae a carnis appetitu auferret illam legem peccati aduersantem spiritui, de qua Rom. 7. dicit Paulus; Video legem in membris meis repugnantem, legi mentis meae, & captiuantem me legi peccati, & paulo post. Mentis seruo legi Dei, carne autem legi peccati, quamvis enim gratia efficiat, ut mens, & spiritus non succumbat carni, & appetitus impulsibus, praebatq. victoriam, non tamen subijcit carnem, ne contra spiritum insurgat, eumq. impugnet, licet non expugnet. Vnde in omnibus iustis dicitur inhabitare peccatum, longe enim aliud est regnare peccatum in corpore, seu carne, &

Quomodo peccatum in omnibus iustis dicitur inhabitare, non tamen regnare.

inhabitare; regnat quidem, quando ratio, mensq. cedunt, & consentiunt carnis impulsui contra legem Dei, vincitq. caro spiritum; at inhabitat tantum, quando caro quidem impellit, & luctatur contra spiritum, tamen non vincit, sed vincitur, & reprimitur. Dicitur autem peccatum inhabitare tunc, non quod impulsus ille sit peccatum, non accedente rationis consensu, ut recte dicit Augustinus lib. 1. de ciui. cap. 25. sed quod inclinor, & intiget ad peccatum, & sit etiam effectus peccati, nam ex originali culpa solutus est appetitus a rationis imperio perfectio. Hanc differentiam nos docuit Paulus, qui Rom. 7. dicit: Non ego illud operor, sed quod inhabitat in me peccatum, & Rom. 6. Non, inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore, in carne igitur Pauli inhabitabat peccatum, sed non regnabat. Hunc appetitum effrenem, & rebellem contra spiritum pugnantem appellat August. concupiscentiam 1. de ciu. c. 25. & legem peccati lib. 2. de peccat. mer. cap. 28. & fomitem peccati Epist. 29. ad Hierony. quo vocabulo Theologi vsi sunt, & recte, propter similitudinem, ut enim fomes facile inflammatur, & ignem accendit, sic appetitus iste solutus & rebellis qui a peccato processit, in peccatum trahit, nisi spiritus per Christi gratiam eum comprimat. Hic autem fomes non vno modo carnis appetitum excitat contra mentem, & ea, quae legis Dei sunt, sed multis. Nam aliquando delectatione carnalium, aliquando timore rerum difficultium, aliquando timore, & torpore spiritualium, idq. multis modis, & inducendo in malo, & retrahendo a bonis, iam. Nemo Sanctorum eam plenitudinem gratiae accepit, ut caro eius subdita omnino spiritui esset, sed contra eum pugnet, & reluctaretur, hoc est Beatae Virgini priuilegium concessum, ut anima & corpore, spiritu & carne, subdita esset omnino Deo, nec quicquam in ea esset quod reluctaretur diuinae voluntati, & legi, ablatum enim est fomes ille, id est appetitus carnis subiectus est spiritui. de cuius enim illam carnem sacratissimam, de qua Verbum caro factum est, purgatissimam, & purissimam esse ab omni eo, quod legi Dei aduersatur. Eapropter gratia plena dicta est ex parte subiecti. Hanc gratiam concessam Beatae Virgini affirmat Leo ser. 2. de Nat. Immaculata, inquit, virginitas concupiscentiam nesciuit, quo verbo Leo insinuat etiam ante Filij conceptionem fomitem hunc ablatum ei fuisse, dum enim dicit, Virginitas nesciuit concupiscentiam, significat, quam antiqua virginitas fuit, fuisse etiam concupiscentiae ignorantem, id est fomitis ablationem, a sua ergo conceptione caruit fomite, & cum gratia accepit priuilegium istud. Quamvis autem Richardus de Sancto Victore lib. 2. de Emmanue. cap. 28. asserat ablatum esse illi fomitem, quando Filium concepit. tamen certius est & verius, quod Leo affirmat: si enim ante conceptionem Filij habuisset fomitem a veniali peccato ante hanc conceptionem vix fuisset immunis, quod Catholico iam post Concilium Tridentinum diceret non licet, ut paulo inferius explicabitur. Semper ei ergo fuit plena gratia ex parte subiecti, & a ventre matris.

Fomes peccati variis modis excitat carnis appetitum contra mentem, & ea quae legis Dei sunt.

Fomes etiam ante Filij conceptionem extinguitur in B. Virgine.

Gratia omnia sibi contraria expulsa a Maria.

originale contraxit, nec vllum actuale, non solum mortale, sed nec veniale admisit, quae gratia ex priuilegio diuino illi concessa est & quidem quantum ad actuale Concilium Tridentinum ses. 6. c. 23. credendum statuit tanquam firmam Ecclesiae confessionem B. Virginem nullum actuale, nec veniale quidem peccatum perpetrasse in vita. Vere ergo gratia plena fuit, & inter omnes sola hanc consecuta est plenitudinem, quam Augustinus non est ausus inficiari; nam lib. de natura, & gratia cap. 36. habet haec verba: Excepta Sancta Virgine, de qua propter honorem Filij nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem. inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, ac parere meruit eum, quem censat nullum habuisse peccatum. Haec Augustinus. Sunt autem ponderanda verba Sancti, & egregij Doctoris; propter honorem, inquit, Filij, igitur spectabat ad honorem Filij matrem omni care re peccato. Rursus nota causam (meruit concipere, & parere) igitur ante conceptionem Filij omni carebat peccato, si quia meruit concipere, inde est nullum habuisse peccatum. Nota illud omni ex parte igitur loquitur de omni peccato actuali, atque originali, & si honor fuit Filij matrem non habere veniale, igitur nec originale, nam hoc grauius est, cum priuet Dei gratia, & efficiat filium irae, & inimicum Deo. Praeterea ibi Augustinus de omni peccato agit etiam originali, nam generaliter probat omnes habuisse peccatum etiam infantes, & vitur illo testimonio Pauli Rom. 5. Omnes peccauerunt, igitur Beatam Virginem ab omni peccato immunem fuisse asseruerat, & haec est gratiae plenitudo ex parte contrariorum, de qua nunc loquimur. Haec autem plenitudo non solum aduersantia peccata remouet, sed etiam ea, quae disponunt ad peccatum, qualia sunt hebetudo mentis, repugnantia affectus, ignorantia rerum spiritualium, & alia huiusmodi, quae in Beata Virgine non fuerunt, in qua nullum omnino nec veniale peccatum fuit.

Concordabat opera Mariae cum gratia, & donis, quibus ditata fuit.

Quarta plenitudo est ex parte actuum, & operationum; ad cuius declarationem attende, quamvis gratia iustis concessa eos Deo gratos, & acceptos faciat, non tamen per eam possunt omnia opera, & actus suos rectos, ut oportet facere. hinc est, quod labuntur in venialia saltem peccata: quotus enim quisque est, qui nullum verbum vnquam otiosum, nullam imaginationem inutilem, nullum vel oculi intuitum, aliquemve actum minus rectum proferat, sed in omnibus, & singulis sanctum, & iustum se exhibeat? nemo profecto. At Virgo Beatissima nullum actum, nullam cogitationem, nullam operationem habuit, quae non esset sancta, iusta, Deoque accepta: si enim aliter se habuisset, sine peccato vita non egisset, quod tamen nunquam commisisse certum est. Praeterea, quis est, qui nihil omittat, vel leue saltem ex ijs, quae omittenda non erant? at in Beatissima Virgine nulla omisio, vel minima reprehensione digna reperta est. Praeterea, non quaeuis gratia est sufficiens, sed requiritur abundans ad actus & operationes heroicas, & excellentes virtutum. Virgo autem sanctissima eam habuit gratiam, per quam ad quoscumque virtutum actus eminentes, & arduos exercendos erat praeparata. Actus enim eminentissimus fidei erat, verbis Angeli enuntiantis ea, quae omnem superabant captum, credere, & tamen per gratiam acceptam assensit. De qua fidei magnitudine dicendum est postea; quod autem de fide dicitur, idem de alijs omnibus virtutibus est sentiendum, ut in progressu manifestabimus. Vere ergo fuit gratia plena.

Quinta plenitudo gratiae fuit ex parte eminentium virtutum, quas Dominus Deus Sanctis suis distribuit. Quamvis enim Deus iustis suis virtutes omnes singulis concesserit, tamen non datum est singulis in omnibus eminere, sed pro suo beneplacito partitus est excellentias virtutum. quidam enim Sancti eminentur temperantia, quidam castitate, quidam humilitate, quidam fortitudine, quidam contemplatione, quidam charitatis feruore, denique diuersis sunt diuersa dona huiusmodi praestita, & Sanctorum Ecclesia etiam in hac parte circumdata est varietate. in Beatissima vero Virgine omnes virtutum excellentiae collectae sunt. idcirco in multis feminis egregijs, quae diuersis donis eminentur fuit figurata. in Abigail propter prudentiam, in Iudith propter fortitudinem, in Ruth propter honestatem, in Anna propter religionem, in Iahel propter sapientiam, in Esther propter charitatem proximi, & alijs, quas facile est inuenire in scriptura veteri. Quod autem hanc plenitudinem mirum in modum explet, illud est, quod non solum eminentiae virtutum, & donorum alijs diuisim concessae in Beatissima Virgine conuenerunt, sed incomparabiliter maiores, & superiores, quam in singulis Sanctis etiam noui testamenti extiterunt. Magna profecto fortitudo S. Laurentij, insignis charitas S. Ignacij, mirabilis humilitas S. Francisci, impenetrabilis sapientia Pauli, denique quotquot in Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginitibus, Patriarchis, & Prophetis, omnibusque iustis, immo & Angelis ipsis eminentur virtutes, & dona, superatae sunt plura dici possit a Beata Virgine. Mira est hac plenitudo, quam ille Magnus Gregorius nos docuit in Commentar. super lib. Reg. fere in principio, ubi inter alia, quae paulo post referemus, sic inquit: Mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritum verticem supra omnes Angelorum choros, vsque ad solum deitatis erexit. Huius enim motis praerexcellentissima dignitatem Esaias vaticinans ait: Erit in nouissimis preparatus mons Domini in vertice montium. mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes Sanctos resulsit. Haec Gregorius, qui hanc plenitudinem ante Filij conceptionem fuisse docet. Hieronymus etiam etate prior in Sermon. de Assumpt. Beatae Virginis sic inquit: Patribus per partes est gratia distributa, at in Beata Virgine totius gratiae plenitudo fuit. Vere igitur de Beatissima Virgine illud Psalm. 86. possumus affirmare: Fundamenta eius in montibus sanctis. Montes sancti sunt eminentiae, & culmina virtutum, & donorum Sanctis concessa, quae fundamenta sunt, quia supra eas, sicut super fundamenta erigitur aedificium, ita altitudo sanctitatis Beatissimae Virginis se extulit. Haec est plenitudo quinta.

Maria eminerebat in singulis & in vniuersis virtutibus.

Maria quomodo digna fuit, quae Dei mater eligeretur.

Sexta plenitudo fuit sufficientiae, & dignitatis, haec autem est, qua ad eum gradum sanctitatis ascendit, ut digna esset, quae Filium Dei conciperet, & mater efficeretur eius, qui consubstantialis est aeterno Patri. Huius plenitudinis magnitudo ex ipsa dignitate cognosci potest, esse enim Dei matrem omnem superat dignitatem, & excellentiam purae creaturae, post illud enim quod supra omnia creata est, nempe esse hominem Deum, proximum est Virginem esse matrem Dei. tanta igitur, & tam admiranda dignitatis mater digna effecta est per gratiam. Hanc dignitatis plenitudinem constitet Ecclesia, sic Deum orans: Omnipotens sempiterna Deus, qui gloriosae Virginis matris corpus, & animam, ut dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, praeparasti. Et in quodam hymno decantat: Quem meruisti portare, resurrexit, sicut dixit. Augu-

Augustinus etiam lib. de natura & gratia cap. 36. & Serm. 14. de Nata. meritum hoc confirmat, non quod ullus mereri potuerit ut Deus homo fieret, sed postquam gratis voluit Deus nostram carnem sumere, sic disposuit Beatam Virginem, ut digne ex ea conciperetur, adeoque ipsa quadam ratione meriti supra omnes mereretur effici Dei mater. Hoc idem Gregorius in lib. Regum prope principium affirmat, sic dicens: Beatissima Dei genitrix mons fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes choros Angelorum usque ad folium Deitatis erexit. Ante Augustinum etiam & Gregorium Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. non solum hanc plenitudinem dignitatis, & sufficientiæ docet, sed etiam affirmat in verbis Angeli eam esse significatam. Verba Ambrosij sunt: Ave, inquit, gratia plena, spiritua-lem utique in ea declarans gratiam, quod in ea Spiritus sanctus superueniret, & plenum gratiæ vterum verbo esset habitura cælestis. Quæ verba intellige de gratia, qua obtinuit, ut Spiritu sancto superueniente Dei Filium conciperet.

Maria præ omnibus fuit grata Deo.

Septima plenitudo est acceptionis, per gratiam enim Deo sumus accepti, & grati, Beata autem Virgo eam gratiæ plenitudinem accepit, ut super omnes homines, & Angelos sit dilecta, & accepta Deo. post Christum enim Dei Filium & hominem neminem diligit æque Deus, ac matrem, cuius gratia longo intervallo superat Sanctorum gratiam & acceptionem, qui hac dignitate matris multo sunt inferiores.

Ecce quibus modis Beatissima Virgo gratia plena dicta sit, in quibus adverte, non sic nunc dici plenam, quasi plus gratiæ postea non acceperit: non enim hoc ita est; nam post salutationem hanc, magnam adhuc copiam gratiæ accepit à Spiritu sancto

A N N O T A T I O. L X V I I I.

Conueniens fuit Deum non peccatricem, sed sanctissimam matrem eligere.

Cum igitur Virgo Deo grata, & omni virtute referta electa sit in matrem, inquirendum est, quare Dei Filius feminam sanctam, & gratia plenam elegit matrem. Hoc quidem non ex necessitate factum est, nam potuit Dei Filius de peccatrice femina carnem sibi sumere, & homo fieri sine vlla labe peccati inde contracta, ut recte affirmavit, & docuit Anselmus lib. de concep. Virg. c. 18. cum enim eadem sit peccatrice, & sanctæ feminæ substantia, & caro, potuit ex utraque corpus sibi Filius Dei formare, & sibi vnire, nec ob id contagione peccati inficeretur, quia non per commissionem viri & feminæ ex Adam concipiebatur, nec erat merus homo, sed homo simul & Deus cui repugnat peccatum. Caute ergo legendus est Richardus de S. Vi. lib. 2. de Eman. c. 26. dicens, Si virgo Beata ab omni peccatorum contagio purgata non fuisset, Dei filium generare non posset, ut ergo Virgo conciperet, Virgo pareret, summa puritate opus habebat. Hæc interpretari debemus non quidem absolute, sed supposita diuina ordinatione, per quam sanctam eligere decreuit. Inuestiganda igitur sunt causæ congruentes, propter quas ita factum est. Quattuor autem sunt huius mysterij causæ. Vna ex parte totius Trinitatis, quæ ad Filium carne induendum cooperata est; secunda ex parte Christi concepti, & carne induti; tertia ex parte ipsius Virginis matris; quarta ex parte finis incarnationis huius.

Prima ergo ex parte sanctissimæ Trinitatis traditur ab Anselmo loco proxime citato, ea autem est, Pater

superueniente, quam etiam eminentissimis meritis operum, & virtutum per totum vitæ tempus in hoc sæculo auxit. Plenitudo ergo hæc abundantiam quandam & copiam significat, non autem talem perfectionem, ut nequeat plus accipere, nam de facto accepit. sola enim humanitas Christi eam gratiæ plenitudinem ab instanti incarnationis habuit, quæ augeri non posset. Solet autem scriptura copiam & abundantiam nomine plenitudinis significare, Act. 6. Stephanus plenus gratia & fortitudine dicitur. & in hoc eodem capite Elisabeth repleta Spiritu sancto dicta est. Sic Beata Virgo plena nunc dicitur, quamvis hæc plenitudo & abundantia omnem concessam hominibus longe superauerit, ut diximus. Hinc deducitur, quanta sit nunc Beatissima Virgo in cælis, quæ ante Verbi conceptionem gratia plena fuit, & in conceptione referta est gratia, & post conceptionem, & partum merita à nobis immensurabilia, & indicibilia cumulauit. Omnis autem hæc plenitudo matris à Filij merito, & gratia processit, quia de plenitudine eius omnes acceperunt. Ioan. 1. Erit ergo plenitudo hæc matris ab illa perfectissima, & absolutissima plenitudine Christi, impletumque est illud Psal. 46. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus, hoc enim tabernaculum de Beata Virgine interpretatur Athanasius serm. de Deipara, quamvis Basilus hom. in eundem Psal. de Christi humanitate, quæ fuit tabernaculum diuinitatis, explicet. vnus tamen sensus alteri non aduersatur, sed simul stat uterque; nam Dei Filius suam humanitatem, & matrem, quamvis non eodem modo, sanctificauit. Attende etiam hoc loco ab Angelo gratia plenam dictam non solum propter sanctitatis acceptionem apud Deum, sed etiam quod ad eam gratiam euecta erat, ut Filium Dei, conciperet, sicque Deo grata foret, ut in matrem Filij eius esset electa, hoc enim insinuat Angelus hoc verbo, quod postea ipsemet explicatius enuntiauit.

diligit Filium suum sibi consubstantialem, decuit ergo Patrem non peccatrici, & inimicæ, sed sibi dilectissimæ Virgini talem Filium dare. Præterea per incarnationem Filius Dei factus est Filius Beatæ Virginis, & ipsa Virgo eius mater, decuit ergo Filiū diligere matrē, quod non fieret, nisi esset sancta & gratiosa. Præterea Spiritus Sanctus sua opera interuenturus erat in Christi conceptione, ut nasceretur Sanctus, decuit ergo Spiritum sanctum ipsam Virginem sanctificare, adeoque totam Trinitatem Virginem sanctam in Dei matrem assumere.

Ex parte Christi etiam id fuit valde congruum, cum enim ipse conceptus sit Sanctus, & immaculatus, congruum fuit eligere matrem concepturam sibi valde similem, ut scilicet esset Sancta, & immaculata, non solum tunc, quando concepit, sed etiam ante, & post. Præterea cum ipse Filius auctor sit matris, ipseque suum sibi fecerit tabernaculum, condecens fuit, ut dignum se illud efficeret, cumque filiorum sit benefacere parentibus, cum possunt, eum, qui erat omnipotens multo magis benefacere matri conueniebat, beneficium autem gratiæ, & sanctificationis est potissimum & supra omnia naturalia. Adde si Euam seruam fecit Sanctam, & creauit in gratia multo magis Virginem matrem.

Ex parte etiam Virginis id congruum fuit, cum enim mater Dei, & Domina omnium creaturarum futura esset, non debuit vnquam filia & serua peccati, & dæmonis esse. Præterea, qui accedit maxime Soli, maxime illuminatur, cum ergo Beatissima Virgo ma-

go maxime accesserit Deo, cum eius mater vera sit effecta, supra omnes illuminata est lumine gratiæ, debuit sanctitas eius esse supra omnium Sanctorum sanctitatem, nempe ut nullius peccati fuerit particeps, sed sancta vndequaue.

Ex parte etiam finis congruitas est, venit enim

Dominus tecum.

C O M M E N T A R I A.

Alteram causam gaudij, simul etiam mysterij partem Angelus prænuntiat, Dominus, inquit, tecum, id est auere te oportet, quia iamiam fiet, ut Dominus sit tecum ad perficiendum in te, & per te mysterium altissimum, & opus admirabile, nam Pater tecum, quia eius virtus tibi obumbrabit; Spiritus Sanctus, quia in te superueniet, Filius autem, quia in vtero tuo, & de substantia tua fiet homo. Hoc secundum cum primo connectitur tanquam eius causa quædam, quasi dictum esset, gratia plenam te saluto, & prædico, quia obtinuisti, ut Dominus tecum sit.

A N N O T A T I O. L X I X.

Circa hæc verba, Dominus tecum, dum caute attendenda.

Cauere hoc loco duo debemus, primum quidem hæresim quorundam affirmantium hanc salutationis vocem, Ave gratia plena, Dominus tecum, esse ipsam Filij Dei, & æterni Verbi hypostasim, & substantiam, hancque ingressam fuisse in Virginis vterum, & carne indutam. huius meminit Athanasius, eamque reijcit in Sermo. de Deipara, quæ quidem assertio impia est, & blasphema, nam vox hæc fuit sonus quidem in aere formatus, & articulatus ab Angelo, sicut humanæ voces ab homine formantur, quæ ad aures audientium pertinent, & pereunt cum sono ipso, manente specie in sensibus interioribus, & significatæ rei in mente: at Verbi æterni hypostasis & substantia insensibilis est, & permanens semper, ab illa voce Angeli differens, sicut creator à creatura, multo magis quam homo à sua propria voce, siue verbo. Secundo quorundam assertionem dicentium ad huius vocis Angelicæ prolotionem, Dominus tecum, fuisse Verbum æternum hominem factum, carneque in vtero Virginis indutum, ita videtur sensisse Petrus Episcopus Alexandriæ & martyr, cuius sit mentio in Concil. Ephesi. tom. 2. cap. 7. & Concil. Chalced. Sess. 1. cuius verba hæc sunt: Vera Euangelista prædicat, dum ait: Et Verbum caro factum est. Tunc videlicet, cum Angelus sacram Virginem eiusmodi oratione salutauit, Ave gratia plena, Dominus tecum, hoc est Dei Verbum nunc tecum est, nam illa Gabrielis salutio Deum Verbum in vtero Virginis natum, & carnem factum significat. Hæc Petrus Alexandrinus, cui sententiæ accessit Nicephorus lib. 1. Histori. cap. 8. affirmans præsentem Angelo, & cum ipsius voce Verbum Dei æternum intrans-

biliter descendisse, & naturam nostram induisse. Hæc vero doctrina reijcienda est, nec vlla ratione probanda, quæ & verbis Euangelicis, & Patrum communi sententiæ aduersatur, nam post salutationem, respondet sacra Virgo: Quomodo fiet istud? quasi nondum sit factum. Angelus, etiam verba de futuro profert: Ecce concipies, & Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit. demum est responsum sacre Virginis: Fiat mihi secundum verbum tuum. Igitur ad salutationis illius prolotionem Verbum caro non est factum, expectabatur enim sacre Virginis consensus, quod etiã Patres confirmant. Athanasius loco citato affirmat conceptionem Verbi secundum carnem peractam fuisse post Angeli discessum, tantum abest, ut sit facta ad prolotionem illius verbi: Dominus tecum. August. Serm. 18. de Sanctis, Noli, inquit, morari Virgo, nuntio responde festinanter verbum, & suscipe Filium: da fidem, & senti virtutem. Hæc Augustinus. Damascenus etiam lib. 3. de Fid. cap. 2. docet post sacre Virginis consensum Verbum esse carne indutum. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 27. & post consensum, & post superuentionem Spiritus sancti Verbum carnem factum docet. Non igitur illud Angeli verbum: Dominus tecum, ita interpretari debemus, quasi tunc, cum proferebatur, Verbum caro fieret, sed cum iamiam immineret mysterij complementum, annuntiat quasi præsens, quod proximum est. præsertim cum vox [Dominus tecum] careat verbo præsentis temporis, absoluteque sit prolatum, quod ad futurum etiam trahi potest.

A N N O T A T I O. L X X.

Tribus modis Deus dicitur esse cum hominibus.

Aduerte Deum dici esse cum hominibus in scriptura tripliciter. Primo quidem per auxilium, protectionem, aut defensionem. Iudi. 6. Dixit Angelus Gedeoni, Dominus tecum virorum fortissime, id est Dominus auxiliator, & protector tuus est. Isai. 41. Ne timeas, quia ego tecum sum. Hierem. 1. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum, ut eruam te. Secundo per gratiam, ratione cuius dicitur Deus esse in homine, & cum homine, quia per eam valet cum ipso, & in eo habitat. Sap. 9. Mitte sapientiam de Cælis Sanctis tuis, ut tecum sit, & tecum laboret. Ter-

tio per quandam coniunctionem ratione naturæ humanæ assumptæ, secundum quam in terris visus, & cum hominibus conuersatus est. Matth. 1. Vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est nobiscum Deus. Fuit autem cum Beata Virgine Dominus non tantum per auxilium, & protectionem, nec etiam per solam gratiam, sed per quandam particularem coniunctionem: quia ex ea genitus est, & in eius ventre fuit, qua ratione iolus Filius Dei cum ea fuit. At vero ad hoc operandum mysterium tota Trinitas cum ea erat, uti in commentario diximus, quem modum Ange-

lus præcipue significauit. quod enim iam inibat, quasi præfens annuntiat, sic Bernardus Sermo. 3. super [Missus est] interpretatur, dicens: Tota Trinitas tecum, Pater, cuius virtus obumbrabit; Spiritus sanctus, qui superueniet; Filius, qui carne induetur à te, idest de tua substantia, & in te. Augustinus Sermo. 18. de Sanctis idem alijs verbis dicit: Dominus, inquit, tecum, tecum in mente, tecum in auxilio, tecum in ventre. Aduerte præterea Athanasium in Epist. ad Marcellinum, de interpretatione Psalmorum, interpretari illud Psal. 44. Audi filia, & vide, quia concipiuit &c. de Beata Virgine prædictum esse, illudque [Quia concipiuit rex speciem tuam] idem significare, quod [Gratia plena] illud autem [Quoniam ipse est Dominus Deus tuus] esse idem, quod [Dominus tecum.] Optat ergo Dauid consensum Beatae Virginis ad nuntium Angeli, ex quo pendeat Verbi conceptio, ob id dicit, Audi filia, & inclina aurem tuam.

Quare Angelus non dixerit, Deus, sed Dominus tecum.

Non est autem sine consideratione prætereundum, cur Angelus non dixit, Deus tecum, sed Dominus tecum. Athanasius in Sermo. contra omnes hæreses, asserit Angelum appellasse Dominum, ut si-

gnificaret se communem Dominum habere cum Beata Virgine, Deus enim & Angelorum, & hominum Dominus est. Causa autem accommodata mihi ea videtur, scilicet, cum Angelus intenderet Beatam Virginem ad consentiendum tanto nuntio inducere, nomine Domini tamquam argumento quodam usus est. Si enim Dominus est, eius dicto obediendum est, & imperio ipsius consentiendum, quasi diceret, o Virgo sacra attende me præcepta Domini tibi annuntiare, Dominumque esse, quem tecum futurum annuntio; oportet igitur te non dissentire ei, cui summa debetur obedientia. Huic sensui respondet verbum sacrae Virginis, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, quasi diceret, cum Dominus sit, qui eius voluntati, & iussui refragetur. Sic habemus 1. Reg. 3. Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat, & Exod. 20. Legem daturus dicebat Deus: Ego Dominus Deus tuus. Hoc igitur dominium proponit Angelus, ut ijs, quæ annuntianda erant, Beata Virgo præberet consensum, simul etiam ut indicaret, se non proprio arbitrio accedere, sed iussum, & missum à Domino.

Benedicta tu in mulieribus.

COMMENTARIA.

Tertiam causam gaudij, & mysterij partem prænuntiat, Benedicta, inquit, tu in mulieribus, fiet enim ex hoc, quod Dominus sit tecum, ut Filium concipias, & parias, quo cunctas benedictiones prolificas feminis factas exuperes, & antecelas. Concipies enim & paries hominem, qui sit Filius simul Dei, virginitatem etiam maternitati sine dolore coniunges, ut & prole, & concipiendi ac pariendi modo sis inter omnes singularis. Hanc benedictionem beata Elisabeth paulo post explicuit, repleta Spiritu Sancto clamans, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, idest benedicta tu in mulieribus, quia fructum benedictum concepisti, & paries. Hoc verbum Angelus non expressit, sed tacite insinuauit, expressurus salutatione perfecta. Aduerte igitur hanc Angeli salutationem, tacitam quandam fuisse mysterij annuntiationem, quam Beata Virgini non assequenti explicuit verbis disertioribus. Gratia dicitur, quia inuenerat gratiam apud Deum, ut in matrem eligeretur, Dominus tecum, quia tota Trinitas cum ea futura erat, Pater quidem obumbrans, Spiritus vero Sanctus superueniens, Filius denique carnem induens. Benedicta vero pronuntiat, quia conceptura, & paritura erat Filium talem ac tantum. Sunt autem tres hæ causæ gaudendi, & vna alterius causa, Aue, & gaudere, quia gratia plena, quia Dominus tecum, quia benedicta in mulieribus. Præterea, quia gratia plena est, ideo Dominus tecum, & quia Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

ANNOTATIO. LXXI.

Quare Maria præ cunctis mulieribus benedicta dicatur.

Quod ad verba spectat, illud [in mulieribus] August. Serm. 10. & 11. de Natali Domini, & Ambrosius legunt [inter mulieres.] Hieronymus vero in Serm. de Assumpt. legit ut nos, In mulieribus, & interpretatur, scilicet, plus benedicta, quam omnes mulieres. sensus idem est, vtrius modo legas, ad verbum in Græco est: In mulieribus. Quod vero ad sensum pertinet, quidam recentiores benedictam interpretantur, quia digna est, ut omnes de ea bene loquantur, parum tamen accommodata est expositio, licet vera sit doctrina. Aduerte igitur inter multas benedictionum species, quas Deus confert, vnam esse fecunditatem ad multiplicandam prolem, de qua dicitur Genes. 1. Benedixit

illis Deus, & ait, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Gen. 49. Omnipotens benedicit tibi benedictionibus vberum, & vuluæ. Tob. 7. Deus Abraham, Isaac, & Iacob coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. Hanc benedictionem nunc Angelus significat, idcirco benedictam in mulieribus pronuntiat. Quamuis in alijs benedictionibus absolute, in omnibus etiam viris benedicta fuerit, sic exponit Augustinus Sermo. 11. de Natali Domini, cum dixit, inquit, benedicta tu in mulieribus, virginitatis eius benedictum fructum expressit, & Serm. 10. Benedicta, inquit, tu inter mulieres, quia ecce concipies, & paries Filium. Fuit autem sacratissima Virgo supra omnes feminas

feminas benedicta, cuius fecunditas tanta fuit, ut Filium Dei conciperet, & pareret, tamque mirabilis, ut sine grauiamine grauida, sine corruptione mater, sine dolore puerpera esset. Sunt quidem in Scriptura quedam mulieres benedictæ super alias pronuntiatæ, Iud. 15. Benedicta inter mulieres Iahel. Iudith. 13. Benedicta es tu filia à Domino præ omnibus mulieribus; at nulla talem ac tantam consecuta est benedictionem, qualis ac quanta ab Angelo nunc profertur. Fuit etiam multis alijs modis non super mulieres solas, sed & super omnes viros, immo & Angelos benedicta, de quibus dicemus, cum inferius hæc eadem verba ab Elisabeth repetita explanabimus.

Contra impugnantes Angelicæ salutationis usum.

Hic aduertendum est Ecclesiam, & fideles hac uti salutatione quotidie, adiunctis verbis Elisabeth, Benedictus fructus ventris tui, & quibusdam, quæ pro statu præfenti nostro faciunt, Ora pro nobis peccatoribus, Amen. Quam salutationem hæretici nostri temporis ferre non possunt, vano argumento decepti, quod iam Annuntiatio peracta est, & res ipsa, quam talis salutio prænuntiat, quasi non essent modi, & sensus multi alij, in quibus eadem verba frequenter repeti possent. Athanasius ille magnus in Sermone de Deipara, Angelicas Hierarchias in cælis hisce eisdem verbis Beatissimam Virginem laudare perpetuo affirmat, clamat enim omnes: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, ab hisque Hierarchijs cælestibus nostram terrestrem hierarchiam didicisse asserit. Quid ergo nobis vitio id dant hæretici, quod nouem Angelorum chori etiam nunc decantant, & quod ab eisdem didicimus de-

cantare? Non autem hæc verba proferimus, quasi annuntiare velimus, quod futurum est, sed multis alijs modis. Primo quidem in memoriam tanti beneficii, quantum per sacram Virginem recepimus, cuius fide, & consensu effectum est, ut mysterium salutis nostræ impleretur. Secundo, in gratiarum actionem, dum enim hanc repetimus salutationem, Deo immenso, qui Filium suum carnem indui de nostra substantia voluit, ipsique sacrae Virgini, quæ se Ancillam promptam exhibuit, gratias agimus. Tertio, quadam sancta, & spiritali congratulatione, congratulamur ipsi sacrae Virgini, quod tot ac tanta à Deo beneficia acceperit, ut mater Dei dignissima sit facta. Quarto ob quandam laudis acclamationem, qua eam magnificamus, & implemus, quod ipsa prædixit, Beatam me dicent omnes generationes. Quinto propter cultum & reuerentiam, quam ipsi præstitimus, ut serui Domine, & reginæ nostræ, ac matri Dei. Hac de causa solemus Psalmos cantare Domino, quamuis sine de rebus iam transactis. Sexto ad contemplationem, qua eius mirabilem perfectionem, gratiam, sanctitatem, ac dignitatem intuemur. Septimo in inuocationem, & petitionem, qua eius auxilium, opem, & intercessionem imploramus, reducentes velut in memoriam verba Angelica, quando prouecta est in tantam celsitudinem, ut pro nobis posset apud Filium, magna sane cum fiducia intercedere. Non ergo est, cur ab hac salutatione repetenda retrahamur, sed quod intimo cordis affectu, & mentis attentione, cum gaudio, & humilitate deuotissime, & frequentissime eam recitemus, & sacratissimæ Virgini offeramus.

Quæ cum audisset.

COMMENTARIA.

Describit Euangelista, quæ salutatione peracta, in Beata Virgine facta sunt; hæc autem tria fuere. Primum, audiuit salutationis verba. Secundum turbata est. Tertium, cogitauit, qualis esset ista salutio. Primum verbis propositis exprimitur, audiuit Beata Virgo salutationis verba auditu exteriori, & verborum significationem mente apprehendit.

ANNOTATIO. LXXII.

Loci huius lectio expenditur.

Adnotandum est exemplaria Græca habere [quæ cum vidisset] & ita legit Ambrosius, & interpretatur, proptereaque existimat ad visum Angeli in viri specie turbatam fuisse Beatam Virginem, ut paulo post explicabimus. Communis tamen lectio est [cum audisset] & sic legit Bernardus homil. 3. super [Missus est] & hæc lectio accommodatior est, nam statim sequitur, cum audisset, turbata est in sermone eius. Sermo autem non ad visum, sed ad auditum pertinet; si autem dictum esset [cum vidisset] oportebat dicere, turbata est in visu eius. Quam verborum connexionem perpendit Ambrosius, & propterea legendum putauit, Turbata est in introitu eius, quæ lectio, ut inferius dicemus, aduersatur exemplaribus Græcis, & Latinis. Legendum igitur est [cum audisset.] etiam si autem Græcus codex haberet [cum vidisset] interpretari oportet; cum audisset. est enim verbum videndi in Scriptura omnibus sensibus commune, ut adnotauit recte Augustinus tra-

ctatu 121. in Ioann. nam Exod. 20. dicitur, Cunctus populus videbat voces, & Marc. 15. Vide in quantis te accusent; quibus in locis usurpatur pro auditu. & Ioan. 21. Affer digitum tuum huc,

& vide manus meas. vbi pro tactu accipitur. Sunt multa huiusmodi testimonia: ita nunc dicendum est, cum vidisset, idest cum audisset, nam verbum sequens, turbata est in sermone eius, indicat non pro visu, sed pro auditu accipi debere.



A N N O T A T I O. L X X I I I.

An Maria ab
initio saluta-
tionis Angeli
nouerit.

Dubitatio est, an Beata Virgo nouerit Angelum salutantem? dico salutantem, nam nouisse eum postea, quando mysterium annuntiauit, certum est, & sine controuersia; difficultas autem est, an à principio agnouerit, quando ingressus eam salutauit. Ambrosius lib. 2. de Virginit. affirmat, Gabrielem solum esse apparere Beatæ Virgini, tamen quando ingressus est ad salutandum, in viri forma visum esse, & ideo non agnitum fuisse; postea vero nomen ipsum Virginis pronuntiantem, Ne timeas Maria, agnitum esse. Hieronymus epist. ad Eustochium, de custodia virginitatis, asserit adeo consternatam fuisse Beatam Virginem, quia Gabriel in forma viri apparuit, vt respondere continuo non potuerit, tamen audito nuntio, quæ hominem formidabat, cum Angelo fabulatur intrepida. Bernardus Serm. 3. super [Missus est] affirmat Beatam Virginem sciuisse, Angelum Satanæ solum se transformare in Angelum lucis, idcirco cogitasse, qualis esset salutatio, maxime quia præ sua humilitate ab Angelo lucis tantam salutationem non sperabat. Conueniunt hi tres Doctores à principio non nouisse Angelum. discrimen autem est inter eos, nam Ambrosius, & Hieronymus sentire videntur Beatam Virginem existimasse hominem esse, qui salutabat. Bernardus vero, nouisse non hominem, sed Angelum esse; dubitasse vero, an esset Angelus bonus, an malus. Athanasius in qq. ad Antiochum q. 12. dicit Beatam Virginem mente vidisse nudam Angeli substantiam; & ei soli in hoc sæculo id priuilegium fuisse concessum, at non distinguit tempora Athanasius, an à principio, an postea, ex quo tamen absolute loquitur, sentire videtur etiam à principio nouisse, vt pote quæ nudam ef-

sentiam intellectu aspiciet.

In hac parte quædam mihi videntur probabiliora. Primum est, Beatam Virginem non existimasse hominem esse, quem videbat, tamen quia clausa cum esset in cubiculo, nocturnoque & intempestiuo tempore etiam domus fores clausæ essent, non erat, cur arbitrata esset hominem eum, qui tunc repente illic apparebat, maxime cum solita esset Angelorum colloquijs vt, vt idem testatur Ambrosius. Præterea, vt Augustinus Serm. 14. de Natiuit. Domini dicit, corporis ab Angelo assumpti effigies adeo lucida, & pulchra erat, vt hominum pulchritudinem naturalem superaret. Præterea, quia tunc non in sermone, sed in visu eius turbata diceretur. Demum, quia verba salutationis, non ab homine profecta esse videbantur, sed ab Angelo. Secundum est Beatam Virginem non dubitasse, an Angelus esset bonus, an malus, sed certam fuisse bonum Angelum esse, etiam à principio. Hoc mihi probabilius est; si enim dubia de hoc esset, potius cogitasset, quis is esset, quàm qualis esset eius salutatio. Rursus, verisimile non est in tanto, ac tam ad credendum arduo mysterio Dominum permisisse, vt nuntius incertus videretur. Adde Beatam Virginem inter gratias tunc à Deo acceptas consecutam fuisse spirituum perfectam discretionem, nouit ergo bonum fuisse Angelum. Postremo si Zacharias Angelum nouit à principio, non videtur, cur Beata Virgo eundem non agnouerit, quæ Zachariam multis partibus antecellebat. Nouit ergo à principio, an autem viderit essentiam Angeli distincte, vt Athanasius dicit, argumenta efficacia id affirmandi non inuenio, sicut nec negandi.

Turbata est.

C O M M E N T A R I A.

Hoc est secundum, audiens Beata virgo Angeli salutationem, turbata est, id est timuit cum quadam corporis commotione, quæ solet animi timorem commitari præcipue, cum magnus est, vt diximus superius de turbatione Zachariæ.

A N N O T A T I O. L X X I I I I.

Quid animi
passiones sint,
& efficiant.

Aduerte animi affectus, nempe timorem, tristitiam, gaudium, iram, ceterosque similes appellari turbationes, vt affirmat Augustinus tract. 60. in Ioan. causa autem, cur hoc nomine vocentur, ea est, quia sunt cum quadam corporis commotione, & alteratione. bilis enim, sanguis, ceterique humores commouentur, & alterantur cor, partesque corporis vitales interiores, & aliquando ad exteriores peruenit turbatio, nam pallescunt, qui timent, rubescunt, quos pudet, aliasque mutationes patiuntur. Propterea à Philosophis hi affectus etiam passiones appellari solent. Non quidem, quod timere, irasci, sperare, & cetera sint omnino passiones corporeæ, cum sint actus animi, & appetitus, sed quod coniuncti sint corporis passionibus, & alterationibus huiusmodi. Hinc Philosophi in scholis distinguunt duo in affectibus istis; formale, quod vocant, nempe actum animi, & naturale, corporis scilicet alterationem. Ex apprehensione enim obiecti fit primo in animo, & appetitu actus ipse timendi, vel desiderandi, vel amandi, vel alius similis, & hic commotionis in corpore causa est, quæ quidem commotio maior, aut minor est pro varietate affectuum, & pro magnitudine singulorum.

Solent hæc turbationes & animo, & corpori nocere; corpori quidem, quia ægritudinis causa aliquando sunt; animo vero, quia multum immutant ipsum, dum obiecta faciunt aliter apparere, quàm sunt, vt enim linguæ & oculo extraneis humoribus affectis, obiecta solent aliter representari, quàm sint, & apparet iuxta humorum qualitatem, ita hæc perturbationes intellectui obiecta immutant, corporis enim ministerio intellectus vtitur ad intelligendum. Vnde Ambrosius in Psal. 118. Ser. 6. ver. 3. dicit mentem non videre perfecte sua obiecta his turbationibus existentibus, sicut nec oculus, quado humoribus extraneis est alteratus. quod quidem intellige, nõ quod mens videre nequeat, sed quod difficile id sit. Hinc est turbatos affectibus male iudicare de rebus frequentissime, sed non semper. non enim est mens, sicut oculus, nam hic discursu, & ratione caret, illa vero pollet. Hi autem affectus, & commotiones, si ratione temperentur, solent multum acuire, & excitare animum ad opera virtutis exequenda: turbatio enim fortem animosorem facit. Attende demum, quamuis affectus hi quantũ ad actus animi. liberi sint, & in potestate hominis, vt recte docet Greg. Nyssen. lib. 5. de Philosophia cap. 3. tamen sæpe sunt necessarij,

necessarij, insurguntque ex obiecti apprehensione etiã nolentibus nobis, præueniuntque rationem, & dicuntur naturales affectus, id est non à libero animo procedentes: turbationes vero corporeæ, ex actu animi siue libero, siue necessario consequuntur ex necessitate, etiam si aliquando liberum sit nobis excitare animum ad timendum, posito tamen timore liberum non est efficere, seu impedire, quominus timor hic turbet corpus. Hæc breuiter dicta sint de his affectibus pro intelligentia huius loci, quem nunc explicamus.

Qualis fuerit
Mariæ turba-
tio.

Est igitur inquirendum, quæ, & qualis fuerit turbatio Beatæ Virginis, & de primo nulla est difficultas; turbationem enim hanc fuisse timorem Doctores sine controuersa asserunt, idque Angelus ipse confirmauit, nam subiunxit, Ne timeas Maria, quasi diceret, turbata es timore, Ne timeas. Dicta autem est turbata, quia non solum animo concepit timorem, sed ex timore sacratissimum corpus ipsius commotum, & alteratum est, vt solet timentibus accidere: id autem conuenientissime factum est ex diuina prouidentia; timor enim initium est sapientiæ, & dispositio quædam ad gratiam, quæ igitur corpore receptura erat Filium Dei, & nouo modo eius anima replenda erat gratia ex superuentione Spiritus sancti, timorem animo, & corpore concipit.

Qualis autem fuerit turbatio hæc, difficilius est inuestigare. Aduerte igitur tres exitisse turbationes. Prima fuit Zachariæ, de qua supra dictum est, Turbatus est Zacharias. Secunda hæc est Beatæ Virginis. Tertia est ipsius Christi Domini. Ioan. 12. Nunc anima mea turbata est. & Ioan. 13. Turbatus est spiritu. & Ioan. 11. Turbauit seipsum, & dixit. Omnes hæc turbationes conueniunt in vno, sed differunt in multis. Conueniunt quidem, nam cum quadam corporis commotione factæ sunt: in Christo enim corporis motionem agnoscimus ex Ioan. 11 dicitur enim turbauit seipsum, & paulo post lachrymatus est, quæ lachrymatio interiorum commotionem corporis indicabat. De Zacharia autem, & Beata Virgine non est dubitandi causa: non enim dicuntur timuisse, sed esse turbati. Non quidem fuit æqualis turbatio, seu commotio in omnibus, nec eadem animi affectio, nam in Beata Virgine, & Zacharia timor erat, in Christo vero non omnes tres allegatæ affectiones fuerunt timoris, vt in Commentarijs supra Ioannem explicuimus. Hoc tamen commune est fuisse cum quadam corporis motione tam in Christo, quàm in Beata Virgine, & Zacharia. Est tamen discrimen. Primo quidem affectus

Quibus conue-
niant & differ-
rant turbatio-
nes, quæ de
Zacharia, Dei
para, & Chri-
sto in Euange-
lio leguntur.

in Zacharia potuerit eò peruenire, vt rationem perturbarent, & à recto abducerent, immo illa perturbatio, & timor sic excreuit, vt mentem illius ad incredulitatem reprehensione dignam inclinaret: at in Beata Virgine ita affectus hi omnes erant ordinati, vt rationem à recto nunquam abducere possent. Secundo in Beata Virgine non solum affectus eò peruenire non poterant, vt rationem abducerent, sed neque contra rationem insurgere; in Sanctis enim hominibus affectus inueniuntur, qui contra rationem resistent, quamuis diuina gratia ratio contra eos præualeret, nec illis succumberet, de quibus dicitur Rom. 7. Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ. Beatæ vero Virgini ex diuino priuilegio concessum est, vt nullos tales affectus, aut motus pateretur, qui non solum non expugnarent mentem ac rationem, sed nec etiam oppugnarent; in Christo autem non solum hoc fuit, sed etiam omnes eius affectus erant voluntarij, & liberi; non enim timebat, nec irascebatur, nec tristabatur, nec ex reliquis aliquem affectum habebat, nisi quando volebat, & quomodo volebat. idcirco affectus eius nõ passiones, sed propassiones à Theologis appellantur; idque sumptum est à Hieronymo Matth. 26. in illud: Cœpit contristari, hoc enim nomine Christi affectus appellat, nobis autem ex necessitate, & nolentibus sæpe accidunt, vt hæc tria in nostris affectibus patiamur, & quod nolentibus in nobis sæpe fiant, & quod contra rationem insurgant, eamque impugnent, & quod eis aliquando, quamuis id libere faciamus, succumbat ratio. nihil horum in Christo fuit, in Beata autem Virgine duo posteriora certum est non fuisse, an tamen tertium sit ei concessum, vt omnes eius affectus in ipsius fuerint potestate, & liberi, non ita certum est, nec habemus expressam in hoc Patrum doctrinam, est tamen probabile, & rationi consentaneum id etiam habuisse, vt qualis Filius, talis etiam & mater, licet non in æquali excellentia, & perfectione extiterit, nec eadem causa, Christus enim id habuit ratione personæ, quia Deus erat, Beata vero Virgo ex priuilegio, sicut & quod vterque nullum peccatum habuit, non quidem pari causa. Ad hoc affirmandam maxime inducor, quia quod affectus in nobis rationem præueniant, & inuoluntarij sint ex originali peccato prouenit, quod omnes sumus affecti, cum autem Beata Virgo tali peccato infecta non fuerit, consequitur nec habuisse tales affectus. Si igitur nunc turbata est, voluntarie turbata est, & affectus timoris hic non passio, sed propassio dicenda est.

In sermone eius.

C O M M E N T A R I A.

Hoc est tertium, nempe causa timoris, & turbationis, hæc autem fuit sermo Angeli saluatorius; ex verbis enim illius suspicata est aliquid ad conceptionem spectans, quodque minus cum virginitate constaret, dubitabatque ne forte Dominus vellet eam maritali copulæ indulgere, vt virum aliquem insignem conciperet, & pareret, & ignara mysterij, virginitati suæ, quæ in summis ei votis erat, timuit, & turbata est; verba enim Angeli, vt diximus, conceptionem, & partum insinuabant. Eximius igitur amor virginitatis, ac puritatis, causa fuit timoris ex verbis salutantis Angeli concepti, quasi aliquid, quod virginitati non conueniret, annuntiantis, maxime cum se matrimonio copulata cerneret, & cum ex scriptura didicisset Angelos conceptionem, & partum hominibus aliquando prænuuntiasse. Est autem Hebraismus [in sermone] pro [sermone].

Vnde orta fue-
rit Mariæ con-
ceptio.

Quod ad litteram spectat, Ambrosius hic, & lib. 1. Offici, cap. 18. & lib. 2. de Abraham cap. 9. legit [in introitu eius] lectio tamen singularis est, cum ceteri omnes, fauentibus Græcis, & Latinis exemplaribus, legant [in sermone eius.] Quod vero ad sensum attinet, non caret difficultate scire, quæ fuerit causa timoris, & turbationis huius proxima. In qua re multæ Patrum exitere sententiæ. Primo loco Origenes hom. 6. in Lucam, causam timoris asserit fuisse excellentiam, & magnitudinem salutationis; solemus enim timere rerum excellentium, & insolitari præsentiam, ut enim inquit Athanasius in vita S. Antonij; Timor non solum ex imminenti mali consideratione, sed etiam ex rerum magnarum aspectu incutitur. Huic doctrinæ obstat, quod sequitur; Cogitabat, qualis esset ista salutio. dicendum enim erat, iuxta Origenis sententiam, quanta esset ista salutio. Præterea, quia cogitatio hæc, qualis esset ista salutio, indicat timorem ex rei futuræ meditatione ortum esse; cogitabat enim, quod tenderet ista salutio. Præterea, quia Angelus, ut timorem remoueret, dixit, Ne timeas, quia inuenisti gratiam apud Deum. Si rei magnitudo, timoris causa erat, potius hæc verba timorem auxissent, quibus rei magnitudo amplificabatur.

Secundo loco Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 9. & lib. 1. Offici, cap. 18. timoris causam affirmat fuisse Angeli visionem, qui in forma viri insolita, & peregrina apparuit, quæ causa non accommodatur verbo [in sermone eius] dicendum enim erat in visione eius, nec etiam verbo sequenti [cogitabat qualis esset salutio.]

Tertio loco Hieronymus in Epist. ad Eustochium, de custodia virginitatis, non solum insolitam viri faciem, sed etiam salutationem; quia nunquam à viro salutata erat, timorem incussisse dixit. Huic tamen obstat, quod dicitur [in sermone eius, & qualis esset ista salutio] non igitur persona, sed sermo illius causam timoris attulit.

Quarto loco Euthymius, timoris & turbationis causam eam asserit extitisse, quia dubitabat, an esset Angelus lucis, an Satanæ, & dolosus. idem dicit Bernard. Serm. 3. in Missus est. Huic repugnat, quod sequitur [in sermone eius, & qualis esset ista salutio] cogitasse etiam potius quis esset, & ex eo timuisse, diceretur.

Quinto loco idem Bernardus Serm. 3. super Missus est, virginalem verecundiam causam timoris fuisse dicit, quæ etiam tuta timere solet, sed nec hoc accommodatur sequentibus verbis. non enim verecundia

Et cogitabat, qualis esset ista salutio.

COMMENTARIA.

Hoc est quartum, cum enim nondum percepisset plene Angelicæ salutationis sensum, cogitavit, qualis esset ista salutio, nempe quo tenderet, & quis finis, quæue causa eius esset. Sicut autem timere fuit eximiæ castitatis, ita cogitare, & secum inuestigare salutationis causam, insignis prudentiæ erat, vtrumque autem tam timor, quam cogitatio, quæ effectus erat timoris, voluntarium fuit.

ANNOTATIO LXXVI.

Euthymius in præsentem, & Bernardus Serm. 3. in [Missus est] suam interpretationem prosequentes, hanc sententiam sic explicant, nimirum cogitabat, qualis esset ista salutio, an à Deo, an à Sa-

tanæ, an ab Angelo lucis, qualis esset ista salutio; cogitatio enim indicat nondum percepisse salutationis sensum.

Pro rei huius explicatione illud ante oculos proponendum est, cum Beatissima Virgo plena esset tunc gratia, & Spiritu sancto in omnibus suis actionibus duceretur, maximisque & heroicis esset ornata virtutibus, non est verisimile illam concepisse timorem huiusmodi, qui imperfectioni alicui esset coniunctus, minusque statui tam eminenti congrueret. Hinc sequitur non satis accommodatam videri sententiam Hieronymi, & Ambrosij, timere enim ad viri faciem pugnat cum fortitudine, & roboris magnitudine, quæ erant in Beata Virgine, potius dicenda esset timiditas, quæ imperfectorum est, quam timor. Eadem de causa Euthymij sententia non videtur probabilis; timor enim ille imperfectionem indicat, cum spiritus discernere non valeret. Nec etiam sententia Bernardi, verecundia enim illa naturalis quædam passio est, rationem præueniens. Quod autem dicit Origenes, uti diximus, contextui non accommodatur. Mihi igitur probabilius visum est timorem Beatæ Virginis à ratione incœpisse, & ad partem sensitiuam peruenisse, cuius causa fuit insignis amor virginitatis, cum enim in Angeli verbis aliquid, quod prolem, & conceptionem redoleret apprehendisset, & modum adhuc ignorasset, timuit dubitans virginitatem se conseruare non posse, quamuis enim Angelum Dei agnosceret, & quod futurum erat, Dei voluntatem esse non dubitaret, ipsique se in omnibus conformem exhiberet, virginitatem tamen conseruare summopere optabat. Iciebat enim Deum ita quæ præcipit velle nos facere, ut non displiceat, in eisdem nos dolorem concipere. nam cum iussit Abraham filium suum occidere, non displicebat Deo dolor Abraham de filio occidendo; ita nunc Beata Virgo Dei voluntati obediens paratissima, virginitatem amittere timebat, qui timor perfectissimus, & honestissimus fuit, dignusque tanta Virgine. Hanc causam insinuat Augustinus Serm. 2. de Annunciat. Domini. Ne timeas, inquit, inuenisti gratiam apud Deum, ne à conspectu meo terrearis mater Domini mei, ego conceptionis tuæ miniiter adueni, non ut virginitatem amitteres, interueni. Hæc Augustinus, & Gregorius Nyssenus orat. de Christi natiuitate. Angelus, inquit, partum denuntiat, illa virginitatem complectitur, castitatem præferens Angelicæ apparitioni, non quod non esset obediens diuinæ voluntati, sed quod vellet, si posset virginitatem conseruare.

Auctoris sententia.

adhibuimus. Suspiciata enim est Beata Virgo ex salutationis verbis aliquid, quod ad prolem, & generationem spectabat; idcirco timuit castitati suæ, nondumque de ea re certior facta, diligenter cogitabat, quo tenderet salutio, an scilicet esset id quod timebat, verbum etiam Græcum *παραδός*, hunc sen-

sum admittit, sicut & Latinum illi respondens [qualis.] inuestigabat enim qualis esset salutio, nimirum an eius esset generis, quæ fieri solet ad prolem aliquam annunciandam, an ad aliud quidpiam significandum.

Et ait Angelus ei.

COMMENTARIA.

Nouit Angelus diuino lumine illustratus Beatæ Virginis timorem, & cogitationem, quæ eam detinebat, ne responderet, idcirco iterum affatur, ait, inquit, non autem dicitur respondisse, sed dixisse, quia Beata Virgo nondum verbum aliquod protulerat, ut Angelus ei responderet. Prudentissime autem responsum detinuit Beata Virgo, quousque secum examinaret, & inuestigaret, quo salutio tenderet.

ANNOTATIO. LXXVII.

Cur non statim, Maria respondit Angelo.

Cur Beata Virgo Angelo salutanti non statim responderit, nec eum resalutauerit, causam Hieronymus Epist. ad Eustochium, de custodia Virginitatis existimat eam fuisse, quia perterrefacta Angeli visione respondere non potuit. Huic tamen terrori aduertitur fortitudo perfecta, quæ erat in Beata Virgine, idcirco non videtur causa legitima, maxime uti diximus, cum timor ille fuisset voluntarius. Ambrosius vero lib. 2. Offici, cap. 18. aliter sentit, nimirum præ verecundia non resalutasse, ac cum hæc verecundia non sit cum perfectione virtutis, quod enim impedit, & retrahit ab officio debito, nimirum salutantem resalutare, imperfectum est, idcirco nec causa hæc probanda videtur. Potius igitur ad prudentiam referendum id est, quam etiam prudentiam

ipse Ambrosius in commentarijs Lucae commendat. verbi enim nondum sensu percepto respondere imprudentiæ est, quæ à Beata Virgine longe aberat. sciebat enim illud Ecclesiæ 11. Priusquam audias, non respondeas verbum, quod non ad auditum exteriorum tantum, sed etiam ad intelligentiam pertinet, respondendum enim non est, priusquam intellectum sit, quid dicatur. Beata ergo Virgo cogitare, & intelligere prius voluit, quam responderet, dumque cogitaret, præuenta est ab Angelo verbis sequentibus. noluit enim Angelus Deo sic iubente permittente Beatam Virginem diu cogitare, & inuestigare sensum, & intelligentiam, quam non erat assecutura, nisi eodem Angelo manifestante.

Ne timeas Maria.

COMMENTARIA.

Angeli salutio duo effecerat, timendi, & cogitandi causam Beatæ Virgini præbuerat, idcirco vtrique satisfacit duo item explicans, nempe causam nullam timoris esse, illamque Filium Dei concepturam, ac parituram, Messicæque matrem futuram. Est autem integer sensus hic, non est, quod timeas à Beata Virgo, inuenisti enim gratiam apud Deum, quod non timendi, sed gaudendi causa est. Nec etiam fatigeris cogitando, qualis sit, quodue tendat mea salutio, Ecce enim concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius &c. deponere igitur timorem Maria. Proprium est Angelorum Sanctorum, quando nuntiant, quæ lætitiæ, & salutis sunt, uti verbo, Noli timere, sic Zachariæ dictum est, sic etiam alijs in veteri testamento, ut supra dictum est. Merito autem Angelus eam, ut timorem remoueat exhortatur, non solum quia causa non erat timendi, sed etiam quia altissima reuelaturus erat mysteria; ut enim recte Hieronymus Matth. 28. in illud [Nolite timere] adnotat, quando augustior apparet visio, timor expellitur, ut mente pacata possint, quæ dicuntur, audiri. Nomine autem proprio eam alloquitur vocando Mariam, ut quanta benevolentia eam Deus prosequatur, quamque illi sit chara significet, qui enim nobis chari sunt, eos nomine proprio nominamus, iuxta illud Exod. 33. Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.

tanæ, an ab Angelo lucis, an ab Angelo Satanæ. Origenes iuxta suam etiam interpretationem exponit, qualis, id est quanta esset salutio ista. Legitima tamen explicatio est, quam in commentario adhi-

ANNOTATIO LXXVIII.

Cur Angelus in saluatione nomine proprio Mariam vocat.

Thanasius, epist. ad Marcellinum, de interpretatione Psalmorum, adnotat Angelum vocasse Mariam, quasi a suo genere diuersam, cum Angelus incorporeus, & spiritualis, illa vero corporea substantia esset, Dauidem vero vtote hominem, & de cuius femine erat procreanda, appellasse filiam. Psal. 44. Audi, inquit, filia, & vide: Præter causam autem in commentario assignatam, cur proprio nomine vsus sit; ea etiam est, vt gratiæ Dei

magnitudinem commendat, & ad eam contemplandam animum audientis euehat, quasi diceret, cum sis Maria, & femina quædam de filiabus hominum, in tantam es prouecta maiestatem, & altitudinem, vt gratiam inuenieris apud Deum, quæ efficiaris mater Filij æterni Dei. S. Bonauentura existimat nominis meminisse, vt insinuaret illud scriptum esse in Cælo, iuxta illud Luc. 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo.

Inuenisti enim gratiam apud Deum.

COMMENTARIA.

Causam adhibet timoris deponendi, & quia Beata Virgo ex verbis saluationis illius nondum plane perceptis timorem conceperat, incipit exponere, & est sensus, timuisti Beata Virgo, quia te gratia plenam dixi, inde aliquid humanum, seu opera humana efficiendum suspicaris, at ne timeas, quia gratia plena es apud Deum, inuenisti gratiam apud eum, & illi facta es gratiosa, quod in te fiet, non hominis opus, sed solius Dei erit, apud quem gratiam obtinuisti.

ANNOTATIO LXXIX.

Quid sit gratiam inuenire.

Græcum verbum ευρες, idem significat, quod Latine inuenisti, quod aliquando de eo dicitur, quod nihil tale cogitanti, aut speranti obligit, ad significandam magnitudinem, & singularitatem gratiæ, quam Beata Virgo nacta est, vt mater Dei efficeretur, quam ipsa nec opinabatur, nec sperabat. Est autem phrasis scripturæ inuenire gratiam apud aliquem, tam Deum, quam hominem pro eo, quod est valde ei placere. Esther. 2. Inuenit, inquit, gratiam in conspectu illius, scilicet Assueri. & cap. 7. Si inueni gratiam in oculis tuis o Rex. Iudith. 13. Inuenisti gratiam coram me. Sunt verba Holophernis. Apud Deum autem etiam dicitur gratia inueniri. Gen. 6. Noe inuenit gratiam coram Domino. Gen. 18. Si inueni gratiam coram oculis tuis. Act. 7. Dauid inuenit gratiam ante Deum. Sunt multa huiusmodi testimonia, Angelus ergo Beatam Virginem inuenisse gratiam dicit, non quidem apud hominem, sed apud Deum, quo quidem suspicionem de Virginitate non conseruanda extenuat. Gratia enim, inquit, qua te plenam annuntiaui, non est vt hominibus, sed vt Deo placeas, grataque illi sis, non igitur virginitati tuæ timeas. Est

autem aduertendum multo excellentius, & singularius dictum esse de Beata Virgine inuenisse gratiam, quam de ceteris omnibus, quorum scriptura meminit, hi namque inuenisse gratiam pronuntiantur coram Domino, aut ante Dominum, aut in conspectu Domini, aut in oculis Domini, his enim quattuor locutionum modis scriptura de alijs locuta est; at noua est hæc forma loquendi [apud Deum] vt enim Græci auctores recte tradunt Præpositio εως, casui dandi iuncta, vt nunc legitur, idem significat, quod Latine, iuxta, seu prope, quasi dictum sit, inuenisti gratiam prope Deum. Latinus autem interpres vertit apud Deum, gratia enim hæc effectum est, vt Deum ipsum in suo ventre reciperet, ipsumque gigneret per carnem, quod nemini præter ipsam concessum est. Recteque dicitur apud Deum, & non apud Dominum, quia cum omnes simus serui, Deumque Dominum habeamus, ipsa consecuta est, vt mater etiam esset, idcirco inuenisse gratiam apud Deum dicta est, quamuis enim natura sit serua, & ancilla, in tantam tamen electa est gratiam, vt etiam mater Dei sit, & relatione seruitutis, ac maternitatis ad Deum referatur.

Ecce concipies in vtero.

COMMENTARIA.

Explicitis verbis exponit nuntium Angelus, & cogitationis ambiguitatem tollit: Ecce, inquit, concipies in vtero. particula [Ecce] hoc in loco temporis, quo, quæ annuntiantur, futura sunt, propinquitatem, & instantiam significat, vt recte Athanasius Serm. de Deipara interpretatur, quasi diceret, iam iam adest tempus, quando concipies in vtero &c. verbo concipiendi adijcitur particula [in vtero] vt propriam, realem, & corporalem conceptionem significet, qua femina concipiunt filios, vt distinguat a conceptione metaphorica, & spirituali, qua mente dicimur concipere, quæ postea facturi sumus. Cetera in annotatione perlege.

ANNOTATIO LXXX.

Quid partien- la, Ecce, indicet.

In primis illa particula [Ecce] consideranda est, præter id enim, quod dictum est in commentario, duo quædam alia indicat. Vnum est allusio quædam

tacita ad prophetiam illam Isai. 7. vbi hoc ipsum, quod Angelus annuntiat, prædictum est, Ecce, inquit, Virgo concipiet, & pariet filium, &c. Vtitur ergo Angelus

Angelus haec eadem particula [Ecce] quasi diceret, ecce tu es illa Virgo prænuntiata ab Isaiâ, conceptura, & paritura Filium. Nec præter Angeli intentionem hoc videtur, cum idemmet cum Ioseph alloquens, & mysterium significare volens eandem prophetiam expresse allegauerit Matth. 1. Hoc, inquit, totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, quæ quidem verba non ab Euangelista tamquam sua, sed quasi ab Angelo pronuntiata referri testantur Tertullianus lib. 4. contra Marci. & Iren. lib. 4. cap. 40. Alterum est, hanc eandem particulam indicare magnitudinem, & excellentiam mysterij, quod annuntiat, solet enim hæc particula in Scriptura in ea significatione accipi, quam habet in illo loco Isai. 7. allegato: Ecce Virgo concipiet. & Ierem. 1. Ecce ego constitui te hodie super gentes, & super regna. Sunt multa loca huiusmodi.

De Energia verbi illius (concupies)

Est etiam considerandum verbum (concupies) Græce haberi συλλαβάνω, quod compositum est, sicut & verbum latium, simplex vero est λαμβάνω in hæbræo autem est verbum קָנַה. Est autem aduertendum septuaginta interpretes verbum hoc non eodem modo semper vertisse, nam aliquando per verbum συλλαβάνω. vt Gen. 4. Eva concepit Cain. concepit, & peperit Enoch, & alias sepe, aliquando aliter nempe εν σαρι εζεις, id est in vtero habebis vt Iud. 13. de matre samsonis dicitur; Ecce in vtero habebis & Gen. 38. de Thamar dicitur, De viro, cuius hæc sunt, concepi. Septuaginta habent: In vtero habeo. At vero Isai. 7. de Beata Virgine propheta est: Ecce Virgo concipiet, vertunt modo distincto, nempe simplici verbo: In vtero accipiet, quod Ambrosius lib. de incarn. Domin. sacram. cap. 6. ad virtutem Spiritus Sancti refert, quasi dictum esset, accipiet virtutem Spiritus Sancti, & pariet Filium. Significare enim voluerunt virginitatem illius, quæ conceptura erat, & paritura filium, idcirco non sunt vsi verbo composito, nam συλλαβάνω, id est, concipio, quasi simul capio, seu accipio significat, videbanturque non sic exprimere virginitatem. Mattheus autem cap. 1. locum Isaiæ citans, vertit, Ecce Virgo in vtero habebit, quasi non de viro proles esset, ideoque abstinuit à verbo composito. At Lucas noster vsus est verbo composito concipiendi, quia explicaturus statim erat illam coniunctionem duorum significatam verbo composito non hominis, & feminae, sed virtutis Dei, & Spiritus sancti, ac feminae futuram. Magis autem exprimitur veritas mysterij verbo concipiendi, quam verbo accipiendi, aut in vtero habendi, nam illud significat Beatam Virginem ministrasse materiam, & substantiam, ex qua conceptus est Filius, hoc enim est concipere, nempe accipere virtutem in se ab alio, & simul ministrare ex se, suaque substantia, vnde generetur, seu gignatur proles, non enim vas dicitur concipere liquorem in se existentem, quia non ex se illum habet, nec ignis concipit ignem, sed femina concipit vere filium, seu prolem, quia ex sua substantia,

& intra se gignit, accipiendo virtutem etiam ab alio ob id concipit, & simul accipit. Cetera quidem feminae de viro, Beatissima vero Virgo de Spiritu Sancto.

Voce illa (concupies) quattuor expugnatur hæreses.

Hoc igitur verbo confutantur quattuor hæreses, & dogmata fidei quattuor stabiluntur. Prima hæresis fuit Manichæorum negantiu Christi carnem fuisse se veram, contra quos verbum hoc irrefragabiliter pugnat. si enim vera Christi caro non esset, nullaratione Beata Virgo Christum concepisse dici posset, vnde docte Athanasius lib. de Assumpt. hominis, hoc Angeli verbo talem hæresim euertit. Altera hæresis fuit Valentini, & quorundam aliorum, qui vt referunt Tertullianus lib. de carne Christi, & Iren. lib. 3. cap. 32. affirmabant Christi carnem alterius esse substantiæ à nostra, & nõ de Beata Virgine sumptam, sed aliunde in eius vtero positam. conuincuntur autem hi hæretici verbo eodem, non enim concepisse diceretur, nisi de eius substantia caro illa sumpta esset, hoc enim est gignere, seu concipere. Tertia hæresis fuit eorundem Hæreticorum, qui, vel quia carnem Christi veram non esse, vel quia alterius esse substantiæ existimauerunt, negarunt Beatam Virginem matrem fuisse Christi, vt refert Augustinus lib. de fid. & symb. cap. 4. Hæc autem hæresis eodem verbo refutatur, si enim concepit, genuit, si autem genuit, mater vera fuit, nec enim statim simul hæc, concepisse filium, & matrem non esse. Quarta hæresis fuit Nestorij, & quorundam aliorum, admittebant quidem matrem esse Christi, negabant tamen matrem esse Dei, meminit huius Damascen. lib. 3. cap. 12. & Histor. tripart. lib. 12. cap. 4. Vtuntur autem hæretici isti hoc argumento, non genuit diuinitatem, igitur non est mater Dei. Soluitur autem à Cyrillo in Concil. Ephefi. congregato contra hanc hæresim tom. 1. cap. 1. inter homines enim meros femina dicitur mater hominis, & tamen non genuit animã, cū sit à solo Deo, creata, nam vt mater hominis dicatur, satis est si materiam corporis præstet, cui anima vniatur, & fiat homo: sic Beata Virgo carnis materiam exhibuit, cui diuinitas est vnita, si ergo argumentum illorum efficax esset, contra eosdem procederet, nam nec mater Christi dicenda esset, cum nec animam genuerit, vere ergo & mater Christi, & mater Dei, Christotocos, & Theotocos esse definitur, idq. verbu concipiendi demonstrat. Error autem Nestorij ex alia radice procedebat, negabat enim vnionem Verbi cum natura humana, dualq. personas in Christo diuidebat, idcirco negabat Beatam Virginem esse Dei matrem, hic autem error illis Ioan. 1. verbis euertitur, Verbum caro factum est, vt in eorum expositione diximus, posita ergo vnione Verbi in vnitate personæ diuinæ cum natura humana, consequitur Beatam Virginem esse matrem Verbi, seu Dei, quamuis non fuerit causa Verbi, sicut, & femina mater est hominis, quamuis animam non fecerit, vt diximus. Hæc occasione verbi huius dicta sunt, inferius etiam nouis occurrentibus occasionibus explicabuntur, & fusius tractabuntur.

ANNOTATIO LXXXI.

Multis de eaus Angelus addidit verbu illud (in vtero).

Superest illud tertium verbum consideratione & expositione dignum (in vtero). hoc autem positum est nonnullis de causis. Primo quidem vt distinctio fiat à conceptionibus spiritualibus, & secundum animam, quarum scriptura meminit Isa. 26. A facie tua concipimus, & quasi parturimus, & peperimus spiritum salutis. Psal. 7. Concepit dolorem, peperit iniquitatem. Iacob. 1. Concupiscentia

cum conceperit, pariet peccatum. Cum autem concipio, quæ annuntiabatur, futura esset secundum carnem, & corporaliter, idcirco additum est (in vtero). Secundo est quædam tacita allusio ad æternam generationem, secundum quam Filius Dei erat ab æterno ex vtero Patris genitus, eiq. consubstantialis, quafi dictum esset, concipies in vtero, efficieturq. tibi consubstantialis secundum carnem, ille idem, qui

qui ex utero Patris ab aeterno processit, estque Patri consubstantialis, ac Filius Dei aeternus sicut Filius tuus verus, & realis in tempore. De aeterno autem illo utero dictum est in Psal. 109. In splendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te. Ambrosius lib. 4. de fide. cap. 4. interpretatur Filium dici ex utero Patris genitum, ut ostendatur vera, & realis generatio Filij à Patre, ita ut sit in ipsomet Patre eiusdem prorsus cum ipso substantia. Tertio hoc idem verbum est quaedam confirmatio promissionis factae Dauid à Deo Psal. 130. De fructu, inquit, ventris tui ponam super sedem tuam. Adnotat autem Iren. li. 3. c. 27. ventrem, seu uterum hunc non esse ipsius Dauid, non enim vir dicitur ex utero, aut ventre generare, sed significari Beatissimam virginem, quae erat de femine Dauid, quasi dictum esset, de utero cuiusdam feminae, quae erit de tuo femine, ego concipiam & gigni faciam virum, qui sedebit super sedem tuam. Hic est uterus, de quo nunc dicit Angelus. Ecce concipies in utero, nempe illo promisso, & praenuntiato à Deo, sicque implebitur in te promissio illa. Sacratissimus est, & admirabilis uterus hic, in quo mira gesta sunt scilicet caro Christi futura hostia pro omnium peccatis fabricata est ex purissimo Beatae Virginis sanguine, anima Christi plena gratia, & veritate creata est, & carni copulata: substantiaque ex anima & corpore composita aeterni Filij Dei hypo-

stasi unita; & Filius Dei factus est homo, per quod novem menses habitavit, & nutritus est. Hic est thalamus, à quo egressus est sponsus ad perambulandam viam redemptionis nostrae. ratione huius dicta est Beata Virgo domus Dei, ciuitas, templum, sanctuarium, multaque alia huiusmodi sortita est encomia. Bernardus in sermone inscripto, de Beata Maria affirmat figuratum fuisse hunc uterum per Arcam illam testamenti, & profecto id verum est. Arca enim illa vnam habentem manna, tabulas legis, & virgam Aaron continebat, ut testatur Paulus ad Hebr. 9. haec omnia Christum significant, erat enim Christus manna caeleste in vna terra, nempe diuinitas in humanitate, erat etiam Rex, & legislator, qui praeccepta & leges vitae daturus venerat, idque tabulae legis significabant: erat etiam summus Sacerdos, & Pontifex, oblationem nouam, & mirandi fructus efficacem oblaturus, quod virga Aaronis indicabat, recte ergo uterus, qui eum continebat, Arcae confertur, tanto dignior, & excellentior illa, quanto figuratum maius est quam figura, & creator Christus, quam creatura. Nec est contrarium Paulo, quod legitur 3. Reg. 6. nimirum, in Arca nihil aliud fuisse nisi tabulas legis. sensus enim est ex lege nihil aliud in Arca fuisse reseruatum, nisi tabulas lapideas decalogi, non autem excluduntur virga, & vna quae etiam intra Arcam erant, ut dicit Paulus.

Et paries.

COMMENTARIA.

Quatuor de causis non solum Filij conceptionem sed etiam partum Angelus nuntiat.

Non solum conceptionem, sed etiam partum Angelus praenuntiat nonnullis de causis. Primo quidem ad perfectionem fetus concipiendi significandam, nam non omnes feminae, quae concipiunt pariunt, abortum enim multae faciunt, multae etiam in partu pereunt, nec partum edunt, de quibus dicitur Isa. 37. Venerunt filij usque ad partum, & virtus non erat pariendi, at tecum, o Beata Virgo, non sic fiet, concipies enim, & paries. Secundo ad indicandum modum, quo conceptus in lucem proditurus erat, refert enim Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. errorem quorundam dicentium Christum de ventre matris per eius latus exisse, contra quos Angeli verbum facit, paries, inquit, sicut & feminae parere dicuntur. Tertio ad indicandum partum singularem futurum, sicut & conceptionem, concipies sine viro, & paries sine dolore, quod tibi erit singulare. Vnde Bernardus sermo. de Beata Maria, sicut inquit in conceptione non fuit voluptas vlla, ita nec in partu dolor, aut tristitia, impletumque est illud Isa. 66. Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum. quis audiuit vnquam tale? aut quis videbit huic simile? quae verba Damasc. lib. 4. fid. c. 15. de Beata Virgine interpretatur, quae sine dolore peperit, hoc est enim parere, antequam parturiret. Quarto ad ostendendam permanentem virginitatem in conceptione, & in partu, quasi dictum esset, concipies integra, & Virgo, & talis permanens paries. Fuerunt haeretici, qui etsi virginitatem in conceptione affirmarent, in partu tamen negarunt, ut refert Ambrosius epist. 81. ad Syritium, contra quos ipse Ambrosius ab Isaia vtrunque coniunctum asserit, Ecce Virgo concipiet, & pariet. idem in verbis Angeli dicendum est, id ipsum praenuntiavit Dauid Psal. 21. Quoniam inquit, tu es, qui extraxisti me de ventre, quod Augustinus Epist. 120. ad Honorat. cap. 12. de Christo interpretatur, qui de ventre seruata virginitate extractus est. quid enim, inquit, proprium est Christo, ut dicatur à Deo extractus à ventre, nisi quia sic de ventre egressus est, nam & Iob. 10. dicitur, Quare de vulua eduxisti me? si igitur illud est Christo singulare, matris integritatem in partu confiteri oportet.

Filium.

Filium.

COMMENTARIA.

Prosequitur Angelus praenuntiare mysterium, Filium, inquit, concipies, & paries, eritque partus etiam ex hac parte perfectus, ut non filiam, sed filium, gignas, filiorum enim procreatio maiori, quam filiarum, gaudio & honore afficit parentes. Ioan. 16. Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

ANNOTATIO. LXXXI.

Magis conueniens fuit Deum virilem sexum, quam femininum assumere.

Potuisset Dei Filius naturam humanam in sexu femineo assumere, in eoque liberare hominem, si voluisset, tamen conuenientissime effectum est, ut naturam nostram in virili sexu indueret. In primis masculus, & femina non substantia, aut natura, sed accidenti differunt; in cuius rei argumentum dicit Ambrosius lib. de Parad. cap. 10. Deum non ex terra, sed ex ipsius Adae costa feminam formasse. Hunc sexum femineum honorauit in matre, dum eam tantam prouexit dignitatem, ut Deum conciperet, & parere, & mater eius fieri mereretur, ipse vero sexum virilem assumpsit, & in eo vtrunque reparauit. cuius conuenientissimae dispositionis prima causa ea esse potest, nimirum quia à viro totius generis hominum corruptio magis, quam à femina permanuit, si enim sola Eva peccasset, peccatum eius in omnes nos non pertransisset, ut docet Anselmus lib. de concept. virgin. cap. 9. Adam vero peccante tota posteritas infecta est. Rom. 5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum introiit, & per peccatum mors & ita in omnes homines mors, in quo omnes peccauerunt. conueniens ergo fuit, ut ab eo sexu exiret reparatio, à quo ruina emanauit, quod & Paulus Rom. 5. insinuans, inquit, sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnus iustitiam in omnes homines in iustificatio-

nem vitae. Secunda causa est, nam Christus caput est Ecclesiae, ad Colof. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiae, expediebat ergo viri sexum iungere, vir enim est caput mulieris. Tertia causa, quia opera Christi gessit, quae virum magis, quam feminam decent, ut docere, discipulos congregare, & praesse. Quarta, quia Sacerdos futurus erat, & quidem summus Pontifex seipsum in coena, & in cruce Patri oblaturus, & in Ecclesia per Sacerdotes ministros celebraturus, hoc autem munus non feminae, sed viro magis conuenit, igitur conueniens fuit sexum virilem assumere. Postremo, ut qui Filius erat Patris secundum diuinitatem, Filius etiam esset matris secundum humanitatem. Paries ergo Filium. Attende autem, Filium dici non per solam relationem ad aeternum Patrem, quasi sensus sit, paries eum, qui Filius est Dei secundum diuinitatem, sed etiam per relationem ratione humanae naturae ad beatam Virginem, nempe paries, & habebis prolem, quae vere sit Filius tuus, ex quo etiam consequitur beatam Virginem matrem veram, & realem fuisse Christi, non enim filiatio sine maternitate, aut paternitate & ubi filius est, mater, vel pater est, cum autem secundum humanam naturam nemo fuerit Pater Christi, erit igitur mater.

ANNOTATIO. LXXXII.

Multis de causis Deus non alter quam per veram generationem factus est homo.

Ex praecedenti sententia (concupies, nempe, & paries Filium) constat Dei Filium non tantum carnem nostram induisse, sed etiam modo quodam nostro, nempe per conceptionem, & partum, ut vere conceptus & genitus dici possit, & sit. Potuisset quidem, ut recte adnotat Augustinus lib. 9. super Genes. ad liter. cap. 16. de costa Beatae Virginis sibi carnem assumere, sicut de costa Adae Eva facta est, & in ea sic assumpta salutem nostram operari: at noluit sic homo fieri, sed conceptione, & generatione, idque multis rationabilibus de causis. Prima quidem Tertulliani lib. de carne Christi, nimirum, ut sic ostenderet veram nostram carnem assumpsisse, id enim magis magis elucet, cum ex femina conceptus, & genitus dicitur, quam si de eius costa esset producta caro, quandoquidem ex vno vnus speciei, potest fieri aliquid alterius speciei, & naturae, quod autem genitum est, eiusdem est speciei, & substantiae cum eo, ex quo genitum est. Secunda causa est, ut sic magis nobis conuinceretur, & vniretur, recte enim dicunt Irenaeus lib. 3. cap. 21. & Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas. Si Dei Filius carnem sumpsisset non nascendo, sed modo quouis alio carnem sibi vnendo, & producendo, fuisset quidem homo, sed non Filius hominis, sicut

Eua quamuis de costa Adae procreata, non tamen fuit, nec dici potuit eius filia, si autem non esset Christus Filius hominis, consequenter nec esset Filius Dauid, nec de eius femine dicendus; dum autem concipitur, & gignitur, Filius hominis, & homo est, de femine Dauid, & frater noster efficitur, nobisque multo maiorem propinquitatem secundum carnem habet. Tertia causa ea est, ut omnia, quae Adam peccando infecerat, sui praesentia repararet, & sanctificaret, Adam autem nostram corripuit, & infecto conceptionem, partum, infantiam, & adolescentiam, seu vitae augmentum, quia in peccato concipimur, & nascimur, & in miseris infantia nostra verfat, ac in peccatis adulescimus, Christus ergo reparator noster haec omnia debuit transcurrere, & sua praesentia sanctificare, dum concipitur, nascitur, & extra uterum adolescit. Haec causa insinuat ab Hilario lib. 2. de Trinit. ubi sic inquit: Dei imago inuisibilis pudorem humani exordij non recusauit, & per conceptionem, partum, vagitum, & omnes naturae nostrae contumelias transcurrit. Quarta causa est, ut se Dei Filium esse significaret; cum enim ut Deus à patre nascendo diuinam naturam acceperit, secundum quam est Deus Patri consubstantialis, conueniens fuit, ut naturam humanam, quam sibi vnicebat,

vnibat, & per quam homo efficiebatur, etiam nascendo assumeret, vt natiuitas sensibilis, & temporalis signum esset natiuitatis inuisibilis, & aeternae, ac qui erat Filius Dei, non tantum homo, sed Filius etiam esset hominis. Quinta causa est, vt indicaret id, quod in nobis facturus venerat, venit enim nouam nobis daturus natiuitatem, vt filij Dei adoptione efficeremur Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, congruum ergo erat, vt ipse fieret filius hominis, & ipse nasceretur ex homine, vt nos nasceremur ex Deo. Hae causa affertur a Leone Ser. 5. de natiu. Originem, inquit, quam sumpsit in vtero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Est etiam eadem causa insinuata a Paulo Gala. 4. Misit, inquit, Deus Filium suum factum ex muliere, vt adoptionem filiorum reciperemus, quasi diceret filiatio eius, quam habuit, vt homo, nostram protulit filiatiorem, qua filij Dei nominamur, & sumus. Sexta causa est, vt vel sic magnitudo diuini erga nos amoris manifestaretur, qui se sic pro nobis, & vt nos exaltaret, humiliavit, ac depressit, vt non tantum homo fieret, sed conceptionem natiuitatemque sustineret, & in ventre feminae per nouem menses incrementa carnis susciperet, & infantiam, ac pueritiam nostram degustaret, quae adeo vilia visa sunt peruersis hominibus, vt veritatem eius carnis negandi inde occasionem arripuerint, vnde maioris beneficii accepti vinculo tenebantur, & efficacius argumentum diuini erga eos amoris acceperant. Quod quidem Gregorius lib. 29. morali cap. 1. detestans, inquit: Natiuitas carnis despecta visa est sapientibus mundi, contempserunt enim infirma humanitatis, indigna Deo iudicantes; cui tanto magis homo debitor fuit, quo magis pro illo indigna suscepit. Hae Gregorius, & ante eum Hilarius lib. 2. de Trinit. enumeratis conceptione, natiuitate, partu, infantia, & reliquis, ait: Hae si quis indigna Deo recolet, tanto se maioris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hae Dei conuenerint maiestati. Septima causa est, vt Beatam Virginem in maternitatis dignitate eueheret, nisi enim illa concipiendo, & pariendo carnem ministraret, mater Dei, aut Christi dici non posset, titulus autem hic, & ipsi Beatæ Virgini, ac nobis exitium honorem, & copiosam cumulauit utilitatem. Fuit sane titulus hic honori, & utilitati Beatæ Virgini; honori quidem, quia omnem puræ creaturæ di-

gnitatem titulus maternitatis antecellit, cuius causa cultus quidam debetur Beatæ Virgini supra omnes creaturas, & post Deum, eiusque Filium primum, locum supra choros omnes Angelorum, & Sanctorum omnium tenet, Regina, & Domina omnium effecta. Utilitas autem, quia inde in gratiam, & gloriam multo superiorem ea, quæ ceteris est concessa, elata est. Nobis etiam honori est, & utilitati, honori quidem, dum ea, quæ ex nostro genere est, in reginam, & Dominam omnium etiam Angelorum promouetur, multum enim familiæ hominum nobilitantur, quando quidam eorum in altam dignitatem euehantur, præcipue autem a sexu femineo dedecus auertitur, a quo initium sumperat peccatum. Utilitati vero cumulatissime nobis is titulus est, nam eius intercessio plurimum valet apud Deum, preces enim matris à Filio plura, & maiora impetrant, quam seruitum à Domino, immo filiorum adoptionis à Patre, idcirco enim Deus voluit sibi matrem assumere, vt plurima, ac maxima beneficia nobis impartendi, & peccatoribus veniam concedendi causam, & argumentum haberet ex parte nostra. Quantum autem eius intercessio apud Deum possit, ex his intelliges. tria enim intercessorem maxime commendant, nempe, vt is possit plurimum apud eum, apud quem intercedit, quod sit si ei est gratissimus. Quid autem est, quod nequeat impetrare mater à filio, & dilectissima super omnes à dilectissimo. Præterea, vt etiam sapiat, & prudenter agat ea, quibus opus nobis est, & quomodo subueniendum est, Beata autem Virgo prudentissima est, & sapientissima, nihil ignorat eorum, quibus indigemus. Præterea, vt velit, quid enim prodest, si possit, & sapiat, si nolit intercedere; at Beata Virgo maxime cupit nostram salutem, vt potest, cuius charitas erga nos omnem Sanctorum charitatem longo interuallo superat, nemo enim ita nos diligit post Filium, sicut mater ipsa; sumus enim pretiosissimo sanguine dilectissimi Filij eius redempti, sumus eius serui, & Filij, & ipsam matrem adoptionis habemus in ipso Ioanne prope crucem adoptati, eius ergo intercessio efficacissima est, & inter beneficia inenarrabilia à Deo accepta magnum locum tenet hoc, quod matrem Dei habemus intercedentem, in quo status Euangelicus supra legis illius statum plurimum inter cetera eminet. Ecce igitur quibus de causis conceptus, & genitus Filius est.

Et vocabis nomen eius Iesum.

COMMENTARIA.

Post conceptionis, & partus nuntium, Filio nomen imponendum prædicit, quod quidem ab eo, quod facturus venerat, acceptum est. Filius enim hic humani generis salutem operaturus erat, eaque de causa concipi, & nasci dignatus est, idcirco Iesu nomenclaturam sibi assumit, & per Angelum manifestat, Iesus enim apud Hebræos idem significat, quod apud Latinos salus, aut Saluator, quasi ipse sit, qui hominibus salutem conferret.

ANNOTATIO LXXXIII.

Damasceus lib. 3. de fide cap. 2. & Gregorius Nyssen. orat. de Christi Natiuitate & ante eos Iustia. Apolog. 2. ad Antonin. imperat. legunt sic: Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, at hæc adiunctio non habetur apud Lucam, sed est desumpta à Matthæo, vbi Angelus loquens cum Ioseph talem protu-

lit sententiam, modo autem Beatæ Virgini verba proposita tantum dixit. Quod igitur ad rem attinet, nomina filijs imponenda, quandoque Deum præscripsisse, parentibusque per Angelos manifestasse, idque modo patribus; modo maribus, scriptura commemorat, nam Genes. 16. Agar dictum est: Paries Filium, & vocabis nomen eius Ismael & Gen. 17. dictum

dictum est Abrahamæ, Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac. In nouo autem testamento Luc. 1. legimus Zachariæ Angelum præcepisse: Vocabis nomen eius Ioannem. Quamuis enim nomen filijs imponere munus sit præcipue patrum, cum pater sit caput, tamen quando à Deo ipso præscribitur, modo vni, modo alteri fit reuelatio.

Quare Ioannis conceptio antequam fiat, Zachariæ reuelatur; Conceptio vero Christi Ioseph manifestatur iam facta.

Non vacat autem mysterio, quod conceptio Ioannis soli Zachariæ reuelata est, antequam fieret, & per ipsum Elisabeth, at conceptio hæc prius Beatæ Virgini manifestata est, non autem Ioseph, nisi postquam est completa. Zacharias enim futurus erat pater prolis concipiendæ, idcirco Angelus ei locutus est, at non Ioseph, sed sola Virgo Beata genitura, erat Filium Dei, eaque de causa ipsi primum conceptio, partus, & nomen annuntiantur antequam fiant, Ioseph vero conceptio iam peracta reuelatur, & partus & nomen prædicuntur, quia verus pater non erat, occasione autem quadam ne prolem ex adulterio esse existimaret, quod factum erat, per Angelum significatum est, Matth. 2. Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est, pariet autem Filium, & vocabis nomen eius Iesum. Erat enim sponsus, & habitus pater Christi, ideo nomen imponendum ei etiam prænuntiatur.

Aliter Deus quam homo nomina imponit.

Quod autem ad nominis impositionem spectat, aduerte eam, quæ ab hominibus fit, longe ab illa, quam Deus facit, differre: quæ enim ab hominibus fit, aliquando casu quodam, aliquando consulto facta est:

ANNOTATIO LXXXV.

Nomen IESVS vnde dictum.

Multa diximus de hoc nomine in commentarijs super Ioannem cap. 1. his autem addenda nonnulla sunt. In primis certa res est nomen hoc hebræum esse, quod significat salutem, seu Saluatorem, deriuatum à verbo ישע significante saluum facere, reperitur enim in scriptura in tertia coniugatione Hebræa, quam etymologiam Angelus nos docuit Matth. 2. Vocabis, inquit, nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Vbi notanda est causa nominis, nempe dicitur salus, seu saluator, quia saluum faciet populum, ergo nomen trahitur ab effectu, & operatione saluum faciendi, & à verbo eam actionem significante, quasi latine dictum esset, vocabitur Saluator, quia saluabit populum suum.

Ex dictis falsitatis arguntur quatuor diuersæ sententiae.

Hinc nonnulla consequuntur. Primo quidem error, & blasphemia quorundam Iudæorum, qui nomen Iesu faciunt trium litterarum ישו Iesu, aufferuntque litteram ain γ ne à verbo ישע deriuetur, quod significat saluum facere. nolunt enim admittere nomen Christi significare Saluatorem, at Euangelij veritas eos condemnat. Secundo rejicitur etymologia quorundam Catholicorum, qui nomen hoc trahi existimant à verbo ישע quod significat esse, à quo est celebre illud nomen Dei tetragrammaton יהוה idest, qui est, huic nomini imponendum existimant litteram sin ש post Iod faciuntque nomen quinque litterarum יהשע Ieshouah, illam enim litteram additam putant vt significetur qui est, idest Deus, carne assumpta, factus homo, & visibilis. Contra hos autem facit locus allegatus ex Matthæo. Angelus enim ab operatione saluandi nomini etymologiam accipit, non igitur à verbo illo deriuatur, nec cum illis litteris scribitur nomen Iesus. Tertio loco quidam alij catholici rectius sentientes à verbo saluandi ישע deriuant nomē Iesu, scribendum tamen censent quinque litteris nempe iod, schin, vau, ain, & in ultimo

casu quidem quando homo filio nomen imponit nihil aliud intendens, quam propria quadam nomenclatura eum ab alijs hominibus scernere: consulto vero, quando ultra nomenclaturæ distinctionem aliud quippiam ex tali nomenclatura præterdit, nimirum cum nomen aut, aut proprium pater filio imponit, vt eorum memoria in filio conseruetur, aut imponitur nomen viri cuiusdam excellentis, vt filius ex nomine ad illum imitandum excitetur, aut alijs de causis, vt fieri solet. Est autem impositio hominum sæpe fallax, & mendax, fallax quidem, quia non semper euenit, quod in impositione prætendebatur, multotiesque homines in contraria diuertunt his, propter quæ nomina consulto sortiti erant: mendax vero, quia sæpe nominum significatio aduersatur moribus sortientium talia nomina. filius ille Dauid dicebatur Absalom, quod idem significat, quod latine patris pax, at re ipsa fuit bellum patris. Appellabatur ille Ananias act. 5. idest gratia Dei, mores autem eius contra Dei gratiam fuere. Sunt multa exempla huiusmodi, & in scriptura, & apud nos. At vero impositio nominum, quæ à Deo fit, non casu, sed consilio fit, semperque est certa, & vera. prætermisiss autem exemplis, quæ in scriptura sunt satis manifesta, in hoc filio aperte demonstratur, qui quam nomine salutem præ se ferebat, re ipsa cumulatissime effecit, in cuius nomine significatione, & veritate explicandis sequens versatur annotatio.

quasi ישוע qui quantum ad deriuationem, & quatuor litteras priores, vere dicunt: quantum autem ad illud additamentum litteræ η in ultimo, non videntur probandi, nam in titulo crucis, qui maxima reuerentia, & custodia nunc Romæ asseruatur, scriptum reperimus sine illo η cum quatuor solis prioribus litteris ישוע. Nec dubitare rationabiliter vllus potest, tunc temporis nomen Christi ignoratum, aut non recte scriptum esse, cum titulus ille non solum accuratissime ab illis tunc fuerit conscriptus, sed diuino mysterio, & prouidentia dispositus. Quarto eodem argumento rejicitur quorundam recentiorum opinio existimantium Christum non Iesum, sed Iehosuah appellatum, sicut, & illum Duce m magnum; addunt enim litteram η post iod, dicentes hoc esse nomen concretum significans idem, quod latine Saluator significat, at ישוע idem esse, quod salus, nec videri nomen viri. At aduersus horum sententiam non solum pugnat argumentum ex titulo acceptum, sed etiam scriptura, nam in ea legimus multos viros hoc nomine appellatos cum quatuor litteris prædictis, vt constat 1. Paralip. 6. 31. & 1. Esdr. 3. & Nehem. 12. pugnat etiam mysterium ipsum, nam vt recte Dionysius nos docet, nomina abstracta magis proprie de Deo prædicantur, quam concreta, vt dicatur sapientia potius, quam sapiens, iustitia, quam iustus, vt significemus eum non participatione, sed substantia esse talem. Sic nunc factum est, nam meri quidam homines particularem salutem attulerunt, nimirum vi, & armis liberando populum quempiam ab hostibus, idcirco non salutis, sed Saluatoris nomen merito sunt consecuti, at Christus noster mundo perfectam salutem attulit, idcirco salutis nomen verius sortitus est, quam omnes alij, qui eiusdem nominis participes aliquando fuerant. Ex his omnibus concludimus nomen esse quatuor litterarum à verbo ישע originem trahens, quasi Saluator, seu salus la-

lus latine diceretur, idque conuenientissime factum est, duo enim opera insignia fecit Deus, prius fuit mundi creatio, & ab hac dictus est iehouah, idest, qui est, quia dedit esse mundo, qui ab ipso, & in ipso est. Posterius est reparatio, & recreatio mundi in homine deperdito, & opus hoc carne assumpta perfecit, ab illo igitur nomine tetragrammaton iure optimo appellatur, ab hoc uero Iesus idest salus, seu Saluator, quod est proprium uerbi incarnati, tunc enim impositum est illi quando sibi carne copulauit ut opus reparationis humanæ perficeret. Aduerte autem pro exactiori huius rei intelligentia nomen *ישוע* esse appellatiuum, seu commune, & esse proprium, sicut nomen latinum Saluator potest esse commune multis, proprium alicuius uiri; priori modo toti conuenit Trinitati, sicque in scriptura frequenter dicitur Deus Saluator, & salus nostra, in quibus locis habetur nomen hoc *ישוע*, posteriori modo soli uerbo incarnato conuenit, ipsum enim est, quod nomine proprio uocatum est Iesus, ut ab Angelo prænuntiatur, quia etiam si salus à tota Trinitate sit, per Verbum tamen in carne facta est, quatenus Christus Dei Filius, & homo satisfecit pro peccatis nostris, passione, & morte sua, & meruit nobis remissionem, & reconciliationem cum Deo, cum ceteris bonis omnibus, quæ ad plenam pertinent animæ, & corporis redemptionem.

Aduerte etiam in hoc nomine multa mysteria significari, ut enim inquit Hierony. Ephes. 3. in diuina Scriptura, dictiones, syllabæ, puncta, & apices mysteria indicat diuina, quod etiam Basil. lib. de Spiritu sancto c. 1. docuit. cum igitur hoc uerum sit, in tanto nomine, quantum hoc est, ipsas litteras magna, & multa significare mysteria, non est dubitandum, è quibus duo tantum considerata proponam. Primum est nomen hoc duas continere litteras nominis illius ineffabilis Dei tetragrammaton *יהוה* nempe Iod, & Vau, Iod enim Patrem, Vau autem Spiritum sanctum significat, sicut *יה* Filium, in hoc autem nomine littera Patris, & littera Spiritus sancti, posita sunt ad indicandum Christum Deum & hominem uirtute Patris, & opera Spiritus sancti conceptum esse secundum carnem. Alterum est in veteri

scriptura, quando Christi mentio fit, nomen *ישוע* quattuor modis scriptum inueniri, primo quidem absque ulla additione, sed solis quattuor litteris expressum, tuncque aduentus eius in carnem ad saluandum significatur Psal. 84. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Secundo inuenitur cum additione litteræ *ה* in fine, ut sit nomen quinque litterarum. Sic legitur Psal. 117. ubi nemini dubium est de Christo sermonem fieri. Factus est mihi Dominus in salutem, terq; reperitur. Similiter Isa. 12. Laus, mea Dominus, & factus est mihi Dominus in salutem, & paulo inferius, Haurietis aquas de fontibus Saluatoris. In his locis habetur *ישועה* cum quinque litteris, hoc autem mysterium significat, salutem effecturum Deum per Filium, & uerbum incarnatum, quod significat littera *ה* uti diximus. Tertio inuenitur cum littera tau *ת* in principio iod, quasi *תשועה* tesuac psal. 33. Salus autem iustorum à Domino. indicatque salutem hanc efficiendam per crucem, ut enim inquit Hieronymus Ezech. 13. littera Tau mysterium crucis significat, sicque interpretatur locum illum Prophetæ, ubi legimus eos saluos factos, qui in fronte litteram Tau scriptam habebant, adnotatque Samaritanos etiam usque ad eius tempora littera Tau signo, seu caractere crucis scripsisse. Quarto inuenitur hoc idem nomē cum eadem littera *ת* tau in fine, quod significat in fine etiam mundi

Christum venturum, tuncque signum crucis appariturum, iuxta illud Matth. 24. Tunc apparebit signum Filij hominis in celo, quod Chrysolom. hom. 77. crucis signum interpretatur. Habemus locum insignem Gen. 49. ubi de ultimo aduentu loquens, qui post Antichristum fiet, ut recte exponit Gregorius lib. 31. mora. cap. 10. sic propheta. Iacob. Fiat Dan, coluber in via, & cerastes in semita mordens uingulam equi, ut cadat ascensor eius retro, salutare tuum expectabo Domine. illud salutare cum tau in ultimo scriptum est. Similiter Isa. 52. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri, quod de ultimis mundi diebus Hieronymus exponit. Multa alia dici possent, hæc sufficiant, in hac parte.

A N N O T A T I O. L X X X V I.

Quomodo conueniat Angelus, & Isaias, cum ille Iesum, hic uero Emmanuelem dicat Dominum appellandum.

DVæ supersunt breues dubitationes de hoc nomine. Prior est, videtur enim dissonantia quædam inter uerba Angeli, & prophetiam Isaiæ. Hic enim cap. 7. prædixit, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel. Angelus uero nuntiat, uocabis nomen eius Iesum. Esse autem diuersa nomina Iesus, & Emmanuel, nemo non uidet, qua igitur ratione hæc consona sibi erunt? Hanc apparentem discrepantiam nobis obiecerunt Pagani, ut refert Iustinus qq. adu. genti. resp. 135. eandē opposuerunt Iudæi, ut meminit Theophylactus Matth. 1. nec eam tacuerunt hæretici, inter quos est Marcion, ut scribit Tertullianus lib. 3. contra eundem. Ad hæc respondet Iustinus loco allegato duo, alterum est Christum dici etiam Emmanuelem, ac utrunque nomen habere. Alterum uero Christum multa alia nomina sortitum esse, relictæ uero fuisse cetera, & Christi nomen retentum esse, quia in eo illa omnia continebantur. Accommodatior tamen uidetur responsio Chrysolomi hom. 5. Matth. Theophyl. Euthym. Matth. 1. & Tertulliani loco prædicto. nimirum Isaiâ non prædixisse nomē Emmanuelis perinde quasi futurum esset proprium & ex impositione, sed appellatiuum, & quantum ad significationem, & re ipsa Christum futurum Emmanuelem, scilicet Deum,

& hominem, hoc enim significat nomen Emmanuel, idest nobiscum Deus, unde Cyrillus exponens illud Isa. 7. inquit Dabit uobis signum Deus ipse, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, quod tale erit, ut uocetis, idest confiteamini ipsum esse Deum & hominem, seu Deum hominem factum, hoc autem est Emmanuel; idemque repetit Cyrill. lib. 12. thesau. cap. 14. & affirmat etiam Ambrosius lib. de incarnat. Domini. sacram. cap. 6. quod autem ita sit confirmatur primo ex Matth. cap. 1. qui prophetiam referens, inquit, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel, quod est nobiscum Deus, quid enim causæ esse dicemus, quod interpretatur Matthæus nomen Emmanuelis dicens, quod est nobiscum Deus, Lucas autem non interpretatur nomen Iesu, qui est Saluator? nimirum, quia illud non erat nomen proprium, nec ex impositione, sicut hoc, sed nomen appellatiuum, & quantum ad significationem in Christo implendum. Confirmatur secundo ex phrasi scripturæ frequenti, ubi non nomina ex impositione, aut propria, sed quantum ad significationem, & rem ipsam significantur Isa. 8. dicitur. Voca nomen eius, accelera spolia detrahare, festina prædari. Ecce dicitur, uoca nomen eius, scilicet Christi, accelera spolia, &c. & tamen nemo censet hoc

hoc esse nomen proprium, quasi uocandus esset, accelera spolia detrahare, festina prædari, sed esse nomina appellatiua, quæ de eo prædicanda erant. Iterum Isa. 9. Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi. hæc autem non propria, sed appellatiua sunt. Præterea Zach. 6. Ecce uir oriens nomen eius, quod Iudæi de Zorobabele interpretantur, qui tamen nunquam sic uocatus est proprio nomine, nomen autem oriens, est in Hebræo *צמח* & nos uere de Christo exponimus, nec tamen nomen proprium eius dicimus, sed appellatiuum, & secundum rem significatam. Obmutescant igitur Iudæi, & omnes impij contrarias existimantes scripturas Spiritus Sancti, quæ ualde consonæ sunt, Emmanuel enim dicitur nomine appellatiuo, quia uere Deus & homo est, at nomine proprio Iesus, quod Angelus prædixit, quodque ipse Euangelista postea declarauit dicens: Postquam impleti sunt dies octo, ut circumcideretur puer, uocatum est nomen eius Iesus, quod dictum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur; significans Angelum de nomine proprio, & ex impositione locutum esse, hoc enim infantibus tunc temporis imponebatur in circumcisione, sicut nunc in baptismo, ut constat Gen. 21. Imposuit nomen Isaac & circumcidit illum octauo die.

Qua ratione nomen Iesus nouum dici possit.

Posterioris dubitationis est Causa Cyrillus lib. 5. de Trin. qui illud Isaiæ uaticinium cap. 6.2. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit, interpretatur de hoc nomine Iesu, quod quidem si ita est, locus interrogationi, & inquisitioni datur, qua ratione nomen hoc nouum dici possit, cum siue Iesus, siue Iehouah dicatur, inueniantur multi in scriptura ante aduentum eius in carnem, ea nomina sortiti. In primis non omnes Doctores sacri illud uaticinium eodem modo interpretantur, nam primo loco Athanasius in disputa. contra Arrium coram Probo, in symbolo; nomen id explicat, quo fideles in Euangelio Christiani appellantur, ut enim constat Act. 11. Apostoli fideles, qui ante discipuli dicebantur appellandos decreuerunt Christianos, cui expositioni adhæserunt Chrysolomus hom. 19. in Ioan. & Eusebius lib. 2. demonst. Euang. cap. 49. nomen autem hoc inuidens Christianis Iulianus Apostata non Christianos, sed Galilæos uocabat, ut refert Gregor. Nazian. orat. 1. contra eundem. Secundo loco Hieronymus in illum locum Isaiæ extendit hoc non ad solum nomen Christianorum, sed etiam ad nomen Ecclesiæ, quæ non iam Hierusalem, aut Sion, ut ante, sed Ecclesia Christi appellatur sic Domino appellante Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Tertio loco idemmet Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 14. ad nomen Emmanuelis refert, quod Christus habuit. Est igitur inter has sententias discrimen. quidam enim ad Ecclesiam, seu fideles, quidam ad Christum referunt hoc nomen nouum. Et reuera si attendamus contextum, & seriem uerborum, illa prior opinio accommodatior est, nam ibi Propheta cum Hierusalem, quæ Ecclesiam representabat, loquitur non tamen propter hoc probabilitate caret interpretatio Cyrilli, nam dicere possumus, factam esse apostrophem ad Christum, cuius mentionem fecerat, est autem familiaris Prophetis in sermonibus mutatio personarum. Est igitur difficultas, quomodo nomen Iesus sit dicendum nouum, si enim de Ecclesia, aut de Emmanuele, aut de Christianorum nomine interpretaremur, facilis esset responsio, quia nomina illa noua erant, at de nomine Iesus non est ita facilis propter causam dictam. Ea autem mihi uidetur, quam Cyrillus utroque loco allegato, exponit, & communis est nomini Iesu, & Emanuelis, nimirum nouum nomen dici, quia Dei Filius antequam carnem fumeret, nunquam nomen habuit Emmanuelis, idest Dei hominis, seu nobiscum Dei, nec nomen Iesus, quasi proprium, quod est nomen diuinitatis in carne, & per carnem operantis salutem, uti enim nouum fuit Deo carni uniri, ita & nouum fuit nomen id habere, quod eum carni unium significat. Non igitur nomen Iesus nouum dicitur, quasi nemo ante eo nomine nuncupatus fuerit, sed quod Dei Filius nunquam sic fuerit proprio nomine prius nominatus, & propterea dicitur. Vocabitur tibi nomen nouum, tibi, inquit nouum, quia non sic ante uocabaris, ut sit sermo cum Dei Filio. Hæc est legitima interpretatio, cui adiungere possumus duo alia, nempe nouum dici propter uerbum, quod sequitur, nempe quod os Domini nominauit, imposuerat quidem Deus ante quibusdam nomina, nam filium Abraham ex Agar iusserat Ismaelem appellari, & filium ex Sara Isaac, & qui prius Abram dicebatur, uoluit Abraham nominari, & quæ prius dicebatur Sarai, præcepit dici Sara, at neminem Iesum appellari iussit, nisi solum Christum, nouum ergo nomen est inter ea, quæ os Domini nominauit. Alterum est, quosdam hoc Iesu nomine appellatos quantum ad uocem, & quosdam quantum ad aliquam particulam significationis, at nominis significatio plena soli Christo competit, ipse enim uere est, qui saluat, & salutis ex omni parte causa est, quantum ergo ad significationem plenam nouum est nomen hoc, quod Christo imponendum prænuntiatur, quod copiose tradit Bernardus. ser. 15. in canticis.

Hic erit magnus.

C O M M E N T A R I A.

Multis modis magnus fuit Christus.

QValis, quantusque futurus hic Filius esset, Angelus prænuntiat, Hic, inquit, erit magnus. Loquitur autem Angelus de hoc Filio, ut homine, & ratione humanæ naturæ, secundum quam concipiendus, & in lucem edendus erat. Dum autem non determinat Angelus magnitudinis materiam, sed absolute magnum futurum prædicit, perfectissimam, & omni ex parte completissimam excellentiam eius indicat futuram, quam, utcumque explicare nobis ex scriptura licet, erit enim magnus uirtute, sermone, opere, officio, obsequio. Uirtute quidem, nimirum sanctitate & iustitia, de quo dictum est Isa. 12. Magnus in medio tui Sanctus Israel, & Act. 3. Sanctum, & iustum negastis, & Ioan. 10. Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, sermone, idest doctrina, & prædicatione, de quo dictum est Ioan. 6.

Verba

Verba vitæ æternæ habes & Ioan. 7. Numquam sic locutus est homo & Ioan. 8. Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Opere, & miraculis, de quo dictum est. Ioan. 15. Si opera non in eis fecissem, quæ nemo alius fecit. & Ioan. 9. A sæculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati, & Ioan. 3. Nemo potest facere opera, quæ tu facis, nisi esset Deus cum eo, & Ioan. 5. Pater omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & maiora demonstrabit, vt vos miremini, & Luc. 24. Vir potens opere, & sermone. Officio, quia redemptor est, & Saluator mundi, de quo scriptum est Ioan. 4. Hic est vere Saluator mundi, quia etiam Pastor, Ioan. 10. Ego sum Pastor bonus, & animam meam pono pro ouibus meis. Et quia summus Sacerdos, qui suo sacrificio Patri mundum erat reconciliaturus, de quo Hebr. 7. scriptum est: Hic manet in æternum, sempiternum habens sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest, qui non habet necessitatem quotidie offerre hostiam pro peccatis populi, hoc enim semel fecit. Præterea quia Propheta, de quo dicitur Luc. 7. Propheta magnus surrexit in nobis, & Ioan. 6. Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Demum quia Rex, de quo scriptum est Apoca. 19. Rex regum, & Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, magnus ergo est officio. Obsequio autem, quia eius Euangelium, & religionem mundus amplexurus erat, & ei cultus toto orbe exhibendus iuxta illud Dani. 2. lapis paruus creuit in montem magnum, & repleuit vniuersam terram, & Matth. 12. Granum sinapis creuit in arborem magnam, & Psal. 71. Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Hic igitur erit magnus virtute, sermone, opere, officio, & obsequio.

A N N O T A T I O. L X X V I I.

Christus longe aliter magnus est quam homines,

Ambrosius in presenti, & Cyrillus lib. 12. in Leuiti. seu Origen. hom. 12. in Leuiti. hanc magnitudinem ab Angelo prædictam, eam esse interpretantur, quæ primo loco exposita est, nempe virtute, seu sanctitate, idque verum est, non tamen excludendæ sunt ceteræ magnitudines, quæ insignes sunt, & verè ab Angelo prænuntiata. Adnotant autem prædicti Doctores tria, vnum est Ambrosij, nimirum Angelum de Ioanne prænuntiasse eum futurum magnum, sed adiecisse, coram Domino, quia ille homo merus erat, non Deus, nec Dominus, sed Domini seruus, ac minister Ioan. 1. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine, at Christus lux vera, simpliciter prænuntiatur magnum, non autem coram Domino quia ipse est Deus, & Dominus, vt ipsemet Angelus verbis proximis explicat. Alterum est Cyrilli, seu Origenis, nempe in scriptura quosdam appellatos magnos Exo. 11. Fuit Moyfes magnus in terra 4. Reg. 18. Ezechias factus est magnus valde 1. Reg. 15. Nabal erat homo magnus diues.

Sunt alia huius rei testimonia. Dicunt tamen Cyrillus, & Origenes has magnitudines fuisse relatiuas seu comparatiuas, nam collatione minorum illi magni dicebantur, qua ratione granum milij dicimus magnum relatione minimorum. at Christus absolutam, & perfectam habuit magnitudinem, quantam nemo vnquam consecutus est, aut consequetur. Adde nonnullos illorum magnos dictos existimatione hominum, non autem re ipsa, quia diuitijs, potentiaue temporali eminebant, quæ mundus magna putat: at Christus magnus est in his, quæ vere magna sunt, de qua duplici magnitudine diximus supra, cum de Ioanne locuti sumus. Tertium est eorundem scilicet, peccatores non posse absolute magnos esse, deest enim verum & proprium bonum, in quo perfecta magnitudo est; quamuis enim reges, & diuites, & nobiles sint, si gratia Dei careant, non habent, quod verum bonum est, quodque absolute magnos facit.

Et Filius Altissimi vocabitur.

C O M M E N T A R I A.

Prosequitur Angelus explicare, quis, & qualis sit Filius concipiendus, & nasciturus, & cum, quæ humanitatis eius erant, exposuerit, nempe concipies, & paries, vocabitur Iesus, eritque magnus; quæ ad eius diuinitatem spectant, nunc declarat. Vocabitur, inquit, Filius Dei, quasi diceret: Dixi te ò Beata Virgo, concepturam, & parituram Filium, ne propterea tuum tantum Filium futurum arbitreris, vocabitur enim Filius Dei, non solam naturam, seu substantiam, quam abs te nascendo accipiet, habebit, sed simul naturam aliam longe superiorem, secundum quam natus est Filius Dei, nascetur quidem ex te homo, eritque vere Filius tuus, sed idem ab æterno natus est ex Patre ei consubstantialis. Deum appellat altissimū, tum quia in scriptura frequenter sic est appellatus, tum vt mysterij profunditatem magis exprimat,

primat, quasi diceret, cum sit Filius Altissimi, sic humiliabitur, vt fiat homo, & nascatur de femina. qua de causa etiam Ioannes dixit; Verbum caro factum est. Sapienter autem dictum est (vocabitur) & non (erit) ne quis Filium Dei adoptionis intelligeret, qui de nouo fieret, & ante non esset, propterea dixit (vocabitur) nam Filius Altissimi ab æterno est, neque propterea, quod nouam accipit natiuitatem, de nouo est, aut incipit esse. Vfus etiam est Angelus eo verbo, vt simul indicaret fidem populorum, qui Filium Dei, non hominem tantum, sed etiam, vt vere est, Filium Dei in carne, & credituri corde, & ore prædicaturi erant.

A N N O T A T I O L X X V I I I.

Angelus ijs verbis subindicat Mariæ quod Dei Filium paritura, & virgo sit permansura.

Nonnulla obseruanda sunt in præcedenti sententia. Primo quidem tacite Angelum Beatæ Virginis dubitationi occurrisse; dubia enim erat, an virginitati, quod annuntiabatur, aduersaretur, præcipue cum salutationis verbis conceptionem, & partum Filij Angelus adiungeret, idcirco dubitationi occurrens dicit, Filius Altissimi vocabitur, quasi diceret: ò Beata Virgo, cum audis te concepturam Filium, ne cogites de Patre terreno, sicque timeas virginitati tuæ, non sic erit, non enim alium habebit patrem, quam Altissimum ipsum, erisque mater sine viro, & Filius hic sine terreno patre habebit matrem. Neque huic soli dubitationi occurrit Angelus, sed etiam alteri, quæ ex verbis prophetiæ oriri poterat, scilicet, quomodo Angele dicis vocandum Iesum, cū Isaias eum appellandum Emmanuelẽ prædixerit? huic tacite respondet, erit etiam Emmanuel: nam Filius Altissimi vocabitur, hoc est Emmanuel, id est nobiscum Deus. Hæc tunc Beata Virgo nondum percepit, idcirco interrogauit modum conceptionis quem Angelus verbis æterioribus explicuit.

Quare Deus in scripturis frequenter Altissimus dicitur.

Secundo in Scriptura Deus sepe Altissimus sine substantiua appellatus est. Deutero. 32. Quando diuidebat Altissimus gentes. Psal. 38. Tu solus Altissimus super omnem terram. Psal. 90. Qui habitat in adiutorio Altissimi. Eccles. 24. Ego ex ore Altissimi prodii. Isa. 14. Ero similis Altissimo. Quod e ratione factum existimo, vt à falsis dijs distingueretur; adorabant enim Iudæi verum Deum, quem Altissimum dicentes, profitebantur eum solum esse verum, ceteros falsos, qui de terra erant, & altissima non fecerant. Psal. 112. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat. & Psal. 123. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. & Psal. 95. Omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Vfus autem est Angelus hac voce, vt diximus in commentario, vt Christum Filium Dei verum, & naturalem significa-

ret, & vt humiliationis magnitudinem exprimeret, qui cum Altissimi Filius esset, in infimis nasci voluit.

Tertio, verbum hoc (vocabitur) non appellationem nominis solam sine existentia significat, quasi non sit vere filius Dei, sed hominum opinione, & acclamatione tantum appellandus, sed reuera vnico verbo, vtunque complectitur, est enim sensus, vocabitur Filius Dei, & re ipsa erit, qui sane loquendi modus in scriptura frequens est: nã paulo inferius dicitur de Elisabeth, quæ vocatur sterilis, & tamen re vera erat. Isa. 26. Domus mea, domus orationis vocabitur, quæ etiam erat. & Isa. 61. Vos Sacerdotes Dei vocabimini. & Gen. 21. In Isaac vocabitur tibi semen. Suntque alia multa testimonia. Potuisset quidem Angelus dicere: Erit Filius Dei, nam qui nasciturus erat homo, vniendus erat diuinitati, & futurus simul Filius Dei, non quod initium acciperet Filius Dei in se, sed quod homo de nouo fieret Filius Dei: tamen vt magis exprimeretur Filij Dei æternitas, & immutabilitas, dictum est, qui ex te nascetur, vocabitur Filius Dei. Præterea vt diximus in commentario, vt fides copiosa credentium exprimeretur, quæ non significabatur verbo (erit) at dum dicitur (vocabitur) indicatur non solum esse Filium Dei, sed vt talem recipiendum, & colendum.

Quare Angelus non dicit erit, sed vocabitur Altissimi Filius.

Quarto Christus adhuc in terris existens, vocatus est Filius Dei, & non tantum post suam ascensionem, idque ab ipso Patre, ab hominibus, & à dæmonibus, à Patre quidem Matth. 17. Hic est Filius meus dilectus. Ab hominibus Ioan. 11. Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui. Matth. 16. Tu es Christus Filius Dei viui. Ioan. 9. Tu credis in Filium Dei? credo Domine. A dæmonibus Mar. 5. Quid mihi & tibi Iesu, Fili Dei Altissimi? Post Ascensionem vero perfecta impleta est hæc appellatio, & confessio, quæ est, & erit in Ecclesia per fidem vsque ad sæculi consummationem, & erit in cælis in æternum per claram visionem.

Christus etiam ante Ascensionem suam vocatus est Filius Dei.

Et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius.

C O M M E N T A R I A.

Quæ spectabant ad naturam diuinam huius Filij prænuntiati, Angelus exposuit, nunc explicat quæ ad humanam pertinent. Sensus est, sedem, seu regnum David hæcenus deperditum, & abscissum, Dominus Deus in eo restaurabit, ac restituet; sedebit enim in folio David, à quo secundum carnem descendet, quique propterea pater eius erit, quod de te, quæ filia es David, nascetur. Notanda sunt verba: non enim dicit, restituet sedem David, sed dabit illi Dominus Deus sedem David. Primo quidem, ne iure hæreditatis humanæ, quasi filius secundum carnem David sicut ceteri, sedem hanc obtenturus existimaretur, cum alijs nobilioribus titulis eam sedem habiturus esset, & præcipue ex vñone diuinæ naturæ, quia Filius Dei homo ille erat. Secundo, ne quis sedem illam David, qualis fuit in David ipso, in Christo futuram putaret; cum tamen hæc sit multo amplior, & excellentior

lentior. Dicit autem Dominum Deum, vt indicaret sedem hanc Christum accepturum ratione humanæ naturæ, qua minor est Patre, & Dominum, Deum habet, ac Filius est Dauid. Meminit autem Dauid, vt insinuaret promissionem in eo implendam, quam Deus per Prophetas factam Dauid, per ipsummet prænuñtiauuit. Psal. 131. Iurauit Dominus Dauid, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Isa. 9. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit. Hisce verbis Angelus significat Filium hunc esse Christum, & Messiam promissum, in lege, & Prophetis. Hic enim est, in quo solo regnum ablatum erat restituendum, quasi clarioribus verbis diceret: ò Beata Virgo, hic, quem te concepturam, & parituram prænuñtio, erit Messias ille per Prophetas promissus, & à cuncto populo expectatus.

A N N O T A T I O. LXXXIX.

In Christi regno completa sunt sex, quæ de Regno Dauid in scriptura prænuñciata.

Six sunt in scriptura prænuñciata.

Hoc est vnum ex multis, quæ perfidi Iudæi nobis obijciunt contra Christi veritatem: sic enim disputat. Cum per Prophetas prænuñciatum sit Christum futurum esse regem, ac sessurum super solium Dauid, in eoque reparandum regnum illius deperditum; Christus vero non videatur regnasse in suo aduentu, nec sedisse super solium Dauid, non est verus Messias credendus. At quantum isti errent, & in media luce cæcutiant non intelligentes scripturas, nec facti veritatem percipientes, explicandum est breuiter. Ante omnia igitur aduertendum est, de hoc regno prænuñciata fuisse sex. Primo, antequam regnum institutum esset in tribu Iuda, fuit prædictum futurum: nam Genes. 49. Iacob benedicens filiis, quando peruenit ad Iudam dixit: Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij matris tuæ. Hæc adoratio significabat regnum, & regiam potestatem futuram, postea in Tribu, & semine Iuda, vnde subiunxit: Non auferetur sceptrum de Iuda; igitur sceptrum erat futurum in Iuda, quod impletum est in Dauid, & multis de posteritate eius. Secundo postquam hoc regnum erectum est in Dauid, & filiis eius, prædictum fuit abscindendum, & posteritatem regiam in familiam priuatam reuocandam esse. Sic Hieremias prædixit de Iechonia rege cap. 22. Pone virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra Iuda. Durauit enim regnum à Dauid vsque ad Sedechiam, qui vltimo regnavit. Tertio prædictum erat hoc regnum abscissum, & deperditum, restituendum aliquando, & reparandum in eadem tribu Iuda; Amos vlt. In illa die suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reedificabo aperturas murorum eius, & ea, quæ corruerant, instaurabo. Quarto prædictum est hoc regnum abscissum, non ante instaurandum, quam Christus veniret, & eo ipso reparandum, & renouandum. Hæc duo prophetauit Ezechiel cap. 21. Aufer, inquit, cydarim, & tolle coronam; & paulo post: donec veniat, cuius est iudicium, & tradam ei, nota illud (donec veniat) & illud (tradam ei), Hæc eadem prædixit Isaia cap. 11. Egredietur, inquit, virga de radice Iesse, in Hebræo illud (radice) est *גז* id est truncus, de trunco Iesse egredietur virga, id est sceptrum, & regia potestas; truncum appellat, quia abscindendi erant rami, id est regia potestas auferenda à familia, & posteritate Dauid, mansurusque erat truncus vsque ad virgam hanc, quæ Christus est. Hieremias etiam cap. 23. Suscitabo, inquit, Dauid germen iustum, & regnabit rex, & erit sapiens, & faciet iudicium, & iustitiam in terra, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. quam prophetiam esse de

Christo nemo dubitat. Quinto prædictum est non tantum regnum hoc in Christo renouandum, & reparandum, sed amplificandum, multoque latius, ac maius futurum, quam in ipso Dauid, aut posteritate eius præcesserat, sub eiusque dominio non modo Iudæos sed etiam gentes esse futuras. Psal. 71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum; coram illo precipitent Aethiopes, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Isa. 11. In illa die radix Iesse, qui stat in signum omnium populorum, ipsum gentes deprecabuntur. quod etiam Iacob Genes. 49. prænuñciavit: Non auferetur, inquit, sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Sexto prædictum est, non solum amplificandum, & multiplicandum, sed etiam non habiturum finem, nec amplius abscindendum, sed futurum perpetuum, & æternum. Isa. 9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: vbi notant ipsi Iudæi cum Catholicis multis, illud verbum (multiplicabitur) quod in Hebræo est *למאד*, habere, m, clausum in principio, quod solet semper esse apertum, ad insinuandam perpetuitatem ipsius regni, quam apertioribus verbis idem Propheta prædixit subiungens: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia, amodo, & vsque in sempiternum. Hæc sunt sex, quæ de regno hoc inter alia prædixerunt Prophete.

Aduertendum est secundo, Christum vt hominem habuisse regiam hanc potestatem multo perfectiorē, quam fuerit in Dauid, Salomone, vltimo rege homine ex omnibus, qui regnant, aut regnarunt in terra, quæ quidem perfectio ex multis constat. Primo quidem ratione tituli, & iuris, quo hoc obtinet dominium; homines quidem regiam potestatem ab hominibus accipiunt, quatenus humanæ reipublicæ sibi vnum præesse statuunt, & ei potestatem supra ceteros omnes cōserunt, eius dominio sponte se subdentes. At Christus pluribus, & nobilioribus titulis regiam consecutus est potestatem, qui quinque præcipue sunt. Primus est iure vnionis hypostaticæ: ex quo enim ille homo Deus est, & humanitas diuinitatem sibi coniunctam habet, omnium creaturarum spiritualium, & corporalium, cælestium, & terrestrium dominium, & potestatem habet. Huius tituli meminit Athanasius in serm. de Deipara, & Cyrilus lib. 3. in Ioan. cap. 2. & lib. 11. cap. 15. vbi docet Christum vt hominem accepisse à Patre potestatem super omnia, ex quo nimirum homo ille diuinitatem accepit, quam filius habet à Patre. De quo titulo illud est Matth. 11. Omnia tradita sunt mihi à Patre meo. idem Damascenus orat. 1. de Nat. B. Virg. Secundus est iure redemptionis: ex quo enim suo

Potestas regia perfectior in Christo fuit quam in Dauid.

sanguine nos redemit, Dominus est absolutus noster multo magis, quam Dominus serui emptitij. quod ius habuit ab instanti incarnationis: quamuis enim tunc nondum sanguinem effudisset, tamen effundere decreuit, & eius efficacem voluntatem Pater acceptauit, & nostram Christus promeruit redemptionem, quod dominium etiam est vniuersale omnium creaturarum, non solum terrestrium, sed etiam cælestium, terrestrium quidem, nam harum homo Dominus est; cum autem ipse ad plenum dominium Christi iure redemptionis pertineat, etiam quæ ipsius sunt, pertinebunt; cælestium vero, quia fructus redemptionis etiam in illorum vtilitatem redundauit: ciuitas enim illa cælestium spirituum perfecta est hominum redemptione. De quo titulo, est illud Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, nimirum postquam completa est redemptio, hoc enim dictum est post resurrectionem: datam autem sibi dicit potestatem quantum ad exercitium, & vsu, nam quantum ad facultatem, obtinuit eam ab instanti incarnationis, vt diximus. Meminit huius & præcedentis tituli Bernardus lib. 3. ad Eugeni. Christus inquit possessionem sibi vindicat iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris. Hæc Bernardus. Ius creationis habet, vt Deus, meritum redemptionis, & donum Patris, vt homo. donum Patris appellat, vnionem diuinitatis: nam vnire diuinitatem humanitati, donum fuit Patris, concessum humanitati illi. Tertius est iure hæreditatis; ex quo enim ille homo filius erat, & est Dei, paternam obtinet hæreditatem, quæ est Dominium plenum omnium rerum: si enim filius est, & hæres Rom. 8. de quo titulo est illud Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. & Matth. 21. Hic est hæres & ad Hebr. 1. Locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum. Quartus est iure donationis; data enim sunt à Deo omnia Christo homini in dominium, & regnum, de quo Ioan. 13. dictum est; Sciens, quia tradidit ei omnia Pater in manus. & Ioan. 17. Dedit ei potestatem omnis carnis. Quintus est iure meriti, ex quo enim homo ille Patri satisfecit, & honorem peccatis hominum læsum propria morte reparauit, meruit ab ipso patre omnem honorem, & dignitatem. cuius tituli meminit Paulus Philip. 3. Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod exaltauit illum Deus, & dedit ei nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. His igitur modis regnum Christi perfectius est omni potestate, & dominio humano ex parte tituli, & iuris. Secundo perfectius etiam est ex parte plenitudinis potestatis, & dominij: reges enim inter homines non habent plenam potestatem in ipso, nec possunt imperare quæcumque velint, nec subditi regum sunt eorum serui: at Christus plenum dominium, & potestatem habet supra homines, potestque præcipere quæcumque, & obligare nos ad ea omnia, quæ velit, vitæque, ac mortis nostræ habet integrum imperium. vnde potestas eius non tantum est temporalis, sed etiam spiritualis, nimirum regia, & sacerdotalis. Tertio perfectius est ex parte eorum, quibus dominatur; est enim vt diximus omnium rerum Dominus; imperat enim Angelis, dæmonibus, ac creaturis insensibilibus, & obediunt ei omnia etiam, quæ sensu carent. Si autem loquimur de dominio, quod habet in homines, regnum eius, & potestas supra omnes gentes est, nec solum viuos, sed etiam mortuos complectitur: ex his autem non eos solos, qui sunt in cælo, sed etiam eos, qui in purgatorio, & in inferno sunt: dominatur enim

etiam in his per iusticiam suam. Quarto ex parte superioris, neminem enim habet supra se, sed illa humanitas soli est diuinitati subdita, sub se habens omnes potestates, inde rex est regum, & Dominus dominantium. Quinto ex parte durationis, hominum enim principatus morte complentur, postquam non iam reges, aut principes sunt, aut vllam in alios habent potestatem. Psal. 48. Cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. at Christus morte non amisit potestatem, sed permanet eius imperium, & manebit in æternum, neque vquam dissoluetur, aut ei alius succedet. Daniel. 2. In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum; quod ideo dictum est, quia sæculo hoc consummato cessabunt omnes principatus, regna hominum: at regnum Christi, eiusque dominium, & potestas permanebit etiam in futuro sæculo sine fine. Aduertendum est tertio, habuisse quidem Christum hanc regiam potestatem, vt diximus, ab instanti incarnationis, cum ex vnione verbi præcipue emanauerit, vnde & à Magis tæquæ rex quæritur, & in cunabulis adoratur, & muneribus afficitur. Matt. 2. Vbi est qui natus est rex Iudæorum. & ingressus Hierusalem cum pompa regium nomen non refutat sed acceptat. Luc. 19. Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel. Et Iudæorum principibus id ægre ferentibus respondit: Si isti tacebunt, lapides clamabunt. Et passionis tempore regem se esse non negauit. Io. 19. Tu dicis, quia rex sum ego. & in titulo crucis nomen regis deleri non permisit; illa enim Pilati vox, quod scripsi, scripsi, ex diuina dispositione emanabat. Fuit igitur verus rex etiam dum in hoc mundo visibiliter conuersabatur; tamen non exercuit potestatem hanc, sed repressit, obediens factus etiam hominibus vsque ad mortem: non enim venerat iudicare, sed saluare, non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare in redemptionem pro multis. quod tanto magis eius humilitatem cōmendat, quod cum rex regum esset, & Dominus omnium, subditum se fecit etiam pessimis hominibus propter nos. Præcesserat figura huius rei in Dauid, qui multo ante fuit vnctus rex à Samuele, quam regnaret, & potestatem exerceret Saule regnante, à quo multa passus est. Non tamen ita se huius suæ potestatis exercitio spoliavit, quin etiam ante mortem exigentibus causis quibusdam eam exercuit, vt exterioribus operibus eius, quæ latebat, significationem aliquam præberet. nam Luc. 8. legionem eorum dæmoniorum, in porcorum multitudinem magnam ire permisit, & occidi fecit, tanquam rex, & Dominus omnium: eo enim opere placuit vt ad suæ diuinitatis ostensionem. & Luc. 22. eadem potestate asinam, & pullum solui, & sibi adferri iussit dicens: dicite, Dominus his opus habet. & Ioan. 2. Eiecit de templo oues, boues, & vendentes; & effudit æs nummulariorum, & mensas subuertit, quod insignis fuit potestatis, & dominij. & Marc. 2. ficum exsiccauit. & Io. 8. Adulterà à poena legis Moisaicæ liberauit, & à Magis adorari voluit, & acclamationes regias, vt diximus, admisit. Et passione imminente militibus præcepit, vt discipulos suos liberos abire permetteret. Hæc omnia potestatis sunt regie, non qualiscunque, sed absolutæ, & perfectæ, qualis erat in homine veri Dei filio. Post resurrectionem vero plenum potestatis exercitium assumpsit. Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Quod quidem ipso opere significauit, mittens discipulos in vniuersum orbem prædicare Euangelium, & legem omnibus imponens, nulla regum, aut principum facultate requisita tanquam

quam verus Dominus dominantium, & rex regum, & modo in cælis regit, & gubernat inuisibiliter. Vt enim rex in vna ciuitate residens, ceteras regni partes regit: sic Christus residens in cælis, quæ mundi huius sunt, gubernat per scientiam, & potentiam omnia attingens; illinc punit delinquentes in hoc sæculo; illinc Ecclesiam suam defendit, dirigit, & protegit. cum hoc tamen Vicarios visibiles in hoc mundo habet, quibus magnam suæ potestatis partem comunicauit, & communicat, vt regant, & gubernent, & dirigant homines ad vitam æternam, & ea, quæ ad salutem spiritualem pertinent; reliquit enim Petrum, & eius successores Pontifices Romanos, in quibus est potestas spiritualis, & temporalis ad illam ordinata, per quos in Episcopos, & alios ministros potestas deriuatur plus, aut minus secundum gradus singulorum; omnes autem ministri sunt illius regis regum, qui & regiam, & sacerdotalem, spiritualem, & temporalem habet potestatem. Ecce igitur, quo pacto sedem Dauid regiam habet Christus, amplio-rem tamen, perfectiorem, & durabiliorem, vti explicatum est.

Errabant Iudei intelligentes Messiam futurum temporalem Regem.

Ex his error, & ignorantia Iudæorum detegitur, & conuincitur; errabant enim isti, existimantes regnum Dauid sic excitandum in Christo, quasi futurus esset rex temporalem habens potestatem, sicut Dauid, aut Salomon, aut ceteri reges habuere; qui quidem error ex parte, discipulorum mentes tunc temporis tenebat. inde enim factum est, vt illic duo per matrem sibi dexteram, & sinistram dari peterent; Matth. 20. illi etiam alij duo ante resurrectionem dicerent: Nos sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel. Luc. 24. Post resurrectionem etiam interrogarent, si in tempore hoc restitues regnum Israel. inde etiam Iudæi occasionem acceperunt dicendi; Ioan. 19. Omnis, qui se regem facit, contradicit Cæsari: putabant enim Christum sic fore regem Iudæorum temporalem, vt ceteris omnibus regnum adimeret, neque vllius hominis dominatum pateretur. Decepti sunt autem valde, nam Christus quidem rex est potestatem habens in omnibus, sed supra, non contra temporales reges, & gubernatio eius amplissima est, & perfectissima, & æterna atque ab humana dominatione longe diuersa. vnde verissime de Tri-

bu Iuda, & de stirpe Dauid iuxta antiqua vaticinia egressus est vnus, in quo solum Dauid reuocaretur sed amplificatum, corroboratum, & omni ex parte perfectum; multo enim excellentius est regnum, & potestas Ecclesiæ, quàm quæ erat in Dauid, quippe dominiū Christi est, cuius potestas extenditur etiam in cælum, & in infernum, & durabit in æternum.

Qualiter intelligendi sint Patres, Iudæorum calumnie de Christiregno respondentes.

Ex his etiam facile est intelligere, quæ Doctores sacri in hac parte, vt Iudæorum calumniam reprimerent, docuerunt. Athanasius in sermo. de Deipara, huic obiectioni sic respondet, nimirum Christum habuisse sedem Dauid, sed trātulisse à Iudæis in gentes, quibus Ecclesiam dedit, & in qua regnant Christiani; ponderatq. illud verbum Angeli (dabit ei sedem Dauid) dicens esse simile illi Matth. 21. aufertur à vobis regnum Dei, & dabitur gēti facienti fructum eius. Bernardus hom. 4. in (missus est) respondet, regnum hoc Christi esse spirituales potestatem, quæ est in Ecclesia, quæ vere est regnum Christi, & sedes Dauid promissa. Epiphanius autem hæc. 29. dicit, Christum duas potestates comprehendisse, regiam, & sacerdotalem, & vtranque communicasse Ecclesiæ, & residere in Pontificibus, quæ quia Christi est, qui est de semine Dauid, idcirco dictum est solum Dauid in Christo restauratum. Hæc omnia vere dicuntur, sed non plene. veritas est, quam explicauimus, nempe Christum de semine Dauid fuisse & esse Regem gentium, & Iudæorum multo perfectius, quàm fuit Dauid; nam potestas Christi extenditur ad omnes gentes, & ad viuos, ac mortuos, & regnat in cælo, & in terra, & in abyssis summo & potentissimo dominio, & pars huius potestatis est in Ecclesia, in qua regnat per Vicarium visibilem, in multis operibus; tamen ipse etiam inuisibiliter regit & gubernat, multaq. ac miranda opera & spiritualia & temporalia facit, tanquam absolutus & verus Dominus, cuius potestas manet in æternum, etiam cessante hac Ecclesiæ potestate ministeriali. Dicitur autem restauratum solum Dauid, quia de eius stirpe, à qua regia potestas erat ablata, surrexit Christus, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, qui à principio incarnationis Rex fuit, quamuis non statim eam potestatem exercuerit, vti postea factum est.

Et regnabit in domo Iacob in æternum.

COMMENTARIA.

Solum Dauid in principio non fuit perfectum; nam septem primis annis regnauit super Iudam, postea vero super alias etiam tribus: in posteritate autem eius, nempe Roboam, & successoribus eius diminutum est solum: nam regnarunt tantum super Iudam & Benjamin, quo tempore abscissum est regnum à domo Dauid. ne quis igitur solum Dauid in Christo restituendum arbitraretur, sicut erat in diebus, quibus abscissum est, cum re vera perfectissimum futurum esset in Christo, idcirco adiunxit Angelus, Dabit Deus illi solum Dauid perfectum, & plenum, vt regnet in domo Iacob. domus enim Iacob omnes Tribus complectebatur, quæ à duodecim filiis eius deriuatæ sunt. Ne autem quis putaret, iterum hoc Regnum abscindendum, & in alterius potestatem deuolutum iri, addidit, in æternum. Regnum enim Christi perpetuum erit, nec vnumquam abscinderetur, vt eo abscisso populus eius alterius sit. Dani. 2. in æternum non dissipabitur, & eius Regnum alteri populo non traderetur. Hisce verbis significat Angelus Ecclesiæ Euangelicæ regnum, quod amplissimum est ex omni gente, tribu, & natione, & numquam antiquandum, sicut antiquata est Synagoga. Cetera in Annotatione perlege.

ANNOTATIO. XC.

Regnat Christus in Ecclesia quæ domus Iacob dicitur.

HÆC Angeli sententia Regnum Ecclesiæ significat, in qua modo quodam particulari Christus regnat: vt enim Deus, cum in toto mundo per potentiam, & generalem gubernationem semper regnet, peculiariter in synagoga illa regnare dicebatur, quia ibi cultus, religio, & lex Dei obseruabatur, ideoque populus Dei peculiaris appellatus est: ita & Christus Deus, & homo potestatem habet regiam in omnibus, & Rex est supernorum, & infernorum, fidelium, ac infidelium; tamen in Ecclesia regnare dicitur, in qua fides, religio, sacramenta, sacrificium, gratia, remissio peccatorum, ius ad gloriam, quorum ipse causa est, vigent. Hoc autem est regnare in domo Iacob, in qua dicitur in æternum regnare, quia Euangelium non est, vt synagoga, seu lex illa vetus, vt recte adnotat Cyrillus lib. 10. Ioan. cap. 25. Lex enim illa & synagoga abolita est & euacuata p. Euangelium: ac Euangelium non abolebitur vnquam, aut euacuabitur per aliud Euangelium, aut legem, sed manebit vsque ad sæculi consummationem, quod Paulus Hebr. 13. docuit, dicens Iesus Christus heri: & hodie, ipse, & in sæcula; doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci. Ex hoc facile soluetur dubitatio, quæ suboriri poterat, cur nempe non dicitur regnaturus in Domo Abraham, aut in Domo Isaac, cum etiam his sit Christus promissus, sed in domo Iacob. Respondeo, Abraham duplicem habuisse posteritatem, vnã ex Isaac, in qua facta est promissio, & cui data est circumcisio, & lex, & prophetia, & sacrificia: Alteram ex Ismael, quæ ab his bonis repulsa est: in illa autem significabatur Ecclesia, non in hac, vt docet Paulus, Gala. 4. Non sumus, inquit, filij ancillæ, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit. Non ergo tota domus Abraham Ecclesiam repræsentabat. Hoc idem in Isaac factum est; habuit enim duos filios, à quibus duo populi effluerunt, Esau, & Iacob; ille à bonis prædictis exclusus est: hic vero ea obtinuit, iuxta illud: Iacob dilexi, Esau odio habui. Non igitur in tota domo Isaac Ecclesia significabatur. Iacob vero duodecim habuit filios, & omnes hi legem, & circumcisionem, & cetera acceperunt à Deo, & populus eius peculiaris facti sunt, idcirco tota domus Iacob Ecclesiam repræsentabat, ea que est causa cur nunc Christus in domo Iacob regnaturus dicatur; peculiare enim eius regnum significatur, quo in fidelibus, & in Ecclesia sua regnat, quæ non ex materialibus tribubus illis conficitur, sed ex tribubus secundum spiritum, siue Iudæi, siue gentiles secundum carnem sint; omnis enim natio, & gens, ac populus credens, & Christo adhærens

Quare non dicitur Christus regnaturus in domo Abraham, & Isaac, sed in domo Iacob.

dicitur de domo Iacob, iuxta illud Rom. 9. Non omnes qui ex Israel sunt, Israelitæ sunt, sed qui secundum repromissionem.

Sunt autem aduertenda duo verba (Domo Iacob) & (regnabit) Domus Iacob dicitur, quia Iacob non fuit Rex; regnum enim, Saul expulso, incepit in Dauid, propterea regnum, seu solum Dauid, Iacob vero domus dicitur. In hac ergo domo Christus regnaturus prænuntiatur, quia Ecclesia per domum Iacob representata euehenda, & extollenda erat in dignitatem amplissimam, & supremam, vt fieret regnum Christi, & haberet Christum in regem, & caput: quasi diceret, ex domo fiet regnum. Præterea solus Christus regnaturus dicitur; Ecclesiæ enim nemo hominum Rex est, sed ille solus, qui ædificauit eam Christus: Pontifices enim, & Prælati eius, non domini nec Reges, sed Vicarij sunt illius, qui è Cælo regnat in Ecclesia 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo tamquam ministros, & dispensatores.

Christus solus Eccl. Rex est, Pontifices & Prælati, Vicarij solum sunt.

Conuenienter autem dicitur Ecclesia domus propter multa. Primo quidem, ad indicandam prouidentiam peculiarem, quam habet Christus de sua Ecclesia, sicut Rex de domo sua. Secundo, sicut homines in domibus proprijs habent suam supellestilè, & pretiosa quæque recondita, sic Christus noster in Ecclesia repositos habet thesauros suos, sacramenta, sacrificium, religionem, dona Spiritus Sancti, & reliqua salutis instrumenta. Tertio propter habitationem; proprie enim homo domi habitat; sic Christus quandam habet in Ecclesia habitationem particularem: præterquam enim quod habitat in cordibus fidelium spiritualiter præsentiam quandam habet in Ecclesiam etiam corporalem: nam in Sacramento Eucharistiæ adest, vt impleatur illud Matth. 28. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Quarto, ad significandam familiaritatem quandam & dilectionem, & vnionem, quam nobiscum habet, & nos cum eo, & inter nos habere debemus, sicut ij, qui eiusdem domus sunt. hac de causa Paulus, Eph. 2. appellat fideles; domesticos Dei: licet enim in Ecclesia variæ, & diuersæ sint hominum nationes; tamen caritas, fides, sacramenta, & religio eadem sunt, & fratres in Christo omnes sumus. His de causis Ecclesia, domus dicta est, etiam ante Angeli nuntium Psal. 25. Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis tuæ. Prouerb. 9. Sapientia ædificauit sibi domum. qua voce etiam Paulus vsus est. 1. Timoth. 3. Vt scias quomodo oporteat te ambulare in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui.

Ecclesia Dei merito Domus appellatur.

Et regni eius non erit finis.

COMMENTARIA.

Non solum regnabit Christus in domo, & Ecclesia in æternum, quia eius regnum non euacuabitur per aliud, sicut Synagoga euacuata est per Ecclesiam, & lex per Euangelium, quod durabit vsque in sæculi consummationem, sed etiam regnum Christi in æternum manebit. nam etiam consummato sæculo præsentis, & Ecclesiæ statu completo, permanebit regnum Christi in cælis sine fine. Præcedens igitur sententia hoc indicat, regnum Ecclesiæ non abolendum vnquam per aduentum alterius Ecclesiæ, aut Euangelij. Hæc vero sententia significat regnaturum Christum sine fine, etiam consummato sæculo.

... non tunc regnum eius finis, quod non tunc regnum eius finis, quod non tunc regnum eius finis...

A N N O T A T I O . X C I .

Christus regnat nunc in Ecclesia, sed perfectius post finem sæculi regnaturus est.

1. Cor. 15.

ADVERTE, Christum regnare nunc in hoc sæculo, & in Ecclesia, tamen nondum, ut ita dicamus regnum obtinet pacificum: nam nondum omnes inimici expulsi & deleti sunt; superati sunt quidem & devicti, tamen non dum extirpati & euulsi; nam permanent dæmonis tentatio, peccatum, mors; Sunt multi etiam rebelles præceptis ac legibus Christi, & contra ipsius misericordiam libero pugnant arbitrio, hæc usque ad finem sæculi erunt, post quem regnum erit pacatum, regnabitque Christus fugatis inimicis, & rebellibus eradictis: nam mors euacuabitur per resurrectionem, nec iam ultra erit. Dæmon in æternum carcerem neminem iam tentaturus detrudetur, peccatum amplius non erit, quia peccatoribus licentia peccandi auferetur, nec amplius de nouo peccabunt: iusti autem perpetuam munditiam, & puritatem obtinebunt in gloria, carne omnino subiecta spiritui. tunc erit perfecta redemptio, & regnabit pacifice Christus in æternum, eius inimicis perpetuas lucentibus pœnas; amicis autem, sine fine gloria fruuentibus. In hac ergo domo Iacob, ubi lucta est, & supplantatio, regnabit quidem in sempiternum, id est, Ecclesia & Euangelium usque ad finem sæculi perdurabunt: at conlumato sæculo regnum Christi omnino pacificum erit, cuius non erit finis. Hæc Paulus docuit 1. Cor. 15. sic dicens: Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum euacuauerit omnem principatum & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius; nouissime autem inimica destruetur mors: omnia enim subiecit sub pedibus eius: cum autem illi subiecta fuerint omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Hæc Paulus. In qua sententia nonnulla aduertenda sunt. Primo, illud (oportet regnare, donec ponat inimicos suos) significat Regnum Chri-

sti præsens, quod habet in hoc sæculo, & dicitur regnare in domo Iacob in æternum, quando inimicos quidem superauit, & vicit, tamen nondum depulit, ac aboleuit. Illud autem (cum fuerint ei subiecta omnia) indicat regnum alterius sæculi, de quo dicitur. Regni eius non erit finis, quando inimici euacuabuntur, & abolebuntur; ut diximus. Secundo, illud (donec) non indicat, non regnaturum, postquam inimicos posuerit, sed tantum quod regnabit quousque subiecerit sibi inimicos; est enim phrasis hæc scripturæ, ut adnotat Hieronymus in illud, Matth. 1. Non cognouit eam donec peperit filium: non enim inde deduci potest, ergo cognouit eam postquam peperit. ita: & nunc regnabit, donec ponat inimicos, non recte colliges: ergo post depositionem inimicorum non regnabit: nam etiam postea regnabit: additur enim, (cum subiecta ei fuerint omnia) tunc autem regnum erit omni ex parte pacatum per obedientiam omnium; nam inimici luent pœnas secundum eius iustitiam statutas; amici autem & iusti in æterna pace, & conformitate cum ipso erunt. Tertio; hoc testimonio Ariani aburebantur, dicentes filium minorem Patre, quia dicitur futurus ei subiectus. Decipiuntur autem & errant, nam ut recte Athanasius lib. de incarnatione Christi. prope finem dicit, Paulus loquitur hic de Christo ratione corporis mystici, quod quidem in hoc sæculo non est omni ex parte subiectum Deo, cum multi fideles, qui membra sunt eius, & ad corpus Christi pertinent, peccent, & diuina transgrediantur mandata; in sæculo vero futuro totum Christi corpus mysticum erit subiectum Deo, quando tota Ecclesia triumphas erit sine macula, & ruga, & mali, ac peccatores ab hoc corpore erunt abscissi, resecti, & abiecti. Quamuis autem Paulus de Christo loqueretur in se, nihil inde Arianus contra veritatem haberet, cum Christus ratione humanitatis minor sit Patre, & ipsi subiciatur.

Dixit autem Maria ad Angelum.

C O M M E N T A R I A .

Verba sunt hæc Euangelistæ, historiam connectentis & referentis, quid Beata Virgo ad Angeli nuntium responderit. Notandum est autem verbum illud [ad Angelum] non enim dictum est tantum [dixit Maria] sed etiam [ad Angelum] ut eo verbo significaret Euangelista, Beatam Virginem nouisse Angelum esse, qui secum loquebatur. Commendanda est profecto prudentia respondentis, quæ Angeli sermonem non interruptit, sed totum attentam audiuit: sunt enim qui, antequam perfectus sit sermo loquentium, respondent, quod imprudentiæ adscripsit Sapiens Prouerb. 18. Qui prius, inquit, quam audiat, respondet, stultum se esse demonstrat.

Quomodo fiet istud.

C O M M E N T A R I A .

Mente percepit Beata Virgo Angeli nuntium, eique fidem adhibuit, quo tamen modo conceptura talem Filium esset, non est omnino assecuta, idcirco interrogat, quo modo fiet istud? quasi diceret, intelligo, & credo beneficium insignne, quo me Deus prosequitur, dum me tanti filij matrem facere dignatur; quo autem modo id futurum sit, non assequor, scire tamen cupio, ideo qui rem mihi nuntias, modum quæso rei perficiendæ expone.

ANNO.

A N N O T A T I O X C I I .

Diuersæ expositiones superioris sententiæ.

MULTIPLEX est antiquorum doctorum, huius interrogationis interpretatio. Primo loco Origenes hom. 1. in Genes. affirmat, huiusmodi interrogationem ex incredulitate processisse; solet enim in Scriptura hæc particula in ea significatione aliquando vsurpari, ut non credentis animum indicet. Ioan. 6. Quomodo potest hic carnem suam nobis dare? Consentit huic opinioni Euthymius in præsentis loco, & Greg. Nyss. orat. de Christi Natiuitate. Secundo, Athanasius in serm. de Deipara, & Chrysostomus, hom. 49. in Genes. temperatius loquentes, dicunt esse verbum hæsitantis, & dubitantis: considerabat enim Beata Virgo, (ut ipsi affirmant) quod naturæ erat, non autem quod diuinæ virtutis, idcirco hæsitabat, & dubitabat admirata, & obstupescita, ut dicit Chrysostomus. Tertio Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 8. & in præsentis loco, dicit non esse verbum incredulitatis, aut hæsitantis, seu dissidentis, sed interrogationis, & percontationis: modum enim ignorabat, quo mysterium perficiendum esset, idcirco interrogat, ut sciat, utitur exemplo Ambrosius ex Gen. 15. ubi Abraham audiens promissionem Dei magnificam, non incredulus mysterij, sed cupidus sciendi modum, quem ignorabat, dixit: Vnde scire potero, quod possessurus sum terram hanc? quem modum statim Angelus ei aperuit; ita nunc factum esse existimat. Huic sententiæ accessit Augustinus lib. 16. Ciui. cap. 24. & Bernardus hom. 4. in Missus est. & eandem probare visus est Damascenus, lib. 3. de fide cap. 2. & re vera hæc sententia est legitima & amplectenda, quam multa persuadent, & demonstrant. Primo quidem, quia incredulitas hæc vix à culpa excusari potest, quam longe à Beata Virgine abfuisse non est dubitandum. Habemus exemplum Zachariæ, qui dictis Angeli non credens peccauit, & peccati pœnam sustinuit. Cum igitur Beata Virgo multis partibus illum superauerit, perfectiorisque virtutis fuerit, si hæsitasset, aut non credidisset, eius incredulitas grauioris culpæ notam induceret, reprehensibiliorque esset, nec excusari posset ea ratione, quam Athanasius, & Chrysostomus adferunt, nempe quod considerauerit virtutem naturæ, non Dei. At profecto hæc inconsideratio, reprehensibilis esset; ubi enim de mysterio & nuncio Dei agebatur, quamuis propriam virtutem considerare ad humilitatem exercendam esset laudabile, tamen ad dubitandum de veritate, multum esset reprehensibile. Nec etiam excusaretur eo, quod dicit Euthymius, nimirum Zachariam admonitum esse per pœnam, quia non credidit ea, quorum in scriptura legerat exempla, nempe in Sara, Rebecca, & Rachel: at Beata Virgo non habuerat

Superiora verba non dubitantis sed interrogantis sunt.

exemplum vllum, Virginem scilicet aliquando concepisse. Idcirco inquit, quamuis incredula fuerit sicut Zacharias, per pœnam tamen admonita non est, hæc, inquam excusatio non est efficax: nondum Angelus expresserat, illam salua virginitate concepturam. Præterea, etiam si expressisset, incredulitas à culpa non vacasset; nam sciebat Beata Virgo maiora Deum fecisse, & facere adhuc posse, cum nihil illi impossibile esse etiam ex scriptura didicisset. Adde etiam, quod à culpa omni Beata Virgo vacabat: si autem incredula fuisset, non esset à culpa immunis. Rectius ergo Ambrosius in præsentis dicit, cuius verba sunt: Videtur hic non credidisse Maria, nisi diligenter aduertas, neque enim fas est, ut electa ad generandum vnigenitum Dei filium, fuisse videatur incredula. Quo autem fieri modo posset, (licet salua sit prærogatiua matris, cui profecto fuit amplius defendendum, & ut prærogatiua maior, maior etiam fides ei debuit reseruari,) ut Zacharias, qui non crediderat, silentio condemnaretur, Maria autem, si non credidisset, Spiritus Sancti infusione exaltaretur? Hæc Ambrosius. Eadem sententia confirmatur secundo: nam videtur incredulitas, quam hi Doctores affirmant, aduersari verbis à Spiritu Sancto per Elisabeth prolatis. Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur quæ dicta sunt tibi à Domino. qua ratione tanto encomio fides Beatæ Virginis commendari posset? quæ ratione fructus tantus ei fidei adscriberetur, quoniam inquit perficientur quæ dicta sunt tibi à Domino, si incredula exitisset à principio? Tertio hoc idem comprobatur, quia Beata Virgo nouerat esse Angelum Dei: si autem incredula fuisset, oportebat de veritate Angeli dubitare, quod profecto absonum est à tantæ Virginis perfectione, cum quilibet de Populo sciret, Angelum Dei Sanctum non mentiri, sed verba eius esse vera. Postremo, quia si non credidisset, aut dubitasset, dixisset, ut recte Bernardus adnotauit, An fiet istud? aut, Quomodo potest fieri hoc? sicut illi increduli dixerunt, Ioan. 6. Quomodo potest hic dare nobis carnem suam? Non igitur dubitauit, aut incredula fuit, sed certa de nuntio; modum perficiendi mysterij ignorabat, idcirco interrogauit, & responsum audire meruit. ubi enim rectissime Ambrosius dicit, non vsurpauit sibi diuina, quasi diceret, noluit suo ingenio credere, & à seipsa modum excogitare, quem maxime probaret, sed præ humilitate sibi diffidens scire modum, quærit ab eo, à quo tantum nuntium acceperat. Superest autem ut explicemus quis sit modus hic, quem ignorabat, & scire cupiebat, quod in sequenti Annotatione fiet.

A N N O T A T I O . X C I I I .

Quid Deipara credidit, & quid ab Angelo interrogauerit.

IN Annotatione præcedenti ostendimus Beatam Virginem modum perficiendæ eius rei, quæ annunciabatur, interrogasse, non autem incredulam fuisse, aut de re ipsa hæsitasse, seu dubitasse, & cum Ambrosio, & Augustino discessimus ab eorum sententia, qui contrarium existimabant. nunc inquirendum videtur, quid sit illud, in quo illi Doctores affirmarunt Beatam Virginem hæsitasse, seu incredulam fuisse, & quod nos diximus, credidisse; non enim sunt Doctores consentientes in eo explicando, nec est facile illorum sententias distinguere, & explicare fideliter. Primo igitur loco Euthymius, qui affirmat Beatam Virginem incredulam fuisse, sicut & Zachariam, sic sentit, nimirum intellexisse ex verbis

Angeli, se salua virginitate concepturam, hoc autem, quippe præter naturæ ordinem, ne dum nouum, & nunquam visum, non credidisse. hoc idem sentire videtur Chrysostomus hom. 49. in Genes. & Greg. Nyssen. orat. de Christi natiuitate. Origenes vero hom. 1. in Genes. quamuis asserat incredulam extitisse, non declarat, quid sit id quod non credidit. Hæc sententia non potest sustineri; præterquam enim quod non est admittendum, Beatam Virginem fuisse incredulam, ut ostensum est in præcedenti Annotatione, tamen etiam si id admitteremus, adhuc non potest accomodari verbis: nam quæ sequuntur verba, essent superflua, & inconsona. quod manifestum est, si verba Angeli sic componamus. Ecce con-

F 4 cipis

icipes & paries salua virginitate tua; si ipsa Beata Virgo id non credidisset, dixisset tantum; Quomodo fiet hoc? non autem addidisset, Quoniam virum non cognosco, ut quisque facile intelliget; diceret enim Angelus: immo hoc est quod annuntio; fiet enim hoc, quia virum non cognosco. Non ergo dici potest, incredulam fuisse in eo, quod virginitate salua se concepturam audivit.

Secundo loco Athanasius serm. de Deipara affirmat quidem hæsitasse Beatam Virginem, & in eo hæsitasse, quod sine viro concepturam se intellexit: at vero ex quibus verbis Angeli id nouerit, explicat, quod Euthymius non fecit. dicit ergo Athanasius, Angelum annuntiasse conceptionem iam iam, & sine mora futuram. cum autem Beata Virgo sciret se Virginem esse, & numquam virum nouisse, existimauit conceptionem hanc sine viro futuram, ideo hæsitaui. quod clarius sic exponi potest, si Beata Virgo virum nouisset, quando Angelus conceptionem, & partum annunciabat, existimasset conceptum, & partum futurum ex copula præcedenti. Si etiam Angelus annuntiasset conceptionem, non quidem instantem, sed post moram temporis cogitasset de viro futuram, quem postea nosset: at dum ei, quæ non nouerat virum, instantem nunciat conceptionem, significauit sine viro futuram, ideoque Beata Virgo hæsitaui. Hæc est sententia Athanasij fideliter explicata, cui etiam aduersatur idem verbum (virum non cognosco) dicendum enim erat, quoniam non noui virum. Hæc sunt sententiæ eorum, qui incredulitati adscriperunt verbum Beatæ Virginis, Quomodo fiet istud?

Tertio loco, Greg. Nyss. orat. de Christi natiuitate. aliter sentit, nimirum eam existimasse Angelum sibi annunciare conceptionem virginitate non permanente; cumque votum ipsa virginitatis haberet, auersata est eum, etiam si sciret Angelum de Cælo, nec creditur dictis eius. Hoc tamen sustineri non potest, vt ex præcedenti Annotatione constat.

Quarto loco, Ambrosius in præsentia negat incredulam fuisse, & verbum illud interrogantis fuisse affirmat. conuenit cum Doctoribus primæ, & secundæ sententiæ in hoc, quod intellexit se virginitate salua concepturam, & parituram; dicit tamen, illam modum interrogasse, qui nempe modus tenendus esset in conceptione perficienda cum virginitate, quem Angelus explicuit, dicens. Spiritus Sanctus superueniat in te, &c. Addit Ambrosius, modum hunc non fuisse reuelatum Isaia

Propheta; nouit quidem virginem concepturam, & parituram, quando prædixit: Ecce Virgo concipiet; tamen quo modo virgo erat conceptura, ignerabat, immo inquit superioribus potestatibus erat modus hic absconditus. Virgo igitur nouit se Virginem concepturam, & creditur, tamen quo modo futurum hoc esset, ignorauit, & interrogauit, ac ab Angelo didicit. Huic sententiæ plurimum aduersatur verbum idem (quoniam virum non cognosco) nec video, qua ratione possit accommodari; si enim Angelus annuntiasset, salua virginitate eam concepturam, idque credidisset, & modum interrogasset, solum dicendum erat, Quo modo fiet istud? nam causa interrogationis adiuncta non cohæret, immo nec vera causa esse potest; non enim erat causa interrogandi, quia virum non cognoscebat, sed ignorantia altitudinis mysterij: dicendum enim erat, Quomodo fiet istud, si virum non sum cognitura? Adiunge vnum, quod tribus recitatis sententijs contrarium est, Angelum nondum aperte significasse Virginem Beatæ, eam salua virginitate concepturam, sed insinuasse tantum, vti dictum est: at Beata Virgo non fuerat id tunc affecta. percepit quidem conceptionem, & partum filij tanti, quo autem modo futurum id erat, an nempe salua virginitate, an copula viri superueniente, ignorabat, quamuis crederet potuisse Deum omnia facere. Nec obstat, Isaia prædixisse, Virginem concepturam, & parituram; præterquam enim quod textus hic non erat omnibus plane intellectus, nondum Beata Virgo perfecte intellexerat id in se esse implendum; paulatim enim & per incrementa illuminabatur à Deo in hoc mysterio, vt eius fides exercebatur, & liberum arbitrium, à quo pendebat consensus, maturius deliberaret. Quinto igitur loco est sententia Bernardi serm. 4. in Missus est. quam existimo veram & legitimam esse, qui tenet, quod paulo ante dicebam; nimirum intellexisse mysterium conceptionis, ignorasse tamen modum, an salua virginitate (quod posse Deum facere credebat) an alio modo Deo placeret id perfici. Huic expositioni consonat verbum sequens, Quoniam virum non cognosco, vt in eius interpretatione magis innotescet. Hæsitaui ergo & dubitabat, non in verbis Angeli, nec in conceptione, sed an viri coniunctione, an modo alio diuino, futura esset Mater tanti Filij. Hanc Bernardi sententiam multo ante Augustinus docuisse visus est lib. de Sancta virgini. cap. 4. si verba eius diligenter perpendantur.

Quoniam virum non cognosco.

COMMENTARIA.

Prudentiſſima Virgo non tantum interrogat, sed etiam causam interrogationis exhibet, quasi diceret: O Angele Dei, ex vna parte conceptum, & partum mihi annuncias, ex altera ego virum non cognosco, id est, meam virginitatem Deo dicaui, nec mihi iam viro accedere fas est, explica modum, quo hæc fieri debeant, an nempe Deo placeat me virginitati renunciare, an modum alium tenere velit, qui omnia potest.

ANNOTATIO. XCIV.

Cum hæc sententia sit antecedentis causa, nimirum, quo modo concipiam, dum virum non cognoscam, consequuntur tria. Primum est, Beatam Virginem nondum ex verbis Angeli percepisse, se virginitate salua concepturam; si enim id affecta fuisset, non adiecisset hanc causam; vti superius etiam diximus: at quia dubia erat, & ignorabat mo-

dum, idcirco interrogauit, causam dubitationis exhibens, scilicet quia copula vacare ei fas non erat: si autem conceptura erat, modus alius, quo Virgo permanens conciperet, futurus videbatur. Alterum est, hoc verbum (cognosco) tempus omne complecti, quasi diceret, non cognoui, & me non cognituram esse decreui, meque Deo astrinxi; si enim

tantum significaret, se non virum nouisse, nec futuræ copulæ facultatem auferret, non erat congruens causa interrogationis, sicut si modo cuidam virgini spem copulæ habenti diceretur: concipies filium, non esset apta responsio, dicere. Non cognosco virum, nam si non nouit, poterit cognoscere. Beata ergo Virgo causam hanc, cur modum interroget, exhibens, significat omnino se copulæ facultate priuatam, vt nec nouerit, nec posse vnquam illi sit liberum. Ex quo recte Augustinus lib. de Sancta Virginitate. 4. & Greg. Nyss. orat. de Christi natiuitate. & Bernardus hom. 4. in Missus est. deducunt, votum habuisse virginitatis; quo se Deo astrinxerat; sic enim conueniens est causa interrogationis, Quomodo fiet istud? quia virum non cognosco. Addit Augustinus, etiam si hæc verba non cognouisset Beata Virgo, sed sola illa dixisset, Quomodo fiet istud? indicabat se votum habere virginitatis, nec copulam illi liberam fuisse; si enim hoc non esset, non erat cur modum inquireret. Nec efficax est responsio, iuxta sententiam Athanasij in Annotatione præcedenti citati, nimirum Angelum significasse iam iam sine mora illam concepturam, ita vt non esset tempus futuræ copulæ. Nam re vera non apparet in verbis Angeli tanta celeritas, vt non posset Beata Virgo existimare copulam futuram, ma-

xime quia erat coniugata viro, nec multum temporis intercessisset, si viri copula necessaria fuisset: nam & Isaïas eadem protulit verba. Ecce Virgo concipiet, & tamen non ita celeriter impleta sunt, & Iud. 13. Vxori Manue dixit Angelus: Ecce concipies & paries filium: & tamen non indicatur tanta celeritas, vt non intercederet viri copula. Nec etiam efficax est responsio ex doctrina eorum, qui asserunt, Angelum significasse, illam virginitate salua concepturam, nam nec id apparet in verbis Angeli, sicut nec in iis, quæ dicta sunt vxori Manue. Præterea, quia superflua & inconsona tunc essent hæc verba, Quoniam virum non cognosco. Oportet ergo confiteri hæc verba indicare votum virginitatis, quo se Beata Virgo astrinxerat: Hæretici enim nostri temporis vota huiusmodi respicientes, conuincuntur hoc testimonio, nec quicquam accommodate respondent. Tertium est, in his verbis splendere admirandam castitatem & puritatem Beatæ Virginis, cuius conseruandæ desiderio flagrans, etiam cum tanti filij conceptio nunciaretur, non est voci oblita, sed eam conseruare cupiebat, simulque certare videbantur, gaudium concipiendi Filium Dei, & timor amittendi virginitatem, ideoque obtinuit vtrunque.

ANNOTATIO. CXV.

Quare Christus sine viri copula conceptus sit.

NON est sine consideratione præmittendum, cur sine viri copula Christus conceptus sit. diximus quidem superius aliquot causas, cur Virginem in matrem elegerit, hunc tamen in locum, peculiarem hanc considerationem referauimus, quæ communis est: nam etiam de non Virgine potuit sine copula viri nasci; quod autem Virgo sit electa, vt de ea sine copula nasceretur; & quod Virgo etiam post partum permaneret, argumento sunt sine copula fuisse conceptum; si enim ante aut post corrupta fuisset, opponerent increduli, sine virili copula non fuisse conceptum. Virginitas ergo perpetua probat sine copula Christum conceptum fuisse, non autem, quod non posset sine copula concipi, nisi Virgo præfuisset, aut Virgo post partum permanisset; vnde verba Basilij sunt sano modo intelligenda: in homilia enim de humana Christi generatione, sic inquit. Donec dispensabatur Christi generatio: necessaria erat Virginitas. quid vero postea sit factum, ad mysterij huius doctrinam non anxie coniungendum est. Hæc Basilij. Intellige autem, necessariam fuisse virginitatem, donec dispensabatur Christi generatio, non quidem absolute, quia de non Virgine, & iam ante corrupta, potuit sine copula viri Christus concipi: sed necessaria dicitur virginitas ad dispensationem ex suppositione, quia non solum sine viro conceptura prænunciata erat per Prophetas, sed etiam virgo integra & pura, idque conuenientissimis rationibus factum esse, supra ostendimus. Consideratione igitur peculiari opus est, cur sine copula conceptus sit. Augustin. lib. 1. de nupt. & concupiscent. cap. 12. huius rei vnam adfert causam, nimirum quia sine peccato Christus concipiendus erat: Ea igitur de causa viri commissio non debuit intercedere, ad cuius rationis declarationem aduerte, eos peccatum originale contraxisse & contrahere, qui in Adam fuerunt, & ipso peccante peccarunt, non autem in Adam fuisse dicuntur, nisi qui virtute in illo continebantur, nimirum qui naturali propagatione ab eo originem trahunt, & procreantur; in causa enim illi effectus præexistunt, quos virtute sua producere causa ipsa potest, sicque Adam virtute omnes homines continebat, qui virtute naturali ab

eo geniti sunt, siue per se, siue per filios naturaliter propagatos: pater enim virtutem naturalem producendi communicat filiis, & hi rursus aliis, vnde à primo illo omnis virtus deriuatur, ac propterea in eo omnes præfuerunt, qui naturali virtute ab ipso procreantur. Hinc consequitur (quod doctè adnotauit Anselmus lib. de concep. virg. n. cap. 11. & lib. 2. cur Deus homo cap. 16.) si quis homo purus de sola femina per miraculum absque viri coniunctione & semine nasceretur, eum non contracturum peccatum originale, sed sine vllo peccato nasciturum, cum secundum virtutem actiuam non fuerit in Adam; sicut etiam si de costa alicuius hominis aut femine Deus virtute sua hominem quempiam produceret, is vtique peccatum non contraheret, quia naturali propagatione ab Adam non descendit, nec in virtute illius præfuit. Cum igitur Christus non sit ex viri semine, nec naturali propagatione conceptus, non potest dici fuisse in Adam, aut in Dauid, aut in vllo alio ex Patribus, quamuis de eorum semine & substantia sit progenitus, vt docuit Athanasius in oratione, quod vnicus sit Christus: sunt enim hæc longe diuersa, esse in aliquo, & esse de aliquo. fuit Christus de Adam, Abraham, & cæteris Patribus, quia carnem, quæ de ipsis erat, induit; tamen in eis non fuit, quia virtute naturali actiua ab ipsis deriuata non est propagatus, sed virtute Dei. Hæc est causa, cur Christus non dicitur decimatus in Abraham, quando decimas soluit Melchisedech, quia Christus non erat in lumbis eius, sicut fuerunt omnes, qui naturaliter propagati sunt ab illo; & per hoc probat Paul. Hebr. 7. Sacerdotium Christi fuisse & esse nobilius sacerdotio legis, quia legis sacerdotes in Abraham decimati sunt, non autem Christus. Cum igitur hæc ita sint, consequitur, etiam Christus merus homo esset, & non Deus, non contraxisset tamen peccatum Originale ex Adam, quia non de viro, nec naturali propagatione ab illo genitus est.

Obiiciet aliquis duo, quæ ad maiorem declarationem huius mysterij tendunt: Primo quidem sic. Christus erat Dei Filius, & sic non erat capax peccati, etiam in natura assumpta propter vnionem: igitur

Hæc Virginitatis Verba indicat quod Virginitatem voluisset.

Qua ratione homines contrahant, & Christus non contraxerit culpam originalem.

tur non erat opus nasci sine viri copula, vt a peccato esset immunis. Respondeo, etiam si id ita esset, quod Christus propter vnionem nō posset nasci peccator, si tamen de viro genitus esset, propagationem habuisset infectam, & quantum est ex parte illius propagationis, non fuisset à peccato immunis, quamuis aliunde, nempe propter vnionem illud non contraxisset: at dum sine viro concipitur, non solum ex parte vnionis, sed etiam ex parte propagationis liber est à peccato, & macula; talem enim oportebat concipi eum, qui venerat tollere peccata mundi, vt & propagatione, & vnione à peccato esset alienus. Potest secundo obijci, ex his enim quæ dicta sunt, consequi videtur, Beatam Virginem peccatum contraxisse ab Adam, à quo naturali propagatione descendit. Respondeo, ex vi propagationis contracturam fuisse peccatum: at præseruatam fuisse à gratia, ne macularetur. & hac ratione Beata Virgo dicitur sine peccato concepta, non quidem quod ex natura propagationis suæ immunis esset à labe, cum Adæ filia esset, & in lumbis eius extitisset, sed quia ne peccato inficeretur, præseruata est Dei gratia. At Christus non sic, sed etiam ex parte propagationis peccato inquinari non poterat. & hic est sensus, & explicatio argumenti Augustini, Christum nempe sine viri commissione fuisse conceptum, quia sine peccato concipi debuit, non solum ex parte personæ conceptæ, sed etiam ex parte propagationis.

Altera etiam huius mysterij causa est, cum enim Christus, qui concipiebatur, Deus esset & homo, conueniens erat, vt vtrumque in conceptione innotesceret; conceptio enim ipsa hominem esse declarabat, non enim conciperetur, nisi homo esset, ac conceptionis modus ostendit esse etiam Deum; concipi enim de virgine sine viro, indicabat, qui concipie-

ANNOTATIO. XCVI.

Verbum hoc (virum non cognosco) non tantum probat virginitatem matris ante conceptionem filij, sed etiam virginitatis perpetuitatem; quia Virgo etiam permansit. Et quamuis de hac virginitate ante partum, in partu, & post partum contra paganos, & hæreticos plura dicemus in illorum verborum explanatione [non erit impossibile apud Deum omne verbum] & quædam ad explicationem, & congruentiam huius mysterij iam diximus; tamen non pigebit in præsentia pauca commemorare. Dico igitur, hæc verba Beatæ Virginis, Virum non cognosco, esse argumentum efficacissimum virginitatis eius perpetuæ; vt non tantum virgo in partu, sed etiam post partum permanserit, nec vquam viri copula fuerit maculata. Est autem argumentum tale. Si ad Christi filij Dei conceptionem annunciatam per Angelum, Beata Virgo se virum non cognoscere opposuit, & audiens modum concipiendi per Spiritum Sanctum, & virtutem Altissimi, non aliter acceptauit, nisi dicendo: Fiat mihi secundum verbum tuum; qua ratione potuit postea viro copulari, ad filios, meros homines, immo peccatores procreandos, de quibus Angelicam non habuit annuntiationem? profecto vanissimum est id asserere, & qui id confinxerunt, vel hoc vnico argumento, omisiss alijs multis, quæ postea dicentur, facile conuincuntur. Verum quidem est, quod dicit Basilus homil. de humana Christi generatione. ad mysterij dispensationem magis refert, quod Virgo præfuerit, quam quod permanserit post partum; nisi enim illud esset, Virgo non conceperet, & peperisset: at etiam sine hoc, scilicet quod Virgo permanserit, potuit virgo concipere, & parere. Magis ergo ad

Ex superioribus Mariæ Verbis, ostenditur perpetua eius Virginitas.

batur plus esse, quam hominem. Hanc causam conuenientiam adfert Origenes, hom. 1. in diuersos. & Maximus hom. 3. de natiuitate, quæ sic est intelligenda, non quidem quod id sit argumentum, aut signum necessarium; nam posset Deus merum hominem de virgine producere, etiam per viam conceptionis, & natiuitatis, sed quod cum Christus sit Deus & homo, debuit nouum conceptionis modum habere, qualem non habent ceteri homines. Tertia causa est Ambrosij epist. 82. vt qui in Cælo erat filius Dei sine matre, esset homo in terris sine Patre, quam etiam causam Lactantius lib. 4. de vera sapientia adfert, vt esset inquit in terra apator, qui erat in Cælo amitor. Quarta est Augustini serm. 20. de natiui. nouum asserit conceptionis esse modum, quia nouus erat foetus concipiendus. distinguit autem modos quatuor productionis hominis. Primus fuit sine viro, & sine femina, quo Deus Adam de limo terræ produxit. Secundus, de viro sine femina, Eua de costa Adæ formata est. Tertius de viro, & femina, & quo omnes nos naturali propagatione concipimur. Quartus supererat, de femina sine viro, quo conceptus est hominum Saluator. Quinta est Damasceni lib. 4. de fide. c. 15. & Cyrilli Hierosolym. catech. 12. id factum dicant, vt sic solueret femina debitum quoddam viro; nam quædam femina de solo viro formata est: at nunc inuenta est femina, Beata scilicet Virgo, de qua sola vir quidam conceptus est. Sexta est Tertulliani lib. de carne Christi. Conceptum asserit de sola femina, quia cum Pater æternus potens esset sua virtute de femina sola producere filium suum Christum, superfluum quodam modo videbatur, virtutem viri admisceri, & patrem nouum inducere. Has huius mysterij causas, seu congruentias, Doctores docuerunt.

dispensationem mysterij facit, quod Virgo fuit ante conceptionem filij, quam quod Virgo permansit post partum; tamen vtrumque fuit verum, & vtrumque Catholica fides confitetur.

Sunt autem nonnullæ rationes congruentes, quod Virgo permanserit. Primum quidem, quia sic mysterium magis confirmabatur apud hominum mentes; suspectum enim visum esset incredulis, Virginem concepisse, & peperisse Christum, si post eius partum, de viro alios conceperet filios. Secundò, decebat in eo ventre neminem concipi peccatorem, in quo Christus filius Dei, & homo genitus erat; si enim in sepulchro, vbi conditum fuit corpus eius triduo, nemo ante nec post iacuit, propter maiestatis reuerentiam; quanto magis id fieri debuit in vtero virginali? Vnde recte Augustinus lib. 4. Trinit. cap. 5. confert in hoc vterum virginis illi sepulchro. Tertio, cum secundum diuinam naturam, Christus primogenitus, & vnigenitus sit Patris, debuit secundum humanam pariter primogenitus, & vnigenitus fieri matris. Quarto, id etiam ad Beatæ Virginis dignitatem maxime pertinebat. quæ enim mater erat effecta Regis Regum, & Domini omnium, non debuit fieri mater naturalis seruatorum; & quæ conceperat sanctum de Spiritu Sancto, non erat consentaneum, eam concipere de peccatore peccatorem. Quintò, quia cum ipsa sit perfectissima inter omnes, debuit statum perfectissimum consequi, talis est virginum status, coniugatorum, & continentium statum longe superans. Sextò, quia qualis filius, talis & mater futura erat; Christus perpetuam virginitatem coluit; congruum igitur erat, vt & mater virgo esset perpetua. Postremo, quia in Beata Vir-

Deicit Mariæ etiam post partum Virginitatem permansere.

ta Virgine Ecclesia Sancta repræsentatur; hæc autem Virgo est perpetua. ita Gregorius in psal. 4. poenitent. affirmat, dicens: Sicut, inquit, Dei Mater Christum peperit Virgo, & post partum Virgo perman-

sit in corrupta; ita & Mater Ecclesia filios Dei sine dolore generat, & Virgo semper illibata perseverat. Hæc Gregorius. plura dicemus inferius, quando pro hoc argumento in paganos, & hæreticos inuehemur.

Et Respondens Angelus dixit ei.

COMMENTARIA.

Non incredula, sed de virginitate, atque integritate sua sollicita, modum concipiendi, & pariendi inquisuerat, idcirco Deo sic disponente ab Angelo responsum, quo plane modum edoceret, meruit audire; quæ enim Angelus respondit, prius ipse Deo reuelante cognouit, & Beatæ Virgini interrogaturæ respondenda in mandatis habuit.

Spiritus Sanctus superueniet in te.

COMMENTARIA.

Exponit Angelus modum conceptionis huius, & ad id, quod Beata Virgo scire primo cupiebat, nempe cum non cognosceret virum, quo modo conceptura esset, respondet: Spiritus Sanctus superueniet in te, id est, quod viri virtus in concipiendo foetu præstat, ipse Spiritus Sanctus efficit; & ideo etiam si virum non cognoscas, salua virginitate concipies, & sæcundaberis. Nec hoc solum Spiritus Sanctus operabitur, sed superueniet in te per eam gratiam, qua concipias filium Sanctum, & omni gratia plenum; hoc enim vir non facit: nam quæ sæcundatur à viro, non solum virginitatem deperdit, sed etiam filium concipit peccatorem. At tu hac superuentione Spiritus Sancti sine corruptione vlla filium sanctum concipies.

ANNOTATIO. XCVII.

Quid sit Spiritus Sanctum superuenire.

Aduerte, Iustinum in Apolog. 2. ad Antonin. Imperat. per Spiritum Sanctum interpretari ipsum filium Dei, immo eundem intelligi dicit per virtutem Altissimi, qui superuenisse, & obumbrasse dicitur Beatam Virginem per suum aduentum, & carnis assumptionem ex ea. At vero communis Doctorum consensus per Spiritum Sanctum, personam tertiam exponit, & ita est; ex hac enim superuentione dicitur Christus conceptus de Spiritu Sancto, non autem de se ipso. Aduerte præterea, Spiritum Sanctum in aliquem hominem venire dici ratione effectus, quem in eo operatur, Ioan. 14. Ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus. Superuenire autem, vltra effectum aliquid aliud indicat, nimirum effectum illum esse supra naturæ humanæ potestatem, & cælestis esse virtutis; quasi idem sit superuenire, quod desuper venire: immo Hilarius lib. 2. Trinit. sic legit: Spiritus Sanctus. desuper ueniet in te. qua ratione Paulus Rom. 3. de iustitia fidei loquens, quam nec lex, nec humanæ vires attigerunt, inquit: Iustitia Dei in omnes, & super omnes. Rufinus in suo symbolo legit. Spiritus Sanctus ueniet super te. Solet etiam verbum hoc significare, aduentum præcedentem eiusdem Spiritus Sancti: cum enim aliquid operatus est in homine, & iterum operatur, dicitur superuenire. sic act. 1. Accipietis virtutem Spiritus Sancti superuenientis in vobis; acceperant enim Apostoli Spiritum Sanctum primo die resurrectionis, quando Ioan. 20. dictum est: Accipite Spiritum Sanctum. promittitur iterum (nouus aduentus, ad alios eiusdem Spiritus Sancti effectus: idcirco dicitur superuenturus. quin etiam tertio significat, efficaciam, & energiam Spiritus Sancti ad insignia, & excellentia quædam opera, ideo enim Spiritus Sanctus superuenturus promittitur Apostolis, quia efficaciter in eis operaturus erat miros, & insolitos effectus, vti factum est in die Pentecostes.

Histribus de causis dicitur nunc ab Angelo Spiritus Sanctus superuenturus in Beatam Virginem, tum quia quæ facturus in ea erat, omne creatam facultatem superabant; tum quia multa iam ipsius Spiritus Sancti dona Beata Virgo acceperat, vt merito in ea, non quidem venturus, quasi prius non venisset, sed superuenturus dictus sit: tum demum quia insolita, & nunquam ante visa mira quadam planeque diuina facultate effecturus erat in ea.

Quamuis autem ob eadem hæc tria in Apostolos superuenisse dici possent; tamen multo aliter in Beatam Virginem nunc promittitur superuenturus, vt recte adnotauit Athanasius serm. de Deipara. in Apostolos enim superuenit quartum ad abundantiam donorum, gratiarum, & virtutum, quibus perficiendi erant, vt Evangelium mundo digne annunciarent: at superuentio hæc longe superior est, & illius principium, & origo; nisi enim hæc præcessisset, nunquam illa facta esset. Superuentio igitur ista quatuor continet, quorum duo ad gratiam Beatæ Virgini concessam, duo ad conceptionem pertinent: quæ quidem quattuor Doctores sacri non quidem omnia omnes, sed alij aliud tradiderunt; ex omnibus tamen colligitur perfecta doctrina, & legitima huius verbi intelligentia. Primo igitur superuenturus promittitur quantum ad Spiritus Sancti donorum, & gratiarum abundantiam, & copiam singularem: quamuis enim tunc, quando Angelus ei loquebatur, & ante esset sanctissima, & donis Spiritus Sancti refertissima, vt diximus in expositione illius (gratia plena) tamen superuenit in ea Spiritus Sanctus post annuntiationem abundantissime, vt eam disponderet, ac perficeret, vt digna prorsus esset, quæ filium Dei conciperet, & vt sanctificaret illud corpus, de cuius substantia caro Christi vnienda verbo Dei, erat formanda, de qua sanctificatione corporis, & animæ est illud quod Ecclesia canit. Omnipotens Deus, qui gloriosæ Virginis

Aliter in Mariam quam in Apostolos superuenit Spiritus Sanctus.

Virginis corpus & animā, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti. Eandem magnificat Gregorius Nyss. orat. de Christi natiuit. sic dicens: In cæteris omnibus vix anima pura Spiritus Sancti præsentiam capit: hic vero corpus Spiritus Sancti receptaculum fit. De hac superuentione hunc locum interpretatur Athanas. ser. de Deipara, & comparat eam superuentioni Apollolis factæ, quamuis multo copiosior sit ea, quæ Beatæ Virgini facta est, quod intellige de animæ sanctificatione: nam Beata Virgo accepit etiam eam quæ est corporis, vti diximus, quæ Apollolis non fuit concessa. de qua Augusti. li. qq. nou. & vet. testa. cap. 49. inquit. Spiritus Sanctus purificauit, quod de Virgine in corpus Saluatoris profecit. Sancta ergo & anima, & corpore Beata Virgo effecta est.

Spiritus Sanctus superuenit in Mariā, vt etiam ex vi conceptionis proles Sancta esset.

Secundò, superuenit Spiritus Sanctus in Beatam Virginem, vt conceptionem etiam sanctificaret, quem effectum vt intelligas, aduerte doctrinam Ambrosij Epist. 71. ad Irenæum, & Anselmi de concep. Virg. c. 2. si enim Adam non peccasset, non solum ipse sanctus fuisset, sed sanctitatem, & gratiam acceptam communicasset filijs, & posteritati suæ; procreasset enim filios sanctos, & gratiam Dei habentes. quo casu duo contigissent: nam & foetus, seu filius conceptus fuisset, & productus cum gratia, & sanctus, & ipsa etiam conceptio fuisset sancta, quia per eam, vt per quoddam inædium gratia deriuabatur, & communicabatur filio, quatenus filius gratiam consequeretur, ex eo quod ab Adam Sancto descendebat, & filius eius erat: illo autem peccante duo hæc in contrarium sunt conuersa: nam & proles in peccato concipitur, & conceptio infecta est, quia per eam peccatum transit, quatenus proles peccatum contrahit, quia de Adam genita est. Aduerte præterea, Christum præterquam quod ratione vnionis ad verbum, omnis peccati expers, omniq; gratia plenus erat, conceptionem habuisse plane sanctam, atq; innocentem, quatenus Beatæ Virgini ea gratia data est, & Spiritus ita in eam superuenit, vt ex illa conceptione, non nisi sanctus concipi posset. Quam autem hæc duo distincta sint, superius exposui, & iterum explico. Si Deus in instanti conceptionis, quando homo merus concipitur, & quando Deus animam creat, & vnit corpori, gratiam illi infunderet ita, vt peccatum non contraheret, is homo sanctus & iustus esset, sine peccato, & in gratia conceptus; tamen eius conceptio sancta non esset, sed infecta, quia filius est Adæ, naturaliter ab eo descendens, & ex vi conceptionis, & propagationis, peccatum erat contracturus, sicut diximus de Beatæ Virginitate conceptione. Præterea, si Adam in puris naturalibus creatus esset, & ante peccatum gigneret filium; tunc filius hic sine peccato esset, tamen non haberet gratiam, & conceptio non infecta quidem, non tamen sancta esset. At in Christo non sic factum est; ipse enim gratiam habuit ex vnione, qua in se sanctus est, & eius conceptio sancta fuit, quia de Sancta Virgine, & de Spiritu Sancto conceptus est. nec existimes, gratiam Beatæ Virginitatis causam fuisse gratiæ Christi; neq; enim res ita habet, sed Christus filius Dei etiam antequam conciperetur, meruit & obtinuit matri hanc Spiritus Sancti superuentionem, vt sancta sancte & sanctum conciperet. Atq; hoc est, quod secundo loco, in hac superuentione diximus contineri; quod quidem paucis, sed doctissimis verbis exposuit Auctor operis imperfecti in Mattheum hom. 1. cum dixit Spiritum Sanctum superuenisse in Beatam Virginem, vt conceptio esset sancta, & immaculata.

Spiritus Sanctus superuenit in Mariā, vt etiam ex vi conceptionis proles Sancta esset.

Tertiò, superuenit Spiritus Sanctus quantum ad efficaciam & energiam conceptionis, vt Beata Virgo sine viro conciperet, Spiritu Sancto, quod virtutis

virii est, supplete; hanc superuentionem explicat Damascenus lib. 3. cap. 2. Pro quo aduerte, in naturali generatione feminam præbere materiam, ex qua formanda est caro foetus, neq; id solum, sed ad locum concipiendi emittere, cõcoquere præparare, quæ non efficit per solam virtutem suam, sed virtute viri accedente, quæ organizat, & format materiam illam, vt capax sit & receptiua animæ inducendæ, seu infundendæ, & infusam vnit, & copulat materiæ illi, vt fiat viuens & animatus foetus. in hac autem generatione, & conceptione hæc facta sunt, sed non à viro, aut virtute eius, sed à Spiritu Sancto, cooperante Beata Virgine in his, quæ feminæ sunt; exhibuit quidem materiam, id est sanguinem purissimum; ex hoc enim, vt recte adnotat Damascenus lib. 4. cap. 15, formata est Christi caro; at non sola ad locum conceptionis produxit, sed Spiritu Sancto adiuuante, nec sola disposuit, sed Spiritus Sanctus sua infinita efficacia perfecit, organizauit, & præparauit, & animam infusam carni vniuit. & ad hæc omnia perficienda superuenit. Hæc doctrina est non solum Damasceni, sed & Ambrosij lib. de instit. virg. cap. 16. vbi dicit, opera Spiritus Sancti corpus Christi esse formatum: & Augustini lib. qq. vet. & nou. testam. cap. 51. vbi docet, Spiritum Sanctum superuenisse, & Beatam Virginem sanctificasse, atq; effecisse corpus sanctum ex ea, in quo filius Dei nasceretur.

Spiritus Sanctus superuenit vt sine corporis moris carnationis opus fieret.

Quartò, superuenit, vt mira celeritate conceptio illa perficeretur, & sine mora vlla Deus homo fieret, & Beata Virgo Mater Dei icu oculi fieret; in generatione enim naturali, spacio multorum dierum, nempe quadraginta, aut octuaginta conceptio foetus completur; totum enim hoc tempus consumitur in præparanda, disponenda, & organizanda materia, & corpulo hominis, vt animæ capax fiat, & eam recipiat. nec fit femina mater statim, ac virtutem recipit viri; virtus enim naturalis est & finita. & agit in tempore: at cum virtus Spiritus Sancti infinita sit, sine mora, sine temporis spacijs, illum purissimum sanguinem de sacratissimis venis Beatæ Virginitatis exciuit, disposuit, organizauit, suisq; membris omnibus, quamuis in parua quantitate, distinxit, animamq; illam Christi benedictam, creatam, & infusam vniuit, ac copulauit corpori disposito, & conceptio perfecta est, & filius Dei homo factus est, ac Beata Virgo Mater tanti Dei effecta. Hæc non humane, aut creatæ virtutis fuere opera, sed omnipotentis Spiritus Dei. Hæc doctrina est Basilij homi. de humana Christi generatione, & Damasceni lib. 3. de fid. cap. 2. asserentium, corpus illud Christi sine temporis mora, & absq; dierum spacijs formatum, & membris singulis, quamuis in exigua quantitate, opera Spiritus Sancti fuisse dispositum, hæc duo sunt, quæ Spiritus Sanctus in Beata Virgine effecit, quantum ad conceptionem Christi secundum carnem, & in quibus non solum viri operam suppleuit, sed superauit: propter quæ Hilarius lib. 2. de Trinit. dixit, Spiritum Sanctum se humane naturæ immiscuisse, & quod alienum a se erat, vi sua operatum esse. Hæc dicta sunt ab Hilario, vt significaret, Spiritum Sanctum, quæ ad naturalem generationem spectant, in hac mirabili conceptione effecisse, vti dictum est. vt igitur in epilogum reducamus omnia hæc, Spiritus Sanctus superuenisse dicitur, & quantum ad gratiam, & quantum ad naturæ opera: nam primo quidem corpus Beatæ Virginitatis sanctificauit nono sanctificationis modo, vt de eius substantia digne fumeretur caro illa diuinitati vnenda. Secundò, vt conceptionem ipsam sanctam faceret. Tertiò, vt quæ naturalis virtutis viri erant, suppleret, & quod virginis naturale erat, perficeret, & adiuuaret. Quartò, vt celeriter, & sine mora supra cursum naturalium agentium conceptio-

nem

sequentes duæ Adnotationes continent.

nem Christi perficeret. In his adhuc nonnulla alia explicanda desiderantur, quorum explicationem

A N N O T A T I O. X C V I I I.

Qua ratione Christus dicitur conceptus de Spiritu Sancto.

EX ijs facile intelliges sensum articuli fidei; dicitur enim Christus conceptus de Spiritu Sancto, iuxta illud Math. 1. Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est: vbi diligenter attende, Christum secundum carnem dici conceptum de Spiritu Sancto duas ob causas. Vna est ipsius Spiritus Sancti virtus, qua effecit quod viri erat, formando, & organizando; ac animando carnem Christi, quod Augustinus Enchir. cap. 37. docet interpretans illud Mathæi: Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est, quasi Angelus diceret. Ioseph tu exiitimas coniugem tuam de viro concepisse, non sic est, sed quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est, qui eam foecundam fecit, & lib. 3. contra Maximin. cap. 17. his verbis Mathæi probat Spiritum Sanctum non solum ad sanctificandam Virginem superuenisse, sed etiam ad carnem Christi fabricandam; non enim aliter diceretur Christus de Spiritu Sancto conceptus. vnde caute intelligendus est Athanasius, qui in serm. de Deipara, inquit, Spiritum superuenisse ad sanctificandam Beatam Virginem: conceptionem autem perfectam fuisse per virtutem Altissimi. Athanasius vero per Altissimum, Spiritum Sanctum eundem significari credit, vt sit sensus. Spiritus Sanctus superueniet, & eius virtus obumbrabit; non enim negare licet, Spiritum operatum esse, quod viri est, & formasse carnem Christi; aliter enim non posset Christus dici conceptus de Spiritu Sancto, nec locus Matthei (de Spiritu Sancto est) intelligi potest de sola sanctificatione, sed de operatione etiam ad concipiendum; aliter enim verba Angelus non essent ad rem, nec responderet Angelus Ioseph putanti de viro concepisse, cui falsæ opinioni obuiauit dicens, non de viro, sed de Spiritu Sancto concepit. quæ antithesis probat Spiritum Sanctum conceptionem Christi operatum fuisse, vt doctè annotauit Augustinus. Altera causa, propter quam dicitur, de Spiritu Sancto conceptus, est sanctificatio conceptionis, quia sanctam effecit generationem Christi, vt explicauimus in Annotatione præcedenti in secundo effectu superuentionis, atq; hæc est causa, vt paulo inferius repetemus, cur conceptio tribuatur Spiritui Sancto, cum sit opus totius Trinitatis nimirum, vt significetur sanctitas conceptionis: si enim ad conceptionem, quantum ad formationem tantum, & alia, quæ naturæ sunt, suppleta concurrisset, non esset cur magis Spiritui Sancto quam Patri tribueretur conceptio: at quia ad sanctificandam etiam conceptionem, & corpus illud Beatæ Virginitatis, a quo caro sumenda erat, superuentione hæc facta est, idcirco Spiritui Sancto attribuitur. Hæc igitur duo articulus ille fidei significat, qui quidem articulus eundem habet sensum, quem, & hæc verba, Spiritus Sanctus superueniet in te, vt rectè adnotat Chrysostomus hom. 2. in Symbolum: quia enim ex superuentione Spiritus Sancti conceptus est, ideo de Spiritu Sancto conceptus dicitur.

Ex his etiam facile interpretaberis, quod quidam

Quare Spiritui Sancto tribuatur Christi conceptio.

Spiritus Sanctus non est dicendus Pater Christi.

Supereff autem tribus dubiis satisficere, quæ Augustinus proposuit, quorum responsione, intelligentia huius sententiæ perficitur. Primum est; an Spiritus Sanctus dicendus sit pater Christi secundum carnem, cum viri opus suppleuerit: hanc dubitationem excitauit Augustinus Enchir. cap. 38. & 39. & concludit, nullo modo dicendum esse, nec fuisse

antiqui Doctores parum proprie loquentes affirmarunt, Spiritum Sanctum fuisse velut semen, quo Christus est conceptus. Ita dixerunt Tertulianus lib. 3. de fide cap. 2. quod quidem sic intelliges; semen enim naturale tria habet. Primo quidem continet materiam, ex qua conficitur foetus, & sic impium esset existimare Spiritum Sanctum fuisse semen carnis Christi conceptæ. Secundo habet virtutem effectiuam, quæ organizat; disponit, & animat foetum. Tertio est instrumentum agentis principalis, nempe Patris; non enim virtus seminis efficax est per se, sed vt instrumentum quoddam separatum agentis præcipui, qui est pater. Spiritus Sanctus ergo semen dicitur tantum, quia effecit quod virtus naturalis efficere solet, non autem propter tertium, quasi ipse Spiritus Sanctus id fecerit, vt instrumentum alterius, cum ipse Spiritus Sanctus fuerit ipsum agens principale, qui locum patris supplet modo eminentissimo, & altissimo. Sic isti Doctores interpretandi sunt, non autem in eum sensum, quomodo obtrudunt quidam recentiores, dicentes, Spiritum Sanctum fuisse velut quoddam semen diuinum, Patrem autem, vt generantem: quorum sententiæ omnino est reiicienda, ex qua consequitur, Christum non de Spiritu Sancto, sed de Patre esse conceptum contra verbum Angeli, Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est, & contra articulum fidei, Qui conceptus est de Spiritu Sancto: non enim dicimus conceptum hominem, seu generatum à semine, sed à patre, à quo semen est. Angelus autem, vti diximus ex Augustino Enchir. cap. 37. loquens cum Ioseph, hoc voluit significare non de viro, sed de Spiritu Sancto conceptum Christum esse; viro autem Spiritum Sanctum contraposuit, quasi generantem, seu conceptionis causam agentem principalem. Adde absurdum esse Spiritum Sanctum æqualem, & consubstantialem Patri, instrumentum Patris facere, quod Arianum quid sonat; Filium enim Patris instrumentum in rerum creatione Arius assererat, quod est impium, ac sapientius ab Ecclesia danatum: non est autem dissimile si quis in filij secundum carnem conceptione Patrem locum generantis; Spiritum Sanctum autem locum seminis tenuisse, asserat; vnde merito reprobat hanc assertio à Damaso in symbolo, vbi sic habet: Non vt quidam sceleratissime opinantur, Spiritum Sanctum dicimus fuisse pro semine, sed potestate ac virtute Creatoris operatum. Præterea, sicut Spiritus Sanctus superuenit ad sanctificationem, vt causa principalis; ita etiam dicendum est superuenisse ad conceptionem. Demum, si loco seminis fuit, Pater autem loco generantis, dicendum erat, Virtus Altissimi obumbrabit tibi, & Spiritus Sanctus superueniet in te: sic enim ordo conferuaretur, nam prior est generans, quam semen ipsius. His igitur reiectis tenenda est doctrina Patrum exposita, & si qui impie proprie locuti sunt, interpretatione recta & propria declarandi.

Quidam antiqui Doctores quo pacto explicentur. Semen naturale tria habet.

A N N O T A T I O. X C I X.

Patrem. Satis autem obscure insinuat huius causam, quæ quidem apertioribus verbis sic exponitur; non enim Pater dicitur qui solum virtutem actiuam, seu effectiuam confert agendo, organizando, & formando; sed qui etiam de sua substantia confert aliquid, ex quo foetus conceptus consistit, & constituitur. Hæc causa est, cur Philosophi censent, Solem non esse

ANNOTATIO. C.

esse patrem murium, & ranarum, & multorum animalium, quæ virtute eius ex terra, aut elementis producantur: non enim Sol particulam aliquam suæ substantiæ confert, sed solam exhibet efficientiam. Cum igitur Spiritus Sanctus, uti Sol immensi splendoris, & virtutis effecerit, & operatus fuerit conceptionem istam; non autem aliquid de sua substantia ministraverit. ex qua caro illa sit conflata, non potest dici Pater Christi secundum carnem. Adde, non satis esse aliquid de substantia præbere, sed ut productum sit simile in specie producenti: nec enim pulices, aut vermes generati ex corporum nostrorum substantia, dicuntur filij nostri, nec nos patres eorum, aut matres; non enim eiusdem nobiscum speciei sunt. Quamvis igitur Spiritus Sanctus suppleverit, quod viri est, quantum ad efficientiam, Pater non est Christi dicendus, tum quia non est eiusdem speciei cum Christo secundum carnem, tum, uti diximus, quia non contulit aliquid ex sua substantia; quod enim ad illius carnis constitutionem opus fuit, totum de Beata Virgine sumptum est; quæ tanto magis est mater Christi secundum carnem supra ceteras omnes matres; quanto plus ministravit ex sua substantia, quàm ceteræ matres: hæ enim partem exhibent viro etiam concurrente, & partem ministrante, ut ex utroque caro facta consistat: at Beata Virgo totam materiam contulit, ex qua Christi corpus constitutum est. Verè ergo, Christus secundum carnem, solam matrem habuit sine Patre, qui ut Deus solum Patrem habet sine matre. Hæc differentia inter Spiritum Sanctum, & Beatam Virginem; quod ille efficientiam, & virtutem, hæc substantiam exhibuerit in filij conceptione significata in symbolo, quando dicitur: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. In illa præpositione, de, significatur efficientia Spiritus Sancti. In illa autem, ex, significata est materia, & substantia exhibitæ à Beata Virgine, ex qua per Spiritum Sanctum formata est caro Christi. vnde docte Ambrosius lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 5. interpretans illud Matthæi (de Spiritu Sancto

est) dicit, præpositionem, de, potestatem, non autem substantiam significare. Alterum dubium est. Cum omnia opera, quæ extra se Deus operatur, communia sint quantum ad efficientiam toti Trinitati, consequitur, illam carnem, non à Spiritu Sancto solo, sed etiam à Patre, & Filio, indiuisa actione fuisse formatam; ut enim sanctificatio, ita & conceptio quantum ad virtutem, opus est totius Trinitatis. Quid ergo causa est, quod soli Spiritui Sancto tribuitur? hoc etiam dubium excitavit Augustinus Enchir. cap. 38. & soluit cap. 40. sic. Commune quidem fuisse toti Trinitati carnem illam formasse, & conceptionem perfecisse, tamen Spiritui Sancto tribui, ad significandam conceptionem hanc, Deumque hominem fieri, gratuitum quid esse, & ex puro Dei dono, non vllis præcedentibus hominum meritis; solet enim scriptura, quæ gratiæ sunt, Spiritui Sancto tribuere, quia per voluntatem à Patre, & Filio procedit. Huic adiungenda est illa potissima ratio ad insinuandum conceptionem Christi, non solum non fuisse infectam, sed etiam sanctam; & eum qui concipiebatur, non solum sine peccato, sed Sanctum factorum esse; ad insinuandum etiam finem aduentus, & conceptionis illius, nempe ut per eum, qui concipiebatur, mundus sanctificaretur. Ex his soluitur dubiolium tertium, quod idem Augustinus libro quæstionum veteris, & noui testamenti cap. 59. etiam excitat, nempe quomodo Spiritus Sanctus carnem Christi formasse dictus sit, cum scriptura id tribuat Filio ipsi, nam Prouerb. 9. dictum est: Sapientia edificauit sibi domum. respondet. Cum totius Trinitatis sit opus, uti diximus, tribui potest singulis personis, ideo etiam filius dicitur sibi carnem formasse. nec hoc verat quo minus peculiaribus de causis Spiritui Sancto tribuatur. adde: sicut Spiritui Sancto tribuitur, quia hæc efficientia coniuncta est sanctificationi, ita etiam tribuitur Filio, quia opus fuit sapientiæ Dei; sapientiæ autem Filio tribuitur, qui ex intellectu paterno procedit. Hæc omnia manifestant sententiam propositam: Spiritus Sanctus superueniet in te.

Quare Trinitati non tribuitur Christi conceptio sed Spiritui Sancto.

Scriptura quæ gratiæ sunt, solet Spiritui Sancto tribuere.

Patres diuersi modo exponunt illud, obumbrabit tibi.

Hilarius.

Ambrosius, & Augustinus.

Quod ad litteram spectat (obumbrabit tibi) locutio est Græca, Latine obumbrabit te, & sic legit Irenæus lib. 3. cap. 26. & lib. 5. cap. 1. Quod vero attinet ad sensum. In hac explananda sententia antiqui Patres multum sunt inter se, & sibi etiam quidam discordes, quorum interpretationes proponam, & explicabo. Primo loco Hilarius lib. 2. de Trinitate, sic inquit: Ne quid per humani corporis imbecillitatem disideret, virtus Altissimi Virginem obumbrat, infirmitatem eius veluti per circumfusam vmbra confirmans, ut ad sementinam ineuntis spiritus efficaciam corporalem diuinæ virtutis obumbratio temperaret. Hæc Hilarius, quorum verborum sensus hic esse videtur, cum Spiritus Sanctus superuenierit, locum viri sua infinita actiuitate supplens, & Virginem foecundam faciens, ut ipsa Virgo tantam posset corporalem actiuitatem sustinere, virtute altissimi roboratur, & confirmatur, quæ confirmatio obumbratio per quandam metaphoram dicitur: si cut enim corpus vmbra protectum caloris, seu lucis radios facilius sustinet; sic B. Virgo virtute altissimi protecta Spiritus Sancti actiuitatem in concipiendo filio tanto sustinuit. Hæc expositio & contextui parum accomodatur, & veritati doctrinæ minus inseruit. non aptatur quidem contextui, quia quod sequitur verbum (ideo quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei) non potest deduci, nec connecti sententiæ huic sic explicatæ. Non satis autem veræ doctrinæ fauet, quia Spiritus Sanctus est agens liberum, & agit quantum opus est ad effectum producendum, nec indiget alio temperamento. Quod autem Hilarius dicit, procedit, & locum habet in agentibus necessarijs, qui agunt secundum vltimum suæ potentia, & virtutis, nec liberum est eis suam temperare actiuitatem.

Secundo igitur loco Ambrosius libro de ijs, qui mysterijs initiantur, cap. 3. interpretatur hanc obumbrationem Spiritus Sancti, eiusdem gratiam, quæ Beata Virgo protecta est, ne in hac conceptione æstum aliquem libidinis, aut concupiscentiæ persentiret; ideo enim obumbrata dicitur ex eadem metaphora; calorem enim, & æstum vmbra temperat. Accessit huic expositioni Augustinus lib. 50. homiliarum, homilia 44. & Epistola 57. ad Dardanum, qui alijs in locis aliter explicuit: hoc tamen discriminis est inter Ambrosium, & Augustinum, quod ille per altissimi virtutem Spiritum Sanctum intelligit, hic vero non explicat an Spiritum Sanctum, an Patrem intelligat. Hæc autem expositio præterquam quod difficile sequentibus accommodatur, ut in eorum explicatione apparebit, non videtur doctrinæ veritati satisfacere: nam B. Virgo multo ante conceptionem filij ab omni libidinis motu libera erat per gratiam concessam, qua præuenta est, ne originale peccatum contraheret. Et quamvis sic præuenta non fuisset, non tamen videtur obumbratio hæc necessaria, cum non viri, sed Spiritus Sancti opera conceptio ista sit effecta. Hæc duæ sententiæ conueniunt in duobus, nimirum quod superuentioni Spiritus Sancti tribuunt conceptionem Christi, quantum ad carnis formationem. & quantum ad vnionem cum diuinitate in persona filij; ac etiam quod per virtutem Dei, gratiam, seu auxilium interpretantur, quo Virgo Beata confirmabatur, aut protegatur, ut aut ferret Spiritus Sancti efficaciam in conceptione, aut ne libidinis alicuius motu agitaretur.

Athanasius.

Tertio loco Athanasius in sermone de Deipara, virtutem hanc Dei filium intelligit, qui carnem formatam per Spiritum Sanctum induit, & homo factus est;

incarnationem autem hanc affirmat obumbrationem Virginis dictam, quia effecit, ut Beata Virgo agnosceret se concepisse Filium Dei, non quidem eum in essentia videndo, sed ex signis quibusdam velut lineamentis, & vmbis, sicut qui animam habet, agnoscit se eam habere ex signis; ita Filius Dei carnem sibi vniens Virginem illuminauit ad eius agnitionem vmbis, & signis. Hæc est sententia Athanasij, quæ non cohæret sequentibus verbis Angeli, & sensum habet parum ad mysterij explicationem, cui exponendo Angelus incumberebat.

Quarto loco Origenes homil. 3. in librum Iosue virtutem interpretatur Dei Filium, & obumbrationem, eius incarnationem, & in his duobus cum Athanasio conuenit; tamen causam, cur incarnatio obumbratio dicta sit, diuersam profert, nimirum, quia Christi aduentus prior, obscurus, & obumbratus erat in humilitate, & passione, idcirco obumbratio dicitur: cui expositioni illud aduersatur, quod si is esset sensus, dicendum potius erat, virtus Altissimi obumbrabitur in te, non autem obumbrabit te, seu tibi.

Quinto loco Ambrosius sermone 5. in psal. 118. versu 5. in eisdem duobus conuenit cum Athanasio, & Origenes, tamen causam aliam assignat, cur virtutis, seu filij incarnatio dicatur obumbratio, nimirum quia Dei Filius carnem induebat mortalem; est enim vita hæc nostra velut vmbra quædam: cui expositioni illud idem repugnat, quod non dicitur, Virtus Altissimi obumbrabitur in te, sed obumbrabit te.

Sexto loco Augustinus lib. quæstionum veteris & noui Testamenti cap. 51. in eisdem duobus conuenit; sed cur obumbratio dicta sit incarnatio, aliter interpretatur, nimirum, quia Dei filius, & virtus velut temperata est, & accomodata per carnem, ut à B. Virgine concipi posset; non enim illa aliter concipere potuisset Dei virtutem, & filium, nisi carni fuisset contemperatus. Huic expositioni accessit Bernardus sermone 4. in Missus est. hoc autem, si sermonis proprietatem consideremus, non est obumbrare B. Virginem, sed seipsum.

Septimo loco Gregorius Nyssenus oratione de Christi Natiuitate cõsentit prædictis doctoribus, filium esse virtutem, qui per incarnationem obumbratus est; causam autem adfert distinctam, nempe, quia sicut vmbra effigies quædam est corporis, in qua corpus ipsum quodammodo agnoscitur: nam vtrum arbor, animal, aut homo sit ex vmbra discernitur; sic Filius Dei in illa assumpta natura humana sic latebat, ut ex illa, & operibus quæ per eam efficiebat, agnosci posset filius Dei, vnde natura assumpta velut vmbra erat diuinitatis eius. Hoc verum est, tamen sententiæ non accommodatur eadem de causa; dicendum enim erat, Virtus obumbrabitur in te.

Postremo loco Gregorius lib. 13. Moral. cap. 12. cum eisdem conuenit, virtutis nempe obumbrationem esse filij incarnationem; causam tamen nominis accomodatiorè exhibet: ut enim lux interposito opaco, vmbra facit in corpore obiecto, sic Filius Dei carnem suscipiens, velut Virginem matrem obumbravit per carnem interpositam inter ipsum, & matrem. Hæc sunt, quæ Patres antiqui senserunt; qui omnes, præter eos, qui primo, & secundo loco sunt numerati, in hoc conueniunt, quod virtus Altissimi sit ipse Filius Dei, cuius incarnatio obumbratio quædam dicta est.

Quid autem mihi dici posse videatur, paucis aperiam: in primis reiicienda est hæresis, cuius meminit Athanasius in sermone de Deipara, eorum, qui Christi

Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

COMMENTARIA.

Prosequitur Angelus explicare modum. Cum autem exposuerit quod spectabat ad humanitatem illius, qui concipiebatur, narrat, quæ diuinitatis sunt. Et sensus est, superueniente Spiritu Sancto in te, ut ex tua substantia carnem, & corpus prolis concipiendæ salua virginitate tua, formet, & animet, in eodem temporis momento virtus Patris obumbrabit tibi, id est, illi carni per Spiritum Sanctum formatæ, & animatæ Pater altissimus sua virtute, & potentia immensa filium suum vniet, & copulabit, ut qui conceptus est, non tantum homo, aut filius hominis, sed etiam filius Dei Altissimi sit, & tu non hominis solius, sed simul etiam filij Dei mater efficiaris. Aduertendum est eodem temporis instanti, quo caro illa Christi organata est, animam Christi creatam, & simul infusam, & vnitam esse carni illi, simulque naturam ex anima, & carne compositam vnitam fuisse diuinitati in persona filij Dei, ita ut simul omnia hæc facta sint, formatio carnis, creatio animæ, & copulatio cum carne, vnio cum diuinitate in vnitate personæ filij: non ergo illa natura humana subsistentiam, aut personalitatem, quam vocant, propriam habuit, sed eam, quæ est filij Dei, qui simul ac producta est natura illa hominis, sibi eam vnuit, coniungendo suæ diuinitati in vnitate personæ, quod opus summæ virtutis, & potentia fuit, idcirco quamvis à tota Trinitate sit, quantum ad efficientiam, & actionem; tamen Patri attribuitur. Dicitur autem Pater obumbrare Beatam Virginem, id est, grauidam, & foecundam facere Filio suo, ut verè concipiat, & sit mater non hominis meri, sed filij cõsubstantialis æterno Patri, quod in annotatione perfectius explicatū inuenies.

intra mbrabit

Ambros.

Tex.

Origenes.

Ambrosius.

Augustinus.

Bernardus.

Gregor. Nyss.

Gregor. Papa

Christi natiuitatem negantes, dicebant hanc virtutem Altissimi esse quandam energiam, & virtutem Spiritus Sancti creatam, quæ illi carni indita est, vt posset opera miranda facere, quæ Christus postea fecit, hancque dicebant incarnatam, & obumbratam, non autem quod ipsa diuinitas illi carni vnita sit. Vt enim Act. 1. cum dictum est Apostolis: Donec induamini virtute Spiritus Sancti superuenientis in vobis, hanc virtutem, non diuinitatem interpretamur, quæ vniatur Apostolis, sed Spiritus Sancti donum infusum, quo effecerunt mira opera; sic isti interpretabantur superuentionem, & virtutem istam. Quæ doctrina impia est, & contra scripturas, & aduersatur verbis ipsis Angeli: dicit enim: Ideo, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Apostoli autem etiam virtutem acceptam, numquam effecti sunt filij Dei, sed homines manserunt puri: at homo conceptus de Spiritu Sancto, obumbrante virtute Altissimi, verus erat Filius Dei. non igitur donum accepit, sed ipsa essentia diuinitatis vnita est in Filij Dei hypostasi, seu persona, quod Ioannes cap. 1. explicans dixit: Verbum caro factum est. Sunt innumera testimonia, quibus hæresis hæc refutatur, & Christi vera diuinitas comprobatur, sed a nostro instituto præsentem id alienum est. Missa igitur facta blasphemia, & hæresi ista.

Quid hoc loco nomine virtutis significetur.
Dico secundo, Virtutem hoc in loco non significare filium Dei, sed potentiam, & virtutem Patris, qua facit quæcumque vult, & quæ nulla naturali virtute fieri possunt & propter quam dictum est inferius: Non erit impossibile apud Deum omne verbum. quæ communis est Trinitati, tamen Patri tribuitur, vt principio, à quo est Filius, & Spiritus Sanctus, sicut & creatio ipsi Patri adscribitur, licet totius sit Trinitatis. Et in hoc conuenio cum Hilario, Ambrosio, & Augustino citatis, nempe virtutem hoc in loco non significare Dei filium; si enim Angelus indicare vellet filium, non erat, cur eum appellaret virtutem, & non filium: præterea quia ab hoc mysterio non erat excludenda actio attributa Patri; nam Filius erat, qui carne induebatur, & concipiebatur. igitur obumbratio hæc ad Patrem refertur.

Angeli verba Filij incarnationem significant.
Dico tertio, hæc sententia exprimi incarnationem Filij, & assumptionem naturæ humanæ in vnitate personæ verbi. In cuius declarationem, aduerte, duo intercessisse opera in hoc mysterio, vnico, & eodem momento temporis facta. Vnum est, quod ad humanitatem spectabat, nempe de purissimis sanguinibus Beatæ Virginis formare, & organizare carnem & corpus Christi, atque animam illam tunc à solo Deo creatam, & infusam vnire carni, & corpori illi, quod opus in hominibus efficit viri virtus concurrente femina; in Beata autem Virgine efficit Spiritus Sanctus sine opera viri, sed non sine opera ipsius Beatæ Virginis. & ratione huius operis Virgo Beata, mater hominis est facta. Alterum opus ad diuinitatem Christi pertinebat, nempe hanc humanitatem sic constitutam eodem momento temporis vnire diuinitati in persona Filij, seu hypostasi Filij communicare, & copulare humanitati, ita vt vna persona esset in duabus naturis, diuina, & humana, & hoc opus est Filij incarnatio, opus profecto summæ potentia, & hoc efficit Pater sine opera Beatæ Virginis, vt doctè dixit Ambrosius lib. de Institut. Virg. cap. 16. vt enim solus Deus sine opera hominis creat animam, quæ corpori inditur; ita solus Deus sine opera Virginis Filij hypostasi vnuit naturæ illi humanæ, & effecta est Beata Virgo mater Dei; sicut per primum opus mater est hominis. Hoc opus tribuitur Patri, & hoc est, quod dicitur: Virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, Pater æternus sua virtute infinita conceptæ carni communicabit Filij personam, ac vniet eidem carni diuinitatem, & faciet te fecundam Filio suo, vt sis Mater Filij Dei.

Dico quarto. Vtrumque opus totius esse Trinitatis, quantum ad efficientiam, tamen tribui Spiritui Sancto, & Patri, sicut sanctificatio, & creatio tribui solent: illud quia opus est bonitatis; hoc quia opus est potentia: tres ergo personæ vnica, & indiuisa actione humanam carnem sine viri opera formarunt, & animarunt, & huic carni diuinitatem in persona Filij coniunxerunt; solus tamen Filius homo factus est, quia hypostasis eius, non Patris, nec Spiritus Sancti communicata fuit illi carni. Tota ergo Trinitas incarnauit, vt ita dicam, Filium, solus autem Filius incarnatus est.

Dico quinto obumbrare idem esse, quod fecundare, & gravidam facere. Pater enim æternus fecundam fecit Beatam virginem Filio Dei, & effecit, vt esset Mater Dei præcedente prius natura opere Spiritus Sancti, quo conceptio carnis perfecta est: est enim verbum honestum, sumptum a metaphora; vir enim obumbrat feminam in opere generationis, quasi diceret. Pater amplexabitur te, & sua virtute te fecundam efficiet.

Obumbrare hoc loco significat fecundare.

Ideoque, & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.

COMMENTARIA.

EX duobus præcedentibus Angelus dubitationi, seu interrogationi Beatæ Virginis satisfacit, & ea, quæ annuntiauerat confirmat. Est autem sensus, quia Spiritus Sanctus superueniet in te, ideo ex te sola nascetur sine viri mixtione, & non solum ex te nascetur, sed quod nascetur etiam, Sanctum nascetur; hoc enim illa particula (&) indicat, nimirum, nascetur ex te sine viro, & Sanctum etiam nascetur, seu concipies sine copula, & concipies etiam sanctum, non solum Sanctum post conceptionem, sed ex ipsa, & ab ipsa conceptione Sanctum, eaq; de causa non dicitur Sanctum erit, sed nascetur Sanctum, quia cum conceptione, & ex conceptione Sanctitatem habebit. Quia vero virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideo quod nascetur ex te non tantum Sanctum, sed etiam Filius Dei vocabitur, & erit; clarioribus verbis sensus est, nascetur ex te sola, & quidem Filius Dei, & homo, non quidem homo peccator, sed homo in se habens sanctitatem ipsam, vtpote de Spiritu Sancto conceptus. Verba sunt adnotanda: non enim dicitur, qui nascetur, sed, quod nascetur, vt neutro genere insinuet non hominem merum, nec solum Deum, sed vnum, qui vtramque

vtramque naturam complectatur, diuinam, & humanam. Dicitur etiam, nascetur ex te, ad significandam Christi naturam humanam, quæ accipiebatur ex sola Virgine sine viro, & secundum quam Christus concipiendus erat de Spiritu Sancto, & quæ per eundem Spiritum Sanctum sanctificabatur. Hoc autem loco nasci dicitur non tantum, quando ab vtero progreditur, sed etiam quando in vtero concipitur, iuxta illud Matthæi 1. Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Additur particula (&) id est (etiam) in hunc sensum, quod nascetur ex te, erit etiam Sanctum, sicut principium de quo est, Sanctum est. Non autem dicitur sic de Ioanne; Replebitur Spiritu Sancto, sed Sanctum nascetur, vt rectè adnotat Cyrillus lib. 2. in Io. c. 3. quia ille donum Spiritus Sancti accepit; hic vero ipsam Spiritus Sancti diuinitatem, quæ vnita est humanitati in persona Filij. Præterea vocabitur Filius Dei; non autem dicitur (erit Filius Dei) quamuis vere futurus esset Filius Dei: sed ne putaretur Filius Dei incipere in se, cum ab æterno esset, etiam si in humana natura tunc appareret, ob id dicitur, Vocabitur Filius Dei, vt annotat Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 3. Postremo, non dicitur. Erit Sanctum, & vocabitur Filius Dei, sed vnico verbo vtrunq; connectitur. Quod nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei, quia vnica erat persona, quæ simul homo, & Deus, simul Sanctus, & Filius Dei erat. Hac sententia confirmat Angelus præcedentem, qua dixerat, erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, quasi diceret, superueniet in te Spiritus Sanctus, virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideo implebitur quod dixi, Erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Cetera in Annotatione require.

ANNOTATIO. CI.

IN primis quædam, quæ ad verba attinent, annotanda occurrunt. Irenæus lib. 3. cap. 26. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 9. legunt in loco illius (ideo) (quapropter) Augustinus autem lib. 3. contra Maximin. cap. 17. legit (propterea) & ad sensum nihil facit legere, ideo, quapropter, aut propterea, quamuis si legamus (ideo) superflua est particula (quæ) cum nec Græce habeatur, nec ad sensum necessaria sit; sufficit enim particula sequens (&) Præterea idem Cyprianus legit in masculino genere (qui nascetur ex te Sanctus) & verum continet sensum, tamen Græce habeatur in neutro, & sic Doctores Græci, & Latini legunt, eaq; lectio multo est significantior, vt in Commentario annotatum est, & in sequenti annotatione explanabitur. Illud autem ferendum non est, quod quidam recentiores parum in Doctorem sacrorum lectione versati, temere annotant, nempe illud (ex te) non esse legendum, vtpote non repertum in Græcis codicibus, aut apud veteres Patres, legendumque censent. Quod nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei. Quantum autem isti erent, & temere rejiciant duo hæc verba, facile ex antiquissimorum Patrum tam Græcorum, quam Latinorum communi consensu demonstrabo, præterquam quod in Græcis exemplaribus antiquis habetur, nec ab his Patribus legeretur, & perpendere, nisi in eorum exemplaribus passim esset repertum. In primis Athanasius oratione illa contra Arianos, quod ex Deo Deus est verbum, & sermone contra omnes hæreses, & Epistola ad Epictetum, non solum legit, nascetur ex te, sed perpendit, & animaduertit illud (ex te) inde deducens veritatem.

Quis sensus sit, quod nascetur ex te.

A vero quæ ad sensum attinent, consideranda nunc sunt. Primo igitur, dicitur (quod) non autem (qui), si enim dictum esset (qui) vniam personam cum vnica natura esse eum, qui nascebatur, nempe, aut solum Deum, aut solum hominem, facile aliquis conijceret, at illud (quod) magis explicat rei veritatem: erat enim Deus, & homo, & vnica persona cum duplici natura: propter vnitatem ergo personæ dicitur in singulari (quod) non autem

carnis Christi, sumptæ de Virgine Beata. Epiphanius etiam Hæresi 76. hanc totam Epistolam Athanasij refert, & illud idem (ex te) ab Angelo pronunciatum perpendit, & Hæresi 30. eandem habet lectionem. Cyrillus etiam libro 2. in Ioannem c. 3. Ter repetit hoc verbum Angeli, nascetur ex te Sanctum. Gregorius Nazianzenus oratione de Fide, quæ est quadragesima nona numero, eandem tenet lectionem, & explicat natum Deum esse hominem Christum, quia dictum est, Spiritus Sanctus superueniet, & virtus Altissimi obumbrabit, & rursus, ex te; illud enim (ex te) humanam probat naturam. Eandem lectionem seruat Chrysostomus hom. 2. in symbolum Apostolorum. Inter Latinos autem, Irenæus lib. 3. cap. 26. & Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 11 & Augustinus lib. 3. contra Maxim. cap. 17. ita legunt. Ambrosius etiam libro de Incarnatione Domini sacram. cap. 6. non solum legit, sed vtitur his verbis: (ex te) contra hæreticos. Accedat his doctoribus Gregorius lib. 18. Moralium cap. 27. Omnes hi, cum alijs, quos libens prætermitto, hanc sequuntur & obseruant lectionem: nemo igitur iure negabit, ita esse legendum, & verba hæc esse ab Angelo prolata. Quod etiam ratio persuadet; nam Angelus non explicaret modum concipiendi, nisi ea verba exprimeret, quibus vere Beata Virgo concepisse dicebatur; quia ex ea, & de eius substantia caro Christi formanda erat. Præterea, hoc (ex te) correspondet illi (superueniet in te) nimirum, Spiritus Sanctus superueniet in te, vt ex te nascatur, & concipiatur Sanctum. Hæc de ijs, quæ ad literam spectant.

ANNOTATIO. CII.

(qui) propter duarum naturarum coniunctionem in genere neutro ponitur. Est enim Christus persona diuina in duplici natura perfecta subsistens, diuina, & humana. propterea Athanasius sermone de Deipara, Christum dicit esse vnum quid, & duo. Vnum quidem ratione personæ, Duo vero ratione naturarum, quia vna persona in duabus subsistit naturis. Hinc licet veram intelligentiam illius similitudinis in Symbolo Athanasij traditæ assequi. Sicut, inquit,

Sententia Symboli Athanasij exponitur.

inquit, anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus. qua similitudine ante Athanasium vsus est Iustinus in libro de recta fidei expositione, imo non vt sua, sed tanquam ab alijs tradita; declarat autem qua ratione sit intelligenda. Est autem similitudo hæc in duobus posita. Vnum est, sicut est vna hominis persona, quæ tamen duas continet distinctas naturas, animam, & corpus; sic Christus vnica est persona, continens duas naturas diuersas, diuinam, & humanam, sicq; idem Athanasius hanc similitudinem interpretatur libro de Incarnatione Christi, & Augustinus Epistola 3. ad Volusianum. Alterum, in quo similitudo hæc posita est, secundum Iustinum, est, sicut anima est, quæ operatur, ipsa enim cogitat, discurrit, decernit, amat, &c. corpus vero est instrumentum, per quod quæ cogitat, & vult, exequitur; sic natura diuina est, quæ miracula principaliter facit, humana vero est velut quoddam instrumentum, & in qua nascitur, moritur, resurgit, ceteraq; fiunt, quæ per diuinam sunt disposita. In his similitudo ista est, quamuis præcipue posita sit ad explicandam vnitatem personæ Christi in duabus naturis. Cauendum autem est, ne similitudo plus iusto & vero extendatur; sunt enim multæ in quibus dissimilitudo consistit. Primo quidem ex anima, & corpore vnica constat natura, quæ dicitur humanitas, seu humana substantia, in Christo autem natura diuina, & humana non conficiunt vnã tertiam naturam ab vtraq; distinctam. Secundo, anima, & corpus sunt naturæ imperfectæ, quæ per se non faciunt personam, nec per se aptæ sunt subsistere substantia personali: at in Christo sunt duæ naturæ perfectæ, aptæ subsistere per se; nam Filius Dei in sua natura diuina subsistebat etiam ante incarnationem, humana autem natura, quamuis non aliam haberet substantiam, quam illam, quæ est Filij Dei, per quam vnio facta est, tamen apta est subsistere propria substantia, vt videre est in ceteris hominibus. Tertio ex anima, & corpore vnitis inuicem, & vnica componentibus naturam persona consequitur, & ex illa vnione resultat, vnione vero ablata, factaque partium separatione inter se, non permanet: at in Christo non sic, nam persona diuina præcessit in natura, sicque copulat humanam sibi, vt etiam si deponeret talem naturam, permaneret eadem persona. Postremo, sic homo animam, & corpus habet, quod non subsistit in vtroque, id est, anima non subsistit immediate, nec corpus, sed natura composita ex

vtrouque est, quæ subsistit immediate, & ex humana natura, & subsistentia sit persona: at Christus non sic se habet, sed subsistentiam, qua subsistit diuina natura, communicat humanæ naturæ, vt vere natura humana subsistat, non propria quidem subsistentia, sed diuina. vnde confitemur de Christo, eum subsistere in natura vtraque, & duas habere naturas subsistentes, diuinam quidem subsistentia propria, humanam eadem, sed communicata subsistentia, ideo vnica est persona in duplici natura, Deus, & homo. Hinc facile quilibet intelliget, qua ratione, quoue sensu accipienda sit doctrina à multis Patribus tradita, & antiquis Concilijs stabilita, docuerunt enim Christum esse compositum ex duabus naturis, & vnionem hanc esse secundum compositionem factam. Ita affirmavit Damascenus, inter alios, libro 3. de fide cap. 7. Gregorius autem Nazianzenus sermone de Paschate, de hoc mysterio loquens, inquit: O mixtura noua, o temperamentum mirandum. Et Augustinus Epist. 3. ad Volusianum, mysterium hoc appellat, mixturam Dei, & hominis. Quæ, & similia nõ sic dicta accipias, quasi ex diuina, & humana natura vnica tertia conflata resultauerit, vt Eutyches, & Dioscorus impie dogmatizarunt, vt refert Damascenus lib. 3. cap. 3. sic enim Christus nec Deus esset, nec homo; sed quod sicut in compositione, & mixture reperiuntur multa, & vnum, sic in Christo est vnitas, & multitudo; vnitas quidem personæ, multitudo vero naturarum. Hanc enim compositionis vocem induxerunt Patres antiqui, vt Nestorij errorem, & hæresim damnarent, qui ita diuidebat Christum, vt duas naturas, & duas personas in eo esse dogmatizaret. At Patres, vt vnica personam in duabus subsistentem naturis eum esse indicarent, appellarunt personam compositam, ceterisque locutionibus vsi sunt, quæ tamen sano modo, & cum limitatione sunt accipiendæ. Hinc intelligere etiam licet verba, quæ in Pontificali continentur in Episcoporum consecratione, quæ ex Concilijs & Patribus sunt desumpta; interrogatur enim sic Episcopus: Credis in vnicum Filium Dei in duabus, & ex duabus naturis, & respondetur, Credo. Dicitur Christus in duabus naturis propter pluralitatem naturarum inconfusarum, impermixtarum cõtra errorem Eutychetis, & Dioscori. Dicitur autem ex duabus, propter vnitatem personæ, qua in vtraque subsistit contra hæresim Nestorij. Quæ cum ita sint; recte dictum est: (Quod nascetur.)

Patres qui Christum ex duabus naturis compositum appellat, qua ratione explicandi.

Eutychetis, & Dioscori error impius.

Nestorij hæresis.

Patrum locutiones de vnitatem personæ Christi cum limitatione accipiendæ.

Qua ratione vox illa Sanctum, cum antecedentibus & sequentibus connectitur.

Super excellentiam Christi Sanctitas.

si vera non esset, vtiq; non esset verum, quod ex Virgine Beata natus est. Secundo Valentinum, & quosdam alios, qui carnem Christi veram dicentes, negabant esse eiusdem substantiæ cum nostra: affirmabant autem esse spiritualem & caelestem, de cælo allatam, non de nostra formatam, vt referunt Tertullianus libro de carne Christi, & Irenæus lib. 3. cap. 32. hinc dicebant Christum natum in ea, non ex ea. Similiter, transisse per eam, quasi per canalem, nihil tamen sumpsisse ex ea. Hoc autem verbum Angelicorum confutat vanitates, & errores (Nascetur). inquit, (ex te), quod verbum Paulus confirmans Gal. 4. dixit; Christum factum ex muliere secundum carnem, & Rom. 1. ex semine Dauid. Nec obstat illud Matth. 1. Quod in ea natum est. quo loco hi hæretici suam tuebantur hæresim, non, inquam, obstat, vt enim

ANNOTATIO CIV.

Tertio loco considerandum est illud (sanctum). Quod autem spectat ad connexionem verborum, Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 3. connectit cum sequenti verbo in hunc sensum: sanctum, quod ex te nascetur, vocabitur Filius Dei. Cui expositioni adhæret Euthymius, sic explicans: Ideo sanctus infans, qui ex te nascetur, vocabitur Filius Dei. Refert tamen alios, aliter connectentes, nempe; Ideo quia Spiritus Sanctus superueniet in te, quod nascetur ex te, sanctum erit. Cyrilianus vero lib. 2. contra Iudæos cap. 9. & Augustinus lib. 3. contra Maximin. cap. 17. connectit cum verbo (nascetur) nempe, quod nascetur sanctum; & hæc est legitima lectio, & sensus, quo significatur conceptio Christi sancta. Si enim diuideremus, sanctum erit, posset aliquis intelligere, post conceptionem habuisse sanctitatem; Si autem connectitur cum verbo sequenti, sanctum, quod ex te nascetur, vocabitur Filius Dei, posset de sanctitate, vt Deus est, exponi: at dum dicitur, quod nascetur ex te sanctum, significatur sanctitas Christi, vt homo est, quam habuit in conceptione, & per conceptionem, quia de Spiritu Sancto est, vt superius interpretati sumus, per talem enim conceptionem non potuit nasci nisi sanctus.

eiusdem Psalmi interpretatur de sanctificatione illius humanitatis Christi per immediatam diuinitatis vnionem. Damascenus etiam lib. 4. de fide cap. 6. illud Psalmi 44. Vnixit te Deus oleo lætitiæ præconfortio tuis, interpretatur hæc humanitatis sanctificationem per vnionem diuinitatis, supra omnes homines, soli illi concessam, de qua inferius plura dicendi dabitur occasio. Præter hanc habuit illa humanitas plenitudinem gratiarum, infusorumq; donorum. Spiritus Sancti. Etenim, inquit Damascenus lib. 3. de fide cap. 22. propter vnionem ad Verbum ditata est illa humanitas Christi omni sapientia, & gratia. Spiritus Sancti, de qua in annotatione 106. plura, ad loci huius declarationem necessaria dicemus. Vtramq; sanctitatem Christus habuit ab ipso conceptionis instanti; natus enim est, & conceptus sanctus.

Omibus modis Christus Sanctissimus est.

Hinc facile conijcere licet, quanta fuerit, quamque sublimis Christi sanctitas; si enim sanctum accipias pro eo, quod Deo dicatum est, quid sanctius inueniri potest eo, quod inseparabiliter diuinitati in vnitate personæ Dei copulatum est? si autem sanctum appelles, quod Deo acceptum est, ac gratum, quid dabis ita acceptum, ac gratum illi, atq; eum, in quo diuinitas habitat corporaliter? de quo dictum est Matthæi 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Si denique sanctum dicas, quod purum ac sincerum est, & ab omni malitiæ macula segregatum, quid excogitabis eo purius, in quo non tantum peccati macula reperta non est, sed etiam nec reperiri potuit: Christus enim etiam vt homo, non tantum quia Filius Dei erat, & actiones suppositorum sunt, peccare nõ potuit; sed etiam quia illa humanitas sanctificabatur, & grata erat à diuinitate vnita sibi, cum qua multo minus poterat esse macula peccati, quam cum gratia infusa: stante ergo vnione diuinitatis, ille homo non poterat peccare. Quam impeccabilitatem nobis tradidere Patres antiqui. Athanasius enim libro de Incarnatione Verbi multis eam confirmat. Idem Cyrillus lib. 12. in Io. cap. 11. Damascenus lib. 3. de fide cap. 21. & Anselmus libro 2. Cur Deus homo cap. 10. & 16. cum alijs multis docuere. De qua rediximus in Commentarijs in Ioannem cap. 8. merito ergo Danielis 9. Christus Sanctus Sanctorum appellatus est, & nunc ab Angelo prænuntiatur, (Nascetur ex te sanctum).

ANNOTATIO CV.

Quarto loco considerandum est illud (Filius Dei) in primisque adnotandum est, de Christo loqui nos posse dupliciter, aut vt homo est, aut vt Deus est. vt Deus est, tunc est Filius Dei, vt inquit Hilarius libro 7. de Trinitate. nomine, natura potestate, professione; Nominem quidem, quia Filius Dei appellatus est. Natura vero, quia eiusdem est substantiæ cum

Patre, à quo nascendo eandem cum ipso accepit naturam. Ioan. 10. Ego, & Pater vnus sumus. Potestate, quia eiusdem est virtutis, & potentia cum ipso. Io. 5. Quæcumque ille facit, hæc similiter & Filius facit. Professione, quia se esse Dei Filium & docedo, & operando monstrauit. Ioan. 10. Si mihi non creditis, operibus credite, vt credatis, quia ego in Patre, & Pater

Nasci pro natiuitate in vtero, & extra vterum, vsurpatur.

Christi conceptio à Ioanis, & Mariæ conceptione quo differat.

Particula (ex te) confutatur nonnulli errores cum Mariæ maternitate pugnantia.

Christo Deo & Christo homini competit Filium esse Dei.

in me est: professione item, quia à fidelibus, vt Dei Filius verus creditur, colitur, & adoratur. Si vero de Christo, vt homo est, loquamur, sicut filius Dei est, vnione, non natura, id est, quia illa humanitas vnica est diuinitati in persona Filij Dei, inde ille homo Filius Dei est, & humanitas sortita est filiationem Dei naturalem, non natura, sed vnione, quia Deo placuit hypostasim æternam Filij sui illi communicare, & in ea suam diuinitatem illi copulare. Ita docet recte Bernardus sermone 4. in Missus est. Vna igitur est filiatio Dei, qua Christus, vt Deus, & vt homo filius Dei dicitur, & est, sed eam ratione diuinæ naturæ habet ab æterno, & nascendo de Patre, hanc vero, vt homo, habet ex vnione facta in tempore.

Aduertendum est præterea, Christum vnica quid-

A N N O T A T I O. C V I.

Q Vinto, & postremo loco annotanda est illa particula (ideo) quæ quandam deductionem, & illationem indicat; quia enim ex superuentione Spiritus Sancti, & obumbratione virtutis Altissimi Christus conceptus est, idcirco Sanctus & Filius Dei est; illud quidem ad superuentionem, hoc ad obumbrationem refertur. Aduerte Christum non solum, sine viri copula, sed etiam ex ipsa conceptione Sanctum conceptum esse; tamen enim potuit, vti superius diximus, Deus & de femina sola merum hominem formare, etiam per conceptionem sine vilo peccato, sine gratia, & sanctitate; quia tamen Christus vtrumque habuit, qui sine viro, & sanctus concipitur; idcirco eius conceptio Spiritui Sancto tribuitur, recteque deducitur, quia Spiritus Sanctus superueniet in te, non solum sine viro, sed etiam sanctum concipies.

Aduerte præterea Augustinum lib. de correptione & gratia cap. 11. ex hac particula collegisse doctrinam quandam catholicam, continentem duas partes. Vna est, Christum non sic esse Filium Dei, quasi prius natus sit merus homo de Virgine, & postea per liberum arbitrium bene viuendo, & sine peccato, bonaque opera faciendo, meruerit fieri Filius Dei. Altera est, in vtero Virginis Verbum carnem factum esse, nec prius fuisse hominem merum, postea Filium Dei, sed simul hominem, & Filium Dei esse; hoc enim Christus est, vnica nempe persona in duabus naturis, diuina & humana subsistens. Confirmat autem Augustinus hanc doctrinam hæc Angeli verbis: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quapropter quod nascetur ex te, sanctum, vocabitur Filius Dei. Si ideo, inquit, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, quia Spiritus Sanctus superueniet, & virtus Altissimi obumbrabit: ergo non præcedentibus meritis liberi arbitrij, nec post conceptionem ex Virgine, sed simul in conceptione, & non præcedentibus meritis natus est Filius Dei.

Quamuis autem Augustinus dicat neminem tanta huius rei, & fidei catholicæ ignorantia cæcum esse, vt audeat oppositum dicere; post eum tamen non defuerunt hæretici, qui in eam prolaberentur captatiuè. nam Gregorius libro 18. Moralium cap. 27. & libro nono Epistola 61, refert Hæresiaracham quendam id affirmasse, nempe conceptum prius fuisse hominem, & per merita operum postea obtinuisse, vt Filius Dei esset. aduersus quem Gregorius hoc etiam Angeli testimonio vitur; multum enim efficacitæ habet illud (ideo) ex superuentione enim, & obumbratione deducit conceptum de Virgine sanctum, simulque Filium Dei esse. Eadem particula conuincitur hæresis Ebionis, cuius meminit Epiphanius hæresi 30. & Faustii, quam refert Augustinus lib. 23. contra eundem. Hi etiam de meritis

dem esse personam, tamen propter duas natiuitates, & naturas (natus enim est ab æterno Deus; natus est etiam in tempore homo) duas habuisse filiationes, æternam ad Patrem, secundum quam erat Filius Dei; temporalem ad matrem, secundum quam erat Filius hominis. Angelus autem illam expressit: Vocabitur inquit, Filius Dei. hanc autem insinuat (Nascetur, inquit, ex te) si enim nasciturus dicebatur ex ea, consequens erat illum eius Filium futurum: qui enim ex femina nascitur, filius eius est, & ipsa illius mater. Et quia hæc superuentio, & obumbratio ad id præcipue à Deo concessæ erant, vt qui concipiebatur, Filius esset Dei, idque erat creditu difficilius, propterea apertius debuit explicari.

Filiationes due in Christo qua ratione dicende.

nihil dixerint, affirmarunt tamen non in vtero Virginis hominem Filium Dei factum, sed longo post tempore, nimirum quando baptizatus est. & Spiritus Sanctus descendit super eum, & vox Patris audita est. at eisdem verbis eademque particula conuincuntur; ex superuentione enim Spiritus Sancti in Beatam Virginem, & ex obumbratione eius factum est, vt quod ex ea nasceretur, Filius Dei esset.

Aduerte præterea Augustinum lib. 2. de peccati meriti, cap. 17. quantum ad illud, quod dictum est de merito vnionis cum diuinitate, vnum aliud superaddere; nam in loco prius allegato solum affirmare videtur, Christum non meruisse Filium Dei fieri per opera arbitrij humani, sed in vtero Virginis ab ipsa conceptione fuisse Deum, & hominem, quo insinuat se agere de operibus, & meritis sequentibus conceptione. At in hoc loco apertius significat etiam ipso conceptionis instanti non fuisse vnitam diuinitatem illi humanitati propter merita aliqua voluntatis humanæ, sed ex dono gratuito Dei, ex quo consequitur, gratiam, charitatem, ceteraque dona, & virtutes, quæ illi humanitati ab ipso, & in ipso conceptionis instanti infusa sunt, non præcessisse ipsam vnionem diuinitatis cum humanitate, sed esse effectus ipsius, sicut quando sol creatus est, lumen in eodem instanti fuit, non quasi dispositio creationis ipsius solis, sed quasi effectus consequens ipsum solem. vnde non fuit prius natura lumen quam sol, sed contra potius sol prior natura, & origine, quam inmerita gratia illa, & charitas, ac dona Christi non fuerunt infusa humanitati, quasi dispositio præcedens natura & origine, vnionem cum verbo, sed quasi effectus ipsius, quamuis totum in eodem instanti temporis fuerit peractum. Si enim præcessit charitas, & gratia vnionem, confiteri debemus, meritum fuisse in humanitate, vt verbo vniretur, quod negat Augustinus maxime; quia in instanti illo non quantum ad habitum solum, sed etiam quantum ad actum, fuit charitas, & virtutes ceteræ. Ex vnione igitur humanitatis ad verbum effluxit omnis perfectio humanitatis illius. quod clarioribus verbis docet Damascenus lib. 3. de fide cap. 22. vbi sic inquit: Si caro Dei verbo in ipso ortu vnita extitit, ac personalem cum ea identitatem habuit; quid tandem afferri potest, quin omnibus potius sapientiæ, gratiæque; opibus affluerit? nõ ipsam gratiã more nostro percipiens, nec in partem eorum, quæ verbi erant, per gratiam veniens, quin potius ob personalem vnionem tum diuinarum, tum humanarum rerum, quæ vnus Christi factæ erant (quandoquidem idem simul Deus, & homo erat) gratiam, & sapientiam, ac denique omnium bonorum cumulum, mundo fontis instar effundens. Hæc Damascenus. Hinc consequitur, Spiritum Sanctum superuenisse in Beatam Virginem, & in Christi humanitatem, sed illa superuentione

Non ex merito sed ex dono gratia diuinitas vnita fuit humanitati Christi.

Ad fidem due operationes intellectus requiruntur.

uentio prior natura, & origine fuit, quam obumbratio virtutis Altissimi, nam prius debuit formari caro sumpta de Beata Virgine, quã verbo vniretur. at hæc quæ est in Christi humanitatem, quantum ad dona & virtutes ipsi infusas, posterior est origine quã obum-

bratio; nam ob vnionem cum Verbo illa humanitas plenitudinem donorum, & gratiarum Spiritus Sancti accepit, omnia tamen hæc eodem temporis momento facta sunt. Atque hæc dicta sint de huius sententiæ explicatione.

Et ecce Elisabeth.

C O M M E N T A R I A.

M Irabilis conceptionis futuræ annunciationem Angelus confirmat, non, vt Beata Virgini, quasi dubiæ, & non credenti persuadeat; nihil enim in tanta promissione, & mysterio hæsitabat, sed vt rem in se difficillimam, & arduam, ac insolitam argumento corroboret; hoc enim in scriptura legimus factum. nam 1. Regum 10. vncto Sauli in regem, nec de ea re dubitanti, Samuel signum adiecit, Hoc, inquit, tibi signum, quod vnixerit te Deus in regem. ita nunc Angelus de annuntiato mysterio, non Beata Virgini hæsitanti argumentum veritatis confirmandæ apposuit: Ecce, inquit, Elisabeth, quæ cum senex, & sterilis esset, filium iam concepit; qui autem potuit efficere, vt senex, & sterilis conciperet; poterit etiam, vt Virgo concipiat, facere. Particula (&) continuat, & connectit sententiam cum præcedentibus.

A N N O T A T I O. C V I I.

G Ravis hoc loco occurrit dubitatio, qua ratione, quæ de causa Angelus hoc factum Elisabeth in medium produxerit, scilicet, an ad persuadendum Beata Virgini nuntij sui veritatem, quia forsitan dubia erat, nec fidè dictis prioribus adhiberatur, indigebatque probatione, & argumento ad fidem concipiendam? In cuius rei explicationem aduertere oportet, ad fidem duas operationes intellectus esse necessarias. Vna est, quæ percipimus ea, quæ credenda sunt; nemo enim credit, nisi prius intelligat, & apprehendat ea, quæ crediturus est, & hæc operatio dicitur intelligentia, siue intellectus, de qua est illud Lucæ 2. & 18. Ipsi vero non intellexerunt. & Matthæi 15. Adhuc vos sine intellectu estis? Altera operatio est, qua rebus apprehensis assentimur, & eas ita esse indicamus, quæ dicitur credulitas, siue assensus, in quo fides consistit: idque est omnino credere. Ioan. 10. Credis in Filium Dei? credo Domine, id est, assentior, & iudico, & mente probato te esse Filium Dei. Est autem magnum discrimen inter vtramque operationem, prior enim sine posteriori esse potest; multis namque prædicata est veritas Evangelica, & audierunt, ac perceperunt, quæ dicebantur, tamen auditis, atque perceptis non præbuerunt assensum. Ioannis 10. Loquor vobis, & non creditis. Act. 2. Qui receperunt sermonem eius, baptizati sunt, prædicante enim Petro multis, eorum quidam assenserunt prædicationi; quidam non, & illi dicti sunt recepisse sermonem, hi vero non. Posterior autem operatio sine priori esse non potest. nemo enim potest assentiri, nisi prius percipiat, & apprehendat ea, quibus assentiendum est. Rom. 10. Quomodo credent in eum, quem non audierunt? Vtraque operatio, donum & gratia Dei est, nempe vt reuelentur ea, quæ credenda sunt, & vt credantur. vt priori dicitur Ioannis 1. Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. & Matthæi 13. Vobis datum est nosse mysteria regni celorum. de posteriori Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidem: In quo errauit Pelagius, qui priorem, non posteriorem gratiam facebat. Dicebat enim gratia esse Dei, quod reuelentur, & manifestentur homini, quæ credenda sunt, quod vero credat, virtus, & potestas est solius arbitrij humani sine gratia, quod æque impium, ac falsum est. nam credere est auxilij gratia, sine quo arbitrium hominis non est sufficiens.

Pelagij error de gratia.

de qua re plura dicere non est præsentis instituti. Præterea prior illa operatio aliquando per Angelos fit, per quos Deus nonnumquam reuelat fidei mysteria, & ea quæ credi debent, vt docet Cyrillus, lib. 1. in Ioan. cap. 9. idque Scripturarum testimonio confirmat. Aliquando (& hoc commune est) per homines. sic per Apostolos mundo fidei veritatem Deus manifestauit, vt homines apprehenderent, & intelligerent, quæ occulta erant fidei. Rom. 10. In omnem terram exiit sonus eorum; sic enim sæculis succedentibus per homines, & verbi prædicatores id effectum est, quorum munus est, docere, & aperire ea, quæ credi debent, & inducere homines in notitiam Euangelij, quæ ad priorem operationem pertinent. quod autem assentiantur, & ea credant, hoc non est munus hominis prædicantis, sed virtutis Dei, hominis intellectus, & affectum illustrantis, & inducentis, seu mouentis, aut excitantis. 1. Cor. 3. Ego plantauit, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Sunt quidam concionatores vt seminatores, qui semen spargunt in terram; quod autem terra concipiat, & germinet, hoc est virtutis cæli, & astrorum, terræ virtutem excitantis, & adiuuantis, ac promouentis, hoc Apostoli docebant Lucæ 10. dicebant namque non credentibus: Extergimus puluerem, qui de ciuitate vestra adhæsit nobis; verum tamen hoc scitote, quoniam appropinquauit Regnum Dei. & Act. 20. Non subterfugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.

Cum igitur in fide hæc duo sint, certum est Beatam Virginem percepisse, & intellexisse modum concipiendi per Angelum significatum, seu reuelatum, quod clarius explico: audiens Beata Virgo: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, & cetera, penetravit intellectus quid ista significarent, & quid Angelus per ea dicere vellet, idque perfecte, & sine ambiguitate, non vt nos, qui in varios sensus distrahimur, & sensum proprium non statim attingimus. quo fit, vt varias adducamus interpretationes. At non sic cum Beata Virgine factum est, quæ sensum eundem percepit, quem Angelus indicare præcebat, id quod multa persuadet. Primo, quia Angelus non confirmasset, quod dixerat, facto Elisabeth, nisi Beata Virgo iam percepisset, quod dictum erat: nemo enim dictum suum confirmare argumentis conatur; prius quam sciat intel-

Etum & apprehensum esse ab eo, cui illud persuadet; vsus esset potius Angelus verbis clarioribus ad idem explanandum, si nondum Beata Virgo intellexisset. Secundò ex verbis ab ipsa Virgine prolatis idem apparet: ait enim: Fiat mihi secundum verbum tuum. igitur intellexerat verbum Angeli, idque antequam factum Elisabeth narraret. hoc enim ad intelligentiam prædictorum verborum nihil conducebat. Tertio, quia Deus erat, qui per Angelum nuntiabat, & Beatam Virginem docebat. quando autem Deus doctor est, facile qui audit penetrat, & percipit, quæ traduntur: non enim Deus perinde atque homo docet, & manifestat, quæ vult. nam homo audienti non potest lumen infundere intellectus, vt capiat, quæ dicitur; atque idcirco qui ab homine discit, non semper capit, nec penetrat, quæ audit, quando non pollet ingenio, vnus etenim alio melius, & perfectius intelligit, vt cum Deus ipse illustrare possit hominum intellectus, & incapaces ac rudes facere capacissimos, quâdo docet, etiam si profunda nimis sint, & verbis breuissimis significantur, homo autem rudis, & hebes sit, perfecte tamen percipit, dat enim Deus intellectum, & lumen perfectius multò, quam natura; cum autem Angelum miserit Deus, vt manifestaret Beatæ Virgini modum conceptionis huius, dubitandum non est, lumen infudisse Beatæ Virgini, quo dicta Angeli optime perciperet, & sine obscuritate intelligeret, non ergo difficultas est in hac operatione priori, sed in posteriori, nimirum, An verbis Angeli intellectis, & eorum sensu comprehenso, statim fidem adhibuerit, an potius remorata fuerit in credendo, ita vt factò Elisabeth opus fuerit, vt fidem præberet.

lem concepissem, quàm Virginem concipere, & parere. non autem sufficiens est probatio, quæ vitur minus difficili ad persuadendum difficillimum creditur ei, qui non credit. Secundò, quia hoc exemplum non erat manifestum Beatæ Virgini, sed ex solo Angeli testimonio notum erat tunc, quando proferebatur; quæ autem assumuntur ad probanda difficilia, debent esse manifesta, & nota per se credituro. Nec dici potest, Angelum retulisse exemplum, vt postea, quando Beata Virgo visitaret Elisabeth, & illud experta esset, crederet mysterio nuntiato, hoc, inquam, dici non potest. nam Angelus fidem præsentem poscebat, cum statim mysterium nuntiatum peragendum esset, & ipsa Beata Virgo Angelo præsentem crediderit. Tertio, quia Beata Virgo nuntio crediderat dicenti: Ecce concipies, & paries, & cetera. modum autem interrogauit. Cum igitur crediderit rem nuntiatam, absque dubio dignum creditu iudicauit nuntiantem Angelum: consequitur ergo credidisse ei nuntianti modum, præsertim cum ipsa Beata Virgo ab ea petierit; & ipsa petitione se ei fidem adhibituram significauerit. Quarto, quia non erat causa, quæ fidem eius impediret. Ex tribus enim causis prouenire solet, ne quis alterius dictis fidem adhibeat.

Vna est ex parte audientis, quando male dispositus est, aut prauè affectus erga dicentem; quos enim odio habemus, eorum dictis non facile credimus, qui etiam malis est moribus, & vitijs deditus, sæpe non recipit quæ fidei sunt, vt pote contraria ijs, quæ ille amplectitur, & quæ intellectum eius excæcant. cum enim dogmata fidei non sint manifesta, nec demonstrationibus confirmantur, necessarius est affectus inclinans intellectum ad assentum, quem quidem affectum perturbant vitia & prauis mores. Habemus exempla in Scriptura huius causæ. Ioan. 5. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? ecce vana gloria, & ambitio impediens homines à credendo prædicationi Domini. & Lucæ 16. Audiebant hæc Pharisei, qui erant auari, & deridebant eum. ecce auaritia impedimentum est fidei.

Secunda causa est ex parte dicentis, quando enim qui loquitur, prauis est moribus, aut mendax reputatus aut ignarus, fidem audientium non conciliat in ijs, quæ sola dicentis auctoritate firmantur. Hæc etiam causa ex Scriptura habetur. Rom. 2. Propter vos blasphematur nomen Dei, id est, vestris malis moribus efficitis, vt gentes non credant fidei, quam profiteremini, & 2. Cor. 6. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, id est, ne sitis malo exemplo aliji, ne testimonium nostrum, quo fidem prædicamus, debilitetur, efficiaturque minus fide dignum.

Tertia causa est ex parte eorum, quæ dicuntur; quando enim sunt ardua, & supra communem hominum rationem, sit, vt homines aliquando auertantur a credendo, quod etiam Scriptura docet Ioan. 6. Quo modo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Ioan. 3. Quomodo si dixero vobis cælestia, credetis? Hæc causa Zachariæ incredulitatis fuit; Angelo enim non credidit de sterili, & sene se senem, filium generaturum;

Applicemus hæc nostro instituto. Nulla causa, ex his tribus intercessit in hac annuntiatione, quæ sola sunt impedimenta fidei: igitur Beata Virgo credidit absque argumento, & exemplo, nam qui annuntiabat, Angelus erat Dei, idque Beata Virgo, vt ante diximus, credebat; ipsa Beata etiam Virgo omni virtute, & dono erat cumulata, nullumque affectum sinistrum habebat, cumque sciret eam quæ dicebantur. ab Angelo bono esse, qui mentiri non poterat, consequens erat ipsum credere, &

Tria ob hæc solent quo minus dicentis credamus.

Angelus vsus est exemplo Elisabeth ad maiorem confirmationem eorum, quæ dicebantur.

omnia illa à Deo esse: quamuis ergo ardua, & difficilia essent, non deterrebat à credendo, cum certa esset, Deo nihil esse impossibile. quod vt perfectius explicem, attende miracula, quæ ad fidem confirmandam fiunt, ad hoc præcipue institui, vt sciant homines, quæ prædicantur esse à Deo: nemo enim est ita demens, qui si sibi persuadeat Euangelium esse à Deo, & Dei verbum esse quod prædicatur, non credat verum. difficultas credendi ea est, an sit verbum Dei, quod prædicatur Euangelium. & hoc est quod miracula indicant, & probant, non autem quod Deus sit verax; hoc enim per se notum est. Si igitur innotescat homini aliqua ratione absque miraculo & argumento, à Deo esse quod dicitur, sine dubio credit. Cum igitur Beata Virgo lumine supernaturali nouerit Angelum esse Dei, nec hæstauerit à Deo esse, quæ dicebantur, non indigebat probatione simpliciter ad credendum, sed declaratione & manifestatione eorum, quæ nuntiabantur. His omnibus satis liquet assertum primum, nempe hoc exemplum Elisabeth non fuisse propositum, quasi aliter Beata Virgo non fuisset creditura.

Secunda assertio est. Exemplum Elisabeth propositum est ad maiorem confirmationem, & corroborationem eorum, quæ dicebantur. Habemus, vt in Commentario diximus, exempla in Scriptura. illis enim, quæ promittuntur, etiam si credantur ab ijs, quibus dicta sunt; tamen in maiore confirmationem, & stabilimentum veritatis signa adiunguntur, & præter exemplum adductum in commentario, est etiam aliud 4. Regum 19. & Isaiæ 37. vbi Isaias promisit Ezechiae liberationem ab exercitu Sennacherib, & credenti, nec de promissione dubitanti, signum adiecit. & Lucæ 2. Angelus annuntians parturibus Saluatoris natiuitatem, & statim credentibus signum etiam adhibuit. ita etiam nunc factum est cum Beata Virgine; exemplum enim Elisabeth nuntiatio mysterio angelus addidit, non vt crederet, quasi aliter non creditura, sed vt mysterium altissimum confirmaret, & veritatem magis corroboraret. Hac de causa fideles multis fidei veritatibus rationes naturales adhibent, quæ simplici fide credebantur. Solemus etiam in disciplinis tradendis aut dum aliqua persuademus, multas rationes

cumulare, & necessarijs probabiles annectere, non vt rei fides simpliciter adhibeatur, sed, vt veritatem dictorum magis, ac perfectius stabiliamus. Eadem etiam de causa signa etiam multiplicentur, quod Genesis 41. probatur, vbi sic dictum est: Quod vidisti secundò, ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, & velocitas impleatur. Quod autem hoc exemplum sit propositum ad fidem dictorum confirmandam, & non tantum ad annuntiandum factum Elisabeth, eo argumento conuincitur: nam post narrationem, adiungit Angelus. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum, quasi concludens ex exemplo veritatem mysterij annuntiati, vt fides Beatæ Virginis magis ac magis confirmaretur: vti enim diximus supra, quamuis esset perfectissima, omnique virtute refertissima; tamen proficiebat, & augmentum in acceptis virtutibus accipiebat, quod etiam inferius magis declarabitur.

Tertia assertio. Hoc exemplum Elisabeth non in solam veritatis annuntiatæ confirmationem propositum est, sed etiam alias ob causas: si enim propter illud solum esset in medium productum, vt qui Angelus ex scripturis protulisset testimonia maiora, quibus Deum Virginem sæcundam sine viro posse facere ostenderet, quæ testimonia erant iam Beatæ Virgini manifesta, nec ex dictis Angeli dependebant; aliud ergo etiam prætendebat hoc exemplo, nimirum factum illud reuelare Beatæ Virgini, vt ipsa eo cognito ad visitandum Elisabeth excitaretur, & sua visitatione & Ioannes a peccato originali præsentia Saluatoris purgaretur, & Elisabeth a Spiritu sancto repleretur. Præterea, vt indicaret eum, qui ex Elisabeth conceptus erat, præcursorem esse Filij, qui ex ea concipiendus annuntiabatur, quasi diceret, nascetur ex te Christus, & ecce iam eius præcurfor conceptus est, & præuenit eum; decebat enim matrem Christi nosse eius præcursores. Præterea etiam ne tantum miraculum, quod propter Christum factum erat, Beata Virgo ignoraret, aut cum euulgaretur, ab hominibus disceret, quin potius quando ab alijs ignorabatur, ipsa diuina reuelatione agnosceret. Exemplum igitur hoc & ad veritatis annuntiatæ confirmationem, & ad mysterij alterius reuelationem pertinet.

Alias etiam ob causas Angelus vitur exemplo Elisabeth.

An Virgo Beatissima fidem habuerit verbis Angeli

In qua re sunt quatuor Doctorum sententiæ. Prima est Chrysofomi homilia 49. in Genesim, vbi affirmat, Angelum vsus esse factò Elisabeth, vt Beatam Virginem ad fidem prouocaret, induceretque ad credendum dictis; quibus verbis indicat Beatam Virginem nondum credidisse dictis Angeli, donec Elisabeth factum intellexit.

Alterta sententia est in altero extremo, Bernardi sermo 4. in Missus est, qui asserit Beatam Virginem credidisse dictis Angeli absque alia confirmatione, factum autem Elisabeth non esse ab Angelo propositum ad fidem Beatæ Virgini conciliandam, sed vt ei reuelaret factum hoc, & ipsa audito, gauderet, ac gaudium gaudio cumlaret.

Tertia sententia est media, Euthymij dicentis, Angelum proposuisse exemplum Elisabeth Beatæ Virgini, vt eam certiore redderet, quasi Angelus diceret, qui ventri anus sterili fructu carenti dedit fructum, ipse quoque in te faciet, quod per me tibi locutus est.

Quarta sententia est Ambrosij, quæ legitima est, nempe in veritatis ipsius maiorem confirmationem, exemplum propositum fuisse: Morale, inquit, est, vt qui fidem exigunt, fidem astruant; & ideo cum Angelus abscondita nuntiaret, vt fides astrueretur, exemplo senioris femine sterilique cõceptum Virgini Mariæ nuntiavit, vt possibile Deo omne, quod ei placuerat, assereret. Hæc Ambrosius. cuius sententia non multum differt à tertia. Hæc sunt sententiæ Patrum.

In huius difficultatis dilucidationem tres sunt stabilientiæ assertiones.

Prima est, Angelum non proposuisse hoc exemplum Elisabeth, vt induceret Beatam Virginem simpliciter ad credendum, quasi ipsi opus esset hoc ad miniculo, aliter non credituræ. Hanc assertionem multa confirmant. Primò, quia hoc miraculum in ferius est eo, quod annuntiabat; minus enim est steri-

Angelus non vitur exemplo Elisabeth, vt Mariam inducat ad credendum.

Cognata tua.

COMMENTARIA.

CVM mirabile factum narraturus esset de Elisabeth Angelus, ne Beata Virgo quampiam aliam existimaret, multæ enim eo nomine appellabantur, adiecit (cognata tua) vt personam distingueret; senectus enim, & sterilitas huius omnibus nota, facile mentem Beatæ Virginis ad cogitandum de alia inclinassent, nisi distincte Angelus illam significasset. Vt etiam fidem promissionis factæ confirmaret, cognationis appellatione vsus est, quasi diceret, incepit iam Deus mira tecum operari: nam & cognata tua, quæ & spe, & potestate concipiendi carebat, filium diuina virtute concepit. Erat autem Elisabeth cognata Beatæ Virgini ex parte matris.

ANNOTATIO. CVIII.

Dubitatio occurrit, quo modo Beata Virgo, quæ erat de Tribu Iuda, potuit esse cognata Elisabeth, quæ erat de Tribu Leui, & familia Aaron. cum Tribus mutuis matrimonijs inter se non miscerentur, iuxta præceptum Domini. Num. 27. & 36. Epipha. hæresi 78. multos refert hæreticos ignorasse genealogiam Saluatoris; idque opposuisse, dicentes: Quomodo ea quæ est de Tribu Iuda, & Daudis,

cognata esse potest Elisabeth, quæ est à Leui? Multis modis Catholici Doctores hanc cognationem interpretantur.

Primo. Quidam recentiores dicunt, hanc cognationem esse generalem, qua omnes Iudæi, quia vna gens sunt, cognati sibi dicuntur. quod Paulus ad Rom. 9. confirmat, dicens de omnibus illis: cognati mei sunt secundum carnem. Hæc interpreta-

Cognatio inter Beatam Virginem & Elisabeth multis modis à Catholicis doctoribus explicatur.

tio parum habet probabilitatis: nam si non arctior quædam alia cognatio intercessisset inter B. Virginem, & Elisabeth, nisi generalis, non diceret Angelus ei, Ecce Elisabeth cognata tua; loquebatur enim de persona coniuncta, & nota, ac familiari ipsi; secundum autem cognationem generalem, multæ alicæ erant Elisabeth nomine appellatæ. Nec etiam B. Virgo eam visitasset, nisi propinquitate sanguinis esset sibi coniuncta; propter quod & tribus mensibus mansit apud illam.

Secundo loco Beda, & Theophilactus cognationem hanc interpretantur minus large, dicunt enim Aaron fratrem Moysis, qui erat de Leui, duxisse uxorem Elisabeth sorore Naafson, filiaq; Aminadab, qui erat de Tribu Iuda, ex qua quatuor suos illos filios suscepit, à quibus familia Aaronica emanauit. hinc factum est, ut familia David, quæ descendebat de Naafson, fuerit coniuncta sanguine cum familia sacerdotali, quæ erat de Aaron, sicq; B. Virgo, quæ erat de Iuda, & David, cognatam habuit Elisabeth de Aaron. Hæc autem interpretatio nimis etiam larga est, & contra eam procedunt illa, quæ contra præcedentem obieciimus. Hoc tamen habet utraq; ista interpretatio, quod ratio dubitandi in principio posita contra eam non militat, nempe de præcepto Domini, quod Tribus inuicem matrimonio non miscerentur; in prima enim interpretatione dicitur, non fuisse talem cognationem, in qua Tribus miscerentur; in secunda vero illam mixtionem Tribus Leui cum Iuda fuisse ante illud præceptum, quod postea datum fuit.

Tertio loco Augustinus lib. 83. quæstio. quæst. 63. propinquirem cognationem assignat, Nathan filium David duxisse uxorem ex Tribu Sacerdotali, unde B. Virgo, quæ erat ex Nathan, utramq; Tribum complectebatur, hinc Elisabeth cognata dicta est. Contra quam interpretationem militant eadem argumenta, & illud etiam, quod ex Scriptura non constat, Nathan duxisse uxorem ex Aaron, seu familia sacerdotali.

Quarto loco. Idem August. lib. 7. Quæst. in lib. Iudic. q. 47. dicit feminas solitas fuisse nubere viris de quacumque Tribu, sicq; vnam de Aaron nupsisse viro de Iuda, & ex hac parte erant cognatæ B. Virgo, & Elisabeth; quo autem gradu & quomodo non explicat, sed hoc solum, quod vna de Aaron nupsit viro de Iuda, & inde origo emanauit B. Virginis.

Quinto loco Ambros. lib. 3. in Luc. c. de genealogia Saluatoris, dicit ambas, tam B. Virginem, quam Elisabeth fuisse de Tribu Iuda; quod si esset, facile intelligi posset, eas esse cognatas, non tantum generaliter, sed speciali etiam quadam coniunctione ac propinquitate; probat autem Ambros. Elisabeth fuisse de Iuda; nam de B. Virgine tanquam res indubitata probatione non indigebat, argumentum autem eius est, quia Elisabeth habitabat in Ciuitate Iuda; ascendit enim B. Virgo in Ciuitatem Iuda, & visitauit Elisabeth. Hæc sententia difficile sustineri potest; nam ex Euangelio Luc. 1. habemus Elisabeth fuisse de filiabus Aaron; argumentum autem Ambros. si valeret, consequeretur etiam Zachariam de Tribu Iuda fuisse, dicit enim B. Virgo ascendisse in Ciuitatem Iudæ, & intrasse in domum Zachariæ. Præterea quia cum Leuitica Tribus non esset fortita partem separatam in terra promissionis, permixta erat ceteris Tribubus, sicq; habitare potuit in ciuitatibus Iuda. Forfan Ambros. dicere voluit, Elisabeth aliquid habuisse de Tribu Iuda ex parte matris, aut auæ; id vero non satis erat ad affirmandum, fuisse de Tribu Iuda; nam à patribus Tribus sumebantur, unde filij Aaron erant de Leui propter patrem, etiam si mater fuisset de Iuda.

Sexto loco Epiphani. hæresi 78. affirmat Tribus illas duas Iuda, & Aaron mutuis matrimonijs coniungi solitas, indeq; factum, ut B. Virgo, & Elisabeth cognatæ sibi essent. Quo autem modo, an vnus de Iuda duxerit uxorem de Aaron, an vnus de Aaron duxerit vnam de Iuda, quouo gradu cognationis coniunctæ fuerint, non explicat Epiphanius. Consentit Theodoretus lib. quæst. in Num. q. vltima, vbi affirmat illas Tribus Regiam, & Sacerdotalem, inuicem coniungi solitas propter Christum, qui Rex, & Sacerdos futurus significabatur.

Septimo loco, quidam gradum hunc cognationis distinctius explicantes referunt, Annam matrem B. Virginis, & matrem Elisabeth dictam Ismeriam, fuisse sorores, & ambas de Tribu Iuda, filias cuiusdam dictæ Emerentianæ de Tribu Iuda, quæ nupsit viro eiusdem Tribus. iuxta quam sententiâ Elisabeth erat de Iuda, ex parte matris, & cognata B. Virginis, quæ sententiâ placet recentioribus, quibusdam non paræ auctoritatis, atq; doctrinæ viris.

Octauo loco Hippolytus referente Niceph. lib. 2. Hist. c. 3. affirmat Annam, & matrem Elisabeth sorores fuisse, aliter tamen textit historiam, refert enim quendam dictum Mathan Sacerdotem de Aaron, ex uxore nomine Maria tres genuisse filias, Mariam, Sobam, & Annam. prima nupsit viro, & peperit Salomen obstetricem, secunda nupsit, & genuit Elisabeth, tertia, quæ Anna est, genuit B. Virginem. Erant ergo Elisabeth, & Beata Virgo ex parte matrum de Aaron filia duarum sororum, sed Beata Virgo ad Tribum Iuda, & familiam David pertinebat, quia patrem habuit Ioachim, qui fuit de Iuda, ut tradit August. lib. 23. contra Faustum c. 9. at vero Elisabeth erat de Aaron, quia patrem etiam habuit de eadem familia. Hæc sententiâ propter antiquitatem, & auctoritatem Hippolyti à multis recipitur, & mihi placet, vti omnium probatissima, nihil tamen certi constituere in hac parte possumus, sed id solum, quod licet B. Virgo de Iuda, & Elisabeth de Aaron essent, cognationem tamen habere potuerunt, & habuerunt ex parte matris, aut alicuius auæ propinquæ, ac præcedentis. Nec argumentum illud ex præcepto Num. 27. & 36. efficax est, de quo plenius dicemus inferius c. 3. vbi de Genealogia Saluatoris tractabimus: nunc autem illud tantum respondemus, Tribus has duas solitas fuisse commiseri, Tribum nempe Iuda, & Aaron, ut ex Epiphanijs, & Theodoro notauimus, & Scripturæ testimonijs comprobatur, non solum ante præceptum illud, sed etiam post: nam Iudic. 19. dicitur Leuita de sorte Ephraim duxit uxorem de Tribu Iuda, & lib. 2. Par. c. 22. Iosabet filia Regis Ioram de Iuda, nupsit Ioiadæ Pontifici. & Deut. 21. præcipitur Pontifici, ut ducat uxorem virginem, non tamen præscribitur ut sit de eadem familia, unde accipiebat aliquando ex Iuda, quæ erat Tribus nobilissima; non enim hoc præcepto continebatur Leuitica tribus à principio, quando cõditum illud fuit, ne enim hæreditates Tribu confunderetur, & ex vna ad aliam transirent, præceptum fuit à Domino, ne matrimonijs permisceretur, sed vnusquisq; intra Tribum propriam contraheret: cum autem Leuitica non haberet determinatam hæreditatem terræ, nulla confusio ex ipsius permixtione sequebatur, idcirco illo præcepto non fuit comprehensa: miscebatur ergo Tribu Iuda propter nobilitatem eius, & propter mysterium Christi venturi, ut diximus ex Theodoro.

Hoc vnum postremo loco notandum est, ex hac cognatione non certo deduci, B. Virginem habuisse aliquid de origine sacerdotali, licet id deducat Augustinus lib. 2. de consen. Euang. c. 4. & libro 83. Quæst. q. 61. nam vti ex relatis constat, potuit Elisabeth

Hippolyti sententiâ de cognatione inter Mariam & Elisabeth, magis probatur ab auctoritate.

sabeth aliquid habere de Iuda, sicq; cognatio inter eas consistere, ut nonnulli dixerunt. Habuit quidem Christus, & ex Iuda, & ex Aaronica stirpe originem, regiamq; ac sacerdotalem coniunxit; præcipue

tamen, & absolute ex Iuda, id tamen non ex hac cognatione necessario concluditur, de hoc tamen inferius cum de genealogia Christi agemus, plura tractabimus.

Et ipsa concepit filium in senectute sua.

COMMENTARIA.

Magnitudinem miraculi exponit: concepit, inquit filium, & in senectute, & sua. Filium quidem, quia maioris est virtutis, seu roboris filium, quam filiam concipere: in senectute. senem enim concipere difficile est. Adiunxit (sua) non enim in quacumq; senectute, sed sua; procefferat enim illa in diebus suis, & nimis prouectæ ætatis erat. Nota illud (ipsa) nam facilius est iuuenem de viro sene concipere, quam senem feminam de viro iuuenem; ipsa autem senex, & de viro sene concepit. magnum profecto hoc opus est, & solius virtutis Dei. Nota etiam particulam (&) quæ est loco (etiam) posita, quasi diceret, etiam ipsa concepit filium, sicut tu concipies. eiusdem est potentia hoc, & illud facere, & tam certum est factum esse hoc cum Elisabeth, quam certum, & infallibile hoc tecum efficiendum.

Et hic est sextus mensis illi.

COMMENTARIA.

Amplificat miraculum. Non solum, inquit, concepit filium, sed iam est sextus à conceptione mensis; est enim sextus mensis argumentum vigoris concipientis; nam post sextum mensem non contigit abortus à causa intrinseca, sed ab accidenti extrinseco: quæ enim femina ad sextum mensem perduxit foetum, perfectæ virtutis est in concipiendo, & generando: nam si contingat, ut vetula concipiat, tamen non nutrit foetum, nec ad sextum perducit mensem, sed abortum patitur: at huic iam sextus est mensis, unde non virtutis propriæ, & naturalis, sed Dei opus hoc est. tacite insinuat Angelus partum futurum.

Qua vocatur sterilis.

COMMENTARIA.

Prosequitur Angelus. Non senex tantum, sed sterilis erat Elisabeth, & naturali potentia, etiam si iuuenis esset, ad generandum, seu concipiendum, destituta, adeoque sterilis, ut omnibus manifesta esset eius sterilitas, eoque nomine nota esset apud omnes. Connectitur hæc sententiâ præcedenti sic: illa, quæ sterilis erat, quamque omnes hoc nomine appellabant, tantam virtutem à Deo est consecuta, ut foetum ad sextum iam mensem perduxerit, quod est signum perfectæ conceptionis, & partus futuri. Diximus de hoc miraculo, & facto Elisabeth in præcedentibus.

ANNOTATIO. CIX.

Quo differat sterilis à conclusa.

Aduerte, in Scriptura differre sterilem, & conclusam. conclusa est, quæ potentia concipienti naturali non est priuata, sed est impedita ne concipiat. sicq; 1. Regum 1. dicitur de Anna: Concluserat Dominus vuluam eius, & Genes. 20. Concluserat Dominus omnem vuluam domus Abimelech. Sterilis est, quæ priuatur potentia proxima naturali, eo quod corporis partes non sunt aptæ instrumentum ad concipiendum, etiam si cognita sit a viro, quod accidit aliquando ex obstructione venarum, & pororum ma-

trici, quæ naturali arte, aut virtute remoueri non potest; tunc enim vere sterilis est; & hæc erat olim opprobrium in lege, talis erat Elisabeth. Hæc autem sterilitas non agnoscitur, nisi longo tempore, & vsu, nam quædam femine post multum temporis concipiunt, unde non statim sterilitas certa esse potest, nisi post longam experientiam: idcirco dictum est, quæ vocatur sterilis, quasi temporis longitudine talis ab omnibus iudicata.

Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

COMMENTARIA.

Confirmat Angelus vtrunque opus, nempe & quod annuntiauerat Beatæ Virgini de conceptione, & partu futuro, & quod reuelauerat de Elisabeth; quia, inquit, non est impossibile apud Deum omne verbum, quasi diceret, nihil habent incredulitatis quæ dico, & annuntio, & quod tu Virgo concipies, & quod senex, & sterilis conceperit, quia apud Deum, qui auctor est vtriusque, non est impossibile verbum vllum, id est, potens est facere quæcumque dicit, quantumuis magna, & ardua illa sint. Et bene apud Deum dicitur; quia hæc facultatem creatam superant. Insinuat Angelus omnia quæ nuntiauit, verba esse Dei, & se nomine, & iussu Dei loqui. Non est autem Deus, vt homo; hic enim promittit sæpe facere, quæ non potest, & narrat fecisse, quæ nondum fecit, nec efficere valet: at Deus non sic se habet; potens enim est quæcumque dicit facere, & opere complere. Alludit Angelus ad illud Ieremiæ 32. Domine Deus, tu fecisti cælum, & terram, & non est tibi difficile omne verbum. Verbum appellat opus, seu rem verbo, vel voce significatam.

ANNOTATIO. CX.

Verbum pro voce & pro re ipsa vsurpatur. Aduerte, Verbum duobus modis accipi. Vno quidem pro voce ipsa significante rem, siue sit promissionis vox, siue narrationis, assertionis, aut negationis. Plena est scriptura huius significationis. Matth. 15. Audito verbo hoc scandalizati sunt. & Matth. 12. Qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Luca 2. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Psal. 118. Memor esto verbi tui seruo tuo. Altero modo accipitur pro re ipsa, verbo, seu voce significata. Luca 2. Videamus hoc verbum, quod factum est, id est, hoc opus nobis annuntiatum. Exodi 9. Cras faciet vobis Dominus hoc verbum in terra, id est rem hanc, quæ dicta, & manifestata est. frequens est Scriptura in huiusmodi locutionibus. Vbi annotandum est (verbum) non significare opus seu rem absolute, sed rem, quæ dicta, aut voce significata est. Hoc posteriori modo accipitur in hoc loco Verbum. Hinc facile est intelligere huius sententiæ sensum. Non est impossibile apud Deum omne verbum, id est, nihil eorum, quæ Deus dicit, quous modo id dicat, siue promittendo, siue comminando, siue annuntiando, impossibile illi est; omnia enim quæcumque dicit facere potest. Sic exponunt Euthymius in hoc loco, & Bernardus homilia quarta in Missus est. quamuis enim plura sint possibilia Deo, quam ea, quæ loquitur, & locutus est, tamen hoc loco eum sensum sententia habet; de illis enim, quæ dicta erant, Angelus loquebatur. Quidam, verbum, interpretantur rem; nam in ea significatione accipitur aliquando, vt sit sensus, omnis res possibilis est Deo. Sed facilius, & accommodatior est sensus prior. Asserit autem Bernardus dictum esse verbum, non autem opus, vt significaret Angelus tam facile esse Deo facere opus, quam homini dicere verbum. Ad maiorem autem declarationem aduerte, verbum hominis multas pati discordantias, vt ibidem etiam Bernardus annotat. Primum quidem discordat, & dissentit a mente loquentis; nam homo sæpe loquitur aliter, ac sentit, promittit, quæ implendi non habet animum; affirmat, & negat, quæ aliter se habere putat, quam pronunciat. & hoc mendacium est:

Veracitas definitio. cui opponitur virtus, quæ dicitur veritas, seu veracitas, quæ conformitas est mentis cum verbis, & vocibus. Hæc discordia longè est à Deo. Rom. 3. Deus verax est, omnis autem homo mendax. Secundò discordat verbum hominis à facto, etiam si consentiat menti: euenit enim, vt homo promittat, quæ implendi animum habet; tamen postea mutat animum, & non facit, quæ promisit, & implere decreuit. quod vitium infidelitas appellatur, eique aduersatur virtus fidelitatis, quæ dicta, & facta concordat, & in Scriptura aliquando veritas, seu veracitas etiam vocatur; magis tamen proprie Fidelitas dicitur, nam qui promisit animo implendi, si postea non impleuerit, non dicitur mendacium dixisse proprie, si enim mendacium esset, numquam liceret non implere promissa, quod tamen licet. Vt enim recte dicit Seneca lib. 4. de beneficijs. cap. 36. sine vitio potest aliquis nouis causis rationalibus emergentibus promissa non implere, immo aliquando est virtus non implere, & vitium potius implere. quando ergo non impletur promissum, quod sine vitio impleri potest, infidelitas est, a quo remotissimus est Deus, qui immutabilis est. Psal. 144. Fidelis Deus in omnibus verbis suis. Propter primam, & secundam perfectionem dictum est Num. 23. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, neque sicut filius hominis vt mutetur. Tertio discordat verbum hominis ab eiusdem potestate, ea enim sæpe facturum se pollicetur, quæ implendi non habet potestatem. quod ad imprudentiam, iactantiam, malitiam, aliaque vitia, aut ignorationem, seu errorem pertinet. huius radix est infirmitas, quia valde limitatæ sunt humanæ vires: in Deo autem talis discordantia non est; quæcumque enim loquitur, & promittit, potest per omnipotentiam implere. Psal. 136. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra. de hac nunc dicitur: Non est impossibile apud Deum omne verbum. Hæc enim consensio verbi ad potestatem maxime nunc erat necessaria, vbi de facto supra omnem potestatem creaturæ agebatur, nimirum, vt virgo conciperet Filium Dei, & quod sterilis, ac vetula filium concepisset.

ANNOTATIO. CXI.

DVO sunt, quæ maxime Angelus Deo esse possibile affirmavit, nempe, & quod Virgo concipiat, ac pariat, & quod Filius hic non hominis tantum, sed Dei etiam sit, quod est, Filium Dei carnem assumere, ac hominem fieri. Hæc enim duo, vt pote in se ardua, & insolita, tali sententia confirmavit. De vtroque autem nonnulla dicere instituti nostri esse videtur. Prius ergo de virginitate Matris agendum est, quam quatuor accerrimi hostes impugnaverunt, & labefactare conati sunt, euertere autem, aut expugnare non valuerunt. Hi sunt dæmon, Pagani, Iudæi, Hæretici. De quorum singulis agendum sub breuitate est.

Quattuor accerrimi hostes virginitatem Matris Dei impugnare conati sunt.

Qua ratione dæmon tentarit Deiparæ virginitatem obicere.

Primus omnium dæmon est, primus quidem tempore, malitia, & astutia; tempore, quia ante Christi aduentum, priusque quam Virgo conciperet, hoc mysterium tætauit obscurare, vt modo explicabimus. malitia autem, quia ceteri tres hostes huic virginitati Matris contradixerunt ignoranter, non enim sibi persuaferunt virginem peperisse, licet ignorantia eorum non fuerit excusabilis, sed omni potius digna reprehensione. Pagani enim, Iudæi, & Hæretici non credentes virginem concepisse, aggressi sunt oppugnare veritatem, quam reuera, si voluissent, Deo adiuuante, cuius auxilium nemini defuit, agnoscissent. At dæmon non sic, sed sciens virginem concepturam, ac parituram, posteaque concepisse, ac peperisse, veritatem euertere curauit. Astutia verò, quia præuenit veritatem, idque medio peracuto, ac subtili. Quæ omnia declarantur ex doctrina quadam tradita à Iustino Martyre in Apologia ad Antoninum Imperatorem. Dæmon enim ex scripturis Prophetarum intelligens multa futuri Evangelij mysteria, quæ suo erant tempore complenda, & populis in salutem credentium prædicanda, multo ante induxit gétes in opiniones quasdam rerum fictarum, & fabulofarum, quæ quandam similitudinem haberent cum veritatibus futuris, vt quando hæc aduenirent, & annuntiarentur, gentes aut existimarent eas esse fabulosas, sicut illas, quas audierant, aut esse similes illis, minorisque fieret diuina veritas, sicque à fide Evangelij auerterentur. Hinc est, quod cum ex scripturis cognosceret Christum Filium Dei futurum, & de Virgine nasciturum, multosque à languoribus curaturum, & in cælos ascensurum, præoccupauit mentes hominum fictionibus, fabulisque, quandam veri similitudinem habentibus, nam finxit, multisque persuasit quendam dictum Perseum de Virgine natum, quendam alium Bellerophonem cælum ascendisse, Deum filios genuisse, & in humana forma apparuisse, Esculapium morbos curasse, ceteraque similia. Hinc Pilatus audiens Christum Dei Filium, timuit, non quidem, vt recte annotat Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 20. ex vera fide, sed ex errore illo diabolico, qui multos deos, & filios deorum arbitrabatur. Hæc arte dæmon mysterium virginitatis veræ euertere, & ab hominum mentibus propellere conatus est, nec in vanum omnino eius conatus cessit; multos enim à principio nascentis Evangelij decepit, non tamen efficere potuit, quin Evangelica veritas agnosceretur, & ab infinita credentium multitudine reciperetur. Hæc fuit oppugnatio dæmonis.

Quid Pagani opponant Virginitati Deiparæ.

Secundo loco, Pagani aduersus hoc mysterium insurrexerunt, ei contradicentes eo capite, & prætextu, quod rem impossibile iudicarent, Virginem sine viro concipere, & parere, vt refert August. Epist. 3. ad Volusianum; fides autem nostra non solum possibile, sed factum prædicat, & quamuis articuli fidei

demonstrari non possint à nobis, tamen contra Paganos eos negantes, duabus vijs agere possumus, quarum altera est, vt eorum fundamenta, & argumenta soluamus, cum sint falsa, quia verum vero contrarium esse non potest. Altera vt quibusdam manuuctionibus vtamur, quæ ad fidem conciliandam multum possunt. Quod autem ad priorem viam spectat, duo nobis maxime Pagani opponere potuerunt contra virginitatem hanc, ad probandum, esse de numero eorum, quæ fieri non potuerunt. Vnum est, quia principium passiuum sine actiuo nullo modo potest effectum producere; cum igitur femina sit principium passiuum, vir autem effectiuum, siue actiuum, non potest sola filium concipere. Cui argumento nos obijcimus, dato quod femina sit principium passiuum, multa animalia nasci sine viri sexus admixtione, etiam ex ijs, quæ solent ex vtriusque sexus coniunctione generari, nam ex terra, quæ est velut mater, multa talia producantur, & in aere etiam ex vaporibus sæpe gignuntur. Respondent illi in huiusmodi generationibus non deesse principium actiuum; nam sol, & astra suppleant virtutem causæ efficientis particularis & sexus vnus. Ex hac responsione nos euertimus argumenta eorum; nam non dicimus solam virginem sine principio actiuo concepisse, sed sine viro, intercedente tamen virtute Altissimi, & Spiritus Sancti superuentione supplete viri efficaciam: non ergo negamus actiuum principium, sed quoddam principium, nempe virum. Obijcient illi: in animalibus imperfectis, Sol, & astra suppleant virtutem sexus, tamen non in perfectis, qualis est homo: at nos respondemus, saltem illud principium illorum non esse verum, ex commistione sexus debere animal produci, quia passiuum principium non est sine actiuo. quod vero in animalibus imperfectis, non autem in perfectis sol suppleat virtutem sexus, fatemur, sed nos non dicimus solem locum viri suppleuisse, sed Deum ipsum, qui auctor est solis: et si Sol potuit animal imperfectum de terra gignere, cur non Deus ipse in visceribus Virginis potuit perfectum animal, nempe hominem generare, & Virginem foecundare? Alterum quod Pagani opponere potuerunt, est, insolitum est Virginem sine viro generare, cui nos respondemus. Primo cum Augustino lib. 10. Ciuitatis cap. 29. cum is qui concipiebatur sit singularis, nec similis homo ante visus, non mirum si eius conceptio singularis est. Secundo: Si agens naturale huius conceptionis principium esset, profecto insolita res non esset, sed plures huiusmodi experirentur conceptiones: at cum sit ipse Deus solus, qui quando vult, & quæ vult, operatur, non est argumentum contra veritatem ex eo, quod res insolita est.

Duplici via contra Paganos pro Virginitate Deiparæ agi potest.

Altera via contra Paganos est manuuctio ex quibusdam exemplis, & similitudinibus, in cuius rei gratiam notanda est Basilij doctrina hom. 8. Hexameron, & Isa. 7. vbi de hoc eodem mysterio loquens dicit Deum prouidum omnium, cum præcisset fidei nostræ articulos multa continere supra naturæ virtutem, & communem cursum causarum, effectisse quosdam effectus naturales, in quibus quædam similitudo licet imperfecta, inueniretur, vt per eos, velut quadam manuuctione inducerentur homines in assensum illarum supernarum veritatum, ne omnino incredibiles, aut ridiculæ quædam crederentur. Contra Paganos autem pro virginitatis huius mysterio opponit Basilius vultures, quos eorundem Paganorum naturales historiæ narrat, sæpe sine sexus commistione concipere, & prolificare. Hoc eodem exemplo vulturum vitur Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. 6. Lactan.

Lactan. etiam lib. 4. de vera sapientia cap. 11. pro hoc eodem mysterio contra Paganos, profert multa animalia sine coniunctione concipere, sed solo vento foecundari, & refert equas Hispanas quasdam sine masculis vento grauidari. quod & poeta 3. Georg. faetur, & graues auctores confirmant, vt Ambros. lib. 4. Hexam. cap. 21. & August. lib. de bono coniug. cap. 2. Vtuntur etiam pro hoc mysterio, exemplo apum, quas prolificare sine commitione affirmant, non solum ipsi, sed multi alij Doctores, & idem Vergilius loco allegato. Aristo. etiam lib. 4. historiae animalium cap. 11. tradit, nonnulla aquatilia sine coitu generare: non igitur simpliciter impossibile est feminam sine commitione concipere. Quod si id inter homines naturaliter non fit, at non esse in se rem repugnantem exempla producta comprobant, nec nos virtuti naturali id tribuimus, sed Deo ipsi, qui est supra naturam, & ipsius naturae auctor.

Isaia 7.

Iudaei impugnant Mariam Virginitatem.

Tertio loco Iudaei hunc articulum impugnant, contra quos efficacius, quam contra Paganos procedere possumus: cum Paganis enim non habemus vllum commune fidei principium, quo eos reuincamus; habemus autem cum Iudaeis: nam & hi admittunt sanctarum Scripturarum veritatem, earundem igitur testimonijs efficacissimis reuincendi sunt: In primis hi non possunt confugere ad Paganorum fundamenta, nimirum id impossibile esse; nam Scriptura eos falsitatis huius conuincet. Ier. 32. Domine Deus tu fecisti caelum, & terram, & non est tibi difficile omne verbum. Praeterea ex Genes. 1. Si enim fecit Deus de costa viri feminam, cur non & virum de substantia feminae efficere poterit? Iudaei ergo non possunt negare potentiam, id solum sibi negare posse videntur, nempe factum, quia Deus nihil tale vnquam fecit, aut faciet. contra quos Scripturae testimonia pugnant, quibus id futurum esse, praedictum, & promissum est, ex quibus nonnulla profertur, idque sub breuitate. Est igitur illud insigne testimonium, quod Matthaeus refert ex Isaia cap. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, quod Iudaei sentientes illo se conuinci, quaerunt infirmare, & efficaciam eius minuire, vt referunt Origenes lib. 1. contra Celsum, & Tertullianus contra Iudaeos cap. de probatione Natiuitatis Christi. Obijciunt ergo Iudaei, in Hebraeo nomen עלמה Almah non significare virginem, sed adolescentulam, siue sit virgo, siue corrupta. Contra hanc autem calumniam Iudaeorum multa faciunt. Primo quidem in hoc loco non est nomen simpliciter positum, sed cum littera η emphatica ha Almah. quo modo ter tantum in tota Scriptura reperitur positum. Primo Genes. 24. vbi de Rebecca dictum est; Puella decora nimis, & pulcherrima virgo, & incognita viro. Itatim adiungitur de eadem; puella quae egredietur ad hauriendam aquam. Quo loco habetur ha Almah. ex praecedentibus autem constat virginem, & viro incognitam fuisse; non igitur adolescentulam solum, sed virginem simul significat. Secundo Exod. 2. de Maria sorore Moysis dicitur: Puella perrexit, & vocauit matrem. ibi scriptum est ha Almah, erat autem tunc illa duorum annorum, vnde virginem fuisse certissimum est. Tertio, hoc in loco Isaiae reperitur, non autem alibi praeter haec loca. Cum igitur in duobus praecedentibus, hoc nomen virginem significet, non est dubitandum, in hoc loco etiam idem significare.

Secundo. Contra Iudaeos facit ipsum nomen etiam sine litera, seu articulo positum, virginem adolescentulam significare in Scriptura, quod Basilius Isa. 7. probat ex illo loco Scripturae Deut. 22. Si quis inuenerit in agro puellam desponsatam, & vim intulerit ei, interficite eum, puellae autem nihil faciatis. ibi legitur

Almah. certum est autem ibi virginem nondum cognitam significare. Similiter ex illo 3. Regum 1. vbi Sunamitis illa, quae Dauid senem calefaciebat, Almah dicitur, & tamen virgo erat. Sunt etiam loca Scripturae alia, in quibus nomen hoc semper pro virgine vsurpatur.

Tertio facit contra Iudaeos etymologia nominis, na trahitur a verbo עלם quod significat Latine abscondo, inde nomen Almah, quasi femina abscondita, & adhuc hominum aspectibus occulta, vt notat Hieronymus Isaia 7. Hinc est quod significat virginem adolescentulam parentum domibus reueratam, & clausam, nondumque viro traditam. Sunt enim tria nomina, vt Hieronymus linguae Hebraeae peritissimus lib. 1. contra Iouin. annotat נערה Naara quod significat adolescentulam, siue sit virgo, siue corrupta בתולה Betulah, quod significat virginem, siue adolescentula sit, siue aetate prouecta, & עלמה Almah quod vtrumque comprehendit, nimirum virginem adolescentulam, & teneram aetatis, talis erat Beata Virgo, quando concepit Filium Dei, idcirco hoc nomine vsus est Isaia, mysterium futurum praenuntians. Nec hoc tantum significat, sed virginem absconditam, & ab hominum conspectu semotam, quo quidem Hieronymus in quaestionibus Hebraicis super Genesim significari dicit virginem etiam, ac puritatem mentis Beatae Virginis, quae & mente, & corpore Virgo erat purissima.

Facit quarto contra Iudaeos auctoritas 70. Interpretum, qui Christum secundum carnem praecesserunt; eumque Hebraei idiomatis essent peritissimi, verterunt nomen illud Graece παρθένος, id est virgo. Notat autem Basilius Isa. 7. illos maluisse dicere παρθένος, quam vertere νεάνις, quod significat iuuenem, seu adolescentulam, siue Virgo sit, siue corrupta, nam illo nomine mysterium significarunt, quod virgo conciperet, non autem exprimebatur, si dictum esset, adolescentula concipiet. Chrysostomus hom. 5. in Matt. vtitur hoc argumento, nimirum, auctoritate. 70. Interpretum, qui virginem significari per Prophetam sua versione testati sunt. Hinc optimo iure reprehendit Irenaeus lib. 3. cap. 24. illos, qui hunc locum vertentes dixerunt. Ecce adolescentula concipiet, cum Virginitatis mysterium hoc nomen non significet.

Facit quinto contra Iudaeos id, quod annotant Origenes lib. 1. contra Celsum. & Basilius, & Cyrillus Isaia 7. Isaia ea verba protulisse tanquam quoddam signum mirabile Regi Achaz, reuocanti accipere, seu petere signum. Ecce, inquit, Dominus ipse dabit vobis signum, Virgo concipiet, &c. Si autem non Virgo, sed femina corrupta conceptura praenuntiatur, nihil mirabile praedicebat, nec signum erat ita admirandum, vt ceteris signis, quae obtulerat, praerogaretur: nouum ergo, & efficacissimum est testimonium virginitatis cum maternitate. Aduerte autem in Hebraeo verba habere expressiorem significationem: non enim est verbum, Virgo concipiet, id est, quae virgo est, concipiet postea viri coniunctione, at in Hebraeo nomen est, quasi Latine dictum esset, Ecce Virgo grauida, seu, Ecce Virgo habens in vtero, quod magis explicat mysterium, quamuis etiam idem significatur, quando dicitur: Ecce Virgo concipiet. Aduerte etiam Prophetam non solum significasse virginitatem in concipiendo, sed etiam in pariendo: Ecce, inquit, Virgo concipiet, & pariet. Quod annotauit Ambrosius Epistola 81. ad Siricum. De hoc tamen postea dicemus. Haec de hoc testimonio dicta sint. Est etiam testimonium Isaia 53. Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra

terra sitienti, quod testimonium copiosus explicabitur paulo inferius.

Nunc vero illud est annotandum de terra sitienti, id est, sicca, & sine humore aquae non recepta, ad significandam Beatam Virginem, de qua nasciturus erat Christus, qui & virgultum, & radix dicitur. Verè erat illa terra sitiens, quae sine viri semine concepit: aliter enim terrae siccae conferri non posset, sicque ibi Hieronymus aduertit, & perpendit verbum hoc. Concilium etiam Constantinopolitanum sextum act. 8. id ipsum annotauit. Extant etiam ante Isaiaem testimonia veritatis huius: nam Gen. 3. à mundi principio, id ipsum indicauit Deus: diabolo enim comminatus dixit: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter semen tuum, & semen illius. Proferrant Iudaei causam, cur dictum est, semen mulieris; si enim de viro conceptus est Christus, potius viri semen, quam feminae dicendus esset. si igitur semen mulieris dictum est, futura ergo erat mulier, quae sine viro conciperet. hanc nos dicimus Beatam Virginem Christi matrem. Vnde merito Cyprianus hoc testimonio vsus est lib. 2. contra Iudaeos cap. 8. ad hanc virginitatem confirmandam.

Post hoc est testimonium Leuitici 12. in quo significatum est idem mysterium ab ipso Deo: Mulier, inquit, si suscepto semine pepererit, immunda erit. Respondeat Iudaeus, cum non sit in sacra Scriptura verbum superfluum, & sine mysterio positum, quia est, quod lex illa à Deo limitata est, si suscepto semine, immunda erit, cum satis esset dicere, si pepererit. profecto ratio & causa alia non est, nisi quia futura erat mulier non suscepto semine paritura, quae lege immunditiae non esset comprehensa. quo testimonio vsi sunt ad Virginitatem hanc defendendam, Origenes homilia 8. in Leuiticum, seu Cyrillus lib. 3. in Leuit. & Theophylactus Lucae 2. de hoc autem testimonio plura dicemus cap. 2. annot. 35. cui testimonio colonant, quae praecipit Deus Exodi 13. & Num 8. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam: futurus enim erat primogenitus, qui matris vuluam non aperiret, sed matre integra nasceretur. de hoc autem loco plura dicemus in sequenti capite secundo, ibique perfectius explanabitur. Perseuerauit etiam Deus in hoc mysterio indicando. nam etiam Dauid 2. Regum 7. dixit: Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo. Quis est iste vterus Dauid? nam filius non est de vtero, sed de lumbis viri, vterus enim non viri, sed feminae est; & filius de feminae vtero nascitur. certe vterus est hic virginis matris, de qua egressus est Christus semen Dauid promissum sine lumbis, aut semine viri. Intellexit mysterium ipse Dauid sibi significatum. nam Psal. 131. repetens promissionem sibi à Deo factam dixit. Iurauit Dominus Dauid: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. fructus enim hic Christus est, qui non viri lumbos, sed matris ventrem solum nouit. Quo testimonio vtitur recte Irenaeus ad Virginitatem hanc comprobendam lib. 3. cap. 27. & Tertullianus lib. 3. contra Marcion. Haec de causa Christus ipse vermi comparatus est, qui de terra sine sexus commitione nascitur. Iona 3. vermibus ille rodit cucurbitae radicem, & arefacta est. ibi significatur Christus, qui de Virgine natus legem veterem aboluit, & cessare fecit. non enim propter natiuitatem Christus vermi confertur, vt annotauit Ambrosius sermone 3. & August. Epist. 49. ad Deogratias quaestione 6. & ante eos Origenes homilia 14. in Lucam, & post hos Maximus in sermone de Dominica Palmarum, & Bernardus in sermone de passione Domini, interpretantes, omnes in illud Psalms 21. Ego sum vermis, & non homo, affirmant Christum vermem dictum esse similitudine quadam

Quare Christus vermis dicitur sit.

natiuitatis, vermibus enim intra terram, aut intra lignum, concipitur & nascitur virtute solis, sine sexus commitione: sic Christus sine viro intra viscera Beatae Virginis virtute Spiritus sancti superuenientis, & Deo obumbrantis genitus est. Sunt multa testimonia, huiusmodi. sed haec pro breuitate instituti praesentis sufficientia. Quae si non omnia incredulos conuincunt, ostendunt tamen virginitatem cum prole esse inuicem in Scriptura.

Quarto loco huic mysterio contradixerunt Haeretici, negantes Virginis integritatem, non quasi rem Deo impossibilem, sed quasi rem non factam, qui profecto sunt maiori reprehensione digni, quia Euangelium profitentur, & media in luce caecutiunt. Sunt autem in tres sectas diuisi. Quidam enim virginitatem negarunt ante partum, dicentes Beatam Virginem concepisse de viro, & Christum filium esse Ioseph, sicut ceteri homines filij sunt priorum parentum. Hanc haeresim dogmatizauit Chereus, vt refert Irenaeus lib. 1. cap. 25. quam aliqui secuti sunt, quos libens omitto. ea tamè facile euertitur Matthaei verbis cap. 1. generatione enim Christi secundum carnem enarrata, dixit: Iacob genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui dicitur Christus. Perpende de ceteris dictum esse: Dauid genuit Salomonem, Salomon genuit Roboam, & sic continuando dictum est, Iacob genuit Ioseph: at quando ad Christum peruentum est, mutata est forma dicendi, non enim dictum est: Ioseph genuit Christum, sed, Ioseph virum Mariae: ne quis etiam suspicaretur nomine viri significasse coniunctionem, adiunxit: De qua natus est Christus. non autem dixit: De quibus. Testimonium igitur apertum non de viro, sed de sola matre natum esse Christum. Hac de causa fuit figurata Beata virgo Exodi 3. in Rubo ardeenti sine combustione, vt dicit Gregor. Nyssenus oratione de Christi natiuitate; Christus autem in vellere Gedeonis Iudic. 6. quod de carne natum, sine carnis latione tonderetur, vt dicit Bernardus sermone secundo in Missus est.

Quidam alij haeretici consentientes Christum non de viro, sed sine commitione de sola femina conceptum, dixerunt Virginem fuisse in conceptione, sed non in ipso partu, nec integritatem conseruasse dum peperit. fuit ergo secundum horum dogma Virgo ante partum, sed non in partu, quia Virginitatis claustrum in partu apertum existimant. Refert Ambrosius hanc haeresim Epistola 81. ad Siricum. Augustinus autem lib. 1. contra Iulianum cap. 2. tribuit eam Iouiniano. Quam haeresim multo ante refellit Dauid Psal. 21. vbi in persona Christi loquens, ait. Tu es, qui extraxisti me de ventre, ab vberibus matris meae in te proiectus sum ex vtero. quod testimonium perpendit Augustinus Epistola 120. cap. 12. sic. Dum nemo sit, qui de ventre matris egredietur, nisi Deo opitulante, quid est, quod de Christo peculiariter dicitur, Tu es, qui extraxisti me de ventre matris? concludit, ea de causa dictum esse, quia solus Christus, integra, & incorrupta matre perleuerante, per Dei virtutem de vtero egressus est. Ambrosius contra hanc haeresim adfert illud Isaia 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet. in vtroque enim Virgo futura praenuntiat.

Quidam alij confessi sunt virginitatem ante partum, nimirum in conceptione, & etiam in partu; negarunt tamen eam post partum, asserentes post filij, seu Christi partum, copulam indulsisse, & filios de Ioseph genuisse. Huius haeresis meminit Epiphanius, Haeresi 78. & Augustinus lib. de haeresibus cap. 56. referuntque huius haeresis dogmatizatores dictos esse Antidicomaritas, quasi impugnatores, & aduersarios Mariae. Hanc haeresim amplexus est Heluidus, con-

Haeretici Mariae Virginitatem negantes, refutantur.

Tres haereticorum sectae circa Deiparae virginitatem.

Matthaei 1.

Exod. 3.

Iudic. 6.

Contra haeticos negantes B. Virginem in ipso partu Virginitatem permauissse.

Contra haeticos negantes Deiparae Virginitatem post partum permauissse.

tra quem scripsit Hieronymus. Quam etiam Spiritus Sanctus multo ante refutavit per Ezechiel cap. 44. dicentem: Conuertere me ad viam portæ Sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem; & erat clausa, & dixit Dominus ad me, porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principij. Hæc verba non possumus accommodare illi Templo materialibus; nulla enim talis porta in eo erat, quæ principi esset clausa; per quam Dominus Deus ingressus est: necesse est igitur eam esse Beatam Virgine, per quâ Christus ingressus est in hunc mundum, quæ si verba consideres, ter dicta est clausa, quia ante partum, in partu, & post partum Virgo permansit: immo causa adfertur, quare post partum Virgo fuit: quia, inquit, Dominus ingressus est per eam: non enim decebat hominem peccatorem per eam ingredi portam, per quam ingressus fuit Saluator hominum. Hoc testimonio videntur Patres antiqui ad probandum mysterium hoc, inter quos sunt, Ambrosius lib. de institut. Virginitatis cap. 7. & 12, & Epistola 81. Hieronymus in Commentarijs illius loci, Chrysostomus homilia de Ioanne Baptista, Augustinus sermone 14. de Natiuitate Domini, & Damascenus lib. 4. de Fide cap. 15.

Tres hæreses supradictæ vnicuique Angelij verbo conuincuntur.

Omnes hæ tres hæreses verbis huius lectionis nostræ confutantur, & euertuntur. Primo quidem Beatæ Virgini dicenti: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, Angelus respondet, Spiritus Sanctus superueniet in te, quasi diceret, non concipies hunc filium viri cognitione, sed Spiritu sancto superueniente; sic enim responsio accommodatur in-

terrogationi: Si autem viri copula intercederet, non sic respondendum erat. Prima igitur hæresis refutatur, & Virginitas ante partum comprobatur. Secundo. Hæc superuentio Spiritus sancti non ad concipiendum solum, sed etiam ad pariendum facta est, & ab Angelo promittitur: nam dixerat: Ecce concipies, & paries; inquirenti autem, quomodo fiet istud, nempe, ut concipiam, & pariam, dicitur, Spiritus sanctus superueniet: igitur Virgo est etiam in partu, & secunda hæresis repellitur. vtramque etiam verbum sequens improbat. Non erit impossibile apud Deum omne verbum, quasi diceret, natura quidem hunc partum efficere non potest, efficiet autem is, apud quem nihil est impossibile: igitur, & partus, & conceptus supernaturales sunt, & virtuti naturæ non concessi, quod non esset, nisi Virgo in partu, & ante partum extitisset. Tertio, illud (virum non cognosco) hæresim tertiam refutat; vti enim in eius expositione diximus, non solum dicit, se de præsentis virum non nosse, sed omne tempus concludit, scilicet, non noui, nec noscere vnquam licet. Ratio etiam ipsa id confirmat: nam si reuelanti Angelo Filij Dei conceptionem, opposuit Beatæ Virgo, se non cognoscere virum, qua ratione induci potuit postea eum cognoscere propria voluntate, Angelo non reuelante, & ad concipiendum hominem merum, & peccatorem profecto alienum ab omni intellectu id est. Multa de hac materia dici possent, quæ ad librum potius particularem, quam ad Commentarium pertinent. Satis videntur hæc esse pro instituto præsentis, & huius lectionis explicatione.

Dixit autem Maria.

COMMENTARIA.

Verba sunt Euangelistæ continuantis historiam, & connectentis, quæ Beata Virgo respondit. Verbum autem (Dixit) indicat perfectam intelligentiam, qua Beata Virgo diuino lumine illustrata comprehendit totum id, quod Angelus de modo mysterij peragendi responderat; simul etiam & fidem, qua his, quæ intellexerat, credidit: plena igitur interiori dono, intellectus, & fidei, profert exterius responsum. Quique animam illustrauerat ad intelligendum, Deus ipse etiam vocem excitat, & dirigit, vt loquatur verba digna Deo.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

COMMENTARIA.

Consensum præbet Beata Virgo ijs, quæ Angelus annuntiauerat, non qualemcumque, sed plenum obedientiam, humilitate, fide, & prudentia. Obedientiam quidem particula (Ecce) indicat, ecce inquit, quasi diceret, promptissima & parata sum, non repugno, non contradico, non detrecto: Humilitatem, verba (ancilla Domini) ostendunt; cum enim futura mater filij Dei annuntiaretur, ipsa ancillam se, Dominum, autem filium, & Deum, quem conceptura erat, appellat, & concipere ac parere, ancillari, ac ministrare, & seruire Domino vocat. Quo etiam verbo suam obedientiam magis commendat; paratam enim in se, & obedientem offert, vt par est ancillis obedire Dominis suis, maximè autem tanto Domino. Fidem vero, verbum (fiat mihi) commendat. credidit enim omnia, quæ Angelus locutus ei erat, & Deum ipsum auctorem huius mysterij confitetur; non enim inquit, faciam quod dicis, sed fiat mihi, id est, operetur Deus in me, quæ tu eum facturum annuntias, non hoc opus mihi arrego, aut vsurpo, sed virtutem omnipotentis agnosco. Prudentiam demum verbum illud (secundum verbum tuum

Insignis Mariæ humilitas in hoc verbo resplenduit.

Insignis Mariæ humilitas in hoc verbo resplenduit.

Differentia inter superbos & humiles.

tuum) manifestat, non enim consensum suum generaliter exhibebat, nisi ad concipiendum sine viri copula, iuxta formam ab Angelo præscriptam, idcirco prudenter adiunxit secundum verbum tuum. quod etiam plenitudinem consensus significauit, vt fierent in se omnia, quæ Deus per Angelum indicabat. quod verbum castitatem miram ipsius, & profundam humilitatem significat; puritatis enim, & castitatis ardentissimus amor induxit eam, vt quamuis sciret, non aliter se concepturam, quam annuntiabatur, verbis etiam exprimeret, cum hac conditione, se præbere consensum. Humilitas autem effecit, ne expresse verba Angeli magnifica, & gloriosa repereret, dicendo, fiat mihi ita, vt superueniat Spiritus sanctus in me, & virtus Altissimi obumbret mihi, sed tacite indicauit. secundum; inquit, verbum tuum.

Quare Deus Virginis consensum requisierit.

ANNOTATIO. CXII.

Deiparæ responsum varie exponitur à Patribus.

Quod ad verba attinet, Ambrosius in hoc loco legit (contingat mihi) quod nos dicimus (fiat mihi) accommodatior est autem lectio nostra. Quod vero ad sensum spectat, variant doctores in eo interpretando. Primo quidem Athanasius sermone de Deipara sic interpretatur, vt sint verba optantis, & hæsitantis in hunc sensum. Vtinam fieret quod dicis, de quo hæsit. Hæc tamen expositio omnino recipi non debet, quæ multum perfectioni Beatæ Virginis detrahit, & sententiam ipsam detorquet: crediderat enim Beata Virgo Angelò nuntianti. Secundo. Ambrosius asserit illud verbum, fiat mihi, seu, contigat mihi, esse voti, & desiderij, coniuncti tamen cum fide; credebat enim, & simul desiderabat. idemque sentit Euthymius, quasi diceret, credo quod dicis, & desidero, ac opto vt mihi fiat. quæ quidem expositio videtur non nihil detrahente humilitati Beatæ Virginis, quæ ita de se depresso sentiebat, vt non esset ausa desiderare, sed solum id præstitit quod Dominus exiebat, nempe consensum. Tertio loco Bernardus homilia 4. in Missus est, negat esse verbum optantis, dicit tamen, esse verbum orantis, & deprecantis, quasi deprecata esset, vt tale mysterium in ea perageretur. quæ expositio eadem de causa, qua præcedens non videtur accommodata. Quarta igitur est sententia Augustini, quæ legitima videtur sermone 17. de Sanctis, nimirum esse verba consentientis, & assensum præstantis diuinæ voluntati; hunc enim consensum Angelus expectabat, & hic solum quærebatur. solet autem Scriptura eo verbo vti in ea significatione. Danielis 14. Dixit Daniel Regi, fiat iuxta verbum tuum, id est, assentior, vt fiat, sicut dicis, Iosue 2. Dixit Raab ad exploratores, sicut locuti estis, ita fiat. ita nunc in præsentis dictum est: Fiat mihi secundum verbum tuum. Est autem verbum solius consensus expressiuum, non autem rei effectiuum, nec sicut illud Christi Matth. 15. Fiat tibi sicut vis, hoc enim non solum significatiuum consensus, sed factiuum rei fuit: at verbum Beatæ Virginis solum significatiuum, quo

se consentire significauit, efficere autem quod annuntiatum erat, Deo ipsi proprium erat. Solet etiam Scriptura, eo vti verbo in significatione optandi, & deprecandi, vt ex multis locis constat: tamen in hac sententia verbum est assentientis & acceptantis. Dubitatio autem se offert, cum potuisset Deus concipi, & nasci de Beata Virgine, eius consensum non requisit; sicut etiam de Adam dormiente Euam formauit, cur ipsius consensum habere voluit? Respondeo conuenientissime id esse factum. Primo quidem, quia in hoc mysterio sponsalitia celebrabantur Dei Patris cum Beata Virgine, & Filij Dei cum humana natura, & Christi cum Ecclesia, vt supra explicauimus: decuit ergo interuenire consensum eius, quæ sponsa Patris erat, & naturam humanam, ipsamque Ecclesiam representabat: in sponsalitijs enim consensus vtriusque partis est. Secundo, vt sicut per consensum feminæ ruina hominum sumpsit exordium; ita etiam salus, ac reparatio, per feminæ consensum progrediretur. Tertio, vt significaret Deus aliter in creatione nostra, aliter in reparatione se habere voluisse: creauit enim nos, deditque esse sine nostro consensu, at salutem non impartitur nisi volentibus: idcirco Euam dormiente Adam; Christi vero carnem, Virgine beata vigilante, & consentiente, formauit. Quarto, vt nos omnes obligaret Beatæ Virginis strictissimo vinculo charitatis. magno quippe affectu est à nobis. prosequenda ea, cuius arbitrio salus hominum est commendata: non enim aliter voluit Deus homo fieri pro nobis, quam Beata Virgine libere consentiente. Multum profecto illi debemus, & quod caro Christi de ea sumpta est, & quod consensum liberum exhibuit. Quinto vt non solum efficeretur mater filij Dei, sed digne eum conciperet: fuit autem multum dignificata, quando vltra gratiam habitualement receptam, eximiam fidem, obedientiam, humilitatem, charitatem in eo concipiendo exercuit. quod factum est quando nuntio Angelico consentiens dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

ANNOTATIO. CXIII.

Insignis Mariæ humilitas in hoc verbo resplenduit.

Verbum illud (ancilla) profundæ humilitatis Beatæ Virginis est argumentum vt enim Ambrosius annorat, quæ mater Dei eligitur, ancillam se appellat, quod humilitatis est tanto profecto maioris, quanto inferius est esse ancillam, quam esse matrem; esse seruam, quam esse Dominam. Vt autem hæc humilitatis profunditas intelligatur, notanda est Gregorij doctrina lib. 34. Moralium cap. 7. hoc nempe inter superbos, & humiles interesse discriminis: superbi enim si quis boni, aut recte facti habent, in eo oculos mentis insigunt, & à multis, quæ minus recta

sunt in eis, auertunt. humiles vero contrario se gerunt modo; ea enim in se, quæ minus recta, aut digna sunt, considerant, nec mentem ijs considerandis, quæ laudabilia sunt, applicant, sed que in humilitate positi depresso de se sentiunt; quod enim in se bonum, perfectum, & magnum est; in Deum referunt, quod vero imperfectum, aut minus est, sibi tribuunt. Hoc nunc impletum cernimus in Beata Virgine; nam Angelum eam futuram esse matrem filij Dei, concepturamque, ac parituram filium, qui regnaturus esset in æternum, prænuntiauit; ipsa vero, id

Vertical marginal notes on the right edge of the page, including 'Quare Deus Virginis consensum requisierit' and other fragments.

ro, id tribuens Deo, mentem in id quod humiliter videbatur, conuertit, nempe quod ancilla sit, seq; in hoc opere, ex parte sua ancillari, & seruire Domino constitetur; quod quidem verum est: ut enim inquit Augustinus libro de Natura & gratia contra Pelagianos cap. 34. Humilitas virtus tunc est, quando est cum veritate coniuncta; in mendacio enim non nititur virtus: erat autem verissimum Beatam Virginem esse ancillam, & matrem, concipere & ancillari, quamuis diuersis rationibus, ut docte tradit Gregorius libro 9. epistola 61. Mater enim erat, & filium concipiebat, quatenus de eius substantia caro Christi opera Spiritus sancti formata est. Ancilla autem quatenus is, cui caro formabatur, Deus erat: unde eius opera & concipere, & ancillari, & famulari fuit. Conuertit igitur oculus mentis in id, quod depressius videbatur, & se, quae mater eligebatur, ancillam appellat, & concipere, ac parere, famulatum, ac ministerium vocat, & filium Dominum constitetur, quod profundae eius humilitatis insigne est argumentum. Fuit autem humilitas haec cum fide coniuncta: non enim ancillam filij, nec conceptionem appellasset famulatum, nisi Deum esse crederet, quem erat conceptura. Aduerte autem aliud mirandae humilitatis argumentum. Praenunciatur conceptura, & paritura filium Dei superueniente Spiritu sancto in eam, & obumbrante virtute Altissimi: ipsa vero non magnitudine promissionis illecta, sed obedientia iubentis Domini tracta consentit, quasi diceret: O Angele Dei magna mihi, & admirabilia promittis, sed scito me consentire, non tam ob-

cellentiam promissionis, quam ut voci Dei obediam, eo quod ancilla sum Domini, non quod mater futura sum Dei, plus apud me valet, quod Deus hoc vult, quam quod magna sunt, quae mihi promittuntur. mirae humilitatis, & obedientiae profecto verbum est hoc. Non minoris autem fidei argumentum est illud verbum (secundum verbum tuum) si enim consentit, ut fiat secundum verbum Angeli; credidit ergo omnia, quae ei Angelus dixerat; ea autem profecto magna sunt. nam etiam Trinitatis mysterium, & filij incarnationem, opus redemptionis, & regnum Ecclesiae, & salutem aeternam continent; haec enim omnia nobis iam illuminatis verba ipsa significant, quae sine haesitatione vlla credidit Beata Virgo. Unde merito Ambrosius hanc fidei magnitudinem commendans, inquit: Sacerdos Zacharias non credidit se nem concepturam hominem, & puella sanctissima credidit Virginem concepturam Deum, & hominem, merito audiuit: Beata quae credidisti. Haec Ambrosius. Postremo aduerte, ter locutum esse Angelum, nepe quando magnificis verbis salutauit, quando mira annuntiavit, quando modum occultissimum reuelauit. His tribus sententijs Beata Virgo perceptis, & toto mysterio iam cognito, satisfacit tribus verbis: Ecce, inquit, ancilla, quam tu Angele gratia plenam, & benedictam supra omnes mulieres salutaui. Fiat mihi id quod annuntias, nempe: Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c. Secundum verbum tuum, nimirum Spiritu sancto superueniente, & virtute Altissimi obumbrante.

Beata Virgo & mater & ancilla quomodo fuerit.

Aliud profundae humilitatis argumentum B. Virginis.

Angelus ter locutus est B. Virgini.

Et discessit ab illa Angelus.

COMMENTARIA.

NE quis Angelum cooperatum esse aliquid in hac conceptione arbitraretur, cum solam nuntiantis personam egerit, Euangelista, praestito Beatae Virginis consensu, illum discessisse commemorat. Non enim Angelorum opera, sed Spiritus sancti, & Altissimi virtute formata est caro illa Christi, & mysterium incarnationis confectum. Est etiam huius rei altera causa, nimirum, ut per hoc Euangelista significaret Angelum non tantum ad nuntiandum, sed etiam ad requirendum Virginis Beatae consensum fuisse missum: hinc enim est, quod non post suorum verborum prolationem, sed post sacrae Virginis responsum discessisse narratur.

ANNOTATIO CXIII.

Post Angeli discessum Verbum caro factum fuit.

Athanasius sermone de Deipara duo in his verbis annotat. Vnum est Euangelistam huius discessum meminisse, ne quis Angelum, aut eius verbum carnem assumpsisse arbitraretur, cum non ille, sed filius Patri consubstantialis, verbumque subsistens, & aeternum, carnem induerit. Alterum est Angelo recedente continuo Verbum factum hominem esse, non quidem Angelo praesente, nec post eius discessum mora temporis intercedente. Hoc autem secundum assertum non omnes receperunt; uti enim diximus supra in annotatione 69. quidam existimauerunt praesente Angelo, & ad prima salutationis verba, Dei filium induisse carnem, quam opinionem tanquam falsam, & verbis Euangelistae dissonam ibi reiecimus: non enim Verbum caro factum est, nisi postquam Beata virgo consensum praestitit. Duo autem sunt, quae potest aliquis merito in dubitationem reuocare. Vnum est, an saltem Angelo praesente post Virginis Beatae consensum, Verbum caro factum sit, in quo non est tanta certitudo, quanta in eo, quod non sit factum ante consensum. Euthymius id

affirmat; inquit enim, discessisse Angelum simul ac Beata Virgo conceperat. Athanasij autem auctoritas plurimi facienda est in hoc, idque Euangelistae verbis consentaneum videtur: si enim Angelo praesente celebratum esset incarnationis mysterium, praemississet utique Euangelista quod factum erat; antequam Angelus discederet. Fauet etiam huic sententiae ratio: nam cum Angelus solam Nuntij personam sustinuerit, & consensum Beatae Virginis explorauerit, his peractis non erat cur amplius moraretur.

Secundum vero est, an continuo Angelo recedente Filius Dei carnem susceperit, uti Athanasius dicit. Hoc autem certius est, & a pluribus Patribus comprobatum. Sic enim docuerunt, Augustinus sermone 18. de Sanctis. Damascenus libro 3. de fide cap. 2. & Gregorius libro 18. Moralium cap. 27. ac Bernardus homilia 4. in Missus est: Responde, inquit, verbum, & suscipe verbum, profer tuum, & suscipe diuinum, emitte transitorium, & amplectere sempiternum: quae verba nonnulla ex parte sunt Augustini. Gregorius autem sic habet: Nuntiante Angelo, &

Dubium duplex de incarnatione Verbi.

lo, & adueniente Spiritu mox Verbum in vtero, mox Verbum carnem, manente incommutabili essentia, quae ei est cum Patre, & cum sancto Spiritu coaeterna, assumpsit intra Virginea viscera. Haec Gregorius. Est autem hoc loco cauendum ab haeretico quodam dogmate, quod Origenes scripsit libro 2. Periarch. cap. 6. quodque Damascenus libro 4. de Fide, cap. 6. damnat, & deliramentum Origenis appellat, & habetur in quodam libro 2. de Incarnatione, inscripto Augustini nomine, cum reuera non Augustini, sed Origenis sit talis doctrina. Hoc autem est, Verbum vnitum fuisse animae soli a principio creaturae; asserbat enim animas solas multo ante corpora creatas, tuncque animam Christi assumptam a Verbo, corpus vero sumptum esse, quando facta est per Angelum annuntiatio: immo dicebat Origenes aliter Verbum vniri carni, seu corpori non potuisse, nisi prius animae vnitum esset. Haec autem doctrina, quantum ad vtramque partem, Catholicae fidei aduersaria est: fide enim tenere, & confiteri debemus, animam Christi non extitisse ante corpus, sed tunc cum formata est caro, esse creatam, simulque corpori seu carni infusam, ipsique copulatam. Verbumque eodem tempore, & instanti compositam ex anima & corpore naturam assumpsisse, suaeque copulatae personae; sicque verbum aeternum, naturam humanam induisse, ut & animam & carnem sibi etiam immediate copulauerit. cui sententiae argumento est mors ipsius

Cauendus Origenis error.

Saluatoris, in qua sic anima est separata a corpore, ut vtrumque permaneret diuinitati vnitum, & verbi persona in vtroque sublitterit, quod non esset, nisi quia sic naturam compositam ex anima, & corpore induerit, ut vtramque partem sibi immediate copulauerit. Quod si Augustinus lib. 10. Ciuit. Cap. 29. affirmavit Verbum Dei per animam assumpsisse corpus, non sic intelligendus est, quasi prius animam postea sumplerit corpus, aut quod immediate animam, mediate vero corpus sibi copulauerit, cum simul vtramque partem immediate suae vnuerit diuinitati, sed id voluit docere, Verbum non sumpsisse carnem, nisi quia animae rationali erat vnita: nisi enim corpus animatum esset, & quidem rationali anima, a Verbo sumptum non esset, eo quod quauis corporis, & animae Saluator sit, animae tamen salutem praecipue allaturus veniebat. & hoc Catholici Doctores indicant, quando dicunt sumptum corpus mediante anima, tamen reuera immediate vtriusque diuinitati copulatum est, idque simul. fallitur ergo Origenes multum in ijs, quod scripsit, & in eo etiam quod tradidit, non posse Verbum vniri carni, nisi vnatur animae, cum certum sit, in triduo mortis, etiam corpori sine anima, quae corpus informaret, vnitum permansisse. Haec fusius prosequi non est praesentis instituti: quae autem dicta sunt ad sententiae propositae intelligentiam sufficere videntur.

Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana.

COMMENTARIA.

POST Angeli annuntiationem, & filij Dei conceptionem, quid proxime Beata Virgo fecerit, enarrat Euangelista; audito enim nuntio de Elisabeth conceptione, continuo a Galilaea profecta est in Iudaeam, ut illam visitaret. Dicit ergo, illis diebus, nimirum conceptioni proximis, atque nondum mense illo sexto completo, exurgens Maria abiit in montana, loca montuosa Iudaeae, in quibus erat ciuitas, vbi habitabat Elisabeth. Dicitur autem exurgens abiisse, primum ad significandum situm loci; erat enim ciuitas Nazareth, a qua proficiscebatur, humilior, atque depressior montanis Iudaeae. qua de causa, quando Christus a Galilaea in Iudaeam proficiscebatur, ascendere dicebatur. Matth. 20. Et ascendens Iesus Hierosolymam dixit: Ecce ascendimus Hierosolymam. deinde etiam ad insinuandam continuam Beatae Virginis quietem, qua solita erat intra domus suae parietes inclusa manere; nunc autem Spiritu sancto ducta, imo impulsu surgens egreditur in montana. deum ad indicandam alacritatem animi, qua hoc iter susceperat. Caetera in Annotatione perlege.

ANNOTATIO CXV.

TRIA sunt in hac sententia inquisitione digna. Primo quidem, quando Beata Virgo iter istud susceperit. Secundo qua de causa Elisabeth visitauerit. Tertio, quae sint haec montana, in quae abiisse dicta est. Quod ad primum spectat, S. Bonauentura, diluculo illius diei, seu noctis, in qua concepit, profectam esse existimat. Hoc tamen dictum ex Evangelica lectione deduci non potest, immo contrarium verba ipsa ostendunt. dicit enim illis verbis abiisse, non igitur tanta celeritas fuit in itinere suscipiendo, ut intra paucas horas sit profecta: si enim ita factum esset, non sic Euangelista scripsisset. dum igitur dictum legimus, in illis diebus, non continuo, nec eodem die iter susceptum esse significatur, sed vno, aut altero die intercedente, idque est multum verisimile; non enim credibile est vicinis insalutatis repente recessisse, ne quid sinistrum cogitandi populo occasionem daret. Quamuis autem certus numerus die-

Maria quando abiit in montana Iudaeae.

rum ignotus sit, hoc tamen certum est, non multo post esse profectam.

Quod vero ad secundum attinet, varia est Doctorum responsio. Primo quidem respondet Theophylactus, Beatam Virginem tamquam prudentissimam visitasse cognatam, ut maiori certitudine certior fieret, num vera dixisset Angelus de Elisabeth conceptu, ut ex hoc de suo magis confirmaretur. Bonauentura autem huic sententiae consentiens inquit, illam abiisse ad explorandam veritatem. Secundo loco respondet Euthymius abiisse, ut infante in vtero exultante, & illa prophetante maiore conciperet celsitudinem. Tertio loco, Ambrosius aliter respondet. verba eius sunt: Vbi hoc audiuit Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pra gaudio, in montana perrexit. Haec Ambrosius.

Quare Maria visitauerit Elisabeth.

In huius difficultatis resolutionem nonnulla dico.

co. Primo quidem, si principium efficiens quærimus, certum est Spiritu sancto inspirante & excitante Virginem Beatam iter hoc suscepisse. Et in hoc non est controuersia, non quod Spiritus sanctus reuelauerit ei, ut abiret, quandoquidem id Euangelista expressisset, si factum fuisset, sed quod animum eius impulerit ad tale iter, quod Ambrosius sentit, dicens: Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Hoc dictum constat tum ex ipsius Virginis Beatæ excellentia, & gratiæ plenitudine, quæ in suis actionibus peculiari quadam prouidentia à Spiritu sancto dirigebatur, tum ex ipsius itineris effectu consecuto; Ioannes enim ab originali mundatus peccato, vna cum matre Elisabeth aduentum Christi diuina reuelatione cognouit, ipsaque adeo Beata Virgo mira quædam diuino instinctu prophetauit. Cum igitur hæc effecturus esset Spiritus sanctus, per hanc Virginis professionem, nemini dubium esse debet, excitasse Beatam Virginem, ipsique inspirasse iter illud suscipiendum. Secundo mihi est valde probabile, Beatam Virginem ex ipsius Angeli verbis cognouisse Dei voluntatem, ut Elisabeth inuideret, idemque Angelum insinuasse, quando dixit: Ecce Elisabeth cognata tua. cū enim diuino lumine esset illustrata, plura ex verbis Angeli comprehendit, quam nos, & quicumque alij, qui eam luminis claritatem non habent. Deo igitur inspirante, & Angelo insinuante profecta est mater Dei; non enim credibile est, proprio consilio solo dictam huiusmodi peregrinationem suscepisse. Tertio. Alius fuit Spiritus sancti, excitantis Beatam Virginem ad iter peragendum, alius ipsius Beatæ Virginis finis. Explico. Spiritus sanctus intendebat per hoc iter ea efficere, quæ facta sunt, quæque in primo dicto exposuimus, nempe Ioannem sanctificare, aduentum Christi in carne præsentem reuelare, & cetera, quæ in eo mysterio explicando narrabimus, at Beata Virgo cum hæc nesciret, non immediate intendebat, nisi eo ipso, quo voluntatem Dei exequi & in hoc, & in omnibus studebat. dico nescisse hæc à principio, quia nõ habemus certitudinem vllam, neque ex Scriptura, nec ex Ecclesiæ traditione, nec ex Patrum doctrina, Beatam Virginem hæc omnia nouisse tunc cum profecta est. Quarto. Causa quam Theophylactus adfert, nullatenus est recipienda; nam ei Euangelica verba aduersantur. si enim id locum haberet, fatendum esset Beatam Virginem non credidisse Angeli testimonio, cuius oppositum ex Euangelio constat; Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Quomodo diceret, fiat mihi secundum verbum tuum, si non credidisset? Quod si dicas, credidisse id, quod de ea annuntiatum erat; non autem quod de Elisabeth, hoc profecto nemo rationabiliter dicere potest: nam si credidit, quod difficilius erat, certe quod facilius fuit, etiam credidit: & à contrario, si non credidit facilius, & quod in confirmatione prioris adferebatur, cõsequitur, ut nec hoc crediderit. Præterea inquit Theophylactus hoc iter suscepisse, ut de suo conceptu magis confirmaretur. Quod dictum etiam veritati aduersatur: nam sciebat, se iam concepisse filium Dei: non ergo erat, cur confirmationem quæreret. Tenen-

dum ergo est cum Ambrosio, Beatam Virginem, quæ omnia Angeli dicta perfectissime crediderat, & se concepisse iam erat experta, hoc iter non suscepisse propter fidem. Quinto. Non etiam est probanda causa Euthymij, nempe abiisse, ut maiorem reciperet celsitudinem. quamuis enim id Spiritus sanctus intenderit, tamen Beata Virgo nondum sciebat, quod futurum erat, nec quid Deus in hac visitatione facere vellet. Vnde non potuit ea de causa iter suscipere. Sexto. Existimo Beatam Virginem iter suscepisse, ut voluntatem Dei exequeretur, quam ex Angeli verbis Deo ipso inspirante, & excitante assecuta est: & quamuis congratulatura cognatæ suæ, & seni officiū exhibitura venerit ex charitate, & desiderio mirabile opus Dei propriis oculis cernendi, ut dicit Ambrosius; tamen hæc non fuissent talia, ut iter hoc susciperet, cum sciret se filium Dei habere in utero, nisi accessissent illa duo, quæ dicta sunt, nimirum, verbum Angeli Dei voluntatem insinuantis, & Spiritus sancti instinctus & excitatio; Virgo enim iuuentula, & filium Dei in utero habens, Spiritus sancti, & Altissimi virtute operantibus, numquam aliter ad tale iter suscipiendum se accinxisset.

Quod vero ad tertium spectat, nempe, quæ sint montana hæc. Aduertendum Græce esse in singulari numero *ὄρη*. Euthymius autem esse putat proprium nomen ciuitatis illius, in qua Elisabeth habitabat, cui expositioni aduersantur verba ipsa: nam sequitur: in ciuitatem Iudæ. Si autem illud esset nomen proprium ciuitatis, dicendum erat, in ciuitatem, quæ vocatur Montana, sicut dictum est supra de Nazareth, aut in Montana ciuitatem Iudæ, ut hoc secundum esset expositio prioris: at non sic dicitur, sed apposita est præpositio (in) quasi aliud sit hoc à priori. Probat hoc ipsum, quod inferius dicitur: In omnia montana diuulgabantur verba hæc: etiam si enim sit in singulari (in omni montana) tamen constat non esse nomen proprium vnus ciuitatis, sed commune loci, seu regionis; pars enim illa Iudæ; quæ montibus plena erat, & in qua multæ ciuitates, seu oppida sita erant, dicebatur, Montana, & in hac inter alias erat ciuitas, in qua erat Elisabeth. Euangelista autem non solum narravit Ciuitatem, sed etiam Regionis qualitatem, ut iter magis commendaret, & ex mysterio factum esse indicaret, erat enim difficile, & arduum, ut esse solet iter, quod per talia loca conficitur. Inquirunt quidam recentiores, an cum sponso Ioseph fuerit profecta, & respondente affirmatiue, quorum responso non est vlla ratio recipienda: si enim cum sponso abiisset, nouisset utique Ioseph mysterium conceptionis, Elisabeth clamante, & ad salutationem Beatæ Virginis dicente: Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? & ipsa Virgine respondente, Magnificat anima mea Dominum, &c. Constat autem ex Euangelio, Ioseph multo post nouisse mysterium, quando voluit dimittere eam, & ab Angelo didicit quod gestum erat. non ergo profecta est cum Ioseph. Credibile autem est pro communi honestate, & decencia, aliquam feminam comitem habuisse viæ, nec solum iter hoc longum suscepisse.

Quæ fuerit hæc montana Iudæ.

Quæ fuerit hæc ciuitas Iudæ.

Maria non habuit Ioseph focium itineris quando abiit in montana.

His accedat, festinatione hac effecisse, ut à locis publicis, & hominum aspectibus cito euaderet, & in domus Elisabeth penetrare se abscöderet. Hoc verbo diuinum esse conceptum Beatæ Virginis Euangelista ostendit: quobus enim temporibus grauidis motus interdicitur, in principio videlicet conceptionis, cum conceptus molli, & tenerrimus est, ac facile à matrice solubilis: atque etiam prope finem, post sextum saltem mensem, quando grauis est fœtus, & pondere suo per motum matris seipsum sua grauitate abrumpit: at conceptus hic diuinus est, qui nec motu matris in principio conceptionis soluitur, quamuis iter longum, & asperum, ac cum festinatione susceptum sit, quod etiam postea confirmatum est, quando vicina etiam partui, iter simile confecit.

In Ciuitatem Iudæ.

COMMENTARIA.

IN regione montana oppida multa sita erant in sorte, seu possessione Tribus Iudæ, in quorum vno habitabat Elisabeth, in quod peruenit Beata Virgo de Galilæa. Quæ autem ciuitas sit hæc, in annotatione require.

ANNOTATIO. CXVI.

Albertus Magnus, & Bonauentura, quibus recentiores quidam consentiunt, ciuitatē hanc existimant esse Hierusalem. quibus si obijcias, eā non ad Iudæam, sed ad Tribum Benjamin pertinere, respondent dictam esse ciuitatem Iudæ, quia Dauid de manu Iebusæorum eam accepit, ut habetur 2. Regum 5. idcirco eius tribui fuit adscripta. Huic sententiæ obstat, quod nunc in Scriptura legimus, Hierusalem eo nomine esse appellatam, nec credibile est Euangelistam nouum nomen inducere voluisse, cum multo potius, & apertius diceret in Hierusalem. Quidam alij affirmant esse Bethleem, eo quod in quodam exemplari Græco se legisse testantur (in ciuitatem Dauid) quæ lectio si vera esset, dubitationi locus non daretur, cum eo nomine Bethleem dictam legamus Ioan. 7. Nonne Scriptura dicit, quia de femine Dauid, & de Castello vbi erat Dauid? Cum vero exemplaria fere omnia & Græca, & Latina habeant (ciuitatem Iudæ) sicque etiam antiqui Doctores interpretentur, nec eo nomine appellata sit Bethleem, non videtur ea significari. Dicendum ergo est Euangelistam non explicuisse in particulari nomen oppidi huius, sed tantum regionem montanam, & vnam quandam ciuitatem illius. Quod si hisce verbis aliqua in particulari significata est, forsitan non improbabiler dici vnum potest. In cuius declarationem annotanda sunt, quæ scribuntur Iosue 21. cum enim

duodecim Tribubus tota terra promissionis diuisa, & dispersita esset, in singulis portionibus Tribuum oppida assignata sunt pro Leuitis, quæ nullam certam seu separatam partem obtinebant, sed per singulas erant diuisi, ut suo ministerio inferirent omnibus; ijs autem, qui erant de Aaron, utpote sacerdotibus, in tribus Tribubus, quæ sibi erant confines, assignata fuerunt tredecim oppida, nempe in Tribu Iudæ, Simeon, & Benjamin, ea de causa, ut sacerdotes essent vicini Templo ædificando in Hierusalem. Inter ciuitates autem de Tribu Iudæ, & Simeon assignatas pro sacerdotibus, prima numerata est Hebron, quæ in monte sita esse ibi narratur; hæc enim erat præcipua pro sacerdotibus. forsitan ergo Euangelista hanc significare voluit, quando dixit in Montana in ciuitatem Iudæ, volens indicare Hebron, quæ in monte sita, vna erat ex ciuitatibus assignatis in Tribu Iudæ pro sacerdotibus, qualis erat Zacharias, Quod si hoc non placet, saltem sic intelligendus est Euangelista, ut significare voluerit tantum, vnam fuisse ciuitatem ex ijs, quæ assignatæ erant pro habitatione Sacerdotum in portione Iudæ. nam aliæ etiam assignatæ sunt pro eisdem in Tribu Simeon, & in Tribu Benjamin. Ex hoc tamen constare potest, non esse Hierusalem, nam hæc non est computata inter tredecim illas assignatas, sicut nec Bethleem.

Et intravit in domum Zachariæ.

COMMENTARIA.

CVM esset Elisabeth cognata Beatæ Virgini, ea familiaritate vsa est, quæ solent homines vti cum cognatis; in eorum enim domos diuertunt etiam non inuitati, hoc etiam Beata Virgo præstitit, & maxime cum Dei instinctu duceretur, & ignara non esset, suam præsentiam, & hospitium magnum commodum allatura ipsi Elisabeth. Domus autem à sexu principali appellata est, nempe à viro, qui erat Zacharias, quamuis non propter eum præcipue venerit.

Cum festinatione.

COMMENTARIA.

Estinanter, & properanter iter conficit, quippe quæ voluntatem Dei exequatur, quem mira quædam ad suam gloriam declarandam hac Mariæ visitatione perfecturum sperabat. stimulabat etiam illam charitas erga proximum, feruensque & ardens desiderium maximæ utilitatis, quam Elisabeth, & Ioanni iam pridem concepto, hoc iter diuina voluntate susceptum allaturum non dubitabat.

Et salutavit Elisabeth.

COMMENTARIA.

Beata Virgo praeuenit ipsam Elisabeth salutatione, hic enim mos communis est, ut qui ad alios accedunt, ipsi primi eos salutent. fecit etiam hoc feruens caritas, & profunda humilitas ipsius Beatæ Virginis, quæ in huiusmodi officijs non permisit se praeueniri. Zachariam autem salutasse non narratur, vel quia absens tunc erat, vel quia prima ei occurrit, disponente sic Deo, Elisabeth, quod certum esse non dubito. Præterea quia mutus & surdus cum adhuc esset, verbis salutari non potuit. quod si postea signis id factum est, ad historiam eorum, quæ narranda erant ab Euangelista, id describere nihil faciebat, idcirco prætermisum est. Quibus autem verbis vsa sit Beata Virgo in salutando, nescimus. Quanta vero salutationis eius fuerit virtus, hoc ex Euangelista didicimus.

Et factum est, ut audiuit salutationem Mariæ Elisabeth.

COMMENTARIA.

Quantæ efficaciam & virtutis saluatio Beatæ Virginis fuerit, ex ijs, quæ per eam Deus effecit, Euangelista describit: Factum est, inquit, audita salutatione Mariæ ad Elisabeth. Verbum illud (factum est) opus insigne, & mirabile, & à consilio, non casu factum indicat. non enim dictum est, ut audiuit salutationem Elisabeth, sed factum est, quasi opus diuina prouidentia dispositum, ac quid excellens, quod ad communes hominum salutationes non fit. quid autem factum sit, statim exponit. perfectiorem explicationem in annotatione perlege.

ANNOTATIO CXVII.

Quantam vim Deus contulerit verbis Mariæ suæ.

Attende salutationem Beatæ Virginis, verbaque ipsa non tantum significatiua, sed etiam effectiua fuisse, velut instrumenta quædam, per quæ diuina Omnipotentis virtus operata est in Ioanne, & Elisabeth, quæ sequentibus verbis narratur. Sicut enim verba hominis, per quos Deus mira operatus est, erant significatiua, & efficaciam, quale fuit illud verbum Iosue 10. Sol contra Gabaonem ne mouearis, & Luna contra vallē Aialon, quod Solem stare fecit Deo operante per hominis verbum. Et sicut verbū Petri Act. 3. Surge, & Ambula, claudum ambulare fecit, fuitque instrumentum virtutis Dei: Et sicut verbum sacerdotis: Ego te absoluo, aut, Ego te baptizo, non tantum significant, sed etiam efficiunt, ita etiam verbum salutationis Beatæ Virginis significatiuum fuit, & effectiuum, per quod Deus & Ioannem purgavit à peccato, & ipsum, & matrem Spiritu sancto ad fidem veram Christi incarnati profitendam, & ad mira prophetanda, impleuit. cum enim Christus Beatæ Virginis Spiritu sancto plenæ, vterum quasi nouus hospes incoletet, voce matris vti voluit loco vocis propriæ, ad salutem efficiendam in Ioanne, & Elisabeth, quod significat Euangelista dicens: Factum est, ut audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, quasi diceret: Saluatio aures Elisabeth exteriores sono vo-

cis attingit, sed intra eam diuina virtus per illas voces operata est. Hæc doctrina ante me tradita est à Cyrillo libro de recta fide, ad Reginas, capite ex Euangelio secundum Lucam, ubi recitatis his verbis, & illis, quæ Elisabeth protulit (Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis) sic inquit: Saluatio sanctæ Virginis Mariæ adhuc secum Iesum ferētis in vtero, mouit Ioannem ad prophetiam quomodo non Deus Christus etiam in vtero Virginis diuino more Baptistam ad prophetiæ virtutem moueret? Hæc Cyrillus; probat enim Christum in vtero Deum esse, quia per matris vocem Ioanni in vtero matris suæ donum prophetiæ infudit. quod enim voce, & salutatione sua Christus effecit, si extra vterum esset, hoc ipsum per matris salutationem effecit. confirmat hoc idem Ambrosius lib. Institut. Virg. c. 7. ubi sic habet: Tanta gratia Mariæ, ut non solum in se Virginitatis gratiam reseruaret, sed etiam ijs, quos viseret, integritatis insigne conferret. Visitauit Ioannem Baptistam, & in vtero matris, priusquam nasceretur exultauit. Ad vocem Mariæ exultauit infantulus, obsecutus, antequam genitus. Nec immerito mansit interger corpore, quem tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiam, & integritatis vnguento Domini mater exercuit. Hæc ille.



Exultauit infans in vtero eius.

COMMENTARIA.

Ecce vnum ex ijs, quæ diuina Christi virtus per matris salutationem effecit, nimirum, ut Ioannes intra vterum exultaret. Sicut enim per os matris locutus est Christus, ita per aures Elisabeth Ioannes persensit. Hoc enim ipsa mater statim explicat. propterea Euangelista non omnia verba refert, reseruans narrationi verborum matris, in quibus adiectum est verbum (in gaudio) quod causam exultationis explicat. gaudium est enim infans in anima, & gaudium præ magnitudine in corpusculum se dilatauit, motuque corporeo matri significauit gaudium, quod mente conceperat. Si gaudium est Ioannes in vtero, necesse est, mente obiectum aliquod gaudij præsensisse: non enim voluntas sine mentis cognitione mouetur. gaudium est autem, quia nouit præsentiam Christi, Virginis, & matris, quam motu exultationis loco vocis significauit, gaudium est etiam donis sibi collatis, purgationis à culpa, prophetiæ, ac gratiæ fidei, ceterarumque virtutum.

ANNOTATIO CXVIII.

An cum Ioannes exultauit in vtero acceperit gratiam, reliquas virtutes, & vsum arbitrij.

Superius in annotatione 23. disputauimus de sanctificatione Ioannis in vtero, propter Augustinum, qui id negabat in Epist. 57. ad Dardanum. Nunc considerandum est, an quando in vtero exultauit, nouerit Saluatorem, donumque prophetiæ acceperit, cum gratia, ceterisque infusus virtutibus, (loquor autem non de solo habitu, sed etiam de actu ipso) ita ut vsum rationis liberique arbitrij acceperit. Fatetur Augustinus hanc exultationem in gaudio fieri non potuisse, nisi operatione Spiritus sancti. Confitetur etiam accelletatum esse vsum rationis & in ventre nouisse Saluatorem, idque ex gratia, seu beneficio singulari. Cum vero Augustinus ipse neget sanctificatum fuisse Ioannem intra vterum, difficile sustineri poterit quod affirmat, nempe habuisse Ioannem donum prophetiæ actuale, vsumque arbitrij; si enim tunc credidit, nouitque Saluatorem, profecto vix potest negari fidem illam viuam fuisse, & consequenter sanctificatum esse. At vero communis Patrum consensus est, non solum in vtero sanctificatum, sicut per baptismum sanctificantur infantes, vsu arbitrij, & rationis carentes; sed etiam nouisse actum Saluatorem, testimoniumque motu exultationis reddidisse, & prophetam ab vtero exstitisse, liberique arbitrij vsum obtinuisse, mutuoque infantes se agnouisse, sicut & matres, quam sententiam communem profecto verbum illud (in gaudio) quod mater ipsa expressit, significat; exultatio enim non solum motum corporis, sed gaudium animæ significat: quod tam vehemens est, ut intra mentem se continere non valēs, ad corpus ipsum etiam se dilatat. hoc autem gaudium nemo non videt esse non posse sine vsu rationis, & mentis notitia. Id ipsum ratio ipsa ex Euangelica historia desumpta comprobat. Si enim mater Elisabeth ad Virginis salutationem, & Christi præsentiam impleta est Spiritu sancto, quomodo non est impletus & filius, qui causa præcipua erat visitationis, à Spiritu sancto suggestus, & ab Angelo insinuat? Hoc etiam ipsa eius mater significauit; Ecce, inquit, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio. Repleta erat mater Spiritu sancto, & prophetabat, & salutante Beata Virgine id effectum erat, non tamen hoc refert Elisabeth, sed in id quod filij erat intendens, quasi per eum ipsa recipiens, exultationis eius meminit. Accedat

his auctoritas communis Patrum. Irenæus lib. 3. cap. 18. de Ioanne loquens, inquit: Cognouit Dominus in vtero, & salutauit exultans. Ambrosius lib. 5. de fide c. 4. Exultatione, inquit, cognouit. Et sermone 63. in vtero prophetasse dicit. Cyrillus etiam, libro de recta fide ad Reginas cap. de Euangelio secundum Lucam, quod paulo ante citauimus, probat Christum in vtero Deum fuisse, quia Ioannem ad prophetandum mouit; solius autem est Dei inspirare prophetas. Cyrillus etiam Hierosolymitanus Catechesi 3. de Ioanne sic inquit; Qui cum gestaretur in vtero, à Spiritu sancto sanctificatus est. erat quidem Ieremias sanctificatus in vtero, sed non prophetauit in vtero; solus Ioannes in vtero existens exultauit in gaudio, & corporeis oculis nihil videns, Spiritu Dominum cognouit. Chrysostomus in homilijs aliquot in Ioannem, homil. 2. Tomo 3. Nouit, inquit, Christum ab infantia, immo in vtero matris nouit, & eum salutauit. Leo ser. 4. in Ephiphanondu natus, inquit Ioannes prophetica exultatione commotus est, quasi etiam intra matris viscera iam clamaret: ecce agnus Dei, hæc ille. Gregorius etiam lib. 3. Moralium c. 5. intra matris, inquit, vterum spiritu prophetiæ repletus est. Accedat his Ecclesiæ auctoritas, quæ hoc ipsum in officio canonico festiuitatis Ioannis confitetur, sic enim inquit. Venter abstruso recubans cubili, senseras regem thalamo manentem. Hinc parens nati meritis vterque abdita pandit. Interrogabit aliquis. An vsus hic arbitrij, & rationis perseuerauerit in Ioanne, an solo illo tempore, quo visitatio facta est, perdurauerit. Non desunt, recentiores, quid id sentiunt, existimantes non permansisse vsum illum rationis in Ioanne, sed recessisse vsque ad tempus, quando cæteris infantibus aduenire solet, sicut spiritus prophetiæ datus alicui non semper perseuerat. Sed contraria est sententia Ambrosij, nempe vsum arbitrij perseuerasse in Ioanne: dicit enim mansisse Beatam Virginem tribus mensibus ad profectum Ioannis; non autem proficere potuisset nisi arbitrio vsus esset, idque ratio ipsa conuincit; si enim ad Saluatoris, & matris Virginis præsentiam vsum recepit arbitrij, cum eadem præsentia perseuerauerit vsque ad eius natiuitatem, profecto etiam perdurauit rationis vsus. Non est etiam verisimile dono, quod habuit in vtero, suis priuatum extra vterum.

Vsus arbitrij an perseuerauerit in Ioanne etiam postquam natus fuit.

C O M M E N T A R I A.

ECce alterum, quod per salutationem Beatæ Virginis virtus Christi existentis in utero effecit: repleuit enim Elisabeth Spiritu sancto, nempe fide, ut agnosceret Salvatorem, & prophetia, ut occulta, & quæ futura erant, mysteria prænunderet; prius tamen impletur filius, postea impletur & mater. reuelato enim Christo Ioanni, reuelatur etiam ipsi Elisabeth, audiuit vocis sonum prior mater, sed vocis virtutem prior recepit filius; uterque tamen à Christo per verbum Virginis, in cuius utero gestabatur. Verbum replendi abundantiam donorum Spiritus significat, quæ Elisabeth sunt infusa:

Et exclamauit voce magna, & dixit.

C O M M E N T A R I A.

Cum repleta esset Spiritu sancto Elisabeth, voce magna clamat, non quod Beata Virgo ad audiendum clamore vocis indigeret, sed quod magna, & admiranda, ac insperata, quæ sibi reuelabantur, erant, & ad quæ propalanda vehementia Spiritus sancti impellebatur, quæque non pro se sola, sed etiam pro filio ad matrem, & ad filium loquebatur. duas ergo, & propriam, & filij personas agens, ad duosque, nempe Christum, & matrem sermonem dirigens, clamat.

Benedicta tu inter mulieres.

C O M M E N T A R I A.

Salutat Elisabeth matrem, & filium: prius quidem matrem, cuius vocem audierat; posterior filium, cuius virtutem senserat. Salutat autem per verbum non optantis, sed asserentis, & confitentis, ac congratulantis: Benedicta, inquit, tu es inter mulieres, talem te credo, & confiteor, tibi quoque toto cordis affectu congratulor, quæ tanto beneficio à Deo affecta es, ut filium Dei Virgo conceperis, qua benedictione cunctas feminas excellis. Nimirum Spiritu sancto reuelante nouerat Elisabeth omnia, quæ facta fuerant Angelo nuntiante, & diuina potentia operante; idcirco Angeli salutatione vsa est, & Beatam Virginem à tanti filij conceptione commendat. hæc enim est benedictio, propter quam maxime prædicat eam super omnes feminas benedictam.

Et benedictus fructus ventris tui.

C O M M E N T A R I A.

CAusa est, explicans, cur benedictam inter mulieres eam confessã fuerit: Benedictus, inquit, fructus ventris tui. ea de causa, o Virgo beata, te benedictam prædico, quia fructum benedictum in tuo ventre concepisti, & portas, benedicta es tu, & benedictus est fructus ventris tui, sed ideo tu benedicta, quia ille benedictus est. Est autem fructus conceptus benedictus, quia filius Dei est, illaque caro de te concepta diuinitate ipsa sanctificata est, ut non homo merus, sed Deus, & homo sit, indeque omnium benedictionum fons, & origo. Particula (&) causalis est, ut alijs in locis Scripturæ vsurpari solet. Fructus autem ventris filij dici solent. Psal. 126. Filij merces fructus ventris. Alludit autem ad prophetiam Psal. 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Apertis verbis sensus totus est. Benedicta mater super cunctas feminas, quæ concepisti filium benedictum super omnes.

A N N O T A T I O. C X I X.

Qua ratione
Christus dicitur
benedictus.

Augustinus Epistola 57. ad Dardanum legit: Beata tu inter mulieres, & beatus fructus ventris tui. Græca tamen magis sonant benedictam, & benedictum, nec est idem vocabulum cum eo, quod inferius dicitur, Beata, quæ creditur. Quod autem ad sensum spectat, Christus ratione humanitatis, secundum quam conceptus erat de Virgine, benedictus dicitur, tum propter se, tum propter nos; propter se quidem, quia humanitas illa summis est beneficijs à Deo affecta, quippe quæ diuinitati est vnica in persona filij Dei, & ab ea, ut à fonte inexhausto omnibus donis, gratijs, ac virtutibus est referta, & cumulata. Ioannis 1. Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Propter nos autem, quia omnis nostra benedictio spiritalis ab ipso, & propter ipsum est. Ephes 1. qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in Christo. & 1. Corinth. 1. Ipse factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Vtrumque autem coniungitur Colos. 1. In ipso, inquit, complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Aduerte autem omnem fructum mulierum fuisse, & esse maledictum, quia omnes in peccato concipimur; solus

Christus benedictus fuit, quia sanctus, & de Spiritu sancto conceptus, quæ benedictio propria, & singularis est Christo: quamuis enim, ut sæpe diximus, Mater Dei fuerit sine peccato concepta, id tamen fuit ex priuilegio, & non ex natura propagationis, merito ergo Elisabeth utramque benedictionem commendat, & admiratur; numquam enim femina extiterat, quæ talem filium conceperet, neque filius vilius femina, qui de Spiritu sancto esset. Vtraque benedictio noua, & singularis erat, nec ante, nec post habitura similem, aut æqualem. Aduerte præterea, dum fructum ventris, Christum appellat, veram Christi carnem, non apparentem tantum, ut Pharisæi blasphemant, de Virgine etiam assumptam, & eiusdem cum ipsa substantiæ, non, ut Valentinus, alijque similes dogmatizarunt, confiteretur, & vere quidem, utpote Spiritu Sancto repleta. Attende etiam Elisabeth vocasse Christum fructum; hoc enim nomine confitebatur Elisabeth, in nostram utilitatem & salutem Christum carnem suscepisse; sicut fructus est in cibum, & nutrimentum, ac utilitatem comedentium. sic enim Isaiæ 7. dictum est: Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et Io. 3. Ut filium suum daret, ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Quorsum Elisabeth fructum ventris Christi appellat.

Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini ad me?

C O M M E N T A R I A.

QUAE matrem, & filium commendauerat, suam nunc indignitatem prædicat, seque indignam confiteretur, quæ à matre Dei visiteretur, & sicut postea filius eius Ioannes, cum Christus ad eum accederet; indignum se vocauit: ecce, inquit, debeo baptizari a te, & tu venis ad me: ita nunc & mater simili utitur confessione. Vnde, inquit, hoc mihi, ut veniat mater eius, qui Dominus meus est, ad me. Illud (Vnde hoc mihi) non est ignorantis, sciebat enim Elisabeth, non proprijs meritis, sed summa Dei benignitate, & largitate se id obtinuisse, sed admirantis est, ac omne meritum ac dignitatem propriam negantis, quasi diceret: Nihil est in me meriti, propter quod debuerim tanto honore affici, sed ex summa, & admirabili Dei beneficentia hoc est. Dominum suum appellat, quia Christus Deus erat, ac Dominus, & ut Angeli verbis conformetur, qui dixerat, Dominus tecum. Perpende quantam confiteretur matrem, ut ea, quæ tantum filium, quantus Ioannes erat, tantoque miraculo conceperat, indignam se censeat, quæ ab illa visiteretur. Matrem autem appellat etiam ante partum, iam enim conceperat filium.

A N N O T A T I O. C X X.

Quare Maria ancilla se nominet, & Elisabeth matrem Domini eam appellet.

Cyprianus lib. 2. contra Iudæos, num. 8. legit, unde hoc mihi contingit? sensum potius secutus quam verba; nam supplendum est illud, aut simile verbum. Interrogabit autem aliquis, cur Beata Virgo se ancillam Domini, Elisabeth autem matrem Domini appellauit? Vtrumque quidem verum est, nam & ancilla, & mater erat, ut ante diximus; sed hæc ratio non satisfacit interrogationi. Si enim vtrumque verum erat, cur Beata Virgo non vocauit se matrem, aut cur Elisabeth non dixit Ancillam? Respondeo. Quando Beata Virgo illud protulit, nondum erat mater, quia nondum conceperat, idcirco ancillam se dixit; at nunc quando visiterat Elisabeth, conceperat filium, ideo ab ea mater

appellatur, ut enim Elisabeth mysterium iam celebratum esse significaret, matrem vocauit, quod non significabat, si ancillam dixisset. Præterea cur se indignam iudicaret, ut ab ea visiteretur, causam proferebat; hæc autem non erat, quia ab ancilla Domini, sed quia à matre Domini visiteretur. Huc accedit quod verba magna, quæ in ore proprio non probantur, in alieno commendantur, iuxta illud Prouerb. 27. Laudet te alienum, & non ostium. Attende maximam fuisse virtutum, excellentiam Beatæ Virginis, tamen Elisabeth hoc in ea significat, eiusque causa se indignam appellat, quod mater Dei erat, quem Dominum vocat, ut magis suam indignitatem confiteatur. Dici-

tur enim Dominus respectu serui ; seruam igitur se fatetur, tantoque indignior, quanto magis esse matrem, & esse Dominum excedit conditionem seruorum . Suum autem dicit, cum sit omnium Domi-

nus, & uehementia, & magnitudine affectus, quo erga eum ferebatur, sicut & Thomas Ioannis 10. Dominus, inquit, meus, & Deus meus .

Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo.

Sententia hæc causa est præcedentis, idque particula (enim) indicat. Est autem sensus: Matrem Domini mei te appellauit: hoc enim ipse effectus ostendit, nimirum; quod mater Domini sis. Ecce, inquit, simul ac vox salutationis tuæ ad aures meas peruenit, infans, qui in utero meo est, præ gaudio exultauit, Domini præsentiam, & eius aduentum sentiens. Illud (in gaudio) Hebraïsmus est, quo casui instrumenti apponitur præpositio. Latine sensus est, præ gaudio, seu gaudij magnitudine exultauit, quodque voce corporis non potuit efficere, quia infans, & in utero clausus erat, id motu, exultationeque corporis significauit, impletumque est uerbum Angeli ad Zachariam, ante pronuntiatum: Spiritu sancto replebitur adhuc ab utero matris suæ. Particula (Ecce) magnitudinem miraculi indicat, & effectus celeritatem, quasi diceret, simul ac facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, infans exultauit. Res profecto admiranda, & præsentia Domini matris efficax argumentum.

A N N O T A T I O. C X X I.

Vnde orta fit Ioannis exultatio in utero matris.

Nouit, Spiritu sancto reuelante Elisabeth, motum Ioannis in utero, fuisse præ gaudio mentis de præsentia matris, ipsiusque Saluatoris conceptio. nam contingit aliquando moueri infantes in utero causis alijs naturalibus, & maxime ad uehementem aliquam matrum turbationem. Quid uero Ioannes præ gaudio illo mentis in utero exultauerit, id mater Elisabeth ex Spiritu sancti reuelatione cognouit, ut tradit Augustinus epistola 57. ad Dardanum. Sicut etiam eo dem Spiritu sancto reuelante, nouit Beatam Virginem concepisse Saluatorem. Diximus paulo superius de hac exultatione, quando uerba Euangelistæ eam narantis exposuimus. Nunc autem dubitatio quædam occurrit explicanda. Causam autem dubitationis adfert particula (enim) indicat namque exultationem infantis proponi ab Elisabeth tamquam causam, & argumentum, cur confessa sit Beatam Virginem matrem esse Domini, quasi argumentum faceret ab effectu: exultauit infans in utero meo: ergo tu es mater Domini mei. Argumentum autem hoc non uidetur efficax: quamuis enim illa exultatio fuerit non sine miraculo, & sine uirtute Dei facta, tamen potuit alijs de causis fieri. Si enim Elisabeth grauida uisitasset aliam feminam quandam in utero habentem, effici potuit, ut ad præsentiam præcursoris infans illius feminæ exultasset, non tamen propterea colligebatur, Elisabeth esse matrem Domini. Sunt pro resolutione aliquot annotanda. Primo, Elisabeth non cognouit ex exultatione infantis Beatam Virginem esse Dei matrem, sed ex Spiritu sancti reuelatione: dictum enim est: Repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit. Secundo: Eadem Spiritu sancti reuelatione cognouit exultationem infantis in utero esse præ gaudio præsentia Saluatoris; & Beatæ Virginis matris eius: nisi enim reuelasset Spiritus sanctus, exultasset quidem infans, tamen non nouisset Elisabeth illum exultasse præ gaudio illo, nec causam intellexisset, sicut nec Rebecca habens in utero Esau, & Iacob colluctantes, agno-

uit inditium esse duorum populorum inuicem aduersantium, nisi Deo reuelante. Tertio: Beata Virgo non indigebat eo argumento ad credendum se esse matrem Domini: crediderat enim iam Angelo nuntianti, ac Deo ipso manifestante nouerat uerbum carnem factum eodem momento, quo ipsa coniecit. Quarto: Sciebat Elisabeth ex eadem Spiritu sancti reuelatione, Beatam Virginem nosse se concepisse Saluatorem, nec indigere probatione, aut argumento ullo ad credendum illud. Itaque enim dixit Elisabeth: Beata quæ credidisti. Ex his coniequitur quinto, Elisabeth non hoc dixisse, ut Beatam Virginem induceret ad firmiter credendum uerbis Angeli, ut affirmat Euthymius dicens, Elisabeth uis uerbis effecisse, ut Beata Virgo Angeli uerbis firmiter crederet. Quod non uidetur dicendum, crediderat enim iam, ut ipsa Elisabeth testatur. Beata, inquit, quæ credidisti, & firmiter crediderat, quippe quæ experta erat se concepisse filium Dei, cuius præsentia illustrabatur super omnes Prophetas, multoque perfectius, quam Ioannes, & Elisabeth. Sexto. Exultatio infantis præ gaudio, & repleto Spiritu sancti facta Elisabeth effectus fuit Christi operantis per uerba salutationis matris suæ, hoc enim confessa est Elisabeth. Ecce, inquit, ut facta est vox salutationis tuæ. &c. Postremo. Non effectus tantum, sed etiam argumentum, & inditium fuerunt, non quidem necessarium, quasi sola exultatio infantis inducere potuisset Elisabeth in agnitionem, sed simul accedente reuelatione Spiritu sancti, qui & lumine infuso, & infantis exultatione significauit illi matræ Dei adesse. Potuit quidem Elisabeth solo lumine nouisse matris Dei præsentiam, sed Spiritus sanctus etiam filij exultatione adiecit. Elisabeth autem profere Beata Virgini factum hoc, non ut eam confirmet in fide, sed ut narret, quod gestum est; & ut causam explicet, cur matrem Dei appellauerit, quæ causa ipsi Beatæ Virginis scienti se esse Dei matrem, sufficientissima erat.

Heretici, falso ex ijs uerbis deducunt solam fidem iustificare.

Quod ad litteram spectat, Græca quædam exemplaria, & quædam manuscripta Latina, legunt in tertia persona, Beata quæ credidit: communis tamé lectio cum Ambrosio est, quæ nos sequimur, ut in secunda persona accipiat, Beata, quæ credidisti. Quod uero ad sensum attinet, Hæretici nostri temporis se validum argumentum habere putant ex his uerbis: Ecce, inquit, Beata prædicatur, quia credidit; sola igitur fides est, quæ iustificat. Ex hoc tamen loco nihil omnino deduci potest ad eorum errorem uia ratione persuadendum, quod multis rationibus constat. Primo quidem non hic de iustificatione à peccato agitur, quando enim Beata Virgo Angeli uerbis fidem adhibuit, iam erat iustificata, & sanctificata, & ab ipso Angelo gratia plena prædicata. non ergo per fidem hanc, quæ post Angeli annuntiantis uerba consecuta est, fuit à peccato iustificata, maxime cum nullum peccatum habuerit. Secundo: Etiam si de iustificatione sermo esset, nihil haberent hæretici contra nos: hæc enim credulitas

non excludit charitatem, spem, humilitatem, ceterasque uirtutes, quas Beata Virgo exercuit, quando dixit, Ecce ancilla Domini. non enim de fide sola, ac mera, sed de perfecta, qualem Beata Virgo exhibuit, sermo est. Tertio. Etiam si de sola fide sermo esset, adhuc nihil deducitur pro hæreticis; immo potius est hoc uerbum contra illos. non enim dictum est, Beata, quia credidisti, sed quæ credidisti, quia perficiuntur, quæ dicta sunt tibi. Si igitur credidisset, & quæ dicta sunt, perfecta non fuissent, sic beata non diceretur. Quarto. Sensus est omnino diuersus ab eo, quem illi somniant: nam beatitudo hæc non significat iustitiam illam, qua homo iustificatur coram Deo, sed prærogatiuam, & excellentiam, quam Beata Virgo à Deo super omnes creaturas obtinuit, quæ quidem nisi credidisset Angelo nuntianti, non obtinisset: non enim filium Dei concepisset, non quod Deus non potuisset sine fide illa carnem de ea assumere, sed quod sic disposuit, ac uoluit. Beata ergo, quæ credidit.

Quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.

C O M M E N T A R I A.

Cur Beatam prædicauerit, causam explicat, quia, inquit, quæ tibi dicta sunt à Domino, complebuntur, & fient. Multa Dominus per Angelum annuntiauit Beatæ Virgini, quorum nonnulla erant tunc impleta; filium enim conceperat Spiritu Sancto superueniente, & uirtute Altissimi obumbrante; quædam alia tunc implenda supererant. nam nondum pepererat, nondum uocatus erat Iesus, nondum in domo Iacob regnauerat, nondum salutem hominum operatus erat, quæ ipso nomine, & regno significabantur, & promittebantur. Hæc perficienda, & complenda erant, quæ omnia ad insignem beatitudinem Virginis faciunt, ut ipsa met in suo cantico confitetur. Illud (à Domino) idem significat, quod nomine Domini, seu ex parte Domini. quæ enim Angelus nuntiauit, non proprio nomine, sed Dei ipsius nomine, & ex ipso, seu ex parte ipsius, ut dici solet, dicta sunt. Admiranda profecto est notitia prophetica, quam Elisabeth à Spiritu Sancto consecuta est. totam enim annuntiationem factam nouit, & intellexit tam quæ facta, quam quæ adhuc futura & perficienda erant, omnemque partem prophetiæ complexa est; ut enim, inquit Gregorius homilia 5. in Ezechielem, Prophetia omne complectitur tempus, præteritum, præsens, & futurum. Elisabeth ergo præterita prophetat: Beata, quæ credidisti; præsentia uerum occulta indicat: mater, inquit Domini mei. futura prænuntiat: perficientur, ait, quæ dicta sunt tibi, ut merito Spiritu Sancto repleta dicta sit. Quod quidem totum nobis ad confirmationem mysterij annuntiat per Angelum efficacissimum est argumentum.

Elisabeth uerba prophetica.

Prophetia omne complectitur tempus.

Et beata quæ credidisti.

C O M M E N T A R I A.

Com mendat fidem Beatæ Virginis, quam Angelo nuntianti adhibuerat. Beata, inquit, quæ credidisti. Miranda profecto fides fuit credere Angelo prænuntianti, Virginem concepturam filium Dei consubstantialem Patri, Spiritu Sancto superueniente, & uirtute Altissimi obumbrante. Est autem quædam tacita incredulitatis sui uiri reprehensio, quasi diceret, credidisti, non ut uir meus Zacharias, qui eidem Angelo multo faciliora nuntianti non credidit, & incredulitatis poenam adhuc mutus, & furdus sustinet. Hoc etiam Elisabeth Spiritu Sancti reuelatione nouit, nimirum Beatam Virginem Angelo nuntianti credidisse.

A N N O T A T I O. C X X I I.

Quod ad litteram spectat, Græca quædam exemplaria, & quædam manuscripta Latina, legunt in tertia persona, Beata quæ credidit: communis tamé lectio cum Ambrosio est, quæ nos sequimur, ut in secunda persona accipiat, Beata, quæ credidisti. Quod uero ad sensum attinet, Hæretici nostri temporis se validum argumentum habere putant ex his uerbis: Ecce, inquit, Beata prædicatur, quia credidit; sola igitur fides est, quæ iustificat. Ex hoc tamen loco nihil omnino deduci potest ad eorum errorem uia ratione persuadendum, quod multis rationibus constat. Primo quidem non hic de iustificatione à peccato agitur, quando enim Beata Virgo Angeli uerbis fidem adhibuit, iam erat iustificata, & sanctificata, & ab ipso Angelo gratia plena prædicata. non ergo per fidem hanc, quæ post Angeli annuntiantis uerba consecuta est, fuit à peccato iustificata, maxime cum nullum peccatum habuerit. Secundo: Etiam si de iustificatione sermo esset, nihil haberent hæretici contra nos: hæc enim credulitas

non excludit charitatem, spem, humilitatem, ceterasque uirtutes, quas Beata Virgo exercuit, quando dixit, Ecce ancilla Domini. non enim de fide sola, ac mera, sed de perfecta, qualem Beata Virgo exhibuit, sermo est. Tertio. Etiam si de sola fide sermo esset, adhuc nihil deducitur pro hæreticis; immo potius est hoc uerbum contra illos. non enim dictum est, Beata, quia credidisti, sed quæ credidisti, quia perficiuntur, quæ dicta sunt tibi. Si igitur credidisset, & quæ dicta sunt, perfecta non fuissent, sic beata non diceretur. Quarto. Sensus est omnino diuersus ab eo, quem illi somniant: nam beatitudo hæc non significat iustitiam illam, qua homo iustificatur coram Deo, sed prærogatiuam, & excellentiam, quam Beata Virgo à Deo super omnes creaturas obtinuit, quæ quidem nisi credidisset Angelo nuntianti, non obtinisset: non enim filium Dei concepisset, non quod Deus non potuisset sine fide illa carnem de ea assumere, sed quod sic disposuit, ac uoluit. Beata ergo, quæ credidit.

Quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.

C O M M E N T A R I A.

Cur Beatam prædicauerit, causam explicat, quia, inquit, quæ tibi dicta sunt à Domino, complebuntur, & fient. Multa Dominus per Angelum annuntiauit Beatæ Virgini, quorum nonnulla erant tunc impleta; filium enim conceperat Spiritu Sancto superueniente, & uirtute Altissimi obumbrante; quædam alia tunc implenda supererant. nam nondum pepererat, nondum uocatus erat Iesus, nondum in domo Iacob regnauerat, nondum salutem hominum operatus erat, quæ ipso nomine, & regno significabantur, & promittebantur. Hæc perficienda, & complenda erant, quæ omnia ad insignem beatitudinem Virginis faciunt, ut ipsa met in suo cantico confitetur. Illud (à Domino) idem significat, quod nomine Domini, seu ex parte Domini. quæ enim Angelus nuntiauit, non proprio nomine, sed Dei ipsius nomine, & ex ipso, seu ex parte ipsius, ut dici solet, dicta sunt. Admiranda profecto est notitia prophetica, quam Elisabeth à Spiritu Sancto consecuta est. totam enim annuntiationem factam nouit, & intellexit tam quæ facta, quam quæ adhuc futura & perficienda erant, omnemque partem prophetiæ complexa est; ut enim, inquit Gregorius homilia 5. in Ezechielem, Prophetia omne complectitur tempus, præteritum, præsens, & futurum. Elisabeth ergo præterita prophetat: Beata, quæ credidisti; præsentia uerum occulta indicat: mater, inquit Domini mei. futura prænuntiat: perficientur, ait, quæ dicta sunt tibi, ut merito Spiritu Sancto repleta dicta sit. Quod quidem totum nobis ad confirmationem mysterij annuntiat per Angelum efficacissimum est argumentum.

Elisabeth uerba prophetica.

Prophetia omne complectitur tempus.

A N N O T A T I O C X X I I I .

Superiora verba expendantur.

QVI verba praecedentia in tertia persona legunt, consequenter etiam legunt haec, Quoniam pertinetur ea, quae dicta sunt ei a Domino. Vti autem diximus, lectio legitima est in secunda persona. Illud autem (a Domino) quidam coniungunt verbo (perficientur) quasi Dominus sit, qui ea perfecturus sit; conuenientius autem connectitur cum verbo (dicta sunt) non quod a Domino immediate dicta sint, sed vti in commentario diximus, idem significat quod, dicta sunt nomine Domini. Verbum autem (perficientur) indicat integrum complementum omnium promissionum factarum, ac certitudinem earum. Numer. 23. Non est Deus, quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur, dixit, & non faciet; locutus est, & non implebit. Lucae 21. Caelum, & terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt. Aduerte autem Elisabeth Spiritu Sancto repletam, seu potius Spiritum Sanctum per Elisabeth omnia confirmasse, quae Angelus Beatae Virgini nuntiauerat, seu Dominus per Angelum significauerat: nam Angelus primo loco eam salutauerat,

Elisabeth confirmat eadem prorsus quae Angelus nuntiauit Mariae.

benedictam in mulieribus praedicando: hoc idem Elisabeth repetijt. Secundo. Angelus conceptionem prae-nuntiauit; Elisabeth eam conceperat, confitetur: Benedictus, inquit, fructus ventris tui, & Mater Domini mei veniat ad me. Angelus dixit, Paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, & dabit illi Deus se dem. Haec omnia Elisabeth perficienda nuntiat. Postremo. Beata Virgo creditit, & consensit, hoc Elisabeth praedicat dicens; Beata quae credidisti, quae omnia facta sunt, vt veritas tanti mysterij confirmaretur magis, & Beata Virgo tantum testimonium audiens in ea fide, quam adhibuit, nouo gaudio perfrueretur. mirum enim in modum se credidisse gaudia est, quando rei, quam crediderat, tantum argumentum audiuit, eiusque fidei adminiculum fuit quoddam non quidem necessariu ad fidem, cum perfecte credidisset, sed ad fructum abundantiore fidei, & gaudium in Spiritu sancto, vt ex Cantico eius deducitur. atque haec est vna causa, cur Spiritus sanctus eam ad visitandam Elisabeth excitauit, Angelo id insinuante, vti diximus supra.

Et ait Maria.

C O M M E N T A R I A .

Elisabeth repleta Spiritu Sancto clamare dicitur, Beata autem Virgo simplici- ter dixisse refertur, ne tunc primum, quando haec proferebat, repleri Spiritu Sancto crederetur. ait igitur Maria, sed tamen illo Spiritu Sancto, quo iam plena erat, excitante, & Dei filio, quo erat foecunda, dictante. Admirandum profecto colloquium Spiritus Sancti, per Elisabeth sterilem, ac foecundam exclamantis, & verbi incarnati per Virginem, & Matrem respondentis, inuicem laudantium, inuicem prophetantium. Beata igitur Virgo Dei beneficia & propria, & communia commemorat, sua scilicet, & populi, tam ea, quae ante aduentum Christi facta sunt, quam quae in ipso aduentu. quo quidem se ad Dei ipsius laudem excitat, ac audientis Elisabeth animum ad eiusdem Dei magnitudinem, & bonitatem contemplan- dam euahit. In prima ergo parte Cantici a proprijs beneficijs acceptis exordians ait.

Magnificat anima mea Dominum.

C O M M E N T A R I A .

Experta erat Beata Virgo incomprehensibilem Dei virtutem, ac eius ineffabilem bonitatem. Virtutem quidem, quia Deum hominem fieri, & de femina Virgine concipi, solius omnipotentis est opus; Bonitatem vero, quia ad hoc tam admirabile opus, eam inter omnes Adae filias eligere, singularis gratiae, & bonitatis diuinae fuit. Horum primum contemplans, Dei magnitudinem confitetur. secundum considerans, in eius benignitate exultat. illud eximiae fidei, hoc ardentissimae dilectionis efficacissimum est argumentum. Magnificat anima mea Dominum. Confiteor, & palam praedico ineffabilem Dei virtutem, ac magnitudinem, quam ex ipso opere in me facto experta sum. Magna in me agnosco, sed ea non in me, sed in Dominum, qui magnus est, & ea fecit, refero. Verba haec sunt credentis, laudantis, & gratias agentis. Notanda sunt singula. Magnificat, inquit, non quod magnum faciat, sed quod eius magnitudinem confiteatur. Vt autem hanc confessionem non ore solo, sed etiam intimis praecordijs fieri indicaret, anima, inquit, mea, quasi diceret, quod ore profero, tota mente confirmo. Vsa est etiam hoc verbo ad significandam Dei magnitudinem, quam os exprimere non potest; plus enim anima cogitatione assequi, quam os voce exprimere valet. Mater autem cum esset, filium appel- lat

lat Dominum, vt respondeat ipsi Elisabeth, quae eam matrem Domini vocauerat, & vt suam retineat ac. praeseruat humilitatem, quae se ancillam Domini exhibuerat, & demum, vt personam indicet Patris, cui virtus, & potentia, qua fuerat obumbrata, tribuitur.

A N N O T A T I O C X X I V .

Deipara Deo refert quae accepit dona.

Familia est ijs, qui humilitatis virtute praediti sunt, quando laudari se sentiunt, laudum causam subtrahere, aut propriam occultando excellentiam, si possunt, aut in Deum, quae in se sunt laude digna, referendo, si illud facere nequeunt. Magna profecto encomia a Beata Elisabeth audierat sacra Virgo, quorum causas occultare nec suum erat, nec debebat. non quidem suum erat, quia illa Spiritu Sancto repleta loquebatur, non autem debebat, quia quae ad fidei testimonium, & Dei gloriam confirmandam spectant, quando temporis occasio, & personarum ratio postulat, silentio non sunt inuoluenda, etiam si ad laudem propriam faciant, dummodo ex illorum manifestatione gloria propria non quaeratur: nam & Christus se Dei filium palam confiteri non recusabat, qui gloriam propriam non quaerens, sciebat vitam aeternam in eo positam, vt agnoscerent homines verum Deum, & quem misit Iesum Christum. Cum igitur Beata Virgo tantum mysterium occultari non debere animaduertisset, ob suam humilitatem alteram partem elegit, nempe totum, quod in se laude dignum erat, in Deum auctorem referre. Magnificat, inquit, anima mea Dominum, quasi diceret. Confiteor me magna habere, & matrem Domini esse, sed hoc non mihi tribuo, sed in eum refero, qui magnus est, & a quo magna haec profecta sunt. Aduerte pro huius sententiae maiori declaratione, posse quempiam alterum duobus modis magnificare; Verbis videlicet, & factis. Verbis quidem, quando alterius excellentia praedicatur, siue id fiat verbis, aut signis exterioribus, siue interioribus cordis; magna enim sentire, aut enunciare de aliquo, est ipsum verbis magnificare; factis autem, quando alicui ea conferuntur, quae eum magnum, & commendabilem faciunt, vt idem sit magnificare, ac magnum facere. Inuenimus autem Deum magnificari ab homine, & hominem magnificari a Deo, hominem denique magnificari ab homine, cum discrimine tamen: na Deum magnificat hominem, eum magnu faciendos; confert enim homini ea, quae eum magnum, & spectabilem, & coram ipso Deo, & coram caeteris hominibus efficiunt. 1. Paralipom. 29. Magnificauit Dominus Salomonem super omne Israel, & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum Rex Israel. Rom. 8. Quos autem sanctificauit, hos & magnificauit. Homo autem Deum magnificat, non quidem eum magnum faciendo, nihil enim homo Deo conferre potest, quo maior fiat, sed magnificat laudando, praedicando magnitudinem, quae in illo est, caeterisque hominibus annuntiando, & declarando. Ps. 33. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum. Rom. 15. Magnificate eum omnes populi. Homo autem hominem vtroque modo magnificat, & laudando, & praedicando magnitudinem alterius. Act. 5. Magnificabat eos populus. Ecclesiast. 10. Non magnifices virum peccatorem diuitem. Atque etiam magna conferendo 1. Machab. 10. Misit Demetrius Epistolam verbis

Et verbis & factis Deum magnificamus.

Deus quomodo hominem magnificet.

pacificis ad Ionatham, vt magnificaret eum, id est, contulit magnam potestatem ei. Hoc igitur in loco homo Deum magnificat, nempe Beata Virgo magnificat Dominum, Dominus quidem prius ipsam magnificauerat, magna ei dona conferendo, de quibus ipsa dicit. Quia fecit mihi magna, qui potens est. postea vero illa magnificat Dominum, praedicando eum auctorem magnitudinis, sibi ab eo collatae. Magnificatur etiam Deus ab homine corde, ore, & opere. Corde quidem, quando mente, & affectu ipsius immentam magnitudinem, perfectionem, & excellentiam contemplamur, recognoscimus, & veneramur. Voce, quando verbo, aut signo exteriori praedicamus, & pronuntiamus. Opere vero, quando studiosis operibus ipsi inferuimus, bona enim opera nostra voces sunt, quibus alijs declaramus Dei nostri sanctitatem, & magnitudinem iuxta illud Matt. 5. Vt videntes opera vestra bona, glorificent patrem vestrum, qui in caelis est. Beata ergo Virgo corde & voce Deum magnificat, dum anima haec exhibet; etiam magnificat opere; haec enim magnificatio opus quoddam est in signe dilectionis, religionis, & humilitatis. Est igitur perfecta magnificatio, quam homo Deo exhibere potest. Aduerte autem neminem praeter Christum ipsum, ita vere ac perfecte dicere potuisse, aut posse, (anima mea) sicut Beata Virgo, idque propter tria maxime. Primo quidem integram suae voluntatis habebat potestatem: si enim verum est, vt re vera est, hominem eius esse quodammodo seruum, cui extra modum afficitur, est enim auarus seruus pecuniae, & carnalis seruus voluptatis, caeterique similes serui sunt eorum, in quibus male collocant affectum, nemoque est, qui vel passionibus proprijs modo aliquo non subijciat aut affectum, vel leuiter saltem male collocet, consequitur neminem dicere posse perfecte, animam suam esse suam, cum pars eius sit cui inferuit, si multum, multum, si parum, parum, cum nemo sine peccato, aut sine passionibus intemperatis viuat. Beata igitur Virgo, quae ab omni peccato, & inordinato affectu libera omnino erat, nullique rei creatae vilo modo seruiebat, ipsa potuit perfecte dicere (anima mea) Secundo. Quia cum ipsa omni ex parte Deo placeret, tota anima illi inferuaret, procul dubio animam suam Deo ipsi integram tradiderat. cum igitur Deum animae suae filium habuerit, quae filij erant, ipsius etiam erant, vnde anima eius filio tradita, in eius potestatem integra reuertebatur, perfecteque dicit, anima mea, tota enim ipseus erat, quae tota a filio, quantum ad omnes eius partes possidebatur. Tertio propter affectum dilectionis; quo enim Deum aliquis magis diligit, eo magis diligit animam suam. Cum igitur Beata Virgo Deum maxime super omnes homines dilexerit, nullumque peccatum commiserit, suam profecto animam maxime diligebat. Quod autem diligimus, pra dilectione nostrum appellamus. quae igitur animam suam sic dilexit, eam vere suam vocauit.

Magnificamus Deum corde, voce, & opere.

Nemo ve Deipara, dicere potuit anima mea.

Et exultat

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

COMMENTARIA.

Civus commendauerat potentiam, eius nunc bonitatem in ea exultando manifestat: exultavi, inquit, in Deo Salvatore, id est, Verbo carne de meis visceribus accepta pro omnium salute induto. Hæc est illa inenarrabilis lætitia, & exultatio, qua perfusa est in filij conceptione, quando Verbum caro factum est. Deum Salvatore appellat filium Dei factum hominem ad nos saluandos. Suum autem, quia de ipsius substantia carne vestitus, ipsiusque filius factus erat. Illud (salutari meo) Græce est Salvatore meo, apud Hebræos, Iesu meo. Sumptum enim videtur hoc ex illo Abac. 3. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Quamvis non eodem sensu vterque verbum pronuntiauit. Abacuc enim suum Salvatorem appellabat, quia de eius gente carnem erat sumpturus: at Beata Virgo, quia de suis visceribus proprijs carnem iam acceperat; ideoque vsa est præteriti temporis verbo, exultavit, quia Verbum iam conceperat, quando hic loquebatur. Spiritus autem, inquit, meus exultavit, quia gaudium hoc à plenitudine Spiritus sancti, qua repleta erat, procedebat, vt in annotatione perfectius explicabitur. Angeli, qui Deo fruuntur, vt inquit Augustinus, in expositione huius Cantici, hæc duo præstant, nimirum contemplantur maiestatem, & eius dulcedine, ac bonitate delectantur.

ANNOTATIO. CXXV.

Quo differant anima & Spiritus.

Tria sunt, quæ difficultatem faciunt. Primum. Quod sit discrimen inter animam, & spiritum. deinde. Cur B. Virgo anima magnificare, spiritu autem exultare se dicat. demum, quid sit exultare in Deo salutari suo. Quod ad primum spectat, recte Augustinus in huius cantici expositione dicit, in homine animam & spiritum non re ipsa, sed sola ratione differre; eadem enim res est, anima dicitur, quia corpus viuificat; spiritus autem, quia in se substantia quadam spiritualis est, per se habens esse, etiam à corpore separata. iuxta quam significationem dictum est, 1. Corinth. 15. Factus est homo in animam viuificantem. & Lucæ 23. In manus tuas commendo spiritum meum. hinc est vt vegetare, & sentire ad animam, vti vero ratione, & contemplari ad spiritum referamus. In hac significatione hæc duo non accipiuntur in præsentem. Habent autem hæc in scriptura peculiarem aliam quandam significationem. Anima enim dicitur, quæ in his, quæ terrena sunt, & naturalia, occupatur, etiam si ratione, & discursu vtatur; Spiritus vero quatenus gratia perficitur, & ijs, quæ Dei sunt, attendit, & incumbit. quam significationem animaduertens Paulus Hebr. 4. dixit: Viuus est sermo Dei, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus. Fit autem diuisio animæ, & spiritus, quando ita viuunt homo secundum carnem, vt ea, quæ Dei sunt perfecte exequatur, & ijs, quæ

caro aduersus Deum concupiscit, resistat. Eandem significationem Paulus prosequens 1. Corint. 3. dixit: Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus. Animalem appellat eum, qui ijs quæ ad corpus, & mundum spectant, totus incumbit, quæ Dei sunt, oblitus: anima ergo quantum ad naturalia, spiritus, quantum ad ea, quæ gratiæ sunt, dicitur. Hanc significationem nunc Beata Virgo secuta est, & anima Dei magnitudinem confitetur, & spiritu in Verbo incarnato exultat. Occurrit statim secunda difficultas. Quare anima magnificat, & spiritu exultat? Respondeo quia tunc magnitudo Dei, virtusque ipsius magis agnoscitur, cum naturæ humanæ imbecillitas consideratur. Animaduertebar enim Beata Virgo, quæ propriæ naturæ erant, & tunc immensam potentiam Dei, quæ tam admirabile opus in ea effecerat, apprehendens dicebat: Magnificat anima mea Dominum. At dum se Spiritus sancti gratia plenam contemplantur, & per hanc Filium Dei concepisse cognoscebat, eius spiritus exultabat, & gaudebat. Ex ijs tertiæ difficultati satisfacere facile est. Exultat in Deo salutari suo, quia quod Deum concepisset, qui ad saluandum venerat, gaudij materiam ministrabat; exultabat & in aduentu Saluatoris, & in eo, quod venientem conceperat. Est autem verbum exultandi, vti alias diximus, gaudij concepti magnitudinem, & vehementiam exprimens.

Qua ratione anima magnificet, & Spiritus exulet.

Quia respexit humilitatem ancilla sua

COMMENTARIA.

Causam, cur Dominum magnificet, & exultet, adiungit, quia, inquit, paruitatem, & vilitatem meam non est auersatus; sed an abiectionis conditionis fauoribus, & beneficijs admirandis est profecutus, quibus etiam in Deo potentiam & virtutem ostendit, & spiritus meus causam exultationis habuit. Antithesis quædam est verborum. Magnificat anima mea Dominum, & humilitatem respexit meam: tanto enim magis Dei potentia elucet, quanto abiectionis, & inferior est persona, quæ sublimatur, & euehitur. Humilitatis eximie, & religionis singularis fuit Virgini Beatæ

Beatæ, suam paruitatem considerare, & confiteri, vt in ea etiam confessione Deus exaltaretur, & eius gloria manifestaretur. Considerauit Beata Virgo exiguitatem naturæ suæ, quia homo erat; sexus etiam, quia femina, conditionis, quia pauper, & humanis opibus, & fauoribus destituta, vt eo magis diuina virtus, & bonitas elucesceret, quæ talem in tantam gloriam extulit, vt esset digna Dei mater: ancillam autem se appellat, quia loquitur de tempore, quando nondum erat mater Dei, hæc enim fuit virtus summa, & bonitas Domini, ex ancilla matrem, & ex abiectione, & parua, beatam super omnes creaturas effecisse. Cætera in annotatione perlege.

ANNOTATIO. CXXVI.

Deus tribus modis respicere dicitur.

In sacra Scriptura, vt recte annotat Augustinus in expositione huius Cantici, Deus tripliciter respicere dicitur, nimirum secundum contemplationem, gratiam, & iudicium. Respicit enim Deus omnia, quia omnia cognoscit, nihilque cum latet. Psal. 112. Humilia respicit in celo, & in terra. Respicit etiam quando fauet, & beneficio profequitur, & complacet sibi in aliquo. Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem non respexit. Exodi. 2. Respexit Dominus filios Israel. Respicit demum quando castigat, & punit. Abac. 1. Quare non respicis ad iniquitatem Psal. 103. Qui respicit terram, & facit eam tremere. Hoc in loco vsurpatur in secunda significatione. Respexit enim Dominus eam, quia complacuit sibi in ea, quia summis eam est profecutus beneficijs, & ab humilitate, & paruitate in summam gloriam eam euexit. Respicit ergo Deus, siue quando consolatur, siue quando complacet in aliquo, siue quando beneficijs profequitur, metaphora sumpta ab ijs, qui auertunt oculos ab ijs, quæ sibi displicent. Quid autem per humilitatem intelligendum sit, non ita facile est iudicare, non enim antiqui Doctores in eius verbi significatione conueniunt. In cuius rei explanatione aduertendum, hoc verbum Latinum Humilitatis tripliciter in Scriptura vsurpari. Primo quidem significat abiectionem, depressionem, paruitatem, & vilem conditionem. Deuteron. 26. dixerunt Iudæi in Aegypto: Respexit Dominus humilitatem nostram, & laborem, & angustiam. Iacobi 1. Glorietur diues in humilitate sua, quia sicut flos feni pertransibit. Sunt enim verba dicta per Ironiam. Philippen. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ. Prou. 29. Superbum sequitur humilitas, humilem spiritu suscipiet gloria. Secundo significat afflictionem, seu tribulationem. Psal. 24. Vide humilitatem meam, & laborem meum. Eccl. 20. In humilitate patientiam habet. Tertio. Significat animi virtutem, quæ opponitur superbiæ, & elationi. Ephes. 4. Ambuletis in omni humilitate, & mansuetudine. Philip. 2. Nihil per contentionem, neque inanem gloriam, sed in omni humilitate. Coloss. 3. Induite viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem. Dixi autem hoc verbum Latinum, nam Græcum ei respondens non sic se habet: quando enim in prima, & secunda significatione accipitur, nomen est ταπεινωσις, at quando pro virtute animi, frequentissimum est ταπεινοφροσυνη, vt in locis allegatis pro tertia significatione habetur, vixque nomen ταπεινωσις pro animi virtute opposita elationi accipitur, sed pro abiectione, paruitate, aut afflictione. His igitur sic suppositis, quidam hanc

Quid humilitas hoc loco significet.

humilitatem eam interpretantur; quæ est virtus animi, in qua Beata Virgo supra omnes Sanctos eminebat. Huius sententiæ sunt, Origenes hom. 8. in Lucam, Augustinus in expositione huius Cantici, & ferm. 2. de Assumptione Beatæ Virginis; Beda in huius loci commentario, & Bernardus sermo. 42. & 45. in Cantica. Hæc enim humilitatis virtute gratissima fuit Beata Virgo Deo, & per eam effecta est digna, vt Dei Filium conciperet, vt supra dictum est. Quidam alij humilitatem hanc intelligunt paruitatem, & depressam conditionem, seu vilem, qualis est homo Deo comparatus, & quales sunt homines pauperes, & contemptibiles mundo. Hanc expositionem sequuntur Theophylactus, & Euthymius, quibus nonnulli recentiores consentiunt, & mihi accommodatior visa est, propter eas rationes, quas proponam. Primo quidem, quia vix in scriptura Græcum vocabulum, quo Euangelista est vsus, ταπεινωσις, pro virtute animi accipitur, sed in prima, aut secunda significatione, vt diximus. Secundo, quia hæc sententia causa est illius, Magnificat anima mea Dominum, cui magis cohæret ista significatio; nam magnitudo Dei non virtuti, sed paruitati, & depressæ nostræ conditioni opponitur, tantoque ipse magis suam ostendit virtutem ac potentiam, quanto magis paruos, & abiectiones euehit. Tertio, quia ipsa humilitatis virtus, qua Beata Virgo prædita erat, accepta fuit ab ipso Deo, & in ipsum referenda erat, & propter eam Beata Virgo Dominum magnificabat, sicut etiam propter alia multa beneficia accepta. Quarto, quia cum his verbis Dominum magnificaret, & eius potentiam, bonitatemque ac gratiam commendare intenderet, non debuit humilitatis huius meminisse, quasi ob eam fuerit à Deo respecta, cum, & humilitatem, & omnem virtutem, & excellentiam haberet, quia respecta est à Deo. Adde, quæ tanta humilitatis virtute pollebat, non est probabile eam commendare voluisse suam virtutem, sed potius suam confiteri indignitatem ac paruitatem; quod quidem magis humilitatis virtuti conuenit. id quod illud verbum adiunctum comprobatur (ancillæ suæ) hoc enim ad paruitatem pertinet, non ad virtutem animi: humilem ergo se exhibuit, non quidem virtutem humilitatis verbis profitendo, sed vilitatem suam & abiectionem confitendo, qua se abiectionem, & ancillam prædicabat. Simile locutionis genus in Scriptura reperitur Iudith. 6. Intuere Domine superbiam eorum, & respice humilitatem nostram, id est, abiectionem & imbecillitatem. & Gen. 29. Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.

Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.

COMMENTARIA.

Particula (enim) causam indicat, & hanc sententiam cum præcedentibus connectit. Diceret enim aliquis, cur magnificas Deum, & exultas in eo, quia respexit

spexit te . causam explicans, inquit : Quia ex hoc , scilicet tempore, quo me respexit Deus , beatam me dicent omnes generationes : magna ergo mihi causa magnificandi Deum , & exultandi in eo est , quod me respexerit , quia effectum est , vt tantis me cumulauerit beneficijs , & tam singularibus donis me sit profecutus , vt cum humilis , & abiecta ancilla fuerim , omnibus sim anteposenda generationibus ; prædicabunt enim me omnes beatam , & felicem , quia non solum beatam , & felicem me fecit Deus , sed omnium beatissimam ; agnoscent enim omnes me maioribus affectam bonis ac muneribus diuinis , ideo omnes beatam me dicent , ac confitebuntur . Illud (ecce) positum est propter duo . Primum vt magnitudinem virtutis Dei commendaret , quasi diceret : Pende incomprehensibilem Dei potentiam , quantoque iure Deum magnificem , quia cum humilis ancilla essem , in eam me euexit dignitatem , vt omnibus anteponar . Deinde , vt verbo Elisabeth responderet , hoc enim dixerat (beata , quæ credidisti) at Beata Virgo in causam altiorem beatitudinem refert , quasi diceret : ò Elisabeth non quia credidi beata sum , quasi ea sit causa præcipua , ecce prior , & maior causa , quia nempe respexit me Dominus , fiet enim , vt posthac non tu sola beatam me dicas , sed omnes venturæ generationes . Prophetat Beata Virgo repleta Spiritu sancto , quo excitante , & inspirante Dei beneficia accepta commendat , quod non est laudem propriam quærere , sed Dei auctoris beneficam potentiam commendare . omnes cum audis generationes , non ad singulos homines referas , sed ad credentes in Christum , quorum ore perpetuo beata prædicatur & in cælo , & in terra , vt annotauit Origenes hom. 8. & Euthymius .

A N N O T A T I O C X X V I I .

Quid verbum
(ex hoc) si-
gnificet .

Illud (ex hoc) Albertus Magnus ad humilitatis merito refert , quasi dicat , ex hoc meæ humilitatis merito fiet , vt me beatam prædicent omnes generationes . Hæc autem expositio legitimo sensui , quem secuti sumus , aduersatur ; non enim Beata Virgo in opus aliquod suum , sed in magnitudinem virtutis , & bonitatis Dei refert suam exaltationem . Accommodatius Augustinus serm. 2. de Assumptione Beatæ Virginitatis , & in expositione huius Cantici , & Beda referunt ad verbum præcedens : Quia respexit Deus humilitatem meam . ex hoc beatam me dicent omnes generationes . Et reuera Beata Virgo in hoc referebat beatitudinem hanc , quia à Deo respecta est . quantum tamen ad litteram , non refertur illud (ex hoc) ad verbum , sed ad tempus , vt sit sensus , posthac , de cætero , seu , ex hoc tempore quo me respexit Deus , prædicabor beata ; significans non fidei , aut virtuti vlli suæ tribuendam esse exaltationem , sed Deo ipsi , qui potenter , gratis & benigne eam respexit . quem sensum verbum Græcum confirmat ; additum enim est (ex hoc nunc) id est ex hoc tempore præsentis *τὸ νῦν* , quo enim tempore fides in Christum incepit , Beata Virgo beata est prædicata , nam

& Elisabeth beatam acclamauit , & mulier illa , quæ Lucæ 11. extollens vocem dixit , Beatus venter , qui te portauit , & vbera , quæ suxisti . id quod in Euangelio omnes credentes implent . Hanc sententiam a Beata Virgine spiritu prophetico pronūciatam affirmat Basilius Isai. 8. illud verbum (accessi ad prophetissam) de Beata Virgine interpretans , quam etiam interpretationem secuti sunt Cyrillus in eodē loco , & Epiphanius hæresi 78. Verba autem Basilius sunt hæc : Quod Maria prophetissa fuerit , ad quam proxime accessit Isaias per prænotionem spiritus , nemo contradixerit , qui sit memor verborum Mariæ , quæ prophetico afflata spiritu elocuta est . Quid enim ait , Magnificat anima mea Dominum . Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo . Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes . Quod si animum accō modaueris vniuersis eius verbis , non vtrique per dissidium negaueris eam fuisse prophetissam , quod Domini spiritus in eam superuenerit , & virtus Altissimi obumbrauerit ei . Hæc Basilius . Cur autem beata dicta sit & vere fuerit , ipsamet sequenti sententia enarrat , & explicat .

Quia fecit mihi magna qui potens est , & sanctum nomen eius .

C O M M E N T A R I A .

Particula (quia) causam indicat cur sit beata prædicanda ab omnibus generationibus , quia , inquit , magna in me operatus est ille , qui potens est , & cuius nomen sanctum est . Græce est , magna fecit mihi ille potens . Illud autem (nomen sanctum eius) Hebraismus est . Psalmo 10. Dominus in cælo sedes eius , id est , cuius sedes est in cælo . ita nunc dicitur : Fecit mihi magna , qui potens est , & nomen sanctum eius , id est , cuius nomen sanctum est . Quibus verbis Beata Virgo significat duplicia beneficia magna se accepisse a Deo super omnes homines , propter quæ beata ab omnibus erat prædicanda . Priora quidem fuerunt beneficia potentiae , & virtutis Dei ; concepit enim non hominem merum , sed filium Dei , effectaque est femi-

Quibus bene-
ficijs Maria cu-
mulata sit à
Deo potenti
& Deo Sæcto.

femina mater filij Dei sine opera viri , Virginitate permanēte , in eā elata dignitatē , vt omniū cælestiū , & terrestriū sit facta Regina , & domina . Hæc opera sunt diuinæ potentiae , & propterea dicit : Fecit mihi magna ille potēs , siue qui potēs est . Posteriora sunt beneficia sãctitatis , & bonitatis : repleta enim est Spiritus sãcti gratijs , & omni benedictione spiritali benedicta , & sanctificata , vt nullius peccati macula vnquã infecta fuerit , & in eum sãctitatis gradum sit promotã , & euecta , quo nullus vnquã homo perueniet , imo omnes etiam Angelici spiritus longe sint inferiores . Hæc beneficia sunt sãctitatis , & bonitatis , de quibus dicit . Fecit mihi magna is , cuius nomen sanctum est . Propter hæc igitur , inquit , vere omnes generationes me beatam confitebuntur , & prædicabunt , non enim fecit taliter omni nationi : merito ergo magnificat anima mea Dominum , & spiritus meus exultauit in Deo salutari meo . Aduertendum autem est , non dixisse , qui potens est , & qui sanctus est , sed cuius nomen sanctum est , vt significaret personam Spiritus sancti , cui tribuitur effectus sãctitatis , & sanctus per quandam appropriationem appellatur . nam Beata Virgo his duobus verbis alludit ad duo verba illa Angeli . Virtus Altissimi obumbrabit tibi , & , Spiritus sanctus superueniet in te . Propter illud dixit (fecit mihi magna qui potens est) propter hoc vero (& nomen sanctum eius) quasi a posterioribus verbis diceremus . Quia obumbravit me virtus Altissimi , & Spiritus sanctus superuenit in me , beatam me dicent omnes ; illa enim duo me talem fecerunt .

Quare Maria
dixit , cuius
nomen San-
ctum est .

A N N O T A T I O C X X V I I I .

Quod ad connexionem huius sententiæ spectat , Beda eam ad primam illam refert , nimirum , Magnificat anima mea Dominum , quia fecit mihi magna , & c. quod quidem verum est , si tamen fateamur immediate referri ad præcedentem , nempe Beatam me dicent , quia magna mihi fecit : sunt enim causæ in his sententijs contentæ , inuicem subordinatæ , scilicet , Magnificat anima mea Dominum , quia respexit humilitatem meam , quia hinc factum est , vt beata sim , & prædicer , beata autem , quia fecit mihi magna qui potens est . Referuntur ergo omnia ad illam sententiam , Magnificat anima mea Dominum , sed ordine quodam . Illud autem (& sanctum nomen eius) recentiores quidam ad sententiam sequentem referunt , & disungunt ab illa : Fecit mihi magna qui potens est , quasi incipiat Beata Virgo commendare sãctitatem Dei , & misericordiam Dei , vt statim dicit . Et misericordia eius à proge-

nie , & c. Hæc tamen connexio non est accommodata , & qui sic connectunt , non videntur assecuti sensum huius partis , quem in Commentario explicuimus : Beata enim Virgo magna accepit à potente , & sancto , quia cumulata est super omnes beneficijs singularibus potentiae , & sãctitatis Dei , propter ea beata vere est , & prædicatur . Augustinus in expositione huius Cantici , connectit quidem cum præcedenti , sed in hunc sensum , nimirum , Fecit mihi magna qui potens est , & ideo nomen eius sanctum est . id est , quia verbum in me caro factum est , quod est magna mihi facere ; hinc enim prouenit , vt nomen , id est fama , & notitia Dei sit sancta , quia per verbum carnem factum gloria Dei manifestata est in mundo . Vera quidem est doctrina , sed contextui parum accommodata , vt apparet ex ijs , quæ in Commentario dicta sunt .

Quomodo
hec cū supe-
rioribus sint
connectenda .

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum

C O M M E N T A R I A .

Hæc est pars Cantici secunda , in qua beneficia communia populo ante aduentum Dei in carnem , collata decantat , incipitque à misericordia , qua semper vsus est Deus , cum primis illis Patribus Iudæorum , qui eum coluerunt , Abraham , Isaac , Iacob , & cæteris , quos summa , & perpetua misericordia profecutus est , & cum eorum posteritate , quæ Deum timuit , & coluit ; non solum enim promisit illis , de eorum semine carnem se sumpturum , sed à periculis multis liberauit , & multis fauoribus misericordiae suæ cumulauit . de qua misericordia dictum est Psal. 102. Et misericordia eius ab æterno in æternum super timentes eum , & ijs , qui sperant in misericordia eius . vt eruat à morte animas eorum , & alat eos in fame . Quod autem dicit , (à progenie in progenies) significat continuam , & perseuerantem Dei misericordiam erga Patres , & posteros . Addit (timentes eum) nempe pios , & cultores , & fideles , qui eius verbo obedierunt : nam incredulos , & præuaricatores seuerè puniuit .

Psal. 102.

A N N O T A T I O. CXXIX.

Quorundam
recentiorum
expositio re-
fellit.

NON me latet, recentiores hanc & sequentes sententias interpretari generaliter de communibus beneficijs, quæ generi humano Deus confert, & de ijs, quos propter superbiam deprimit, & nonnulla horum ad dæmones referunt, quorum superba mens depressa est, multaque similia adferunt, quæ si doctrinam respicias, vera sunt, si autem contextui applicare velis, profecto mihi videntur parum ac-

commodari, cum Beata Virgo in hoc Cantico, de illo populo Iudaico, qui erat tunc electus, & fidelis, ac colens Deum, loquatur, progressum misericordiae, quo usus est cum illo, enarrans usque ad aduentum in carnem, quifuit complementum, & perfectio omnium misericordiarum, & beneficiorum, quæ expositio ex ipsarum sententiarum explicatione confirmabitur.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

C O M M E N T A R I A.

Prosequitur hanc perseuerantem misericordiam, & beneficia populo illi collata enarrare: post misericordiam enim illam, qua usus est multorum annorum curriculo cum Patribus illis, ante ingressum in Aegyptum, & dum ibi diu perseuerarent, exponit quo pacto populum ab illa captiuitate eripuerit, & à iugo duræ seruitutis in libertatem eum vindicauerit. Fecit, inquit, potentiam in brachio suo, id est, manu potenti eos extraxit ab Aegypto. Hebraismus est, in brachio, pro, brachio. fecisse autem potentiam brachio dicit, quia mira virtutis opera in eis liberandis usus est. nam per Moysem miracula effecit, quibus Magi Pharaonis superati sunt, mare diuisit, & iter ficcum præbuit, aliaque multa insignia opera præstitit, nec solum hoc, sed superbos dispersit mente cordis sui, id est, cogitationes, & voluntates superbiorum Aegyptiorum, Pharaonis, & populi eius, qui populum seruitute premebant, & eum insequentes, comprehendere se posse existimabant, & cupiebant, dispersit, & irritas fecit, submergendo aquis omnes eos. Dispergere mente cordis sui, idem est, ac cogitationes, quæ ex iniquo corde procedebant, irritas, & inanes efficere, vt ad effectum nequaquam producerentur. quod factum est, quando Pharaonem, & exercitum eius proiecit in mare, & saluum custodiuit populum timentem se. De hac potenti liberatione dicitur Deuter. 5. Memento quod seruieris in Aegypto, & eduxerit te Dominus Deus tuus inde in manu forti, & brachio extento. & Deuter. 7. Recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni & cunctis Aegyptijs, plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & signa atque portenta, manumque robustam, & extentum brachium, vt educeret te Dominus Deus tuus. De hac autem dispersione Aegyptiorum est illud Psal. 77. Excussit Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro. Merito autem Aegyptios superbos appellat, qui suis opibus, & viribus, vero Deo contempto confidebant, & populum, quem Deus omnipotens defendebat, & protegebat, subijcere, & superare se posse existimabant.

A N N O T A T I O. CXXX.

Bonauentura huius sententiæ: Dispersit superbos mente cordis sui. tres adfert expositiones. prima est, qua connectit illud (mente cordis sui) cum illo (superbos) interpretatur autem superbos mente cordis, id est, mente per præsumptionem, corde per ambitionem. at hæc expositio non videtur satis accommodata: si enim is esset sensus, dicendum erat (mente, & corde suo) Secunda expositio est, qua illud (mente cordis sui) connectit cum verbo, (dispersit) interpretaturque, superbos dici dispersi mente cordis sui, quia Deus definitione consilij sui diuini, quæ dicitur mens cordis Dei, superbos dispersit, ac ista expositio nullo modo sustineri potest: nam mens cordis sui ad superbos refertur, non autem ad Deum, vt constat ex textu Græco, vbi legitur: ac si Latine dicas (mente cordis eorum). Tertia expositio est, qua

connectit cū verbo, & mentem cordis ad superbos refert, vt vere connecti, ac referrī debet; tamen sic interpretatur, quasi id sit dispergere mente cordis eorum, ac diuino iudicio cor superbiorum tenebricoso obliuionis velamento dispergi. quæ expositio non videtur accommodata. Ea autem est legitima, scilicet superbos mente cordis eorum dispergi, cum Deus consilia ac cogitationes, quæ prauitate sui cordis sibi proposuerunt, dissipat, ac irritas facit, ne exitū suum consequantur. iuxta illud Iob. 5. dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod ceperant. & Isa. 3. Inite consilium, & dissipabitur; loquimini verbum & non fiet. & illud 2. Reg. 15. Dissipa Domine consilium Achitophel. hæc expositio est accommodatissima, quæ in Commentario explicuimus.

Exurien-

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

C O M M E N T A R I A.

QVAE in egressu de Aegypto Deus mira cum populo illo gessit, explicuit; nunc quæ in ingressu in terram promissionis fecit, exponit. Deposuit, inquit, potentes de sede; multas enim gentium nationes potentes, & Reges multos evertit, & suis regnis, possessionibus, ac sedibus, seu thronis, vel regalibus solijs eiecit, & Iudæos humiles, ac abiectos introduxit, & in illorum sedibus collocauit. Ex sacra Scriptura nemo est qui ignoret, quot populos, nationum, Principes, ac Reges potentissimos Deus debellauerit, & regnis spoliauerit, vt Iudæos introduceret, & in eorum sedibus collocaret. Totus liber Josue in his enarrandis versatur. Magnum profecto opus diuinæ misericordiae erga populum illum. De hac depositione potentium, & humilium exaltatione est illud Deut. 7. Cum deleuerit gentes multas coram te, Hethæum, Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, septem gentes multo maioris numeri, quàm tu es, & robustiores, &c. & illud Psal. 34. Percussit reges magnos, & occidit reges fortes, Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel seruo suo. Quia in humili tate nostra memor fuit nostri.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

C O M M E N T A R I A.

Qualitatem terræ, in quam introductus est populus, indicat; terra enim erat fertilissima, lactis, ac mellis copia, & omnibus diuitijs affluens, & terræ fructibus abundans. His affluentijs bonorum homines illos incolas priuauit, à proprijs locis ablegando. Et hoc est: Diuites dimisit inanes, & vacuos; populū autem Iudæorum afflictum, & esurientem, qui pauperi cibo alebatur, vixque dabatur ei tempus eum sumendi præ nimia vexatione, & oppressione, quiq; in Aegypto, & in deserto per quadraginta annos ducebatur, de quo dicitur Psal. 106. Esurientes, & sitientes, anima eorum in ipsis defecit: in hoc abundantissimo loco collocauit. honorem ergo, & abundantiam populo humili, & abiecto, ac pauperi contulit, eum exaltando, & bonis replendo, depositis potentibus, & eiectis diuitibus. De hac abundantia est illud Deuter. 8. Dominus Deus tuus introducet te in terram, bonam, terram riuorum, aquarumque, & fontium, in cuius campis, & montibus erumpunt fluiorum abyssi, terram frumenti, atque hordei, & vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliueta nascuntur, terram olei, & mellis, vbi absque penuria vlla comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrue- ris; cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur. Hæc Deus cum populo illo fideli gessit. Et hæc est secunda pars Cantici, in qua breuissimo, ac perfectissimo epilogo Beata Virgo beneficia ante aduentum collata populo descripsit.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordie sue.

C O M M E N T A R I A.

HAEC est tertia pars Cantici, in qua narrat, quomodo post tot beneficia illi populo facta, tandem carnem induit Deus ex illo, sicut misericorditer promiserat. Suscepit, inquit, Israel puerum suum, id est, carnem sumpsit de populo illo seruo suo, scilicet, in quo cultus, & religio eius perseuerabat. Recordatus, in-

I

quit,

quit misericordiae suae . misericordia haec est, qua humanam naturam sumere decrevit . Verbi enim incarnatio summum misericordiae Dei beneficium est & argumentum, de qua dictum est Psal. 88. Misericordiam meam non dispergam ab eo. & Psal. 50. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. per quandam enim antonomasiam, dicta est misericordia, quia Verbum carnem fieri pro nobis summum fuit misericordiae opus, & quod de Iudaica gente caro sumpta est, eximia clementiae erga populum illum argumentum, non ex vllis illius gentis, aut ceterorum hominum praecedentibus meritis . Dicitur autem Deus recordatus huius misericordiae, non quod vmquam oblitus fuerit, sed quod multum temporis intercesserit ab eo, quando Deus misericordiam hanc faciendam significauit, vsque ad illud, quando facta est.

A N N O T A T I O C X X X I .

Nonnullae expositiones refelluntur .

Q Vidam sic interpretantur : Suscepit Israel seruum suum, vt memor esset misericordiae suae. Quae interpretatio non videtur probanda: na si particula (vt) significat finale causam, apertum est, Deum non suscepisse Israel eo fine, & causa vt recordaretur misericordiae suae: si autem significet consecutionem, nec sic accommodabitur, quia non ex eo quod suscepit, consequitur eum recordatum esse, sed potius ex eo quod recordatus est, consequitur suscepisse . Legitima est ergo expositio, Deum recordatum promissionis antiquae, quam ex misericordia fecerat, suscepisse carnem ex Israel, vt haec duo concomitantiam, & coniunctionem quadam significent . Quidam hanc susceptionem ad auxilium, quod illi

populo depresso praestitit, referunt . Hoc tamen minus apte dici verba sequentia indicant : Sicut, inquit, locutus est ad Patres. quae ostendunt hanc susceptionem esse aduentum Verbi in carnem, quam de illo populo suscepit, sicut multo ante promiserat . Hic sensus quadrat instituto praesenti; cum enim Elisabeth meminerit aduentus, & incarnationis huius, aequum videbatur, Beatam Virginem eum comprobare, sicut caetera verba ad Elisabeth dicta comprobauerat, eo maxime quod Christi mater est praedicata, ac ipsa in hoc Cantico Deum magnificabat, beneficiaque populo Iudaico a Deo collata referebat . Quae omnia ad hoc vltimum, & omnium maximum, nempe carnis susceptionem tendebant .

Sicut locutus est ad patres nostros .

C O M M E N T A R I A .

A Ntiquam, & perfectam misericordiae huius recordationem declarat, quasi diceret: Multo ante locutus erat, & promiserat Deus patribus Iudaeorum hanc susceptionem carnis, quam quidem sicut promiserat, impleuit . Locutus, idem significat ac promisit . Recordatus ergo est, sicut locutus fuit, id est, fecit sicut promiserat . Possumus etiam illud (sicut) interpretari loco relatiui, nempe Recordatus misericordiae, quam locutus est, & promisit ad Patres nostros . Hi autem Patres sunt, Abraham, Isaac, Iacob, & Dauid, quibus promissio facta est de venturo Christo ex eorum genere . Communes Patres hos, Elisabeth, & Beata Virgo habebant; ideo, nostros, appellat .

A N N O T A T I O C X X X I I .

Q Vidam per parenthesis hanc sententiam dictam censent . Accommodatior lectio, & expositio est, vt continua sit praecedenti, reddens causam verbi illius (recordatus) & explicans perfectam Dei veritatem in implendis, quae praedixit, & pro-

misit . Recordatus est ergo, quia multo ante promisit, & fideliter impleuit, quia sicut promisit, ita fecit . Potest etiam per parenthesis non inepte explicari .

Abraham, & semini eius in saecula .

C O M M E N T A R I A .

H A E C particula non praecedentibus connectitur, sed illis : Recordatus misericordiae suae, quae scilicet facta est Abrahamo, & posteritati eius in saecula, seu in perpetuum . Haec enim misericordia in utilitatem cessit ipsius Abraham, & posteritatis eius, non solum praecedentis, sed futurae

futurae vsque in saeculum, & in mundi finem . Verbi enim incarnatio non tantum praecedentibus fidelibus, sed futuris vsque in saeculum attulit benedictionem . Semen appellat posteritatem Abraham, quam vt significet comprehendere futuram in finem, addidit, in saecula . Hanc autem posteritatem, non carnalem illam, sed spiritualem, quae secundum fidem est, intelligere oportet, iuxta illud Rom. 8. In Isaac vocabitur tibi semen, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, aestimantur in semine . His verbis Beata Virgo fructum aduentus, & misericordiae huius explicuit . Caeteram annotatione perlege .

A N N O T A T I O C X X X I I I .

Aliora expositio refellitur .

O Mnes interpretes, quot vidi, verba haec cum praecedentibus connectunt, quasi sint eorum expositio, nimirum locutus est ad Patres nostros, qui sunt Abraham, & eius posteritas . quam expositionem non posse accommodari contextui, vel illud satis manifeste comprobatur, quod Euangelista casum nominum commutauit; cum enim diceret: Locutus est ad Patres nostros in accusandi casu, postea adiunxit, Ipsi Abraham, & semini eius, quod profecto non alia de causa factum est, nisi vt haec posteriora non ad ea, quae immediate praecesserant, referrentur . Est etiam aliud huius nostrae interpretationis argumentum: nam non videtur verum Deum locutum Abraham, & posteritati eius; qui enim absolute posteritatem dicit, vniuersaliter loquitur, & totam, aut maiorem indicat partem: at promissio illa diuina paucis fuit facta, nempe duobus filiis Isaac, & Iacob, & multo post Dauid . Praeterea, quia si ad illa referatur, solum declarat, quia sint Patres illi, quibus locutus est Deus, nec explicatur quod maxime explicandum erat, nempe huius misericordiae magnitudo, & utilitas ac fructus . Praeterea, quia si coniungamus cum illis (Recordatus misericordiae

Abraham ipsi, & posteritati) sensus est accommodatissimus, & est phrasia Hebraea, & propheta Dauid, Psal. 97. Recordatus est misericordiae suae, & veritatis suae Domui Israel . ita nunc: Recordatus est misericordiae suae ipsi Abraham, & eius posteritati . Sic fiet, vt recedamus ab illis, qui omnia haec verba nimirum (Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini eius in saecula) per parenthesis dicta censent . ab illis etiam, qui a dicta parenthesis excipiunt illud (in saecula) & connectunt cum (recordatus est misericordiae in saecula) quae omnia violenta sunt, & aliena a vero sensu . Connecti ergo debet verbo illi (recordatus misericordiae) id quod saepe in Scriptura fit. Matth. 5. Dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me . illud (propter me) non illi (mentientes) sed verbo (dixerint) copulatur . Ioan. 11. Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, quia non eram ibi . hoc (quia non eram ibi) connectitur verbo (gaudeo sic nunc recordatus) misericordiae (connecti) debet (Abraham) & semini eius in saecula) sensus enim, & ratio verborum saepe postulat interpolationem quandam fieri .

Manfit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam .

C O M M E N T A R I A .

T Empus, quo Beata Virgo cum Elisabeth commorata est, Euangelista indicauit, vt eam partui, Ioannisque natiuitati interfuisse significaret; mensium enim trium spatium deerat, vt ad nonum mensem conceptionis Ioannis Elisabeth perueniret, quando solent feminae parere: sextus enim a conceptione mensis agebatur, quando Beata Virgo venit ad Elisabeth . cui si addas hos tres, tempus nouem mensium efficitur, quando natus est Ioannes . nec est necessarium nouem integros impleri menses, dummodo in nono fiat partus: hoc enim tempus est a natura praescriptum, quamuis & illud (quasi) non semper minuat, sed certum, & integrum tempus ostendat, vt in annotatione explicabitur . toto hoc tempore, de consensu etiam Ioseph Beatam Virginem cum cognata mansisse non est dubitandum, vt Euthymius dicit .

A N N O T A T I O C X X X I I I I .

Num deipara natiuitati Ioannis interfuerit .

A N Beata Virgo natiuitati Ioannis interfuerit, controuertunt Doctores . quidam negant, quidam affirmant; negant quidem Theophylactus, Euthymius, & Nicephorus lib. 1. histor. cap. 8. eo argumento ducti, quia moris erat, Virgines, quae etiam in eadem domo erant, recedere, quando praegnantis pariturae erant, propter concursum eorum, qui gratulandi causa aduenire solebant . Beata ergo Virgo deuitans eos, qui ob natum infantem in domum Zachariae concurrere debebant, ante partum recessit . Adfuisse autem beatam Virginem etiam

nato Ioanne asserunt Origen. homil. 10. Ambrosius, & Beda, quorum sententia probanda videtur . Primo quidem ratio moralis id confirmat; ijs enim qui norant toto illo tempore Beatam Virginem permanisse cum praegnanate, inuicile videri posset, si eam desereret proximam iam partui, quando solent amicae, & cognatae accurrere auxilij praestandi causa . Secundo, quia non videtur ratio vlla assignari posse, cur tribus mensibus mansisset, nisi quod natiuitatis, & partus tempus expectabat, & idcirco hoc tempus ab Euangelista descriptum est, vt eo indicaret, partum

tum expectasse. Tertio, quia cum Angelo indicante, Beata Virgo accesserit ad Elisabeth, ut tantum miraculum oculis ipsis cerneret, non est credibile non expectasse consummationem, & partum. Quarto, quia sciebat illum esse filij sui præcursores, quæ autem ratio potuit perfundere, ut post brevissimum tempus nasciturum, oculis, & brachijs amplecti nolleret? Quinto, quia non erat priuandus Ioannes Baptista, qui in utero Beatam Virginem exultatione salutauerat, tanto aspectu, ut liceret oculis corporis Dei matrem cernere. Nec argumentum illorum doctorum obstat. Ad quod dici potest in primis, de more illo inter Iudæos obseruato non omnino constare. Rursus, turbam concurrentium vitari potuisse, si statim post natum Ioannem Beata Virgo discessisset, id quod Euthymius dicere videtur, non quod partui non interfuerit, sed quod cito post natum Ioannem discesserit. Rursus, quia Beata Virgo erat desponsata, & iam apud vulgus non inter virgines omnino computata. vnde non erat, cur ceterarum morem obseruaret. Possent autem aliquis huic sententiæ duo alia ex Euangelistæ verbis obicere. Vnum est, quod dicitur (quasi mensibus tribus.) non igitur completi erant tres menses. ex quo fit, quod cum nec esset completus sextus, quando annunciatio facta fuit Beatæ Virgini, Elisabeth nondum nonum mensem compleuerit, quando reuersa est Beata Virgo. Hoc argumentum nullum facessit negotium. nam ut diximus in commentario, tempus à natura pariendi præscriptum non semper est nouem mensium completorum; quædam enim citius pariunt, quædam tardius, quædam nono completo. Præterea quando dicitur (quasi) non per hoc significatur, quod non fuerint tres integri menses: nam ea particula aliquando numerum integrum significat. nam Matth. 14. dicitur: Fuit numerus manducantium quinque millia virorum. cum tamen Ioan. 6. dictum sit: quasi quinque millia. immo potest etiam significare numerum maiorem, nam si tres menses sunt, & pauci aliquot dies, dicimus, quasi tres menses. Alterum, quod obiici potest, illud est. Euangelistam post verba illa (reuerfa est in domum suam)

dixisse, (impletum est tempus pariendi.) Videtur ergo, quando reuerfa est Beata Virgo, nondum peperisse. Hoc autem facile soluitur: non enim reuerfam in domum narrat, quasi antequam Elisabeth pareret, discessisset, sed ut historiam Beatæ Virginis compleret, & totam Elisabeth historiam coniungeret, propterea vtrumque diuisit. Tenendum ergo est, Beatam Virginem vsque ad natum Ioannem mansisse cum Elisabeth. Quamuis non negem sententiam contrariam esse valde probabilem. Hoc autem mirabile est, quod nihil eorum, quæ his tribus mensibus beatæ matres collocatæ sint, & gesserint, narratum est, sed silentio occultarunt Euangelistæ. facile tamé nonnulla ingenio inuestigamus, quæ Origenes optime considerans homil. 9. sic inquit: Si enim eo, quod tantum venit Maria ad Elisabeth, & salutauit eam, exultauit infans in gaudio, & Spiritu sancto plena prophetauit Elisabeth ea, quæ in Euangelio scripta sunt, & in vna hora tantos profectus habuit, nostræ coniecturæ relinquunt, quid in tribus mensibus Ioannes profecit, assistente Maria Elisabeth. Valde quippe indignum est in puncto horæ atque momento exultare infantem, & quodam modo lasciuisse, repletamque esse Spiritu sancto Elisabeth, per tres vero menses, nec Ioannem, nec Elisabeth ex vicina Matris Domini, & ipsius Saluatoris præsentia profecisse. Exercebatur ergo, & quodammodo in athletico à sancta matre, & per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in matris utero, ut mirabiliter natus, mirabilius nutritus; quod enim extra consuetudinem nutritus est, non refertur scriptum, quomodo matris fuerit lactatus vberibus, quomodo in sinu gerulæ constitutus, sed statim sequitur: Et erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel. Hæc Origenes. Cuius vltima verba non sunt suscipienda, ut Ioannes non sit lacte nutritus more infantum, sed quod nihil horum narretur, ad significandum miram Ioannis supra ceteros homines infantiam; vsu enim rationis pollens, ut inquit Ambrosius, cito membra tenera vsibus adultorum accommodauit.

Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.

COMMENTARIA.

Historiam profecit Euangelista; impletum autem fuisse tempus ipsi Elisabeth, refert, non solum, ut secundum naturæ ordinem, natum Ioannem significet, sed etiam, ut quod Angelus promiserat Zachariæ, nempe uxorem eius filium illi parituram, adimpletum esse confirmaret.

ANNOTATIO. CXXXV.

Quorum dicitur, tempus pariendi fuisse completum. Origenes homilia. 9. in præsentia refert multos existimasse superflue dici, Elisabeth impletum est tempus ut pareret. Quæ enim mulier potest parere, nisi tempus pariendi compleuerit? ipse vero non superflue dictum esse censet, dicitque tam in veteri, quam in nouo testamento, sicubi scriptum est, de ortu peccatoris, numquam repertum esse dictum, impletum est tempus pariendi, sed vbi cumque iustus nascitur, ibi completi dicuntur dies; ortus enim iu-

sti plenitudinem habet, peccatoris natiuitas, ut ita dicam, vacuitatem, & inaneitatem. Idem annotat Ambrosius. Hæc spiritualis est ratio; ad literam autem illud facit, quod in Commentario dictum est, ut scilicet Euangelista diuinam promissionem per Angelum factam completam significaret, & Ioannem licet diuina gratia, ac potentia conceptum, tempus tamen à natura præscriptum in ortu suo non mutasse ostenderet.

Et audie-

Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa.

COMMENTARIA.

Audierant iam ante vicini, & cognati, Elisabeth grauidam: post quintum enim mensem illa non se amplius occultabat; partus tamen maiorem admirationem, & notitiam fecit. nam non semper quæ apparet, est vere grauida, nec quæ vere est, foetum ad partum perducit. Partus igitur certitudinem, & perfectionem attulit: idcirco tunc vicini, & cognati diuinam virtutem, & misericordiam agnouerunt. Est autem phrasys Hebræa (magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa) pro eo quod dicitur, magna quadam, & singulari misericordia vsus est Deus cum illa, qui sterili & seni filium concessit. tanta euentus nouitas celeriter, & longe, partum euulgauit.

Et congratulabantur ei.

COMMENTARIA.

Gaui sunt vicini & cognati, & commune gaudium verbis ei significabant; hoc autem est congratulari ei. Quod quidem Euangelista refert, ut verbum Angeli impletum esse ostendat, quod superius dixerat: Et multi in natiuitate eius gaudebunt. Quibus enim ante dolorem attulit Elisabeth sterilitas deplorata, ijs gaudio fuit, quod ex Dei misericordia proles mascula illi contigisset, ideoque commune cum illa gaudium exterius testabantur.

ANNOTATIO CXXXVI.

Quid sit alicui congratulari

Græce illud (congratulabantur) ad verbum est (congaudebant) à verbo συναγαγία, quod est congaudeo. Latinus tamen interpres recte vertit (congratulabantur.) nam congaudere alicui idem est, ac gratulari, id est, gaudium conceptum verbis, aut signis testari. Fieri autem potest, ut quidam congaudeant, & non gratulentur, qui nimirum gaudium, & lætitiæ animo concipiunt, sed eam exterius non expriment. Quidam vero gratulantur, sed non gaudent, qui quam animi lætitiæ non habent, verbis erga alios fide ostendunt. quorum gratulatio nec perfecta, nec vera est: qui enim vere gratulatur, & gaudet animo, & gaudium animi alteri, de cuius bono gaudet, exteriori signo testatur. Sic congratulabantur vicini, & cognati Elisabeth; vere enim gaudebant. Verbum autem compositum congratulandi, commune multorum gaudentium testi-

monium indicat. Quod autem hoc in loco non gaudendi solum, sed etiam gratulandi verbum sit legendum, ratio ipsi ex textus verbis deducta probat. nam non videtur alia causa efficax dari posse, cur magis Elisabeth, quam Zachariæ congratulari fuerint, nisi quia gratulatio maxime verbis fieri solet: cum autem Zacharias & mutus, & surdus tunc esset, gratulatio non ei, sed Elisabeth exhibebatur, quamuis gaudium animi fuerit & cum Zacharia commune. Possimus autem alteram huius rei adferre causam, (nam & credibile est signis, & nutibus multos cum Zacharia fuisse congratulatos) nimirum quia maior erat causa gratulandi Elisabeth, quæ præterquam, quod sine filiis erat, quod malum commune erat cum Zacharia, ipsa sola sterilitatis opprobrium patiebatur, ob idque dictum est prius, Dominum magnificasse misericordiam suam cum illa.

Et factum est in die octauo venerunt circumcidere puerum.

COMMENTARIA.

Profecit historiam, & quid temporis successu gestum sit, narrat: Octauo, inquit, die venerunt circumcidere puerum. venerunt, inquit, ij nempe, quorum erat circumcidendi munus, quique etiam celebritatis causa conuenerant: venerunt autem in domum Zachariæ, vbi Ioannes natus erat, & pater, ac mater manebant: domi enim vbi erat puer, fiebat circumcisio; die autem octauo à natiuitate circumcidebatur puer, secundum legis præceptum. Genes. 17. Filius octo dierum circumcidatur inter vos. & Leuit. 12. Die octauo circumcidetur caro præputij viri. circumcisio enim figura quædam erat, & signaculum fidei, Christi aduentum, & sanguinem significans, quo vitia, & peccata erant abscindenda, ideo die octauo fiebat, qui est post hebdomadam completam, indicans post legem Euangelium futurum. quæ etiam de causa die octauo Christus resurrexit.

ANNOTATIO CXXXVII.

NON in Synagogis circumcisionem fuisse celebratam olim, sed in domibus proprijs, aut

locis, vbi erant infantes, ex hac lectione satis efficaciter deduci potest. Si enim in Synagoga celebrata esset,

ta esset, dicendum erat: Tulerunt puerum ut circumciderent eum, sicut inferius capite 2. dictum est: Tulerunt puerum, ut sisterent eum Domino, quia in Templum ut praesentaretur, portabatur. at dum dicitur, hic, venerunt, ut circumciderent, deducitur, ad locum, in quo puer manebat, ventum esse, ut circumcideretur. Quod etiam in eo magis confirmatur, quod hoc verbum (venerunt) non ad parentes Ioannis referendum est, sed ad illos, qui foris erant, qui venerant circumcisionis causa. nam de his statim dicitur: Et vocabant nomine patris eius Zachariam. quod verbum manifeste constat, non esse dictum de parentibus Ioannis: nam Pater matris erat, & mater renuit sic vocari. Qui igitur foris erant ministri, & amici, ac cognati, venisse dicuntur in domum Zachariae. Hoc ipsum alio etiam argumento efficaci corroboratur: nam matrem interfuisse circumcisioni Evangelista indicat; refert enim matrem audientem, velle vocare illos puerum Zachariam, dixisse: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. si igitur mater aderat, consequitur domi circumcisionem esse factam; non enim est verisimile, puerperam octo dierum domo egressam fuisse, & maxime quod praeccepto Domini Leuit. 4. quadraginta diebus manebat in sanguine purificationis, cui non licebat sanctum vllum tangere, nec sanctuarium in-

A N N O T A T I O C X X X V I I I .

Quare octavo die fiebat circumcisio.

Inquirendum nunc est, quare octavo die circumcisio infantis fieret; non autem causas hic morales, aut spirituales inuestigamus, quae multae sunt, & a sacris Doctoribus traditae, quasque alio in loco enarrabimus; sola nunc causa naturalis quaeritur: multa enim ex diuinis illis praecceptis praeter spirituales significationes, naturales etiam causas continerent; cumque multa possint in medium exempla proponi, vnum producam Leuit. 13. vbi Dominus praecipit Iudaeis leprosum non tangere, dum aliqua particula carnis viuuda, & non infecta manebat; cum vero tota caro lepra erat affecta, non amplius tangi prohibebatur. mirae sunt huius rei significationes, tamen causa naturalis ea est, quia quando tota caro lepra est conspersa, tunc putrefactio est in suo termino, & est completa, iamque euaporatio, quae alios inficit, cessat; experimur enim canes, vel alias carnes mortuas, dum putrescunt, pestimum generare odorem, & inficere circumstantes; cum vero putrefactio est terminata, cessare illam euaporationem nocuam, & molestam. hac de causa, dum caro leprosi adhuc viuuda erat, vitandum praecipit Dominus; tunc enim putrefactio peragitur, & euaporationes contagiosae sunt; cum vero tota iam caro exterior infecta est, argumento est completam esse putrefactionem, & euaporationem cessasse. Vides igitur quanta doctrina naturalis praeccepto Domini

Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.

C O M M E N T A R I A .

Circumciso puero nomen continuo imponebatur. Qui ergo venerant ut circumciderent puerum, nomen patris Zachariam illi imponere volebant: hoc enim significat verbum imperfectum (vocabant) id est, de nomine patris illi imponendo agebant. Hanc tunc temporis fuisse consuetudinem, ut nomina parentum pueris imponerentur, praesens factum indicat: non enim alia ratione Ioannem nomine patris Zachariam vocare voluerunt.

Q U I T O M W

de. 1001

de. 1001

ANNO.

A N N O T A T I O . C X X I V .

Quare in circumcisioe nomen imponebatur infantibus.

Nonnulla annotanda occurrunt. Primo quidem, nomen apud Iudaeos in circumcisioe pueris imponi solitum, sicut apud nos in baptismo, quod non ante, sed post circumcisionem fieri Theophylactus asserit, & ex textu deducitur; post circumcisionis enim verbum consequitur nominis impositio, quod etiam inferius significatur capite 2. Postquam, inquit, impleti sunt dies, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus. Causa autem cur illo tempore nomen imponeretur, haec potissimum a Theophylacto adfertur, quia per circumcisionem puer de populo Dei efficiebatur, & vere inter Iudaeos computabatur, quae causam diffusius explicat Chrysostomus homil. 9. de laudibus Pauli, exponens cur Sauli nomine mutato vocatus sit Paulus. vbi docet in signum potestatis herilis, & dominij nomina solita fuisse mutari, & imponi; solent enim Domini emptis seruis, noua, inquit, nomina imponere. hac etiam de causa dicit Adam nomina imposuisse rebus, quippe qui earum dominium accepisset, id quod etiam testatur Damascenus libro 3. de Fide cap. 30. Eadem de causa refert Chrysostomus regem Babyloniorum abductis in captiuitate Ananiae, Azariae, & Misaeli nomina mutasse. Cum igitur per circumcisionem de populo Dei efficeretur, & in nouum statum transiret, merito nomen tunc imponebatur, quae eadem causa cur in baptismo nomen Christianis imponatur, assignari potest. Est etiam altera huius rei causa, quam Cyprianus in tract. de circumcisioe adfert, vbi affirmat, eodem octavo die quo celebrabatur circumcisio, nomen etiam puero imponi consueuisse. verba eius sunt haec. Hoc cum octaua die iustum sit celebrari, & nomen circumciso aptari, intimatum est his, qui digni consortio sanctorum censebantur, quod eorum nomina scriberentur in caelis, & aeternae beatitudinis, qui post vitam septimanam octaua consequitur, haeredes fierent & consortes, quicumque vitam innocentiam, & castitatem sanctimoniam sese Domino consecrassent. Haec Cyprianus. Est etiam tertia causa, quam in annotatione praecedenti significauimus: nam ante octauum diem puer nondum est in vitam confirmatus, & quasi nondum homo reputatus vsque ad octauum. qua de causa, vbi diximus, refert Plutarchus in quaestionibus centuriatis Romanorum, Romanos solitos die nono masculis nomen imponere, quod die octavo non faciebant, quia cum sit numerus par, feminae potius, quam masculo inani superstitione aptabatur, idcirco in nonum transferebant, sicut e contrario feminis octauo die nomen imponebatur, cum vsque ad sextum vitam illarum

non sit confirmata; vnde septimo eis nomen imponendum erat. at quia hic sexui masculino eadem ratione tribuebatur, in octauum transferebatur, qui feminis conueniens erat, cum sit par. Romani ergo etiam si circumcisioe non vterentur; tamen recenter natis nondum imponebant, vsque ad octauum, vel nonum diem. Quarta causa est Bedae. Lucae 2. cum de Christi circumcisioe loquitur, dicit: Eo die, quo pueri circumcidebantur, nomen imponi solitum, quia quo die Abraham accepit mandatum circumcisionis, eodem ei, & vxori nomina mutata sunt: hic enim ex Sarai, Sara, ille vero ex Abram, Abraham appellati sunt.

Secundo annotandum est eius aetatis, in qua natus est Ioannes, morem fuisse, parentum nomina imponere filiis, id quod indicant, non solum verba illa: vocabant eum nomine Patris sui Zachariam; sed etiam quae sequuntur: Audientes enim nomen Ioannis, dixerunt: Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine, quasi solitum tunc esset talia nomina pueris imponere. Antiquus tamen mos, qui veteri Scriptura legitur, non is erat: nam nec Adam vlli filio nomen suum imposuit, nec ceteri Patres ante diluuium, nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob nec Dauid; nam cum nondum illis maxime temporibus homines, & populi multiplicati essent, ideo noua singulis imponebantur nomina; cum autem maxima hominum multitudo excreveret, noua fabricari fortasse pertaesum est, & recepta parentum nomina sumpserunt.

Tertio aduertendum est, primis illis saeculis quando nomina noua imponebantur, ex euentu aliquo plerumque nomina sumpta esse. sic Genesis 4. Eua filio primogenito Cain nomen imposuit, dicens: Possedi hominem per Deum: & tertium vocauit Seth dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel. Et Lamech, Genesis 5. filium suum vocauit Noe, dicens, quia iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus. Abraham etiam vocauit nomen filij Isaac. Genes. 25. quia dixerat Sara: Risum fecit mihi Dominus. Et Iacob dictus est, quia supplantauerat fratrem, & Esau, quia rufus. Genes. 26. & Phares, quia maceriam vteri diuiserat. Gen. 33. & Moyses vocauit filium suum Gersan, dicens: Aduena fui in terra aliena. Sunt huius materiae multa testimonia; veterem ergo morem parentes Ioannis Spiritu sancto distante sequentes, ab ipso euentu nomen filio indiderunt, ut paulo inferius explicabimus.

Temporibus Zachariae mos erat filiis nomina parentum imponere.

Olim filiis nomina imponebantur a rebus ipsis, & euentibus sumpta.

Et respondens mater eius dixit.

C O M M E N T A R I A .

Cognouit mater voluntatem eorum, qui nomine Patris puerum vocabant, siue quia interrogata est, siue quia cum adesset, voces colloquentium audiuit, & illorum voluntati obstitens, respondit, dicens quae sequuntur. Aduerte in Scriptura aliquando respondere dici eum, qui aggreditur loqui etiam non interrogatus; & quamuis nemo ante locutus sit. Matth. 11. Et respondens dixit, Confiteor tibi pater. Dicitur autem respondere etiam si non sit interrogatus, quoties praecessit aliquod dictum, aut factum, cuius occasione loquitur.

Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.

C O M M E N T A R I A.

Prohibet puero nomen Patris, & Ioannem vocari iubet; repleta enim Spiritu sancto, sicut salutante Beata Virgine nouit mysterium Verbi incarnati, ita & quidquid de filio suo Zachariæ ab Angelo dictum fuerat, intellexit, & Spiritu sancto illuminata puero nomen Ioannis imponi vult.

A N N O T A T I O C X X X I X.

Probabilius est, Elisabeth à Spiritu sancto, quam à Zacharia fuisse edoctam de filij nomine.

Elizabeth ab Angelo, qui Zachariæ in templo apparuit, edoctam non legimus; à marito autem surdo, & muto nomen, quod ei ab Angelo significatum fuerat, accepisse vix est credibile, quamuis & id non sit omnino improbabile; nam scripto potuit vxori indicare omnia, quæ cum illo gesta fuerant; cum vero Spiritu sancto repleta nouerimus, & prophetica intelligentia mysterium annuntiationis factæ

Virgini affectam esse sciamus, multo probabilius asserimus, per eundem Spiritum sanctum nouisse Elisabeth filij nomen, & omnia, quæ cum marito in Templo gesta erant, idque affirmant Origenes homil. 9. Ambrosius, Theophyl. Euthymius, & Beda. Verba Ambrosij sunt hæc: Ille mutus intimare vocabulum filij nequiuit vxori, sed per prophetiam Elisabeth didicit, quod non didicerat à marito.

Et dixerunt ad illam, quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

C O M M E N T A R I A.

Morem illius ætatis opponunt, vt à nomine Ioannis puero imponendo matrem auertant. Hoc autem de præsentibus, aut qui non ita pridem defuncti ex illa familia fuerunt, intelligendum est: idcirco dicitur (qui vocetur) non autem (qui vocatus sit) nam inter maiores eius plerique nomine Ioannis vocati fuerant. Aduerte cognatos, & vicinos secundum carnem, quæ carnis, & mundi sunt confidentes, ab ijs quæ spiritus sunt retrahere, quantum in ipsis est; potentior tamen esse veritatem Spiritus sancti.

Innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum.

C O M M E N T A R I A.

Matris voluntati cognati, & vicini non acquieuerunt, sed Patris voluntatem exquirunt, cumque mutus esset, & surdus, nutibus & signis id significant; sic enim surdis loqui, seu eos rogare solemus. hoc est autem innuere.

Et postulans pugillarem scripsit.

C O M M E N T A R I A.

Eisdem nutibus, & signis, quibus interrogatus fuerat, vt inquit Euthymius, pugillarem postulauit, vt scriberet nomen, quod voce proferre non poterat; sunt autem pugillares tabellæ cereæ, aut ligneæ, aut alterius materiæ, in quibus stylo scribimus, quorum antiquissimum vsum etiam profani auctores testantur.

Ioannes est nomen eius.

C O M M E N T A R I A.

Nomen indicat, quasi iam impositum à Spiritu sancto per Angelum, non quasi id ipse de nouo tunc imponeret, vt tali assertionem contradicentium ora concludat. Vnde recte Ambrosius inquit: Ioannes est nomen eius, hoc est, non nos ei nomen imponimus, qui iam à Deo nomen accepit. Habet nomen suum, quod agnouimus, non quod elegimus. Habent hoc merita Sanctorum, vt à Deo nomen accipiant. Hæc Ambrosius. Recte autem nomen hoc sortitus est ab euentu; cum enim præcurfor

præcurfor esset Christi, per quem gratia facta est, Ioannis nomen accipit, quod Dei gratiam significat, non quam ipse daturus, sed quam ostensurus populo mittebatur.

Et mirati sunt uniuersi.

C O M M E N T A R I A.

Admirantur nominis nouitatem, quod non erat in cognatione illorum; admirantur patrem, qui nihil de his, quæ Elisabeth responderat, vt pote surdus audierat, eidem consensisse; admirantur nominis significationem in puero diuinitus nato; admirantur demum verbum Zachariæ nomen quasi à Deo positum significantis, à quo tot cognati, & amici illum remouere non potuerunt.

Apertum est autem illico os eius, & lingua eius soluta est, & loquebatur benedicens Deum.

C O M M E N T A R I A.

Protinus ac nomen scripsit, os, & lingua muti soluta sunt à silentio, quo ne loqui possent, tenebantur; merito autem Zacharias post tantum silentium, verba ad Deum benedicendum, ipsumque laudandum profert, vt auctorem suæ vocis profiteatur, ipsique gratias rependat. Manifestum est autem, vt dicit Euthymius, auditum pariter solutum esse; sicut enim pariter erat ablatum, ita quoque pariter est restitutum.

A N N O T A T I O. C X L.

Negandum non est quod Zacharias filij nomen scripsit.

Augustinus, siue quisquis est auctor illorum librorum, libro 3. de mirabilibus sacræ Scripturæ, cap. 1. existimat Zachariam non scripsisse nomen, sed dum scribere tentasset, verbo pronunciasse, Ioannes est nomen eius, sic enim inquit: Nomen filij scribere tentans dixit: Ioannes est nomen eius. id quod etiam Iuuenius scriptor antiquus sensisse videtur, sic canens.

Sed pro mira fides, tabulis cum scribere tentat. Implicitam soluit per verba sonantia linguam.

Hæc tamen sententia nullo modo est recipienda, vt pote Euangelicis verbis aduersa; nam dicitur, scripsit: Ioannes est nomen eius. non autem dicitur (dixit) & adiungitur: Illico apertum est os eius, nimirum, postquam scripsit. Sicque interpretati sunt Patres omnes, inter quos Tertul. lib. de Idololatria, sic inquit: Zacharias temporalis vocis oratione multatus; tamen animo collocutus, linguam irritam transit, manibus suis à corde dicit, & nomen filij sine ore pronunciat. loquitur in stylo, auditur in cera, manet omni sono clarior, littera omni ore vocalior. Hæc Tertul. Non tamen est sine consideratione prætereundum, quod in natiuitate pueri, sed post octo dies, & dum nomen imponitur, Zachariæ silentium soluitur. Euthymius hanc dubitationem excitauit, & respondet, id ea ratione factum, vt verbum Angeli adimpleretur, quo dixerat: Mutus eris donec hæc fiant. Illud (hæc) ad natiuitatem, & nomen referuntur, quorum Angelus fecerat mentionem. Hoc quidem verum est, sed in eo animus non quiescit: nam adhuc interrogare possumus, animusque scire auet, cur Deus

Quare non in natiuitate, sed in circuncisione infans, os Zachariæ apertum fuerit.

id sic disposuerit, quod per Angelum etiam manifestauit. Beda huic dubitationi satisfacit, quandamque rationem adfert: Pulchre, inquit, Zacharias octauo die editæ prolis loquitur, quia per Domini resurrectionem, quæ octauo die, hoc est, post septimam Sabbati facta est, occulta sacerdotij legalis arcana patuerunt, linguaque Pontificum Iudæorum, quam diffidentia vincula strinxerant, intelligentiæ rationabilis est voce soluta. Hæc Beda. Quibus alias possumus adiungere causas. Prima est, vt noua nominis futura impositio (nemo enim in eius cognatione Ioannes vocabatur) nouo quodam miraculo confirmaretur, ob idque nõ dum circunciditur, sed dum nomen imponitur, lingua aperta est; nomen enim hoc magni mysterij signum esse eo facto ostendebatur, vt vere erat; Ioannis enim nomen aduentum gratiæ per Christum imminens significabat. Secunda est, quia natiuitas Ioannis celebrata erat miraculo magno, & lætitia; sterilis enim mater filij pepererat; eius circuncisio altero erat celebranda opere, & gaudio, nimirum muti loquela; sic enim Ioannis primordia mirabilia efficiebantur. Tertia, quia Zacharias magna erat mysteria prolaturus; debuit ergo diem expectare celebriorem, & quando copiosior sit hominum conuentus, nempe quando infans circunciditur. Quarta, quia cum ad infantem sermonem conuersurus esset, tempus expectatur, quo infantis vita confirmata est, & inter homines, vt diximus, incipit computari. Demum ne Ioannis nascentis virtuti loquela patris adscriberetur, sed illi, quem Zacharias aduenisse significauit.

Et factus est timor super omnes vicinos eorum.

C O M M E N T A R I A.

Homines mortales, & Deo longe inferiores, quando eum potentiam suam exere re animaduertunt, timent, non solum, illius maiestatem reuerentes, quod etiam

etiam caelestes potestates faciunt; sed etiam ne eam contra peccatores, conuertat, magnopere formidant. Hinc prodigia, & portenta, quae certo Dei potentiam referunt, terrere homines solent. Hic timor factus est in omnes vicinos Zachariae, & Elifabeth, qui Dei potentiam in tot, ac tantis gestis clare animaduertunt, idcirco non in natiuitate timuerunt, quia non ita clare Dei potentia ac virtus in ea exerebatur. De hoc timoris genere scriptum est, Marci 4. Timuerunt timore magno, & dicebant alterutrum, Quis putas est iste, quia venti, & mare obediunt ei? & cap. 5. Venerunt ad Iesum, & vident illum, qui a daemone vexabatur, sedentem, & vestitum, & sanae mentis, & timuerunt. Merito autem in Ioannis natiuitate timor, in ortu autem Saluatoris gaudium intercessere; nam venerat Ioannes ad arguenda peccata, & inducendos homines in penitentiam, & timorem irae Dei contra peccantes: Quis, inquit, ostendit vobis fugere a ventura ira? Lucae 3. & iam securis ad radicem arboris posita est. Saluator autem ad dandam remissionem, & reconciliandos homines nascebatur. Lucae 19. Venit filius hominis quaerere, & saluum facere, quod perierat. Ioan. 10. Veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.

In natiuitate
Ioannis timor,
in natiuitate
Christi gaudium
inuenitur.

Et super omnia montana Iudaeae diuulgabantur verba haec.

COMMENTARIA.

Fama non in vicinos solos, sed in totam illam regionem, in qua sita erat Ciuitas Zachariae, peruagata est. Aduerte Iudaeam totam in loca plana, quae campestris dicebantur, & in loca montibus eminentia, quae appellabantur Montana, diuisam esse. in his erat Ciuitas ubi commorabantur Zacharias & Elifabeth, & in qua natus est Ioannes. In huius ergo regionis Ciuitates omnes euulgata sunt verba haec, id est, quae gesta sunt, nempe partus sterilis, silentium Zachariae, loquelae restitutio, nominis noui impositio. Facta enim solent vocare Hebraei verba, quia facta verbis exprimuntur. In Graeco (omnia montana) in numero est singulari, ut supra annotauimus. Haec omnia magnam populorum fidem futurae praedicationi Ioannis conciliabant.

Et posuerunt omnes, qui audierunt in corde suo.

COMMENTARIA.

Omnes, qui haec gesta mira audierunt, in corde suo posuerunt, id est, cogitarunt apud se, & animo reputarunt, quid ea sibi vellent, & quid portenderent; magnam enim opinionem, ac spem euentus alicuius admirandi conceperant, uti re vera euenit. Prudentis animi est, ac religiosi, quae praeter communem ordinem veniunt, cogitatione peruoluere, & quid sibi velint, animo inuestigare, ut si quid inde sibi faciendum sit, opportune exequatur.

ANNOTATIO. CXLII.

Ponere in corde, more Hebraeorum dictum est aliquando quidem pro cogitare rem aliquam apud se, & mente reputare, quid sibi velit, quouae tendat; sicut, ponere in auribus sermones aliquos, pro audire diligenter. sic Lucae 9. dicitur: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos. Aliquando pro memoria tenere, & animo infigere rem aliquam. sic Lucae 21. scriptum est: Ponite in cordibus vestris non praemeditari, quemadmodum respondeatis. Dicitur

etiam ponere cor ad aliquid, quod quidem idem significat, quod ponere in corde. Deutero. 32. Ponite corda vestra in omnia verba mea. Regum 25. Ne ponat Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum id est ne recorderis, nec rationem habeas huius viri. Psal. 47. Ponite corda vestra in virtute eius, id est, tenete memoria opera mirabilia eius. Sunt multa alia huius locutionis testimonia.

Dicentes, quis putas puer iste erit?

COMMENTARIA.

Quod animo conceperunt, verbo expresserunt, inuicem dicentes, Quis putas Puer iste erit? id est, magna profecto, & illustria noua haec, & singularis pueri na-

ri natiuitas portendit, insignis est, & egregius vir euasurus, cuius in ortu talia, ac tanta diuinæ potentiae argumenta praecedunt, quanta in nullo ante propheta facta sunt.

Etenim manus Domini erat cum illo.

COMMENTARIA.

Verba sunt Euangelistae, reddentis causam, quare omnes tam magnifice senserint de puero, atque in cordibus suis posuerint, & dixerint: Quis putas puer iste erit? Ea autem est, quia Dei virtus, & potentia, quae manus Domini dicitur, ex circumstantijs, & ijs, quae gesta sunt in eo apparebat, quod magna eum ac inaudita patraturum ex tam praclaris, & singularibus praeludijs, animis omnium certam spem generabat.

ANNOTATIO CXLIII.

Manus, id est
virtus Domini
multis modis
in Scriptura
vsurpata.

Manus Domini in Scriptura sacra Dei virtutem, ac potentiam, quae supra vires hominum operatur, significat. Haec ex varijs circumstantijs varios indicat effectus; aliquando enim est ad opera mirabilia patranda, aliquando ad auxilium ferendum, & protegendum, 1. Paralip. 4. Si fuerit manus tua mecum. Ezechiel. 3. Manus Domini erat mecum. aliquando ad miserendum. Psal. 37. Confirmasti super me manum tuam. Psal. 118. Fiat manus tua, ut saluet me. aliquando ad puniendum & flagellandum. 1. Reg. 7. Facta est manus Domini super Philisthaeos. Exo. 9. Ecce manus mea erit super agros tuos. aliquando ad prophetandum. 4. Reg. 7. Facta est manus Domini super eum. aliquando ad fortitudinem conferendam. 3. Reg. 18. Facta est manus Domini super Eliam, & accinctis lumbis currebat. aliquando ad Euangelium, fructuose praedicandum. Act. 11. Et manus Domini erat cum eis. aliquando ad miracula facienda. Et, ut vno verbo dicam, cum ex Dei virtute innumeri effectus siue gratiae, siue iustitiae, siue potentiae, siue misericordiae procedant, varijs modis in Scriptura usurpatur, & ex circumstantijs significatio est explicanda. Quod autem ad locum praesentem spectat, aduertendum est, Graece non esse particulam causalem, sed copulantem (καὶ) Latine (&)

vnde quidam hanc sententiam non praecedentis causam interpretantur, sed continuantem, quasi connectat historiam Euangelistae, ut postquam de parentibus, & vicinis, ac cognatis dixerat, ad Ioannem, & Zachariam particulariter conuertatur. De Ioanne autem inquit: Et manus Domini erat cum illo. Sic explicat Euthymius, & per manus Domini virtutem, & gratiam interpretatur, quae erat in Ioanne. Virtus quidem dicitur, si licet eius expositioni adiungere, quia multa supra aetatem operabatur, utpote usum rationis habens; gratia vero, quia plenus erat Spiritu sancto, & in dies implebatur magis, ac magis; non enim haec verba de vno die dicta esse intelligendum est, sed de Ioannis indole, & aetatis seu infantiae incremento. Et re vera particula (&) sensum habere causalem solet, quod saepe annotauimus, idque vetus interpres animaduertens, causalem particulam vertit, & accommodatam quidem, eumque sensum prosequentes, manus Domini interpretati sumus virtutem, & potentiam Dei, quae dicta est esse cum Ioanne, quia ex admirandis operibus, quae in eius natiuitate effecta erant, apparebat, & agnoscebatur virtus Dei in illo esse, & per eum magna Deus operaturus credebatur; eaque de causa dicebant: Quis putas puer iste erit?

Et Zacharias Pater eius repletus est Spiritu sancto & prophetauit dicens.

COMMENTARIA.

Primo impletus est Ioannes in vtero, salutante Virgine beata Matrem, post eum repleta est tunc Elifabeth; nunc autem repletus est Zacharias, non quod non ante Spiritum sanctum habuerit; ut enim recte annotat Origenes homil. 10. Beata Virgo tribus mensibus in domo Zachariae commorata est, non, ut solus Ioannes Saluatoris praesentia proficeret, sed & ipsa Elifabeth, ac Zacharias: nec enim est credendum, infidelitatis suae Zachariam ante natiuitatem filij non penituisse, nec Spiritus sancti gratia profecisse. penituit quidem eum, & Saluatoris, Beatæque Virginis praesentia, in mysterij agnitione, & Spiritus sancti gratia progressum magnum fecit: nunc autem repleti dicitur Spiritu sancto, quia nouum donum accepit, ac gratiae gradum; vehementi enim spiritus ardore inflammatus, & praclaro prophetiae lumine illustratus palam Canticum mysterijs refertum pronunciat. Repletur ergo Spiritu sancto, ut actu prophetae. Illud enim (prophetauit) effectus est Spiritus sancti in illum superuenientis, & causa, cur repletus Spiritu sancto dictus sit. Perpende largitatem diuinæ misericordiae. Qui prius mutus erat, & vocem, & donum, ac verbum prophetiae singulare recepit.

A N N O T A T I O C X L I I I .

Prophetat Zacharias, & de Christo, & de filio suo Ioanne. Continet autem Prophetia partim præterita, seu præsentia, partim futura: nam aduenisse in carne Dei filium annūciat, & redemptionem per eum futuram prædicat. Ioannis etiam officium, quod futurum erat, vaticinatur: ut enim, inquit,

Greg. homil. 1. in Ezechiel. Prophetia non solum est de futuris, sed etiam de præteritis, ac præsentibus, quæ occulta sunt, omneque tempus prophetia complectitur. Zacharias igitur à prophetia de Christo exorditur.

Prophetia Zachariæ omnes temporis differentias complexa est.

Benedictus Dominus Deus Israel.

C O M M E N T A R I A .

A laude, & gratiarum actione de Christo incipit propheterare; vbi enim de beneficijs acceptis agitur, tale exordium conuenienter sumitur. Benedicere autem Deum non aliud est, quam eum laudare, eiusque beneficia gratiarum actione prædicare. Appellat autem Deum Israel, cum sit omnium Deus, tum quia religio Dei, & cultus vigeat in illo populo, gentibus idololatriæ deditis. Psal. 75. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius; tum propter promissiones illi populo factas, inter quas illa erat, quod de eius semine carnem Dei filius sumpturus erat. Rom. 9. Quorum est adeptio, & legislatio, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem. Merito ergo Deum Israel nunc appellat, quasi impleuisset illud, quod promiserat, cuius causa Deus Israel dicebatur. iuxta illud Psal. 40. Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & vsque in sæculum. fiat, fiat. Hæc benedictio Zachariæ prophetica est, quia laudat Deum, & gratias agit pro beneficio aduentus, quem per prophetiam nouerat.

A N N O T A T I O . C X L V .

Deus & Iudæorum, & gentium omnium Deus, & Dominus est, ut dicitur Roman. 3. tamen voluit olim sic appellari, non solum ob prædictas causas, quia in Israel colebatur, ut inquit Euthymius, & quia de Israel carnem erat sumpturus, secundum promissiones illi populo factas; sed etiam, ut à falsis dijs gentium fecerneretur, ipseque solus Deus verus agnosceretur. Psal. 71. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus. Deuteron. 32.

Non enim est Deus noster, ut dij eorum, & inimici nostri sunt iudices. Daniel. 6. Paueant Deum Danielis, ipse enim est Deus viuens, & æternus in sæcula. Supra annotauimus hominem homini benedicere, & Deum homini, hominemque Deo; multo tamen differentius. Benedicit Deus homini benefaciendo; homo vero Deo, beneficia ab eo accepta recognoscendo, confitendo, prædicando, ac gratias pro eis agendo; homo vero homini vtroque modo.

Quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.

C O M M E N T A R I A .

Causam explicat benedictionis: Quia visitauit, inquit, & fecit redemptionem plebis suæ, id est, carnem sumpsit, ut plebem suam redimeret, & saluaret. Mirro artificio vtrumque coniunctum est verbum. nam visitare dicitur aliquando Deus quando punit, & flagellat. Visitat etiam quando miseretur, & benefacit. Visitatio autem hæc misericordiæ est, non iustitiæ; potuisset enim Deus carne sumpta plebem visitare ad iudicandum, & damnandum. at non misit Deus filium suum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per eum; idcirco, visitasse, & fecisse redemptionem dicitur, quasi diceret, homo factus est, ut nos redimeret, & saluaret. Fecit quidem Deus aliquando redemptionem, & liberationem populi, sed non ut visitando, nimirum, quando carne nondum sumpta, populum à temporalibus miserijs liberauit. nunc autem homo factus venit ad redimendum hominem, etiam à malis spiritualibus, ideo visitasse, & fecisse simul redemptionem dicitur. Visitatio ad carnis assumptionem, redemptio ad passionem, & mortem refertur, per quam redempti sumus. Nec mireris, quod redemptionem fecisse dicitur, cum nondum esset mortuus, quia Prophetarum mos est, præterito loco futuri uti ad rei certitudinem significandam, quamuis hoc in loco peculiaris quædam ratio & causa sit, nimirum, quia redemptio iam tunc inchoata erat sumpta carne. Non autem redemptio hæc carnalis est

Merito Deus visitasse, & redemptionem plebis suæ fecisse dicitur.

lis est, sed spiritualis, per quam à dæmonis potestate, & peccatorum iugo liberauit Deus in carne plebem suam, de qua scriptum est Psalmo 129. Copiosa apud Deum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Fuit quidem generalis hominum redemptio, & visitatio; tamen quia Christus inter Iudæos natus est, & cum eis conuersatus, & apud eos mortuus, & ipsis promissio facta est, & salus illis prius erat annuntianda, propterea dicitur, facere redemptionem plebi suæ, nempe, quam promisit plebi suæ. De hac visitatione, & plebe illud est Lucæ 7. Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia visitauit Deus plebem suam. Et Luc. 2. Gloriam plebis tuæ Israel. Cætera in annotatione perlege.

A N N O T A T I O C X L V I .

Deus visitat ut misereatur, & viciuiat.

Cyprianus lib. 2. contra Iudæos num. 7. sic legit: Benedictus Dominus Deus Israel, qui prospexit redemptionem Populo suo. Verus tamen interpretis verba Græca magis expressit & distinxit. Aduerte autem verbum visitandi in Scriptura in bonam, & in malam aliquando partem accipi. Certum quidem est Deum semper adesse nobis, omniaque nostra prospicere, tamen quando aliquo exteriori opere se præsentem demonstrat, tunc visitare dicitur. Visitat autem vno modo, quando damnat, punit, flagellat, aut vlciscitur, sicque aliquando dicitur visitare homines, quos punit, & aliquando exprimitur causa, propter quam castigat, & punit, & dicitur visitare peccata, aut super peccata, seu super idola. Et aliquando explicatur flagellum in plaga, virga, egestate, & his similibus, quibus castigat. Sunt huiusmodi multa testimonia, à quibus vnum, aut alterum producam. Isai. 26. Visitasti & contriuisisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum. Num. 14. Visitas peccata patrum in filios. Thren. 4. Visitabit iniquitatem tuam filia Edon. Psal. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: Ierem. 27. In gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam Ierem. 21. Visitabo super sculpitilia Babylonis. His omnibus modis exprimitur hæc visitatio, quæ est ad pœnam, & punitionem. Altero modo dicitur visitare, quando misericordia vititur consolando, liberando, defendendo, benefaciendo; Exodi. 4. Audierunt, quod visitasset Dominus filios Israel. Psal. 64. Visitasti terram, & inebriasti eam. Vtroque modo accipitur nomen visitationis. In malam quidem partem Isai. 10. Quid facietis in die visitationis? Ierem. 23. Afferam super eos mala annum visitationis eorum, ait Dominus. Ezechielis 9. Appropinquauerunt visitationes vrbis. In bonam vero Isaiæ 60. Ponam visitationem tuam pacem. Hinc est quando Dominus venit iudicare orbem, dicitur visitans, & actus visitatio, quia tunc & malos punit, & bonis mercedem tribuet. 1. Petri 7. Ut nos exaltet in die visitationis. Dicitur autem Deus peculiari, & præcipuo quodammodo visitasse, quando carne assumpta venit ad liberandum nos, & actus ipse visitatio appellatur. Ezechiel. 34. Requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum. Et Luc. 19. Eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Sic accipitur in præsentem; visitasse enim dicitur Deus plebem, quia carnem sumpsit, & homo factus est inter nos, ut nos saluet.

Redimere in Scriptura duo significat:

Verbum autem redimendi, & redemptionis in Scriptura, quamuis in bonam partem semper accipitur, tamen dupliciter vsurpatur. Vno modo, pro eo quod est liberare, seu eripere à captiuitate, seu ab inimicis, seu à malis aliquibus. Sic dicitur Deus redemisse populum ab Aegypto. Exo. 6. Ego Dominus,

qui educam vos de ergastulo Aegyptiorum, & eruam de seruitute, & redimam in brachio excelso. Psal. 100. Redemptionem misit Dominus populo suo. Psal. etiã 118. Redime me à calumnijs hominum. Psal. 101. Redemit eos de manu inimici. Altero modo accipitur proprie pro eo, quod est pretio, seu æquivalente soluto emere. Exo. 13. Omne primogenitum pretio redimes. Leui. 27. Non redimetur, sed morietur. Hoc modo redemit nos Christus de potestate dæmonis, & à peccatis nostris, soluto scilicet pretio sanguinis sui, de qua redemptione dictum est Isai. 43. Noli timere, quoniam redemi te. Iere. 31. Redimet Dominus Iacob. Gala. 3. Christus redemit nos de maledicto legis: Apocalyp. 5. Redemisti nos Deus in sanguine tuo. Et de hac redemptione dicitur 1. Tim. 1. Qui dedit redemptionem semetipsum. Christus etiam dicitur Redemptor Iob. 19. Scio, quia Redemptor meus viuuit. Isaiæ 44. Redemptor eius Dominus exercituum. Maior fuit hæc redemptio, quam cum Populus fuit ab Aegypto redemptus, non solum ex parte effectus, quia illa à temporali seruitute, ac captiuitate, hac vero à spirituali liberatus fuit; sed etiã ex parte modi redimendi: illic enim populus ereptus est potentia, & virtute liberatoris Dei; hic carne sumpta, & soluto pretio, & facta satisfactione pro omnium peccatis, propter quæ debitor homo sub potestate dæmonis tenebatur, & mortis æternæ reus erat. idcirco hæc redemptio dicitur copiosa apud Deum. Psal. 129. Erat enim Deus creditor, homo vero debitor, nec vnde solueret habebat: factus est igitur Deus homo, & in natura humana habuit pretium, quod solueret, nempe sanguinem, passionem, & mortem suam in carne, & per eam Deo creditori soluit, & soluto pretio hominem debitorem liberauit, & à vinculis æternis soluit, & à dæmonis potestate eripuit, & à peccato-mundans Patri reconciliauit. De hac redemptione nunc dictum est: Fecit redemptionem plebi suæ. Attendendum est autem non esse dictum: Fecit redemptionem plebis, sed plebi. Plebs hæc Iudaicus populus erat, de cuius semine secundum carnem venit Redemptor, & cui soli redemptio, & aduentus promissa fuerunt; redemptio autem non illius solius, sed etiam populi gentium facta est; nam per Christum vterque populus redemptus est, & in vnam Ecclesiam, & populum Dei congregatus, soluta lege illa, quæ erat quasi maceries diuidens, ut habetur Ephes. 2. idcirco dicitur fecisse redemptionem plebi suæ, nempe quam plebi promiserat, & ad quam adimplendam præsentiam suam illi populo exhibuit, non tamen plebis suæ solius, sed & omnium gentium redemptio facta est, quod valde annotandum est; hoc enim Zacharias Spiritu sancto illustratus significauit, & Euangelista ea locutione indicare nobis voluit.

Quare dixerit plebi & non plebis.

Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.

C O M M E N T A R I A.

Altera causa benedicendi Deum, hæc est, quia erexit nobis cornu salutis, id est, regem excitauit, & Saluatorem, quod Petrus, Act. 5. significauit dicens: Hunc Principem, & Saluatorem Deus exaltauit dextera sua ad dandam penitentiam Israeli & remissionem peccatorum; cornu enim regiam potestatem, ac potentiam significat, quæ quidem erat olim apud Iudæos in Dauid, & eius posteris, per multa annorum curricula; erat autem iam deiecta, & velut extincta, at in Christo reparata est, & mirum in modum extensa, & aucta. Fuit autem hæc regia potestas, & regnum salutis, quia ad nos saluandum venit, & à iugo peccati, mortis, & dæmonis eripiendum, & ad id præstandum erexit hoc regnum: istud igitur est quod dixit: Erexit cornu salutis, id est, regiam potestatem, & virtutem reparauit, & restituit nobis Iudæis, à quibus hæc potestas regia iamdiu ceciderat. Erexit autem hanc regiam potestatem in domo Dauid, quia de eius semine caro Christi regis sumpta est, & de eius familia rex natus est, vt sicut ab illo regnum ceciderat, ita in eo repararetur, & erigeretur. Appellat autem Dauidem puerum suum, id est, seruum Dei, non solum, quia Deo gratus extitit, eiusque voluntatem fecit, sed quia Rex fuit, & minister Dei. Psal. 77. Elcgit Dauid seruum suum. Videtur alludere Zacharias ad prophetiam Psalmi 131. Illuc producam cornu Dauid, id est, florere seu germinare faciam regiam potestatem Dauid, quæ iam abiecta erat, & ceciderat. Diximus multa in explicacione verborum Angeli de hoc Christi regno.

A N N O T A T I O C X L V I.

Cornu potentia, & robore sumitur.

Cornu potentia, & robore sumitur.

Cornu potentia, & robore sumitur.

Cornu in Scriptura potentiam, ac robur, seu fortitudinem significat, sumpta metaphora ab animalibus cornigeris, quorum fortitudo in cornu est. Deutero. 33. Cornua Rhinocerotis cornua illius. Psal. 43. In te inimicos nostros ventilabimus cornu. Accipitur autem in vtramque partem, & bonam & malam. Psal. 74. Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti. Dicitur autem cornu salutis, quando robur datur ad saluandum, & ad victoriam. 2. Regum. 22. Scutum meum, & cornu salutis meæ. & Psal. 17. Protector meus, & cornu salutis meæ. Cum autem potentia, & robur maxime in Regibus, & Principibus vigeat, hinc est, quod cornu regiam potestatem, & dignitatem significat, vt constat ex multis locis, præcipue autem Danielis 8. vbi describuntur bestiarum multæ habentes cornua, quæ postea ibidem explicantur significare reges futuros. Euthymius affirmat cornu significare regnum, quia reges vgebantur oleo, quod erat in cornu. Quod quidem etiam si in Regibus Iudaicis verum habeat aliquando, non tamen certum est reges ceteros sic vni consueuisse, qui tamen omnes significantur per cornu; accommodatius dicitur cornu significare regnum, eo quod robur, & potentia maxime in Regibus reperitur. Vtramque significationem, nempe fortitudinem, & regnum huic cornu applicat Euthymius; nam in Christo erecta est fortitudo salutis; ipse enim vicit, & superauit inimicos nostros, nobisque virtutem ad eos deuincendos suppediat. Ipse etiam regnum instituit æternum, qui Rex regum est, & Dominus dominantium, & regnare facit suos, & in hoc sæculo per gratiam, & in æterna vita per gloriam consummatam. Sicque de semine Dauid surrexit Christus, in quo regnum deperditum renouatum est; multo tamen auctius, perfectius, & durabilius, quam illud fuit. Hanc autem posteriorem significationem credimus accommodatiorem esse his verbis Zachariæ; alludit enim ad cornu illud, de

quo 1. Regum 2. dictum est: Dominus iudicabit fines terræ; & dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. Et illud Psal. 88. In nomine meo exaltabitur cornu eius. Et illud psal. 131. Illuc producam cornu Dauid, id est, germinare, & reflorescere faciam regnum ipsi Dauid, quod erat deiectum, & ablatum. Dicitur autem cornu salutis, quia non venit Christus ad damnandum, sed ad saluandum. Lucæ 9. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluas facere. Legimus in Scriptura cornua ad ruinam, & mortem, de quibus dictum est Zachar. 1. Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros, & nemo eorum leuauit caput suum, & venerunt isti deterrere ea, vt deiiciant cornua gentium, quæ leuauerunt cornu super terram Iuda, vt dispergerent eam. & Daniel. 8. Egressum est cornu vnum modicum, & factum est grande contra Meridiem, contra Orientem, & contra fortitudinem. Hoc cornu est Antichristi potestas, quæ erit ad nocendum; cornu vero Christi salutis est. Regnum autem Christi merito per cornu significatur, nam & cornu percutit animal, sicque percutit, vt procul abiciat inimicum; Christus enim percussit diabolum, & peccata nostra procul abiecit, ne regnent in nobis. Ioan. 12. Princeps huius mundi eicietur foras. Micheæ 7. Deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Illud autem (erexit) Cyprianus lib. 2. contra Iudæos num. 7. legit (excitauit) magis autem accedit verbo Græco (erexit) seu (exultauit) quod Gregorius lib. 1. Expositionis lib. Regum cap. 2. egregie interpretatur, dicens: In Deo saluari nostro exaltatum est cornu nostrum, quia sublimitas Ecclesiasticæ potestatis in humanitate nobis erecta est Redemptoris. Vnde & de eodem redemptore per Zachariam dicitur: Erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os Sanctorum prophetarum suorum. Et quia exaltatum cornu suum refert,

refert, latenter indicat, quia ante cornu habuerat, quod exaltatum non erat. Sancta quippe Ecclesia ante Redemptoris aduentum cornu habuit, quia in Patriarchis, & Prophetis, tam recte viuendi ordinem, quam delinquentes corrigendi potestatem diuinitus accepit; sed tamen cornu exaltatum non habuit, quia etsi viuere iuste poterat, tamen ad paradisi gaudia sine Redemptoris præsentia redire non poterat: nunc autem Sanctæ Ecclesiæ cornu exaltatum est, quia iam mundi Redemptorem recepimus venientem, per cuius gratiam non solum recte possumus viuere,

sed ad Paradisi gaudia transire. Hæc, & alia Greg. ibi, & lib. 6. eiusdem expositionis cap. 3. sic inquit: Sublimauit cornu Christi sui. Hinc namque per Zachariam dicitur: Erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Cornu quippe salutis quid est, nisi sublimitas Ecclesiasticæ potestatis? nam quod antiquis nusquam dicitur, modo vniuersali Ecclesiæ dicitur: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Hæc ibi.

Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.

C O M M E N T A R I A.

Tertia causa benedicendi Deum hæc est, nempe impleuisse, quod per Prophetas promiserat. Erexit, inquit, cornu salutis in domo Dauid, sicut prius locutus est, & promisit per Prophetas antiquos. Est autem causa magna Deum laudandi impleuisse promissa, quod ad fidelitatem pertinet. Rom. 3. Numquid incredulitas illorum, fides (id est fidelitatem) Dei euacabit? Significat Zacharias hoc cornu salutis esse Christum, eiusque regnum prænunciatum, & promissum per Prophetas. Prophetæ Sancti dicuntur in distinctionem pseudoprophetarum, quorum sæpe Scriptura meminit. Illi quidem non proprio spiritu, sed Dei ipsius locuti sunt, idcirco Deus per eos loqui dictus est. 2. Petri. 2. Non humana voluntate allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Hinc est, quod in Symbolo fidei confitemur Spiritum sanctum, qui locutus est per Prophetas. Per hos promisit Deus Christum salutis auctorem, & de familia Dauid venturum, in quo regnum erat suscitandum, & exaltandum. Sunt tot, ac tam aperta vtriusque veritatis testimonia Scripturarum, vt superfluum sit aliqua producere. Sufficiant quæ Christus in Euangelio testatus est, dicens: Lucæ. 24. O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Et Ioan. 5. Scrutamini scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere; illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Dicuntur autem Prophetæ à sæculo fuisse, id est, olim, & ab antiquo. Phrasis enim est Hebræa. Genesis. 6. Isti potentes, qui à sæculo fuerunt. Et Psal. 24. Reminiscere miserationum tuarum, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt, id est antiquarum: iuxta illud. Psal. 88. Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ. ita nunc etiam dictum est, qui à sæculo sunt. cui est simile illud Pauli ad Hebr. 1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissime locutus est nobis in filio.

A N N O T A T I O C X L V I I I.

Quid verbum illud (à sæculo) significet.

Illud (à sæculo) quidam recentiores intelligunt quasi dictum esset, ab orbe condito, seu à mundi exordio; accommodatius tamen intelligitur locus hic de Prophetis, quorum testimonia sacra Scriptura continet, qui fuerunt missi ad populum illum Iudaicum, cui facta est promissio Saluatoris, qui à sæculo dicuntur, quia ab antiquo fuerunt, quando populus Iudæorum initium sumpsit. Hoc autem (Sicut locutus est per os Prophetarum) refertur ad cornu salutis, & ad id, quod in domo Dauid sit erectum. Vtrumque in priori sententia affirmatum est, & vtrumque Prophetæ prædixerunt, nempe Christum salutis auctorem, & de domo Dauid venturum. Quamuis

Beda referat ad secundum tantum, nempe quia in domo Dauid sit cornu hoc salutis erectum. Per Prophetas autem Deum locutum esse, & promississe cornu salutis, non aliud est, quam promississe Christi Regnum, eiusque aduentum saluatorum homines, quod ab antiquo prænunciatum est. Isa. 25. Ecce Deus iste, expectauimus eum, & saluabit nos. Ierem. 23. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Osee. 1. Saluabo eos in Domino Deo suo. Soph. 3. Dominus Deus in medio tui fortis, & ipse saluabit nos. Sunt multa huiusmodi testimonia.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

C O M M E N T A R I A.

EXponit quid sit hoc cornu salutis: Salutem, inquit, ex inimicis, id est, eum, qui saluabit, & liberabit nos ab inimicis nostris, & de manu, ac potestate eorum, qui nos oderunt. sicque connectenda est tota hæc sententia, quasi quædam appositio, & explicatio illius, quod dixerat cornu salutis. Similis locutio habetur inferius capite 2. Viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Sicut lumen, & gloria per quandam appositionem dicta sunt illius (salutare tuum) ita nunc per appositionem illius (cornu salutis) dicitur, Salutem ex inimicis nostris. Salutem dicit, id est, causam salutis, aut loco Saluatoris. Sic enim sæpe in Scriptura usurpatur. Psal. 26. Dominus illuminatio mea, & salus mea. Psal. 34. Dic animæ meæ, salus tua ego sum. Ioan. 4. Salus ex Iudæis est. Distinguit autem Zacharias inimicos, & odio habentes, à quibus liberandi sumus, iuxta illud Psal. 105. Saluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici. Inimicos, & odio habentes habet homo; inimicos quidem, qui ei nocent spiritualiter, carnem, & mundum, à quibus multis modis patimur, ab his liberati sumus per Christum, dum tanta nobis virtus, & gratia eius visitatione, & redemptione collata est, ut eorum nocentium vitare possimus, & eis uti ad iustitiæ, & præmij augmentum valeamus. Rom. 7. Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum. Galat. 1. Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsentis sæculo nequæ. Qui vero oderunt, dæmones, sunt & homines, sæpe ab illis instigati, qui nostram salutem impedire conantur, à quibus per Christum eodem modo liberati sumus, non quod illi non tentent nocere, sed quod non noceant; non quod non impugnent, sed quod non expugnent nos. Gal. 6. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates tenebrarum harum. Liberauit ab his nos Christus, non ut non insurgant contra nos, sed ne vincant, si nolumus. Hoc est de manu odientium saluare, nempe, ne præualeant aduersus nos. Hæc in hoc sæculo fiunt; nam in futuro, & æterno perfecta est salus, ubi nullus aderit inimicus, nec aduersarius, nec qui nos odio habeat, quando ponet fines pacem, & adipe frumenti nos satiabit.

A N N O T A T I O C L X V I I I I.

Superioris sententiæ expositio confirmatur.

EVthymius, Theophyl. & Beda interpretantur hanc sententiam per appositionem quandam dictam, connectentes cum illa: Exiit cornu salutis, nempe, Salutem ex inimicis nostris, quorum interpretationi nos in Commentario adhæsimus. Quidam vero recentiores connectunt cum verbo (locutus est) ut sit sensus: Exiit cornu salutis, sicut locutus est, & promittit per Prophetas, salutem ab inimicis, & de manu odientium. Immo & multa, quæ sequuntur, cum eodem verbo connectunt. Quorum expositio licet probabilitate non careat; multo tamen accommodatior visa est illa, quam antiqui sequuntur, eamque in Commentario & probauimus, & explicauimus. cui locutioni præter id, quod in Commentario protulimus, simile illud etiam est 1. Corint. 1. Christum prædicamus crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam. Illud autem (de manu eorum, qui oderunt nos) quidam repetitionem quandam Hebræis visitationem existimant, ut idem sit. ex inimicis & de manu eorum qui oderunt. At quia hæc duo non ut idem significantia in Euangelio legimus. Matt.

5. Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos, & re vera idem non sint: inimicorum enim nomine non semper comprehenduntur, qui oderunt. nam, & caro, & mundus inimici nostri sunt; non tamen dicuntur odio nos habere, & inter homines ipsos, non semper qui odio habent, inimici sunt. nam inimicus est, qui signo exteriori conceptum contra nos odium ostendit. Et sunt qui odio habent; signa tamen amicorum, & opera sæpe præbent; idcirco in hoc loco distincta reputamus, ut in Commentario explicuimus. Vtroque tamen nomine omne genus inimici comprehenditur; sunt enim inimici visibiles, & inuisibiles, occulti, & manifesti, homines, & dæmones. creaturæ rationales, & irracionales, & omne vitium inimicum nobis est, à quibus omnibus per gratiam Saluatoris liberati sumus, in hoc quidem sæculo, ne nobis nolentibus noceant, in futuro vero, quando inimica occidetur mors, ne etiam nocere attentent. In Scriptura autem sacra sæpe hæc duo coniunguntur. Psal. 17. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab ijs, qui oderunt me. Et ibidem: Inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. Et Psal. 20. Inueniatur manus

manus omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes qui te oderunt, id est, contra inimicos occultos & manifestos, qui oderunt occulti, qui

manifesti inimici dicuntur. Sunt multa alia huiusmodi loca.

Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris.

C O M M E N T A R I A.

CAusas cur cornu hoc salutis erexit Deus, eiusque fructus, & vtilitates enarrat; illi enim sententiæ connectitur ista, quæ sequitur nunc. Prima igitur causa est, ut misericordiam faceret cum Patribus nostris. Non autem cum solis illis Patriarchis, & Prophetis, sed etiam cum omnibus iustis, qui præcesserant, Deus carne assumpta fecit misericordiam. Primo quidem, quia illis peccata remissa fuerunt in fide, & spe huius aduentus, & futuri cornu salutis; pretio enim veluti credito remittebantur illis peccata. Facta est igitur misericordia cum illis, dum mittitur pretium peccatorum illorum, seu dum misericordia inchoata ante aduentum, in ipso aduentu perficitur, & completur, sicut qui captiuum de potestate inimici liberat, pretio nondum soluto, sed credito misericordiam inchoat, quam consummat quando illud exhibet. Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei. Secundo, quia detinebantur iusti illi, cum è viuis discesserant, etiam purgati in carcere, seu limbo, ne viderent Deum, & gloria fruerentur, donec per hoc cornu salutis liberarentur. Zachar. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Vnde Christus resurgens, & in infernum descendens eos illinc extraxit, & secum in Paradisum introduxit. Vtrumque opus misericordiæ fuit; remissio enim peccatorum non iustitiæ hominum, sed gratiæ, & misericordiæ est per Christum. Liberatio etiam illorum à carcere, & introductio in gloriam, licet opus sit iustitiæ, qua Deus mercedem promissam iustis præbet, tamen à radice misericordiæ procedit, per quam gratiam dare, qua iusti constituerentur & promittere dignatus est. idcirco etiam misericordia dicitur. Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Hanc igitur misericordiam Christus adueniens fecit cum Patribus illis. Patres enim appellat priores tempore, qui iam mortui fuerant.

Rom. 3.

A N N O T A T I O C L.

Magis expenduntur verba hæc.

Illud (ad faciendam) Græce infinitiuus est, (facere misericordiam) sicut etiam quod sequitur (memorari) quamvis Interpres vnum verterit per gerundium, alterum per infinitiuum, ut sermo Græcus habet. Latine dicimus, ut faceret misericordiam, & ut recordaretur testamenti sui. Sicque clarior efficitur sententia, licet sensus non mutetur in lectione Interpretis. Exiit ergo cornu salutis Deus, ut faceret misericordiam, seu, ad faciendam misericordiam. Origenes hom. 10. Theophylactus, Euthymius, Beda, cæterique antiqui Patres connectunt illi sententiæ (Exiit cornu salutis) ut diximus in Commentario. Quidam vero recentiores coniungunt, verbo

(locutus est) sicut & præcedentem versiculum, in hunc sensum: Sicut locutus est fore, ut saluaret nos ab inimicis nostris, & faceret misericordiam cum Patribus nostris, & memoraretur testamenti sui sancti. Dura tamen, & parum accommodata est connexio, ut intuenti facile est videre. Potius verba hæc ratio sunt, cur cornu salutis erexit, ut diximus. Quæ autem sit hæc misericordia, quam fecit Deus per hoc cornu salutis, Origenes explicat generaliter, nimirum, quia aduentus, & præsentia Christi illis profuit, & utilis fuit. Quæ autem fuerit hæc vtilitas non exponit; nos autem in Commentario explicuimus, nec est quod repetamus.

Et memorari testamenti sui sancti.

C O M M E N T A R I A.

Secunda causa, cur cornu salutis erexit Deus, annectitur, nempe ut recordaretur testamenti, pacti, seu promissionis suæ, quam fecerat olim Patribus, quasi diceret, ut re ipsa ostenderet se memorem esse. Recordari enim Deum promissio-

his, non aliud est, quam implere quod promiserat: ut igitur misericordem, & fidelem se exhiberet erga Patres, carnem sumpsit, & cornu salutis erexit. Quomodo misericordem Patribus se praebeuit Deus suo aduentu, in Commentario praecedenti diximus: fidelem autem se exhibuit implendo, quod promiserat. Fuit namque misericordiae promississe; at implese, fidelitatis. Testamentum appellat foedus, & promissionem, seu pactum, quod fecit Deus cum maioribus illis Iudaeorum de aduentu suo, & carnis assumptione ad saluandum, & redimendum hominem, quod appellat Sanctum, ut distinguat ab alijs pactis, quae fecit Deus de rebus temporalibus: hoc autem est de Christo venturo, qui Sanctus sanctorum est, & ad nos sanctificandum datus.

A N N O T A T I O C L I.

Hæc sententia magis explicatur.

Psalm. 88.

Aduerte quosdam recentiores, ut in praecedenti annotatione diximus, copulare etiam hæc cum verbo (locutus est) accommodatior tamen est connectio, ut sit causa quædam, cur cornu salutis Deus erexit, ut Euthymius, Theophylactus, & antiqui sentiunt. Aduerte etiam ex his verbis, Deum in suscipienda carne habuisse rationem statuum, qui præcesserunt; venit enim ut illorum misereretur, & quod eis promiserat adimpleret. Hæc duo prædixit, & promisit Deus David psalmo 88. Misericordia, inquit, mea, & veritas mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Perpende (cornu eius) nimirum Christum de domo David, eiulque femine: præterea illud (misericordia mea cum ipso) quod nunc dicitur (ad faciendam misericordiam) (& veritas mea cum ipso) id est (memorari testamenti sui sancti) quasi dicat: Erigam cornu in domo David, ut factam misericordiam cum ipso, & fidelem me

exhibeam, implendo quod promisi. Statim explicat ibi sanctitatem, & stabilitatem promissionis huius. In æternum, inquit, seruabo illi misericordiam meam, & testimonium meum fidele ipsi. Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, neque nocebo in veritate mea: Neque profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. Hæc omnia præsentem Zachariæ sententiam explicant. Testamentum autem sanctum dici quidam recentiores putant, quia inuiolabile sit, & firmum; sed accommodatius dicitur sic appellatum, ut indicet illud pactum de Christo venturo, ad distinctionem pacti de rebus temporalibus, & terra promissionis Iudæis tunc danda.

Iusurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum.

C O M M E N T A R I A.

Abacuc. 3.

Causa tertia hæc est, cur cornu salutis erexit: Iusurandum, inquit, quod iurauit ad Abraham; id est, ut seruaret, & compleret iusurandum, quod iurauit. Est autem in accusandi casu, & connectitur eidem verbo, Erexit cornu salutis; Iusurandum nempe quod iurauit. Est enim phrasys Hebræa similis illi Abacuc 3. Suscitabis arcum tuum, iuramenta Tribubus, quæ locutus es, id est, ut impleres iuramenta, quæ iurasti, & locutus es. ita nunc, Erexit cornu salutis, iusurandum, quod iurauit, scilicet, ut redderet iuramentum quod iurauit. Distinguit iuramentum à testamento, seu promissione, non solum quia distincta hæc sunt; iuramentum enim promissioni maiorem firmitatem, & immutabilitatem adiungit, sed etiam quia hoc iuramentum peculiare est, quod Deus præstitit Abraham Gen. 22. ut in annotatione explicabitur; Abraham patrem appellat nostrum, quia est Iudaeorum primus parens, cuius fidem, & circumcisionem amplectebantur, & in quo acceperant promissiones. Ioan. 8. Scio quia Abraham filij estis, & Pater noster Abraham est. Refert autem Abraham; nam etiam si ad David etiam iurauit Deus. Psalmo 131. Iurauit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum; non fuit tamen iuramentum tale, quale hoc, quod fecit ad Abraham, quodque sequenti sententia explicatur.

A N N O T A T I O C L I I.

Sensus superioris sententiae magis exploratur.

Accusatiuus ille (iusurandum) cum non appareat verbum, a quo regatur, varias induxit

interpretationes recentiorum. Quidam enim legendum censent (iusurandi) facile enim potuit error. Græce

Græce incidere propter similitudinē littera ypsilon cum ni. ὀψων ὀψέου. Si autē legamus in gignēdi casu, tunc facilis est sensus: connectitur enim cum verbo (memorari) quasi expositio illius (testamenti sui sancti) nempe, iusurandi, &c. Cum autem omnes codices Latini, & Græci legant in accusandi casu, & antiqui expositores sic exponant, & legendum annotent, ut paulo post dicemus, non est admittenda recentiorum istorum emendatio. Quidam alij suppleendam præpositionem καὶ, seu Latine (secundum) existimant, ut sit sensus: Secundum iusurandum, quod iurauit ad Abraham. Oportebat autem Scripturarum testimonijs hanc similem additionem solitam probare, quod non fit idcirco, nec probanda est horum interpretatio. Quidam alij connectunt cum verbo sequenti (daturum) quod Græcis est infinitiuus (dare nobis) ut sit sensus: Ut daret nobis iusurandum, quod iurauit ad Abraham. Violenta autem hæc est transpositio, præterquam, quod improprie dicimus, dare iuramentum, pro eo quod est implere quod iuratum est, idque tam Græce, quam Latine. Quidam alij connectunt cum illo verbo (locutus est) cui etiam, ut diximus, connectunt illud (salutem, & reliqua) sed dura nimis efficitur locutio. Postremo inter antiquos, Euthymius, Theophylactus, & Beda connectunt cum verbo præcedenti (memorari) quod vtrumque casum etiam Græce regit, nempe gignendi, & accusandi, & ab vno casu transit in alium, sicut supra retulimus multos interpretatos esse illud: Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius. Hanc interpretationem non possum mihi facile persuadere. Si enim Euangelista verbum præcedens exponere voluisset, numquam casum mutasset, sed aut vtrumque in gignendi, aut in accusandi casu posuisset; idcirco potius arbitrator Euangelistam casum mutasse, ne ad verbum præcedens (memorari) referri existimarem, sicut supra etiam annotauimus in illis verbis (Abraham, & semini

eius.) Separandum ergo est iusurandum à præcedenti sententia, & referendum ad illam primam (Erexit cornu salutis) quasi sit noua quædam causa illius, sicut cæteræ præcedentes, ut in commentario explicatum est. Quod autem ad hoc iusurandum spectat, recte Theophylactus annotat illud esse, quod Dominus Abraham, filium ad Dei vocem sacrificare volenti præstitit, dicens: Per memetipsum iuravi, quia fecisti hanc rem, & non peperisti filio vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Huius iuramenti tamquam insignis cuiusdam facti meminit nunc Zacharias, distinguens à testamento, seu promissione de Christo venturo, quam fecerat eidem Abraham sine iuramento cap. 12. & 18. & quam sine iuramento fecerat Isaac Gen. 27. & Iacob Gen. 28. Iuramentum autem Abraham factum est tunc, cum Isaac filium ad Dei vocem sacrificare voluit, idcirco huius nunc particularis mentio facta est. Iuramentum autem Dei, promissionis immobilitatem, & firmitatem auget. Quamuis enim simplex Dei promissio firma sit, quia Deus verax est, & mentiri non potest, iuramentum tamen auget, quasi geminata firmitate, ut docet Paulus Hebr. 6. huius iuramenti mentionem faciens: Homines, inquit, per maiorem se iurant, & omnis controuersia eorum finis ad confirmationem est iuramentum, in quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusurandum, ut per duas res immobiles, quibus est impossibile mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus. Homo quidem, cuius promissio fallax est, firmitatem accipit à iuramento, quod Deo sit tanquam maiori: Deus autem non habens maiorem, per seipsum iurat.

Quod fuerit iuramentum Abraham præstitum.

Daturum se nobis.

C O M M E N T A R I A.

Explicat quid hoc iusurandum contineret, quidque iurauerit Deus patri nostro Abraham, hoc nempe, se, id est, Deum daturum nobis ea, quæ sequenti sententia enarrantur. Illud (se) refert Deum: Iurauit, inquit, Deus se daturum nobis. nec est loco apppositi, quasi diceret: Iurauit Deus, quod daturus esset seipsum nobis, sed est loco suppositi: Iurauit se daturum, seu, quod ipse daturus esset nobis, quæ sequuntur.

A N N O T A T I O C L I I I.

Quid de superiori sententia Doctores senserint.

NON modica difficultas est in sensu præcedentium verborum assequendo. Communis sententia est, connecti debere cum præcedenti sententia, quasi sit quædam explicatio iusurandi, quod iurauit Deus: Iurauit, inquit, se daturum nobis, ut sine timore de manu inimicorum liberati seruamus illi. ita Origenes homilia 10. Euthymius, Beda, & multi ex recentioribus affirmant. Et reuera hunc sensum amplexus est vetus interpret noster. Cui expositioni verba Græca obstare videntur, est enim infinitiuus cum articulo τὸ δῶναι ἡμῖν; periti autem huius linguæ annotant, articulum illum indicare causam, suppleendumque esse εἶναι, ut sit seu-

sus, ut daret nobis, seu ad dandum nobis. similis enim locutio habetur. Matth. 2. Herodes, inquit, quærat animam pueri ad perdendum eam, illud (ad perdendum eam) est infinitiuus cum eodem articulo. Si igitur sic legamus, non potest connecti cum præcedenti verbo, nec ad iuramenti explicationem pertinet, sed est noua sententia, sicut illæ præcedentes (ad faciendam misericordiam cum Patribus) & (ut memoretur testamenti sui sancti) ita etiam dictum est, ut daret nobis, quo sine timore inimicorum liberati seruamus illi. Eritque quædam alia causa, cur Deus hoc cornu salutis erexit, nec negari potest eam esse congruentem expositionem

tionem, & valde accommodatam, si verba Græca, quæ nunc legimus, consideremus. quam lectionem inueni apud Irenæum lib. 3. cap. 11. vbi sic legit: Iurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, uti det nobis sine timore ex manu inimicorum ereptis, seruire sibi in sanctitate. Hæc Irenæus illud (vbi) loco (vt) positum est. Vetus autem interpretes videtur infinitiuum sine articulo legisse; quasi dictum esset. Iurandum, quod iuravit dare nobis. Vt sine timore inimicorum liberati seruiamus illi. Ac cum omnes hanc recipiant lectionem, & Græci ipsi auctores, qui idiomatis proprii peritissimi erant, eam sequantur, & inter recentiores etiam linguæ huius valde peritos nonnulli Græcis verbis accommodari posse affirmant, existimauimus

consultius esse sic interpretari, ideoque in commentario cum præcedenti verbo coniunximus; nempe Deum iurandum iurasse se daturum nobis, quæ sequenti sententia dicuntur. Non desunt autem graues Doctores, qui illud (se) appositum existimant, nempe, Deus iuravit quod daret seipsum nobis. Deus enim seipsum nobis dedit, quando carnem pro nostrâ salute accepit. Ita interpretati sunt S. Bonaventura, & Albertus Magnus, immo ante eos Augustinus, siue is, cui tribuitur liber de diligendo Deo, cap. 17. Cum autem in nullo codice Græco habeatur illud (se) creditum est ab interprete positum elucidandi causa, debetque non vt appositum, sed, vt suppositum intelligi, sicut antiqui legunt.

Vt sine timore de manu inimicorum liberati seruiamus illi.

COMMENTARIA.

HOC est quod iuravit Deus Abrahamo, se nobis daturum, nempe vt liberati de manu, & potestate inimicorum, sine timore seruiamus illi. Connectitur autem illud (sine timore) verbo illi (seruiamus) Est enim quædam Hyperbaton. Sunt autem in his verbis tria, quæ iuravit dare nobis Deus, quæque per Christum veræ salutis cornu accepimus. Primum est quod de manu, id est, de potestate peccatorum, diaboli, carnis, & mundi liberati sumus, quod supra declarauimus. Alterum est, seruire Deo facile possumus, quod maxime statui Evangelico peculiare est: qui enim erant in legis statu, non ita pure Deo seruibant, de quibus Galat. 4. dicitur. Quomodo conuertimini ad infirma, & egena elementa, quibus denuo seruire vultis? Porro illi Moyfi discipuli erant Ioannis 10. & quodammodo ei seruibant, legem Moyfis obseruantes: at nos Deo ipsi absque vmbri, & figuris seruimus, ipsius sumus discipuli. Ioan. 6. Erunt omnes docibiles Dei legem, & præcepta Christi, qui verus est Deus, obseruamus. Dicimur etiam seruire Deo ipsi per Euangelium; per ipsam enim efficitur, vt non iam peccato, nec affectibus seruiamus, de quibus dictum est Rom. 6. vt ultra non seruiamus peccato. & iterum: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ. Lucae 16. Non potestis seruire Deo, & Mammonæ. Tertium est, quod Timor excludit, non tamen omnis, sed seruilis, & quo præcipue pœna timetur. quo verbo Zacharias significat Christum suo aduentu spiritum illum legalem timoris, & seruitutis abiecturum, & spiritum dilectionis, & filiorum inducturum. Hæc tria egregie Paulus nos docuit; duo quidem priora ad Roman. 6. Gratia, inquit, Deo, quod fuistis serui peccati; obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis; liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ, liberati, inquit, à peccato. ecce quod nunc dicitur, (de manu inimicorum liberati;) nam per peccatum regnat diabolus in nobis: Serui, inquit, facti estis iustitiæ. ecce, quod nunc dicitur (seruiamus illi.) sequenti autem versiculo huius seruitutis, quæ vera libertas est, qualitas explicatur. Iterum adiungit ibidem Paulus: Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Eadem duo repetit capite septimo eiusdem Epistolæ: Cum, inquit, essemus in carne, passionibus peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti: nunc autem soluti sumus à lege mortis, à qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus. De tertio autem eidem Paulus eiusdem Epistolæ Cap. 8. inquit: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater, hoc est, quod nunc dicitur (sine timore) nempe seruorum, quia Euangelium à seruitutis statu in statum filiorum Dei nos transtulit.

Rom. 6.

Origenis expositio refellitur.

ORigen. hom. 10. illud (sine timore) verbo (liberati) copulat, vt dicamur per Christum sine timore liberati de manu inimicorum: Crebro, inquit, de manu hostium aliqui liberantur, sed nõ absque timore; cum enim metus, & discrimen ante præcesserunt, & ita de inimicorum manu quis fuerit erutus, liberatur quidem, sed non sine timore. Porro aduentus Domini IESV de manu inimicorum absque timore nos eruit: non enim sensimus inimicos nostros, nec eos vidimus repugnantes, sed nescimus, quomodo repente de faucibus eorũ, & insidiis erepti sumus, in puncto, atque momento, transtulit nos in hæreditatem, partemque iustorum. Hæc Origenes. Quæ expositio non explicat spiritum Euangelij, quem nobis attulit Christus, qui spiritu timoris, & seruitutis, qui illius legis erat, reiecto, induxit spiritum dilectionis, & libertatis filiorum Dei. Hoc enim est, quod Zacharias nunc significat. Præterea illa doctrina non est omni ex parte vera; timor enim inimicorum præcessit: nam peccatum per legem agnoscebatur. Rom. 7. Per legem, inquit, cognitio peccati. Nouerat homo etiam carnis pugnam contra spiritum, & lex ipsa vetustimorem incutiebat: non igitur sine timore liberati dici possumus. Verius ergo est, & accommodatius, quod dicit Euthymius, nempe esse quandam hyperbaton, & connecti sic debere: sine timore seruiamus: quæ connectio sensum accommodatissimum facit, quem in commentario secuti sumus.

De quo timore loquitur Zacharias.

Duplex hic occurrit dubitatio, vna est, quis sit hic timor, sine quo seruiendum est Deo in Christi aduentu, & Euangelij statu: Quidam de timore inimicorum interpretantur, qui per gratiam modo quodam expellitur, nimirum, vt non timeantur inimici, quasi superari nequeant, cum per gratiam effecti simus illis superiores, si velimus. Talis igitur timor

excluditur per Christum, & fiducia nobis datur, de qua dicitur Ioan. 14. Confidite, ego vici mundum. Quidam alij de timore seruili intelligunt, quo timeatur præcipue pœna, qui proprius est seruorum, qui que in statu legis erat, vt pote quæ ex vi sua à peccato non liberabat, nec gratiam conferebat; ideo qui sub lege erant, in statu seruitutis erant, à quo Christus nos liberans, & in statum filiorum transferens, seruitutis illius timorem abiect, & spiritum dilectionis, & libertatis filiorum attulit, quod Lucae 12. significans, dixit: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. quasi diceret, abiicite timorem seruilem, quia iam filij estis, & patrem habetis Deum, qui vos in regnum aduocauit, in quo regnetis, & non iam amplius, vt olim seruiatis. Hic est timor, de quo nunc dicitur: Sine timore seruiamus illi. Verum est, hoc timore excluso, etiam illum remoueri, qui est inimicorum, de quo illi hunc locum interpretabantur; tamen præcipuum intentum Zachariæ est, significare timorem legis expulsam esse per Christum, & gratiam dilectionis, & filiationis datam.

Dubitatio altera est, cum dictum sit, Deum iurasse ad Abraham daturum nobis, & hoc iuramentum sic illud, quod scriptum est Gen. 22. Quæret aliquis, quibus illic verbis tale iuramentum sit contentum? Respondeo, illis verbis (Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum: & in femine tuo benedicentur omnes Gentes) hoc, & quod sequitur comprehensum, & significatum esse: nam possessio portarum inimicorum significat hanc liberationem de manu inimicorum, quam Christus facturus erat femini Abraham, nempe his, qui Euangelio credituri erant. Benedictio autem illa in femine, scilicet Christo, reliqua omnia complectitur.

In sanctitate, & iustitia.

COMMENTARIA.

EXponit, quæ ad Euangelium pertinent. Venit enim Christus non solum, vt liberaremur ab inimicorum potestate, & sine timore seruiremus ipsi, non autem mundi huius elementis, aut peccatis, vel affectibus, & passionibus carnis: sed etiam, vt seruiremus in sanctitate, & iustitia. Sanctitatem appellat eam, quam Paulus Christianis sæpe tribuit. Rom. 1. Dilectis Dei vocatis Sanctis. Ephes. 5. Nec nominetur in vobis sicut decet sanctos. 1. Cor. 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Sanctitas autem hæc, est non tantum immunitas à peccato, sed quædam diuinitatis participatio, quæ est per gratiam, qua homo extollitur, vt sit Dei filius, & consors diuinæ naturæ. 1. Petri 1. Magna, inquit, & pretiosa promissa donauit, vt per hoc efficiamini consortes diuinæ naturæ. 1. Ioannis 3. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Abiecto ergo seruorum timore efficit, vt seruiamus quasi filij Dei, & consortes eius naturæ facti, hoc est, in sanctitate. Iustitiam autem appellat eam, quæ iustos facit apud Deum, quæ vera est, & supra legis illius iustitiam, & in fide, dilectione, quibus Deo reconciliamur, & perfecta mandatorum Dei obedientia, quæ ex illis duobus procedit, consistit. 1. Corinth. 1. Factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio. De hac Paulus Philipp. 3. ait: Et inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est.

Quid nomen sanctitatis & iustitiæ intelligatur.

ANNOTATIO CLV.

Qua ratione Euthymus sanctitatem, & iustitiam distinguit.

Sanctitatem, quae Graece ἁγιότης, dicitur, Euthymus cultum Dei interpretatur; iustitiam autem eam, quae est ad proximum, ut haec duae partes utramque virtutis amplectantur; sanctitas quidem illam, quae est ad Deum; iustitia vero illam, quae est ad proximum. Mihi tamen accommodatius visum est, si dicamus, iustitiam significare eam, quae vere iustum facit apud Deum, quae est in fide, & dilectione, ex qua omnis mandatorum obedientia prodegit, & tam ea, quae ad Deum, quam quae ad proximum sunt, complectitur, quae perfecta est, nec per legem est data, sed per fidem Christi, & Euan-

gelium. Sanctitatem autem non significare hic pietatem ad Deum, quae sub iustitia continetur, sed id, quod nos facit naturae diuinae consortes, & Dei filios, & in esse quoddam diuinum prouehit; sanctum enim est, quod consecratum est, & Deo dicatum. de quo dicitur Ephes. 1. Ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate. quod Zacharias dixit, in iustitia, Paulus dicit, in charitate; hac enim iustificamur, hac mandata Dei perficimus. Immaculatos autem appellat, propter peccatorum ablationem; sanctos vero, quia consecratos, & in diuinum esse promotos, & euectos.

Coram ipso omnibus diebus nostris.

COMMENTARIA.

In lege Evangelica Deo seruiamus coram ipso.

Alias duas circumstantias adhibet, praeter quinque praecedentes; non solum per Christum liberati sumus de manu inimicorum, ac sine timore, & Deo ipsi seruiamus in sanctitate, & iustitia; sed etiam coram ipso, & omnibus diebus nostris. Coram ipso, potest referri ad iustitiam, & sanctitatem, ut haec dicantur coram ipso, quia iusti efficiuntur, & sancti vere, & in conspectu Dei, non simulate, aut apud homines solos. Accommodatius autem refertur ad verbum seruiendi; nos enim non seruiamus Christo, sicuti Patres illi, qui fide sola eum praesentem habebant, carne nondum sumpta; at nos coram ipso, quia homo factus est, & in conspectu eius sumus. Praeterea quia etiam inter nos est, & nobiscum est quotidie in Sacramento Eucharistiae. Matth. 28. Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Dicitur autem (omnibus diebus nostris) quod non solum perseverantiam significat, sed etiam status Evangelici a legis statu differentiam; lex enim per Christum cessatura erat: unde cum Christus expectaretur, nemo illorum poterat certus esse se sub lege seruiturum Deo omnibus diebus vitae suae: at Euangelium durabit usque ad finem mundi, nec per legem, aut Euangelium aliud euacuabitur, sicut euacuata est lex: idcirco seruiamus Deo omnibus diebus nostris. Haec sunt, quae Euangelium praestat, & Zacharias Spiritu sancto illuminatus prophetauit, quaeque Genes. 22. illa benedictio, qua gentes erant benedicendae per Christum, indicauit.

Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis.

COMMENTARIA.

HAEC est secunda pars Cantici. Est autem quaedam apostrophe, seu conuersio Zachariae ad filium suum Ioannem, quae accommodatissime praecedentibus connectitur; a caeteris enim omnibus illum secernit, quasi diceret caeteri omnes seruiemus in sanctitate, & iustitia omnibus diebus nostris coram ipso; tu vero Puer non solum seruius in sanctitate & iustitia coram ipso, sed etiam eris Propheta Altissimi, qui ad filium, Altissimi virtute conceptum, & ei consubstantialem annunciandum mitteris, hocque nomine celebraberis, & voce publica nominaberis. Graece Puer diminutiuum est: Tu puerule, & leporem habet sermo, & energiam prophetae indicat, qui nunc es paruulus, & infans, propheta eris singularis Altissimi.

ANNOTATIO CLVI.

Quare Zacharias sermonem suum ad filium conuertit.

Posset quisquam interrogare, qua ratione Zacharias ad puerum recenter natum, qui intelligentiae

capax non videbatur, sermonem conuertit. Ad quod duo respondemus. vnum est, non esse nouum in Scri-

Scriptura sermonem haberi ad res inanimatas, & quae intelligere nequeunt. nam & Dauid 2. Regum 1. montibus loquens, inquit: Montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniant super vos. & Lucae 23. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. & est apostrophe valde vfitata, non tantum in Scripturis sacris, sed etiam apud profanos auctores, exprimens affectum vehementem loquentium. Alterum est, Ioannem rationis vsuum tunc habuisse, & qui potuit in ventre matris vocem salutantis audire, ac percipere; intellexit etiam extra ventrem vocem patris prophetantis. Hoc affirmant, & annotant Origenes hom. 10. Ambr. Theophyl. & Beda. quem enim rationis vsuum in ventre diuino dono obtinuit, semper conseruauit, quod Zacharias eodem spiritu prophetico agnouit, & ut id significaret, ad puerum sermonem conuertit, ut qualis futurus esset puer ille, circumstantes agnoscerent. illud autem (Propheta Altissimi) non qualemcumque prophetam significat. Erant quippe omnes, qui pra-

Ioannes singulari modo Propheta Altissimi dicitur.

cesserant, Altissimi prophetae, quia a Deo missi sunt, & quidem ad praenunciandum filium Dei venturum. Ioannes vero singulari quodam modo Altissimi dicitur propheta, quia nimirum ad filium Dei aduenientem ostendendum, & ad populos, ut eum agnoscerent, disponendum, missus est. quod ipse Christus Mat. 15. declarans dixit: Quid existis videre prophetam? etiam dico vobis, & plus quam prophetam. Illud autem (vocaberis) ut supra annotauimus, Hebraea quaedam est phrasis, id est, eris. quamuis etiam hoc in loco amplius aliquid significet nimirum, celebrandum a populis esse nomine Praecursoris, & prophetae praenunciij Christi, quod quidem etiam si non sit perfecte impletum quamdiu vixit, propter Iudaeorum incredulitatem, qui nec Christum, nec eum receperunt; adimpletum est tamen postea, perfectissime in Ecclesia, in qua voce fidelium communi Propheta Dei, Praecursor, & plusquam propheta vocatur.

ANNOTATIO CLVII.

Quae Trinitatis persona nomine Altissimi sit intelligenda.

Chrysof. hom. 2. in Matt. Beda in praesenti, & Idacius Clarus lib. 3. contra Varimantum Arianum, Altissimum interpretantur Dei filium. Hocque loco probant, Idacius quidem, filium Dei in Scriptura appellari Altissimum; Chrysofomus vero, Filium Dei habere prophetas. Estque satis accommodata expositio: accommodatior tamen mihi visa est, si Altissimum interpretemur Patrem ipsum. sic verbum Zachariae respondet sermone Angeli; Virtus Altissimi obumbrabit tibi, conuenitque cum prophetia illa Malachiae 3. vbi Pater loquens Filio, inquit: Ecce Ego mitto Angelum meum, ante faciem tuam,

ut praeparet viam tuam ante te. quo testimonio vsus est Dominus Matth. 11. Quadrat etiam sequentibus, Altissimi propheta vocaberis; parabis enim vias Domini, id est, Christi, qui filius est Altissimi. ad hoc enim solum Ioannes missus est: priores quidem Prophetae ad alia etiam munera missi sunt, Ioannes vero ad Christum ostendendum. Fateor quidem in Scriptura Dei Filium vocari etiam Altissimum. Psal. 86. Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. quem locum Hieronymus de filio explicat, & Beda citat in praesenti, applicatque sententiae propositae. at expositio praedicta aptior videtur.

Praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

COMMENTARIA.

Causam explicat, cur Altissimi Propheta futurus esset: Praeibis enim ante faciem Domini, nempe Christi, ut vias eius praepares. Praeuit Ioannes, & ante faciem Christi praeuit quidem, quia prior incepit annunciare, & praedicare. ante faciem autem, quia ipsum praesentem ostendit, & populis manifestauit. Praeuit etiam vias Christi, quia populos disposuit per paenitentiam, & doctrinam ad fidem Christi aduenientis, ut eum reciperent, & confiterentur; viae enim Christi fides, dilectio, & cultus eius sunt, quibus in corda nostra recipitur, ad quas parandas Ioannes per quandam metaphoram praeturus dicitur, quia viarum impedimenta, id est, peccata per paenitentiam, & ignorationem per doctrinam remouebat. Isa. 40. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Haec sunt quae supra Angelus praedixerat Zachariae, ipse vero tunc incredulus non recepit: nunc autem Spiritu sancto afflatus, quae non crediderat, palam confitetur, & suae incredulitatis palinodiam cantat. Praepotens est profecto virtus Spiritus sancti, quae hominum corda emollit, & illustrat, ac miranda mutatione conuertit.

ANNOTATIO CLVIII.

Gregorius aliter exponit.

Gregorius lib. 2. in libros Regum cap. 8. spiritualiter interpretari videtur hoc, quod ante faciem praere dicitur; sic enim inquit: Praecursori Redemptoris paterni oraculi laude promittitur: Tu puer propheta Altissimi vocaberis, praebis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ante faciem quidem Domini praere defcibitur, qui in ministerio suo non erat secuturus arbitrium superioris

hominis, sed inspirationem diuinitatis. Hae Gregorius. Vbi ante faciem alicuius praere, seu ministrare, interpretatur, secundum arbitrium eius facere. Idem autem Gregorius libro 19. Moralium cap. 3. optime explicat, quid sit viam hanc, per quam venit Dominus, parare, vbi hunc locum allegans, inquit: Quisquis praedicando a fordibus vitiorum corda audientium mundat, venienti sapientiae

tiz viam pręparat. Habet ergo viam sapientia, habet & locum. Venire sapientię est, per illu-

minationem mentis indicare pręsentiam, maiestatis suę. Hęc Gregorius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius.

COMMENTARIA.

Q Vam ob causam puer paraturus esset vias Domini exponit, nempe, vt indicaret, & ostenderet Iudęis Christum: hunc enim agnoscere, & in eum credere salus illorum spiritualis, & vita ęterna erat. Ioan. 17. Hęc est vita ęterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

ANNOTATIO CLVIII.

Superior expositio magis confirmatur.

Gręce infinitiuis est cum articulo, sicut illud (daturum se nobis) τὸ δῶναι, quod, vt ibi annotauimus, causam indicat, quasi diceret, parabit viam causa dandi scientiam, seu ea de causa, vt scientiam det salutis, & instruat populum Iudęorum fide Christi, a qua salus eorum pendebat. Hinc consequitur, non esse accommodatam expositionem illorum, qui existimant hanc sententiam esse explicationem illius (parare vias Domini) cum non explicatio, sed finis, & causa sit, propter quam parabat viam Domini: nec etiam in interpretationem Theophylacti, qui salutem ipsum Christum intelligi dicit, cum salus non sit hoc in loco dictus Christus, sed quam ipse

Christus in nobis per scientiam, seu fidem sui perfectam, ac viam operatur. Attende autem non solum salutem spiritualem Iudęorum, & ęternam vitam, sed etiam vitam, & regnum temporale posita esse in credendo in Christum. Si enim Christum non negassent, nec occidissent, a Romanis numquam deuastati essent, vt explicauimus in commentariis in Ioannem cap. 11. Fides ergo Christi, scientia salutis erat. Hebraismus est, pro eo, quod dicimus, scientiam salutarem. Plebem Domini vocat illum populum Iudęorum, cui soli missus est Ioannes Baptista, vt baptizaret, & annuntiaret, & prędicaret.

In remissionem peccatorum eorum.

COMMENTARIA.

Q VAE sit ista salus explicat. est enim remissio peccatorum eorum, id est, Iudęorum, seu plebis; cum enim sit collectiuum, non tam vocem, quam significatum respexit Zacharias, dicens (eorum.) Est autem contextus talis: Ad dandam scientiam salutis, quę quidem salus est per remissionem peccatorum, seu in remissione peccatorum. hęc enim sunt sicut morbus grauissimus, & lethalis infirmitas, qua mundus tenebatur oppressus. Christus autem salutem, ab hac infirmitate nos liberans, attulit per sui agnitionem, scientiam, seu fidem. non ergo Ioannes salutem dedit, sed induxit ad agnitionem illius, per quam salus, & remissio peccatorum erat. Matth. 3. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

ANNOTATIO CLX.

Diverse Doctorum expositiones.

Gręce (in remissione) legitur. Estque prępositio ἐν, Latine (per) vel (in.) Quidam autem interpretantur, connectentes cum (scientiam salutis) sic; agnitus est Christus per remissionem peccatorum, seu, quia peccata remittebat. Pręterea Ioannes etiam dedit scientiam salutis, id est, agnoscere Christum: Ecce, inquit, qui tollit peccata mundi. ita Theophylactus interpretatur. Quidam alij Latine sequentes interpretationem, exponunt: Ad dandam scientiam salutis in remissionem, vt per scientiam hanc salutis consequantur remissionem peccatorum. Euthymius vero, & Beda, quibus nos consentimus, hoc coniungunt cum verbo (salutis) quasi sit eius explicatio, nempe ad dandam scientiam salutis, quę salus est in remissione, aut per remissionem peccatorum, eorum, id est, credentium, & assequentium hanc scientiam, seu agnitionem, & fidem Christi. quę expositio Gręco sermone respon-

det, nec a Latino dissentit. nam prępositio (in) loco (per) aliquando ponitur; illa vero recentium quorundam hęreticorum interpretatio sanę mentis lectori ridicula censetur, nimirum hanc esse scientiam salutis, cognoscere peccata sibi esse remissa. qui sensus ab omni prorsus verborum proprietate alienus est: non enim dictum est, cognitionem, remissionis peccatorum, sed ad dandam scientiam salutis per remissionem peccatorum, quibus verbis ille sensus accommodari, nec ex huiusmodi verbis concipi potest. Hęretici vero prius suos confingunt errores, & postea conantur verba Scripturę ad eos significandos detorquere. contra quos recte, & vere dixit Hilar. lib. 1. de Trin. Optimus, inquit, lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem pręsumperit intelligendum. Hęc Hilarius.

Per viscera

Per viscera misericordia Dei nostri.

COMMENTARIA.

Coniungenda sunt hęc pręcedenti verbo, in remissionem peccatorum, quę non ex operibus, aut meritis nostris est, sed propter ardentissimam Dei nostri misericordiam. Tit. 3. Non ex operibus iustitię, quę fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Salus igitur nostra, quę est per remissionem peccatorum, a visceribus misericordię Dei procedit, non ex operibus, aut meritis nostris: non autem per misericordiam tantum, sed etiam per viscera misericordię dicit, quia Deus non tantum nobis subuenire voluit, quod misericordię nomen explicat, sed etiam nobis condolere, & miseriam nostram in se suscipere per carnem assumptam, in qua se exinaniuit, egenus factus est, & vir dolorum, & infirmitatum. Hoc viscera misericordię indicant. & per hęc viscera remissionem peccatorum, & salutem nobis dedit, qui potuit per solam misericordiam sine his visceribus saluare. Illud autem perfectissimę misericordię opus est, ex nimia dilectione erga nos procedentis. Cetera in annotatione lege. Deum nostrum appellat Zacharias, qui peculiari quadam ratione, vt supra diximus, Deus dicebatur Iudęorum, quia nimirum ipsi a Deo peculiariora quędam, & insignia beneficia acceperant, & Deus ab eis agnoscebatur ac colebatur, gentibus fere omnibus Idololatrię deditis.

ANNOTATIO CLXI.

Quare viscera misericordię Dei memoratur.

Ambrosius lib. 1. Voca. gent. cap. 7. legit (propter viscera misericordię) & Gręca prępositio ἐν, id etiam significat; immo ipse vulgatus interpret ita alijs in locis vertit. Ephes. 2. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, conuiuificauit nos. Vbi est eadem Gręca prępositio, in eoque sensu explicanda est prępositio (per.) Illud autem (Dei nostri) Ambrosius legit (Domini) nempe, (Propter viscera misericordię Domini.) Videtur tamen magis secutus sensum, quam verba; codices enim etiam Gręci habent (Dei nostri) & ita legendum videtur. Sunt autem duo consideratione digna. Vnum est, quare non dictum est, propter misericordiam, sed propter viscera misericordię, cum etiam illud vere dici potuisset. Quidam existimant dici viscera misericordię, ad significandam veram, & ex intimo corde misericordiam: sunt enim qui effectu miserentur, quia miseris indigentium subueniunt, tamen non ex affectu, & cordis misericordia, sed humanis rationibus ducti, hi misericordiam pręstant; sed nō misericordię viscera habent: Deus autem nolter non effectu solum, sed etiam affectu non quidē passionis, sed simplicis voluntatis miserus est nostri, nostramque salutem operatus est. Quidam alij id dictum putant, ad significandum affectum paternum Dei erga nos, in quem sensum Chrysof. & Oecum. illud Colof. 3. Induite viscera misericordię, interpretantur, vt Paulus exhortetur ad habendum affectum paternum erga proximos, quali patres prosequuntur filios, quos ex suis generant visceribus. sic Deus, quia paterno non est persecutus affectu, viscera misericordię habere dicitur. Hęc omnia recte dicuntur, & vere; tamen perfectum, & legitimum sensum nondum explicant. Aduertendum igitur est diligenter, misericordiam esse voluntatem subueniendi alterius calamitatibus, & miseris, quę tunc vera, & perfecta est, quando ex dilectione erga eum, cui subuenimus, procedit; solet tamen non semper ex dilectione alterius procedere, sed ex quodam compassionis affectu, quo pars inferior ac sensitiua afficitur in alterius calamitatibus, quam quidem mirabili prouidentia Deus dedit hominibus, vt alijs compatiantur,

non quod hęc sit per se virtus misericordię, sed ve ea nos impellat ad subueniendum; quia non semper diligimus eos, quorum miseremur, si enim diligemus vehementer, vt oportet, non esset opus appetitus compassionē. qui ergo compassionē moti subueniunt indigenti, magna ex parte sibi subueniunt, dum alteri subuenientes propriam minuunt compassionē. hac de causa huic virtuti misericordię coniungimus viscerum nomen: non enim dicimus viscera castitatis, iustitię, aut humilitatis, sed misericordię, quia hęc particulari quodam corporeo, & viscerum affectu excitatur, sicque intelligendum est illud Philipp. 2. Si qua viscera misericordię in vobis, id est: Si qua compassio. Deus autem noster non habet hunc compassionis affectum, quia impassibilis est, nec eo indiget, quia vehementissime amat nos; amor autem est pręcipua causa miserendi, ac subueniendi, quod igitur in homine facit compassio cordis, & viscerum, hoc in Deo, ipso fecit amor, & dilectio eius ardentissima erga nos. Io. 3. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Aduertendum est rursus, hanc compassionem, quando pręcedit actum misericordię, nempe voluntatem subueniendi, virtutem non esse, sed ad virtutem impellere: at quando sequitur actum misericordię, nimirum quia voluntaria est, & qui miseretur non tantum vult subuenire, sed etiam condolere, tunc est virtutis effectus, & ex magna, & perfectissima misericordia procedit: alterius enim calamitates non tantum auferre volumus, sed etiam in nos per compassionem quandam transferre. De hac compassione locutus est Gregorius lib. 20. Moral. cap. 26. & ad hęc viscera nos exhortatur Paulus Ephes. 2. Induite viscera misericordię. Hęc viscera misericordię, Deus suscipere voluit; tanta enim eius fuit misericordia, vt non solū subuenire, quod Dei in se ipso erat, voluerit, sed etiam nostram calamitatē magna ex parte suscipere, quod fieri non poterat nisi carne suscepta. Hęc explicuit Paulus mirabilibus verbis Ephes. 2. Deus, inquit, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, conuiuificauit nos in Christo. Nota, diues est in misericordia,

Philipp. 2.

Compassio quādo sit virtus.

cordia, abundans, & superabundans; nam qui per solam voluntatem potuit subuenire, quod misericordiae folius est, voluit etiam per compassionem carne suscepta; procedebat hoc ex nimia charitate, quia dilexit, quae dicitur nimia, quia plus, quam necessarium erat, contulit ad salutem. Haec sunt viscera misericordiae, de quibus nunc loquitur Zacharias. O nimia, & admiranda Dei charitas; quae induit viscera misericordiae propter nos, quibus sine his subuenire poterat, nec ad haec visceribus, seu compassione praecedenti motus est, sed dilectio eum induit visceribus fecit.

nam dilectio non indicat duo, quae in hoc opere obseruanda sunt. nam primum quidem erat miseria extrema hominum, in qua positi eramus; qui enim dilectionem dicit, non semper significat miseriam dilecti; nam diligere possumus eos, qui non indigent, nec miseria premuntur: at qui verbum miserendi profert, miseriam, ac calamitatem indicat. Deinde vero, verbum dilectionis non excludit semper meritum: nam diligimus aliquando, qui digni sunt, vt diligantur: at misericordia magis excludit meritum, quia sola miseriam, & calamitatem respicit, atqui nullum meritum in homine praecesserat, quo salute dignus esset; immo multa, & magna demerita, idque inter eius miseriae annumerabatur. idcirco frequentius misericordiae Dei mentio fit in nostra efficienda salute. De hac misericordiae virtute multa dicemus in sequentium capitum expositione, pauca haec nunc sufficiant.

Quare misericordiae, & non dilectionis diuinae mentio fiat.

Alterum consideratione dignum est, cur saepe Scriptura misericordiae mentionem faciat in redemptione, & salute nostra, cum radix, & primum principium fuerit amor; miserus est enim Deus nostri, quia dilexit nos. Respondeo. Verbum misericordiae distinctius exprimit beneficij magnitudinem:

In quibus visitauit nos oriens ex alto.

COMMENTARIA.

Connectuntur haec praecedentibus, per viscera misericordiae Dei, quae per carnem induens, siue quibus per carnem indutus is, qui oriens dicitur, nempe Christus, visitauit nos ex alto diuinitatis suae. cum visceribus ergo misericordiae venit Christus, quasi oriens, illuminaturus omnes, qui in tenebris sedent. & qui in diuinitate misericors est, misericordiae viscera per humanitatem induit, & in his ad nos venit. Hic est sensus. Metaphorice Christus oriens dicitur: Vt enim sol ab Oriente surgit paulatim mundum illustrans; ita Christus sol verus iustitiae quodam progressu aetatis, & praedicationis, ac operum suorum, vitae spiritualis lumen sparfit. (Oriens) autem non participium, sed nomen est substantiuum, quo Christus appellandus praedictus erat Zach. 6. Ecce vir, Oriens nomen eius. Illud autem (ex alto) verbo coniungitur. Visitauit nos ex alto, quo diuinitas Christi significatur; propter nos enim homines descendit de caelis, & incarnatus est. Caetera in annotatione inquire.

ANNOTATIO CLXII.

Superiora verba expenduntur.

Quaedam annotanda in praecedenti sententia offerunt. Primum est illud (in visceribus) ab Euthymio sic explicari, propter quae viscera visitauit nos. Phrasia est in Scriptura visitata, vt (in) ponatur loco (propter, seu, per) Psal. 30. Saluum me fac in misericordia tua. Psal. 20. In virtute tua laetabitur rex. Ezech. 18. Hic non morietur in iniquitate patris. Secundo annotandum est illud (ex alto) quosdam connectere illi nomini (oriens) vt distinguat orientem, qui de alto oritur, nempe de sinu Patris, a Sole materiali, qui de terreno horizonte oriari videtur; at cum non participium, sed nomen sit illud (oriens) non videtur accommodare illi connecti posse illud (ex alto) sed potius verbo (visitauit) de caelis enim venit ad nos, id est, cum Deus esset, homo factus est propter nos. Io. 3. nemo ascendit in caelum, nisi, qui descendit de caelo filius hominis, qui est in caelo. Difficilius est quod tertio loco annotandum est, nempe de nomine (oriens) quod Graece ανατολη dicitur. Quidam enim recentiores existimantes hoc esse illud nomen, quod Zachariae 3. dicitur: Ducam seruum meum orientem. & Zach. 6. Ecce vir, nomen eius Oriens, vertunt hoc in loco, germen, ea moti ratione, quod in locis illis in Hebraeo est קמח, quod germen significat a verbo קמצ, quod est germinare. reiciunt autem nomen Orientis, quia hoc ortum Solis, aut Lunae, aut stellarum significat; sicque in illis Zachariae locis vertendum censent. Quantum autem hi a veritate aberrant, ex ipso Euangelista constat. nam vsus est no-

Oriens hoc loco nomen proprium est, non participium.

mine Graeco ανατολη, quod ortum siderum proprie, immo Solis & Lunae tantum significat; non autem herbarum, aut arborum, nisi per quandam similitudinem. Verbum etiam quod sequitur id ipsum conuincit: Illuminare, inquit, iis, qui in tenebris sedent. Hoc profecto non est germinis, sed orientis solis, aut sideris. Quidam alij recentiores arbitrantur quidem non (germen) sed (oriens) vertendum esse, significareque ortum sideris, siue Solis, eaque ratione Christo applicari. existimant tamen nostrum Zachariam non alludere ad illam prophetiam ex Zachariae allegatam, quia ibi habetur nomen קמח quod non siderum ortum, sed germen significat; putant autem ad alias prophetias fieri allusionem, nempe Malach. 4. Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iustitiae. Isa. 60. Illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum. Hi iudicio meo reprehensione digni sunt: nam Septuaginta interpretes illis locis Zachariae 3. & 6. vbi habetur nomen, Oriens, verterunt ανατολη, quod vt dixi, proprie ortum Solis, aut stellarum significat. Quis autem audeat dicere, illos ignorasse nominis significationem? Ne autem aliquis forsitan respondeat, illos nomen ανατολη, applicuisse ortui herbarum, & germinationi per quandam similitudinem, vti forsitan fecerunt, vertentes illud Ierem. 23. Suscitabo Dauid germen iustum; vbi idem est nomen Hebraeum, & illi interpretati sunt ανατολη, loco illius (germen) audiat testimonium eorundem Septuaginta, quod eam omnino reiciit responsum, Isaia 4. Erit, inquit, germen Domini in-

magnifici-

magnificencia, ibi est nomen eius קמח & illi vsi sunt verbo ανατολη, id est, lucebit Dominus minus, quo aperte significarunt, se de ortu siderum intellexisse. Illud etiam Ierem. 33. vbi nos habemus, suscitare faciam Dauid germen iustitiae, estque idem nomen Hebraeum, illi verterunt βλαστον, quasi germen, seu ramum; intelligebant enim illi viri, proprii idiomatis eruditissimi, nomen illud Hebraeum vtramque habere significationem. quod Hieronymus confirmat; cum enim Zach. 3. illud קמח interpretatus esset per oriens, postea Zach. 6. in interpretatus est per germen, & reuera ratio ipsa persuadet: nam multa sunt nomina apud nos, quae geminam habent significationem, vnam propriam, alteram per quandam similitudinem; ridet enim homo, ridet & prata per quandam similitudinem: sic etiam קמח dicitur germen propria significatione, tamen sol etiam oriens dicitur, per similitudinem quandam קמח. vt enim germen incipit paulatim, & ex mini ma quantitate exurgere de terra, sic Sol egreditur ab horizonte, quando oritur, vnde eodem nomine appellatur, quod etiam Christo conuenire ipsemet nos in Euangelio parabola quadam Matt. 13. docet. Simi-

le est regnum caelorum grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus; cum autem creuerit, maius est omnibus. ea de causa tempus illud aduentus Saluatoris aurorae confertur, quae paulatim in diem clarum, & lucidum excrescit. non ergo est, cur cum primis recentioribus, nec cum posterioribus sentiamus; dicimus enim non germen hoc in loco, sed (oriens) esse legendum, quod Soli competit, & Christum Solem iustitiae significat, recteque Zachariam nostrum hoc vsu esse vocabulo, vt primordia Christi aduentus significaret. Affirmamus etiam alluisse ad locum Zachariae 3. & 6. vt indicaret illum aduentisse, cuius nomen Oriens erat, nempe Messiam illuminaturum mundum, cui argumento est, Euangelistam illo vsu vocabulo, quo Septuaginta verterunt illa loca Zachariae, nempe ανατολη, quod nec Malachiae 4. nec Isaiae 60. habetur. Confirmat hoc Hieronymus, qui Zach. 3. illam prophetiam: Ducam seruum meum orientem, cum his Zachariae verbis concordat: Visitauit nos oriens ex alto. Non ergo recentiores hi debuerunt auctoritati Septuaginta, Hieronymi, immo & Euangelistae se opponere.

Illuminare ijs, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent.

COMMENTARIA.

Idaei & gentes in tenebris, & umbra mortis sedebant, sed diuersimode.

Accomodate satis connectitur verbum hoc praecedenti. Visitauit nos oriens, vt illucescat, & lumen adferat ijs, qui sedent in tenebris, & in umbra mortis. Per tenebras ignoracionem, per vmbra mortis peccata significat; his enim mundus premebatur. Vtrumque autem commune gentibus, & Iudaeis erat, licet non eodem modo: in tenebris quidem erant gentes, quia ignoracionem veri Dei habebant, & in erroribus innumeris contra diuinitatem versabantur, similes ijs, qui lumen oculorum non habent. Iudaei vero Dei veri notitiam habebant, tamen venturum Christum expectantes, nec signis eius aduentus agnoscendis intendebant, nec intelligentiae Prophetarum incumbebant, nec legis intelligentiam exquirebant, similes dormientibus, qui cum lumen habeant, vt videre possint, oculis clausis non vident. multis etiam praeter haec erroribus detinebantur, vt ex Euangelio constat. Vtrisque igitur, Iudaeis, & Gentibus, qui in tenebris sedebant, venit Christus, vt lumen veritatis suae infunderet. Umbra etiam mortis communis erat vtrisque, licet non eodem modo, nam gentes Idololatriae maximè deditae erant, & multis alijs sceleribus, & criminibus; Iudaei vero ab idololatria, quando venit Christus, abhorrebant, vitijs tamen, & peccatis grauissimis immerfi erant. Venit ergo Christus vt his, & illis lumen iustitiae suae communicaret. Sedisse autem tam hi, quam illi dicti sunt, propter consuetudinem longam: nam & sedendi verbum apud Hebraeos significat habitare, seu commorari. Psal. 136. Super flumina Babylonis illic sedimus. dicitur autem in malam partem iacere, & esse prostratum ad modum infirmorum, seu mortuorum, qui se erigere nequeunt. Thren. 1. Quomodo sedet sola ciuitas, id est, quomodo iacet desolata.

Psal. 136.

ANNOTATIO CLXIII.

Multiplex huius sententiae lectio, diuersas peperit expositiones.

Illuminare, Graece επιφαναι potest esse modus imperatiuus actiuae vocis, nempe appare, seu illucesce. potest etiam esse infinitiuus, nempe apparere, seu illucescere. Verbum autem Latinum potest etiam esse imperatiuus vocis passiuae, & infinitiuus actiuae. Hinc sumpta est occasio à nonnullis recentioribus interpretandi hanc sententiam in hunc modum, vt sit quaedam deprecatio Zachariae facta Christo Domino, connectaturque cum superioribus sic: O oriens ex alto, per viscera misericordiae appare, seu illucesce-

ijs, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent. Illud ergo (illuminare) quasi imperatiuum vocis passiuae interpretantur, id est, esto illuminatus, seu illucesce. Quidam alij eodem modo verbum hoc interpretantur, non tamen coniungunt praecedentibus, sed hanc sententiam solam, quasi deprecationem quandam exponunt, vt sit apostrophe ad Christum: Appare, inquit, & illucesce ijs, qui in tenebris sedent. Haec interpretationes praeter quam quod sunt contra communem antiquorum interpretationem, sunt impropriae,

propria, & violenta; si enim vox Latina vulgati in-
terpretis consideretur, non dicitur proprie, illu-
minare, id est, esto illuminatus: nam Christus est,
qui illuminaturus omnem hominem venit, (illumi-
nare) autem passiuæ vocis est lumen recipere, iuxta
illud Isa. 60. Illuminare Hierusalem. Vnde inepte,
& improprie adiungitur casus transitiuus (ijs, qui in
tenebris sedent) in Græco sermone accommodatus
id fieri posset, sicut si Latine diceretur, appare, seu
illucesce. Vulgatus ergo interpret ipso verbo illumi-

nandi indicauit, se infinitiuo uti voluisse, nec mirum,
quod non dixerit, illuminare eos, sicut phrasis Lati-
na postulabat. secutus est enim casum verbi Græci.
Quod autem priores recentiores dicunt, connecten-
tes hanc sententiam cum præcedentibus, nemo non
videt esse valde violentum: legendum est igitur ver-
bum infinitiuo modi, sicut in præcedentibus, ut sic
sensus: Visitauit nos oriens, ut illuminaret eos, qui
sedebant in tenebris.

ANNOTATIO. CLXIII.

Exponitur lo-
cus Isaie c. 9.

Dabitatio quædam posset alicui suboriri non
spernenda, an Zacharias noster alludat hac
sententia ad illud Isa. 9. Populus, qui sedebat in te-
nebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regio-
ne vmbrae mortis lux orta est eis. quidam enim id
affirmant. In cuius declarationem aduertendum
est, quantum ego existimo, prophetiam Isaie intel-
ligendam esse de Galilæis, apud quos nutritus est
Christus, & primo incepit miracula edere, & fre-
quentissime prædicauit, & ex eis Apostolos euoca-
uit, & elegit. Quod quidem mihi persuadet testi-
monium Matth. 4. Venit, inquit, & habitauit in
Capharnaum ciuitate maritima in finibus Zabulon,
& Nephtalin via maris trās Iordanem Galilææ gen-
tium. populus qui ambulabat in tenebris, vidit lu-
cem magnam, & sedentibus in regione vmbrae mor-
tis, lux orta est eis. Hæc verba indicant impletam
illam prophetiam Christi præsentia, & prædicatione
in illa Galilææ regione. quocirca statim Matthæus
vocationem Apostolorum quatuor enarrat ibi fa-
ctam. Dicitur autem populus ille in tenebris ambu-
lare, quia ibi habitabant multi Gentiles: postquam
enim decem Tribus ductæ fuerunt in captiuitatem,
manserunt quidem Iudæi ex illis Tribubus, tamen
non multi, ut ante esse solebant, & Gentes habita-
runt illam regionem, etiam a temporibus Salomon-
is, qui Regi Tyri dederat viginti oppida pretium
eorum, quæ ille in templi ædificium erogauerat. Po-
pulus ergo, qui sedebat in tenebris ignorationis Dei
& fidei, vidit lucem magnam, nimirum, Christum
Dominum, radios suæ lucis per opera miranda, &
per prædicationem salutis spargentem. Potest etiam
non de Gentilibus ibi habitantibus, sed de Iudæis ipsi-
s intelligi, qui multus erant erroribus, ut in Commen-
tario diximus, inuoluti: magis tamen probo intelligi
de Gentilibus inter Iudæos commorantibus. hi enim
dicuntur ambulare in tenebris: Iudæi vero dicuntur
habitare in regione vmbrae mortis. Galilæa enim, &
præcipue eius superior pars erat populis gentium,
idololatrarum coniuncta, vnde confinium gentium
dictum est. eaque de causa nunc appellatur regio vmbrae
mortis. Mors regionem significat, quam habi-
tabant Idololatrarum gentes. Regio autem vmbrae mor-
tis erat Iudæorum regio, quæ proxima erat populis
gentilibus. Vmbra enim proxima est corpori, cuius
est vmbra; ad has enim partes Christus peruenit præ-
dicatione, & operibus mirabilibus suis, ut ex Euan-
gelica historia constat. Recte autem Isaías huius rei
meminit; erat enim maxima dignum consideratione,
quod partem abiectionis populi Iudæorum Chri-
stus honorificare, & glorificare, tot, ac tantis priui-
legijs voluerit. Ex his deduco, Si Zacharias noster
ad hanc prophetiam Isaie alludit, verba eius in eo-
dem esse interpretanda sensu, quem explicuimus.
At vero quia verba nostri Zachariæ generaliora
sunt, & de fructu in vniuersum, quem Christus at-
tulit mundo suo aduentu, procedunt, tamque genti-

bus, quam Iudæis conueniunt, quos Christus &
per se, & per Apostolos, & per Ecclesiam illumina-
uit, & illuminat: idcirco aliter interpretanda sunt
verba eius, ut in commentario factum est. nec ad
illa verba Isaie alluisse Zacharias noster videtur,
sed ad alias multas Scripturæ prophetias, de huius-
modi illuminatione prænunciatas. Isa. 60. Surge, il-
luminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, ec-
ce tenebrae operient terram, & caligo populos; su-
per te autem orientur Dominus, & gloria eius in te
videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, &
Reges in splendore ortus tui. Sunt multæ aliæ huius-
modi prophetiæ, iuxta quas dicebat ipse Dominus.
Ioan. 8. Ego lux sum mundi, qui sequitur me, non
ambulat in tenebris. Ioan. 3. Lux venit in mundum,
& dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.
& Ioan. 1. Erat lux verâ, quæ illuminat omnem ho-
minem venientem in hunc mundum. Ita nunc Za-
charias dicit; Oriens visitauit nos, ut illuminaret
eos, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.
Quæ autem tenebrae sint, in Commentario explicui-
mus; quæ vero sit vmbra mortis, paulo diffusius ex-
planare oportet. Quid autem apud Isaiam regio vmbrae
mortis significet, exposuimus iam. Præter hanc
autem significationem in Scriptura hæc phrasis alias
significationes habet. Primo quidem grauiâ, & im-
minentia pericula mortis, dicuntur vmbra mortis,
quasi mors sit vicina, & proxima; vmbra enim præ-
sentiam corporis indicat. iuxta hoc dicitur Psalmo
22. Si ambulauero in medio vmbrae mortis, non ti-
mebo mala, quoniam tu mecum es. Secundo, tri-
stissima rerum facies, tempusque calamitosum, &
luctuosum captiuitatis, carcerationis, infirmitatis,
aut ceterarum miseriarum significari solet per vmbra-
m mortis, sumpta metaphora ex obscuris, & vmbrosis
mortuorum sepulchris, quibus nihil tristius
videri potest. iuxta hoc dictum est Psal. 106. Edu-
xit eos de tenebris, & vmbra mortis. Tertio longa
obliuio dicitur etiam vmbra mortis, Iob. 16. Obscu-
rent eum tenebrae, & vmbra mortis. Hanc secutus
significationem Gregorius lib. 4. Moral. c. 20. sic in-
quit: In vmbra mortis sedere, est à diuini amoris no-
titia in obliuione latefcere. Postremo, peccatum
mortale vmbra mortis dicitur: sic in hoc loco vsur-
patur, & Hieron. illud Isaie 9. expositum superius,
in eadem accipit significationem, quam significationem
optime explicat; mortem enim dicit significare
damnationem æternam, vmbra vero mortis pecca-
tum ipsum ante iudicium, & damnationem. Vere
profecto dictum, vmbra mortis, quia proximum
damnationi æternæ. immo si diligenter consideres,
significationum omnium causæ peccato conueniunt.
Qui enim in eo est statu, in summo periculo versatur,
maxima premitur calamitate, ac miseria, & ut dice-
bat Gregorius, obliuioni traditus est, quia à diuino
amore separatus, & demum proximus damnationi
æternæ.

Isa. 60.

Quid vmbra
mortis signi-
ficet.

Psal. 22.

Psal. 106.

Iob. 16.

Isa. 9.

An Zacharias
superiori sen-
tentia aliquæ
Isaie locum
sub indicue-
rit?

Ad di-

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

COMMENTARIA.

Apposite connectuntur verba hæc verbo præcedenti, illuminandi; solemus enim
vti lumine, ne offendamus in via, aut ne aberremus ab ea. Psal. 118. Lucer-
na pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Venit ergo Christus vt illu-
minaret nos, vt in via pacis ambularem, & pedes nostri nec offenderent, nec
aberrarent, sed in eam dirigerentur. Via pacis est, per quam consequimur veram
pacem, quæ cum Deo est, solutis inimicitijs peccati, & consequimur æternam re-
quiem, mortis vinculis ruptis, & inimicorum impugnationibus ablati. vtramque
pacem nobis Christus exhibuit, in præsentia per gratiam, in futuro per gloriam. Eph.
2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriae, inimi-
citas in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos conderet in se-
metipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno cor-
pore Deo, per crucem interficiens inimicitias in ipso, & veniens euangelizare pacem
vobis, qui longe fuistis, & ijs, qui prope; quoniam per ipsum habemus accessum
ambo in vno spiritu ad Deum. Hæc Paulus. Via consequendi hanc pacem Euan-
gelium est, quo vera fides, & Christi agnitio, Dei dilectio, & charitas, mandatorum
eius obedientia, sacramenta, & sacrificium, quibus hanc pacem assequimur, con-
tinentur. In hanc viam pedes nostros aberrantes conuertit Christus, & in ea direxit,
& dirigit, vt ad pacem perfectam perueniamus. De via hac illud est ex Psalmo 113. &
Isa. 59. à Paulo allegato: Viam pacis non cognouerunt. Qui ergo sedebant in
mortis vmbra, & in tenebris illustrati per Christum verum Orientem, viam salutis
ac pacis agnouerunt, perambulauerunt, & ad pacem consequendam peruenerunt.
Dicitur etiam Euangelium via pacis, quia commune est Iudæo, & Gentili, & illo-
rum diuisionibus, ac differentiis resectis, per fidem in vnum populum sunt conuocati,
vt loco citato Ephes. 2. docuit Paulus.

Quæ sit pacis
uia,

Ephes. 2.

ANNOTATIO. CLXV.

Qua ratione
Euangelium
Iudæis, & gê-
tibus uia fue-
rit ad pacem
consequen-
dam.

Erant Gentes ante Christi aduentum extra viam
Dei, errantes in infidelitate; Iudæi vero erant
quidem in via, quia venturi Christi fidem habebant,
tamen ipso adueniente commutanda erat fides hæc,
vt quem venturum credebant, aduenisse crederent;
secus enim qui erant in via, manebant extra viam,
& qui erant populus Dei, conuertebantur in non po-
pulum. Christus venit, vt vtrosque illuminaret;
Gentes quidem, vt à via aberrantes reduceret in
viam veram salutis, de quibus dictum est Isaie 42.
Educam cæcos in viam, quam nesciunt, & in semi-

tis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam; po-
nam tenebras eorum in lucem, & praua in recta, Iu-
dæos vero, ne offenderent, & caderent, & à via pa-
cis & vitæ, in viam mortis declinarent. Ioan. 10.
Veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.
Hinc est, vt non credentibus in eum dictus sit lapis
offensionis, & petra scandali. Isa. 8. & 22. Offens-
derunt enim in eum, & ceciderunt. Rom. 9. illuxit
ergo Christus omnibus, vt pedes eorum dirigeret
in viam pacis.

Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu.

COMMENTARIA.

Prosequitur historiam Euangelista, & ad Ioannem reuertitur: Crescebat, inquit,
corpore, id est, secundum corporis incrementum, & confortabatur spiritu, quo
ad animam; augebatur enim in dies in eo spiritus gratiæ, dum progressus in gratia,
& virtute continuos faceret. Quo verbo Euangelista, quod etiam supra annotaui-
mus, indicat etiam ab infantia vsu rationis habuisse; aliter enim non poterat con-
fortari spiritu, sicut crescebat in corpore; infantium enim gratia data non augetur
nisi vsu liberi arbitrij, & humano studio. Spiritus, gratiam ipsam Spiritus sancti signi-
ficat. Dictum est etiam inferius de Christo, creuisse ætate, & gratia, non tamen
eodem modo; gratia enim Christi fuit à principio summa, nec augmentum in eo ha-
buit, sed in operibus exterioribus maior ac maior apparebat, & demonstrabatur, vt
illic explicabimus: at Ioannis gratia in se ipsa suscipiebat augmentum, sicut in ipsis
operi-

operibus, quæ perfectiora in dies erant. Non autem dictum est, crescebat spiritu, sed confortabatur, ut indicaret Euangelista Ioannem maiora, & perfectiora opera fecisse, quam ætas, & vires corporis postulabant, quod sequens sententia magis explicat.

ANNOTATIO CLXVI.

Quo differant
crescere, &
confortari Spi-
ritu.

O Rigenes hom. 11. ad spiritum vtrumque refert: Crescebat, inquit, & spiritu confortabatur. incrementum ad augmentum gratiæ, & virtutis pertinet; confortatio vero ad robur spirituale contra carnis infirmitatem; spiritus enim promptus est, caro autem infirma. Euthymius consentire videtur, & dubium non est, verbum crescendi etiam ad spiritum aliquando referri. Ephes. 4. Veritatem facientes in charitate, crescemus in illo. 2. Petri. 1. Crescite in gratia. Sicut etiam confortari aliquando pertinet ad

corpus, Gen. 48. Confortatus sedit in lecto. Act. 9. Cum accepisset cibum, confortatus est. Ac cum idem verbum crescendi etiam ad corpus referatur, Gen. 21. Creuit puer, & ablactatus est, & verbum confortandi etiam ad spiritum. Rom. 4. Confortatus est in fide. Colos. 1. In omni virtute confortati; satis accommodatè exponunt quidam, quibus consentimus, ut vnum ad corpus, alterum ad animum referatur.

Et erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.

COMMENTARIA.

D Escribitur conuersatio, & vita Ioannis a pueritia vsque ad tempus prædicationis eius, vnico verbo: Erat, inquit, in desertis, id est, latuit in deserto, vsque ad tempus, quo coepit prædicare populo, & disponere ad Messia aduentum celebrandum, seque præcursores declarare, quod ipse Euangelista describit cap. 3. is fuit annus ætatis suæ trigessimus. Indicat Euangelista Ioannem à prima pueritia in solitudinem secessisse. Verbum autem (ostensionis suæ) denotat, Ioannem latuisse in deserto, & ab hominum conuersatione semotum, toto hoc tempore vixisse, penitentia, & diuinæ contemplationi vacantem perpetuo, ut ex alijs locis Euangelistarum deducitur.

ANNOTATIO CLXVII.

Num ab infan-
tia Ioannes in
desertum se-
cesserit.

O Rigenes homil. 11. existimat Ioannem ab infanzia ipsa in desertum secessisse, nec more cætorum infantium nutritum fuisse, quod etiam hom. 9. affirmat. Eius verba hom. 11. sunt hæc: Conceptus Ioannis stupendum quid habuit, quâdo exultauit infans in utero, & suum, necdum genitus, Dominum recognouit, & natiuitas non impar miraculum, quando ad eum velut audientem Zachariæ prophetantis sermo conuertitur, dicens: Et tu puer propheta Altissimi vocaberis. digne igitur qui sic conceptus fuerat, & natus, non expectauit ut à patre nutriretur vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel, sed recessit fugiens tumultum urbium, populi frequentiam, viciniam Ciuitatis, & abiit in desertum, ubi purior aer erat, & cælum apertius, & familiarior Deus, ut quia nondum baptisimus, nec prædicationis tempus aduenerat, vacaret orationibus; & cum Angelis conuersaretur, appellaretque Dominum, & illum audiret respondentem: Ecce adsum. Hæc, & alia Orig. in homil. autem 9. sic, inquit; Per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in matris utero, ut mirabiliter natus mirabiliter nutriretur:


nam extra consuetudinem nutritus est: non enim refertur scriptum, quo modo fuerit matris lactatus vberibus, quo modo in sinu gerulæ constitutus, sed statim sequitur: Et erat in deserto vsque ad diem ostensionis suæ in Israel. Hæc Origenes. Quibus videtur affirmasse tempora infantiæ in deserto peregrisse à primis annis, quod difficile est creditum. Quando cæteris vsus rationis illucescere incipit, Ioannem in desertum secessisse mihi probabile est, idque Ecclesie recipere videtur, quando canit. Antra deserti teneris sub annis, Ciuium turmas fugiens petisti: Ne leui saltem maculare vitam, Famine posses. ergo eo tempore recessit, quo loqui poterat. Quod autem ab infantiæ ipsius tempore, lacte matris neglecto, recesserit, non videtur probabile: esset enim nouum miraculum, & quidem insigne, cuius nullus Euangelista meminit, cum tamen fere omnes Ioannis historiam texuerint. Apud populum autem, cui eius natiuitas nota erat, suspensionem magnam ingenerasset, fuisse quid fictitium, & arte magica factum, si per paucos apparuisset dies, & numquam amplius visus esset.

FINIS CAPITIS PRIMI.

FRANCISCI
CARDINALIS TOLETI
IN SACROSANCTVM

LUCÆ EVANGELIUM

COMMENTARII.



CAPVT SECVNDVM.



BACTVM est autem in diebus illis, exijt edictum à Cesare Augusto, ut describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syria Cyrino: & ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo, & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem uigilantes, & custodientes uigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est uobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc uobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ celestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in calum: pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus usque Bethlehem, & uideamus hoc uerbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et uenerunt festinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de uerbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia uerba hæc, conserens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & uiderant, sicut dictum est ad illos. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer: uocatum est nomen eius Iesus, quod uocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moyse, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens uulnam, sanctum Domino uocabitur. & ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsus acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius uideret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit:

Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace:

Quia uiderunt oculi mei salutare tuum,

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

Et erat

Et erat pater eius & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simon: & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum, cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reueletur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum uiro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc uidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunjs, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die. Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galileam in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia: & gratia Dei erat cum illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die sollempni Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendit illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diet, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non inuenientes, reuersi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inueniunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius. Et uidentes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes querebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me querebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt uerbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & uenit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia uerba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

CAPVT SECVNDVM.

Factum est autem.

COMMENTARIA.

HISTORIAM Natiuitatis Christi à Matthæo prætermittam refert Lucas. Designat autem locum, ubi natus est, tempus item, quando natus, & quid eo nato acciderit. Edicti autem Cæsaris ideo meminit, ne quis obijceret; Qui fieri potest, ut Christus natus sit in Bethlehem, cum paulo ante idem Euangelista dixerit, Beatam Virginem concepisse in Nazareth? Causa fuit, quod oportuerit eam venire ad censum persoluendum, ut edicto Imperatoris obsequeretur. Factum, inquit, est. Non quidem casu accidit, sed diuina prouidentia effectum est, ut eo potissimum tempore Augustus Imperator uniuersum orbem describi decerneret, & ea occasione Beata Virgo in Bethlehem ueniret, ibique pareret, ubi prædictum erat à Prophetis Christum nasciturum. Mich. 5. atque ut Imperatore orbem in familias distribuente, eodem tempore beata Virgo & Ioseph publice coram tota Tribu Iuda profiterentur, se esse de familia Dauid, cæteris ex eodem genere præsentibus, & consentientibus, eorumque nomina, & numerus in publicos libros redigerentur, ita ut & ad Augustum deportari possent, Cæsareaque auctoritate confirmaretur, foetum, quo Beata Virgo grauida tunc erat, esse ex familia Dauid; Diuinis enim consilij omnia, etiam humana inseruiunt.

Illis die-

Illis diebus.

COMMENTARIA.

Nato scilicet Ioanne Baptista: tunc enim temporis promulgatum est edictum Cæsaris, post cuius publicationem facta est descriptio, quo tempore B. Virgo proxima erat partui. Factum igitur est, ut in Bethlehem, quo edicti causa profecta erat, impleretur tempus, ibique pareret Christum.

Exijt edictum à Cæsare Augusto.

COMMENTARIA.

HIS igitur diebus in publicum emanauit edictum à Cæsare Augusto Romano secundo Imperatore, cuius Imperij anno à Iulij Cæsaris interfectione quadregesimo secundo natus est Christus. Fuit hic Octauius Cæsar, qui post Iulium Imperatorem nomen Augusti primus à Populo Romano accepit.

Vt describeretur uniuersus orbis.

COMMENTARIA.

HOC est, quod edictum continebat, descriptio nempe eorum, qui Romano subiecti erant Imperio, quæ quidem fiebat per capita singula. Est autem Synecdoche in Scripturis vsitata; neque enim totus orbis Romani Imperatoris imperio parebat, unde nec totus orbis describi potuit, sed maior eius pars, quæ sub Romanis erat. Tale illud etiam est Matth. 2. Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo, & Matth. 21. Commota est uniuersa ciuitas. multa que sunt huius testimonia.

ANNOTATIO I.

Quare Christus nasci uoluerit quando describebatur orbis.



Nonnullæ se offerunt difficultates, quarum prima est. Quanta fuerit hæc descriptio; recentiores enim quidam solam Syriam descriptam affirmant. quo autem efficaci argumento id sibi persuadeant, non inuenio, cum uerba Euangelistæ contrarium significant, & communis doctorum opinio illis aduersetur: idcirco ea reiecta sententia, opinio recepta pluribus retinenda est, nimirum orbem Romano Imperio subiectum esse descriptum. Magno autem mysterio effectum est, tunc natum esse Christum, quando orbis describebatur. Primo quidem, ut inquit, Ambrosius, ut per hanc orbis sæcularem professionem, & censum significaretur spiritalis futura professio per fidem, & Euangelium. Secundo, ut dicit Gregor. Hom. 6. Euang. Nascituro Domino mundus describitur, quia ille apparebat, qui electos suos describeret in æternitate. Tertio, ut tempus aduentus Christi promissum manifestaretur, quando iam Iudæi sub alieno Principe erant, qui etiam ipsis, & Gentibus imperaret tunc enim venturus promissus est. Genes. 49. quando sceptrum Iudæorum deficeret, & sub alienigenæ essent potestate. Quarto, quia ille nascebatur, qui pro singulis Iudæis, & Gentibus passurus ueniebat, omnes quantum ex se est à tributo peccatorum, & subiectione diaboli liberaturus. Postremo, ut significaret suo aduentu non esse regna temporalia euertenda, sed perficienda, & confirmanda; non enim eripit mortalia, qui regna dat cælestia. Accedat, quod supra dictum est, ea occasione natum esse in Bethlehem, sicut prædictum erat, ut eum de Tribu esse Dauid euidentius declararetur, & confirmaretur.

Secunda difficultas est, qualis fuerit ipsa descriptio; duabus enim de causis Principes faciunt populos describi. vna est, ut sciant quot sint sub eorum potestate, quantumque virium habeant ad bellicos casus. Hac de causa Dauid 2. Regum 24. populum numerari iussit. Altera est, ut sciant quantum pecuniæ extrahere possint ac vectigal aliquod in singula capita imponant. Quidam igitur existimant priori de causa hanc descriptionem esse factam, nempe ut constaret numerus omnium, qui sub Romano essent Imperio; pace enim generali orbi præstita decreuit Imperator orbem describi, ut cognosceret quam late eius pateret imperium. Communis autem opinio est Ambrosij, Euthymij, Bedæ, & aliorum, qui posteriori de causa censent esse factam, quam quidem sententiam amplectendam esse nonnulla probant. Primo, testimonium Iosephi lib. 18. Antiqui c. 1. ubi huius meminit descriptionis, refertque Cyrinum Consularem virum missum fuisse ab Augusto in Syriam Præsidem, & Censorem, quod non fieret nisi imponendi vectigalis causa; refert præterea Iudam Galeonitem, de quo Act. 1. fit mentio ea de causa populum commouisse, quasi Iudæis non liceret phœnicis regibus tributum soluere. Hinc orta est illa contentio Phariseorum, & occasio tentandi Christum, de qua dicimus inferius, & habetur Matth. 22. Licetne tributum dare Cæsari? Secundo; hoc ipsum probat, quod refert Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem, nempe hanc descriptionem in Romanorum Archiuijs suo tempore esse seruatum. Quid autem attinebat eam asseruari in Archiuijs, nisi census causa? Tertio, quia cum nulla tunc temporis belli esset suspitio, non potuit

Quorum hæc orbis descriptio facta fuerit.

potuit hæc descriptio fieri, vt numerus tantum subditorum sciretur. erat igitur census causa, non enim ob solam numerationem descriptio rata fieret. Quantum autem tributum Iudæi tunc in singula capita soluerent (de Gentibus enim minor est coniectura) non omnino constat. Quidam existimant tantum eis impositum fuisse, quantum ipsi Deo, Temploque soluere solebant, mediam scilicet partem Sicli, duas nimirum drachmas, vt habetur Matth. 17. Tradit enim Iosephus de bello Iudaico lib. 7. cap. 26. Vespasianum censum imposuisse Iudæis, iussisseque singulis annis binas drachmas in Capitolium differre. Est autem verisimile hunc cum primo censu Augusti congruum fuisse, certum tamen non est.

De tributo à Iudæis cũ describerentur, soluendo.

Quo tempore facta fuerit hæc descriptio.

Tertia difficultas est, quo tempore sit facta: Iosephus lib. 18. Antiqu. cap. 1. ait esse factam, postquam Archelaus, qui Herodi patri successerat, priuatus regno Viennâ in exilium missus est, & Coponius factus est Præses Iudææ. Hoc tamen esse nõ potest; nam Archelai priuatio, & missio Coponij factæ sunt anno 51. Imperij, hæc vero descriptio anno 42. quando natus est Christus, vt refert Euangelista. Quidam

hanc Iosephi descriptionem aliam ab ea, cuius Lucas meminit, existimant, illa particularis Syriæ, hæc generalis Orbis & tempore prior fuit. Quidam alij probabilioribus innitentes fundamentis, eandem existimant, affirmantque errasse Iosephum in computatione, idque verius est. Quod vero ad descriptionem attinet, sunt, qui existimant multo ante decretum emanasse, quam descriptio fieret, propter Iudæorum contradictionem. cum autem ex Iosepho constet, nullam talem contradictionem Iudæorum, decretum retardasse; haud enim difficile receperunt decretum; ideo probabilius est, decretum publicatum nato Ioanne Baptista, vt supra diximus, idque Euangelista significare visus est: In illis, inquit, diebus exiit edictum, nimirum Ioanne nato, cuius natiuitatem descripsit capite præcedenti.

Quarta difficultas est, quomodo viuente Herode Rege Romani censere potuerunt Iudæos, illisque vestigal imponere. Hæc autem facile soluitur. Herodes enim ab Augusto regnum precario acceperat, vnde ad ipsius nutum populum regebat, & ipse regebatur Herodes, vt ex historia Iosephi constat.

Hæc descriptio prima facta est à Præsede Syriæ Cyrino.

COMMENTARIA.

HÆC descriptio prima dicitur, quia nulla talis vmquam antea est facta. peracta autem fuit per Cyrinum Syriæ (cui Iudæa adiuncta erat) Præsidem, anno XLII. imperij Augusti. Nec est mirum, descriptionem non esse per Herodem Regem tunc factam, sed per Præsidem Syriæ, quia non Iudæa sola, sed Syria tota, cui Herodes non imperabat, describebatur. Vnde Iudæa pars prouinciæ per totius prouinciæ Præsidem censenda erat.

ANNOTATIO II.

Vulgata lectio retinenda in hac sententia.

IN Cyrimi nomine dissentiant auctores. Quidam Cyrenium, quidam Quirinum legendum existimant; parum hoc videtur ad sensum facere. Difficiliora sunt duo, quorum vnum est, quod Græce non habetur præpositio illa (à) sed dicitur Cyrino præside, quod significat non ipso auctore, aut per ipsum, sed ipsius tempore, dum is Syriæ præsidebat, esse peractam descriptionem; sicque legunt, & interpretantur Ambrosius, & Euthymius, & Beda cum aliis multis. At vero cum vulgatus interpres legat (à Cyrino) non video, quod inconueniens sit dicere, per hunc factam esse descriptionem Cæsaris auctoritate, & Senatus consulto, nec enim ex historijs antiquis aliquid proferri potest, quod huic lectioni, & veritati aduersetur. Alterum est illud (Prima) quod multipliciter explicatur. Quidam enim, primam, dictam existimant, non quidem respectu aliorum, quæ factæ sunt postea, sed quia nulla talis prius facta est ab orbe condito. Huiusmodi expositionis meminit Beda, qui refert aliam: nempe dictam primam, id est, primo inceptam, quasi edictum ante publicatum esset, nec fuerat incepta descriptio, nisi tunc primum, quando Cyrinus missus est præses. Quidam alij (primam) appellatam affirmant respectu alterius, quæ ab eodem Augusto facta est, licet non generalis, vt ante diximus. Quidam alij primam interpretantur etiam respectu Præsidis Cyrenij, nam per eundem ab eodem Augusto

Quare hæc descriptio prima dicatur.

postea altera descriptio facta est, quamuis non totius orbis. Mihi prima expositio, quam refert Beda, & est Orosij, vera videtur, nec vlla apparet ratio, cur duæ illæ descriptiones afferantur, quas quidam recentiores inducunt, cum sit multo certius, vnam esse descriptionem, & hanc, quam refert Lucas, & cuius etiam meminit Iosephus. Iosephus autem fuit deceptus in tempore, quando facta est; existimauit enim factam anno 51. quæ vere facta est anno 42. Hoc certe mirum est, quosdam interpretes affirmare eandem esse descriptionem, quam tradit Iosephus, cum hac, quam refert Euangelista, licet ille erret in tempore, & tamen istimet concedunt legendum (Cyrino præside) non autem (à Cyrino præside) cum ex ipso Iosepho constet Cyrinum tunc missum præsidem, & censorem, nempe, vt per ipsum fieret descriptio. Maiorem tamen ingerit difficultatem id quod alij proferunt, nimirum tempore nascentis Christi, quado descriptio generalis facta est, non Cyrenium, sed Varum aut Saturninum præsidem fuisse Syriæ, si Iosepho credimus. cui difficultati non male quidam respondet, vt Iosephi auctoritas conseruetur, Cyrenium tunc temporis adiunctum fuisse collegam Varo ad hoc munus obeundum; non enim hoc insolitum Romanis erat, vnde vterque Præses appellabatur: meminit autem Cyrimi Euangelista, quia per hunc descriptio effecta est.

Num Cyrinus Præses fuerit Syriæ, quando Christus natus fuit.

Et ibant omnes, vs profisterentur singuli in suam ciuitatem.

COMMENTARIA.

Particula (&) consecutionem ex præcedentibus indicat. Cum enim edictum exisset, vt omnes describerentur, factum est, vt proficiscerentur ad profitemdum, id est, vt se describi facerent: ibant autem vnusquisque in ciuitatem suam, non in qua ortus, sed in eam, quæ erat caput familiæ; non enim Iudæi omnes habitabant, aut nati erant in iis locis, vbi qui capita familiarum suarum erant, nati sunt. Erat enim Iudæorum habitatio permixta, & multi ex vna Tribu, & familia habitabant in locis alterius; erat tamen nota vnicique habitatio propria, & Metropolis, ex qua oriundus erat. Cum igitur nunc singuli per familias essent describendi, qui aliena loca habitabant, proficiscerentur in eam ciuitatem, & locum, vbi familiæ caput erat; hæcque de causa Beata Virgo cum sponso venit Bethlehem, à qua erant oriundi, cum essent de familia Dauid, qui Bethlehemita cum patribus suis fuit.

ANNOTATIO III.

Quæ fuerit ista singulorum professio.

Verbum Græcum ἀποφάσθαι idem est cum illo; quod superius habetur (Describeretur vnuerfus orbis. vnde potuit hic locus sic verti (vt describerentur) sensus autem per hoc non mutatur, & verbum ipsum vtrumque significat. Profiteri ergo est ex parte illorum, qui describebantur; nomina enim sua, vt describerentur censoribus proferebant: describere autem est ex parte eorū, qui censebant; seu sui ergo nihil detrahitur, siue hoc, siue illo modo legas; proprius tamen locutus est vulgatus Interpres. Ibant autem omnes vt profisterentur, hoc enim ipsorum erat, nomina sua nempe exprimere Censoribus, suamque subiectionem Imperatori Romano re ipsa confiteri. Aduerte morem fuisse Iudæis populum describere per familias, vt constat Iosue 7. & 1. Regum 10. & 2. Reg. 24. ideoque à Romanis seruatus est. Quo autem modo Gentium descriptio facta sit, non constat. Quæritio autem hoc in loco est, inquam quisque Ciuitatem ire debuerit? In qua re sunt varæ opiniones. Prima est Euthymij, affirmantis vnusquemque iussisse in eam Ciuitatem, quæ erat Metropolis Tribus. sic Hierusalem erat Metropolis Tribus Benjamin, Bethlehem autem, Tribus Iudæ. Huic sententiæ quidam recentiores consentiunt. Secunda opinio est affirmantium vnusquemque iussisse, vbi domum, & bona sua haberet, ideoque Beatam Virginem, & Iosephum in Bethlehem profectos esse, quia ibi domum, licet pauperem habebant. Hæc recentiores quidam adhaerent, confirmantque ex Cypriano, qui sermone de Natiuitate Christi sic habet: Veniunt in Bethlehem, quam prædixit Ga-

briel inuenitur Emmanuel. ciuitas parua; domus paupercula, supellex exigua, nulla domus ambitiosa, nisi reclinatorium in stabulo, mater in sceno, filius in præsepio. Hæc Cypria. Huic rei consentit Nicephorus lib. 1. histo. c. 13. vbi existimat, & in Bethlehem, & in Nazareth domicilium ac possessiones habuisse. Quidam alij putant, iussisse vnusquemque in ciuitatem vbi natus erat; alij demum in ciuitate à qua oriundus erat. Mihi autem probabiliora videtur quæ subiungam. Primo quidem, per Ciuitatē non intelligitur Metropolis Tribus. Hoc est contra primam opinionem, & satis confirmari videtur hoc dictū ex Euangelistæ verbis, dicit enim: Eo quod esset de domo, & familia Dauid; vbi non ad solam Tribum, sed ad familiam refert professionem in Bethlehem. Secundo. Non est necessarium recurrere ad possessiones, & domos habitas in Bethlehem, vt dicit secunda opinio; hoc enim tributum non reale, sed personale erat. Tertio, non est certum habuisse domum in Bethlehem; nam si ita esset, non iussissent in diuersorium, & in præsepium, nec Cyprianus id affirmat; vt enim ex subiunctis verbis ipsius apparet, domum exiguam appellauit eam, in qua natus est Christus. Quarto, ciuitas hic non est ea, in qua quisque natus erat; nam, vt dicitur ex Marco Cap. 6. in Nazareth nati sunt beata Virgo, & Ioseph, si quidem ciues illius vrbs affirmant ibi esse fratres, & sorores, & totam eorum cognationem. Consequitur ergo ex his, ciuitatem, in quam singuli ibant, eam esse, in qua erat familiæ caput, vt in Commentario dictū est.

Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de Ciuitate Nazareth in Iudæam in Ciuitatem Dauid, qua vocatur Bethlehem.

COMMENTARIA.

Prosequitur historiam. Cum autem omnes irent in Ciuitatem suam ad profitemdum, ascendit etiam Ioseph, qui vnus erat ex illis, qui edicto comprehendebantur: ascendit autem in Bethlehem. Caput enim familiæ eorum erat Isai pater Dauid, qui fuerat Bethlehemita. 1. Regum 16. Notat autem Euangelista prouinciam, ciuitatem prouinciæ, à qua profectus est, prouinciam etiam, & locum prouinciæ, in quam profectus est. Ascendit enim à prouincia Galilæa, & de ciuitate quadam Galilææ dicta Nazareth. Ascendit autem in prouinciam dictam Iudæam, quæ erat Tribuum duarum Iudæ, & Benjamin, ascenditque in ciuitatem

Iudæa quondam nomine Bethlehem, quæ appellatur ciuitas Dauid, non solum quia ibi natus erat cum patribus suis, sed etiam, quia eam primus nobilitauerat, quamuis in veteri testamento ciuitas Dauid sit etiam arx Sionis, quia à Dauid adificata est. Dicitur autem ascendisse de Galilæa in Iudæam ratione situs terræ; erat enim in sublimiori loco sita Iudæa, unde qui à Iudæa in Galilæam proficiscebantur, dicebantur descendere, qui vero à Galilæa in Iudæam, ascendere. Perpende quam distincta enarratione Euangelista vtatur, vt Christi ortum singulis manifestet.

Non sola Bethlehem dicebatur Ciuitas Dauid.

Eo quod esset de domo, & familia Dauid.

COMMENTARIA.

Causam annectit, cur in Bethlehem ciuitatem Dauid ascenderet, nimirum quia erat de Domo, & familia Dauid, de domo quidem, id est, de Tribu Iuda, de qua fuit Dauid: de familia vero, id est de stirpe, & prosapia Dauid; non enim omnes, qui erant de Tribu Iuda, à Dauid originem ducebant: habuit enim multos filios Iuda, à quibus multæ emanabant familiæ: Ioseph autem de Tribu ac stirpe Dauid cum Beata Virgine sponsa sua erat. Vtrumque autem necessarium erat ad ascendendum in Bethlehem: si enim solum de domo & Tribu Dauid essent, poterant non ascendere in Bethlehem: nam erant multæ aliæ ciuitates Iudæ Tribus. at quia & de Tribu & stirpe Dauid erant, idcirco ascendunt in Bethlehem, quæ erat ciuitas Dauid.

Domus & familia & tribu significat.

Isai. 7.

ANNOTATIO. IIII. Domus in Scriptura aliquando familiam, aliquando Tribu significat, idque fuit causa, cur Euangelista vtrumque coniungeret, ne dum domum solum diceret, Tribum solum significare videretur. Domus autem Dauid accipitur pro Tribu Iuda, in qua erat regnum, quod à Dauid ortum habuit. Ita Hieronymus interpretatur illud Isai. 7. Audite domus Dauid, id est, Tribus Regia. & paulo superius: Nunciauerunt domui Dauid. Eadem est significatio illius Psal. 121. Sedes super domum Dauid. Illi enim iudices, qui sedebant in Hierusalem, erant de Tribu Iuda. Vt igitur causa explicaretur, cur in Bethlehem ascendisset Ioseph, dictum est eum non esse solum de Iuda, sed etiam de stirpe Dauid, qui erat de Bethlehem.

Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore pregnante.

COMMENTARIA.

Causa cur ascenderet, communis fuit cum alijs, nempe vt profiteretur, seu describeretur cum desponsata sibi uxore, quæ tunc quando ascendebat, erat grata. Meminit Euangelista eam esse tunc grauidam, vt conduceret historiam partus. Singuli autem tam viri, quam feminæ describebantur. Nomen vero Vxoris non auferit Virginitatem, sed verum Matrimonium significat. Clare ex his verbis deducitur, B. Virginem eiusdem familiæ fuisse, cuius & Ioseph.

Viri & uxores describebantur.

ANNOTATIO. V. Vidam recentiores, viros solos, & hos non omnes, sed qui erant patresfamilias, descriptos existimant. Iuxta horum autem sententiam non potest reddi ratio, & causa, cur B. Virgo, & præcipue grauida cum Ioseph ascenderit, si dictum descriptionis eam non arcebat. Veritas tamen est, tam viros, quam feminas descriptos fuisse; ideoque B. Virginem ascendisse cum Ioseph. Illud autem (cum Maria desponsata sibi uxore pregnante,) quidam connestant cum verbo præcedenti (ascendit.) Quidam alij, quod probabilius est, cum verbo (profiteretur) Illud vero (cum desponsata sibi uxore pregnante) non facit sensum, fuisse prægnantem, quando desponsata est, sed prius desponsatam; tempore autem, quando profitebantur, fuisse prægnantem, vt in Commentario expositum est.

Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

COMMENTARIA.

NON casu, sed diuina prouidentia factum est, vt cum in Bethlehem essent, tempus pariendi impleretur, vt supra diximus. Illud autem verbum Euangelistæ (cum ibi essent) indicat non statim, aut eo die, quo peruenit, sed dum ibi aliquot diebus moraretur, peperisse. An autem B. Virgo diem, & horam partus præscisset, certum omnino

omnino non est: probabiliter tamen, & rationabiliter creditur; vt enim non ignara mysterij ad visitandam Elisabeth à Spiritu sancto ducta est, sic quæ futura erant in Bethlehem, eodem spiritu præsciens, eò venit.

ANNOTATIO VI.

Vterus Virginis nullo modo grauis, aut molestus ei fuit.

Virgo creditur B. Virgo asino vecta, id tamen incertum est, nec auctoritate vlla probatur. hoc autem constat, vterum ei grauem, aut molestum non fuisse, sicut solet cæteris mulieribus esse, vt recte annotauit August. serm. 11. de Natali Domini: Cum esset, inquit, grauida, salubri leuitate gaudebat; lumen enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat. Hæc ille. Quin potius ab illo, quem portabat, portabatur. Quamuis igitur à Nazareth

in Bethlehem iter esset quatuor fere dierum, & ipsa proxima partui, potuit facile pedes iter conficere, sicut confecit, quando visitauit Beatam Elisabeth. Improbabile tamen non est, asino vectam esse, nec id paupertati eius repugnat; parum enim ad diuitias facit assellus, quo etiam vectam fuisse in Aegyptum, credibile est. Vtrumque tamen affirmare certo non possumus.

Et peperit filium suum primogenitum.

COMMENTARIA.

Impleto igitur tempore filium suum peperit, qui recte suus dicitur, quem non ex Ioseph, sed ex sola sua substantia sine viri commistione conceperat. Appellatur autem Primogenitus, non quod post eum alium pepererit. (vt impius Heluidius affirmabat) sed quod ante eum, neminem alium peperit, vt supra annotauimus contra Hæreticos perpetuæ Virginitatis aduersarios. Vt enim Christus ratione diuinitatis Vnigenitus, & Primogenitus dicitur Patris, vt constat ex Ioanne cap. 1. & Paulo ad Hebr. 1. ita etiam ratione humanitatis Vnigenitus, & Primogenitus appellatur Matris. De quibus duobus nominibus plura diximus in Commentariis in Ioannem in illud (quasi vnigeniti à Patre.)

ANNOTATIO VII.

Quomodo Deipara filium suum pepererit.

Aduertendum est, verbum pariendi significare, B. Virginem, quamuis integritate seruata, per genitalia tamen emisisse filium, sicut cæteras mulieres; aliter enim non diceretur peperisse. Quod. Hieron. confirmat libro aduersus Heluidium, idque Hilarius lib. 2. de Trinit. significauit, dicens, Christum humani partus lege prolatum; quod intellige quantum ad egressionem per genitalia, non quantum ad apertionem. Qui enim in vulua feminæ carnem sumere, & in ea nouem menses coalescere dignatus est, per genitalia eius nasci non abhorruit, quod Ecclesia confiterur, dicens: Beata cæli nuncio, Fœcunda sancto spiritu, Desideratus Gentibus, Cuius per aluum sulus est. Constat ergo errasse eos, qui per latus B. Virginis Christum de vtero egressum esse fabulati sunt, vt refert Damascen. lib. 4. cap. 15. de qua re supra etiam diximus. Aduerte etiam Cyrillum lib. de recta fide, dubitationem mouere, quomodo vnigenitus Dei filius dicatur Primogenitus. Respondet,

ratione humanitatis dici primogenitum; sic enim est factus in multis fratribus; multos enim habuit eiusdem naturæ participes, nostram enim naturam suscepit. Hæc autem responsio non euacuat difficultatem: nam Christus dicitur hoc in loco Primogenitus respectu Beatæ Virginis, quæ non peperit alium, nec fideles nascimur de ea. Præterea etiam ratione diuinitatis dicitur Primogenitus, vt constat ex Paulo ad Hebr. Legitima ergo responsio est, dici Primogenitum, quia ante eum nemo alius genitus est; non autem quod post eum alij nati sint, vt in Commentario diximus. Verba porro Cyrilli sunt hæc: Vnum & solum peperit filium suum primogenitum, cum non pepererit secundum post illum, sed manserit Virgo. Nominatus est primogenitus Vnigenitus Dei Verbum; nam particeps fuit carnis, & sanguinis, & societatem nobiscum habuit; sicque factus est in multis fratribus primogenitus, & nihilominus adoratur, tum à nobis, tum à supernis spiritibus.

Quare Primogenitus dicitur.

Et pannis cum inuoluit.

COMMENTARIA.

Præparauerat Beata Virgo fascias, quibus solent infantes recenter nati inuolui, vt filio nato id officium exhiberet, non quod eo indigeret, vt cæteri infantes indigent, qui ne eorum membra enormiter distendant, panno obligantur; sed qui veritatem carnis nostræ assumpserat, verum se esse hominem demonstrare volebat. non autem sericos aut pretiosos pannos fuisse existimare debemus, sed viles, quales pauperi conueniebant; non tamen sordidos, sed puros, ac mundos, quales præstare matris puritatem, & diligentiam decebat. Is ergo, qui nos à peccatorum vinculis soluere veniebat, eaque in se puniendâ accipiebat, vt id significaret, fascijs constringi dignatus est, vt recte Greg. Nyssenus Oratione de Natiuitate Domini, & Ambrosius annotarunt.

Referuntur a-
lia obsequia
infanti præsti-
ta antequam
pannis inuol-
veretur.

P Annis inuoluit.) Græce ad verbum (in fasci-
uit). Prætermisit Euangelista ministeria qua-
dam præcedentia, contentus ea insinuasse: nam cum
Christus in utero matris sanctissime coaluerit ad
modum commune hominum, nempe coherens ma-
tri, & per neruum umbilicarem sanguinis nutrimen-
tum accipiens, vt Annotatione sequenti dicemus, ne-
cessaria fuit nervi huius præcisio: præterea cum in
utero esset membranis obiectus, vt cæteri infantes,
opus erat lotione, post quas actiones inuolutus est
pannis. Solent hæc obstetrices præstare: cum autem

nulla ibi fuerit, B. Virginem exhibuisse hæc omnia
ministeria credendum est; non enim probò quod qui-
dam recentiores affirmant, nempe Angelorum mini-
sterium in his interfuisse, eademque opera ablutum
esse corpusculum Christi, potius manibus purissimis B.
Virginis ea sunt tribuenda. Christus ergo sine opera
matris egressus est, separatus ab utero, illa integra
permanente; nato vero, umbilicaris abscissus est
neruus, & ablutus ille est à Beata Virgine, & postea
pannis inuolutus.

Et reclinavit eum in præsepio.

COMMENTARIA.

B Eata Virgo Infantem recens natum, & fascijs inuolutum loco cunarum, præ-
sepio, quo pabulum bestiarum reponi solet, reclinavit. Latent in hoc diuina
mysteria, multaque præsepium hoc indicat. Primo quidem abiectissimum statum,
in quem propter peccatum homo deciderat; cum enim in honore esset creatus, pec-
cando comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Secundo, ad-
mirandam humilitatem Christi nascentis, per quam iacentem mundum erigere
veniebat. Tertio infantem ipsum futurum cibum, & pabulum, quo homo similis
irrationalibus effectus, mortuusque peccato, spiritum, & vitam cælestium adipiscere-
tur. Quarto, gentium conuersionem; quæ maxime per Idololatriam bestiarum condi-
tioni proximæ erant, de quibus inquit Paul. 1. Corinth. 12. Cum gentes essetis, ad si-
mulacra muta prout ducebamini euntes.

ANNOTATIO IX.

Quatuor my-
steria in Chri-
sti præsepio
subindicata.

E X hoc præcedenti ministerio per B. Virginem
exhibito, nepe quod pannis inuoluit infantem,
& quod præsepio reclinavit, adiunctis etiã illis, quæ
in Annotatione octaua diximus, non leue sumitur
argumentum, B. Virginem sine dolore peperisse; talia
namque aliter præstare nõ potuisset. quod in ijs, quæ
cũ dolore pariunt, experiëntia docet, in quibus ea mu-
nera exhibet obstetrices, quarũ nullã in hoc interfuisse
partu Euangelista verbis enarratis satis aperte indi-
cavit, cui Hieronymus adhærens aduersus Heluidiũ
inquit: Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum se-
dultitas intercessit, ipsa pannis inuoluit infantẽ, ipsa
mater, & obstetrix fuit. Cypran. etiam Orat. de Natiu.
Christi: Panniculi, inquit, pro purpura, pro bys-
so in ornatu Regio lacinie congeruntur, genitrix
est, & obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exhibet
clientelam, attrahat, amplectitur iungit oscula, por-
rigit mammã, torum negotium plenum gaudio, nul-
lus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio.
Hæc Cyprianus, qui post ministeria enarrata adiunxit,
nullus dolor, nulla naturæ contumelia, quasi dice-
ret, quæ talia potuit præstare, absque dubio, sine do-
lore, immo cum gaudio magno peperit. & in Ora-
tione. eadem paulo inferius reddens rationem, inquit:
Quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione
caruit voluptate. quod etiam August. serm. 14. de
Natiuitate confirmans in persona B. Virginis, inquit:
Nec in conceptione inuenta sum sine pudore, nec
in parturitione inuenta sum cum dolore. Damasc.
etiam lib. 2. de Fide, cap. 15. sic ait: Quam volun-
tas non antequam, nec dolor partus secutus est. Quo
spectat illud Prophetæ Isa. 14. Antequam parturiret,
peperit. & illud: Antequam pariendi tempus venisset,
effugit, ac masculũ peperit. Hæc Damascenus. Greg.
etiam Nyssenus Orat. de Natiu. Christi: Ad mulie-
rem, inquit, prima vox edita est, nunc ad Virginem
sermo fit: illa in dolores in partu tolerandos propter

peccatum condemnata est, in hac per gaudium eij-
citur dolor; in illa dolores partum præcesserunt, in
hac vero gaudium partui obstetricauit. Hæc Greg.
Ex his habes B. Virginem, non solum sine dolore
vlllo, immo cum summo gaudio peperisse, nec illa
lege comprehensam fuisse contra mulierem lata:
In dolore paries: quæ eas solas complectebatur, quæ
de viro concepturæ erant; non autem Virginem,
quæ de Spiritu sancto conceperat. Vt autem hoc
perfectius explicetur, attende, ex causa duplici do-
lorem in partu procedere. Vna est auulsio infantis
à vulua matris, cui per umbilicarem neruum, &
secundas ei velut insertus, & infixus est. Altera est
apertio vuluæ, & membrorum genitalium, per quæ
egreditur infans. Quod ad hanc causam postero-
rem spectat, nullus inde dolor prouenire potuit,
quia B. Virgo absque vlla ruptura, integritate serua-
ta peperit, vt dicemus inferius, quando illud expli-
cabitur (omne primogenitum aperiens vuluam
sanctum Domino vocabitur.) Quod vero ad prio-
rem causam attinet, fuit quidem Christus in utero
sicut cæteri infantes, matris vuluæ coherens: aliter e-
nim nõ potuisset de matris sanguinibus ali, qui nam-
que de sanguinibus illius secundum carnem conce-
ptus erat, eisdem nutriebatur, & augebatur, vnde
debeuit matri coherere. quod Hilar. lib. 2. de Trinit.
conuenienti vocabulo explicuit: Inenarrabilis, in-
quit, à Deo originis vnus Vnigenitus Deus in corpus-
culi humani formam sanctæ Virginis utero insertus
acrescit. Hæc Hilar. Perpende verbum: Insertum
enim utero Virginis accreuisse corpusculum Christi
dicit; quando ergo natus est auelli debuit: sed hæc au-
ulsio nullũ intulit B. Virgini matri dolorẽ, quia vir-
tute Christi nascentis id factũ est, quod Cyprianus e-
gregia similitudine annotauit Orat. de Natiu. Chri.
Utro, inquit, maturus ab arbore baũla fructus ela-
psus est, nec oportuit vellicari quod sponte prodibat.
Hæc

Vnde partus
dolores pro-
ueniant.

Psal. 27.

Hæc Cyprianus. Hæc idem Dauid in persona Chri-
sti loquens prædixit: Tu, inquit, es, qui extraxisti
me de ventre. Singulare hoc est Christo, vt diuina
virtute extrahatur, & auellatur à ventre, seu utero
matris, quia sine vlllo dolore, vt fructus maturus ab
arbore sponte se separans, segregatus est; noluit enim,
qui sine carnali delectatione adhæserat Matri, cum
dolo separari ab ea; vt enim pulchre, & vere
dixit Leo serm. 2. de Natiu. non hic cogitetur patien-
tis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo
natus est, vt volebat. & poterat. Hæc Leo. De hac in-
hæsiõne, & euulsione locutus est Tertullia. lib. de
carne Christi, cuius verba sunt: Accipe, inquit, Dauid
Domino Patri eloquentem, Quia tu es, qui auulsisti
me ab utero matris meæ. auulsisti, inquit, ex utero.
quid auellitur nisi quod inhæret, quod infixum,
innexum est ei, à quo vt auferatur auellitur? si non
adhæsit utero, quomodo auulsus est? si adhæsit, qui
auulsus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex utero
est, per illum neruum umbilicarem quasi folliculi

sui traducem annexus origini vuluæ: etiam cum quid
extraneum extraneo adglutinatur, ita concarnatur,
& conuisceratur cum eo, cui adglutinatur, vt cum
auellitur, rapiat secum ex corpore aliquid à quo
auellitur, quasi sequelam quandam corruptæ vnita-
tis. Hæc Tertullianus. Ex quibus ne inferas auulsio-
nem hanc dolorem intulisse, quasi violentam (nam
Tertul. ibi agebat contra hæreticos, qui negabant
Christum natum de Virgine, aut aliquid ab ea sum-
psisse, contra quos vehementer insurgit, vnionem,
& connexionem Christi cum Matre deducendo ex
auulsione, quam Dauid confitetur; per eam enim
probat de Virgine natum esse, & de ea carne sum-
psisse) idcirco acrius loquitur de auulsione, quasi
violenter sit facta. at vero non ita auulsus est Chri-
stus, vt carnem matris secum auelleret, aut dolorem
incuteret, vt diximus. Cætera autem, quæ de inhæ-
sione per neruum umbilicarem, & separationem di-
cit, vera sunt. Constat igitur Virginem in partu nul-
lum passam fuisse dolorem.

ANNOTATIO X.

De spelunca
& præsepio.

S VNT nonnulla aduertenda. Primo quidem,
Christum natum esse in stabulo, postea vero in
præsepio, quod in eodem stabulo erat, reclinatum.
Est autem stabulum locus bestiarum, in quem B. Vir-
go, & Ioseph, exclusi à diuersorio, se receperant; hoc
enim vocabulo vtuntur Latini Patres. Cypria. in
Oratio. de Natiu. Domini: Nulla, inquit, domus
ampitio, nisi reclinatorium in stabulo, Mater in
stæno, Filius in præsepio. Aug. etiam serm. 2.
de Epiphania: Abscondebatur, inquit, in stabu-
lo, & agnoscebatur in cælo, vt agnitus in cælo, ma-
nifestaretur in stabulo. Quod autem Latini Patres
stabulum dixerunt, Græci distinctius loquentes affirma-
runt speluncam; immo quidam illorum excavatam
in petra dixerunt. Inter hos est Iustinus in Dialo-
go cum Tryphone, vbi dicit Iosephum cum non ha-
beret in vico locum, in quo diuersaretur, in spelunca
diuersatum esse. Addit autem Iustinus hanc spelun-
cam prædictam fuisse Isa. 33. Iste, inquit, in ex-
celsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius
erit. Quem locum Septuaginta sic legunt: Hic in
excelsa petra fortis spelunca habitabit. Epiphanius
etiam hæresi 51. sic inquit: Lucas dicit fascijs inuo-
lutum esse puerum recens natum, & iacuisse in præ-
sepi, & in spelunca, eo quod non esset locus in di-
uersorio. Grego. Nyssenus Orat. de Natiuitate Do-
mini: Quid, inquit, sibi vult, quod Dominus in
spelunca diuersatur? quod in spelunca decumbit?
cum speluncam videris, in qua nascitur Dominus,
subterraneam, ac lucis expertem hominum cogita
vitam, in qua versatur is, qui illucescit, & apparet
ijs, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent. Hæc
Grego. Theodoretus etiam lib. 8. de curan. Græc.
affecti sic inquit: Tophaceum spectum vident, in quo
præsepe, in quo pauperulam Virginem, in quo te-
nui fascia obuolutum infantem, ipso in præsepis sinu
humiliter reclinatum. Hi omnes Doctores stabu-
lum speluncam fuisse affirmant in petra, seu topho
excisam, in qua erat præsepe, vbi natus, & reclina-
tus est Dominus.

Isaia 33.

Spelunca non
extra, sed in-
tra Bethlehẽ
erat.

Secundo aduertendum est, eundem Iustinum in
eodem dialogo affirmasse speluncam hanc non fuisse
intra Bethlehẽ, sed prope: quoniam, inquit, Ioseph
non habebat in loco illo, vbi diuersaretur, in
speluncam quandam, quæ vico propinqua erat, di-
uersatus est: ibi cum esset, Maria Christum peperit,
eumque in præsepio collocauit. Hæc Iustinus. Quam
sententiam secuti sunt nonnulli recentiores, idque
probant: tum quia si intra urbem locus ille fuisset,

non potuissent Magi Christum adorare, quin ab om-
nibus ciuibus visi fuissent, nec potuisset Herodem
id latere: tum quia non potuissent etiam Pastores,
qua nocte Christus natus est, in media vrbe locum
inuenire propheticis, & Euangelicis verbis, quæ
Christum in Bethlehẽ natum aperte significant. at
qui natus est prope urbem, non dicitur proprie in vr-
be natus. Idcirco verior est sententia communis,
nempe stabulum, in quo natus est Christus, intra
Bethlehẽ fuisse, nec argumenta in contrarium effi-
cacia sunt. Ad primum enim respondemus, non
satisfieri difficultati per hoc, quod stabulum erat ex-
tra Bethlehẽ: nam cum aduentus Magorum fuisset
celeberrimus, haud dubium, quin multis notus sit lo-
cus, in quem peruenerunt; diuina tamen prouidentia
factum est, vt Herodem lateret, deceptum forsitan
spe reditus eorum, vt ex ipsius verbis deducitur.
Ite, & cum inueneritis, renuntiate mihi. Quidam
recentiores existimant Magos non inuenisse Chri-
stum in stabulo, sed in domo quadam, quia dictum
est Matth. 2. Intrantes domum inuenerunt puerum.
id quod docuit etiam Epiphanius hæresi 51. vbi af-
firmat post duos annos à Natiuitate aduenisse Magos,
& inuenisse Christum in domo, non in stabulo; at
hoc non est præsentis instituti; pertinet enim ad lo-
cum Matthæi; id tamen certum est, argumentum
non habere robur; nam domum appellat habitatio-
nem quamcumque. Antiqui autem Patres senserunt
Magos inuenisse Christum in stabulo; Iustinus enim
ipse in spelunca Christum à Magis adoratum asserit.
idemque Gregorius Nyssenus loco citato. Augusti-
nus etiam sermone 1. de Epiphania dicit, Magos
Christum in præsepio positum vidisse. Illud autem
de pastoribus nullius est momenti; Angelico enim
ductu inuenerunt Christum, vt infra dicemus.

Tertio, aduertendum est, quosdam recentiores
affirmare, stabulum hoc separatim locum fuisse à di-
uersorio, nescio qua ratione ductos, cum multo ve-
rissimilius sit, ad diuersorium pertinuisse, tãquam ad lo-
cum, in quo animalia eorum, qui hospitio recipiebã-
tur, manebant, sicut fieri videmus nunc in hospitij.
Aduertendum est quarto, tunc temporis in sta-
bulo bouem, & asinum fuisse, vt veteres Patres sen-
serunt, ita enim affirmarunt Origenes homilia 13. Am-
brosius hoc in loco, & Gregorius Nyssenus Oratione
de Natiuitate Christi, cum alijs, qui omnes impletam
prophetiam illã asserunt Abacuc 3. vbi iuxta 70. le-
gitur (In medio duorum animalium cognosceris)
quod Vulgatus ait (In medio annorum viuifica-
illud)

Aderant bos
& asinus.

illud) fuit autem in medio animalium cognitus à Pa-
storibus, qui positum in præsepio agnouerunt, &
adorauerunt, quo factò, indicatum est mysterium fu-
ture per Christum vnionis in Ecclesiam vnam, popu-
li Iudaici significati per bouem, & populi Gentium
significati per asinum. Quæ duo animalia præfati Do-
ctores per Isaiam prædicta esse affirmant cap. 1. Co-
gnouit, inquit, bos possessorem suum, & asinus præ-
sepe Domini sui; Israel autem me non cognouit, &
populus non intellexit. Bos enim, & asinus hi Chri-
stum Deum, & dominum omniũ, cuius omnia sunt,
agnouerunt, dum à præsepi recesserunt, dantes lo-
cum infanti; Iudæi autem tam mirabili Pastorum, &
Magorum aduentu moniti non intellexerunt. Nò est
autem existimandum, bouem, & asinum fuisse ipsius
Ioseph, & Beatæ Virginis, qui pauperes erant, sed eo-
rum, qui illuc conuenerant, vt describerentur iuxta
edictum Imperatoris; quamuis enim illud quidam
affirmant; tamen nullo firmo argumento probatur.

164.

Postremo, aduertendum est, Athanasium in illud
Matthæi 21. Ite in Castellum, quod contra vos est,
causam tradere, cur Dominus in præsepe sit reclina-
tus, cuius in Commentario inter alias meminimus.
sic enim inquit: Fortasse ob istum pullum Iesus in
præsepio reclinatus fuit, alioquin verisimile non

Quare in præ-
sepio Domi-
nus reclinare
voluerit.

est, Iosephum virum nobilem, de stirpe Regia
oriundum, qui filius Davidis appellatus est, locum
in diuersorio, aut alibi mansionem obtinere non po-
tuisse. An diuinæ dispensationis erat, quod tunc
agebatur? Hæc Athanasius. Gregorius autem libro
7. Moralium. capite 4. cur Dominus in præsepio re-
clinatus fuerit, duas attulit causas, cuius verba sic
habent: Quia per Prophetam, dicitur: Omnis caro
fœnum, vniuersitatis conditor ex nostra substantia
carnem sumens, fœnum fieri voluit, ne nostra in-
perpetuum caro fœnum remaneret. Hæc ergo herbã
onager inuenit, cum Gêtilis populus gratiam diuinæ
incarnationis accepit, tunc bos vacuum præsepe
non habuit, cum plebi Iudaicæ eius carnem expe-
ctanti lex exhibuit, quem diu expectatum prophe-
tauit, vnde & natus Dominus in præsepi ponitur, vt
videlicet significaretur, quia sancta animalia, quæ ie-
iuna diu apud legem inuenta sunt, incarnationis
eius fœno satiarentur. Præsepe enim natus impleuit,
qui cibum semetipsum mētibus mortalium præbuit,
dicens: Qui comedit carnem meam, & bibit sangui-
nem meum in me manet, & ego in eo. Hæc Grego-
rius, exponens illud Iob 6. Numquid rugiet onager,
cum habeat herbam; aut mugiet bos cum ante præ-
sepe plenum steterit?

Quia non erat ei locus in diuersorio.

COMMENTARIA.

CAusa, cur Beata Virgo ad stabulum duceretur, fuit, quia in hospitio locum
mansionis non inuenit; multitudo enim eorum, qui erant ex semine David,
tunc causa descriptionis conueniens, & loci, siue ciuitatis Bethlehem angustia, &
Beatæ Virginis paupertas non habentis hospitij pretium, quod similibus tempori-
bus carum, & magnum esse solet, causæ fuerunt, cur in stabulum recesserit, diuinã
præcipue prouidentia id disponente, vt mysterium significaretur, cuius paulo su-
perius meminimus, & in sequenti annotatione etiam plura dicemus.

ANNOTATIO. XI.

Quidam recentiores interpretantur fuisse qui-
dem locum in diuersorio, in quo manere pos-
set Beata Virgo, sed non commodum ad partum; meo
tamen iudicio, hi à verborum Euangelistæ proprie-
tate, & à veritate recedunt; absolute enim dicitur:
Quia non erat ei locus in diuersorio. Quid autem
diuersorium hoc in loco significet, quod Græce κα-
ταλυα dicitur, adhuc recentiores requirunt. quo-
rum quidam domum propriam Ioseph, & Beatæ Vir-
ginis, quam in Bethlehem possidebant, interpretan-
tur, cum & verbum Græcum, non solum pro hospiti-
o publico, sed etiam pro quacumque habitatione
accipi solet. Hæc tamen interpretatio aduersatur
cum communi Patrum sententiæ, qui diuersorium
commune hospitium, quo solebant viatores diuer-
tere, interpretantur; tum etiam ipsi Euangelistæ, qui
si propriam illorum domum significaret, non adfere-
bat cõuenientem rationem, cur in præsepe diuertis-
sent: nam si non fuit eis locus propriæ domus, cur
non ad hospitium commune diuerterent? Voluit ergo
significare. Euangelista illos, domo propria cum
caruissent, ad commune hospitium recurrisse, in quo
locum non habentes, in stabulum diuerterunt. Et
hic est sensus legitimus verborum. Cur autem non
diuerterint in alicuius sibi noti atque consanguinei

Diuersorium
quid significet

priuatam domum, causa fuit, aut quia forsitan locum
non inuenerit, cum omnia occupata essent, aut quia
præ modestia id non tentarunt.

Quod autem ad mysterium spectat, factum hoc
duo significat. Vnum Iudæorum incredulitatem, qui
Christum non receperunt, de qua dictum est Ioan. 1.
In propria venit, & sui eum non receperunt. Ioan.
5. Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis
me. hoc est, locum non inuenisse in diuersorio; erat
enim populus ille diuersorium, quia primo Deus in
eo habitabat per fidem, & cultum verum, eratque
Populus Dei peculiaris, ad quem Christus missus
non inuenit fidem; nec enim ille ei credidit. Vnde
consequenter alterum significat, scilicet illius popu-
li repulsam: nam abiecto populo incredulo, ad præ-
sepe Gentium se conuertit, quæ eum receperunt. de
qua re dictum est Psal. 17. Eripies me de contradi-
ctionibus populi, & constitues me in caput Gentium.
Matth. 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & da-
bitur genti facienti fructus eius. & Matth. 23. Ecce
relinquetur vobis domus vestra deserta. & Actuum
Apost. 13. Vobis oportebat primum loqui verbum
Dei; sed quoniam repellistis illud, & indignos vos
iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.
Sunt huiusmodi multa loca.

Gentium con-
uersio, & Iu-
dæorum repulsa
subindicantur.

Psal. 17.

Et Pastores erant in regione eadem vigilantes.

COMMENTARIA.

STatim ac natus est Christus, voluit hominibus innotescere, tum vt salutem
hominum, quam operari venerat, inciperet eis impartiri; ea enim in eius fide,
& agnitione posita est. Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum,
& quem misisti Iesum Christum: tum vt suæ natiuitatis, quæ humilis, & nimium
latens erat, testes aliquot haberet. Non autem plurimis apparuit, ne eius notitia
perueniret ad Herodem, qui illum ad interficiendum quæsiturus erat. Nec etiam
se omnibus manifestauit, ne mors eius, per quam saluare venerat, impediretur. Hos
igitur testes, & primos fideles Christi Lucas describit: Erant, inquit, in illa regio-
ne Bethlehemitica, pastores quidam vigilantes; erat enim nocturnum tempus, quan-
do solent pastores inuigilare super greges, ne eos lupi deuorent, aut latrones de-
prædentur.

ANNOTATIO. XII.

Multa exemplaria Græca habent ἀγραιψίτες,
quod idem significat, ac Latine, in agro sta-
bulantes, seu sub dio cubantes, ac pernoctantes, vt
facere nunc etiam solent pastores in regionibus ca-
lidis, aut temperatis; noster vero Interpres vertit,
vigilantes, aut quia sensum respexit, aut quia aliter
legit, nempe ἀγραιψίτες, id est, vigilantes. locus au-
tem vbi hi pastores vigilabant, secundum S. Hierony-
mum erat iuxta turrim quandam inter Bethlehem,
& Hierusalem, sitam non procul à Bethlehem, dictam
Eder, vbi Iacob reuersus à Mesopotamia paut peco-
ra sua, de qua turri fit mentio Genes. 35. fuit enim
extructa turris in loco pascuosissimo, vt esset domici-
lium gregis, in quod se recipere pastores contra
cæli iniurias, & tempestates, ex qua re nomen inuenit:
nam Eder, gregem aut collectionem pecorum
significat. Verba Hieronymi in traditionibus Hebrai-
cis sunt hæc; explicans enim locum Genes. 31. (Pro-
fectus est Israel, & extendit tabernaculum suum

Quo loco pa-
stores vigila-
rent.

Gen. 31.

trans turrim Eder) inquit: Hunc locum Hebræi esse
volunt, vbi postea templum ædificatum est, & tur-
rim Eder turrim gregis significare; hoc est, congrega-
tionis, & cætus, quod & Micheas testatur dicens:
Et tu turris gregis nebulosa filia Sion; illoque tem-
pore Iacob trans locum, vbi templum ædificatum
est, habuisse tentoria. sed si sequamur ordinem viæ
pastorum, iuxta Bethlehem locus est, vbi vel An-
gelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Iacob peco-
ra sua paut, loco nomen imponens, vel quod vé-
rius est, quodam vaticinio futurum iam tunc myste-
rium monstrabatur. Hæc Hieronymus. Idem etiam in
Epitaphio Paulæ ad Eustochium sic inquit: Haud pro-
cul inde descendit ad turrim Eder, id est, gregis, iuxta
quam paut Iacob greges suos, & Pastores nocte vi-
gilantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo,
& super terram pax hominibus bonæ voluntatis.
Hæc ibi. Hinc manifestum est, cur dictum sit in re-
gione eadem.

Et custodientes uigilias noctis super gregem suum.

COMMENTARIA.

Vigilabant, seu in agro erant, quatuor noctis uigilias in ordine suo agentes;
diuisa enim erat nox in quatuor uigilias seu custodias, quarum singulæ ter-
nas horas habebant, nocte in duodecim horas diuisa: vicariam igitur hi pastores cu-
stodiam agebant, quibusdam alternatim vigilantibus, & quiescentibus, vt grex
perfectius custodiretur; si enim omnes simul uigilassent, facile uigiliæ longitudine
lassati dormitassent, & obdormissent.

ANNOTATIO. CVI.

GRæce est eadem etymologia uerbi, ac si Latine
diceremus, custodientes custodias noctis, aut
excubantes excubias noctis. Interpres uigilias ver-
tit, quas Græci custodias appellant, sensum potius
quam uerbum sequens. Auctor scholasticæ historiæ
scribit morem fuisse antiquis, in utroque solstitio uig-
ilias noctis custodire ob Solis uenerationem, eum-
que morem ad Iudæos peruenisse; hoc tamen nullo
firmo nititur fundamento. potius credendum est à mi-
litari disciplina id promanasse; diuisa enim erat nox
apud milites in quatuor interualla, vt qui tota nocte
uigilare non poterant, quarta uigilarent parte, es-

De pastorum
uigiliis, & qua
ratione fue-
rint probati-
sime Domini-
cæ Natiuita-
tis testes.

sentque semper qui per quaterna noctis interualla
alijs somno, aut labore depressis, integri succede-
rent, quod igitur milites propter hostes facere sole-
bant, id pastores propter bestias, aut fures erga
suos greges fecerunt. Est autem tam in hac, quam
in præcedenti sententia Euangelistæ artificium. Cum
enim pastores testes essent Natiuitatis Christi, eo-
rum testimonium fide dignum descriptis circumstan-
tijs ostendit. Primo quidem plures dicit, ne vnus
tantum testimonium quispiam inualidum esse oppo-
neret. Secundo, uigilantes, & custodientes uigilias,
ne fuisse somnium ullus putaret. Tertio, Pastores,
quibus

Et Pasto-

quibus inest simplicitas, & a dolis, & figmentis ab-
sunt, ne quis malitiæ, & mendacio illorum id tri-
bueret. Quarto, in eadem regione, & prope Be-
thlehem eos esse narrat; de longinquo enim facilius
error euadere potest; proximis autem, & vicinis res

A N N O T A T I O X I I I I.

NON immerito dubitabit quispiam, cur Domi-
nus non Scribis, aut Phariseis, alijque nobi-
lioris conditionis hominibus suam Natiuitatem
anunciari voluit, sed pastoribus. Multas causas sacri
Doctores huius rei reddunt, quarum nonnullas
producã, hoc vno supposito. Prima causam omnium,
fuisse liberam, ac spontaneam Dei voluntatem, quia
sic ei placitum est; potuisset quidem eligere quos-
cumque voluisset, & eos sua ope, & virtute traxisse
ad se, sicut traxit Pastores; noluit autem quia
sic placitum est ante eum; nemini enim debet, &
quos vocat, ex gratia, & misericordia vocat. Matt.
11. Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus,
& reuelasti ea paruulis. ita Pater, quoniam sic placitum
fuit ante te. Sunt autem quædam causæ inferiores,
& congruentiæ, cur pastores elegerit. Quarum
quatuor colligit Euthymius. Prima est ob eorum
simplicitatem: est enim genus hoc hominum
simplex, sine versutia, & dolo, ferociusque ad fidem.
est autem cum simplicibus fermocinatio eius. Hæc
causa assignata fuit a Cypriano ferm. de Nat. Dom.
vbi sic habet: Electa adest personarum humilium sim-
plicitas, vt poneretur regula, & indissolubilis daretur
forma, quod non nisi pauperibus spiritu Christi
pateret humanitas, nec superbos ad inuitum sui pos-
sit admittere veritas. Et in eodem ferm. paulo infe-
rius: Pastoribus, inquit, innocentia, & simplicitas elec-
ta est, vt laus Christi perficeretur, quin pilcatores,
& pastores sequentibus spiritibus confunderent Ora-
tores, & a pauperibus, & humilibus prædicatio pau-
peratis haberet initium. Hæc etiam est Ambrosij
ferm. 13. vbi sic inquit: Non mirandum est, si Chri-
sti gratiam ante scire meruerit innocentia, quam
potestas, & prius cognoscere veritatem simplex rus-
ticatio, quam superba dominatio; quod enim cogno-
uerunt pastores, Principes cognoscere nequuerunt.
Hæc Ambrosius. Eadem causa est August. ferm. 2. de
Epiph. Præualet, inquit, imperitia in rusticitate Pasto-
rum. Secunda causa Euthymij est, quia veterem il-
lum viuendi modum Patriarcharum, qui Deo dilecti
fuerunt, apprehenderant: quam causam Cyprianus
docuit orat. de Nat. Dom. Huiusmodi, inquit, officium
ab initio auctoritatem obtinuit, & Abel pastor mu-
nera de gregibus ouium obtulit, quæ in eo, quod cæ-
litus inflammari visa sunt, quod grata essent Deo;
cunctis innotuit, Pastores Abraham, Isaac, & Iacob,
Viri Deo familiares: Pastores Patriarchæ duodecim;
Pastor ipse Moyses, qui in Eremi recessu dum sequi-
tur pecudes, in rubo conspicit Deum, & potestate
signorum collata, populi recipit principatum. He-
lisæus de aratro Propheta constituitur. David de-
post fortantes accipitur, & in Regni folio collocatur.
Hæc Cyprianus. Tertia causa Euthymij est ob si-
gnificationem; Christus enim Pastor erat Populo-
rum, sic enim Ioan. 10. ipse pronunciauit: Ego sum
Pastor bonus. & de eo dicit Petrus 1. Epist. cap. 2.
Conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum ani-
marum vestrarum, quod multo ante per Ezechielem
prædictum erat, qui cap. 34. inquit: Suscitabo super
eos Pastorem vnum, qui pascat eos. Recte ergo
Pastor pastoribus primo apparet. Hæc ratio fuit etiam

notior esse solet. & rursus ipsi noti erant omnibus.
Ignotos enim, & remote agentes allegare in testi-
monium non ita firmam fidem facit. Demum no-
cturno tempore proprium deseruisse gregem, & ad
infantem confluisse rei veritatem commendat.

Sedulij sic canentis: Tunc prius ignaris Pastoribus
ille Creator emicuit, quia pastor erat. hanc etiam,
canit Ecclesia in hymno Natalis Domini: Angeli, in-
quit, canunt Deo, palamque fit Pastoribus Pastor
creator omnium. Quarta causa Euthymij est ad si-
gnificationem, Pastoribus rationalium ouium diuina
myteria primum ante alios reuelari; per illos enim
populi doctrinam recipiunt, iuxta illud Ephef. 4.
Dedit alios Pastores, & Doctores ad consummatio-
nem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem
corporis Christi, & in Ecclesia sua primo loco Apo-
stolos instituit, quos misit in mundum prædicare.
Euangelium, quos eidem Ecclesiæ contulit Pastores
præesse. Quam causam adducit Origen. hom. 12. in
Lucam. Notat autem Ambros. ferm. 13. quo pacto
pastores iugiter custodiæ ouium inuigilantes ab An-
gelis non deseruntur; vt hinc Episcopi discant inui-
gilare super homines sibi commissos. Quinta huius
rei causa assignatur ab Auctore librorum de mirabili-
bus Scripturæ, qui Augustino tribuuntur lib. 3. cap.
2. nempe cum Christus agnus esset, in mundi salu-
tem offerendus, de quo Ioan. 1. dictum est: Ecce
agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi; conue-
nienter Pastoribus primus apparet. Vtramque iste
Auctor causam connectit, nempe hanc, & tertiam
superius dictam; erat enim Christus Agnus, & Pas-
tor; idcirco & pastoribus, vt Agnus apparet, & vt
Pastor apud greges.

Ex hac autem responsione oritur dubium, cur ex
Iudæis pastoribus, ex Gentibus autem, Regibus appa-
ruerit. hi quidem sapientes, nobiles, & diuites; il-
li vero indocti, ignobiles, & pauperes fuere. Res-
pondeo his primitijs Iudæorum, & gentium indi-
catum esse, quales futuri erant illi, qui credituri
erant Christo, & eius Euangelio; nam inter Iudæos
sapientes, & principes, ac Pharisei, Iudæorumque
primi increduli fuerunt, & obcæcati sunt; minores
vero, & pauperes ac indocti illuminati sunt: ita
ipsi Iudæorum primi confessi sunt Ioan. 7. nunquid,
inquit, ex Principibus aliquis credidit in eum, aut
ex Phariseis? sed turba hæc, quæ non nouit legem?
& Christus ipse hoc significans dixit, Ioan. 9. in
iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non
vident, videant, & qui vident cæci fiant. & Matt. 11.
Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, &
reuelasti ea paruulis. quod Luc. 14. in parabola illa
significauit; excusantibus enim se quo minus ad nu-
ptias venirent illi, qui inuitati erant, nimirum Iudæo-
rum primi, dicitur: Exi in plateas, & vicos Ciuitatis,
& pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc
huc. vt igitur qualis futura erat messis Iudæorum in
Euangelio indicaretur, præmittuntur similes primitiæ;
at vero ex Gentibus non minores tantum, sed
etiam Reges, & Principes, nobiles, & sapientes
conuertendi erant: idcirco tales eliguntur primitiæ.
de qua conuersione prædictum est Isa. 60. Ambu-
labunt gentes in lumine tuo, & Reges in splen-
dore ortus tui. & post pauca: Tunc videbis, & afflues,
& mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando con-
uersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gen-
tium venerit tibi, inundatio Camelorum operiet te.

Quare inter
Iudæos pasto-
ribus, inter ge-
tes vero Re-
gibus primum
Christus an-
nunciatur.

I N X. Ecce Angelus Domini stetit iuxta illos. V A.

C O M M E N T A R I A.

DVm vigilarent, & noctis vigilias custodirent, subito, & improuiso Angelus
Domini visibilis apparuit prope illos astans. particula (ecce) rem subitam, &
inopinatam indicat; nihil enim minus illi exspectabant, aut cogitabant, quam reue-
lationem aduentus Christi. Fuit autem Angelus hic Gabriel, qui Zachariæ, & Bea-
tæ Virgini apparuerat, cuique huius mysterij cura demandata erat.

A N N O T A T I O X V.

Cum vulgata
legendum est
astitit.

Verbum Græcum ἐπιστη, quidam vertunt supera-
stit, quasi Angelus de cælo superuenerit, &
supra pastores sublimis constiterit. Ambrosius legit
stetit ante illos. Noster vero vulgaris Interpres ver-
tit, astitit iuxta illos; nam præpositio Græca ἐπι, om-
nes eas habet significationes, vt supra, ante, ac
(iuxta) & videtur accommodatior lectio: nam allo-
cucus est Angelus pastores, sicut homo hominem
alloquitur, idcirco prope illos astitisse recte dicitur,
vt propinquitatis indicetur, quam non significat præ-
positio (super), nec (ante). Accedat his, Angelum
ea propinquitate significasse Christum natum prope
esse; erat enim in Bethlehem. Solent autem Angeli,
quæ verbis significat, gestu, & habitu exteriori etiam
indicare. Quis autem hic Angelus fuerit, Cypria-
nus expresse tradit, Gabrielem fuisse; nam in orat.
de natiu. Dom. loquens de pastoribus, sic inquit: Ve-
niunt in Bethlehem, quam prædixit Gabriel, in-
uenitur Emmanuel, idem insinuat Ambrosius; quam-
uis alicui contrarius videatur, nam sic inquit: Ange-
lus Mariam, Angelus Ioseph, Angelus Pastores edo-
cet, non satis est semel missum esse; duobus enim,
& tribus testibus stat omne verbum. Hæc Ambrosius.
In eo, quod dicit, non semel missum, indicat eun-
dem esse Angelum, qui missus est B. Virgini, Ioseph,
& pastoribus. Illum autem esse Gabrielem nemo dubi-
tat; quin etiam teste Augustino ferm. 14. de Natiu.
Dom. Missus etiam est Ioseph, vt annunciaret conce-
ptum esse de Spiritu sancto, quem B. Virgo gesta-
bat in utero. Obijciat aliquis, verba sequentia in-
dicare non fuisse eundem; inquit enim: In ore duo-
rum, vel trium stat omne verbum. Respondeo hoc
ipsum indicare vnum, & eundem Angelum: nam
videtur Ambrosius imitari voluisse verba Pauli 2.
Corint. 13. vbi de se ipso loquens, inquit: Tertio
venio ad vos, in ore duorum, vel trium stat omne
verbum. non quod alius ipse esset a se ipso, sed ad-
uentus suos plures vocat testes. ita Ambrosius tres
vnus Angeli aduentus, tres appellat testes, seu tria
testimonia. Videri etiam alicui Chrysostronus posset
contrarius Cypriano: nam ferm. 11. in Ioan. sic habet.
Pastoribus Angeli; Ciuibus pastores; Mariæ, & Eli-
sabeth Gabriel; his, qui in templo erant, Anna, &

Simeon annunciauerunt. Hæc Chrysostronus. quæ
non sunt contraria: nam pastoribus Gabriel primus,
postea vero alij etiam Angeli apparuerunt; Chryso-
stronus autem non de priori, sed de posteriori locu-
tus est apparitione.

Occurrit autem hoc in loco dubitatio, quam
Gregor. homil. 10. in Euang. proponit, vbi sic habet.
quærendum nobis est, quid nam sit, quod Redem-
ptore nato Pastoribus in Iudæa Angelus apparuerit?
atque ad adorandum hunc ab Oriente Magos non
Angelus, sed stella perduxit? Quia videlicet Iudæis
tamquam ratione vtentibus rationale animal, id est,
Angelus prædicare debuit: Gentibus vero quia ra-
tione vti nesciebant, ad cognoscendum Dominum
non per vocem, sed per signa perducuntur. Vnde
etiam per Paulum dicitur. Prophetiæ fidelibus datæ
sunt, non infidelibus; signa autem infidelibus, non
fidelibus. Hæc Greg. in cuius sententiæ declaratio-
nem adnotandum est, appellasse Angelos animalia
rationalia, non quod vellet affirmare esse eos corpo-
reos, & discursiuos. vti nos, sed quod sint substan-
tiæ viuentes, & intellectuales, quamuis nonnulli
antiqui Patres eos esse corporeos existimauerint; de
qua re non est instituti præsentis agere. Huic rationi,
& causæ Gregorij adiungere possumus aliam; nempe
solitum esse Deum hominum moribus, & consue-
tudinibus se in operibus gratiæ accommodare, & per
ea, in quibus quisque veritatem, operari diuina.
Erant autem Magi dediti Astrologiæ, & cursuum
cælestium obseruatores; Angelorum autem nulla
erat apud eos cognitio; idcirco per ea, quæ eis nota
erant, & quibus ipsi fidem adhibebant, illis reuelat
myteria, quamuis non sine illustratione Spiritus san-
cti interius operantis: At Iudæis Angelorum appa-
ritiones erant frequentes, & ipsi eorum notitiam ex
Scriptura habebant; idcirco hos per Angelos alloqui-
tur. Præterea post peccatum gentibus magisterium
creaturarum relictum est, vt per ea, quæ videntur,
inuisibilia Dei scrutentur. & maxime per cælestia
corpora, quæ enarrant gloriam Dei super cæteras
creaturas. Iudæis vero per Angelos lex data est;
propterea hos, & illos docet nunc, iuxta verorum-
que magisterium.

Et claritas Dei circumfulsit illos.

C O M M E N T A R I A.

Apparuit Angelus splendenti, & fulgenti corpore, omnique ex parte pastores
splendor circumdedit, qui & noctis tenebras discutiebat, & Angelo apud
eos, quibus Saluatoris annunciabatur aduentus, fidem conciliabat, ac nascentis
Christi maiestatem, & diuinitatem indicabat: idcirco claritas dicitur Dei, vt pote
quæ erat argumentum, Angelum à Deo missum, & natum infantem Deum esse. cir-
cum circa autem lumen effunditur, & Pastores circumfulsisse dicitur, quia etsi in hu-
mana figura Angelus apparebat: natura tamé eius excellétior, & super humana erat.

A N N O T A T I O C X V I .

Quid Angeli
claritas signi-
ficauerit.

Claritas Græce ὀφθαλμῶν multipliciter accipitur, & aliquando ab Interprete nostro verti solet gloria. Ioan. 8. Ego non quero gloriam meam; aliquando, Maestas, Luc. 9. Viderunt maestatem eius. aliquando claritas. Ioan. 17. Clarifica me pater claritate, quam habui. hoc autem in loco accipitur pro splendore, seu fulgore; idcirco recte vertit clarita-

tem. estque idem sensus cum illo Act. 9. Circumfulsit eum lux de celo. Est autem adnotandum illud, quod obseruauit Beda, nunquam in veteri testamento legi Angelum apparuisse fulgentem, vti nunc, & recte quidem; exorto enim iam Sole iustitiæ Christo, Angeli tamquam solares radij lucidi, & fulgentes apparent.

Et timuerunt timore magno.

C O M M E N T A R I A .

Angeli maestas timorem pastoribus incussit, subitus, & insolitus eius aspectus illum auxit, ideo timore magno timuisse dicuntur. Hebraismus est frequens (timore magno timuerunt) pro eo, quod est vehementer timuerunt. Non fuit autem timor hic alicuius mali, sed humanæ infirmitatis, in quam per peccatum incidimus. Diximus plura de hoc timore supra, cum de Zacharia locuti sumus.

inosis
ambrosius
o. b. d.
aru. quod
lati
o. b.

Et dixit illis Angelus: Nolite timere.

C O M M E N T A R I A .

Peculiare est Angelo lucis timorē incussum repellere, & consolari verbis eos, quos suo aspectu terruit; eo maxime quia læta, & salutifera nunciare veniebat. Non fuit autem verbum hoc Angeli solum significatiuum, sed etiam efficax; nam verbo significauit pastoribus, vt timorem deponerent, & ipsius efficacia verbi, quia Nuncius Dei erat, operatus est, & effecit, vt timorem abijcerent. Ac sicut præsentia sua timorem incussit, ita verbo eundem timorem remouit. Merito autem timor hic à Pastorum cordibus est expulsus, vt tranquillo animo mysterium annunciandum facilius perciperent; vt enim aqua turbata imperfecte figuras obiectas recipit, sic & animus passionibus agitatus, spiritualia, ac cælestia minus apprehendit.

Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.

C O M M E N T A R I A .

Quatuor causas Angelus reddit, quare pastores timere non debeant; idque particula illa (enim) quæ causalis est, indicat. Prima est, quod gaudium magnum nunciaturus veniat. Secunda quod non priuatum, sed publicum gaudium sit: erit, inquit, gaudium omni populo. Tertia, quod hoc gaudium non alijs, sed ipsis annunciat: vobis, inquit, euangelizo; quod quidem singularis, & magni beneficij erat, eo maxime; cum illi essent pastores, & in populo, cui gaudium commune erat, relictis essent nobilioris conditionis multi, quibus non erat tale nuncium factum. Quarta est præsentia gaudij: ecce, inquit, quasi diceret: Adest iam causa gaudij, & lætitiæ. Gaudium autem magnum vocat Nuncium, quod gaudij magni materiam præbiturum erat. Vfus est autem verbo, Euangelizandi, quod bona nunciare significat, vt re ipsa, & verbo læta nunciaret, & Euangelium iam Christi quodammodo initiaret. Per populum autem, Iudaicum intelligit, qui eum venturum sperabat, & cui Christus ipse suam præsentiam corporalem exhibuit, prædicauit, & miracula fecit. iuxta illud Matth. 15. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierant Domus Israel, & Rom. 15. Christus minister fuit circumcisionis.

A N N O T A T I O X V I I .

An populi no-
mine Iudæos
tantum, vel
etiam Gentes
intellegerit.

Theophylactus, & Beda populum non solum Iudæorum, sed etiam Gentium intelligunt, eo quod Christus maius gaudium Gêntibus credentibus, quam Iudæis non credentibus attulerit, & re ipsa ita est. Nam Christus Iudæis, & Gêntibus salutem

contulit, & in ipso omnes etiam gentes benedicendæ erant; tamen hoc in loco populum Iudaicum intelligit, tum vt Angelus pastorum intelligentiæ se accommodaret; tum quia de corporali Christi præsentia loquebatur; quæ Israelitico populo exhibenda tunc

tunc annunciabatur, tunc etiam quia gentium salus, & ad Euangelium vocatio ad populi Israelitici gaudium pertinebat. iuxta illud Isa. 60. Videbis, & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo Maris, fortitudo gentium venerit tibi. absque dubio loquitur Ifaías de Ecclesia, quæ primum fuit collecta ex Iudæis, cui inserta est gentium credentium multitudo. Quod si obijcias, non totum populum Iudæorum gauisum,

esse aduentu Saluatoris. Respondeo nec etiam omnes gentes, quibus prædicatum est Euangelium Christi, esse lætatas; sed dictum est gaudium futurum toti populo. ex parte rei ipsius, quia causa, & materia gaudij sufficientissima ministrata est. licet non omnes ob eorum infidelitatem gauisi sint, sicut etiam Christus dicitur Saluator omnium, quia omnibus propositus est in salutem.

Quia natus est vobis hodie Saluator.

C O M M E N T A R I A .

Quatuor ra-
tiones gaudij
pastoribus in-
dicantur.

Multas huius gaudij magnas causas Angelus adfert. Prima est natiuitas Saluatoris, quia inquit natus est Saluator; nihil lætius esse potest, quam nuntium salutis, & Saluatoris aduentus: eo præcipue tempore, quo inimici maxime inserviunt, ac deprestantur, & quo infirmitates vndique grassantur, ac quo extrema imminet pericula. Is enim status erat Iudæorū, quantum ad spiritualia, quando Christus aduenit. Altera causa gaudij est, vtilitas propria, natus inquit est vobis, id est, pro vestra salute: aliorum quidem salute, & bono gaudere solemus, at quando ad nos etiam ipsos salus, & bonum perueniunt, vehementius læramur, quamuis autem illud (vobis) Iudæos significet; tamen maiorem habet vim erga ipsos pastores, quibus primis nunciabatur Saluatoris aduentus. Tertia causa gaudij est naturæ humanæ exaltatio; quia natus inquit est; hoc enim verbo natura Saluatoris, in qua veniebat, indicatur, quasi diceret, Natus est homo, & eiusdem naturæ vobiscum factus est, quasi Angelus diceret, natura humana vestra super nostram sublimata est; non enim Angelos sed semen Abrahamæ apprehendit. Tanto igitur honore, & exaltatione maxime vobis ò pastores gaudendum est. Quarta gaudij est causa, temporis breuitas. hodie inquit natus est, non multum temporis est transactum, recens est natiuitas, hoc enim eodem die natus est. Nouitas quidem rei gaudium auget, eo maxime, quod si Angelus diceret, modo natus est, & modo vobis innotescere vult, à vobisque agnosci, & videri cupit, moras vestræ salutis non sustinet. hoc profecto amoris ardentissimi erga vos magnum est argumentum, & causa, vt summopere gaudeatis, efficacissima.

Qui est Christus Dominus.

C O M M E N T A R I A .

Ne qualemcumque Saluatorem Pastores intelligerent; nam & Iosue saluator Populi, fuit, exponit esse illum verum, & perfectum, qui Christus, & Messias promissus, & expectatus est, quem Dominum appellat, vt non hominem putum, sed Deum etiam significet; quem enim Angelus absolute Dominum prædicat, sine dubio Deus est, qui & hominum, & Angelorum Dominus appellatur. & hæc est quinta causa gaudij magni, quasi diceret. En promissiones, quæ tanto tempore desideratæ, & expectatæ fuerant, adimpletæ sunt; & quod Patriarchis, & Prophetis reuelatum est futurum, quodque tantopere videre desiderarunt, iam adest; hoc profecto magnæ lætitiæ materia, & causa est.

In Ciuitate David.

C O M M E N T A R I A .

Connectitur hoc cum verbo (Natus est) natus, inquit, est Christus in Bethlehem, quæ Ciuitas David dicitur, vt paulo superius explicuimus. Locum Natiuitatis diligenter Angelus notauit, propter veritatem prophetiæ Micheæ 5. cuius meminit Matthæus cap. 2. vt verum esse Christum, ac Messiam eum, quem natum, annunciabat, ostenderet, cumque posset nomine proprio Bethlehem significare, Ciuitatem David appellauit, vt distinctius indicaret eum esse de genere David, & stirpe regia, ac impletum esse in illo, quod ipsi David erat ante promissum. Psal. 131. de fru-

de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Atque hæc est sexta causa gaudij, nempe non procul à pastoribus Christum natum esse, vt facile, & cito eum videre possent. Sicque Angelus fidem dictis suis conciliat; non enim quæ sunt remotissima, ad quæ aditus difficillimus est, narrat, sed quæ prope, & breuissime eorum veritas sensibus parere potest.

Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.

COMMENTARIA.

Signum, quo Pastores natum Christum agnoscant, & discernant, exhibet: inuenietis, inquit, Infantem, quasi diceret, quem Infantem inuenietis inuolutum pannis, & in præsepio positum, ipse est Christus Dominus, hoc signo eum agnosce- tis: Nec tamen signum agnitionis, & discretionis hoc est, sed simul argumentum, quo Angelus se vera narrare comprobatur; quasi diceret, hoc erit vobis argumentum me vera dicere, quod quando vos peruenietis in Bethlehem, inuenietis Infantem inuolutum pannis, & positum in præsepio. Simile quoddam argumentum, & signum dedit Samuel Sauli, dictorum suorum veritatem confirmans 1. Regum 2. cum abieris, inquit, hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin in Meridie; dicentque tibi, inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas; scire enim Pastores ituros esse ad videndum, & eos inuenturos esse locum, & quando ad locum peruenissent, tunc Christum pannis inuolutum, & in Præsepio positum esse; humanam supra cognitionem erat. Erat igitur hoc signum, simulque argumentum quoddam. Notanda est Angeli sapientia, ne paupertas Infantis repente à pastoribus visa, eos à tanti mysterij fide retineret, aut auerteret; in signum, & argumentum eam proponit, vt non solum agnita non minuat fidem, sed potius confirmet, & augeat.

ANNOTATIO XVIII.

IN Scriptura, quantum ad præsens pertinet institutum, Signum duplex legimus, vnum est cognitionis, seu distinctionis. Alterum est probationis: illo vtimur ad rem discernendam, & agnoscendam, hoc ad ijs, quæ dicta sunt, assentiendum, & credendum. de priori dicitur Matth. 24. quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi. Matt. 26. qui tradidit eum, dedit eis signum. de posteriori Luc. ij. tentantes signum de cælo quærebant ab eo. Ioan. 4. nisi signa videritis, non creditis. Miracula enim, quibus homo inducitur ad fidem, signa dicuntur; quasi argumenta quædam probantia veritatem. Est igitur difficultas, vtro modo signum hoc ab Angelo datum accipi debeat, nam per hoc, quod inueniretur Infans pannis inuolutus, & in præsepio positus; non videtur probari posse eum, qui natus erat, esse Christum Dominum, sed ex illo potius videri potuisset contrarium, cum panni illi, & præsepe non potentiam Christi, & diuinitatem, sed tantum infirmitatem humanæ naturæ declarent. Duæ sunt igitur opiniones Interpretum. Quidam signum distinctionis, & agnitionis intelligunt, non autem probationis. quæ opinio est Bedæ in præfati, vbi sic dicit. Notandum solertius, quod signum nati Saluatoris datur, non Tyrio exceptum ostro, sed pannis squalentibus inuolutum; non in ornatis auro stratorijs, sed in præsepibus inueniendum. Huic videtur adhaesisse Bernar. serm. 4. de Natiu. Dom. vbi inquit, neque enim sine certi narratione mysterij pannis Saluator obuoluitur, & ponitur in præsepio, quando id manifeste in signum nobis commendatur ab Angelo, hoc inquit, vobis signum: inuenietis Infantem pannis inuolutum. in signum positi sunt panni tui Domine Iesu, sed in signum, cui à multis vsque hodie contradicunt, multi quippe vocati, sed non multi electi, ideo nec signati. Agnosco certe, agnosco Iesum

magnum; sordidis opertum vestibus, dum altercatur cum Diabolo. Hæc Bernardus. Quidam alij signum modo posteriori interpretantur, quasi hoc argumento vsus sit Angelus in confirmatione suorum dictorum; ita sensit Euthymius, qui hæc exponens verba, ita dixit: erit signum hoc vobis argumentum, quod vera dicam. qua autem ratione pannis inuolutum, & in præsepio positum esse, argumentum sit, quod vera sint, quæ Angelus dixerit, non explicat Euthymius; tamen Cyprianus in serm. de Natiu. Christi breuissimis verbis id nobis exposuit, inquit enim, hunc in cunabulis adorauerunt Pastores, & paruulum confitentes Deum simpliciter argumento, si in spiritu, & veritate, quem adorauerunt, noverunt fuerat quidem miraculum, quod apertis cælis lux fulgoris insolita nocte super eos fulserat, quod auditi Angeli, & conspecti, quod ab ipsis fuerant edocti, & instructi pastores. Hæc Cyprianus, vbi inter miracula narrat, quod Angelus prænuuciauit pastoribus, quæ futura illis erant, nempe eos inuenturos esse Infantem pannis inuolutum, & in præsepio positum. Si igitur miraculum fuit, constat secundum Cyprianum, signum hoc modo posteriori accipi debere. Nos in Commentario vtramque coniunximus sententiam, interpretantes signum hoc fuisse distinctionis, seu agnitionis, vt per id pastores Christum natum agnoscerent; simul etiam fuisse confirmationis, vt se vera dicere Angelus comprobaret, ea prædicendo, quæ ventura erant, vt in Commentario explicuimus. Inquirunt hoc in loco quidam recentiores, qua ratione pastores nosse potuerunt præsepium, in quo Christus positus erat; respondentque illud fuisse tunc temporis locum omnibus notissimum, vt vel ipso nomine illud agnoscerent, quæ responsio solido caret fundamento: nam verba Angeli non aliud continent, quam quod inuenirent in præsepio

De signis cognitionis, & probationis.

Vtro modo signum Angeli intelligendū sit.

Qua ratione Pastores Christi præsepe inueniunt.

Infantem positum; nemo autem præsepij nomine illud, in quo Christus erat positus, intelligere posset, nisi vnum tantum esset in Bethlehem, quod affirmare vanum est, & omnino inuerrisimile, aut nisi præsepe illud fuisset insigne, & omnium primum, vt per quendam Antonomasiam illo communi nomine significaretur, quod quidem gratis affirmatur, immo veritati aduersari videtur; nam erat locus paruus, & tunc temporis obscuri nominis. in præsepia autem, celebria solet multitudo animalium confluere, nec in talibus locus patuisset B. Virgini, quam (credibile est) in solitariū, & fere derelictum locum recessisse. Dicendum ergo est, pastores ab Angelo verita-

tem edoctos, ipsius inuisibili ductu peruenisse ad locum, & præsepe, in quo Christus erat, & quo diuino agebantur spiritu, vt intelligerent, & crederent, eodem ducebantur, vt inuenirent. & hoc etiam ad miraculum signi ab Angelo dati pertinet. Hæc tradit Cyprianus in sermone illo de Nat. Chri. vbi inter cætera sic habet. Pastores illi amplius mente, quam oculis carnalibus illuminati ad conspiciendum Emmanuel festinant, & edocti intus inuisibili magisterio Spiritus sancti, quem paruulum vident, confitentur immensum, & piæ ei deuotionis affectum præsentant. Hæc Cyprianus.

Et subito facta est cum angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum, & dicentium.

COMMENTARIA.

CVM Angelo, qui pastoribus natum Christum annunciauerat; signumque illis dederat, repente, & ex improviso adfuit multitudo Angelorum; vt enim inquit, Leo ser. 9. de Natiu. Dom. Angeli prædicationi exultatio innumerabilium iungitur Angelorum, vt excellentius fieret testimonium, cui militiae caelestis multitudo concinet Angelorum, tamque ille, quam hi Deum laudabāt, & dicebant, quod sequitur: conuenienter autem completo nuncio, & à pastoribus percepto, multitudo Angelorum sentitur; oportebat enim præcedere nuncium, & postea veritatis annunciatæ testimonium consequi. In hoc quod Euangelista dicit, facta est, seu adfuit multitudo cum Angelo, indicat apparuisse multos Angelos visibiliter, sicut, & primus apparuerat; simul etiam & Angelum primum, & qui apparuerunt post eum, cecisisse Gloriam Deo, expressam sequenti sententia: Militiam autem caelestem appellat Angelos hoc in loco, cum potuisset dicere, Facta est multitudo Angelorum; tum quia illud plus maiestatis habet, principatumque nati Infantis etiam super Angelos, explicat, tum quia aduentus Christi qualitatem significat; venit enim aduersum Diabolum bellum gerere, & fortem armatum fortior ipse superueniens vincere. Luc. 11. tum etiam quia Angelorum multitudo maior, hoc adiecto militiae verbo exprimebatur; tum demum quia non ex vno ordine, aut Hierarchia caelestium spirituum, sed ex pluribus illa Angelorum multitudo conuenerat, sicut in militia, & exercitu multi ordines sunt. Perpende ergo testium Christi aduenientis multiplicationem; fat erat pastores fuisse admonitos ab vno Angelo, cum haberet gloriae Dei symbolum; tamen vt illi magis in fide confirmarentur, & mysterij altitudo euentior fieret, multitudo militiae caelestis apparuit, vt quanto magis Diuinitas carne, pannis, & præsepio se in terra occultauerat, tanto euentior caelestium testimonio illustraretur.

ANNOTATIO XIX.

Vnde illa Angelorum multitudo, & audiunt tantum uel etiam uisi sint à pastoribus.

Euthymius, & Beda de cælo aduolasse illam Angelorum multitudinem post nuncium ab Angelo factum existimant. Quidam recentiores simul cum Angelo aduenisse; non tamen agnitos fuisse à pastoribus, nisi post nuncium acceptum putant. Vtrumque probabile est: probabilius tamen est prius. Quidam etiam Angelorum hanc multitudinem non visam fuisse, sed auditam tantum à pastoribus opinantur; quidam alij etiam visam affirmant, quod probabilius videtur; tum quia verba Euangelistæ id indicant: dicitur enim multitudo facta cum Angelo, quia vna cum ipso apparuit, hunc autem visum fuisse certum est; tum quia veritas natiuitatis visibilis ea ratione magis significabatur; tum etiam, quia multitudo illa, quæ maiestatem nascentis repræsentabat, & cætera, quæ diximus in Commentario, non exprimebantur, si tantum audita fuisset vox eorum. Aduerte autem militiam caelestem in Scriptura dupliciter accipi. Vno modo pro stellarum multitudine 4. Reg. 17. adorauerunt omnem militiam cæli. & cap. 21. ex-

truxit altaria omni militiae cæli. Deuter. 17. adorantes Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli. Altero modo pro Angelorum vniuersitate. Isa. 40. educit in eo numero militiam cælorum, ipsique Angeli milites Dei dicuntur. Iob. 25. nunquid est numerus militum eius; recte autem hæc duo, militiae, seu exercitui comparantur propter tria: nam sicut in exercitu est ordo, fortitudo, & maiestas; sic in Angelis est ordo, est fortitudo, est maiestas. Similiter in altorum multitudine admirandus est ordo motuum, & dispositio, actionis virtus, & fortitudo, in quibus Dei maiestas elucet, & repræsentatur; cæli enim enarrant gloriam Dei. De his tribus dicitur Cant. 6. Ferribilis vt castrorum acies ordinata. verbum (ordinata) ordinem militiae indicat; terribilitas, fortitudinem, & maiestatem significat, quæ maxime Angelorum militiae insunt, idcirco eorum vniuersitas, caelestis militia, seu exercitus, in Hebræo autem שׁוּבָא dicitur, cuius magna pars pastoribus reddit nati Christi testimonium, vocibus laudis, & lætitiæ.

Gloria in altissimis Deo.

C O M M E N T A R I A.

DV-**AE** sunt partes hymni Angelorum, Deum laudantium. Primum quidem Deum laudant, prædicantes gloriam, quam habet apud Angelos in cælis: deinde laudant Deum, prædicantes pacem, quam fecit in terra cum hominibus, ut significant eundem esse Deum, qui in Altissimis glorificatur ab Angelis, & qui in terra pacem est operatus cum hominibus ex suo beneplacito, ut qui prius erat in cælis Deus purus, nunc carne sumpta, sit & in terra Deus, & homo. Prior ergo pars est, Gloria in Altissimis Deo. sensus est, nato Christo, in Altissimis est gloria Deo; Angeli enim in cælis habitantes, Deum glorificant, & summis encomiis laudant bonitatem, sapientiam, potentiam, ac iustitiam, seu veritatem Dei, quas Christo nato manifestavit: gloriose enim in hoc opere magnificatus est. merito autem in cælis Dei gloriam annunciant, & prædicant Angeli, ne humilis Christi natiuitas, eius diuinitatis occultandæ occasio esset Pastoribus. Angelos glorificare Deum nato Christo non aliud est, quam Deum omni laude dignum ob hoc opus confiteri, & virtutes, quas in eo opere exhibuit, prædicare. Multitudo autem hæc Angelorum Deum laudat, annunciando, & prædicando eius gloriam, quam habet in cælis apud illic habitantes, cuius gloriæ dignum fide testimonium perhibent ij ipsi, qui de Altissimis descendebant.

A N N O T A T I O XX.

Verba hæc sunt canticum laudis.

GRæce legitur *Ὕψιστος*, id est Altissimis, nempe Cælis. Patres autem Latini multi legunt, in excelsis, quod idem est quantum ad sensum. sic legunt Irenæus lib. 3. c. 11. Ambrosius serm. 13. Hieron. Epist. ad Theodorum, in Epitaphio Lucinij, & Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 10. quos Ecclesia secuta canit in Missa, Gloria in excelsis Deo. Quod autem ad sensum spectat, illud aduertendum est, hoc Angelorum canticum esse laudem quandam, & encomium Dei; hoc enim Euangelista testatur in præcedenti sententia, idque Patres communiter docent; in primis Gregorius Nazianzus apolog. 1. de hoc enim canticum loquens, Angeli, inquit, cælestem primum, deinde terrestrem laudem celebrant. Irenæus etiam libro 3. cap. 2. de eodem loquens, glorificauerunt, inquit, Deum, qui est factor supercælestium, & eorum, quæ super terram sunt, & qui suo plasmati, id est hominibus salutem de cælis misit. Ambrosius etiam sermo 13. de hoc canticum inquit, digna plane, & iusta sententia, quæ in natiuitate Christi, & Deo honorem repræsentat in cælis, & hominibus pacem præsentat in terris. His accedit Euthymius, qui verba esse laudis has Angelorum voces affirmat. Hinc sequitur, non videri accommodatam Theophylacti sententiam, affirmantis hoc canticum esse gratiarum actionis, quasi Angeli gratias agant Deo pro beneficio præstito in natiuitate Christi. longe enim aliud est gratias agere, & laudare: consequitur etiam non esse supplendum verbum optandi, quasi dictum esset, gloria sit Deo; hoc enim est imprecari, non laudare: laudamus enim cum alterius virtutes, & gloriosa facta interiori, aut exteriori verbo apud nos ipsos, aut apud alios prædicamus, nec differunt in hac parte laudare, & glorificare, nisi in eo, quod glorificatio egregiam, & insignem quandam, ac præclaram laudem significat; glorificamus enim eum, cuius egregia, & admiranda gesta notificamus, seu prædicamus. debet ergo non optandi, sed indicandi verbum suppleri, nempe, gloria est in Altissimis Deo. sicut etiam in sequenti sententia simile supplendum

est verbum, & in terra est pax hominibus. superest ergo examinare sensum huius sententiæ, gloria est in Altissimis Deo. Primo quidem iuxta Irenæum lib. 3. cap. 11. ut ex verbis ipsius paulo ante citatis apparet, sensus est: Glorificamus Deum, qui est Auctor supercælestium spirituum: tres enim videtur causas glorificationis huius interpretari, quæ toto hymno comprehenduntur; nimirum glorificamus Deum, quia fecit supercælestia, & quia fecit, quæ sunt in terra, & quia salutem hominibus attulit. Secundo loco Ambrosius, ut ex eius etiam verbis allegatis deducitur, sic intelligit, glorificamus Deum, qui est in Altissimis, & pacem annunciamus hominibus, qui sunt in terra. Tertio Gregorius Nazianzus paulo ante allegatus, obscure quidem, tamen vere indicat expositionem, quam in Commentario amplexi sumus; inquit enim, primum cælestem, deinde terrenam laudem celebrarunt. Hæc Gregorius. Consideremus ergo quo modo Angeli terrenum laudant; eius nimirum opus annunciantes, & prædicantes, in terra, inquit, pax est hominibus. laudare enim est insignem opus, aut virtutem alterius prædicare: eodem modo etiam laudarunt Deum cælestem, nempe gloriam, quam in cælis apud Angelos habet, manifestantes, & dicentes: Gloria est in Altissimis Deo, quasi nato Christo Deum Angeli in Altissimis glorificant, & in terra homines bonæ voluntatis, pacem assequuntur. hoc est, laudare, & glorificare Deum. Causa autem glorificationis, & laudis Christus natus est. ea enim de causa in Natiuitate hanc laudem decantant, ut significant propter eam laudari. Debet ergo referri laus hæc ad natiuitatem, ut ea sit causa glorificationis huius, & laudis. Hic sensus Gregorius sic explicatus nobis placet, & legitimus videtur, ad quem idemmet Gregorius respiciens in orat. de Natiuitate Christi, sic inquit: Latentur cæli, & exultet terra, nimirum propter cælestem, deinde terrestrem. Ex qua interpretatione consequitur illud (in Altissimis) non esse coniungendum cum (Deo) ut quidam recentiores connectunt exponentes, gloria Deo

Deo, qui est in Altissimis, coniungendum est potius cum verbo præcedenti, nempe in cælis apud Angelos est gloria Deo. Sic enim respondet sequenti, & in terra est pax hominibus. quem sensum secutus est Augustinus lib. 2. de ferm. Domi. in monte. cap. 10. Non est autem silentio prætereundum, in Scriptura frequentem usum esse huius vocabuli, Altissimi, seu Excelsi; Deum enim Altissimum, & in Altissimis habitare legimus, quod ideo factum est, ut à falsis diis fecerneretur. sic enim dicitur Psal. 112. Quis sicut

Deus noster qui in altis habitat. quasi dictum esset, non est alius verus Deus præter nostrum, qui in Altissimis est. Psal. 49. Redde Altissimo vota tua, nimirum vero Deo, non Idolis, & falsis diis, qui in Altissimis non sunt. Vbi autem sunt Angeli hoc verbo, ut verum Deum Pastoribus significarent, & idololatriam per Christum euertendam, & Deum verum glorificandum esse, insinuarent, uti factum est, & fiet.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

C O M M E N T A R I A.

ALtera hymni pars hæc est, laudant Angeli Deum, qui pacem in terra hominibus fecerit. Pax, inquit, est hominibus in terra, quia nempe, qui in cælis glorificatur, in terra est, & factus terrenus. Pax autem est hominibus bonæ voluntatis, id est, ex Dei beneplacito, ac gratuita eius voluntate, non ex eorum meritis. quod ad laudem, & commendationem maximam Dei pertinet, qui pro suo beneplacito, & bona, ac gratuita voluntate homines sibi reconciliauit, & ex inimicis, & seruis, filiisque iræ, amicos, filios, & Regni hæredes fecit per Christum. Nec hæc sola pace contentus, duos etiam populos diuisos, & disinctos, Iudæorum, & Gentium, copulauit in vnum, & quæ eos diuidebant, euertit. Huius vtriusque pacis meminit Paulus Ephes. 2. Ipse, inquit, est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis euacuans, ut duos condat in semetipso, in vnum nouum hominem, faciens pacem, ut reconciliaret ambos in vno corpore Deo, per Crucem interficiens inimicitias in semetipso. Hæc Paulus. Nec adhuc in hac pace finem fecit, sed etiam cum Angelis ipsis, qui in cælis sunt, quique à nobis peccatoribus dissidebant, Dei partes sequentes, pacificauit, nobisque in socios, & charos protectores conuertit, eorumque sedes communes nobis effecit, & in eorum consortium sempiternum perducet. de qua Pace idem Paulus Coloss. 1. Complacuit, inquit, per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Hæc est pax, quam nato Christo Angeli canunt, & annunciant: & pro ea Deum laudant, qui pro suo beneplacito per Christum eam fecit. Ne autem existimes, Christo nato, statim omnia hæc effecta fuisse; sed pax prædicatur eo adueniente, qui pacis auctor, & effector erat.

Ephes. 2.

Coloss. 1.

A N N O T A T I O XXI.

Patres dissident in lectione superioris sententiæ.

IN superioris sententiæ lectione, & in eius expositione Doctores multum dissentiant. Quod enim ad lectionem attinet, Hieron. Epist. ad Theodorum. & lib. contra Heluidi. legit (super terram.) Cæteri vero (in terra.) hoc tamé non est magni momenti, cum in eundem sensum recidat vtrūque; ac maioris momenti est, quod quidam diuidunt sic in Terra pax; hominibus bona voluntas, ut hymni huius tres sint partes, Gloria in Altissimis Deo, & in terra Pax; hominibus bona voluntas. Sicque nunc in Græcis codicibus legimus. Hanc lectionem secuti sunt Theophylactus, Euthymius, immo ante eos alij etiam Patres insignes. Athanasius enim in lib. de Passione, & Cruce legit, Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax, & in hominibus bona voluntas. Basilius etiam in homi. de humana Christi generatione, legit, Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas. quæ lectionem visus etiam amplecti Gregorius Nyssensis, Orat. de Christi natiuitate. ut ex contextu verborum apparet. similiter Epiphanius hæres. 30. & Eusebius lib. 4. demonstrat. Euang. cap. 10. Quidam alij connectunt, duasque partes faciunt sic. Gloria in Altissimis Deo, & in

terra pax hominibus bonæ voluntatis, quam lectionem inter Græcos amplexi sunt Origenes, homi. 13. in Lucam, & Chrysostomus, homi. de Natiuitate Domini. & in sermone De pace, & Cyrilus Hierosolymitanus cateche. 12. quod argumento est hos Patres exemplaria habuisse Græca, in quibus ita legebatur. inter Latinos autem eam lectionem sequitur Irenæus libro 3. cap. 11. & Hieronimus Epist. ad Theodorum. in Epitaphio Lucinij. Cyprianus sermone de Natiuitate Christi. Hilarus lib. 2. Trinitatis. Ambrosius sermone 13. Augustinus lib. 14. ciuium. cap. 8. & lib. 50. homiliarum. hom. 3. eo sermone. 1. & 9. de Natiuitate Gregorius homi. 8. Euang. & lib. 28. Moralium. c. 7. Bernardus sermone 2. in canticum, eamque recepit Ecclesia, & accommodatiorem sensum habet. Nam sicut cum dicitur, Gloria in Altissimis, adiectum est illud (Deo) qui glorificatur; ita cum pax in terra dicitur, adiungi debuit is, cui pax ista confertur, nempe, in Terra pax hominibus, non enim explicata erat sententia, si dictum esset tantum, in terra Pax. Præterea quia si seiungas sic. Homi. bona voluntas, videbitur pax in terra alijs dari, quam hominibus, cum hi separentur, & ad bonam voluntatem referantur. præterea si tantum

M legas

legas (pax in terra) non explicatur mysterium, nempe unde ista pax proueniat, & quod vrget etiam, non facile apparet, quomodo hoc verbum pertineat ad laudem Dei, cum dictum sit, sententiam hanc esse hymnum, & laudem. Amplectenda ergo lectio hæc est cum vulgato interprete, & cum Ecclesia, & antiquis etiam Patribus.

Patres non minus in expositione quam in lectione dissentiant.

Quod autem ad sensum, & expositionem spectat, in duobus dissentiunt doctores, & in connexionem, seu in illius particulæ (&) explicatione, atque in illius (bonæ voluntatis) interpretatione. Quod ad primum spectat, primo loco Theophylactus, & Euthymius particulam (&) causalem intelligunt in hunc sensum: Gloria in excelsis Deo, quia in terra pax est. est tamen discrimen inter eos: nam Theophylactus, qui priora verba interpretatus est esse gratiarum actionem, sic explicat: Gratiarum actio fit in Altissimis Deo pro tanto beneficio collato, quia in terra pacem fecit. Euthymius vero existimans priora esse verba laudis, sic interpretatur: Laudamus Deum in Altissimis, quia pacem fecit in terra. conuenit autem vterque doctor, hanc sententiam causam esse præcedentis. Secundo loco Irenæus lib. 3. cap. 11. ut paulo superius diximus, non solam hanc partem, sed etiam præcedentem causalem intelligit in hunc sensum: Glorificamus Deum, qui auctor est super-cælestium, & eorum, qui sunt in terra, & qui suo plasmati salutem fecit. Relatiuum autem (qui) causam continet, ut omnibus constat. Tertio loco Ambrosius copulatiue hanc sententiam exponit, non quasi causam præcedentis; sic enim in serm. 13. inquit: Digna plane, & iusta sententia, quæ in natiuitate Christi, & Deo honorem repræsentat in cælis, & hominibus pacem præsentat in terris. In eadem sententia est Gregorius Nazian. in Apolog. 1. de hoc enim hymno loquens subtiliter, dicit, Angelos laudare primum cælestem, deinde terrenum; qui enim erat prius solum cælestis Deus, factus est etiam terrenus carne sumpta; ideo cælestem primo loco glorificant, dicentes: Gloria in Altissimis Deo; deinde Deum hominem laudant, dicentes: In terra pax. Ex quibus constat verbis ad mentem Gregorij, etiam hanc partem esse laudis, & commendationis diuinæ, ut in commentario diximus, & Euangelistæ

verbis conuenit, dicentis: Angelorum laudantium hunc esse hymnum. inter has patrum sententias, accommodata magis mihi visa est tertia; licet enim particula (&) aliquando causalis sit; id tamen raro fit, nec admittenda est ea significatio, quando accommodatum, & conuenientem sensum aliter habere possumus.

Quod ad secundum spectat, bona voluntas Græcè, *εὐδοκία*, dicitur; hanc Hieronymus in epistola ad Theodoram. Ambrosius serm. 13. & Augustus lib. 14. de Ciuit. cap. 8. & lib. 50. homiliar. homil. 8. interpretantur voluntatem hominum, & affectum erga bonum, ut sit sensus, pax hæc non quibuscumque hominibus datur, sed ijs, qui voluntatem habent bonam, & affectum bene operandi, & viuendi, & ad pacem, quæ annunciabitur propensum. Leo autem sermo. de natiuitate Domini sic interpretatur, in terra pax conceditur, quæ homines facit bonæ voluntatis. Græci vero patres, inter quos sunt Gregorius Nyssenus oratio. de natiuitate Christi, Euthymius, Theophylactus, & alij, non hominum voluntatem, sed Dei intelligunt, non quamcumque, sed eam, qua sponte, & gratis nullis præcedentibus meritis voluit saluare mundum. iuxta illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum daret, quæ voluntas dici solet beneplacitum Dei. Pax ergo est hominibus bonæ voluntatis, siue genitiuus ad pacem, siue ad homines, quod verius est, referatur, idem est sensus, nempe: Pax hæc est hominibus ex Dei beneplacito, & gratuita eius voluntate, siue hominibus, quos bona voluntate Deus est profecutus est, & quos amauit ac dilexit. de qua bona voluntate dicitur Ephes. 1. Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum eius; quod proposuit in eo. Quod enim bona sua, & gratuita voluntate Deus facere disposuit, nempe saluare mundum, hoc per Christum filium suum impleuit. non ergo ille genitiuus restringit, quasi non omnibus hominibus pax hæc impertiatur; sed declarat pacem omnibus offerri, & effici, quantum est ex parte Dei, non ex ipsorum meritis, sed ex spontanea, & gratuita illius voluntate. Et hæc legitima videtur expositio, quam secuti sumus in commentario.

Quid nomine bonæ voluntatis, sic intelligendum.

Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cælum: pastores loquebantur ad inuicem.

COMMENTARIA.

Persuasus pastoribus, verbumque Dei esse credentibus, quod eis annunciatum erat, Angeli in cælum, unde venerant, recesserunt, nec fuit pastorum fides otiosa, nec tarda, sed quod auribus audierant, menteque conceperant, statim opere ipso perficere conantur, & ad adorandum Christum prænunciatum venire se accingunt; inuicemque loquuntur, alij ad alios mutuo se excitantes, & exhortantes ad iter in Bethlehem suscipiendum. particula (ut) indicat nullam moram pastores fecisse, sed statim Angelis recedentibus mutuo ad iter se excitasse, & præcinxisse, vtile nobis documentum relinquentes, ut quæ diuinis inspirationibus, sæpeque Angelorum ministerio factis didicimus; opere seduli compleamus, nec moras salutis nostræ procurandæ protrahamus.

ANNOTATIO XXII.

Recentiores quidam, veræ, atque Catholicæ fidei parum sectatores Angelorum discessum in cælum, sic interpretantur, ut sit quædam euanescentia ab oculis nostris, nec esse necessarium, cum Angeli de cælo descendere, aut in id ascendere dicuntur, locorum spatia emetiri, cum vbiicumque Deus sit, cæ-

lum sit; Deus autem vbiique sit, & Angeli semper faciem patris videant. dicuntur ergo esse in terra, cum visibiliter apparent in terra. Hæc tamen doctrina fidei contraria est; quamuis enim Angeli vbiicumque sint, Deum videant; tamen non sunt vbiique, uti Deus est. Unde cum sunt in cælo præsentialiter, non sunt in terra.

in terra, & cum sunt in terra, non sunt in cælo; mutant ergo loca, & ab vno in alium transmeant: mali enim Angeli, in cælo erant in principio creationis; peccantes vero ab eo eieci sunt in Infernum, & in Regionem hanc elementarem, de quibus dicitur Apocalyp. 18. neque amplius inuentus est locus eorum in cælo: Unde qui sunt in Inferno, non sunt in Regione hæc, quæ omnia Damascenus vere, & docte tradit lib. 2. de fide. cap. 3. non igitur discessus eorum est solâ euanescentia ab oculis nostris, sed etiam mutatio loci, quantum ad præsentiam substantiæ, & essen-

tia eorum. solus est Deus, qui vbiique est, & omnia implet, & in cælo esse dicitur, quia ibi intellectibus beatorum se manifestat. Non quod omnino patres eos faciamus in hoc nobiscum, cum sint perfectius in loco, quam nos, & velocius loca mutant, quam creaturæ corporeæ; de his tamen non est præsentis instituti plura dicere. Aduerte in Græco legitur. (Homines pastores loquebantur) quasi sit Antithesis quædam, Angeli discesserunt, homines vero illi, qui erant Pastores, inuicem loquuntur.

Transseamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est.

COMMENTARIA.

Verba sunt Pastorum mutuo se exhortantium ad suscipiendū iter in Bethlehem, & videndum infantem natum, sicut Angelus annunciauerat. Sensus ergo est: Nullas protrahamus moras, sed proficiscamur in Bethlehem, ut videamus rem hanc, quæ facta est: Hebraismus est; verbum enim pro re, seu opere accipitur; ut supra etiam notauimus. Attende illud (videamus hoc verbum, quod factum est) non enim veniunt Pastores experiendi causa, an verbum hoc factum sit; crediderant enim Angelo reuelanti, & multitudini Angelorum testificanti, ut sequentia etiam verba demonstrant; sed veniunt, ut videant oculis, & infantem Christum agnoscant, & venerentur excitati, & inuitati ab Angelo dicente: Inuenietis infantem positum in præsepio.

ANNOTATIO XXIII.

Superioris sententiæ sensus, magis examinatur.

Prætermissa est ab Interprete particula Græca *ὅτι*, quam quidam vertunt (iam) quasi dictum esset, transeamus iam usque Bethlehem. cum enim certiores facti sumus de tanto mysterio, proficiscamur, nec immoremur; est enim particula exhortantium, & moram increpantium, aut prohibentium, illud autem (verbum) Ambrosius in præfati, & Bernardus serm. 22. in canti. interpretantur Christum, de quo dictum est: Verbum caro factum est. Et in principio erat Verbum, quod videri dicitur ratione carnis iuxta illud 1. Ioan. 1. quod vidimus oculis nostris de ver-

bo vitæ. Hæc autem expositio non videtur multum accommodata, tum quia non legitur in hoc loco λόγος, sed, *ῥήμα*, tum quia non dicitur Verbum factum; licet enim Verbum factum sit caro; tamen non dicitur absolute factum. accommodatior ergo est expositio Euthymii; ut verbum idem sit, quod res, seu opus. quæ significatio frequens est Hebræis. 2. Reg. 1. quod est verbum, quod factum est? indica mihi 1. Reg. 3. ecce ego faciam verbum in Israel 3. Reg. 3. quia postulasti verbum hoc. sunt huiusmodi multa testimonia.

Quod Dominus ostendit nobis.

COMMENTARIA.

DVAE insinuatur causæ, quibus se mutuo excitant, & exhortantur ad transeundum in Bethlehem, ut videant verbum hoc. Vna est, quia Dominus dignatus est notificare, & manifestare, altera, quia nobis ostendit. habet vtrunque verbum energiam quandam; illud quidem (nobis) quasi diceret, mysterium singulare, & admirabile nobis Pastoribus, ac pauperibus dignatus est Dominus, & quidem per Angelos significare. Habet etiam energiam illud (ostendit) non solum enim manifestauit Infantis Christi natiuitatem, sed signa exhibuit, ut inuenire possemus: esset autem ingrati, & irreuerentis animi, tantum Dei beneficium, summo, quo possumus studio non amplecti; transeamus ergo in Bethlehem.

ANNOTATIO XXIII.

Non omnes eodem modo legunt superiora verba.

Præcedentis sententiæ varia est lectio. Græca exemplaria, & Latina multa legunt, ut in commentario expositum est, sicque legunt Ambrosius, & Euthymius, eaque lectio in emendatis biblijs probatur. Beda vero legit sic. quod fecit Dominus, & ostendit nobis. & hæc lectio sensum habet valde accommodatum, & mysterij magis significantium; opus enim

hoc factum esse à Domino dicitur, non quod cætera opera facta non sint ab eo, sed quod hoc sit supersubcursum, & virtutem totius naturæ. Deum enim, & hominem simul, & de Virgine integerrima nasci singulare Dei opus est, dicitque singulariter potest: à Domino factum est istud.

Et uenerunt festinantes : & inuenerunt Mariam , & Ioseph , & infantem positum in praesepio .

C O M M E N T A R I A .

HIS verbis tria efficit Euangelista , historiam texit ; pastorum diligentiam commendat , quod festinantes uenerint ; & Angeli annunciantis ueritatem indicat ; inuenerunt enim infantem positum in praesepio , sicut ille praedixerat . Nec mireris , si praetermisit illud (pannis inuolutum) quod Angelus expresserat : nam satis duxit , breuitatis causa insinuasse ; si enim in praesepio positus erat , facile intelliget vnusquisque pannis fuisse inuolutum , praesertim cum uerba Angeli referens id narrasset . Angelus autem Christum natum annunciare intendens , nec Matris , nec Ioseph meminit , sed facile eos indicauit . Euangelista uero historiam integram describens , utrumque refert . Ad mores facit , eos inuenire Christum , qui eius prauius inspirationibus obtemperant , & duci se sinunt . Auctor enim uiae non potest a termino errare , cum sit ipse uiae terminus .

- A N N O T A T I O X X V .

Gregorius spiritualiter exponit superiorum sententiam ,
Gregorius lib. 3 r. moral. cap. 2. exponens illud Iob. 39. (numquid Rhinoceros morabitur ad praesepem tuum? hunc locum Lucae adducit , & praesepem hoc spiritualiter interpretatur dicens . Praesepem hoc loco non inconuenienter sacra Scriptura accipitur , in qua uerbi pabulo animalia sancta fatiantur , de

quibus per Prophetam dicitur . Animalia tua habitabunt in ea . Hinc etiam natus Dominus a Pastoribus in praesepi reperitur , quia eius incarnatio in ea , qua nos reficiunt , Prophetarum Scriptura cognoscitur . Hæc Gregor.

Videntes autem cognouerunt de uerbo , quod dictum erat illis de puero hoc .

C O M M E N T A R I A .

CVM uidissent infantem pastores , compererunt uera esse , quæ sibi Angelus de hoc infante dixerat ; crediderunt quidem prius , at uiso infante , & agnitis signis ab Angele datis , confirmati , & roborati sunt in fide , qua crediderunt Saluatorem , & Christum illum esse , hoc est , quod nunc dicuntur cognouisse . simile est quodammodo illud Ioan. 4. iam non propter loquelam suam credimus , ipsi enim audiuius , & scimus , quia hic est uere Saluator mundi , ita & hi Angelis dicere poterant ; uiderunt enim Christum non quidem praedicantem uocibus , sed lucis suæ diuinæ radio eorum mentes mirabiliter illustrantem , & corda inflammantem .

A N N O T A T I O X X V I .

Verbum (cognouerunt) Græce *διεσώθησαν* ambiguum est ; significat enim cognoscere , seu notum facere , aut diuulgare . Hinc factum est , ut duplex sit huius loci expositio . Priori , quam uulgatus interpres sequitur , & in commentario explicuimus , ut ad Pastorum notitiam referatur : ipsi enim cognouerunt uerum fuisse , quod audierant ab Angelis de Puero nato . Posteriorem sequitur Theophyl. & Euthym. nempe Pastores diuulgasse , quæ audierant ab Angelis de Puero , quorum expositioni adherent quidam recentiores , eo argumento tracti , quod huic sensui sequentia , nempe (& qui audierant , mirati sunt) respondeant , qui enim audierunt , quæ Pastores narrauerant , admirabantur . Hoc tamen argumentum , quod eos induxit , potius remouere debuit , nā sequentia eorum expositioni aduersantur , nam dictum est , qui audierat admirati sunt , & de his quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos . illa particula (&) non potest stare cum horum expositione , esset enim repetitio quædam inutilis . Propterea qui illorum expositionem amplectuntur , non legunt particulam (&) tuncque expositio conueniens est , nec Theophyl. nec Euthy-

mus legunt particulam , nec modo in exemplari Græco habetur . At uero cum uulgatus interpres eam habeat , non est recedendum ab eius interpretatione praesertim cum sit sensus talis accommodatus . Vnum dubiolum se offert erga sensum ; nam dicitur ; cognouerunt de uerbo , quod dictum erat illis , posset quispiam interrogare , quod est hoc uerbum , quod cognouerunt ? nam Angelus praenunciavit Infantem natum , qui Saluator mundi , & Christus erat , & uera hoc dedit signum , & argumentum agnoscendi Infantem Christum , uti supra exposuimus . Respondeo , Pastores dici cognouisse , non solum quia inuenerunt Infantem ab Angelo praenunciatum , sed etiam , quia cognouerunt esse Saluatorem , & Christum . Obijcies , hoc non patebat oculis , sed sola fide tenebatur , uiderunt quidem Infantem positum in praesepio , sed eum esse Saluatorem mundi uidere non poterant , sed credere : non ergo agnouerunt , quod dictum erat ab Angelo . Respondeo , uerum quidem esse Pastores nō uidisse , sed credidisse Infantem illū esse Saluatorem , & Christum , quod iam antea crediderant , sed dicuntur nunc cognouisse , quia ex signo

Quid cognouerint pastores de uerbo ipsis nunciato .

signo uiso , & argumento fortiorem fidem conceperunt . confirmata enim , & roborata fides signo exteriori , dicitur in Scriptura cognitio , & scientia , sicut patet in loco adducto in Commentario ex Ioan. 4. Iam non propter tuam loquelam credimus , ipsi au-

diuimus , & scimus , quia hic est Saluator Mundi . Hoc idem constat Ioan. 7. Et me scitis , & unde sim scitis . cap. 14. tanto tempore uobiscum sum , & non cognouistis me ?

Et omnes , qui audierunt , mirati sunt : & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos .

C O M M E N T A R I A .

FActum praecedens admirationem induxit omnibus , qui audierunt natum puerum , & aduentum pastorum ad eum adorandum , & praeterea illa , quæ pastores narrauerunt . quod ergo gestum erat per pastores , & quæ ipsi narrauerunt , omnibus audientibus causa admirationis fuit ; noua enim , & insolita , praesertim magni momenti admirationem excitant . Ex hoc sumitur argumentum , multis innotuisse in Bethlehem Natiuitatem Domini , & pastorum aduentum , ipsosque pastores non solis Beatæ Virgini , & Ioseph , sed multis etiam aliis narrauerunt omnia , quæ ab Angelis audierant , quæque uiderant . Unde Ambrosius inquit : A pastoribus populus ad Dei reuerentiam congregatur : mirati enim sunt de iis , quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos . Hæc Ambrosius . Multos ergo admiratos rei nouitatem , ac magnitudinem , nullum tamen talem fidem adhibuisse pastoribus , ut Christum inquisierint , legimus . Pastorum autem testimonium eo credibilius erat , & fide dignius , quo simpliciores erant , de quibus dolus , & fraus minus praesumi poterat ; ut enim recte hoc in loco dicit Ambrosius : Non mediocre fidei tibi hoc uideatur exemplū , non uilis persona pastorum . certe quo uilior ad prudentiam , eo preciosior ad fidem . Non gymnasii choris referta sapientia , sed plebem Dominus simplicem requisit , quæ phalerare audita , & fucare nesciret ; simplicitas enim quaeritur , non ambitio desideratur . Hæc ille .

A N N O T A T I O X X V I I .

Particula , & , retinenda hoc loco iuxta uulgatam .
VTI in praecedenti adnotatione diximus , particula (&) non habetur in Græco exemplari , nec legitur à Theophylacte , nec Euthymio , nec ab his , qui in praecedenti sententia loco uerbi (cognouerunt) uertunt (diuulgauerunt) ut sit lectio talis (diuulgauerunt uerbum , quod dictum erat illis de puero hoc , & omnes qui audierant , mirati sunt de his , quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos .) Nos uero sequentes uulgatum Interpretem , legimus particulam (&) quam , certum est , in Græco uulgatum interpretem legisse , quæ lectio aduersatur illorum lectioni , & expositioni ; & uidetur uerior , & accommodatior . Occurrit autem dubitatio quædam in hoc loco , in uerbis Ambrosij ; loquens enim de Beata Virgine , inquit ; A pastoribus etiam Maria fidem colligit . & paulo infe-

rius : Si Maria à pastoribus discit , cur tu declinas discere à sacerdotibus ? Quæ uerba non sic sunt accipienda , quasi uelit Ambrosius dicere , Beatam Virginem didicisse à pastoribus natum esse Saluatorem mundi , & Christum ipsum : hoc enim non ita est ; ab Angelo enim id accepit , antequam in utero conciperet , multaque etiam mysteria alia , quæ pastoribus non sunt reuelata tunc , ut constat ex Angeli nuncio superius exposito ; sed sensus Ambrosij est , didicisse à pastoribus , quod cum illis factum erat , nempe Angelum ei annunciasse natiuitatem , & Angelorum multitudinem hymnum decantasse . hæc non ante sciuit B. Virgo fuisse gesta , quam à pastoribus cognouisset , ut dicit Ambrosius .

Quid Maria à pastoribus didicerit .

Maria autem conseruabat omnia uerba hæc , conferens in corde suo .

C O M M E N T A R I A .

QVAE à Pastoribus dicta erant , quæque cæteri audientes admirati sunt , Virgo prudentissima , & deuotissima non obliuioni mandauit , sed in animo reposuit , atque conseruauit . Nec hoc satis esse duxit , sed ea etiam conferebat , & comparabat iis , quæ iam experta erat , mysteriis nempe , quæ Angelus Gabriel nunciauerat , & quæ impleta tunc erant . Virgo enim conceperat , ac pepererat , quibus quæ à Pastoribus narrauerantur , conferens , consona esse , & mutuo respondere intelligebat , omniaque Deum esse eum , quem pepererat , probare cognoscebat , summeque lætabatur , & nouis fidei argumentis , fidem , quam à principio concepit , confirmabat . hæc autem non cum aliis , sed tacita secum in corde suo conferebat , non minus ore , quam corpore pudica , ut inquit Ambrosius .

ANNOTATIO XXVIII.

Quæ fuerint illa, quæ Deipara conseruauit & conseruauit in corde suo.

BEDA generaliter hanc sententiã interpretatur, nimirum B. Virginem omnia quæ secum acta à Domino erant, conseruasse, & cum ijs, quæ per Prophetas scripta erant, contulisse. verba Bedæ sunt hæc: Quia sanctas Scripturas legerat, & sciebat Prophetas, conferebat ea, quæ secum sunt acta de Domino, cum his, quæ nouerat à Prophetis scripta de Domino, & collata ad inuicem cognouit instar cælestium Cherubim, socia sui vultus luce concordia. dixerat enim Gabriel: Ecce concipies in vtero, & paries filium; prædixerat Esaias, Ecce virgo concipiet, & pariet: prædixerat Micheas filias Sion in turrim Gregis aduenturas, & potestatem primam tunc esse venturam; dicebant Pastores supernæ sibi Ciuitatis in turre Gregis apparuisse cohortes, quæ natum canerent Christum. Legebat Maria, Bos cognouit Possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui, vide-

bat in præsepi filium suum vagientem, qui homines saluat, ac iumenta; & in his singulis, atque huiusmodi conferebat, quæ legerat, & comaprabat ijs, quæ audiebat, & videbat. Hæc Beda. cum autem illud (verba hæc) referri videatur ad præcedentia, nempe ad dicta à Pastoribus, de quibus etiam audientes, mirati sunt, non satis est accommodata hæc expositio Bedæ, nec etiam in eo, quod de Prophetis dicit; cum collatio hæc, vt Euangelista insinuat, facta non sit, nisi eorum quæ à pastoribus intellexerat, cum ijs, quæ experta iam erat, vt in commentario explicuimus. adhærentes Euthymio, & Tito Bostreno. illud autem (in corde suo) ad vtrumque refertur, nimirum ad verbum, & ad participium. obseruabat enim omnia verba non in chartis materialibus, sed in corde, & tacita secum corde, & animo conferebat omnia.

Et reuersi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos.

COMMENTARIA.

Reuerfi sunt Pastores ad gregem suum glorificantes, & laudantes Deum, tum in ijs, quæ audierant ab Angelis, tum in iis, quæ viderant conformia Angeli dictis: viderunt enim omnia, quæ ab Angelo nunciata eis fuerant; aduertenda autem sunt duo participia (glorificantes, & laudantes) nam duo in natiuitate Infantis agnouerant. Vnum est, quod ad diuinitatem, & maiestatem eius pertinet, nempe quod Saluator sit, quod Angeli eum celebrent hymnis cælestibus, canentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus. hæc ad dignitatem, & amplitudinem spectant, & in his dicuntur pastores glorificasse Deum: glorificare enim ad maiestatem refertur, cumque magna opera Dei, aut eius excellentiam confitemur, eum glorificare dicimus. Alterum erat, quod ad humilitatem, & depressionem spectat, vt quod pannis sit inuolutus, & præsepio reclinatus. & in hoc laudant Deum, singularem eius in hoc virtutem prædicantes, nempe bonitatem, amorem, misericordiam, quæ in hoc emicuerunt, & apparuerunt. glorificant ergo Deum in magnis, & laudant in paruis, quæ in Natiuitate Christi conuenerunt. illud autem (sicut dictum est ad illos) connectitur verbo (viderant) viderant enim omnia sicut audierant ab Angelo. reuertuntur autem Pastores ad gregem agnito Christo; non enim Euangelium tollit vocationes, & exercitia hominum, quæ honesta, & licita sunt, dummodo tamen fides, charitas, & opera Christiana, conseruentur. Vnde Paulus 1. Corin. 7. inquit: Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. seruus vocatus es, non sit tibi curæ. hoc etiam Euangelista docere voluit nos, referens reuersos quidem fuisse Pastores, tamen glorificasse, & laudasse Deum in fide suscepta, & Euangelio agnito.

Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer.

COMMENTARIA.

Post natiuitatis historiam, quæ ad circumcisionem spectant, quæ octauo die secundum legem fiebat, Euangelista narrat: est autem sententia hæc sequenti connecta, cuius sensus est: cum consummati essent dies octo, id est, cum octauus dies accessisset, quando puer circumcidi debuit, post peractam circumcisionem eodem die nomen Iesus impositum illi est. Consummatos autem dies octo appellat, non quidem transactos, quasi nono die circumcisio fieret; sed quando dies octauus agebatur.

ANNO-

ANNOTATIO XXIX.

Verborum sensus, magis declaratus.

Atende non esse dictum, postquam consummati sunt dies octo, circumcisus est puer, & vocatum est nomen eius Iesus, sed postquam consummati sunt dies octo, vt puer circumcideretur, vocatum est nomen eius; nec debet subintelligi verbum, quod quidam Interpretes apponunt, nempe postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur, circumcisus est, hoc inquam non est subintelligendum; oportebat enim tunc diuidere sequentia sic. & vocatum est nomen eius: cum autem non sit diuisio, sententia debet terminari. in illo, vocatum est, nec est quicquam subintelligendum. hac enim dicendi forma Euangelista multa significat. Primo quidem legem circumcisionis extitisse, vt octauo die circumcisio celebraretur, quasi diceret, postquam consummati sunt dies octo, quod tempus est ad circumcisionem secundum legem deputatum. Secundo significat eo tempore, seu die, quo

etiam circumcisio fiebat, nomen imponi solitum, quod non ita significabatur, si dictum esset, circumcisus est, & vocatum est nomen eius Iesus. Tertio significat prius circumcidi, & postea nomen imponi. Quarto quod maxime aduertendum est, significat non æqua ratione, & causa circumcisione, & nomen acceptum à Christo, circumcisus est enim, quia voluit se similem cæteris agnoscere, & legem illam suo facto à Deo fuisse comprobare, non tamen veniebat, nec carnem assumebat propter circumcisionem, nec quasi ea permanens esset; at nomen indicat officium, propter quod venit in mundum, nempe saluare homines, & quod in Euangelio permanet, lege, & circumcisione ablatis, idcirco Euangelista noluit sententiam in circumcisione complere, sed quasi per transennam, & obiter eam insinuare, & in nomine ipso Saluatoris consistere.

ANNOTATIO XXX.

Rationes afferuntur, propter quas Christus voluit circumcidi.

DE tempore, quando circumcisio fiebat, & de causa, cur octauo die, & de loco vbi celebraretur, diximus supra cap. 1. annot. 137. vbi ex Epiphano ostendimus Christum in spelunca, seu stabulo, in quo natus erat, fuisse circumcisum. nunc vero quædam alia peculiaria consideranda sunt, & primo quidem, cur Christus sit circumcisus, qui circumcisionis finem impositurus erat? Huius rei Epiphanius hæc. 30. nonnullas adfert causas, quarum prima est, vt ostenderet suæ carnis veritatem, quo Manichæorum error conuincitur, qui carnem Christi non veram, sed apparentem fuisse impie docuerunt: at nisi vera, & realis caro non esset, circumcidi non posset. Secunda, vt carnem suam non solum veram, sed nostram etiam consubstantialem esse declararet; non consubstantialem diuinitati, vt Apollinaris; non naturæ cælestis, vt Valentinus tradiderunt, si enim talis caro illa fuisset, vt hi mentiebantur, non esset circumcisus. Tertia, vt confirmaret circumcisionem Patrum vtilem, & à Deo datam, & institutam fuisse. quam etiã causam affert Cyprianus, de ratione circumcisionis, sic enim inquit. Nec hoc sacramentum consuetudini antiquæ subtrahere voluit Christus, & licet non esset in hoc tempore necessarium; tamen ne antiqua religio proflus reproba videretur, in se voluit circumcisionis aptari signaculum. Hæc Cyprianus, quo argumento conuincuntur Manichæi, qui legem illam veterem, tanquam à malo principio datam reprobant; & idcirco circumcisionem damnabant, vt refert Augusti. lib. 6. contra Faustum cap. 2. & 3. Quarta causa est, ne occasionem acciperent Iudæi non recipiendi eum tanquam verum Christum; dicerent enim non recepimus illum, quia non erat circumcisus, & consequenter nec de semine Abraham. Hanc causam tradidit etiã Aug. qq. vet. & nou. test. 2. p. c. 22. ideo, inquit, debuit circumcidi, vt ipse probaretur esse, qui Abraham promissus esset. eandem dat Euthymius. Quinta causa est, vt circumcisus circumcisionem ipsam rationabiliter dissolueret, & aliam maiorem ostenderet, nempe spiritualem, de qua Rom. 2. circumcisio cordis in spiritu, non litera, non velut, qui non haberet, & sibi ipsi constitueret; sed vt qui haberet quid; ostenderet autem quod hac non amplius esset opus, sed maiore. Hæc causa est etiã Ambrosii Epist. 74. ad Honorianum. Si Christus inquit peccatum factus est, vt nostra mundaret peccata, si maledictum pro nobis factus est vt legis maledicta vacuaret, ea ratione, & circumcisus pro nobis est, vt circumcisionem legis auferret, daturus salutem Crucis. Hæc Ambrosius. est

Augusti. ferm. 9. de Natiuitate Domini. Christus inquit suscepit circumcisionem ablaturus circumcisionem ipsam; suscepit vnam daturus lucem, suscepit figuram, impleturus veritatem. Hanc eandem causam generaliter docuit Paulus, de tota lege loquens Galat. 4. misit, inquit, Deus filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Hæc sunt quinque causæ, quas Epiphanius tradidit. Sextam ex Leone addere possumus ser. 2. de Natiuitate Dom. vt per eam diabolo occurratur, cum inquit, misericors, omnipotensque saluator ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, vt virtutem inseparabilis à suo homine deitatis per velamen nostræ infirmitatis absconderet, illusa est securi hostis astutia, quæ natiuitatem Pueri, in salutem generis humani procreati, non aliter sibi, quam omnium nascentium putauit obnoxium: vidit enim vagientem, atque lachrymantem, vidit pannis inuolutum, circumcisioni subditum, & legalis sacrificij oblatione perfunctum. Hæc, & alia Leo. Aduerte autem Christum non indignisse circumcisione, nec sub præcepto circumcisionis fuisse comprehensum, sed voluntarie subiecisse se legi propter causas dictas. ratio autem huius assertionis est, quia circumcisio erat signaculum iustitiæ fidei, vt habetur Rom. 4. at Christus non fide iustificatus est, sed ex vnione ad verbum omni iustitia repletus, & auctor iustitiæ fidei effectus est. Præterea circumcisio signum erat peccati, quod in omnem ab Adam progenie, per generationem deriuatum est; ideo enim in ea parte, quæ generationis est instrumentum, fiebat, vt dicit Augustinus tract. 30. in Ioan. & ante eum Athan. in oratio. in illud: omnia tradita sunt mihi à Patre: at Christus nullam habuit peccatum, nec ex viro, sed ex spiritu Sancto conceptus est. Præterea circumcisio erat remedium peccati paruulis, quibus exhibebatur, vt docet Cypria. de ratione circumcisionis & Aug. lib. 2. de nuptiis: & concupis. cap. 11. & Grego. lib. 4. mora. cap. 2. at Christus omni peccato carere non indigebat purgatione. Præterea circumcisio erat in signum, vt Populus Iudæorum distinctus appareret à Gentibus, vt dicunt Ambrosii Epist. 77. ad Constantium; & Chrysol. hom. 39. in Genes. At Christus, gentium, & Iudæorum Saluator, in quo omnes populi erant benedicendi, hoc signo non arctabatur. Non ergo tenebatur lege circumcisionis, sed voluntarie; rationabiliter tamē eam suscepit. ita docet Beda, adiungens aliam causam, cur circumcidi voluerit, quæ septima numero cum prædictis erit. Huiusmodi, inquit, remediis egent, qui de peccati traduce propagati in iniquitatibus

ratibus concepti, & in deliciis sunt nati. Redemptor autem noster, qui, ut peccata mundi tolleret, sine peccato venit in mundum, sicut suo baptismo nobis remedia procurauit, id est nostris abluendis sceleribus aquarum, quæ subijt, lauacra consecrauit, ita etiam circumcissione, quam suscepit, non sua, quæ

A N N O T A T I O. XXXI.

Antiquam concertationem extitisse de præputio Christi, ostendit Titus Bostrenus, qui in hoc loco sic scribit. Illos vero, qui de circumcisi præputio quæstionem mouent, anxieque & curiose, quid de eo factum sit, disputant, veluti qui circa incerta, planeque inaccessa occupentur, missos hic facimus: si quidem sacris litteris nihil ea de re proditum extat; Qui diceret, ut crucis tempore immaculatus illius sanguis vna cum aqua in terram defluens, terram, in quam dimanabat, sanctificauit; ita præputium per circumcissionem ablatum, terram, in quam ferebatur, contactu suo sanctificasse, is meo iudicio à veritatis

De inuento Seruatoris nostri Præputio Narratio.

Intellectum est ex tribus illustri ssimis feminis, nimirum Magdalena Strotia, quondam Flamini Anguillaræ coniuge, & ex Clarice filia ipsius, quæ Sciaræ Columnæ nupserat; denique ex Æmilia Vrsina, Magdalens cognata, quæ Virginio Anguillaræ matrimonio iuncta fuit; Anno 1527. quo tempore Roma in hostium direptionem cessit, ex angustissima Lateranensi Basilica, loco, qui Sancta Sanctorum religio sissime nuncupatur, Præputium Christi Domini cum aliis reliquiis militem quendam sustulisse, qui vrbe discedens à rusticis captus, Calcaram (pago hoc nomen est, qui Anguillaræ familiæ subest, & Roma viginti dumtaxat millibus passuum distat) deductus, in cellariaque pro carcere detrusus, quem subripuerat thesaurum sacrilegus defodit. Non multo post libertate donatus Romam reuertitur, ac morbo correptus, sese in xenodochium S. Spiritus in Saxia recipit, Vbi morti proximus, in pago Romæ vicino (nominis non meminerat,) familiæ Anguillaræ sanctissimas reliquias se terra obruisse perhibuit. Id vbi ad Clementem Pontif. VII. perlatum fuisset, Ioanni Baptistæ Anguillaræ Lucretiæ Vrsinæ marito (is erat Calcata, Stabij, & Massanæ Dominus) scribi mandauit, omnem ut diligentiam in perquirendis reliquijs adhiberet. Fecit ille, quod iussus fuerat, nec tamen inuentum quicquam. Mense tandem Octobris 1557. placuit diuinæ bonitati, ut ab aduena Sacerdote, qui Calcata SS. Cornelij, & Cypriani præerat Ecclesiæ, cui iuncta erant cellaria, in qua inclusum fuisse militem diximus, reperirentur: repositæ sanctissimæ reliquiæ in scriniolo ex chalybe erant medij palmi longitudinis, quatuor vero digitorum altitudinis, arcuato operculo desuper clausæ. Scriniolum ad Magdalenam Strotiam loci illius heram, quæ id temporis Stabij, vno miliari Calcata morabatur, Sacerdos defert. Hæc igitur nobilissima femina vna cum ipso Sacerdote, Lucretia Vrsina, Clariceque filia, septem, vel octo annorum, aperto scriniolo, peruerstis fericis panniculis inuolutas inueniunt reliquias, quibus singulis in perpolita membranula adiuncta erant nomina, temporis diuturnitate adeo consumpta, vt egre legi potuerint. Eas ergo ut honorifice componeret, sigillatim Magdalena euolutas (complures enim erant) in argenteo pollubro reponebat, nouisque ex ferico sacculis, adiunctis itidem singulis nominibus, inferebat. Inter cetera primo inuenta est particula carnis Beati Valentini Martyris, nucis magnitudinem æquans, quæ quidem eo ipso tempore recens præcisa videbatur. Reperta

nulla erant, admissa purgavit; sed nostræ in se naturæ vetustatem docuit inuouendam, & nunc videlicet eam per se à vitiorum labe purgandam, & in nouissima die significans ab ipsa multifariæ mortalitatis, ac mortis peste penitus esse restaurandam. Hæc Beda.

scopo haud procul aberraret. Vt cumque res habet, certum est, qui sponte se circumcidi passus est, eum modis, & rationibus, quas ipse compertas habet, totum illud, quod per circumcissionem à corpore decesserat, ita conseruasse, vt resurrectionis tempore nihil eorum omnium, quæ ad perfecti corporis constitutionem deposcuntur, omnino desideratum fuerit, adeoque vt integer, omniisque prorsus viri etiam, quod ad hanc partem attinet, expers, à mortuis in vitam redierit. Nam & nos quoque communis resurrectionis momento, corpus nostrum integrum, omni ex parte perfectum recipiemus. Hæc Titus.

ibidem secundo fuit pars maxillæ cum vno dente Sanctæ Marthæ, diuæ Magdalens germanæ. Augebat lætitiæ inuenti thesauri inueniendi expectatio. Iuglandis instar tertius erat serico panniculo sacculus confectus, cui nomē IESVS inscriptum erat, eius dum Magdalena primum filium soluere aggreditur, sentit manus rigere; eas, vt moris est, confricat, & rursus, quod cœperat, soluere filium conatur; sed iterum magis quam ante stuporem manuum, cum eorum, qui aderant, admiratione percipit, ignara quidnam in sacculo lateret. Quare mente erecta, desuper implorandum præsidium rata, corde ita Deum optimum alloquitur; Quamquam me peccatricem, ideoque indignissimam, quæ diuina attingam, profitear, animus tamen meus testis mihi est, non arroganter, sed humiliter, non vt sacra contemnam, sed vt honorate conseruem, id muneris me suscepisse. Stupefactis itaque tertio cum maiore rigore, sed pari exitu, digitis nodum adeo difficilem soluendi percipida fasciculum sacrum prehensans, binos vtriusque manus adiuuere molitur digitos, quos extemplo itidem rigore induratos persensit, vt è metallo confecti viderentur. Et quod miraculi magnitudinem auget mirifice, nec digitos coniungere, nec sacratissimum globulum contingere potuit. Spectaculum stuporem, stupor adstantibus, ipsique Magdalens, in primis, vberimas elicit lachrymas. Tum Lucretia veluti diuinans: Crediderim, inquit, Sacrosanctum Christi præputium hic contineri, de quo Clemens Pont. Max. Ioanni Baptistæ coniugi meo aliquando scripsit. Hæc vbi solertissima femina prolucata est, suauissimum repente ex eodem globulo afflari odorem percipiunt, cuius compositionem ne imaginatione quidem consequi potuerunt. Neque vero locum dumtaxat illum, in quo reliquias contemplantur, odor ille compleuerat, sed per omnes ædium partes ita sparsus erat, vt Flaminius Magdalens maritus propere ad vxorem miserit, qui intelligeret, quisnam odor esset ille, qui è suo cubiculo diffundi videbatur; sed mulier prudenter admodum maluit pro tempore id, quod gerebatur, dissimulare, quam temere secretum, cuius & ipsa fuit inscia, reuelare. Interea timore non mediocri percussis, ac dubijs, quid agant, quo se vertant, Sacerdos, qui aderat, rei nouitate [et ipse perterritus, id offerre consilij, vt Claricem tenerrimam Virginem, supremam perdifficili operi manum imponere sinerent. Conseruerunt quæ aderant matronæ, felicem se mater arbitrata, si in soluendo nodulo à filia superaretur.

tur. Accipit igitur cum reuerentia globulum Clarix, sine mora & difficultate resoluit, euoluit, & separat, ac in pollubro argenteo cum cæteris reliquijs sacrosanctum Christi deponit præputium, & tandem in vasculo argenteo collocat; quod quidem densum, ac crispum instar rubri ciceris erat. Tantum apud Deum opt. vitæ semper valuit innocentia, & corporis integritas. Porro tam matris, quam filiarum manibus odor ille diuinus ita inspersus fuerat, vt per biduum continuo durauerit. Persecuta sunt postmodum contueri, & adaptare cæteras reliquias, è quarum tamen explicatione nullus odor emanabat, quemadmodum neque ex prioribus, nec aliquem in eis euoluendis, vel accommodandis conatum adhibere fuit necesse. Denique in idem scriniolum summo honore deposita omnia in Calcatensē templum deferenda Magdalena sacerdoti tradidit, quem, cum non nihil mali de eo suspicaretur, paulo post dimisit, in cuius locum alium suum subditum suffecit. Res ea diu latere non potuit, sed cum esset breuissimo tempore diuulgata, verita Calcata Domina, ne cuiusquam malitia tantus thesaurus subriperetur eum in Ecclesiæ sacrario, loco nimirum tutiore, asseruari voluit.

Demum Anno 1559. ipsi Calendis Januarijs Dei instinctu, mulieres quædam ex Sanctæ Vrsulæ sodalitate Massano, (qui locus Calcata vno distat miliari) causa videndi sacrosanctas reliquias, religiose post meridiem cædelas accensas in manibus gestantes iter suscipiunt, quibus sese viri complures ipsi quoque faces præferentes, cum suis liberis adiunxerunt. Vbi Calcata peruentum est, in planitie, in qua situm est templum, humi se maxima animorum submissione prosternunt vniuersi, & sic genibus nixi limen Ecclesiæ, in qua eadem reliquiæ conseruabantur, attingerunt. Mox ab Aristante sacerdote, viro integerrimo exhiberi sibi sacrosanctum præputium petierunt. elatum è sacrario in Altari sacerdos deponit: Et ecce subito (res omnem excedit admirationem) Templum nubes implet, quæ sanctissimas reliquias, sacerdotem, altareque ipsum obnupsit, vt nihil eorum à quoquam per quatuor horarum circiter spatium videri potuerit præter nubem, stellas, & ignis flammæ, quæ sursum ac deorsum per Ecclesiā ferebantur. Eo spectaculo vniuersi, qui aderant, merito consternati, misericordiam intensa voce prout lachrymæ, & singulis permittebant, implorare cœperunt: non desuere, qui campanis pulsatis non Calcatensē mo-

do verum & Stabij, Massanique Pagi multitudinem sonitu aduocarent: multi foribus templi exclusi tecta conscenderunt, tegulisque auulsis aditum sibi ad ea, quæ visabantur, spectanda parauerunt. Persensit campanarum sonum Flaminius loci herus, qui id temporis animi gratia venarum longius abcesserat, & sine mora ex suis familiaribus, qui rem inuestigaret, misit. redijt ille celerrime, seque in Templo nubem, stellas, & flammæ cum multitudine videre asseruit, aduolat herus ipse, in cuius in pagum regressu, Dei voluntate disparuerunt omnia. Retulit postmodum sacerdos, se toto illo tempore sensu omni & cogitatione captum fuisse. Nō multo post Magdalena Romam venit, & de omnibus Paulum IV. Pont. fecit certior, à quo Pipinellus, & Attilius Cecius Lateranensis Basilicæ Canonici Calcata missi, vt plenius de facti veritate edocerentur. Hi ergo aduocatis lectissimis feminis, Magdalena, Lucretia, & Clarice, ab eis requisierunt, easdemne reliquias recognoscerent, quas ante sibi à Sacerdote exhibitas fuisse narrabant. Asseruauerunt illæ, quemadmodum publicis tabulis, ac testimonijs cōsignatum est. Dum hæc geruntur mense Maio 1559. (dies erat longe pulcherrimus) accidit aliud insigne miraculum. Prior enim ille Canonico binis vtriusque manus digitis Christi præputium durum ne sit, an molle perentat, & vt esset certior, comprimens, in duas partes incautus diuulsi: quo facta (dictu mirabile) quæ tonitrua, quæ fulgura, quam obscuratus sit super eum locum aer, ita vt media luce lucem astantes desiderarent, metu cōterriti omnes animam agere videbantur. Depositis reliquijs Canonici Romam regressi, visa & audita Pontifici retulerunt, testificatiq; sunt omnibus ingenue, veras esse Seruatoris nostri reliquias, ijdēque auctores fuerunt in per antiquis codicibus inueniri hoc sanctissimū Christi præputiū olim in vase crystallino, quod vtriusque à duobus Angelis ex auro affabre elaboratis sustentabatur, ad sancta sanctorum asseruatum fuisse. Porro in hodiernum diē Calcata in Aede SS. Cor. & Cyp. summa veneratione custodiuntur, vbi hæc, & in dies plura Deus opt. miracula operatur. Qui locus, vt esset eò celebrior, Æmilia Vrsina Magdalens cognata, mense Julio 1584. à Sixto V. plenariam indulgentiam, in eadem Ecclesia ipso Circumcisionis Domini die vt ex litteris Apostolicis constat, per decennium impetrauit.

Vocatum est nomen eius Iesus.

COMMENTARIA.

Circumciso Domino nomen imponitur, quod sumptum est ab eo munere, quod peragere venerat in mundum, nempe salutem conferre: Iesus enim idem apud Hebræos, quod apud Latinos Saluator significat. recte autem in huius nominis assumptione sanguis eius spargitur: indicabat enim per crucis mortem, & sanguinis sui effusionem se mundi salutem operaturum: nam sanguis eius in Cruce effusus, pretium fuit, quo redempti, & medicina, qua sanati sumus. vocatum est autem nomen à B. Virgine, tum à B. Ioseph; vtrique enim Angelus Dei nomine iusserat, vt vocaret nomen eius, primum quidem illi, deinde huic.

A N N O T A T I O XXXII.

In nonnullis Græcis exemplaribus habetur, unde quidam vertunt (&) & vocatum est nomen, tamen in vulgata non habetur, & nemo non videt talem particulam abundare, nec recte connecti posse antecedentibus. Multa dicenda occurrunt de no-

mine hoc, quæ quidem partim in Commentariis in Ioannem cap. 1. annot. 74. partim in his Commentarijs cap. 1. annot. 84. & sequentibus exposuimus, ideo hoc in loco duximus prætermittenda; facile enim erit vnicuique ea loca repetere.

Quod uocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur.

COMMENTARIA.

NON humano consilio nomen hoc uocatum esse, sed diuino, indicat Euangelista, dicens, ab Angelo Gabriele, priusquam in utero conciperetur Christus, hoc nomen ei datum fuisse. fuit quidem ante Christi conceptionem dictum B. Virgini, uocabis nomen eius Iesum, & fuit etiam post conceptionem hoc ipsum repetitum ab eodem Angelo ipsi Ioseph; Euangelista uero non huius, sed illius uocationis meminit, ut de sola Beata Virgine; non autem de Ioseph Christum conceptum significaret. simile illud est Matthæi cap. 1. cum enim diceret: Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, prætermisso Ioseph, adiunxit, de qua natus est Iesus, qui dicitur Christus.

ANNOTATIO XXXIII.

Titus Boetrenus ex hoc loco efficax argumentum deducit contra illos, qui ad prolotionem uerborum Angeli (Dominus tecum) Christum cōceptum, & uerbum carnem factum esse dixerunt, quorum illic meminimus, & eorū sententiā plane refutauimus, & hæc uerba eum errorē euertunt: si enim antequam

concuperetur Christus, prænucliauit Angelus uocandum Iesum; ergo quando angelus dixit B. Virgini: Uocabis nomen eius Iesum: nondum erat conceptus Christus: constat autem hæc uerba post salutationem illam fuisse ab Angelo prolata: non igitur ad salutationis prolotionem conceptus est Christus.

Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi.

COMMENTARIA

Prætermisit Lucas historiam aduentus magorum, quæ purificationem præcessit secundum probabiliorem, & receptiorem sententiam. hanc enim Matthæus, qui prior Luca Euangelium scripsit, narrauerat: Purificationem autem, quam Matthæus omisit, describit; impletis ergo diebus purgationis eius, nempe B. Virginis, quos dies lex Moysi præscripserat, quadraginta scilicet ab Infantis natiuitate. His enim diebus femina immunda reputabatur, nec sancta tangere, nec Templum intrare ei licebat; expleto autem dierum numero accedebat Templo cum sacrificio, & mundabatur, ut habetur Leu. 12. dicitur autem lex Moysi, non quod à Deo data non esset, sed quod per Moysen sit promulgata, & ab eodem scripta. cætera in annotatione perlege.

ANNOTATIO XXXIIII.

Quam lectionem, & sensum in superiori sententia debemus retinere.

Varia sunt Græca exemplaria, unde effectum est, ut multiplex sit Doctorum expositio. est autem uarietas in illo (eius) quædam habent ἀνώθη, (eorum) quædam habent ἀνώθη (eius) masculini generis, ut referatur ad Christum quædam ἀνώθη, (eius) feminini ut referatur ad Beatam Virginem. Primam lectionem habet Origenes, hom. 14 Chrysostr. de occursu, seu purificatione, & Euthym. quasi Latine dictum esset, impleti esset cum dies purificationis eorum. quæ autem prædicti Doctores in lectione conueniant, in sensu discordant; Origenes enim interpretatur purificationem eorum, nempe Christi, & Beatæ Virginis, seu Infantis, ac Matris. Chrysostr. uero purificationem eorum, nempe B. Virginis, & Ioseph. Euthymius uero omnes tres complectitur, ut purgatio hæc sit Christi, B. Virginis, & Ioseph. Secundam lectionem uidentur amplecti ij, quos paulo inferius referam, quando explicabitur illud (ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo). Tertiam lectionem sequitur Titus Boetrenus, idemque uidetur Beda sentire, ut ad Beatam Virginem referatur purgatio; apud uulgatum autem est ambiguum, nam (eius) & ad beatam Virginem, & ad puerum referri potest. Unde Glossa interlinealis interpretatur disunctiue, nempe Christi, uel Matris: tamen sensus Ecclesiæ in

eam sententiam inclinat, ut ad Beatam Virginem referatur: nam in Missalibus positum est, cum impleti essent dies purgationis Mariæ, & ea est lectio legitima, & uera, quæ eo argumento efficaci confirmatur, quod purgatio secundum legem Moysi erat feminæ, non pueri, nec uiri; id autem ex ipsa lege manifeste constat, quæ habetur Leu. 12. cuius uerba sunt. Mulier si suscepto semine pepererit masculinum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circuncidetur infantulus; ipsa uero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ; si autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Hæc ibi. ubi nota uerbum (immunda erit) ipsa quidem, non Infans; & rursus (manebit in sanguine purificationis suæ, omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium) hæc feminam respiciunt, non uirum, nec infantem. Præterea paulo inferius, ubi agitur de mundatione, dicitur (Sacerdos orabit pro ea, & sic mundabitur à profluuio sanguinis, sui) purgatio igitur hæc ad feminam spectabat; unde legendum est cum

Quare tot diebus puerpera reputabatur immunda.

(cum impleti essent dies purgationis eius) nempe B. Virginis, de qua paulo ante dixerat: Maria autem conseruabat omnia uerba hæc. in sequentibus autem multo magis elucidabitur, & confirmabitur expositio hæc. Superest autem explicandum, qui, & quot dies isti sint; & quare Dominus id præceperit; ut autem ex allegatis uerbis constat, erant dies quadraginta purgationis, quando Infans erat masculus, octuaginta uero, si femina: loquamur prius de masculo, in quo erant quadraginta; ita tamen, ut septem primis diebus mulier esset immunda ea immunditia, quæ contrahebat menstruata, seu femina, quando tempus menstrui erat, de qua Leu. 15. statutum erat sic: Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur, omnis, qui tetigerit eam, immundus erit usque ad uesperam; & locus in quo dormierunt, uel sederit diebus separationis suæ, polluetur. Qui tetigerit lectum suum, lauabit uerimenta sua, & ipse lotus aqua pollutus erit usque ad uesperam. Si coierit cum ea uir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus, & omne stratum, in quo dormierit, polluetur. hanc immunditiam patiebatur mulier menstrui tempore, & eandem contrahebat mulier pariens masculum septem primis diebus à partu; reliquis uero triginta tribus diebus immunda erat, sed non tantâ immunditia, sed ea, quæ ibi expressa est, nempe omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium. Quando uero pariebat feminam, duplicabantur dies: nã loco septem erant quatuordecim, loco triginta trium erant sexaginta sex. cū ergo Beata Virgo masculum pepererit, dies purgationis eius per legem erant quadraginta à partu, ut explicatum est. Unde non est probanda sententia Hidelphonfi Archiepiscopi Tolotani serm. 1. de purificatione, ubi affirmat quadraginta sex dies fuisse purgationis in masculo. Scripturam autem solere numerum fractum completi sub numero perfecto, ideoque dici quadraginta, hoc inquam, probandum non est, cum expresse Scriptura numeros diuidat in septem, & triginta tres, numerus ergo erat quadraginta dierum tantum, ut recte docent Ambros. lib. 2. de Abraham cap. 8. & August. in qq. in Leuit. q. 40. Causa autem, quam Archiepiscopus adfert, est, inquit enim, purifica-

tionis tempus sumptum esse à numero dierum, quibus foetus in utero matris ad perfectionem membrorum perducitur; hi autem sunt quadraginta sex dies in maribus, quod etiam docuit Augustin. lib. 88. qq. cap. 56. Cyrillus autem lib. 15. de adoratione in spiritu. hac utitur ratione, sed numerum quadraginta dierum præcisum ponit; & Aristoteles lib. 7. historiarum anim. cap. 3. mares formari dicit circiter quadraginta diem, & feminas circiter nonagesimum; & quamuis dicat hæc incerta esse; tamen in plurimum hoc dierum numero foetus est formatio in maribus. Ex hac autem Augustini doctrina, nemo accipiat occasionem existimandi, Augustinum arbitratum fuisse Christi corpus organizatum fuisse diebus quadraginta, aut quadraginta sex, cum, ut supra diximus, organizatum, & animatum, ac assumptum à diuinitate fuerit breuissima mora temporis: sed sensus Augustini est, quadagesimum sextum dierum numerum in se multiplicatum efficere tot dies, quot Christus fuit in utero Beatæ Virginis, nempe nouem menses. quod etiam adnotauimus in Commentarijs in Ioan. cap. 2. adnotat. 24. Ratio autem, cur numerus dierum hic stabilitus, & hæc lex condita est, fuit tum ob significationem, tum ob ipsam rei naturam: de significatione nõ est presentis instituti nunc dicere; quod uero ad rem ipsam pertinet, id est: notandum post partum, sanguinem illum, quo foetus abebatur in utero, ipso foetu iam egresso, cum solutus esset defluere in uterum alendi foetus causa, etiam post partum multis diebus permanere, pluribus autem in feminarum partu, ut refert Aristoteles lib. 7. historiarum, cap. 9. idcirco Deus iussit parturientem multis quiescere diebus, donec iam fluxus ille consummaretur, & purgaretur. septem autem primis arctius fuit præceptum, tum propter maiorem fluxum, tum propter matris requiem, ne uiri uxoribus accederent, nondum curato labore, qui parientes consequitur, ut recte adnotauit Euthymius. erat autem maior immunditia, & prohibitio in illis primis diebus, quia lassiores sunt parturientes, & maior sanguinis copia defluit. causas autem omnes huius legis perscrutari (ut dixi) non est loci huius, satis sit rem ipsam explicuisse.

ANNOTATIO XXXV.

An Deipara comprehensa sit in lege purificationis.

AD huius rei perfectam intelligentiam spectat inquirere, an Beata Virgo comprehensa fuerit hac lege, ita ut purificatione indigerit. Orig. hom. 14. in Lucam affirmat tam ipsam, quam Christum, purificationem indiguisse; audax quidem est sententia, ut ipsemet fateatur; communis uero Doctorum sensus est, B. Virginem non indiguisse purificationem, nec comprehensam fuisse ea lege. ita sentiunt Basilius Isaia 7. Cyrillus lib. 8. in Leui. siue Origenes, cui libri illi solent etiam tribui. idem etiam Cyrillus lib. 15. de adoratione in spiritu, similiter Chrysostr. hom. de occursu Chris. Euthy. Titus Boetr. Hidelphonius serm. 1. de purificat. Bern. serm. 3. de purific. cum alijs. Rationem autem, seu causam, cur in lege non fuerit comprehensa, omnes prædicti auctores præter Chrysostr. eam esse afferunt, quia in lege dictum est: Mulier si suscepto semine pepererit, immunda erit. quod quidem uerbum (suscepto semine) positum censent ad excludendam B. Matrem Christi, quæ peperit non suscepto semine, sed Virgo intacta; aliter enim superfluum erat uerbum; nulla enim alia potuit parere, non suscepto semine. indicata ergo est Virginitas matris, & à lege excepta, seu potius lege non conclusa. Dixi autem præter Chrysostr. omnia, non quod idem non sentiat, sed quod non expresse hanc indicet causam, sed tacite: Virgo, inquit, nulla

purgatione indigebat. Cæteri uero Doctores eam expriment, & uerbum illud (suscepto semine) perpendunt. Quidam autem recentiores, forsitan ut aliquid sapere uideantur, Patrum doctrinam eperuant, dicentes, semen accipi, in hoc loco pro prole ipsa, non pro semine, ex quo fit proles; sic autem Beata Virgo dici potuit suscepisse semē, quia concepit prolem, cum in Hebræo sic uerbum in coniugatione Hiphil, quod idem significat, ac feminificare. At ualde errant, tum quia Hebræi omnes uertunt id uerbum, quæ effuso, se suscepto semine conceperit, inquiruntque de semine mulieris, an sit generationis principium: tum quia Septuaginta uertunt in uoce passiuæ, nempe si ut ita barbare dicam, spermatazita fuerit, id est, semen in se suscepit, cui uerbum in Hebræo responderet; non enim in Hiphil, sed in Hophal, quæ est coniugatio passiuæ legendum est, sicut legerunt Septuaginta, qui non uetabantur punctis nostris. Latine autem uertendum est cum uulgato, si suscepto semine, nempe, si per seminis susceptionem conceperit. quod Beatæ Virgini non conuenit, quæ nec uiri, nec proprio semine concepit: nam ex purissimis sanguinibus illius opera Spiritus sancti sine humano semine formatus est Christus. Demum, superfluum etiam esset uerbum, si feminauerit, & pepererit: nam quæ parit, feminificauit, uere ergo adie-

adiectum est ad Virginem indicandam, quæ tantum peperit, & non seminavit, nec semen suscepit, & hæc lege illa immunditiæ non comprehendebatur. Est etiam alia causa manifesta, cur lege illa non obligeatur: nam lex posita erat propter fluxum sanguinis menstrui, qui post partum permanet in parturientibus: at hic fluxus non erat in Beata Virgine, tum quia Virgo peperit, & sine vlla rupturâ: nam Christus non vi auulsus fuit ab utero, sed sponte prodijt sine vulnere Matris, vt supra diximus, & paulo inferius dicimus: tum etiam, quia cum opera Spiritus sancti concepisset, ille solus sanguis defluebat à B. Virgine, qui ad nutrimentum foetus in utero necessarius erat, quo foetu egresso ab utero, sanguis ille totus conuersus est ad vbera, & factus lac in cibum Infantis nati, nullus ergo superfluous erat sanguis, qui deflueret iam in vterum: vnde nulla erat immundities, nec purgationis necessitas. quod Cyprianus orat, de Natiu. Christi tradit, dicens: Nec locus ibi erat lauacris, quæ solent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ iniuria Matrem Domini læserat. Hæc Cypria. Legem ergo impleuit, vt recte dicit Chrysostomus, ne contemnere visa esset apud ignaros mysterij, & vt omni ex parte legem veneretur, quæ Dei erat. Vnde recte Bernardus in paruis sermonibus serm. 7. inquit: Quid est quod dicimus B. Mariam purificari? Quid vero, cum ipsum Iesum dicimus circumcidi? Enimvero tam non indiguit illa purificatione, quam nec ille circumcissione. nobis ergo, & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, vt à vitis continentibus, primum per ipsam continentiam circumcidantur, deinde à commissis per pœnitentiam purificantur. Hæc Bernardus. Non ergo B. Virgo lege immunditiæ tenebatur, quæ non suscepto semine pepererat, & sanguinis fluxum post partum non patiebatur. Possent autem cuiuspiam scrupulum ingere in hac parte verba Hieronymi contra Heluidium; sic enim inquit: Iunge si liber, & alias naturæ contumelias, nouem mensibus vterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos, ipse sibi describatur Infans, tegmine membrorum solito conuolutus, ingerantur dura præsepia, vagitus paruuli, octauæ diei circumcisio, tempus purgationis, vt probetur immundus, non erubescimus, non silemus, quanto sunt humiliora, quæ pro me passus est, tanto plus illi debeo. Hæc Hieronymus. Quæ verba S. Hidelphonus serm. 2. de purificatione, sic interpretatur: Quamuis, inquit, doctor Hieronymus in eo opere, quod contra Heluidium ex hoc egit, videatur excessisse, & in eo loco, vbi ait, de hospitio vuluæ nouem mensium, & de veritate nascendi, quod ille hæreticus insultando proposuerat, quasi Maternali diuini esset indignum ad tantam dignationem se humiliasse, vt inter viscera in utero versaretur Virginis; vt inter sæmora feminea nasceretur tam sordidus; sic enim omnia opponens in contrarium, quasi hæreticus, vt destrueret fidei catholice veritatem. cui è contrario egregius ille veritatis assertor, non cedendo, vt isti volunt, sed dignationem gloriosissime humilitatis Dei, amplius commendando ait, quanto viliora, & inhonestiora pro nobis illa maternas diuina suscepit, aut sustinuit, tanto carius nos redemit, & propensius honorandus est. tali namque sensu, etsi non eisdem verbis, in quantum recolo, eidem respondens hæretico, videtur B. Virginis non infamiam vilius colluuiionis, aut pœnam peccati intulisse, sed dignationem diuinam, & exinanitionem immensam, & in forma serui reuerenter satis commendasse, non vt Virginem vexatam à Domino, & exonoratam ostenderet, sed vt clementiam pij conditoris, etiam huiusmodi hæreticis demon-

straret. Idcirco non cessit istis cum Heluidio errantibus sed corripuit, vt discerent, non infamare Virginem, & Domini non derogare in forma serui humilitatem. Non enim pudicitiam eius in aliquo læsam docet, qui tantum in eius laude triumphat; neque ad horam cessit aduersarijs, qui pro ea tantum, & tandiu dimicauit verbi gladio; cui Deus contra hostes eius tantam resistendi contulit gratiam, reuincendi præbuit virtutem, vt nemo contra eam audeat insurgere. Hæc Hidelphonus. Ex quibus constat eum sensisse sic ab Hieronymo dicta, non quasi ea assereret, sed vt dignationem humilitatis diuinam commendaret, quam Hæreticus insultabat, quasi diceret: etiam si ista essent, adhuc non erat insultandum, sed magis diuina clementia commendanda. Quæ interpretatio difficile accommodatur. Nam Heluidius non negabat Christi natiuitatem, immo dicebat, si nos non erubescimus confiteri Christum de vulua natum, cur erubescimus dicere Beatam Virginem post partum nupsisse, & alios concepisse filios? cui respondet Hieronymus, verum esse Christum de vulua natum, immo adde (si liber) cætera, quæ iam supra commemorauimus: tamen hæc confitemur, quia scripta legimus; illud autem de filijs negamus, quia scriptum non est. hic est sensus Hieronymi, & quamuis dici posset illud, quod adiecit, desumptum esse ex Tertulliano lib. de carne Christi, quem citauerat, tanquam hominem extra Ecclesiam: tamen quia dicit non erubescimus, silemus: & paulo inferius, scripta legimus, videtur de mente propria dixisse. Declaranda igitur verba Hieronymi. Vterum insolescentem appellat, quia spatio nouem mensium magis, ac magis solito intumescit, crescente enim foetu necesse erat vterum magis excrefcere. vsus est eodem verbo Tertullianus lib. de carne Christi: non tamen inde sequitur, quod grauedinem intulerit Matri, quæ fuit sine grauedine grauida. Appellat autem fastidia, non quæ mater pertulit; sed quæ ipse Infans in utero clausus passus est; Christus enim intra Virginis vterum vsu rationis, ac sensibus pollens, sensit angustiam loci, & alia quæ patiuntur Infantes: si enim extra vterum pati tanta dignatus est pro nobis, quomodo intra vterum etiam non est passus? Partum appellat, quia Beata Virgo Christum peperit integra quidem, & sine dolore, sed per vuluam, sicut & cætera pariunt, quod ad diuinam humilitatis dignationem pertinet. qui pro nobis sic est humiliatus. Difficultas est in verbo (sanguinem) quod non ad sanguinem menstruum defluentem ex Beata Virgine referri debet, qui solet immunditiam inferre, & qui in Beata Virgine non fuit, sed sanguis hic est ex nerui vmbilicaris præcisione: Christus enim etiã si non viri femine sed Spiritu sancto formatus sit; tamẽ in utero corpus eius nutritus est, & coaluit ad modum cæterorum hominum, membranis duabus obiectus, & per vmbilicarem neruum sanguinem ex purissima Virgine sugebat nouem mensium spatio. quando ergo egressus est ex utero, nullam Matri intulit corruptionem, vt paulo inferius dicimus; tamen vmbilicarem secum neruum attulit, sicut cæteri Infantes, qui præcisione indigebat, ex qua modicus sanguis defluit, sicut ex circumcisioe etiam sanguis emissus est, qui quidem sanguis non efficit immunditiam Matri. & de hoc locutus est Hieronymus, quando partui sanguinẽ coniunxit. non enim debemus miracula introducere, quæ nec scriptura, nec traditioe constant, confitemur quidẽ Christum de Virgine spiritus sancti virtute conceptum, & de Virgine integra natum. Cætera similia sunt cæteris hominibus quantum ad prædicta. Præstitit ergo Purissima virgo, & mater hæc ministeria Christo, quæ solent Obstetrices ministrare: nam & neruum vmbilica-

Quomodo intelligenda sunt verba Hieronymi contra Heluidium.

bilicarem præcidit, & corpusculum lauit, & pannis inuoluit. Hæc sunt, quæ pro nobis Christus subire dignatus est; qui enim in cruce mori voluit, & eius contumeliam pati, nostræ etiam naturæ exordia non abhorruit, sed per omnes nostræ naturæ contumelias transcurrit, vt recte notauit Hilarius lib. 2. Trinit. hæc sunt, quæ Hieronymus significare voluit verbis allegatis.

Deipara, nec ante filij conceptionem, nec post eius partum menstrua passa fuit.

Hoc autem in loco vnum adnotasse iudicauit, quod mihi probabilissimum est, B. Virginem nunquam passam esse menstrua, aut muliebria, nec immunditiam legis contraxisse, quæ purissima semper fuit, tam ante conceptionem filij, quam post. quæ enim fomite, & omni carnis rebellionem semper caruit, menstruas etiam fluxiones, quæ à generandi poten-

tia excitantur, quodam diuino priuilegio non habuit: quamuis enim, quando foetus est in utero, naturale sit sanguinem in eius nutrimentum effluere: tamen extra hoc tempus menstrua pati, peccati effectus, & pœna quædam est; non enim in innocentie statu futura erant. ab omni igitur peccato cum præseruata fuerit, hæc menstruis caruisse non est dubitandum. Inueniuntur etiam apud nos femine, quæ menstrua non habent, sed id infirmitatis est, & morbi causa. ante pubertatem etiam, & in senio muliebria non sunt. quod ergo impubertas, & senium, & infirmitas efficiunt, id diuina quædam gratia in Virgine pubere, & iuvene salua sanitate effecit, vt vas illud cæleste, in quo Christus erat reponendus, ab omni immunditia legali expers esset.

Tulerunt illum in Ierusalem.

COMMENTARIA.

QUID post dies quadraginta purgationis factum sit, narrat Euangelista, portarunt, inquit, parentes Infantem Christum in Hierusalem à Bethlehem, vbi diebus illis purgationis commorati erant; oportebat enim illum in Templo præsentari, & sacrificia pro purgatione offerri, quæ necesse erat fieri in Templo: idcirco veniunt Beata Virgo, & Ioseph cum Infante in Hierusalem, vbi templum erat.

Vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino uocabitur.

COMMENTARIA.

DVabus de causis venerunt parentes cum Infante Christo in Hierusalem. Vna fuit propter ipsum Infantem, nempe vt sisterent eum Domino, id est vt præsentarent eum in Templo, & Deo offerrent, & dedicarent tanquam primogenitum; iuxta præceptum Domini. nam Exo. 13. & Num. 18. Iussit Deus pro illo insigni beneficio liberationis Populi ab Aegypto primogenitis Aegyptiorum occisis, omnia primogenita Iudæorum, tam in hominibus, quam in animalibus sibi consecrari, & dedicari, quorum quædam in holocaustum occidebantur, vt in animalibus mundis, quædam immunda pro animalibus mundis commutabantur, quædam in ministerio, cui offerebantur, permanebant, nempe primogenita ex Leuitica Tribu, quædam alia, nempe primogenita cæterarum tribuum, postquam Deo offerebantur, pretio redimebantur, & à parentibus resumebantur. Tulerunt ergo parentes Infantem Christum in Hierusalem, vbi templum erat, vt Domino sisterent, & offerrent iuxta præceptum, & legem prædictam, quia primogenitus erat; hoc enim lex significabat: omne, inquit primogenitum aperiens vuluam, id est, ante quem nemo natus erat, sanctificabitur Domino, & ei offerretur, in ipsius Dei, & Templi ministerium. Aduerte duo distincta præcepta legis. Primum purgationis iuxta numerum dierum quadraginta, aut octoginta, de quo in verbis antecedentibus dictum est. Alterum de offerendo primogenito in Templo, quod post purgationis tempus implendum erat. vtriusque causa venerant in Hierusalem, illud primum in omni filio aut filia procedebat, siue primogenitis, siue secundo, aut tertio, aut quouis numero natis; semper enim lex purgationis obseruabatur; hoc autem in primogenitis tantum, & quidem masculis procedebat. Legem Domini appellat, quam prius legem Moyfis vocauerat, vt vnum, & eundem esse auctorem indicet, qui & Moyfi locutus est, & per eum cæteris præcepta promulgauit. Chrysostomus hom. de occurſu alteram adiunxit causam nimirum, quia illud magis ad vmbra & figuram pertinebat, hoc vero ad sanctitatem. cætera in Annotatione perlege.

ANNOTATIO XXXVI.

An Christus Dominus superiori primo genitorum lege fuerit comprehensus.

Grauis est difficultas, an B. Virgo, seu Christus hoc præcepto comprehenderetur. Sunt enim

duæ antiquorum, & illustrium Doctorum sententiæ. Quidam existimant adeo Christum ea lege comprehensum

hensum fuisse, vt propter ipsum solum institutum sit hoc generale præceptum. Quidam alij tenent nulla ratione esse comprehensum, immo verba quedam in eo præcepto posita fuisse, vt Christus excluderetur ab eo. Auctores primæ sententiæ ea ratione dicunt Christum comprehensum, & propter ipsum solum esse institutum præceptum hoc, quia dictum est, omne primogenitum aperiens vuluam: nemo autem aperit vuluam matris, nisi solus Christus. Nam cæteri primogeniti apertam inueniunt viri committione, quæ conceptum præcedit: at Christus sine viri opera conceptus clausam inuenit quando natus est. Idcirco ipse solus est primogenitus, vuluam Matris aperiens. quomodo autem hæc apertio intelligenda sit, explicabimus postea, si prius auctores huius sententiæ, & ipsorum verba retulerimus. In primis Origenes hom. 14. in Lucam, omne inquit masculinum, quod aperit vuluam, sacratum quippiam sonat, quemcumque quippe de vtero marem effusum dixeris, non sic aperit vuluam matris suæ, vt Dominus Iesus, quia omnium mulierum, non partus Infantis, sed viri coitus vuluam referat; Matris vero Domini eo tempore vulua referata est, quo & partus editus, quia sanctum vterum, & omni dignatione venerationis venerandum ante natiuitatem Christus masculus omnino non tetigit. Hæc Origenes. & paulo inferius propter quod, inquit, quia omne masculinum, quod aperit vuluam, sanctum Domino vocabitur, ductus est in Hierosolymam, vt appareret ante conspectum Dei. Hæc ille. Ambros. in præfenti loco idem tradit. Quia, inquit, omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. verbis legis promittebatur Virginis partus, & vere sanctus, quia immaculatus. Denique ipsum esse, qui lege signetur, in eundem modum ab Angelo repetita verba declarant, quia quod nascetur, inquit ex te sanctum, vocabitur filius Dei; non enim virilis coitus vuluæ virginalis secreta referauit, sed immaculatum semen inuiolabili vtero Spiritus sanctus infudit; solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti maiestate depulerit: nam si literam sequamur, quomodo sanctus omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non lateat, sed ille sanctus, quem in figura futuri mysterij pia diuinæ legis præcepta signabant, eo quod solus sanctæ Ecclesiæ Virginis ad generandos populos omnes immaculatæ sacunditatis aperiret genitale secretum. Hic ergo solus aperuit vuluam. Hæc Ambrosius. & paulo inferius, qui dixerat ad Prophetam, priusquam te formare in vtero noui te, & in vulua matris sanctificauit te, qui ergo vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur Propheta, hic est, qui aperuit Matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret. Hæc ille. Accessit Hieronymus lib. 2. contra Iouinian. de vtero, inquit, virginali natus est Christus, de quo scriptum est. Omnes Hæretici errauerunt, non intelligentes mysterium natiuitatis eius, magisq; ad natiuitatem Saluatoris, quam ad omnium hominum referri potest hoc, quod dicitur, qui aperit vuluam sanctus Domino vocabitur. Solus Christus enim clausas portas vuluæ virginalis aperuit: quæ tamen clausa iugiter permanserunt. Hæc Hieron. consentit Chrysostr. in hom. de occurru Christi, quæ habetur apud Surium, & in homilia. Omne, inquit, masculinum aperiens vuluam Sanctum Domino vocabitur, hæc oratio, & lex tota, & causa legis posita est propter eum, qui erat aperiturus vuluam. Vniuersa primogenita animalium, & hominum, nunquam aperuerunt vuluam, sed erant solum primogenita; quæ autem Virgo peperit, ipse solus aperuit. vide ergo totius legis de-

scriptionem propter eum, qui erat nasciturus ex Virgine. Hæc Chrysostr. idem tradit Greg. Nyssen. hom. de occurru Christi, quæ habetur in homiliario; de hoc enim præcepto loquens, inquit, legis decretum propositum in solo Deo, qui carne est indutus, definite, & ita vt nulli alij conueniat, cernitur impletum: solus enim ipse ineffabiliter conceptus, nuptijs non prius apertam vuluam virginalem aperuit, signacula Virginitatis illæsa conseruans etiam post processum admirabilem, & solus spiritualiter masculus est creditus, vt qui nihil adferret ei vitij, quod quidem est feminarum, & mulierum conueniens. vnde & re vera sanctus iure est vocatus. Quomodo etiã Gabriel viuifici foetus ad Dei parentem ferens nuncium, & veluti prius latam, & ad ipsum solum spectantem legem in memoriam reuocans: quamobrem, inquit, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, vt pote quod sancti cognomen proprie conueniat ei, qui virgineam vuluam diuino aperuit miraculo. Et in alijs quidem primogenitis ea vocanda esse sancta, diligenter intuens profunditatem perfectio pronunciauit Euangelica, vt pote quod Dei coniectione sortita essent, vt sic vocarentur: in primogenito autem omnis creaturæ sanctum id, quod nascitur, dixit Angelus, vt quod hoc sit proprie, & eam, quæ est vere, sanctitatem in amando vitio, & bono eligendo, simulatque natus sit, vt propheta dicit, ostenderit. Hæc Greg. in quibus verbis nota illud, Angelum in annunciatione, quando dixit, quod nascetur ex te sanctum. ad hoc præceptum legis respexisse, omne masculinum aperiens vuluam sanctum Domino vocabitur, quasi solus Christus esset, propter quem hæc lex fuerit instituta. in eadē sententiā est Amphilocheus Iconij Episcopus, in homilia de purificatione, qui non solum idem, cum alijs sentit, sed quo pacto illorum doctrina sit intelligenda, declarat; sic enim, inquit. Quod Scriptura dicit, omne masculinum aperiens vuluam sanctum Domino vocabitur, ad solum Dominum Iesum refertur, non ad alium quempiam, licet communiter dictum sit; talis enim est vniuersi cuiusque virginis natura, vt primum viri congressu aperiat vuluam ipsa, deinde pariat: sed in Saluatoris nostri ortu non ita factum est; nam nulla præeunte viri cognitione in Virgine matre, ipse sine virginitatis illius corruptione ortus est. Itaque dictum illud, omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur, vere, ac proprie ad Dominum referebatur. Nunquid Cain sanctus fuit, quoniam omnium primus ex materno vtero editus est? nunquid sanctus vocabitur, qui nefariam vitam terminauit? num Esau vir bellicosus, & gladij hæres sanctus dicitur, quia prior natus est, quam Iacob? An Ruben sanctus quia primus ex vtero matris editus, quippe, qui patris cubile commaculauit? nemo istorum Sanctus fuit, omnes rei extiterunt. Ex his igitur manifestum est Scripturæ dictum illud, omne masculinum aperiens vuluam sanctum Domino vocabitur, proprie, ac vere ad solum Dominum Iesum spectasse, idque confirmatur illo Gabrielis ad Virginem testimonio, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Sunt autem qui nostris dictis aduersantes hæc nobis obijciunt. Si Scripturæ locus ille, omne masculinum aperiens vuluam sanctum, Domino vocabitur, ad Iesum solum refertur, non igitur virgo ipsa remansit Virgo, cum Scriptura dicat omne masculinum aperiens vuluam. Animaduerte, & prudenter intellige, quicumque de virginea illa natura verba facis, quod scilicet nullo modo virginalis illa porta patefacta sit, eius prouidentia, & voluntate, qui antea in ipsa conceptus est. Hoc enim

enim futurum prædixit Spiritus sanctus, cū per prophetam dixit: Hæc porta clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingrediatur, & egredietur per eam, & porta ipsa erit clausa. Quæcumque igitur pertinet ad virgineam naturam, Virginis claustra nullo modo aperta sunt; quod vero pertinet ad potentiam geniti Domini, nihil clausum, omnia aperta, nihil quod impedimentum adferre potuerit, cum omnia ipsi Domino sint referata. quamobrem & superiores potentia clamantes dicebant: Tollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ. Hæc Amphilocheus. Accessit his Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 23. cuius verba sunt: in Scriptura dictum est: Omne primogenitum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur; non de omni primogenito dictum est (ne hoc imperiti homines exitiment) verum de vno illo, ac solo, qui in partu vuluam aperuit; etenim omnem quidem vuluam concubitus, & venereus complexus aperit; eam, quæ Dominum Iesum peperit, ipse sine femine conceptus aperuit, ac rursus clausam, & obsignatam reliquit, vere nimirum homo effectus, ac vere item Deus existens. Hæc Isidorus. Theophylactus, & Euthymius eandem secuti sunt sententiam. verba Euthymij sunt hæc: Primogenita iam apertam vuluam aperit: aperitur enim in viri congressu, cum semen infunditur; solus autem Christus nondum apertam supernaturaliter aperuit, & clausam naturaliter seruauit, quia etiam hic solus proprie sanctus est Domino, & secundum diuinitatem, quia filius eius est, & secundum humanitatem, vt pote vnitus filio eius: Itaque licet de omnibus primogenitis præfens verbum statutum est, solum tamen Christum directum respicit. Hæc Euthymius.

Patres ita affirmant Dominam matris vuluam aperuisse, vt integram conseruasse facerentur.

Omnes hi Doctores sunt in hac priori sententiâ, vt hoc legis præcepto comprehendatur Christus, adeo, vt propter ipsum solum de omnibus alijs generaliter sit statutum; proprie tamen ad ipsum spectet: conueniunt autem omnes in hoc, quod Christus sit comprehensus in hoc præcepto proprie, propter illud verbum (adaperiens vuluam) quidam autem eorum idem affirmant, non solum propter verbum (adaperiens vuluam) sed etiam propter alterum, quia vere, ac proprie sanctus sit. ita ex citatis Doctores tenent Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Amphilocheus, & Euthymius, vt ex verbis eorum relatis constat, conueniunt etiam omnes, Christum dici aperuisse vterum B. Virginis, quod non sic intelligendum, quasi vellent affirmare, integritatem Virginis in partu non fuisse seruatum, cum re vera id non intenderint docere, sed hoc tantum aperire vocarunt, quod est peruium esse, nec impedimentum transeunti Christo facere, quamuis nulla fuerit apertura. de quo Damasc. orat. de dormit. B. Virginis, sic inquit: Qui Deus erat, homo efficitur, atque modo naturam superante partus tempore procreatur, ac vuluam ita aperit, vt interim virginitatis claustra minime labefactet. Hæc Damascenus. hæc autem significatio in Scriptura vfitata est Matth. 3. Ecce aperti sunt ei cæli. Mar. 1. vidit cælos apertos, non quod in cælis apertura sit facta, sed quod de cælis vox sit audita. Act. 7. Video cælos apertos, nimirum, quia Christum in cælis existentem sine impedimento videbat. Mar. 7. Apertæ sunt aures eius, quia vox iam audiebatur. Isa. 64. Vtinam dirumpere cælos, & venires. nemo in his omnibus rumpi cælos dicit: ita hi Doctores vuluam B. Virginis apertam dixerunt, quia sine impedimento Christus transiit per eam, non tamen quod re ipsa aperta sit; quo sensu intelligendum est illud Isa. 45. aperiat terra, & germinet Saluatorem. Quidam interpretantur, propter fecunditatem, dictam esse vuluam apertam. nam in Scriptura

Isa. 45.

dicitur Deus aperuisse vuluas feminarum, quando fecunditatem concessit, etiam antequam aperiretur. hoc tamen non placet; nam sermo hic est de ipso foetu, qui dicitur aperire vuluam, & illarum feminarum vuluæ apertæ dicuntur propter facultatem futuri partus, & apertionis. verius est quod primo diximus, & ita explicuit Amphilocheus, & Gregorius Nyssen. vt constat ex verbis eorum, & cæteri patres id ipsum verbis eisdem indicauerunt. Nam Hieronymus semper clausam vuluam fuisse dixit, nec licet Catholico aliter sanctos hos patres interpretari, & in sensum peruersum retorquere: Ambrosium autem ita sensisse constat ex Epistola 81. eius ad Syricum, in qua B. Virginem etiam in partu ipso Virginem extitisse confirmat. & Hieronymus in eod. lib. 2. aduers. Iouin. id ipsum testatur. Hæc dixerim de his patribus, nam de Tertul. vix ita dici potest, qui satis expressis, & multiplicatis verbis tradit, Beatam Virginem in partu virginem non fuisse, & vuluam eius apertam, ac patefactam faretur. in quo errauit grauer: nam lib. de carne Christi sic inquit: Virgo quantum a viro; non virgo quantum a partu. Et rursus: scriptum est, omne masculinum aperiens vuluam sanctum Domino vocabitur, quis vero sanctus, quam Dei filius? quis vere vuluam adaperuit, quam qui clausam patefecit; & rursus: magis patefacta est, quia magis clausa, vtique magis non Virgo dicenda est, quam Virgo, saltu quodam mater, antequam nupta. & quid vltra de hoc retractandum est, cum hac ratione Apostolus non ex Virgine, sed ex muliere editum filium Dei pronunciauit: agnouit adaperit vuluæ nuptialem passionem. Hæc Tertullian. falso, & impie, cum & Ecclesiæ confessione, & sanctorum Patrum traditione, & Scripturæ testimonijs constat, Virginem non ante partum, aut post partum tantum, sed etiam ipso partu integram extitisse: de qua re diximus supra, non ergo patrum sententiâ coniungenda est cum errore Tertulliani, licet conueniant in hoc, quod legis præceptum hoc sit Christo maxime conueniens; aliter tamen illi apertam vuluam, aliter hic interpretantur. Hæc omnia dicta sunt pro priori ista sententiâ, quæ Christum eo præcepto comprehensum dicit.

Est autem posterior sententiâ omnino opposita, quæ censet hoc præcepto non esse Christum comprehensum; immo ob eadem duo verba posita exclusum: nam non aperuit vuluam, qui integritate matris seruata egressus est ab vtero, & qui non sanctus Domino vocabitur, sed Sanctus sanctorum Dominus; vt enim supra notauimus, Ioannes dictus est futurus magnus coram Domino: at Christus simpliciter magnus: hic, inquit, Angelus, erit magnus, quia ipse est Dominus, & quod, inquit, nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, non autem dicitur, erit sanctum Domino. cum igitur nec proprietas verbi aperiendi aptari Christo possit, nec sanctus Domino dicatur is, qui Dominus est, non videtur comprehendi posse sub hoc præcepto, aperiens vuluam sanctum Domino vocabitur; immo verba ipsa excludunt Christum ipsum, qui sicut circumcidi voluit sponte, legem obieruans, ita, & offerri. Hæc sententiâ mihi magis probatur, quæ non est sine patrum antiquorum auctoritate; eam enim amplexus est Cyrillus Hierosolymitanus, qui in hom. de occurru Christi sic inquit: omne masculinum aperiens vuluam sanctum Domino vocabitur; nam Samuel quidem, & Isaac, & similiter etiam Iacob, & Ioseph, & alij multi, qui præter spem nati sunt ex sterilibus, & aperuerunt infertiles vuluas matrum, sancti Domino vocati sunt. Christus autem solus ex solo vnigenitus cum virginales portas non aperuerit, non est sanctus Domino, sed Sanctus sanctorum, & Dominus dominorum, & Deus deorum, & primogenitus primogenitorum.

Probatur magis sententiâ patrum, affirmani Christum non fuisse hæc lege comprehensum.

Principesque & Rex regnantium, & vocabitur & creditur, & nunc in templo a Simeone prædicabitur. Hæc Cyrillus. Est etiam Ambrosius in eadem sententia in sermone quodam de purificat. qui habetur inter opera eius in Vaticana Typographia excusa, in princ. tomi 6. vbi sic inquit: Cunctis fidelibus liquet, nequaquam Redemptoris matrem ex eius natiuitate maculam contraxisse, quæ illorum dierum spatio, à sacris ædibus abstinentes, purgaretur, quæ sine humana concupiscentia, sine humano concubitu virgo concepit, sine aliqua corporis corruptione virgo peperit, & sine fine virgo permansit, ac per hoc nec masculus ex ea natus vuluam eius aperuit, sed hoc iuxta legis narrationem Euangelista contexens, claudit impiis sacramentum diuinæ Incarnationis, Matremque legem obseruantem introducit. Nec mirum si mater obseruat legem, quam eius filius non venerat soluere, sed adimplere. sciebat quo ordine conceperat, quo usu pepererat, quis esset, quem genuerat, sed legem communem obseruans celauit filij maiestatem. Hæc Ambros. Aimon in eadem est sententia. Horum Doctorum sensum accedendum existimo, tum propter rationes factas, quia verba legis in significatione propria accipienda sunt; Christus autem nec proprie vuluam aperuit, nec sanctus Domino dicitur: tum etiam quia lex hæc generalis est pro omnium animalium primogenitis posita, quæ non improprie, sed proprie & vere vuluam aperit: nec verbum hoc commune esse potest Christo, & illis, nisi æquiuoce: est autem æquiuoca locutio fugienda maxime in præceptis, & legibus statuendis. Quod eo magis nunc fieri debet, quia verbum, aperiendi, commune est hæreticis, negantibus virginitatem sanctissimæ Matris. Cauendum ergo est ab hac locutione, vt dicamus apertum vterum, à qua etiam Patres

Commune est omnibus primogenitis vuluam matris aperire.

recesserant, videntes verbo contrario. August. de fide ad Petrum cap. 2. Dum conciperetur, inquit, veritatem carnis accepit ex Virgine, & cum nateretur, integritatem virginitatis seruauit in matre. Et Gregor. homil. 26. Euang. Illud, inquit, corpus Domini intrauit ad discipulos ianuis clausis, quod ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exit vtero virginis. sunt plurima huiusmodi testimonia. Quamuis autem vulua animalium, & hominū aperta quodammodo dicatur per coniunctionem maris & feminæ; tamen non ita perfecte, vt fit in partu. Idcirco tunc dicitur aperiri vulua, quod eo probatur: nam in Scriptura steriles dicuntur conclusæ, seu clausæ, quia non pariunt, quamuis copula virilis intersit: secundæ autem apertam vuluam habent, propter partum, ad quem sunt habiles factæ. Obiciet quispiam, ergo dicitur Leuit. 12. Primogenitum aperiens vuluam, cum satis esset dixisse primogenitum? Respondeo, quantum ad mysterium, sic esse dictum ad Christum indicandum, qui cum primogenitus esset, vuluam non erat aperturus. quantum autem ad significationem, quia primogenitus potest esse inter masculos; tamen non aperuit vuluam, quia femina prius nata est; primogenitus autem aperiens vuluam, est, qui non tantum primus masculus est, sed etiam primus ante omnes natus est. Præterea potest esse primogenitus viri, non autem feminæ, vt si femina habens iam filium alteri nubat, à quo filiū suscipiat, hic non censetur primogenitus, quia non aperuit vuluam, licet sit primogenitus patri. de his autem plura prosequi ad locum Leuitici pertinet. Quod autem primogenita dicantur sancta, non eo factum est, quod boni, & iusti significentur, nam & animalia sancta, & vasa, & vestes, & homines etiam mali, sancta dicuntur, quia diuino ministerio dedicata sunt.

Leuit. 12.

Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

COMMENTARIA.

Altera causa, cur venerint in Hierusalem, est ex parte parentum, vt darent hostiam, & sacrificium offerrent Domino, iuxta præceptum legis: est autem connectenda sententia hæc præcedenti sic: tulerunt eum in Hierusalem, id est, venerunt parentes cum puero in Hierusalem post tempus purgationis, tum vt sisterent & præsentarent Domino, iuxta legis præceptum; tum vt offerrent par turturum, aut duos pullos columbarum, iuxta alterum præceptum legis, illud propter puerum, hoc propter parentes factum est. hæc ergo pars non debet referri ad illud (eum) nempe Christum, sed ad verbum (tulerunt in Hierusalem) qua parte significat eos venisse in Hierusalem. Legis præceptum hoc habetur Leu. 12. vbi sic præcepit Dominus per Moysen: Cum expleti sunt dies purgationis suæ pro filio, siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturis pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluuiio sanguinis sui. Ista est lex parentis masculum, aut feminam; quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur. Hæc ibi. Hoc præceptum à priori est diuersum: illud enim particulare erat pro masculis primogenitis, hoc vero omnibus masculis, & feminis primogenitis, & non primogenitis; erat enim ad immunditiæ purgationem. hanc legem impleruri venerunt parentes, cumque essent pauperes, non agnum anniculum, sed turturem, aut pullum columbæ obtulerunt in holocaustum, & alterum in hostiam pro peccato. Idcirco Euangelista hanc legis particulam retulit omissa illa de agno. Notanda autem est magna, & vera paupertas Christi, & parentum, quæ tanta erat, vt agnum Deo ipsi offerre non potuerint, & verba legis in eis sint verificata, nempe (si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum) cætera ad declarationem perfectiorem necessaria in Annot. perlege.

ANNO-

ANNOTATIO XXXVII.

Pro quo offerendum esset sacrificium turturum aut pullos columbarum.

Grauis est difficultas, pro quo istud sacrificium turturum, aut pullos fieret. plurimi namq; Patres pro Christo, seu infante ipso, qui præsentabatur, factum censent. in qua sententia sunt Origenes hom. 3. in Leuit. & hom. 14. in Lucam. Ambros. in serm. de purific. superius allegato. Augustinus in qq. in Leuit. q. 40. Chrysof. homil. de occur. Leo ser. 2. de act. vbi Christum circumcisum, & oblatione perfundum esse affirmat. Euthymius, & Beda in præsentij; & Hidelphon. serm. 1. de purificatione cum aliis multis, fundamentum potissimum huius sententiæ, sunt verba paulo inferius ab Euangelista dicta, nempe, cum inducerent parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo. ita legunt Doctores allegati præter Leonem, qui non recitat Scripturæ verba: Augustinus autem non solum legit, sed etiam perpendit verbum hoc (pro eo.) vltra hoc fundamentum, profert Augustinus alterum ex Leuitico, cap. 12. quod in commentario recitauimus. sic enim habetur. Cum expleti fuerint dies purgationis suæ pro filio, siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato, censent enim Augustinus, illud (pro filio, siue pro filia) connectendum verbo sequenti, nempe deferet pro filio, siue pro filia agnum in holocaustum. At quia possent hæc verba connecti præcedenti verbo, nimirum cum expleti fuerint dies purgationis pro filio, siue filia, nimirum quadraginta, aut octuaginta, Augustinus ipse repellit hanc connexionem auctoritate Euangelij allegata (cum inducerent parentes, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo) alseritq; talem connexionem cum præcedenti, aduersari verbo Evangelico allegato. Quamuis autem ista sententia tantorum sit virorum auctoritate suffulta: vix tamen potest accommodari Scripturæ verbis, ponderanda enim sunt verba, in comentario ex Leuitico adducta; sic enim dicitur (deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ pro peccato, & tradet sacerdoti, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluuiio sanguinis) aperta sunt verba de ipsa femina, deferet nimirum mulier, quæ peperit, tradet etiam ipsa Sacerdoti, Sacerdos orabit pro ea, mundabitur ea à profluuiio sanguinis. nihil de filio, nihil de viro; omnia verba præcepti sunt singularia de femina: adeo efficax est hoc argumentum, vt Augustinus ipse loco citato fateatur pro femina offerri, & ipsam mundari: tamen dum ipsa purgatur, etiam purgari & filium, & pro eo etiā oblationem fieri dicit. Huit tamen expositioni obijciunt, quod ipse Augustinus ponderat. nam cum Euangelista dicat (vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo) si in Leuitico sic connecti debet, pro filio, vel filia deferet. igitur non pro matre; cum nullum sit argu-

Leuit. 12. Non pro filio sed pro matris purgatione offerretur sacrificium.

Quod fuerit peccatum pro quo pullos columbæ offerretur.

mentum, vnde constat pro matre esse offerendum. Adde cum verba sint admodum expressa, & multiplicata, mulier deferet, tradet, sacerdos orat pro ea, ipsa mundatur, non video, quomodo ad infantem extendi possint, nisi verbis illata excessione, vt autem hoc magis confirmetur, attende distincta esse præcepta sistendi Puerū, & offerendi pullos aut turtures, siue agnum: nam illud erat de primogenitis, hoc autem de parturientibus quemcumq; masculum, siue feminam. Vnde si ante quadragesimum diem moriebatur infans, hoc sacrificium fiebat pro feminæ purgatione; immo si non erat etiam primogenitus superflus, non sistebatur Domino nec portabatur in Templum, & tamen præceptum matris purgandæ, & obligationis huius faciendæ obseruabatur. si mulier etiam mortua erat, vir non tenebatur hæc præstare; mulier vero etiam mortuo viro ante tempus purgationis tenebatur hoc præcepto: igitur manifesto probatur, hoc sacrificium non pro nato, nec pro marito, sed pro sola ipsa muliere, quæ profluuium sanguinis immunda erat offerri. caute ergo Euangelista non dixit, quando huius oblationis meminit, par turturum, aut duos columbarum, (pro eo,) ne oblatio pro puero faciendâ putaretur, immo diuisit à præcepto præcedenti de puero, nempe vt sisterent eum Domino, loquitur, vt in eius loci expositione manifesto ostendimus. fauet etiam huic, quod verba illa Leuitici (pro filio, siue filia) non possunt apte sequentibus connecti; nam si sic connectas, aduersabuntur verba sequentia, nimirum, deferet pro filio vel filia, & sacerdos orabit pro ea, nimirum matre, & mundabitur. dicendum namque tunc erat, orabit pro filio, vel filia, & mundabitur: necesse est ergo connecti cum præcedentibus, vt diximus, nimirum cum expleti fuerint dies purgationis pro filio, vel filia: pro illo quadraginta, pro hac octuaginta: Ex his existimo veritati, & Scripturæ conformius esse, holocaustum hoc, & hostiam pro purgatione mulieris offerri, vt expletis illis diebus, munda secundum legem censeretur. Quod si obicias, virum immundum fuisse, quia conuersatus est cum immunda. Respondeo si ante octauum diem eam tangebatur, immundum esse, non tamen auferebatur hæc immundities hoc sacrificio, sed aliter mundabatur, vt habetur Leu. 15. & vt supra diximus in Annota. 34. Idem dico de infante ipso; sola vero immundities parturientis feminæ hoc sacrificio purgabatur.

ANNOTATIO XXXVIII.

Est etiam altera difficultas in hoc loco: nam cum vnus pullus, aut turtur in holocaustum, alter in hostiam pro peccato offerri deberet pro muliere purgata, posset merito quispiam interrogare, quod est hoc peccatum, pro quo offerretur hostia; & pro quo sacerdos orabat? non enim peccatum hoc nuptijs adhiberi debet, nam actus coniugalis, quando debitis sit circumstantiis, non est peccatum. August. qq. in Leuit. q. 40. dicit esse peccatum originale, quod per actum etiam nuptialem, deriuatur ab Adam in prolem: quæ sententia difficultatem habet; nam peccatum pueri originale iam in circumcissione erat ablatum; peccatum autem matris iam antea etiam

ablatum est. non ergo videtur, pro quo peccato fieret oblatio hæc, nisi dicas peccatum esse infantem in peccato gignere, quod dicere fides Catholica abhorret, hoc enim est damnare nuptias. Quidam recentiores affirmant esse peccatum, quod frequenter committitur in commistione carnis etiam in matrimonio, dum non sit circumstantiis omnibus, quibus fieri debet. quæ sententia parum est probabilis: nam etiam si sine peccato fieret villo, hostia offerri præcipiebatur. Quidam alii pro peccato in genere offerri asserunt, sine quo nemo uiuit. si autem hoc esset, profecto etiam vir, & quicumque non immundus offerre debuisset hanc hostiam. Quidam Iudæi vane affirmant.

N

mant.

mant pro periuro, quia mulieres sentientes partus dolores, iurant se non amplius debitum viro soluturas. quæ sententia digna est suis Auctoribus. Quidam postremo docent esse quoddam genus sacrificij, quod dicebatur peccatum, nimirum quia pro peccato offerebatur: sic Christus dicitur peccatum, quia sacrificium pro peccato factus est. Hoc autem non solum pro peccatis offerebatur, sed etiam pro malis, & pœnis, quæ in plurimum propter peccata inferuntur: Vnde Leuit. 15. leprosus sanatus offert sacrificium pro peccato. similiter patiens fluxum feminis: sic etiam parturiens offert hostiam pro peccato, id est, pro profluuiio illo, quia illud pœna peccati originalis est in parturiente, vt recte tradit Isichius Leuit. 12. profluuium ergo peccatum dicitur, quasi peccati pœna. ea enim de causa lex immunditiam introduxit, vt id significaret: tolli autem dicebatur, quia immundities legis, quæ impedimentum quoddam erat, per hostiam remouebatur, & hæc est legitima sententia. Agnus ergo seu in pauperibus turtur, vel pullus vnus in holocaustum offerebatur: quia totus comburebatur in honoré Dei, vt recognosceretur ipse auctor & procreator omnium, & qui fecunditatem impertitus erat. Alter autem turtur, aut pullus columbæ victima erat, quæ non tota comburebatur, sed pars Sacerdoti referuabatur, & hæc erat, vt femina à pœna peccati liberaretur. Multa in his mysteria significata sunt: omnia enim illis in figura contingebant; ab his tamen pertractandis abstinemus, ne ab instituto nimium recedamus. illud tamen aduertendum est, ne Origenis sententiam sequamur in duobus, quæ homi. 14. in Lucam tradit.

Origenis sententia in duobus reicienda

Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon.

COMMENTARIA.

Descripsit hæcenus aduentum Parentum Christi in Hierusalem, & duas huius aduentus causas. quid autem factum sit in accessu ad templum, cuius causa venerant, narraturus, præmissit historiam, & narrationem hominis cuiusdam, qui in Hierusalem tunc temporis commorabatur, quem multis signis, & virtutibus describit, vt eius testimonium, quod de Christo exhibiturus erat, commendat, & dignum fide ostendat; à nomine autem, & loco incipit: erat, inquit, in Hierusalem homo, cui nomen Simeon. Particula (ecce) non solum rem ipsam præsentem indicat, quasi dictum esset, eodem tempore, quo Parentes Puerum tulerunt in Hierusalem, homo hic aderat; sed etiam hominis excellentiam, & mysterij magnitudinem significat.

ANNOTATIO XXX.

Num Simeon sacerdos fuerit.

An Simeon iste fuerit sacerdos, quispiam interrogare posset. Theophyl. & Euthym. negant ea ratione, quia si esset Sacerdos, id dicere Euangelista non prætermisisset, cum præsertim multas qualitates eius descriperit. Consentient recentiores huic opinioni. Mihi autem magnam ingerit difficultatē, quod inuenio multos grauisimos, & antiquissimos Patres, affirmantes illum fuisse Sacerdotem. ita habent Athanas. in libr. de communi Patri, Filij, & Spiritus sancti essentia. Epiphani. libr. de vitis Prophetarum, & Cyrillus Hierosolymitanus in homil. de occurso Christi. Verba Athanasij sunt hæc. Videmus igitur, num spiritus habeat edendi oraculi potestatem: Simeoni certe, & Sacerdoti, & seni oraculum redditum est à Spiritu, nequaquam morieris, quin prius videris Christum. Hæc Athanas. Verba autem Epiph. sunt hæc: Simeon Sacerdos e tribu Aaron emicuit. Hic quippe est, qui oraculum accepit à Spiritu sancto, ne utiquam visurum esse mortem, quousque Christum Dominum incarnatum videret. Hæc Epiph. Cyrilli verba sunt hæc: Audi Israel,

vnus est, oblationem esse factam in turturibus, & pullis columbarum simul. hoc autem non est probandum; nam in Scriptura Leuitici, & apud Euangelistam disfunctionius est sermo, nempe aut par turturum, aut par pullorum columbæ. vnde incertum est, an turtures, an pulli columbarum oblatis sunt pro Beatæ Virginis purgatione. Alterum est, volucres hæc, quæ oblatæ fuerunt pro Christo, (vt ipse putat) non fuisse veras, & reales volucres, quales sunt, quæ per aera volitare solent. in quo multum errat. Verba ipsius sunt, quæ sequuntur. Sicut noua fuit generatio Saluatoris, non ex viro, & muliere, sed ex sola tantum Virgine; sic & par turturum, & duo pulli columbarum non fuerunt tales, quales oculis carnis aspiciamus, sed qualis Spiritus sanctus est, qui in specie columbæ descendit; & venit super Saluatorem, quando in Iordane baptizatus est: tale fuit & par turturum; non erant illæ volucres, vt iste, quæ per aera volitant, sed diuinum quoddam, & humana contemplatione augustius sub specie columbæ, & turturis apparebat, vt non talibus victimis, quilibet omnes homines, ille qui pro toto Mundo nascebatur, & pati habebat, coram Domino munda retur; sed vt dispensatio eius noua omnia, ita quoque nouas haberet hostias secundum voluntatem omnipotentis Dei in Christo Iesu. Hæc Origenes. sed ultra id, quod supponit pro Christo oblationem esse factam. quod verum non est, volucres non esse communes, quales pro alijs offerri consueuerant. videtur signum nulla auctoritate, aut ratione fundatum, qui enim legem impleri voluit, ea quæ secundum legem erant, offerri decreuit.

audite omnes Gentes, quem ego Sacerdos vester Simeon vnus gesto, magnaue voce in hoc Templo prædico, & testimonio meo palam commendo, hic Deus, & Dominus est. Hæc Cyrillus. Hoc idem sensisse videtur Augusti: qui serm. 9. de natuiuit. Domini Simeonem appellat senem, probatum, & coronatum; non autem videtur, quæ sit hæc corona, nisi Sacerdotis mitra. Ex alia parte Ambrosius, & Damascenus ora. 1. de natui. B. Virginis, & alij Patres mentionem facientes Simeonis, nihil de eius sacerdotio dixerunt: verisimileque est eos dicturos esse, si id sensissent, sicut & noster nunc Euangelista. Hoc tamē argumentum cum sit negatiuum, non videtur habere multum roboris, existēte tot grauiū Doctorū auctoritate, qui expresse id affirmarunt, & accedēte quadā velut antiqua traditione, quia in Ecclesia depingi solet in habitu sacerdotali; nec caret fundamento rationis etiam ex Euangelio sumptæ ista sententia Patrum. Primo quidem accepit Simeon Christum à Parentibus: non est autem causa vlla, cur acceperit, nisi quia Sacerdoti offerebatur Puer, qui nomine Dei eū accipiebat,

piebat, & donec redimebatur, non reddebat Parentibus; quæ ratio in verborum expositione magis explicabitur. Secundo, quia benedixit Parentibus, quod eum fuisse sacerdotem indicat, vt in eius expositione declarabitur inferius. Tertio quia dicitur, cū inducerent parentes, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, Simeon accepit eum. non erat autem dicendum sic, nisi fuisset Sacerdos, cum quo peragebatur legis consuetudo: dicendum enim erat, postquam fecerunt secundum consuetudinem legis pro eo. Scio non esse argumentum hæc demonstratiua: sunt tamen multum probabilia, & accedente tantorum patrū testimonio efficacia ad persuadendum, fuisse illum sacerdotem; nec argumentum in contrarium. alicuius est roboris. Nam Euangelista expresse non dicit esse Sacerdotem, quia ex his, quæ agebantur, & narrabantur, id deducebatur, sicut etiam omnes fatentur fuisse senem, & ætate prouectum: tamen Euangelista expresse id nō affirmavit, sed verbis tacite insinuauit;

ita etiam de Sacerdote. Atque hæc sententia mihi probatur, patrum enim antiquorum, & ita grauium auctoritas non ita facile repellenda est. nec argumentum, quod ex verbis Euangelij sumitur, probat quicquam contra hoc: erat, inquit, homo, si Sacerdos esset, diceret vtique; erat Sacerdos. hoc inquam nihil obstat; nam cum mores eius describere intenderet, hominem vocauit. simile est Iob. 1. Erat inquit vir in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, & timens Deum. Iob autem fuisse Sacerdotem testatur Hieronymus ex sententia multorum patrum Græcorum. Episto. 126. ad Euagrium. Quidam recentiores affirmant hunc Simeonem fuisse Magistrum Gamalielis, ad cuius pedes Paulus fuit eruditus, & vnus ex auctoribus magnæ congregationis, qui in Talmudicis Libris Simeon iustus appellatur. Quidam alij hoc refellunt, parum mihi momenti hæc res videtur, cum patrum antiquorum auctoritate non fulciatur.

Et homo iste iustus & timoratus.

COMMENTARIA.

Qualis Simeon fuerit, describit Euangelista: iustus, inquit, erat, & timoratus. iustus quidem, quoad homines: quia erga proximos mandata seruauerat; timoratus autem quoad Deum, quia studio religionis incubuerat, & deditus erat; timor enim in Scriptura pro Religione aliquando accipitur, timoratusque dicitur, id est religiosus, & pius erga Deum. contrarius erat hic Simeon illi Iudici. Luc. 18. qui nec Deum timebat, nec hominem reuerbatur. Similis autem Iob, de quo dicitur cap. 1. erat simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo. Hæc duo multum testimonium Simeonis commendat; qui enim iustus, & timoratus est, verax etiam esse declaratur.

Expectans consolationem Israel.

COMMENTARIA.

Tertia qualitas Simeonis hæc est, expectabat consolationem Israel, id est, Messiam, qui venturus ad redimendum, & consolandum Populum Iudæorum credebatur. expectabat, quasi impleto Aduentus tempore, iam iam aduentantem. Attende autem quod non dicitur, credens aut sperans, sed expectans; nam qui multo tempore Christum per carnem præcesserant, credebant, & sperabant venturum, consiliis & certi promissionibus à Deo factis, at non expectabant, quia post plurimos vitæ illorum annos venturum esse, reuelatum eis erat; Simeon vero non solum credebatur, & sperabat, sed expectabat etiam, quia iam proximum eius aduentum nouerat. Dicit autem consolationem Israel: ex Prophetis enim didicerat Christum suo aduentu consolaturum Israel: Isa. 40. Consolamini, consolamini Popule meus, dicit Deus vester. & cap. 51. Consolabitur Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius. cap. 61. ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiā, & clausis apertionem, & prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro, & consolaber omnes lugentes. expectabat ergo consolationem hanc promissam in Christo iam implendam. Verbo hoc etiam desiderium exprimitur, quasi vnus ex ijs, qui hac consolatione multum indigebat, cum eo tempore Populus Iudæorum calamitatibus, & miseriis grauissimis, etiam spiritualibus premeretur.

ANNOTATIO XXX.

Quæ fuerit hæc consolatio Israel.

Titus Bostrenus hæc consolationem à Simeone expectaram interpretatur liberationem Populi credentis à Romanorum dominatione, Herodisque hominis alienigenæ tyrannide, de qua liberatione illud Luc. 24. dictum est: nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. Et Act. 1. Domine si in Tempore hoc restitues Regnum Israel, Euthym. vero in-

telligit reuocationē ab erroris seruitute. Mihi autem non alia videtur Simeon expectasse consolationem, quam eam, quæ erat promissa in Prophetis, hæc autem vera, spiritualis est, nempe à peccatorum seruitute liberatio, à Dæmonis potestate ereptio, gratiæ diuinæ collatio, cum Deo reconciliatio, hæreditatis æternæ promissio, cæterorumque bonorum.

quæ per Christum nobis obuenerunt, collatio, quæ tantam hominibus credentibus consolationem impartiunt, ut aduersitates temporales dulces videantur, Rom. 5. in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. non solum: sed etiam gloriamur in tribulationibus. 2. Corin. 1. sicut abundant passio-

nes Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Hanc consolationem Simeonem intellexisse id persuadet, quod Spiritus sanctus erat in illo, & eius magisterio, & promissione edoctus expectabat consolationem hanc communem Israel.

Et Spiritus Sanctus erat in eo.

COMMENTARIA.

Quarta qualitas Simeonis est: erat, inquit, in eo Spiritus sanctus per donum, nempe prophetiæ; reuelationem enim de Christo à Spiritu sancto acceperat, & multa de eo, postquam illum vidit, prædixit. in Scriptura prophetia Spiritui sancto tribuitur. Psal. 50. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. & 2. Pet. 1. Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.

ANNOTATIO XLI.

Spiritus sanctus qua ratione fuerit in Simeone.

Dupliciter Spiritus sanctus in aliquo esse dicitur. Vno modo per gratiam sanctificantem, & iustificantem. Altero modo per donum prophetiæ, aut donum linguarum, aut virtutem miraculorum, aut aliquam aliam gratiam gratis datam, (ut dicitur) quæ in peccatore esse potest. de quibus habetur, 2. Cor. n. 12. Quidam modo priori interpretantur; at

cum iam verbis antecedentibus id dictum sit, dum iustus & timoratus prædicatur, potius, quod sequitur, ad prophetiam referendum est cum Euthymio, quasi sit quædam ratio sequentis sententiæ, quod responsum acceperit à Spiritu sancto, non visurum se prius mortem, quam videret Christum.

Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

COMMENTARIA.

Magnum hoc priuilegium Simeonis est; erat enim ei diuino oraculo reuelatum, seu promissum, illum non ante moriturum, quam oculis corporeis Messiam præsentem videret. quo dono Simeon omnes Patriarchas, & Prophetas excelluit. Nam his per Spiritum sanctum reuelatus, & promissus fuit Christi aduentus: nulli tamen eorum est promissum, quod oculis corporalibus in hoc sæculo Christum visurus esset: quamquam id quisque summis votis exoptasset; Simeoni autem vtrumque concessum est; nam & promissum est ei, & vidit. Luc. 10. Beati oculi, qui vident, quæ vos videris. dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Perpende autem quam recto ordine Euangelista procedat: Simeon enim primus dicitur iustus, postea timoratus, & expectans consolationem Israel, & Propheta; his enim gradibus processit, ut sanctum donum assequeretur, quod promissionem videndi Christum, & ipsum videre obtinuit.

ANNOTATIO XLII.

Quando Simeon responsum hoc acceperit à Spiritu sancto.

Responsum acceperat, non significat, quod ipse Simeon petierat ante à Deo, sed tantum, quod Deus id ei reuelauit. Simile verbum habetur Math. 2. de Magis. Et responso accepto, ne redirent ad Herodem. Quando autem, & quomodo id fuerit reuelatum, nescitur. Vnde quod Nicephorus, lib. 1. histor. cap. 12. dicit, nullo fundamento nititur, nimirum legenti Simeoni oraculum. Isa. 7. Ecce Virgo concipiet, idque sollicitè, Angelum astitisse, & nunciassè non prius moriturum, quam Christum, de quo illic agebatur, suis vidisset oculis. Quod autem dicit Augustinus, Serm. 3. de verb. Apost. nimirum, Simeonem multis precibus à Deo petijisse Christi aduentum, illudque dixisse Psal. 84. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis, ob idque dictum esse accepisse responsum, probabile est: tamè ex verbi significatione id non conuincitur: nam de Magis non petentibus dictum est, responso accepto, ne redirent ad Herodem. illud autem (videre mortem) phrasia est Hebræa, pro experiri mortem, seu mori, ut etiam adnotauit Beda, sicque dicitur Psal. 88. quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem? dicitur

etiam gustare mortem. Ioan. 8. mortem non gustabit in æternum, & Math. 16. qui non gustabit mortem. Appellatur autem Messias Christus Domini, non propter similitudinem ad Patrem, ut dicit Euthymius, sed quia filius est patris, & Patris diuinitate vnctus. Reges enim dicebantur Christi Domini, quia vncti iussu Domini: at Christus vnctus est Spiritu sancto, ut dicitur act. 10. Duo autem sunt de Simeone notanda. vnū est quod refert Nicepho. lib. 1. hist. c. 12. nempe vitæ illi ad multum senium fuisse propagatam, ut Christum videre posset. quod probabile est, & Augustini sententia comprobatur, qui Serm. 9. de nati. Domini de Simeone loquens, inquit: differebatur exire de sæculo ut videret natum, per quem factum est seculum. & in eodem sermone appellatur senex, & annosus. omnes autem Patres illum ætate prouectum fuisse affirmant, idque Euangelista indicat, ut paulo inferius dicemus. Alterum est, quod scriptum est in præfatione quadam Celsi ad Vigilium in altercatione Iasonis, & Papiæ, quæ ponitur inter opera Cypriani, vbi Simeon cæcus ante fuisse dicitur, & tunc visum recepisse, quando Christum in vlnis recepit.

De Simeone duo referunt illi præfatione nescia

pit. Verba sunt hæc. Simeon quoque iustus, qui in cæcitate constitutus diuino monitu audierat se non ante moriturum, quam vidisset Christum, cum in Templo omni Populo præsentem Infantem secum inferret Mater, & in spiritu natum esse Christum sensisset, acceptum in manibus puerum vidit, & benedicens Deum in conspectu, & auditu omnium dixit. Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare

tuum. Simeon, quod cæcus audierat, euidenti veritate perfectum est; & veritatem, quam accepto lumine viderat, benedicens palam, Deum Populo prædicabat; ad hoc enim viderat, ut referret, & reuelatione sua, quod Christum natus fuisset, ostenderet: & perfidi Populi initia prima incredulitatis instrueret. Hæc ibi: quæ apud nullum alium Auctorem legi, retulisse satis sit.

Et venit in Spiritu in Templum.

COMMENTARIA.

Magnum hoc etiam est donum, à Deo Simeoni concessum; adueniente enim iam tempore promissionis implendæ, ducitur in templum Simeon Spiritu sancto reuelante, & monente ut veniret in Templum: eo enim Christum, quem expectabat, tunc esse venturum. Hoc est Simeonem in Spiritu venisse in Templum.

ANNOTATIO XLIII.

Qui sit superioris sententiæ sensus.

Venisse spiritu, duos patitur sensus; vnus est impulsu Spiritus sancti venisse in Templum, non tamen tunc nouisse Spiritus sancti finem, propter quem ducebatur: multi enim ductu Spiritus sancti quædam agunt, ignorantes, & se duci Spiritu sancto, & quid Spiritus sanctus per ea opera intendat. Roma. 8. qui filij Dei sunt, hi Spiritu Dei aguntur. Hunc sensum sequitur Origenes. homi. 15. Theophyl. & Euthym. Alter sensus est, non solo impulsu Spiritus sancti, sed etiã monitu, & reuelatione Spiritus sancti venisse, quasi Simeon venerit, certus se visurum Christum. promissum. & hunc sensum sequitur Iuuenius sic canens: Ique vbi curuato defessus corpore Templum, iam grauior penetrat, mouit, quod spiritus Auctor. Ecce simul paruum gremio Genitricis Iesum ad Templum sensit venisse. Hæc Iuuenius, Cyprianus etiam hoc idem sensit: nam libr. de mortalitate, sic inquit: Cum Christus infans in templum cum matre venisset, Simeon agnouit in spiritu natum esse iam Christum, de quo sibi fuerat ante prædictum. Hæc Cyprianus. Timotheus etiam presbyter Hierosolymitanus in hom. de propheta Simeone, quæ habetur in homilario, in eadem est sententia, sic inquit: Cum Simeon meditabundus domi sederet, Deumque apud se rogaret, ut quod acceperat oraculum, exitum aliquando sortiretur, Iosephque, & Maria soli in eam essent, ut puerum Iesum iam ad Templum deferrent, & per legis consuetudinem sacrificium pro eo

offerrent, Spiritus sanctus responsum exhibiturus præsto fuit, Simeonemque eiusmodi oratione excitauit: Surge senex, quid dormis? tempus est quo oraculum expleri debet, matura cito: præsto est enim, qui te absoluat, præpara sepulchrum, dispone domuitæ, adesset, qui te missum faciet; venit Emmanuel, celeriter ad Templum transcurrere; in templo autem meo constitutus sacra de sacro varicinare. Simeon itaque quasi ætate innouatus, animique desiderio, perinde ac alis quibusdam vehementer concitatus, & à Spiritu sancto impulsus, & subleuatus, celerrime cucurrit, Iosephique & Mariam, qui recta ad templum contendebat, anteuertit, templumque ante illos ingressus iuxta Aedis sacra adyta constitit, Spiritus sancti reuelatione ibidem expectaturus. Hæc ille, qui in hoc differt à Cypriano, quod hic prius B Virginem templum ingressam, quam Simeon veniret, affirmat. Horum sententiæ adhæreo: ratio autem etiam persuadet, nam cum non potuisset nosse determinate Christum nisi ei reuelatum esset; Euangelista non aliis verbis indicauit hanc reuelationem, nisi hæc, nempe quod venit in spiritu, & postea in templo in vlnis accepit, per quæ significauit Spiritu reuelante certum venisse de aduentu, & de eo, qui Christus erat. est autem hæc phrasia etiam in Scriptura. Matth. 4. Ductus est in desertum à spiritu, & Luc. 4. Agebatur in spiritu in desertum, nimirum per spiritum cognoscens causam, ob quam ducebatur.

Et cum inducerent Puerum Iesum Parentes eius.

COMMENTARIA.

Descriptis tam aduentu Parentum Christi in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, & offerent hostiam, quam aduentu Simeonis in templum in spiritu, Euangelista contexuit historiam, dicens. cum Parentes inducerent Puerum in templum, ut sisterent eum Domino iuxta legem, tunc Simeon, qui in Templum à Spiritu sancto ductus erat, accepit eum in vlnas suas. Hic est contextus. Parentes appellantur Beata Virgo, & Ioseph, quia tales credebantur, licet B. Virgo sola fuerit parens secundum veritatem.

Ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo.

COMMENTARIA.

Connexa sunt hæc verba præcedentibus: dicitur autem ut facerent per legis consuetudinem pro eo. cum enim duo essent faciendæ. Vnum pro Beata Virgine, nempe offerre par turturum, aut pullorum columbæ in purificationem, Alterum pro Christo, nempe sistere, & præsentare eum Domino, & postea pretio quinque siclo-

fictorū illum redimere, Euangelista significare volens, quo tempore, & qua occasione factum est, quod de Simeone narrat, adiecit (pro eo) nimirum, quando Parentes aggressi sunt facere, quod lex præcipiebat de sistendo Puerō, tunc Simeon illum accepit.

A N N O T A T I O X L I I I .

Sensus superioris sententiae magis examinatur.

HÆC sententia propter illud verbum (pro eo) occasionem, & causam dedit multis doctoribus existimandi, hostiam illam turturum, aut pullo- rum oblatam fuisse pro Christo, vt superius diximus in annotatione 37. sic enim habent Orig. homil. 14. in Lucam, & hom. 8. in Leuit. & August. in Leuit. q. 4. & ceteri, quos illic retulimus. cum enim legis- sent illud (pro eo) collegerunt sacrificium factum esse pro Christo. Quidam respondent, non reperiri in Græcis exemplaribus illud (pro eo.) Hæc tamen responsio probanda non est: nam communis doctorum consensus eam recipit, vt in annot. allegata dictum est, & Euthymius Græcus auctor legit, & quod magis vrget, vulgatus interpres ab Ecclesia receptus eam particulam habet, quam nos admittimus, & necessariam ad perfectum sensum exprimendum censemus; in alium tamen longe diuersum sensum, quem legitimum putamus, eam interpretamur, nimirum, vt explicet Euangelista quod de Simeone narrabat, non tunc gestum esse, quando obtulerunt hostiam

pro purgatione Beatæ Virginis; sed quando sistebant Domino puerum, & cetera facere aggrediebantur, quæ erant per legem, nimirum cum pretio redimere; tunc enim temporis, & ea occasione Simeon accepit illum in vlnis. Dicitur autem secundum consuetudinem legis, vt non sola præsentatio, & exhibitio pueri, sed etiam redemptio significetur. Primogeniti enim omnium Tribuum præter Leui, Deo primum præsentabantur, & offerebatur, & postea quinque siclis redimebantur, vt habetur Num. 18. Eo autem tempore, quo Deo dedicabantur, redimi soliti erant post oblationem, & non post mensē, vt quidam existimant. Quod enim dicitur Num. 18. vt post mensē fiat redemptio, intelligitur à natiuitate, seu potius circumcissione, nempe quando matrum purgatio fiebat, induxit ergo B. Virgo puerum, vt sisteret eum Domino, quem paulo post quinque siclis argenteis redemit. quo autem tempore eum Domino sistebat, eum Simeon sacerdos tamquam Deo oblatum in vlnis accepit.

Num. 18.

Et ipse accepit eum in vlnas suas.

C O M M E N T A R I A .

Complent hæc verba sententiam præcedentem, cum parentes inducerent puerum, vt facerent secundum legis consuetudinem pro eo, nempe, vt Domino eum sisterent, Simeon in vlnas eum accepit. Particula (&) ad matrem ipsam pueri refertur, nempe etiam Simeon accepit in vlnas suas, quem in vlnis suis mater etiam gestabat. Demonstrant hæc verba Simeonem sacerdotem fuisse, qui puerum Iesum Domino oblatum accepit de manibus matris sistentis, & offerentis illum Domino. Perpende Dei largitatem, plus dedit, quam promisit. Promissum est enim Simeoni videre: datum autem ei fuit videre, & in vlnis portare; ausus tamen non esset id facere, nisi sacerdos esset, qui infantes oblatos Deo accipere solitus erat.

A N N O T A T I O X L V .

Particula (&) quid hoc loco significet.

Quidam recentiores illam particulam (&) ornatus causa posita dicunt. Quidam alij loco (tūc) positam censent. Quidam alij loco (etiam) & ad sacerdotes referunt, quasi dictum esset, etiam Simeon accepit, sicut & sacerdotes acceperant. Verior sententia est, loco (etiam) positam esse: tamen ad matrem referri, quæ in vlnis suis infantem gestabat, de cuius manibus illum Simeon accepit. ita tradit Irenæus lib. 3. cap. 18. vbi sic habet: Simeon ille, qui responsum accepit à Spiritu sancto non visurum eum mortem, nisi prius videret Christum Iesum, hunc ex manibus accipiens Virginis, benedixit Deum. Hæc ille. Ex quo efficax trahitur argumentum, Simeonem fuisse sacerdotem; non enim aliqua alia causa rationabilis excogitari potest, cur ipse acceperit infantem, cum Domino sistebatur, quod Athanasius lib. de con- trariis essentiis Patris, Filij, & Spiritus sancti expli-

cans, inquit: Illum adhuc infantulum gestat mater, & offert Simeoni sacerdoti. ille in vlnas capiens Saluatorem, ad eum ita loquitur, & dicit: Nunc dimittis seruum, &c. Hæc Athanasius. Magnum profecto, & vile donum recepit Simeon, qui in vlnis Christum habere meruit. de quo Origen. homil. 15. inquit sic: simbriam vestimenti Iesu mulier tetigit, & sanata est; si illa ad extremam partem vestimenti tantum emolumenti habuit, quid putandum est de Simeone, qui in suas vlnas accepit infantem, & brachiis tenens lætabatur, atque gaudebat, videns paruulum à se gestari, qui ad vincitos venerat resoluendos, seque ipsum nodis corporis liberandum, sciens neminem posse de clauistro corporis quæpiam emit-tere cum spe futuræ vitæ, nisi eum, quem in brachiis continebat. Hæc ille.

Et benedixit Deum, & dixit.

C O M M E N T A R I A .

Accepto Infante in vlnis, & quod sibi promissum erat, impletum contemplan- s, Deum benedixit, & post benedictionem dixit, quæ sequuntur: Nunc dimittis, &c. Si Euangelista dixisset (benedixit, dicens ea quæ sequuntur) ad benedictionem pertinere significasset; dum autem ait, benedixisse, & dixisse, Nunc dimittis, indicat aliam fuisse benedictionem, quæ præcessit canticum sequens. Benedixit au- tem

tem Simeon Deum, tum propter insigne opus incarnationis, quia misit filium suum, vt homo fieret; tum propter eximium, & singulare beneficium sibi concessum, vt Dei filium incarnatum & videret, & in vlnis gestaret. quid autem sit Deum benedicere, in annotatione habes explicatum.

A N N O T A T I O X L V I .

Differunt inter se laudare, gratias agere, & benedicere

Differunt hæc, laudare, gratias agere, & benedicere, tam erga homines, quam erga Deum; laudamus enim, siue hominem, siue Deum, cū eius virtutem, excellentiam, aut singularia facta confitemur, & prædicamus. Gratias autem agimus, quando in beneficij accepti recognitionem aliqua verba pronunciamus. Benedicimus vero, quando ei bona imprecamur; est enim verbum contrarium verbo maledicendi. Deo autem nihil boni imprecari possumus, quod ad ipsius perfectionem sit necessarium, cū vndeque sit in se perfectus, & infinitus: quæ autem extra eum sunt, imprecamur, & desideramus, vt quod ab omnibus cognoscatur, diligatur,

exaltetur, colatur, & laudetur. sic enim homo Deum benedicere potest. conuenienter autem nunc Simeon Deum benedixit, optando, & precando, vt tam singulare, & admirandum eius opus omnes recognoscant, summis laudibus attollant, & omni deuotione, ac cultu venerentur, quod & ipsemet faciebat. Euthymius dicit, Simeonem benedixisse Deum incarnatum; accommodatius autem est, benedixisse Deum ipsum in se, propterea quod carnem induerit filium. Sicque intelligit Irenæus lib. 3. cap. 18. Ipse, inquit, erat Christus, quem portans Simeon, benedixit Altissimum.

Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.

C O M M E N T A R I A .

Laudat Simeon Dei veritatem, per quam, quod promisit, impleuit; & simul gratias agit pro beneficio accepto. sensus est: nunc morior contentus, & lætus, vt promissisti mihi Domine. loquitur in tertia persona de se, seruum se Dei appellans: mortem autem verbo dimittendi significat: nunc, inquit, dimittis me ab hoc sæculo in pace quæretum, desiderio in eo completo, secundum verbum tuum, id est, vt mihi promissisti, nempe me non visurum mortem, nec dimittendum ab hoc sæculo, nisi viso Christo, vidi quod optabam, implesti, quod promissisti, lætus, & contentus dimittor: simile illud est quod Genes. 46. dixit Iacob, viso Ioseph, quem à multo tempore mortuū existimabat: Lætus, inquit, moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. Et Tob. 3. Nunc, inquit, Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum. Est autem vnum, quod Simeoni peculiare in hac pace fuit, nempe quod Christum præsentem vidit, qui reconciliare venerat Deum cum hominibus; propter quod 2. Eph. dicitur pax nostra. In pace ergo dimitti se profitetur, quia in Pacificatoris, & pacis ipsius aduentu recedebat; hoc enim insinuare voluit in hoc verbo, consentitque verbo Angelorum: In Terra pax hominibus.

Genes. 46.

Tobias 3.

A N N O T A T I O X L V I I .

Dimissionis nomine mortem intelligit.

Quidam adnotanda occurrunt. Primo quidem Ambrosius hic, & libro de bono Mortis cap. 2. legit: Dimitte. & verbum optantis esse affirmat, quasi Simeon optet iam à corpore solui viso Christo. Athanasius etiam, si Interpres fidelis est, legit (dimitte) lib. de communi Patris, & filij, & Spiritus sancti essentia. Græca exemplaria nunc habent, dimittis, præsentis indicantis, & sic Euthymius legit, & interpretatur. Secundo annotandum est, conuenire Doctoribus, hanc dimissionem esse solutionem à corpore per mortem temporalem, quam sibi iam imminere ex Oraculo accepto nouerat: inquit enim Cyprianus lib. de mortalitate: Sic Simeon ille iustus, qui vere iustus fuit, qui fide plena Dei præcepta seruauit, cum ei diuinitus responsum fuisset, quod ante non moreretur, quam Christum vidisset, & Christum in templum cum Matre venisset; agnouit in spiritu natum esse iam Christum, de quo fuerat sibi ante prædictum; quo viso sciuit se cito moriturum. lætus itaque de morte iam proxima, & de vicina accersitione securus, accepit in manus Puerum, & benedicens Deum exclamauit, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum ver-

bum tuum in pace. Hæc Cyprianus. Verbi autem dimittendi significationem optime explicat Ambrosius libro de bono mortis cap. 2. Quasi necessitate quadam, inquit, tenebatur in hac vita, non voluntate; ita dimitti poscit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret: Sunt enim velut vincula quædam huius corporis, & quod est grauius, vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis adstringunt, quadam lege peccati. Denique in exitu ipso videmus, quemadmodum anima decedentis paulatim se soluat vinculis carnis, & ore missa euolet, tanquam e carcere corporis huius exuta gurgustio. Hæc Ambrosius. Tertio annotandum est, pacem hanc non eodem modo ab omnibus intelligi. Euthymius quidem multipliciter interpretatur. Primo in pace cogitationū: antequam enim impletum esset oraculum, variae cogitationes mentem Simeonis agitabant; eo autem impleto, tranquillatus est eius animus, quasi diceret: Nunc quæ me turbabant de diuina incarnatione cogitationes pacificatæ. Secundo sunt in pace intrepiditatis; timebat enim mori propter profundam sententiam: at viso iam Christo, securus erat, se non moriturum.

Simeon multiplici pace donatus.

riturum Christo non viso. Tertio, in pace gaudij, quasi diceret, deinceps non contristabor propter libertatem Israelis, quia vidi iam liberatorem. Hæc Euthymius. Quarto Cyprianus lib. de mortalitate, pacem interpretatur securitatem, quæ est à mundi huius periculis; non enim est iusto securitas, dum in hoc versatur sæculo. Verba ipsius sunt: Probans atque contestans, tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis turbinibus mundi extracti, sedis, & securitatis æternæ portum petimus. quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus: illa est enim nostra pax, illa stabilis, & firma, & perpetua securitas. Ceterum, quid aliud in mundo, quam pugna aduersus diabolum quotidie geritur? quam aduersus iacula eius, & tela cõfistationibus assiduis dimicatur? Hæc & alia Cyprianus. Quinto Origenes homil. 15. intelligit pacem cum Deo, in qua iustus moritur. Mihi huic loco accommodata interpretatio ea videtur, ut pax sit desiderij complementum, quando homo moritur, nihil habens, propter quod hoc in sæculo desideret permanere: priusquam autem Simeon vidisset Christum, viuere desiderabat, & inter mortem & desiderium pugna erat: at viso eo, propter quem vitæ erat desiderium, nec habens iam, quod eum detineret, dicit se in pace dimitti: hoc enim erat ei promissum, ut diximus de Iacob, & Tobia in Commentario, atque etiam Genes. 15. dicitur de Abra-

ham, qui filios habere desiderabat: tu autem, inquit, ibis ad patres tuos in pace, nempe impleto desiderio, nec in hoc sæculo iam habens, quod desideres. quamuis, ut in commentario exposui, cum hoc aliud altius Simeon insinuabat, nempe Christum pacem Dei cum hominibus efficere venisse, cuius pacis tempore ipse dimittebatur ab hoc sæculo. Quod etiam partim docuit Irenæ. lib. 3. cap. 18. dicens, Simeonem confessum Christum pacem eorum, qui in dormitione sunt. Quarto adnotandum est, Theophylactum, & Euthymium referre illud (Domine) ad Christum, quasi Simeon ad Christum loquatur. Quidam alij ad Patrem, at melius Athanasius lib. de communi Patris, & Filij, & Spiritus sancti essentia, ad Spiritum sanctum refert, à quo oraculum acceperat, id quod indicat illud verbum (secundum verbum tuum) vnde hoc loco probat Athanasius Spiritus sancti diuinitatem. verba eius sunt: Cum induceretur puerulus in templum, & gettaret eum in vlnis Simeon, responsum est ab illo: Nunc dimitte seruum tuum Domine, secundum verba tua in pace. Igitur Spiritus Dominus, & herus est: Hæc Athanasius. Re ipsa ad Deum ipsam, qui Pater, & Filius, & Spiritus sanctus est, oratio dirigitur, cum sit consubstantialis Trinitas: tamen Spiritus sancti persona exprimitur, à quo acceperat responsum, non viturum se prius mortem, nisi videret Christum Domini.

Verbum illud (Domine) ad Spiritum sanctum referendum est.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

COMMENTARIA.

CAUSAM reddit præcedentis sententiæ, cur se dimitti in pace secundum verbum dicat, quia viderunt, inquit, oculi mei Christum, quem salutare appellat, id est, salutis Auctorem. tuum autem: quia de Spiritu sancto, cum quo Simeon loquebatur, conceptum; & in quo Deus salutem hominum operari dignatus est; nemo enim salutem hanc efficere potuit, nisi Deus. hoc nomine appellatus est sæpe in veteri testamento Christus. Gen. 49. Salutare tuum expectabo Domine. Psal. 118. Defecit in salutare tuum anima mea. Psal. 84. Salutare tuum da nobis. Multa sunt huiusmodi testimonia. Est autem Pleonasmus, viderunt oculi mei, quæ tamen habet emphasim, sicut dicimus, hisce oculis vidi; est etiam antithesis quædam, oculi mei, salutare tuum, exprimens singulare quoddam beneficium, ut oculi senis hominis obtinuerint videre salutare Dei, & Deum ipsam in carne.

ANNOTATIO XLVIII.

EVTHYMIUS Salutare interpretatur incarnationem Dei, quæ in salutem hominum facta est. Basiliius vero in homil. supra Psal. 61. in illud (quoniam ab ipso salutare meum) Christum in hoc loco intelligit, qui ab effectu salutis hominum dicitur Salutare. eodem modo interpretatur Athanasius libro de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Attende autem dici salutare Dei, & salutare hominum. Nam in Psalms aliquando dicit David: Salutare meum, aliquando salutare tuum, cum Deo loquens, & vtrumque verum est; diuersa ta-

men ratione. Salutare quidem hominum, quia eorum salutem operatus est, salutare Dei; quia Dei patris filius est, & quia ut homo Spiritus sancti opera, & virtute conceptus est, & quia salutem hanc nemo alius præter Deum efficere potuit. Quidam recentiores vertunt (salutem tuam) dicitur enim Christus salus; quia salutis causa; aptius tamen dicitur Salutare. Græce σωτηριος: recte autem notat Theophylactus in Simeone videri impletum illud, quod psal. 99. dictum est; longitudine dierum implebo illum, & ostendam illi salutare meum.

Psal. 99.

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

COMMENTARIA.

NON solum Saluatorem præsentem agnouit Simeon, sed etiam in salutem omnium venisse intellexit, tam Iudæorum, quam Gentium, inquit enim, quod salutare à Domine tu parasti ante faciem omnium populorum, ut omnes ab eo salutem consequi valerent. Verba sunt attendenda; parasti, inquit, salutare, quia filium tuum carne induisti, & hominem fecisti, hoc est Saluatorem, seu salutare parare

parare. ante faciem, inquit, populorum, quod significat non solum manifestationem, ut omnes Saluatorem agnoscere valeant, sed etiam libertatem eorum; ut si velint, salutem paratam adipisci queant. iuxta illud Eccles. 15. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur. Illud autem (omnium) tam Iudæos, quam Gentes complectitur, pro quibus saluandis venit Christus.

ANNOTATIO XLIX.

Verbum (parasti) quid significet.

PROCOPIIUS Isa. 25. illud (parasti) ad æternam Dei prædestinationem refert. disposuit enim Deus ab æterno in salutem omnium mittere filium hominem factum. Quidam recentiores accommodatius effectum ipsum temporalem interpretatur, nempe, quia in tempore misit Deus filium suum incarnatum pro nobis omnibus. illud autem (parasti) significat opus Dei in salutari hoc conficiendo: filium enim carne induit, sicque factus est Saluator, & Redemptor; non enim salutem effecit, nisi homo factus. Admiranda est prophetia Simeonis, cui reuelatum

est mysterium vocationis Gentium ad Euangelium, & salutis futuræ communis omnibus per Christum, quod Apostolis etiam post Domini resurrectionem, & Spiritus sancti aduentum, non plene statim patefactum est, ut constat actor. 10. de Petro misso ad Cornelium! gentilem baptizandum, quando vas illud immundis animalibus plenum vidit, & viso Cornelio, mysterium hoc intellexit dicens: in veritate comperio, quia non est Personarum acceptor Deus, sed in omni gente, quæ timeret eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

COMMENTARIA.

QUOD salutare appellauit, appositione quadam, lumen, & gloriam vocat: lumen quidem ad Gentium illustrationem, quod nimirum gentibus illucescat, easque illuminet errorum, & idololatriæ tenebris depulsis, & veri Dei fide suscepta; gloriam vero Israel, quia per Christum populus Iudæorum glorificatus est; in magnam enim populi illius cessit gloriam, & honorificentiam, quod Christus Mundi Saluator de illo carnem suscepit. Ioan. 4. Salus ex Iudæis est. prædicta fuere hæc duo per Prophetas. primum quidem psal. 97. Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Isa. 42. Dedi te in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum: & educeres de conclusione vincitum: de domo carceris, sedentes in tenebris. Secundum vero Isa. 44. egredietur Dominus de Iacob, & Israel glorificabitur. 62. videbunt cuncti Reges Inclytum tuum. 70. gloriam tuam. illa autem apostrophe (plebis tuæ Israel) habet quandam energiam, quasi exhortantis Israel ad gloriam in Christo præsentis, & excitantis affectum Iudæorum ad eum amplectendum, ac suscipiendum, qui tantam illis gloriam adferebat. Perpende quatuor eximia Epitheta, quæ Simeon confiteretur de Christo, & quibus eum plurimum commendat, nempe quia pax est Dei cum hominibus, quia Saluator est omnium populorum, quia lumen gentium, quia gloria & honorificentia populi Iudæici. quibus Epithetis Christum indicat Mediatorem, Redemptorem, Doctorem, & Deum, qui carne sumpta de populo Israel, in eximiam euexit eum dignitatem, & gloriam.

Simeon eximia quædam de Christo prædicat.

ANNOTATIO L.

Quare Christus gentium lumen, & Hebræorum gloria dictus sit.

QUIDAM connectunt sententiam hanc cum verbo (parasti). Quidam cum verbo illo (salutare tuum) quasi appositue dictum. vtrumque probabile, hoc vero probabilius videtur. Præterea illud (gloriam) quidam coniungunt cum illo (lumen) ut sic sensus, lumen quod est ad reuelationem gentium, & ad gloriam plebis Israel: ut enim lumen illustrationem, & decorem adfert; sic Christus gentes illustrauit, & Iudæis gloriam attulit. Quidam alij accommodatius vtrumque per appositionem dictum interpretantur, nempe viderunt oculi mei salutare tuum, quod gentibus est lumen, Iudæis autem est gloria, & honor. Aduertendum est autem Christum lumen attulisse Gentibus, & Iudæis; omnes enim lumen aduentus, & Euangelium receperunt, & illuminati sunt; ideo Christus dicitur lux mundi Ioan. 8. Ego sum lux mundi; & Ioan. 3. Lux

venit in mundum. de Iudæis etiam dictum est Isa. 60. Surge illuminare Hierusalem. quia vero gentes ante Christi aduentum erant sine fide, erroribus, ac ignoratione Dei obscuratæ; Iudæi autem Dei veri agnitionem, & venturi Christi fidem habebant, idcirco Gentes illuminatæ dicuntur. Sicut è contra Christus gloriam attulit gentibus, & honorem: tamen quia hoc peculiari beneficio Iudæos profecutus est, quod carnem de eorum genere sumpit, dicitur gloria eorum esse. Titus Bostrenushuic adiungit alteram causam, nempe quia multos ex genere Israel in cælestem gloriam euexit. Hoc tamen non videtur accommodate dici: nam commune est cum gentibus, immo plures ex his ad se traxit, & saluauit; reliquæ enim Israel salutæ factæ sunt, ut dicitur Rom. 11. Simeon autem, quod Iudæis particulare fuit, significare voluit, hoc autem est, quod de eorum Patri-

bus est Christus secundum carnem, ut dicit Rom. 9. de hac illuminatione plura diximus supra in explanatione illorum verborum (illuminare his, qui in tenebris, &c.) illud autem (ad reuelationem) idem

significat, quasi dictum esset, lumen, quod patefaciendum erat gentibus, eisque illucescere debebat, ut à tenebris eriperentur.

Et erat pater eius & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

COMMENTARIA.

Ad mirabantur B. Virgo, & Sanctus Ioseph de his, quæ Simeon significabat, non quod ignorauerint ea, sed quod illa eximia essent, & captum, humanamque virtutem excederent; hæc enim admirari solemus, etiam postquam nobis reuelata sunt.

ANNOTATIO. LI.

DVO sunt hoc loco adnotanda. Vnum est, in Græcis exemplaribus loco (Pater) legi (Ioseph) & sic habetur apud Euthymium: tamen Latina legunt (pater). Sicque legit Hieronymus aduersus Heluidium. Sicque habet vulgatus noster Interpres cum Latinis expositoribus. Alterum est, in hoc eodem verbo (pater) errasse multos hæreticos, existimantes Ioseph fuisse verum patrem Christi per carnem, non animaduertentes, quod supra nunciauit Angelus, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. & quod Matth. 2. dixit iterum ipsi Iosepho. quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. In hanc hæresim inciderunt Hæbionæ, ut refert Irenæus lib. 3. cap. 24. Cherintiani, ut dicit Epiphanius hære. 28. & Fotiniani, ut meminit Beda. qui omnes testimonijs allegatis, multisque alijs facile conuincuntur, superiusque multa diximus pro virginitate Matris, quæ repetere superfluum est. non ergo Ioseph vere pater fuit, nec de eo genitus est Christus, sed ex sola Beata Virgine, iuxta illud Matth. 1. Iacob genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Christus: non enim dictum est (de quibus) quo autem modo Ioseph pater Christi vocatus sit, variè Doctores explicant. Primo quidem Origenes hom. 16. Lucæ dictum patrem esse censet, quia nutritius erat. Secundo loco Hieronymus aduersus Heluidium, dicit Patrem appellatum opinione, & fama, quia reputabatur pater à multis, qui tunc ignorabant mysterium conceptionis eius. quam sententiam Beda probat, pro qua facit illud, quod Luc. 3. dictum est. Ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph. Tertio loco August. lib. 2. de consen. Euang. cap. 1. modum quendam adhibet aliam, quem etiam probat Beda, nimirum dici patrem, quia verus coniux erat Beatæ Virginis, quæ Christi mater erat. si enim adoptione efficitur quispiam filius alterius, licet non genuerit; multo magis matrimonio ipso, quod cum Matre contrahitur: erat autem matrimonium verum inter Beatam Virginem, & Sanctum Ioseph, licet copula non intercesserit, idcirco Pater Christi dicitur, qui erat filius B. Virginis. præsertim quod propter ipsum Christum B. Virgo sponsata fuit Ioseph. Videtur Epiphanius hanc sententiam amplexus. nam hæres. 51. dicit Ioseph non patrem verum, sed loco patris fuisse, eo quod Deo sic visum fuit. Hæc sunt, quæ Doctores senserunt, nec est quod vna sententia alteri præferatur, sed potius omnes coniungamus, & dicamus Ioseph dictum patrem, tum quia nutritius erat, tum quia communi opinione pater reputabatur, tum quia vir, & maritus erat Beatæ Virginis Matris Christi. Tertium quod adnotandum se offert, est in verbo (mirantes) est enim duplex admiratio, vna de rebus ipsis, altera de persona loquentis, aut facientis. ali-

quando enim miramur ea, quæ dicuntur, seu fiunt, quia magna, insolitaque sunt: aliquando miramur personam, quia talia fecit, seu nouit, sicut Ioan. 4. Discipuli mirati sunt, quod Christus cum muliere loqueretur, non quod res ipsa in se sit mirabilis, sed respectu personæ, quia insolitus erat Christus sic loqui: sic etiam Ioan. 7. Iudæi mirabantur dicentes: quomodo literas hic scit, cum non didicerit? in presenti non hanc admirationem posteriorem, sed priorem fuisse conueniunt Doctores, licet non desint, qui de posteriori interpretentur: tamen communis expositio est de priori, idque verba euangelica indicant: dicuntur enim mirantes super ijs, quæ dicebantur de illo, nempe Christo, non autem super his, quæ dicebantur ab illo, puta Simeone, aut super personam, vel super fidem, & notitiam illius, qui ea pronunciauit. Altera difficultas est, quæ sint ea, quæ admirata est Beata Virgo cum Ioseph? Origenes enim homil. 16. refert admirationem, non ad ea tantum, quæ Simeon pronunciauit, sed ad ea etiam, quæ ante à pastoribus audierat. Euthymius vero de ijs solis, quæ Simeon dixerat, hanc admirationem interpretatur, cuius sententia videtur accommodari: ratio autem ea est, quia verbum (super his, quæ dicebantur de illo) proxima respicit, non autem ea, quæ remota sunt, & quæ multis ante diebus gesta fuisse narrata sunt. Tertia difficultas est, cum admiratio sit eorum, quæ noua, seu inopinata sunt, & eorum, quorum ratio laet, ut dicit Augustinus epist. 101 ad Euodium; & ex ignoracione quadam procedit; quæ igitur sunt hæc, quæ dixit Simeon, & Beata Virgo cum sponso admirata est, quasi prius ignorata? Aduerte Simeonem hæc de Christo pronunciauit, nempe Saluatorem esse, verumque Messiam promissum; eum etiam Gentes per Euangelium suum illuminaturum; Israel autem gloriam, & splendorem allaturum. Hæc omnia B. Virgo non ignorabat: nam Christum Messiam promissum esse ipsa in suo cantico confessa est: Suscepit inquit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, eum autem Saluatorem esse, ab Angelo priusquam ille conciperetur, didicerat: dictum enim ei est; & vocabis nomen eius Iesum, cuius etymologiam idem Angelus interpretatus est ipsi Ioseph: saluum, inquit, faciet populum suum à peccatis eorum. Hinc manifestum erat, eum gloriam populi futurum, utpote Messiam ipsum, qui regnaturus erat in domo Iacob in æternum, & filium Dei, qui carnem de illo populo susceperat. Quod autem Christus Gentes illuminaturus esset per Euangelium, & eis salutem daturus, quamuis id ignorauerit Petrus etiam post aduentum Spiritus sancti, & act. 10. dictum sit, multos fideles ex Iudæis conuersos, obstupisse, quod gratia Spiritus sancti etiam in Na-

in Nationes effusa esset: tamen vix persuadere mihi possum, Beatam Virginem id ignorasse, cum in promissione Abrahamæ, quam ipsa, cum à B. Elisabeth salutaretur, retulerat, sit expressum. In semine, inquit, tuo benedicentur omnes Gentes. Quis autem negabit hanc promissionem, B. Virginem Spiritu sancto illustratam, non intellexisse perfecte? quando dixit, Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est Patres nostros, Abraham, & semini eius. Præterea ex Magorum gentilium aduentu, & adoratione, ac stellæ apparitione id potuit intelligere etiam Virgo sapientissima, & omnium obseruantissima. nihil ergo eorum, quæ Simeon decantauit, ignorabat B. Virgo, ut existimat Euthym. præter illud, quod ille manifestauit, scilicet se promissionem à Deo accepisse de videndo Christo ante obitum suum; hoc enim tunc nouit, quando Simeon pronunciauit, sed id non fuit admirationis huius causa. Cum ergo hæc non sint ignorata, saltem à B. Virgine, quid est, quod dicitur admirata fuisse? Respondeo non semper admirationem esse: eo-

rum, quæ ignorantur, sed eorum etiam, quæ captum & virtutem nostram superant, etiam si nobis iam notificata sint. Sancti enim viri sæpius admirantur mysteria diuina, immanitatem bonitatis Dei, multaque alia huiusmodi, etiam si iam ante sint ab eis fide percepta: nam admiratio ex fide sæpe procedit, ut non aliud sit admirari, quam magnificare. hoc modo B. Virginem admiratam esse existimo ea omnia mysteria, quæ Simeon pronunciauit, non quod ignota ei fuerint, sed quod humanam mentem, & virtutem, ut pote opera solius Dei, excederent; ideoque magnificabat ea B. Virgo cum Ioseph. Sicque interpretatur hanc admirationem Chrysol. in hom. de occurso Christi, quæ habetur in homiliario dom. infra octau. Natiuit. Domini, & est legitima explicatio. Nec propterea negare intendo, Beatam Virginem temporis successu multa alia nouisse mysteria, quæ ante nesciebat; eius enim fides augebatur, non quidem ex parte roboris, & firmitatis in credendo, sed ex parte eorum, quæ per fidem innotescunt, ut paulo inferius dicemus.

Et benedixit illis Simeon.

COMMENTARIA.

Relatum illud (illis) ad parentes refertur, de quibus paulo superius dixerat Euangelista (& cum inducerent parentes eius, &c.) his benedixit, non quod melior, aut sanctior, sed quia sacerdos, cuius erat benedicere. Num. 6. & felicitiam populo à Deo precari. quomodo Heli sacerdos benedixit Annæ, quando Samuel filium suum in templo obtulit.

ANNOTATIO LII.

QVI Simeonem negant sacerdotem, hanc benedictionem non solemnem, nec quæ ex auctoritate sit, interpretantur: sed communem, qua ex voto bona alteri precari, aut eos beatos, ac felices prædicare solemus; his enim modis duobus benedicere contingit; verius tamen est de benedictione solemnem Euangelistam loqui; cum enim narraret à parentibus Christum esse præsentatum in templo, nec vilius alterius sacerdotis mentionem faceret, cum verisimile sit, & ex Scriptura deducatur, Sacerdotibus pueros præsentari; inferitur Simeonem

ipsum fuisse sacerdotem, eumque recepisse, & acceptasse præsentatum Infantem, consequenterque parentibus impertisse benedictionem. Attende autem benedictionem non ad solos sacerdotes pertinere, sed ad maiores etiam non sacerdotes: nam Iosue cap. 8. & 22. ipse benedixit populo. similiter & Dauid 2. Reg. 6. & Salom. 3. Reg. 8. qui omnes sacerdotes non erant. de qua benedictione dicitur Heb. 7. sine vlla contradictione, quod minus est à maiore benedicatur; Simeon autem nunc dignitate sacerdotali præminebat; ideo benedixit eis.

Et dixit ad Mariam matrem eius.

COMMENTARIA.

AD Matrem conuertit prophetiæ sermonem, tum quia sola ipsa, non Ioseph Christum genuerat; tum quia quo tempore implenda erant, quæ prædicebat, ipsa sola futura erat superstes; ut enim diximus in commentarijs super Ioannem cap. 2. multo ante Christi passionem Ioseph è viuis decessit; quamuis Cyprianus, & Ambrosius contrarium scripserint; illud tamen verius est.

Ecce hic positus est in ruinam.

COMMENTARIA.

Prædicat multa; quorum primum est. Christum positum esse in ruinam multorum in Israel: multi enim Iudæi, qui venturum Christum credebant, eaque fide iustificabantur, ob idque quasi stare dicti sunt Rom. 11. Tu autem fide stas. postea in aduenientem non crediderunt, ideoque à fide ceciderunt, quia eam amiserunt, & in infidelitatem lapsi sunt; ut enim inquit Paulus ad Rom. 9. offenderunt in lapidem offensionis. Hæc est ruina, quam nunc prænunciat Simeon, & quam Paulus Rom. 11. appellat cæcitatem: Cæcitas, inquit, ex parte contigit in Israel; appel-

hæc ruina diuersa in Scriptura notatur vocibus.

Miramur quædamque de rebus, quandoque de personis.

in Na-

lat etiam ibidem casum, quia à fide, quam habebant, in infidelitatem prolapsi sunt. vide, inquit, in eos, qui ceciderunt, seueritatem Dei. Vocat etiam fractionem, quia à populo Dei, & corpore Ecclesiae abscissi sunt: propter incredulitatem, inquit, fracti sunt; & Dominus ipse Matth. 21. qui ceciderit, inquit, super lapidem istum, confringeretur. & 1. Corinth. 1. appellat scandalum. prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, quia in eum offenderunt, seu impegerunt, & ceciderunt à fide. scandalum dicit Christum, quia scandali, & casus, in eo occasionem acceperunt Iudæi. Verba prophetiae perpende. Ecce, inquit, non solum attentionem ad mysteriorum magnitudinem capiendam, excitat, sed proxima, & imminetia esse, quæ prædicat, significat. Præterea vitur pronomine demonstratiuo (Hic) Christum, quem in vlnis gestabat, indicans, nec vlllo nomine determinat; sic enim plura significat, quam si diceret, hic Infans, hic Deus, hic homo; omnia enim hæc concludit, dum absolute (Hic) dicit, insinuat autem eo pronomine mysterium, nempe quia visibilis, & demonstrabilis oculis filius Dei factus est, vt dici posset, & demonstrari digito: nam inde Iudæi occasionem incredulitatis acceperunt. Præterea dicitur positus, tum vt non casui detur, quod in ruinam, & resurrectionem multorum sit, cum consilio diuino factum sit, vt etiam si multorum ruina præuisa sit; Christus tamen venerit: tum etiam dicitur positus, quasi firmus, & stabilis, velut lapis ingens, in quem offenderint, & ceciderint multi, non tamen propterea ille mouetur: sic Christus Ecclesiae caput stat in æternum, licet in eum offenderint plurimi. 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Nec solum stat, sed Saluator perseuerat, & est, etiam si multi pereant, vt explicat Chrysost. hom. 5. in 2. Corinth. similia verba Pauli interpretans: bonus, inquit, odor Christi fumus his qui pereunt, & ijs, qui salui fiunt. Nota tam his, quam illis bonum odorem Apostolos esse. sic Christus saluator permanet, immo inde ruinæ causam maximam contraxerunt, quod salutem minime receperunt. Vnde verum illud est, quod ante dixerat. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Demum dicitur positus in ruinam, non quod in hunc finem Christus aduenerit, vt in eum offenderent, & caderent multi, sed quod multi culpa eorum, & vitio in eum non credentes voluntarie ceciderint, & fidem amiserint: hac enim phrasi vitur aliquando Scriptura Sap. 4. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in mulpulam pedibus insipientium. Hac ergo sententia multorum Iudæorum incredulitatem in Christum Simeon prædicat. In Annotatione sequenti hæc explicatiora inuenies.

A N N O T A T I O L I I I.

Patres diuersimode ruinam hæc interpretantur.

Multipliciter hanc ruinam Doctores interpretantur. Primo quidem Orig. hom. 17. in Lucam in bonam interpretatur partem, nempe, vt sit ruina, & casus peccati, ijque ruere dicantur, quia à peccatis liberantur. Christus ergo in ruinam multorum positus dicitur, quia multi per eum peccatorum remissionem obtinuerunt; sicut Paulus ad Rom. 6. mortuos peccato appellat, qui à peccatis erepti peccare desinunt. Hanc interpretationem amplexus est Titus Bostrenus in hoc loco, immo etiam Hieronymus Ezech. 32. in illud verbum (Gladius Babylonis veniet tibi) gladium enim interpretatur sermonem Dei, & ruinam hanc dicit eam esse, qua multos male erectos humilitate commutat, nempe quia ex superbis humiles facit. Secundo loco Ambrosius in præsentem ruinam intelligit damnationem æternam, & Christum positum esse in ruinam, non aliud esse, quam constitutum esse Iudicem, qui peccantibus inferet damnationem. Tertio loco Gregorius Nyssenus in cathenam citatus, hanc ruinam eam esse dicit, quam Iudæi increduli à Romanis passi sunt, quando ipsi in mortem, & in captiuitatem, eorum Ciuitate deuastata, traditi sunt iudicio diuino, de qua dicitur à Domino Luc. 19. non relinquent in te lapidem super la-

pidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tue. & Luc. 23. Super viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? & per Isaiam ca 66. prædictum est, omnes cæde corruentis: numerabo vos in gladio, quia locutus sum, & non auduistis. Quarto loco August. lib. qq. ex vtroque testamento, siue quisquis sit illius libri Auctor. q. 105. Ruinam hanc interpretatur spiritualem, quia multi ex Iudæis fidem amiserunt, quam ante habebant, dum non crediderunt venienti Christo. quæ expositio etiam est Euthymij, & Bedæ. Hæc sunt quæ Doctores sentiunt. Quod autem ad primam sententiam spectat, improprie valde verborum significationem interpretatur, nec in Scriptura vnquam ruina hominum dicitur, peccatorum remissio, & expulsio; potius enim ruina est peccatorum, quam hominum. quod si aliquando dicitur homo cadere, quando peccatum expellit, id fit in peccatis quibusdam, per quæ homo se exaltabat, diciturque cadere non à peccato, sed ab illa altitudine, in quam per peccatum se extollebat: sic superbus dicitur cadere à superbia; sicque Hieronymus locutus est. at in alijs peccatis non ita fit. Quantum autem ad secundam sententiam verum quidem est Christum Iudicem esse, qui peccantibus damnatio-

Reijciuntur non nulle superiorum expositionum.

nem infert: tamen hoc non solum cum Iudæis, sed etiam cum gentibus efficit: ac hoc in loco particularis quedam ruina Iudæorum asseritur: positus, inquit, est in ruinam multorum in Israel. Adde non esse sermonem de iudicandi potestate, quam Christus non exercuit in primo suo aduentu, dum exitit apud nos, sed de eo, quod ipso præsentem factum est; multi enim ruerunt, multi surrexerunt. Quantum vero ad tertiam spectat interpretationem, verum quidem est, Iudæorum multos in eam incidisse ruinam propter incredulitatem in Christum, & huius meminit Saluator Math. 21. illis verbis, super quem ceciderit lapis, comminet eum. & Petrus 1. Epist. cap. 2. testimonio Isaiæ. 8. vtens, appellat Christum petram scandali, quia cecidit super eos, acerbissime illos puniens, & velut comminuens per Romanos. Vnde fuit vere illis in ruinam: tamen non huius meminit Simeon, sed alterius, nempe quia ceciderunt à fide, propter quam ruinam dicitur Christus lapis offensionis 1. Pet. 2. Longe enim aliud est lapis offensionis, & Petra scandali; Lapis enim offensionis est, in quem offendit homo, & cadit; Petra vero scandali est lapis ingens, cadens super hominem, qui solet comminuere, & conterere. Fuit quidem Christus verumque Iudæis. Primum lapis offensionis, quia non crediderunt in eum, & a fide aberrarunt, ac ceciderunt. Petra vero scandali, quia propter infidelitatem, & offensionem cecidit super eos puniens eos acerbissime.

Quo differant lapis offensionis, & petra scandali.

me. & recte lapis offensionis dicitur; lapis enim etiam paruum lapidem significat, quia offenderunt in Christi humilitatem, quæ apparuit in hoc sæculo: at petra ingens lapis est, quia post ascensionem, & exaltationem illos puniuit. Vere igitur est vtraque ruina: tamen prioris meminit Simeon, nempe ruinæ à fide. quod eo persuaderi potest, quia loquitur de eo, quod factum est, dum Christus in hoc erat sæculo. rursum quia opponit ruinam resurrectioni multorum, cumque resurrectio sit spiritualis ad fidem, gratiam, & statum filiorum Dei, ruina videtur spiritualis etiam. Vnde sententia quarta est omnium accommodatissima. Attende autem, recte Iudæos dictos ruisse in Christo; erant enim prius fideles, & credebant in venturum; at cum ipse venit, fides futuri conuertenda erat de præterito, seu præsentem, nempe credere eum, quem futurum sperabant, venisse: qui ergo hoc non crediderunt, fidem omnem amiserunt: nam credere venturum, qui iam venerat, fides esse non poterat, quia falsæ credere autem venisse noluerunt. ideo fide priuari sunt, dicunturque cecidisse ab ea fide, in qua prius stabant; Gentes vero quæ Euangelio non crediderunt, non dicuntur cecidisse à fide, quia eam non habebant, vt pote Idolis seruitutes, & verum Deum ignorantes. Quapropter Paulus 1. Corinth. 1. Christum dixit Scandalum, id est, ruinam, non Gentibus, sed Iudæis; hi enim soli stabant ante per fidem veri Dei, & venturi Christi.

Et in resurrectionem multorum in Israel.

C O M M E N T A R I A.

HOC est secundum, quod Simeon de Christo prænuunciat: positus, inquit, etiam est in multorum in Israel resurrectionem; sicut enim multi in eo ceciderunt per infidelitatem, veram fidem amittentes; sic etiam multi in Israel surrexerunt, quia credentes in eum in vera fide, statu mutato, perseuerabant, & qui in peccatis fuerant, cæteris in peccatis, & in infidelitate manentibus, mundabantur, & ad statum filiorum Dei ab illo seruitutis statu per Euangelium euehebantur. Ioan. 1. Quot quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomine eius. Non sic autem positus est Christus in resurrectionem, sicut in ruinam; ruinæ enim vitium incredulorum, & Christum non recipientium causa erat, qui occasionem ruinæ in eo sua eorum culpa acceperunt; at resurrectionis causa Christus fuit, non quidem necessaria, quasi quempiam ad credendum cogeret, sed efficax: libero tamen arbitrio credentium, & per fidem surgentium manente. qui ergo voluerunt in eum credere, surrexerunt; qui vero noluerunt, ceciderunt. Hanc vtramque sententiam Christus alijs verbis pronunciauit Ioan. 9. In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. Significans simplices, & indoctos in eum credidisse, & vidisse lumine fidei accepto; qui vero se doctos & sapientes existimabant, cæcos factos, & à fide antiqua cecidisse. ille genitiuus (Multorum in Israel) ad vtramque sententiam refertur, nempe positus est in ruinam multorum, & in resurrectionem etiam multorum, non quidem eorundem; quidam enim ceciderunt per infidelitatem, quidam vero alij per veram fidem surrexerunt.

Ioan. 9.

A N N O T A T I O L I I I I.

Resurrectio- nem hanc diuersimode Patres exponunt.

QUOD ad verbum spectat, Tertullian. lib. de carne Christi legit, positus est in suscitationem multorum, sensus idem est, ac in resurrectionem. Quod vero ad ipsum sensum pertinet, multipliciter variant Doctores in huius etiam interpretatione sententia. Primo quidem Origen. hom. 17. resurrectionem hanc refert ad eosdem, ad quos referebatur ruina; nempe, vt qui ruerunt in Christo, ijdemmet surrexerint, sicque interpretatur, ruerunt peccato, sed surrexerunt gratia, & iustitia; Christus enim

in hoc venit, vt ablatis peccatis iusti efficeremur. Peccatorum ergo ablatio ruina, iustitiæ vero acceptio, resurrectio dicitur, quæ ad eosdem pertinet; nemo enim surgit iustitiæ, nisi qui peccato cadit, & à peccato desinit. Titus etiam Bostrenus hanc interpretationem sequitur, & Hieronymus Ezech. 32. quem annotatione præcedenti citauimus; Sic enim habet. Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum; iacentes eleuat, & male erectos humilitate commutat. Hæc ille. Qui ergo iacentes per

per peccatum, eleuantur per gratiam, & ijdem quia male se erigebant, humiliantur per veram humilitatem, sicque ruunt, & surgunt; ruunt humilitate, surgunt iustitia. Hæc interpretatio ex eo procedit, quod ruina in bonam accipit partem, ut diximus in annotatione superiori. cum autem hoc fundamentum non sit firmum, ut ibi probatum est, consequitur resurrectionem ad alios pertinere, ut alij ruere, alij surgere dicantur. Secundo loco quidam recentiores genitium (multorum in Israel) non referunt ad præcedentem, sed ad solam resurrectionem, quasi per hoc significatum sit, paucos cecidisse, multos vero surrexisse. Quorum sententia præterquam quod est communi aduersaria, sibi etiam opponitur, nam plures significantur, quando absolute dicitur, erit in ruinam; absoluta enim sententia generalitatem indicat. pugnat etiam cum veritate, nam maior fuit numerus incredulorum, quam tunc credentium Christo, quod Paulus etiam significat Rom. 11. reliquias appellans eos, qui crediderunt respectu multitudinis non credentium. Reiecta ergo hac sententia, tertio loco Ambrosius sicut superiorem sententiam ad iudicium referebat, ita & hanc, ut sit sensus. Christus erit in ruinam, quia malis pro eorum demeritis inferet damnationem, bonis vero pro meritis præmium conferet, quæ sententia generalis est omnibus; quæ vero à Simeone profertur, particularis est Iudæis. Quarto loco, sunt Augustinus, Euthymius, & Beda. quos in superiori annotatione produximus, qui resurrectionem interpretantur spirituales, in quam Christus fuit creditus eum. Sicque videtur sensisse Greg. Nazian. orat. ad Cives Nazianzenos. Christus inquit in ruinam, & resurrectionem multorum positus est: in ruinam nimirum in-

Rom. 11.

credulis; in resurrectionem autem ijs, qui fide præditi sunt. & hæc est legitima expositio. Vnius tamen explicatione indiget, nimirum quare qui Christo crediderunt, surrexisse dicti sunt; si enim omnes in peccato prius essent, facile dici posset, surrexisse, quia à peccato in gratiam reuocati sunt. At quia non omnes erant peccatores: nam & Nathanael iustus erat, quando in Christum credidit; aliosque huiusmodi extitisse non est dubium, nam de Simeone nostro nemo id negare potest: idcirco explicandum est, cur omnes tam iusti quam peccatores, qui in eum crediderunt, surrexisse dicantur. In commentario hanc soluimus difficultatem; nimirum quia credentes in Christum potestatem acceperunt filios Dei fieri, ut Ioan. cap. 1. tradidit. Erat enim status legis illius seruorum, & timoris, ut habetur Rom. 8. Euangelium vero status dilectionis, & filiorum adoptionis Dei, per quod aperiuntur ianua Regni cælestis iustis, quæ illis erant prius clausa. idcirco eriguntur, & extolluntur in admirabilem, & excellentem dignitatem illi, qui in eum credunt, ut dici possint surrexisse; erant enim omnes prius sub elementis huius mundi seruientes; at cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, clamantem Abba pater. Hic videtur legitimus sensus illius Matth. 11. Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne: qui autem minor est in Regno cælorum, maior est illo. Ioannes enim sanctitate multos excelluit ex ijs, qui in Euangelio viuunt; at Christianus etiam multo sanctitate inferior, maior est illo, quantum ad statum; quia ille ad statum legis, Christianus ad statum Euangelij pertinet; ille seruorum, hic filiorum est. Christus ergo multis in Israel positus fuit in resurrectionem.

Quare surrexisse dicantur Iudæi, qui crediderunt in Christum.

Exponitur locus Matth. 11.

Et in signum cui contradicetur.

COMMENTARIA.

HOC est tertium, quod Simeon de Christo prænunciat, significans, nouam militiam spirituales, quam inuecturus erat in mundum, & persecutiones, quas passurus erat propter eam. Signum appellat vexillum, quod in exercitu erigitur, sub quo milites congregantur ad bellandum contra hostes. hoc Christus extulit, quando sua prædicatione, & doctrina Iudæos ad Euangelium cōuocauit, & quando Apostolos in mundum misit annunciare aduentum suum. Sicut igitur vexillis solent aduersari hostes, qui contraria sequuntur signa, & vexilla; ita Christus in hoc mundo, quando militiam suam instituit, habuit multos ex Iudæis, qui ei contradixerunt, ipsumque infecuti sunt. Positus ergo hic est in vexillum, cui contradicetur, id est, in vexillum contradictionis, & oppugnationis. Contradixerunt enim Iudæi doctrinæ eius, legis transgressorem, & populi seductorem eum esse dicentes. contradixerunt miraculis, Principi Dæmoniorum ea tribuentes. contradixerunt moribus, voracem, & vini potatorem vocantes. contradixerunt conuersationi, amicum publicanorum, & peccatorum accusantes. contradixerunt personæ, eum esse Samaritanum conuittantes, & à Deo esse negantes; at nihil effecerunt, nam hic positus, & firmus permansit in vexillum contradictionis, & sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. Habuit etiam contradictores, quando per Apostolos annunciatus est, & velut vexillum erectus in gentibus. act. 28. Quidam dixerunt Paulo: de secta hac certum est nobis, quod vbique contradicetur. Hoc vexillum prædixit Isaias cap. 11. Leuabit signum in Nationibus, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor ventis Terræ. & paulo ante: in illa die radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. Simeon vero de Iudæorum contradictione, quæ in personam Christi facta est, intelligere est visus, ut verba sequentia indicant. Militiæ autem nomine Euangelium Christi significari docet Paulus 2. Corinth. 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia. & Dominus ipse Luc. 11. cum fortis arma-

Personæ, doctrinæ, vitæ, & ceteris Christi rebus contradicendum fuit à Iudæis.

Isai. 11.

tus custodit atrium suum, in pace sunt in ea, quæ possidet; si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & vniuersa spolia eius distribuet. qui ergo contradicebant Domino, partes Aduersarij Diaboli agebant, & sectabantur.

ANNOTATIO LV.

Doctores diuersimode legunt superiora verba.

Patres diuersimode signum hoc exponunt.

QUOD ad verba attinet, Græce habetur (contradicetur) quod impersonaliter acceptum, & idem significat, ac signum contradictionis, cui ab alijs contradicetur. Tertullianus de carne Christi legit de futuro, & non (cui) sed (quod) nempe (signum quod contradicetur) vulgatus legit de futuro sic (cui contradicetur.) Sic etiam Aug. lib. qq. in Num. q. 36. & lib. 2. de consen. Euang. cap. 5. & Orig. hom. 17. in Luc. & Ambros. de fide resurre. legunt. in re autem non videtur discrimen, quous legatur modo. Quamuis ex recentioribus, quidam dictum de præfenti existimet, quia iam contradicentio ab Herode inchoata erat: tamen ad eam non videtur Simeon respexisse, sed ad illa, quæ ipso prædicante euentura erant. nec obstat Græce verbum esse præfentis; nam pro futuro ponitur, sicut illud supra: Quod nascetur ex te sanctum, Græce enim præfentis est temporis. Quod autem ad sensum spectat, varia est Doctorum interpretatio. Primo quidam Tertul. libro de carne Christi prope finem, signum hoc interpretatur illud, de quo Isa. 7. dictum est. Dominus ipse dabit vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet: conceptus ergo Virginis, & partus, miraculum, & signum fuit, cui à multis incredulis contradicentum est, qui Virginitatem, & in conceptione, & in partu negarunt. eandem expositionem sequitur Ambros. de fide resur. Secundo loco quidam incarnationem Christi, nimirum, quod Deus homo factus sit, signum exponunt, cui contradicentum est: cuius expositionis meminit Euthymius. Tertio loco Crucifixionem, seu Crucem signum hoc affirmant, quia amoris diuini erga humanum genus argumentum est: cui tamen quasi rei probrosæ contradicentum est; Christus enim crucifixus, gentibus stultitia, Iudæis scandalum fuit. meminit etiam Euthymius huius expositionis, & eam amplexus est Titus Bostrenus, Amphilocheus, & Chrysostr. in hom. de occurfu Domini, quæ habentur in homilia Domin. infra octauam Natiuit. de quo signo dictum esse Amphilocheus affirmat illud Matth. 12: signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ. Quarto loco Orig. hom. 17. Lucæ omnia hæc, & plurà complexus, totam Christi historiam dicit esse signum contradictionis. verba eius sunt. omnibus, quæ narrat historia de Salvatore, contenditur, Virgo Mater est, signum est, cui contradicetur; Marcionitæ contradicunt huic signo, & aiunt penitus eum de muliere non esse generatum. Ebionitæ contradicent signo, dicentes ex viro, & muliere ita natum esse, ut nos quoque nascimur. Habuit corpus humanum, & hoc signum est, cui contradicetur. Alij enim dicunt eum venisse de cælis: Alij tale, quale nos, corpus habuisse, ut per similitudinem corporis etiam nostra corpora redimeret à peccatis, & daret nobis spem resurrectionis. Resurrexit à mortuis, & hoc quoque signum est, cui contradicetur; quomodo resurrexit, & utrum ipse, & talis, qualis mortuus est, an certe in melioris substantiæ corpus surrexit, & est infinita contentio, alijs dicentibus, fixuram clauorum Thomæ ostendit in manibus suis, alijs è regione tractantibus, si idem corpus habuit, quomodo clausis ingressus est ostijs, &

& stetit? Vides igitur, quemadmodum argumentis varijs, etiam, & resurrectioni eius quæstio concitetur, ut sit signum, cui contradicetur; sunt enim & plures Hæretici, qui asserunt eum à Prophetis penitus non esse prædicatum. & quid eum necesse est plura profequi? omnia, quæ de eo narrat historia, signum est, cui contradicetur, non quod contradicant hi, qui credunt in eum, nos quippe scimus omnia vera esse, quæ scripta sunt; sed quia apud incredulos vniuersa, quæ scripta sunt de eo, signum sit, cui contradicetur. Hæc Orig. Omnes hæc quatuor Antiquorum expositiones veram continent doctrinam; tamen ad sensum præfentis prophetiæ non admodum facere videntur. loquitur enim Simeon de ipso Christo, quem persecuti erant Iudæi vsque ad interfectionem, quam verbo sequenti significat dicens: tuam ipsius animam pertransibit gladius. persecuti autem sunt eum propter doctrinam eius, quia se Messiam, seu Christum, filiumque Dei prædicabat, quod erat legis complementum, & Euangelici status initium. Vnde Christum assimilat signo, & vexillo, cui contradicentio fit, quodque ab aduersa parte oppugnatur: sic enim Iudæi contra nouam doctrinam salutis prædicantem insurrexerunt, & sagittas, & arma in eum direxerunt, donec eum morti traderent, & hic videtur sensus Simeonis. Quidam recentiores quinto loco signum pro portento interpretantur, Christumque in portento dicunt esse positum, quia noua, & insolita miracula fecit, quibus nouum aliquid portendebat; iuxta illud Isa 8. erit in signum, & portentum. Hic tamen locus potius est contra eos. Nam Septuaginta Interpretes distinctis vocabulis interpretati sunt illa (signum, & portentum) signum autem verterunt σημεῖον, portentum autem verterunt τέρατα, id est portenta: at Euangelista nunc vsus est priori σημεῖον. si autem significare voluisset portentum, non hoc vsus esset, sed illo. σημεῖον, autem vexillum etiam significare certum est. nam Isai. 11. leuabit signum in nationes, quod omnes interpretantur vexillum, & in Hebræo (דג) Septuaginta vertunt σημεῖον, quod sine dubio vexillum significat. Quidam alij sexto loco signum pro scopo interpretantur, ut Christus dicatur velut scopus, in quem sagittæ projici solent. iuxta illud Threno. 3. Posuit me quasi signum ad sagittam. & illud Iob. 16. Posuit me quasi signum sibi; sed huic expositioni obstant duo. Vnum est verbum sequens (cui contradicetur) non enim scopo contradicetur. Alterum est, quod etiam si Latine dicatur in illis locis (signum) tamen Septuaginta non vsi sunt verbo σημεῖον, quo vsus est Euangelista, nec hoc vocabulum Græcum significat scopum. Propterea omnium accommodatissima expositio visa est ea, quam in commentario sum secutus: veritas autem doctrinæ, quæ in omnibus expositionibus est, apparere facit eas omnes probabiles. Non ergo signum hoc in loco pro miraculo, nec pro prodigio, seu portento, nec pro scopo, sed pro vexillo accipitur, sumpta metaphora à vexillis, quæ in militia eriguntur, aduersus quæ multi ex aduerso insurgunt oppugnatores.

Quorundam recentiorum sententia rejicitur.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

COMMENTARIA

Hoc est quartum, quod Simeon praedicat, id autem ad filij mortem, & Beatæ Virginis cruciatum, doloremque animi spectat. Sensus autem est: eo perueniet contraditio facta in hunc Infantem, vt interficiatur gladio, qui tuam penetrabit animam dolore, quo afficeris, cum eum interfici ferro videbis. Ille ergo gladius, & ferrum, quod filium tuum corporaliter interficiet, tuam animam penetrabit, dum te summo dolore & cruciatu afficiet. Gladius hoc in loco est Crux, quæ corporalem mortem Christo intulit. Hæc dicitur animam Beatæ Matris pertransisse, quia doloris intimi de morte filij causa fuit. Solemus enim dicere, quando quispiam charus noster ense percussus obiit, ensis ille, qui corpus illius transfixit, animam meam penetravit. Prudenter autem Simeon non expresse mortem, & interfec-tionem Christi Matri indicauit, sed tacite insinuauit: gladius inquit tuam animam pertransibit, tacite sub intelligendo gladium filij. Illud autem (ipsius) ad Beatam Virginem refertur, habetque maiorem expressionem, tuam ipsius animam, ne quis existimaret animam filij dicere, quæ dicitur Matris per summam dilectionem eius, at non hanc sed ipsiusmet Beatæ Virginis significabat.

ANNOTATIO LVI.

Quod ad verba spectat, Græce habetur particula (autem) quasi dictum esset (& tuam autem animam) sic connectenda est sententia. hic positus est in signum, cui contradicentur, tuam autem animam gladius pertransibit. conuictio (&) auget, quasi dicat, etiam contraditio ad te modo quodam perueniet, quia animam tuam gladius pertransibit. Nos secuti sumus Vulgatam interpretem, apud quem non est particula (autem). Quod ad sensum spectat, multiplex est huius sententiæ expositio apud antiquos Patres, quorum sententiæ proponam, si prius duo, quæ facillime refelluntur, referam. vnum est Hugonis viri ppi, & docti, hic illud (ipsius) ad Christum refert, dupliciterque interpretatur hanc sententiam. Primo quidem, gladius nimirum passionis pertransibit animam ipsius, nempe Christi, quæ tuâ est per dilectionem magnam, quæ eum prosequitur. Secundo gladius passionis pertransibit animam tuam, quæ ipsius est Christi, præ dilectione, quam erga te habet. Ad animam ergo Christi refert gladium, & ad animam Beatæ Virginis, quia anima Christi dicitur B. Virginis, & anima B. Virginis dicitur Christi præ dilectione, vtraque expositio nititur falso fundamento, nempe illud (ipsius) ad Christum referri, quod verba Græca facile reiciunt; nam est relatiuum feminini generis, nec ad Christum referri potest, sed ad solam B. Virginem. Alterum, quod refellendum est, non ad opinionem, sed ad errorem spectat. Quiddam enim errant in hoc loco deducentes ex eo Beatæ Dei matris morte affectam gladio, & subisse martyrium. ita refert Timotheus presbyter Hierosolymitanus homil. de prophetia Simeonis, quæ habetur apud Surium; & in homiliario in festo Purificationis. Hanc autem doctrinam Ecclesia non recipit; non enim gladio materiali legimus B. Virginem absoluisse vitam, vt recte hoc in loco adnotauit Ambrosius & Hieronymus in sermone de assumptione beatæ Virginis nec ex verbo Simeonis id deducitur. si enim de morte temporali ageret, non diceret, gladius animam tuam, sed corpus pertransibit. Augustinus ser. 35. de sanctis. videtur hoc reliquisse sub dubio; quod tamè hodie communis sensus certum iam tenet. verba Augustini sunt hæc. Nec inuenitur apud Latinos aliquis tractatorum de eius morte quidquam dixisse aperte. nam illum Euangelij ver-

siculum, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, beatæ recordationis Ambrosius cum tractaret, ait. Nec historia, nec litera docet Mariam gladio vitam finisse. Hinc & Isidorus: incertum, inquit, est per hoc dictum, vtrum gladium spiritus, an gladium significet persecutionis. & quid de his, de quibus loquor, dicam: cum nec ipse, qui hanc accepit ante crucem Domini in sua, id est, Ioannes Euangelista de hoc posteris aliquid retinendum scriptis mandauerit? nullus enim hoc fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestare voluisset, quam ille, qui hanc nutrienda suscepit. restat ergo, vt homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Hæc ille. Eius tamen sententia non est probanda, cum ex B. Dionysio traditio habeatur certa de dormitione B. Virginis, quæ non fuit gladio materiali effecta, cuius ipsemet fuit testis, allegaturque, & probatur à Damasceno orat. de assumptione illius. His duobus relictis, ad parum sententiæ referendas, & considerandas deveniendum est. Primo igitur loco Origenes homil. 17. gladium hunc interpretatur anxiam ambiguitatem, & hæsitationem, quam tempore passionis habuit de filio suo, quasi dubia in fide, & hæsitans de virtute, & resurrectione ipsius, quæ hæsitatio in filij resurrectione liberata est. putat enim Origenes eam in filij passione scandalum passam fuisse, sicut & discipuli passi fuere. hanc expositionem receperunt Amphilechius in homilia de occur-su Domini, quæ habetur in homiliario in Domin. infra oct. Natiui. Domini. eandem persecutus est Titus Bostrenus in hoc loco. affirmantque B. Virginem de resurrectione filij dubitasse. & Auctor qq. veteris & noui testam. quæst. 73. qui ponderat illud (pertransibit, quia dubietas, & hæsitatio illa non permansit: nam resurgente filio recessit, & Beata Virgo confirmata est in fide, quæ ponderatio est parui momenti. nam verbum Græcum idem significat, quod (penetravit) seu transfixit. Ista expositio non est recipienda, vtpote parum consentanea virtuti fidei, & gratiæ amplitudini, quam Ecclesia de Beata Virgine considerat, quam nullum peccatum actuale, nec veniale quidem habuisse desinit Concilium Tridentinum. Hæc autem hæsitatio sine peccato esse non potuit, sicut hæsitatio discipulorum; immo grauius in ea esset, quia maiorem quam illi, acceperat gratiam, & fidem. in passio-

Quid Patres nomine gladij intellexerint.

Reiciuntur, qui sententiam deipara Christi non tenent, in fide dubitasse.

in passione ergo filij, eius fides nullam passa est tæ-tationem, nec dubitationem, nec cogitationem aduersam, sed sicut in dilectione vehementissima fuit, ita constantissima in fide. Patres vero, qui sententiæ Origenis fauere aliquo modo videntur, vt Chrysost. hom. de occur-su Domini, quæ habetur in homiliario, in Dominica infra octauam Nat. uitatis Domini. Basil. in epistola ad Optimum, quem citat D. Thom. 3. p. 9. ar. 4. ad 2. Damasc. 4. de fide c. 15. interpretantur aliqui cum D. Thom. in eodem loco, quasi dubitationem non infirmitatem fidei, sed rerum vifarum admirationem stuporemque appellauerint, quorum pietatem non possum non laudare. Secundo loco Hilarius in psal. 118. litera Gimel, gladium hunc interpretatur seueritatem diuini iudicij, quam subitura est Beata Virgo in die iudicij. cuius verba sunt hæc. An cum ex omni otioso verbo rationem sumus præstituri, diem iudicij concupiscimus, in quo nobis est ille indefectus ignis obeundus, in quo subeunda sunt illa grana expianda a peccatis animæ supplicia? Beatæ Mariæ animam gladius pertransiuit, vt reuelentur multorum cordium cogitationes; si enim in iudicij seueritatem capax illa Dei Virgo ventura est, quis audebit à Deo iudicari? Hæc ille. quæ etiam doctrina non est probanda; licet enim Beata Virgo sit iudicanda in vltimo, iudicium illud non adferet seueritate a, nec afflictionem vllam illi, quæ non solum nullum peccatum contraxit, sed plena omni gratia super omnes creaturas, Mater est ipsius iudicis, & omnium iudicandorum Regina & Domina. Quomodo ergo iudicij gladius, qui dolorem sua significatione indicat, animam illius penetraturus dici potuit? Non igitur sentiendum est cum Hilario in hoc, nec quantum ad expositionem, nec quantum ad doctrinam. Tertio loco Ambrosius in præsentis, & lib. 3. de Virginibus, gladium hunc interpretatur sermonem seu Verbum Dei, de quo scriptum dicit Hebræ. 4. vniuersum est, & efficax sermo Dei, & penetrabilior omni gladio accipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus. Hic penetravit Beatæ Virginis animam per fidem, & dilectionem excellentissimam, quam habuit. Hic tamen sensus magis spiritalis, quam literalis est, nec accommodari potest antecedentibus (cui contradicentur) nec sequentibus (vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes) quæ ad Christi passionem pertinent; immo nec ipsamet verba quadrant; loquitur enim de futuro, quasi de re, quæ nondum erat: at fides Beatæ Virginis iam animam eius penetrauerat, & à Spiritu sancto per Elisabeth erat commendata. Beata, inquit, quæ credidisti. Quarto igitur loco Timotheus presbyter Hierosolymitanus in hom. de prophetia Simeonis, paulo ante citata, gladium hunc interpretatur afflictionem, & dolorem, quæ passa est Beata Virgo, quando filium perdidit, de quo dictum est paulo inferius; Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. verba ipsius sunt; tuam ipsius animam pertransibit gladius, gladius, inquam doloris, gladius inquisitionis, per quem eum quærebatur, qui perierat. & post multa, inquit, afflictionem & dolorem, tamquam gladium animæ accipitem Simeon futurum videns præsignificauit, dicens: tuam ipsius animam pertransibit gladius, hoc est, paruo tempore dolore afficeris,

Reiciuntur secunda expositio.

Reiciuntur eorum sententia qui sententiam deiparam præ dolore vere mortuam iulisse.

& affigeris, & statim à dolore, & afflictione liberaberis. Hæc ille. quamuis autem verum sit, vehementissime Beatam Virginem tunc doluisse, vt vere gladius doloris animam eius pertransierit; tamen, non hunc prædixit Simeon. quod quidem duo persuadent. Vnum est verba sequentia (vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes) quæ huic interpretationi accommodari non possunt. Alterum est quia dolor & gladius hic non fuit solius Matris, sed communis etiam cum Ioseph. Ecce, inquit, Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Quinto igitur loco August. Epist. 59. ad Paulinum, qui eum de ea re interrogauerat epist. 58. præcedenti, gladium dolorem quidem, & cruciatum interpretatur cum præcedenti sententia; illum tamen, quem pertulit in filij passione. quam expositionem etiam sequitur Euthymius, & Beda in præsentis, & placet multis recentioribus. Et quidem verissima doctrina est, Beatam Virginem summo tunc dolore, & cruciatu affectam fuisse, conuenientibus summa eius dilectione erga filium, & multiplici, ac acerbissima filij passione; & tormento: tamen hic dolor, & cruciatu non videtur dici gladius; gladius enim potius est id, quod est causa doloris & cruciatu. Ideo sexto loco est expositio, quam in commentario amplexi sumus, nimirum gladium hunc fuisse eundem, qui fuit Christi; quod enim Christo intulit mortem: carnis, id ipsum Beatæ Virginis animam cruciatu summo affecte, nec est phrasis hæc ab Scriptura abhorrens, nam psalm. 104. de Ioseph ferreis compedibus ligato dicitur, ferrum pertransit animam eius, & vt in commentario diximus, vulgaris loquendi modus, ensis, qui occidit corpus amici vnus, cor alterius penetrasse dicitur. Non caret autem hæc expositio auctore dignissimo, nam sic interpretatus est Hieronymus serm. de assumpt. B. Virginis, cuius hæc sunt verba. Beata Dei Genitrix, quia spiritualiter passa est eius caro gladio passionis Christi, plusquam Martyr fuit. Hæc ille, explicans verbum Simeonis, tuam ipsius animam pertransibit. Nota passam esse Beatam Virginem gladio passionis Christi, spiritualiter tamen; idem enim gladius in Christo causa fuit passionis carnis corporaliter, in Beata Virgine causa passionis animæ. Hanc etiam secutus est Bernardus in sermone quodam de Beata Virgine, super verba Apocalyp. 12. signum magnum apparuit in celo, sic inquit: Vere tuam, o Beata Mater, animam gladius pertransiuit, alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filij tui penetraret. Hæc ille. Perpende gladium, quæ carnem Christi penetravit, hunc animam Beatæ Matris pertransisse, doloremque vehementissimo affectis, subdit Bernardus. Et quidem postquam emisit spiritum tuus ille Iesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius nec mortuo parceret, cui nocere non potest, aperuit latus, sed tuam vtiq; animam pertransiuit. Hæc ille. rursus adiungit post pauca. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille re vera, pertransiens animam, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus? Mulier ecce filius tuus. Hæc & alia Bernardus, quibus hanc nostram comprobatur expositionem, quam exillimo legitimam esse.

Que expositio probanda sit.

ANNOTATIO LVII.

PRO complemento eiusdem sententiæ explicandum est, quomodo gladius hic animam dicatur pertransisse, seu transfixisse. Quidam recentiores existimant Beatam Virginem in filij morte ita affectam fuisse dolore, vt animam exhalauerit, ac vere mortua fuerit huius doloris, ac compassionis vehementia, sicut gladius dicitur animam pertransiuisse. Ego non

solum non potui mihi vnquam hoc persuadere, sed etiam reputari doctrinam temerariam, & erroneam contra patres omnes antiquos, qui, vt ex eorum expositionibus allegatis constat, aperte sentierunt, Beatam Virginem non fuisse tunc mortuam. aduersatur etiam Scripturæ; nam iam iam mortuus Christus Virginem Virgini comendauit; Hic est filius tuus. Hæc est

Ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

COMMENTARIA.

HIC gladius, qui tuam animam transfiget, occasio erit, vt cogitationes multorum cordium, quae prius occultae erant, reuelentur, quod re vere euenit. nam multo tempore antequam Christus occideretur, illi Principes, & primi Iudaeorum in animo habebant eum interficere; timore tamen Plebis nihil in eum tentare ausi sunt. de quibus cogitationibus dictum est. Ioan. 5. querebant eum Iudaei interficere, quia patrem suum dicebat Deum. & Ioan. 7. quid me quaeritis interficere? Iudaei autem occultantes has suas cogitationes, responderunt, Daemonium habes, quis te quaerit interficere? Demum Ioan. 11. Cogitauerunt, inquit, vt interficerent eum. Has cogitationes rei euentus reuelauit. His verbis indicat Simeon mortem Christi futuram ex insidijs, & dolis Iudaeorum, & multo tempore praecogitatam ab eis. particula (vt) non finem, sed consecutionem significat, vt saepe in Scriptura fieri alias notauimus. Hae autem consecutio non ex eo, quod Beatae Virginis anima transfigenda praedicitur, sed ex ipso gladio, & passione filij intelligenda est, vt sit sensus; ita huic contradicetur, vt gladio sit interficiendus, qui & tuam pertransibit animam, & peruersas Iudaeorum cogitationes, quae occultae erant, manifestabit.

ANNOTATIO LVIII.

Variant Doctores, & in connectenda hac sententia cum praecedentibus; & in explicando, quae sit haec cogitationum reuelatio. Primo loco Origenes hom. 17. reuelationem hanc interpretatur confessionem peccatorum, qua qui peccauit, suum reterege peccatum ad penitentiam non veretur: connectere autem videtur, non cum Beatae Virginis dolore, sed cum passione, & cruce Christi, quae illi doloris fuit causa. Quae quidem crux caula futura dicitur, vt multi sua agnoscant; & fateantur peccata. Dura profecto, & a proposito aliena expositio videtur; non enim dictum est (Peccata) sed cogitationes cordium; confessio autem non tantum cogitationum, sed etiam operationum, & verborum fit. Secundo loco Hilarius in psal. 118. litera Gimel, cuius superioris meminimus. de reuelatione, quae ultimo iudicio fit, hanc intelligit sententiam, cui illud fauet. 1. Corint. 4. Quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. & illud Roman. 2. inuicem inter se cogitationibus accusantibus; aut etiam defendentibus in die, cum iudicabit Dominus occulta hominum secundum Euangelium meum per Christum. connectere autem videtur Hilarius non cum cruce, & passione Christi, sed cum transfixione animae Beatae Virginis, quasi in hunc sensum. si Beata Virgo subibit iudicium, & eius cogitationes reuelandae sunt, quanto magis caeteri omnes? nimis profecto violenta explicatio apparet, quam nec Hilarius adhibuisset, si commentarios in Lucam edidisset; saepe enim Doctores loca Scripturae aliquot ad suum propositum adducunt, sensus quosdam sequuntur, qui ad ea, quae pertractant, maxime, dum de moribus agunt, facere potius videntur, quam ad contextum Scripturae illius, sensumque literalem. quod aliquando Concionatoribus accidit. Tertio loco Augustinus epist. 59. ad Paulinum, prope finem, reuelationem hanc, eam esse dicit, qua insidiae Iudaeorum, & discipulorum Christi infirmitas, in eius passione patuerunt: illi enim suam nequitiam aperuerunt in Christo interficiendo; hi suam timiditatem manifestarunt fugiendo, quae expositio, vt paulo post dicam, probabilis est. Quarto loco Euthymius ad B. Virginis dolores refert, quasi ex eo; quod animam ipsius pertransibit gladius, futurum esset, vt multorum cordium

cogitationes reuelandae essent. Hanc autem reuelationem sic explicat. Multi inquit, attendentes ad ea tantum, quae diuinitatis Christi erant, suspicabantur eum tantum Deum esse, & Beatam Virgineam non esse matrem illius: intuentes autem eam in passione, tam amare dolentem, plurimumque lugentem, naturaeque cedere, crediderunt, quod mater eius esset, ei retegebant, & prodebant cogitationes cordium suorum, quae ex suspitione processerant. Haec ille. videtur autem ad huius rei quandam explicationem facere, quod 3. Reg. accidit Salomoni, qui contententibus duabus mulieribus de puero, utramque suum filium esse defendente, iussit puerum diuidi, & partem vni, partem alteri dari. quae autem vera mater erat, commota fuit miseratione filij, maluitque totum dari alteri, dummodo viueret filius. ex qua commiseratione Salomon eam veram fuisse matrem agnouit, & iudicauit. Quamuis autem hoc ita sit, expositio remotissima videtur, & incerta doctrina: non enim constat multos tunc extitisse tales, qui matrem Christi illam fuisse non crederent. Quinto loco Titus Bostrenus hanc sententiam ad immediate praecedentem referre videtur, & reuelationem multipliciter explicat, nimirum vt cunctis clare constet, qui ex omnibus ex animo eum dilexerint, eamque dilectionem constanter vsque ad mortem declarauerint: Qui rursum succata, minimeque syncerae fidei in eum exciterint, graueque scandalum propter crucem passi fuerint. Qui illum tandem in mortem tradiderint, crucisque eiusdem insultauerint. Hac ille. Sexto loco Beda ad omnia praecedentia refert. positus est in ruinam, & resurrectionem, & in signum, & caetera sicque interpretatur. Incertum, inquit, erat quondam, qui Iudaeorum gratiam Christi, quam venturam utique nouerant, recipere, qui autem respuere mallerant; at eius natiuitate audita, reuelatis mox cordium cogitationibus, Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo: pastores cum timore, & gaudio Deo laudem resonant, hominibusque pacis nuntium pandunt; eius autem doctrina, & virtute diffamata; alij ad eum quasi magistrum veritatis confluunt; alij ab eo quasi seductore refugiunt. Eius crucis signo erecto, hi quasi iuste morti datum blasphemantes irridents; illi, quasi vitae auctorem mori acriter dolent.

est Mater tua. Quod autem fingunt, reuixisse postea, praeterquam quod est audax praesumptio, inducere miracula absque vlla auctoritate, aut testimonio Scripturae, etiam non videtur accommodate, & conuenienter dici posse; si enim tunc reuixit, quomodo potuit viua subsistere, manente eadem causa doloris, nempe filij morte? nisi dicas post resurrectionem, animam ad corpus redisse, quod verbo Christi repugnat allegato. Ecce filius tuus; loco enim morientis Christi accepit Ioannem, vt nunquam Beata Virgo sine filio maneret, etiam in triduo illo. Superfluum existimo in impugnanda hac fictione plures rationes cumulare. Quidam alij temperatius loquentes, censent non mortuam, sed exanimatam fuisse praedolore, deliquiumque passam fuisse. Quae sententia magnitudini fidei, & fortitudini insigni B. Virginis repugnat: nam etiam si dolor fuerit acerbissimus, ea tamen fide Resurrectionis, ac animi robore, ac diuinae voluntati conformitate eminebat, vt imperturbato animo, & ratione perfecta semper constiterit. Quod eo comprobatur, quia post filij flagellationem, & crucifixionem, adhuc ita integra manebat, vt audire posset; Mulier ecce filius tuus, & quid dico audire, immo nouam, & quidem vehementem causam doloris recipere; hoc enim verbum Christi mirum in modum afflictionem Matris auxit, vt diximus in annotatione praecedenti, ex diuo Bernardo. Re. edant ergo istae recentes doctrinae, Beatam Virgineam inferentes; non enim sic animam eius pertransiit gladius, sed multo acerbius, & grauius: nam qui examinatur, aut cuius anima exhalatur, non sentit dolorem, aut hebetudinem sensus, & rationis stuporem minus percipit; At Beata Virgo imperturbata ratione, & sensu integro permansens, dolorem, & cruciatum supra id, quod dici potest, persensit, sicut de Christo etiam dicimus, quantum ad corporis dolores, quos maximos habuit; quia tactus carnis illius non fuit hebetatus, vt accidere solet ijs, qui frequentes percussiones accipiunt. Non est ergo aliud, gladium animam eius pertransiisse, quam vehementissime doluisse, & cruciatam fuisse filij passione, & morte. Nam psal. 104. dicitur ferrum pertransiisse animam Ioseph, nec propterea fingimus eum fuisse exanimatum, aut animam exhalasse. de hac doloris vehementia recte dicit Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. quos in partu, inquit, dolores effugerat, passionis tempore sustinuit, vt quae pro materno affectu viscera sibi lacerari senserit. Propter hoc Hieronymus serm. de assumptione Beatae Virginis, censet eam plusquam martyrem fuisse; inquit enim sic: Virgo Dei genitrix, & Martyr, & Virgo fuit, quae in pace vitam finierit. Hinc quoque quod vera passa sit, testatur Simeon propheta loquens ad eam: tuam ipsius animam pertransibit gladius. ex quo constat, quod supra martyrem fuit. Alij namque sancti, etsi passi sunt pro Christo in carne; tamen in anima, quia immortalis est, pati non potuerunt: Beata vero Dei genitrix, quia in ea parte passa est, quae impassibilis habetur, ideo (vt ita fatear) quia spiritualiter & eius caro passa est gladio passionis Christi, plusquam Martyr fuit. Vnde constat, quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit, in tantum, vt animam eius totam pertransiret. & possideret vis doloris ad testimonium eximiae dilectionis, quae quia mente passa est, plusquam Martyr fuit, nimirumque eius dilectio amplius fortis quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit. Haec ille. Bernardus etiam in illo sermone allegato in fine annotationis praecedentis, tuam, inquit, ergo pertransiit animam vis doloris, vt plusquam Martyrem merito praedicemus, in qua nimirum corporeae passionis sentium excesserit compassionis affe-

ctus; & paulo inferius respondens obiectioni cui-dam, inquit: sed forte quis dicat, nunquid non eum praecierat moriturum? & indubitanter. Nunquid non sperabat continuo resurrecturum? & fidenter. Super haec doluit crucifixum? & vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut vnde tibi haec sapientia, vt mireris plus Mariam compatientem, quam Mariae filium patientem? ille enim meri corpore potuit? ista corde commeri non potuit? fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit. Haec Bernardus, acute profecto, & docte. si enim non impediuisset, nec minuit dolorem carnis in Christo, celeris eius futura resurrectio, nec etiam impediuisset, nec minuit compassionis dolorem Matri fides resurrectionis cito futurae filij. Quantum autem dolor fuerit hic, quo Beata Virgo affecta sit, licet nemo perfecte explicare valeat: tamen ex nonnullis capitibus potest aliqua ex parte inuestigari. Primo ex obiecto ipso, super quo dolebat; erat enim filius vnicus, non qualiscumque, sed totus ipseus Matris; caeteri enim filij non ex matris solius, sed ex patris etiam substantia sunt: Christus autem secundum carnem ex sola Matre substantiam accepit, utpote Spiritus sancti opera conceptus. Vnde erat filius ipseus supra caeteros omnes. Quantum autem filiorum incommoda tangant matres, nemo ignorat. multo ergo magis tetigit passio Christi talem matrem. Secundo ex acerbitate passionis, quam filius patiebatur, quae tanta fuit, quanta nemo vnquam passus, aut passurus erat. Sperabat Pilatus dura, & saxea, seu potius ferina Iudaeorum corda aspectu Christi flagellati ad commiserandum prouocare. Quanta ergo compassio fuit matris, etiam post crucifixionem? Si feminas illas, quae non erant coniunctae ita permouit, vt super eum flerent, & lamentarentur, Lucae 23. quantum putabimus matri ipsi excitasse dolorem? Tertio ex praesentia, quia praesentem vidit filium in tormentis positum. Genes. 21. Agar non sustinuit Ismahelem puerum praesentem oculis cernere, sed recessit, ne videret; quantis ergo vulneribus cor Beatae Virginis laceratum esse credemus, quae proprijs oculis orientem, & patientem cernebat? experimur autem multos non posse ferre reorum crudelia tormenta absque graui passione; at Beata Virgo innocentem filium super omnes nocentes torqueri aspiciebat. Quarto a temporis longitudine; multum enim horum ab apprehensione vsque ad mortem intercessere. Quinto ex solitudine, quia consolantem non solum non habuit, sed etiam omnes experiebatur aduersarios, & super filij passione illudentes, & gaudentes; Discipulos Christi in fugam conuersos, Ioannem, & feminas paucas ita turbatas, vt consolatione egerent. Sexto quia horribiles blasphemias, & scelera Iudaeorum perpetrata contra Deum audiebat, quae eam summopere affligebant. Postremo ex dilectione vehementissima, qua Christum prosequabatur, quae quanto maior erat, tanto acerbioris passionis, & cruciatu causa ei fuit. Notat Gregorius hom. 3. Euang. vehementiam amoris, & dilectionis solere minueré corporis passiones, quod in Martyribus compertum est; quanto enim feruentius Deum, & Christum, propter quem patiebantur, diligebant minus ea saepe, quae patiebantur, sentiebant: at in Beata Virgine non sic, sed augebatur dolor compassionis, quanto erat maior eius dilectio: nam dilectio causa erat compatiendi, quantoque causa potentior est, tanto effectus fit maior, in quo filio patienti similis erat; in eo enim dilectio non minuit passionis vehementiam, vt in Martyribus, sed auxit. Multa alia dici in hac parte possent, instituto praesenti haec sufficiunt.

Vnde consuetudo doloris Mariae.

Genes. 21.

Dilectio qua in Martyribus minuebatur, in Maria augebat dolorem.

Deipara integra sensibus semper permanfit inter cruciatum filij.

Deipara plusquam Martyr fuit.

sed & vsque hodie, & vsque ad consummationem sæculi præsentis Ecclesiæ animam gladius durissimæ tribulationis pertransire non cessat, cum signo fidei ab improbis contradici, cum audito verbo multos iam Christo resurgere, sed plures à credulitate rure gemebundâ pertractat, cum reuelatis multorum cordium cogitationibus, ubi optimum Euangelij semine, ibi zizania vitiorum, vel plus iusto præualere, vel etiam, quod dictu graue est, sola germinare ac regnare conspiciunt. Hæc ille. Multa recentiores dicunt, quæ ex sententijs antiquorum decerpta sunt, sententiamque istam referunt ad illud (cui contradicetur) voluntque quasi per parentheses dictum (tuam animam gladius pertransibit) Mihi vero, quæ dixi in commentario, & partim cum Augustino consentiunt, visa sunt accommodatiora, ad quæ id me mouit, quod dicitur (reuelentur cogitationes:) tunc autem cogitationes reuelari dicuntur, quando præcesserunt cogitationes tales; incidere enim in nouas cogitationes, non est reuelari cogitationes. Hinc est quando discipuli scandalizati sunt in morte, & pas-

sione Domini, non posse dici eorum cogitationes tunc esse reuelatas, quia non cogitauerant prius in occulto, Christum deserere; si enim de eo deserendo prius cogitassent, reuelatæ cogitationes dicerentur, quando eo patiente fugerunt. Similiter eorum, qui in Christum venientem non crediderunt, non dicuntur cogitationes reuelatæ, quia non prius cogitauerant; aliud enim est probare animum alicuius, aut cor, aliud detegere cor; cogitationes ergo eorum dicuntur reuelatæ, qui prius cogitauerant Christum occidere: occultarunt tamen se, donec occasionem habuerunt eum occidendi, & morti tradendi. horum cogitationes reuelatæ sunt; fuit etiam cogitatio impia, & dolosa Iudæ reuelata, quæ prius latebat, & innotuit postea, quando Dominum tradidit. De his, & similibus dictum nunc est, ut reuelentur cogitationes multorum cordium: reuelatæ autem sunt non in eo, quod gladius pertransiuit animam Beatæ Virginis, sed in gladio ipso nempe Crucis, & passione Christi.

Erat Anna Prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser.

COMMENTARIA.

TEstimonio Simeonis mulier accedit, ut vterque sexus in Templo testificetur de eo, qui vtrumque sexum venerat saluare. sensus est: erat nimirum illis diebus in Hierusalem quædam mulier nomine Anna, quæ prophetiæ spiritum habebat, cuius pater appellabatur Phanuel de Tribu Aser. Propter historiæ enim certitudinem, & fidem conciliandam nomen eius proprium, ac patris, Tribusque referuntur, utque ab alijs, qui eodem nomine vocabantur, secerneretur. Spiritus autem prophetiæ, & nobilitas generis testimonium hominis commendat, & veracem esse ostendunt.

ANNOTATIO LIX.

NON improbabile mihi videtur, si quis dixerit hoc in loco illud (Prophetissa,) non tantum indicare Annam spiritum prophetiæ habuisse, sed etiam eo nomine communi voce fuisse nuncupatam, propter frequentem, & celebrem prophetandi usum; sæpe enim communia nomina per antonomasiam quandam propria fiunt: mouet me ad hoc

affirmandum, quod Euangelista nomini proprio coniunxit Prophetissæ vocem, ante nomen Patris, & ante cæteras qualitates, quasi eo nomine nuncuparetur, & communi voce Prophetissa per quandam excellentiam appellaretur. Quod quidem testimonium eius plurimum commendat.

Hæc processerat in diebus multis.

COMMENTARIA.

Aetas describitur, ut eius testimonium dignum fide constet. Processerat, inquit, in diebus multis. Hebraismus est, id est, erat valde prouectæ ætatis, & diu iam vixerat; ne enim iuuenili feruore ducta videretur, senectus eius describitur: est enim in senio maturitas, & prudentia, ideo senum testimonium plurimum commendatur. Daniel. 13. dicitur, credidit eis populus, quasi senibus.

Et vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua.

COMMENTARIA.

Notatur continentia, quæ etiam ad testimonium comprobandum plurimum facit; est enim argumentum hominis, passiones & affectus animi moderantis, quæ solent à vero, & honesto multum retrahere. hæc inquit semel nupsit, & quidem in prima pubertate sua, solisque septem annis cum viro permansit, quia mortuus est. illud (à virginitate sua) indicat tria, & quod semel nupsit, & quod in pubertatis annis viro fuit tradita; virginitatis enim nomen pubertatem hoc loco indicat; & quod virgo ante matrimonium erat: à virginitate ergo sua, & à prima pubertate, in qua virgo viro fuit tradita, septemque annis cum eo permansit. quod dictum est, ut continentia eius commendetur, quæ cum adolescens viro superstes esset, non alteri nupsit, sed vidua permansit.

Et hæc

Et hæc vidua usque ad annos octuaginta quatuor.

COMMENTARIA.

Prosequitur præcedentem sententiam, cum septem solis annis virum superstitem habuerit. Vidua facta innupta permansit reliquo vitæ tempore, quod ad octuagesimum quartum annum protractum est. continentia ergo eius commendabilis est; quæ virgo ante matrimonium fuit, & in matrimonio solum virum cognouit, & post matrimonium innupta permansit, & quidem multis annis, cum octuaginta quatuor vixerit, & in adolescentia orbata fuerit viro. quibus efficitur, ut eius sit dignum fide testimonium, & ipsa de Christo testificari meruerit, de qua Ambrosius sic inquit: Ideo Anna & stipendijs viduitatis, & moribus talibus inducitur, ut digna fuisse plane credatur, quæ Redemptorem omnium venisse nunciaret.

ANNOTATIO LX.

Illud (vsque ad annos octuaginta quatuor) Græcè legitur (circiter seu ferme annis octuaginta quatuor) habetur enim particula ὅς, vulgatus autem Interpres legisse videtur ἑός, id est, vsque. Est autem ambiguum an referatur ad viduitatem, nempe, ut vi-

dua permanserit annis hæc, ultra tempus virginittis, & matrimonij, an potius ad totum vitæ tempus. Ambrosius superiori modo interpretatur, posteriori Euthymius, & hunc secuti sumus, qui verbis Græcis accommodatior est.

Quæ non discedebat de Templo.

COMMENTARIA.

Religionem eius, ac pietatem erga Deum narrat. non, inquit, discedebat de Templo, non quod in templo habitaret, sed quod illud valde frequentaret, nec tempus vllum ex iis, quæ in templo Dei obsequijs impendi solent, prætermittet, sicut & Paulus ad Coloss. 1. dicit: Non cessamus pro vobis orantes.

Ieiunijs, & obsecrationibus seruans die ac nocte.

COMMENTARIA.

NON ociosa in templo erat, nec viduitatis tempore voluptati indulgebat, sed ieiunijs, & orationibus seruiebat Deo, nocte, ac die. obseruabat illud Dauidicum elogium: Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. coniungitur autem oratio ieiunio; ut enim ieiunio corpus, ita oratione mens Deo inseruit, ieiuniumque corpus aptum orationis instrumentum reddit, & oratio corporis abstinentiam reficit; vtrumque vero ad cultum Dei pertinet; non enim dicitur, quod seruiebat orationibus & ieiunijs, quasi illis operam daret, sed quasi per illa seruiret Deo. Vnde non dandi, sed instrumenti casus sunt illa duo, quibus respondet datiuus Græcus.

ANNOTATIO LXI.

FAlluntur ergo nostri temporis Hæretici, falso docentes ieiunium corporis esse mortificationem, non autem cultum Dei, nisi quatenus ad orationem refertur. at Euangelista contrarium docet, dicens, vtroque officio, nimirum ieiunio, & oratione Annam seruuisse Deo, nec vnum ad alterum refert. vn-

de Orig. hom. 17. sancta inquit mulier spiritum prophetandi meruit accipere, quia longa castitate, longisque ieiunijs ad hoc culmen ascenderat. & Cyprina. de oratio Domini, Annam ieiunijs, & orationibus Deum promeruisse testatur.

Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino.

COMMENTARIA.

Prosequitur historiam: Hæc, inquit, nempe mulier, qualis, & quanta descripta iam est, hæc eadem hora, quando Simeon in vlnis habebat Christum, & hymnum decantabat, superueniens, quasi eodem spiritu, quo Simeon, ducta, ut eius testimonio, suum etiam adiungeret, confitebatur Domino, id est, laudibus proferebatur Christum ipsum. habet autem verbum Græcum maiorem impressionem, quasi dictum esset, vicissim confitebatur, id est, Simeoni succinebat, & sicut ille confitebatur

fitabatur, confitebatur & ipsa. Particula enim Græca ἀνι, in compositione vicifitudinem indicat eius rei, quam verbum, cui adiungitur, significat, sicque Anna viciffim confitebatur cum Simeone.

A N N O T A T I O L X I I .

Triplex confitendi modus in Scriptura reperitur.

Confessionem triplicem in Scriptura legimus. Vna est laudis, de qua dicitur. Confitemini Domino, quoniam bonus. Altera gratiarum actionis; de qua illud est; Confitebor tibi Domine, quoniam exaudivisti me. Tertia est professionis, de qua Rom. 10. dicitur: Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum. & iterum: ore fit confessio ad salutem. Sunt in Scriptura multa testimonia harum confessionum. Titus Bostrenus, & Euthymius hanc Annæ confessionem interpretantur actionem gratiarum: agebat enim gra-

Dias omino pro beneficio aduentus Christi. Alij intel ligunt confessionem hanc, laudem; quia aduenientis Christi virtutes commendabat, sicque in commentario exposuimus; possumus etiam vere, & accommodate interpretari professionem, quia profitebatur illum, qui in vlnis Simeonis gestabatur, verum Christum esse; aut etiam omnibus his tribus modis Domino confitebatur, gratias agendo, laudando, profitendo, quod etiam Simeon fecerat.

Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.

C O M M E N T A R I A .

NON solum Domino confitebatur, sed & ijs, qui adstabant fideles, quique expectabant redemptionem Israel per Christum futuram, loquebatur de illo, annuncians eum esse Christum, & Messiam promissum, per quem expectata redemptio, & salus efficienda erat; & quæ prius prophetissa erat, facta iam Christi est Apostola. Hoc est vltimum testimonium Christi aduenientis, quod Euangelista multis præ-narratis adiunxit, de quibus compendio quodam Ambrosius inquit. non solum ab Angelis, & Prophetis, & à Pastoribus, & à Parentibus, sed etiam à Senioribus, & iustis generatio Domini accepit testimonium; omnis ætas, & vterque sexus, euentorumque miracula fidem astruunt: Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, ytero clausus exultat, vidua confitetur, Iustus expectat. Hæc ille.

A N N O T A T I O L X I I I .

Non omnes eodem modo superiorem sententiam legunt.

IN Græcis exemplaribus legitur (qui expectabant redemptionem in Hierusalē) vt significet Euangelista multos expectasse redemptionem hanc, præter eos, qui habitabant Hierusalē. Annam tamen non omnibus, sed his Christum annunciaffe. Sicque legit Euthymius. Quidam etiam vetusti codices habent. (redemptionem Hierusalē) Origenes tamen homi. 17. & Augustinus libr. 2. de consensu Euange. cap. 5. cum vulgato legit (Israel) ad redemptionemque refert, sicut paulo superius de Simeone dictum est, quod ipse expectabat consolationem Israel. Dices,

nonne omnes Iudæi expectabant? Respondeo, expectasse quidem omnes: tamen hoc in loco, sicut in superiori allegato, verbum expectandi, non solam spem significat, sed etiam quandam propinquitatem, vt expectasse dicantur, qui iam iam venturum Christum spectabant, quod ex fide perfecta procedebat, nec hoc solum, sed coniuncto etiam quodam desiderio aduentus ipsius, quod dilectionis erat. His igitur, quorum numerus quidam tunc temporis in templum confluerat, Anna annunciabat Christum;

Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilaam in Ciuitatem suam Nazareth.

C O M M E N T A R I A .

Completi omnibus, tam quæ ad purificationem Beatæ Virginis, quam quæ ad præsentationem, ac redemptionem Infantis, secundum legem præscripta erant; reuertuntur in Galilæam, & in ciuitatem suam Nazareth: quamuis enim oriundi à Bethlehem essent; tamen quia fixum iam diu domicilium in Nazareth habebant, ciuitas eorum dicta est.

A N N O T A T I O L X I I I I .

Qvæstio est, an postquam perfecerunt ea, quæ secundum legem erant, reuersi sint statim in Galilæam, & in ciuitatem Nazareth, an potius è Hierusalē prolekti sint in Aegyptum, dicente Angelo. Surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in

Aegyptum, quod Mattheus cap. 2. describit. sunt enim tres Doctorum sententiæ. Prima est Augustini libr. 2. de consensu Euangelistarū cap. 5. affirmantis. Postquam perfecerunt hæc, quæ narrata sunt in Hierusalē, tunc apparuisse Angelum monentem, vt in Aegy-

Quædo B. Maria cum infante fugerit, in Aegyptum.

Aegyptum fugerent, ideo è Hierusalē fugisse in Aegyptum, & post reditum impletum esse, quod dicit Euangelista noster (reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth) vnde nõ sunt hæc immediate, & cõsequenter facta, sed intercessit fuga in Aegyptum, quæ descripsit Mattheus, Lucas vero prætermisit. Secunda sententia est Euthymij, asserentis, hæc, quæ dicit Lucas, consequenter esse facta, nimirum impletis hisce, quæ legis erant, in Hierusalē, reuersos esse in Galilæam, & in ciuitatem Nazareth, ibique Angelum apparuisse, & monuisse fugam. vnde quod dicit Mattheus, secessit in partes Galilææ, & habitauit in ciuitate, quæ dicitur Nazareth, nõ est idem cum eo, quod Lucas narrat nũc (reuersi sunt in Galilæam) vt affirmat Augustinus, sed illud post reditum ab Aegypto, hoc post purificationem factum est. Tertia sententia est Epiphaniij hæres. 51. qui conuenit cum Euthymio in hoc, quod post purificationem redierint in Galilæam: tamen dissentit & ab Augustino, & ab Euthymio; existimat enim post duos annos Angelum apparuisse, & monuisse fugam. dicit enim post duos annos reuersos esse in Bethlehem, & tunc Ma-

gos venisse, & Angelum postea apparuisse, eosque fugisse in Aegyptum. quod quidem multos Doctores habet contrarios, qui tradunt Magos venisse ante purificationis dies, & non multis post diebus fugisse in Aegyptum, vt Augustinus, & Euthymius affirmant. de hac tamen re non est instituti præsentis longius disputare. Quod vero ad propositam difficultatem spectat, sententiam Augustini probabilem esse negare nemo potest. Mihi tamen probabilior visa est sententia Euthymij, quam Origenes hom. 18. indicat, & quæ accommodatior est verbis Euangelistæ, dicentis (vt perfecerunt omnia secundum legem, reuersi sunt in Galilæam) particula illa (vt) indicat consequentiam, quandam, & in continuatione temporis. quasi dictum esset, cum impleuerunt, quæ secundum legem erant, tunc reuersi sunt in Galilæam, vbi Angelus apparuit. videtur etiam, quædam conuenientia, vt redirent prius in Nazareth, vbi domicilium fixum habebant. Cum enim in Aegypto aliquot annis permanfuri essent, tempus, breue saltem datum est eis, vt quæ domi habebant, componerent, aut aliquid, quod ad tantum iter necessarium erat, inde acciperent.

Puer autem crescebat, & confortabatur.

C O M M E N T A R I A .

DESCRIPta Saluatoris infantia, tempus pueritiæ breui compendio absoluit. Cum autem Christi humanitas, & corpore, & anima constaret, quæ ad corpus pertinent præmittit: crescebat inquit Puer, nimirum corporis mole, & confortabatur, membrorum scilicet robore; temporis enim progressu, & statura procerior, & membra robustiora efficiebantur. in his enim similis nobis fieri dignatus est.

A N N O T A T I O L X V .

Non vna sententia, nec eadem omnium est superioris sententiæ interpretatio.

IN Græcis codicibus legis (confortabatur spiritu, sicque legit Epiphanius in Ancorato, & Euthymius. At vulgatus noster illud (spiritu) non habet, neque etiam Origenes homi. 17. & homi. 18. immo censet non legendum, discrimen in hoc ponens inter Ioannem Baptistam, & Christum. de illo namque scriptum est, confortabatur spiritu; de Christo vero non, sed confortabatur. plenus sapientia, cum vulgato, præter Origenem, legunt Cyrillus lib. de fide ad Reginas, & Titus Bostrenus: Ambrosi. lib. de incarnatio. Dominic. Sacrament. cap. 7. & Vigilii martyr libr. 2. contra Eutychem. & lib. 5. similiter & Gaudentius in responsione ad Paulum Diaconum, & Beda, quod argumẽto est, illud (spiritu) in alijs Græcis codicibus non reperiri, variaque fuisse exemplaria Græca, & forsã adiectum est ab aliquo, ex illo loco superiori de Ioanne Baptista. quid autem sit confortari, non eodẽ modo explicatur ab interpretibus. Primo igitur loco Orig. hom. 18. & 19. verbũ hoc ad frequentia refert, vt confortatio sit sapientia, & gratia in hunc sensum: confortabatur, quia nimirum implebatur sapientia, & gratia Dei erat super illum. Secundo loco Euthymius legens sic (confortabatur spi-

ritu) dupliciter interpretatur, vno modo, confortabatur, inquit, aduersus malitiam, spiritu, id est, diuinitate sibi vnita. alio modo, confortabatur spiritu sancto, quia sicut spiritu sancto superueniente incarnatus erat, ita per cooperationem illius conuersabatur, & cooperabatur. Tertio loco Cyrillus lib. de fide ad Reginas, & Titus Bostrenus ad membrorum robur, confortationem referunt in eum sensum, quem in Commentario secuti sumus, qui nobis accommodatior visus est; cũ enim Christi humanitas & corpore constaret, & anima, duobus verbis explicuit Euangelista, quæ ad corpus spectabant, nimirum crescebat, & confortabatur, sicut & duobus vsus est in ijs, quæ ad animam attinebant, nempe plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Verba Cyrilli ibi hunc Lucae locum interpretantis sunt hæc: Inanitionis conditioni vere congruere tribuimus corporale incrementum accipere. & etiã corroborari in particulis corporis paulatim solidantis. Hæc Cyrillus. Titus autem Bostrenus, secundum corpus inquit crescebat, & confortabatur, membrorum, nimirum robore, vna cum ipsa corporis mole adolefcente. Hæc ille.

Plenus Sapientia.

C O M M E N T A R I A .

HÆC cum sequenti sententia ad animam spectat. plenus, inquit, erat sapientia: non est autem dictum (& implebatur) sicut dictum est de corpore, crescebat, & confortabatur, sed dicitur plenus sapientia, vt animæ perfectio distincta indicaretur ab ea, quæ erat corporis; corpus quidem ad staturam perfectam, & membra ad soliditatem, & robur suum paulatim perducebantur; ideo crescebat, & confortabatur; anima vero Christi non sic ad perfectionem, quæ in sapientia, & gratia posita est, perducebatur, sed totam simul accepit sapientiæ plenitudinem ab

exordio ipso creationis suae, & vnionis cum diuinitate; idcirco plenus sapientia dicitur, quasi dictum esset, cum esset plenus sapientia, quantum ad animam: temporis tamen progressu corpore crescebat, & confortabatur. hoc peculiare Christo est; in caeteris enim & anima, & corpus paulatim ad suae perfectionis complementum perducuntur.

ANNOTATIO LXVI.

Quae lectio, & quae expositio hoc in loco probanda sit.

Græce loco (plenus) est participium passiuum praesentis temporis, vel imperfecti πληρης μενον, quod vertunt quidam recentiores, quasi loco verbi positum (& implebatur; immo Ambros. lib. de incar. Domin. sacra. cap. 7. legit (& implebatur) similiter Orig. homil. 18. & 19. & Gaudentius in responsione ad Paulum Diaconum; eamque significationem secuti sunt Titus Bostrenus, & Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas, cum aliis, eaque excitauit difficultatem, nempe qua ratione Christus dici potuerit impleri sapientiam; nam participium hoc indicat progressum, & motum ad plenitudinem sapientiae: non autem quod plenus ab exordio fuerit, variisque modis hanc rem doctores explicant, quos referemus in annotatione inferiori super illa verba (proficiebat sapientia, aetate, & gratia.) Quantum autem ad hunc locum spectat, Ambrosius loco citato de scientia humanitatis interpretatur, quam per sensum humano more Christum acquisisse dicit. Titus vero Bostrenus scientiam diuinam intelligit, quae non habuit progressum in se, sed in sui manifestatione; paulatim enim sapientia illa latens se prodebat, idque dicit nunc impleri, interpretatur. At vero quia vulgatus interpretis vertit, non quidem (& implebatur) sed (plenus) quasi non perductus sit Christus ad huius sapientiae perfectionem progressu temporis, sed simul ab exordia eam habuerit; idcirco huius lectionis rationem reddere tentabimus. In primis participia apud Graecos, sicut & apud Latinos pro nominibus saepe poni, nemo vel mediocriter in eo idiome versatus ignorat, traditumque est, & exemplis confirmatum ab Eustachio in primo Iliados. nihil ergo absurdi est, si hoc in loco participium πληρης μενον, positum pro nomine πληρης, dicamus cum vulgato interprete. Quod si quis dicat, id fieri non debere, nisi causa aliqua ad id nos cogat, id ego fatebor; causam vero

Lectio vulgaris hoc loco est amplectenda.

eam profero, quia si participij significationem recipimus, & vertamus (& implebatur) necesse erit fateri Christum sapientem progressu temporis factum: non autem a principio, ut dixit Ambrosius; quod quidem non esse recipiendum inferius estendimus in annotatione allegata. Nec aptari potest huic loco, quod Titus Bostrenus dicit, nempe sapientia impleri, non quod sapientia augmentum in se receperit, sed quantum ad ostensionem, quia videbatur Christus impleri sapientia paulatim, dum maiora quotidie sapientiae argumenta proferebat: haec tamen interpretatio non habet locum in praesenti: nam Euangelista loquitur de tempore infantiae Saluatoris, quando nec quantum ad ostensionem impleri dici potuit. hac ergo de causa vulgatus loco nominis participium positum censuit. Praeterea etiam si vim participij habeat; adhuc tamen non est vertendum verbo imperfecti temporis (& implebatur;) in sacris enim litteris hoc verbum πληρης μεναι, non motum ad plenitudinem, sed terminum plenitudinis significat, vel ut clarius dicam, non plenum fieri, sed plenum esse. extat enim exemplum Iosue 3. ο ο ιωρδανης ε πληρης το, non est sensus, Iordanis implebatur, sed plenus erat; ita etiam nunc (plenus erat sapientia) non autem (implebatur sapientia) dicendum est. fauet huic sensui, qui idem est cum praecedenti, nempe si participium pro nomine accipiatur, testimonium Ioan. 1. habitauit in nobis, plenum gratiae, & veritatis. plenitudo haec veritatis, & gratiae fuit simul cum habitatione: habitasse autem nemo non videt ab exordio incarnationis. igitur ab eo tempore fuit plenitudo sapientiae. hunc sensum aduertentes Vigilius lib. 2. contra Eutychem, legit, confortabatur, repletus sapientia: quo verbo expressit terminum plenitudinis. Verum ergo sensum vulgatus obseruauit, quem in Commentario secuti sumus.

Et gratia Dei erat cum illo.

COMMENTARIA.

HAEC etiam sententia ad animam spectat. gratia, inquit, Dei erat in illo, non quidem quae progressu temporis ad perfectionem perduceretur; sed quae ab exordio tota fuit, sicut & sapientia. Dicitur autem gratia Dei ad distinctionem: nam etiam est gratia hominum, quae nos gratos facit hominibus. Est autem gratia haec, qua non solum ille homo charus, & Deo gratus erat, quaque ad omne bonum faciendum, malumque cauendum roborabatur; sed etiam a qua omnis gratia in omnes homines deriuatur: nam de plenitudine eius omnes accepimus. Respondent autem haec duo, sapientia & gratia, duobus praedictis de corpore, nimirum, crescebat, & confortabatur: nam sapientiae plenitudo staturae perfectae corporis, & gratia membrorum robori comparatur; Christo enim ad munus suum obeundum erat necessaria, quoniam venit docere, & conciliare nos Deo. Plenus igitur sapientia est, ut Doctor, & gratia Dei erat in illo, ut Mediator inter Deum, & homines. Merito autem Euangelista noster gratiae, & sapientiae meminit; narraturus enim proxime erat opus Christi, quod a sapientia & gratia procedebat, nempe quando Doctoribus in Templo diuinæ suae lucis radios quosdam emisit, eosque in stuporem permouit.

ANNOTATIO LXVII.

CYRILLUS lib. de recta fide ad Reginas, hunc locum Lucae adferens, interpretatur illud (Dei) in hunc sensum, gratiam Dei esse in Christo, id est, ut decet Deum; erat enim ille homo Deus. Simile illud est Ioan. 1. Gloriam quasi vnigeniti a Patre, id est, ut decet Vnigenitum. hoc recte quidem dicitur: tamen ad sensum magis facere videtur, si positum dicamus ad distinctionem. nam & est gratia hominum, ut dictum est in commentario. Quod autem ad verba spectat, Ambros. lib. de incarnatione Dom. sacra. cap. 7. legit (gratia Dei erat cum illo.) Origenes autem hom. 18. & Vigilius lib. 2. contra Eutychem, legunt (gratia Dei erat super eum) Vulgatus noster vertit (erat in illo.) Et re vera gratia Dei vere dicitur esse cum homine, super hominem, & in homine, diuersis tamen rationibus. in homine quidem, quia ei inest, sicut scientia, & virtutes dicuntur esse in homine, quia ei insunt; gratia enim donum Dei est infusum hominibus; dicitur cum homine, quia cooperatur homini, & ad recte, & sancte operandum adiuuat. iuxta illud 1. Corinth. 15. Abundantius illis omnibus laboraui, non autem ego, sed gratia Dei mecum. Dicitur etiam super hominem, quia non ex hominibus est, aut ex naturalibus principijs, aut virtute eorum, sed desuper a Deo concessa supernaturaliter. Sic etiam dici potuit gratia Dei in eo, id est, in humanitate, super eum, & cum eo, in eo quidem, quia anima Christi infusa erat; cum eo, quia cooperabatur ipsi; super eum, quia super naturam humanitatis. At vero haec omnia non sunt dicta de Christo, sicut de caeteris hominibus. Nam gratia humanitati Christi concessa emanabat a diuinitate, cui erat vnita; erat enim natura illa non humano supposito, sed diuino sustentata; ideo gratia a supposito, cui adhaerebat, emanabat in ipsam: non sic in nobis, qui proprijs sustentamur suppositis: vnde erat super eum gratia, si nudam humanitatem respicias, sed non super eum, si totum consideres Christum, nempe suppositum, siue personam.

Gratia Dei in homine cum homine, & super hominem esse dicitur.

diuinam, habentem naturam humanam; erit enim ille homo, non purus homo, sed Deus, & homo. Eadem etiam ratione dicitur esse cum eo gratia, non ut nobiscum: nam Deus, qui gratiam illam conferuabat, & per eam operabatur, & cooperabatur humanitati, coniunctus erat ipsi: at nobis non est coniunctus, quasi nobis vnatur in supposito. Vnde recte Theologi dicunt, humanitatem Christi esse velut instrumentum coniunctum; nos vero ut instrumentum separatum Dei. Est autem instrumentum coniunctum, quod operanti coniungitur, & vnitur, ut manus corpori; separatum vero, quod non vnitur, ut calamus manui. Haec omnia dicta sunt, ut veritatem locutionum, quas Patres tradiderunt, & explicem, & defendam. In praesenti autem loco omnium accommodatissima lectio est, quam vulgatus habet, nempe gratia Dei erat in illo. nam haec locutio exprimit perfectum sensum Euangelistae, & rem ipsam: nam gratia non solum erat in Christo modis praedictis, sed etiam tanquam in causa, & fonte, ac principio, a quo deriuanda erat in homines. Gratia enim ipsius causa fuit gratiae omnium nostrum, quia ipse est, qui nos Patri, & Deo reconciliauit, & gratos fecit. erat igitur gratia Dei in ipso; haec enim phrasid in Scriptura causam efficientem indicat. Ioan. 1. In ipso vita erat, id est, ipse causa vitae nostrae est. Act. 4. Non est in aliquo alio salus, id est, nemo alius est causa salutis. ita nunc gratia Dei erat in illo, non solum quia in ipso erat, sed etiam, quia ipse erat causa, per quem omnes grati Deo efficiendi eramus. Ephes. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo. Hinc facile est dubitationi cuidam satisfacere. posset enim quispiam interrogare, cur sicut dictum est, plenus sapientia, non etiam simul dictum est (& gratia) nimirum (plenus) Respondeo hanc locutionem, gratia Dei erat in illo, explicuisse, Christum causam esse nos Deo gratificandi, & reconciliandi, quod fuit praecipuum eius munus. id autem non sic exprimebatur illo dicendi genere.

Qua ratione Gratia Dei in Christo esse dicatur.

Ioannes 1. Act. 4.

Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solemni Pascha.

COMMENTARIA.

DE Saluatoris pueritia, vsque ad annum eius duodecimum nihil aliud Euangelista narrat praeter hoc, quod Parentes eius singulis annis ascendebant de Galilaea in Hierusalem ad celebrandum Pascha; sic enim praeeperat Dominus. Deutero. 16. hoc autem refert Euangelista, ut connectat historiam de Christo remanente in Hierusalem, quod huius ascensus occasione in duodecimo aetatis eius anno factum est.

ANNOTATIO LXVIII.

De praeepto ascendendi in Hierusalem tribus anni solemnitatibus.

PRaeceptum erat Domini Exo. 23. & Deuteron. 16. tale. Tribus, inquit, vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit: in solemnitatem Azymorum; in solemnitatem Hebdomadarum: & in solemnitatem Tabernaculorum. tenebantur ergo Iudaei ter in anno ascendere in Templum. Euangelista de primo ascensu meminit, quando in Paschate ascendebant ad celebrandum festum agni, & Azymorum. quamuis autem hoc praeeptum non obligaret feminas, sed solos mascululos: non tamen prohibebantur illarum deuotionis causa etiam ascendere. Virgo ergo pientissima, & deuotissima cum Ioseph & Puero Iesu ad Templum singulis annis ascendebat. Euangelista non expresse dixit, parentes cum Puero ascendisse singulis annis; id tamen insinuauit. Neque enim verisimile

est utroque parente eunte in Hierusalem, puerum solum remansisse, id etiam affirmat Beda, & Iuuenicus, qui sic ait. Ad templum latis puerum perducere festis, omnibus annorum vicibus de more solebant. Inquirunt recentiores quidam, cur non etiam ascendebant in alijs duabus solemnitatibus; respondentque id factum esse, quia longe distabant a Hierusalem, itinere nempe trium dierum. quo casu dispensabatur in illis duabus solemnitatibus; non tamen in tertia, scilicet Paschate, quae maxima erat, & omnino prohibebatur paschalem agnum edere extra Hierusalem, ut habetur Deuter. 16. Haec responsio non videtur probanda: non enim Euangelista negat, etiam alijs duabus solemnitatibus ascendisse; sed solum refert ascendisse in festo Paschae, quod ea de causa meminit: quia quae narraturus erat, hoc tempore, & hac occa-

occasione venerunt, ceteras vero sollempnitates prætermisit, quæ ad hoc non spectabant. non autem licet inde colligere in illis sollempnitatibus non venisse in Hierusalem. non enim, quia Euangelista non narrat, ideo non fuit, cum sciamus non omnia Euangelistas narrasse.

Quomodo autem sint ascendere in Hierusalem, vivente adhuc Archelao.

Quomodo autem sint ascendere in Hierusalem, vivente adhuc Archelao.

Maiores difficultates est, quam movet Augustinus lib. 2. de consens. Evangelist. cap. 10. nimirum cum reuerfi de Aegypto timentes Archelau regnantem in Iudæa, recesserint in Galilæam, quomodo autem sint ascendere in Hierusalem, cum Archelao adhuc regnaret? Respondet dupliciter. Vno modo loqui Evangelistam de annis post relegatum Archelao. Altero modo quod etiam si regnaret ille, ascendebant adhuc præferentes timorem Domini timori illius. eo præsertim, quia fieri poterat, ut per diem festum, inter tam ingentem turbam latenter ascenderent, mox reuersuri: ubi tamen alijs diebus habitare metuerent, ut ne sollempnitate prætermiffa essent irreligiosi, nec

continua mansione conspicui. Hæc Augustinus. Prior solutio non est multum probabilis, constat enim ex Ioseph lib. 17. antiqui. cap. 15. post Herodem, Archelao regnasse, antequam relegaretur, decem annis in Iudæa. Vnde necesse erat illius tempore ascendisse beatam Virginem cum Ioseph; maxime cum Euangelista generaliter dicat per omnes annos ascendisse in templum. Posterior solutio vera est, quamuis facile dici posset, reuertentem Ioseph de Aegypto timuisse ire in Iudæam habitandi causa, nunc autem dicitur venisse in Hierusalem, non ut habitaret, sed ut paucis moraretur diebus. in continua autem habitatione facile deprehendi ab Archelao posset, non autem in tam breui mora, præsertim in tanta multitudine confluyente vndique Iudæorum. Illud vero sine controuersia est, annis, quibus in Aegypto commorati sunt, non ascendisse Hierosolymam. Lucas enim supponit totam historiam Magorum, & fugam in Aegyptum, quam Matthæus narrat.

Et cum factus esset annorum duodecim, ascendit illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi.

COMMENTARIA.

Suspensa est sententia vsque ad illud (remanfit puer in Hierusalem) est enim contextus hic, cum esset annorum duodecim, & illi ascenderent in Hierusalem, & perfectis omnibus redirent, remansit ille solus ignorantibus Parentibus. tacite insinuat cum illis etiam eum ascendisse: dicuntur ascendisse secundum consuetudinem diei festi, id est, ut solebant ascendere, cum dies festus Paschæ adueniebat. quod ideo positum est, ut ascensionis huius causa, & tempus significaretur: multis enim alijs de causis, & varijs temporibus de Galilæa in Hierusalem ascendi poterat.

Consummatisque diebus, cum redirent.

COMMENTARIA.

Septem dies erant Azymorum, ut habetur Leui. 23. & Deuter. 16. nec ante redierunt, quam omnes celebrassent pro insigni Religione, & pietate sua, cumque iter, festi celebrandi causa, tantum susceptum esset, eo peracto tempore in Galilæam redire.

Remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius.

COMMENTARIA.

Nescientibus Parentibus, & reuertentibus in Galilæam, remansit solus IESVS in Hierusalem, non errore, aut casu, sed certo consilio; non etiam ex inobedientia, sed ut ostenderet, quale esset suum officium, ad quod peragendum à Patre missus erat. Quomodo autem Parentes ignorare potuerint, verba sequentia indicant, existimabant illum esse in comitatu, id est, cum comitibus eiusdem viæ, aut cum cognatis, & notis.

ANNOTATIO LXIX.

Gratia exemplaria non habent (non cognouerunt parentes eius) sed (non cognouit Ioseph, nec Mater eius) sicque legit Euthymius. At vulgatus Interpres habet (non cognouerunt parentes eius) sicque legit Origenes hom. 19. & Hieronymus aduersus Heluidium, & Beda. Sicque Euangelista eos in hoc capite appellauit (cum inducerent, inquit, Puerum parentes eius) Rursus, ibant Parentes eius per omnes annos, quamuis enim Ioseph non fuerit verus pater Christi: tamen ut supra diximus, Pater reputabatur. adiunximus etiam alias causas, cur pater dictus sit. Adnotat in hoc loco Beda consuetudinem tunc fuisse, ut venientes ad festiuitates, sic iter

facerent, ut viri viris, feminae feminis coniungerentur, Pueris vero tam his, quam illis copulari liceret, hacque de causa parentes ignorauerunt Iesum remansisse; putabat enim beata Virgo illum cum Ioseph venire; Ioseph vero contra putabat venire cum Matre. hoc tamen nullo probabili fundamento nititur, immo Euangelista aliter sensisse videtur; nam dicit putasse parentes illum venire in comitatu, id est, viæ socijs, notis, & cognatis. Non immerito autem posset quispiam interrogare, quare Christus parentibus inconsultis, immo & nescientibus remanserit in Hierusalem. Euthymius respondet hoc factum esse diuina prouidentia, ne si scirent, prohiberent eum quasi

Quare Christus inconsultis Mariæ, & Ioseph remanserit in templo.

quasi puerum, & sine literis (remanerat enim ut Doctoribus colloqueretur) Hæc responsio non videtur probanda, qua parte dicit parentes prohibuitur Christum committere se Doctoribus ob pueritiam, & quia sine literis erat; sciebant enim ipsum Deum esse, & de Spiritu sancto conceptum plenum gratiæ, & veritatis. vnde exilimare non poterant eum ineptum, & ignorantem, Beda aliter responderet, nimirum remansisse illis ignorantibus, ut ostenderet Christum se alium Patrem habere verum in cælis. Hæc etiam responsio non omnino perfecta est: nam nec hoc ignorabant Beata Virgo & Ioseph, qui illum filium Dei credebant, legitimam responsionem huius difficultatis ipsemet Christus docuit verbis paulo inferius subiunctis, quando dixit, in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse. In cuius declarationem aduerte, Christi operationes in duplici fuisse differentia; quædam enim communes, quas ut homo operabatur, sicut & ceteri homines; non enim otiosus inter nos fuit, nec singularis, sed multa faciebat, sicut solent homines facere: quædam erant propriæ, quæ ut Redemptor faciebat, & quæ ad diuinitatem eius magis pertinebant, ut docere, miracula facere, discipulos conuocare, & alia huiusmodi, quæ patris opera appellauit, ob eas rationes, quas in loci citati explicatione adferemus. inter has operationes, vnum inter alia discrimen erat, quod in communibus voluit subijci parentibus, & illis obedire, sicut & ceteri homines, non quidem necessitate, sed voluntate, ut etiam inferius declarabitur. in proprijs vero soli æterno patri subditus erat, nec tales operationes ad parentum natum, sed ad Dei patris voluntatem, & præceptum faciebat, quod adultus iam factus sæpe declarauit. Ioann. 2. de miraculo conuersionis aquæ in vinum loquens, respondit Matri, nondum venit hora mea. & Matth. 13. verbum Dei prædicans, interpellare volenti ob Matris præsentiam: Ecce, inquit, Mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te: respondit: quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? significans se in his operationibus non depen-

Operationum Christi quædam cum alijs hominibus communes, quædam Redemptoris propriæ erant.

Ioan. 2.

Matth. 13.

dere à matre, nec à carne, & sanguine, sed à solo patre. ob id subiunxit: Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Hoc est mysterium, quod præfenti facto significare voluit. Doctoribus enim se committere, eos interrogare, & audire, & respondere, & cum illis colloqui, opus erat non commune, sed proprium, quod ex officio suo ei incumbebat; erat enim quoddam genus prædicandi aduentum eius. Idcirco non in eo matri, aut Ioseph subiectus erat, sed æterno patri. Voluit ergo nescientibus parentibus remanere, ut qui in multis hæcenus parentibus obedierat, significaret se habere quædam alia, in quibus non ipsis subdebat, sed patri cælesti. atque hæc est causa, cur non requisit eorum consensum, ne videretur in his pendere ab illis. Eadem etiam de causa non expectauit ætatem adultam, ut hoc faceret, sed cum duodecim annorum esset, id effecit, quia hoc tempus est, quando maior est obedientia filiorum ad parentes; ante enim duodecimum annum puerorum opera sunt velut infantia, quæ non dicitur perfecto arbitrio, sed velut necessitate quadam. ideo non apparet perfecte obedientia in illis, ac iam in duodecimo anno arbitrium perfectum est, & obedientia eo tempore perfecta esse potest. In adultis autem videtur quædam libertas, & quasi iuris sui sunt in multis. Electum ergo est tempus hoc, in quo magis obedire debere videbatur, ut ostenderet se in his, quæ propria habebat, non subdi parentibus, sed Deo, cuius erat filius; atque hæc mihi videtur causa, cur remanserit parentibus non cognoscentibus. In sequentibus hæc & alia in hoc mysterio explicabuntur. Significare etiam voluit salutem spiritualem proximorum præponendam commodo temporali proprio, ac carni, & sanguini, idcirco ut alios intrueret, propriam deseruit matrem, hanc causam indicat Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, ubi hunc locum edifferens, fidem inquit, præposuit carni, & sanguini.

Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei.

COMMENTARIA.

Prosequitur historiam; Iesu remante in Hierusalem, parentes inde profecti confecerunt iter vnus diei, existimantes illum venire in comitatu, id est, cum socijs, & comitibus eiusdem itineris; non enim soli venerant, sed cum amicis, & notis, cum quibus Christum venire arbitrantes, integrum diem in itinere consumpserunt; non cognoscentes remansisse solum eum in Hierusalem. Quod ergo non cognouissent parentes illum remansisse, causa fuit, quia existimarunt illum venire cum comitibus.

ANNOTATIO LXX.

Quomodo Maria per diem integrum filium in itinere non vidit.

Non caret admiratione, quod Beata Virgo, quæ summe diligebat filium, sustinuerit per integrum diem eius priuari præsentia, maxime cum ille in ætate tam tenera esset, & in itinere extra patriam, & habitationem propriam, quod vix communes matres ferrent. inuestigandæ igitur huius causæ sunt, cuius quæ mihi videntur. Vna est diuina prouidentia, quæ sic disposuit, & ordinauit. Altera est reuerentia, & veneratio, qua beata Mater filium suum, quem etsi paruum ætate carnis, Deum tamen esse non ignorabat, idcirco eius arbitrio multa permittebat, secura, nihil inde præter illius voluntatem ouenturum. His etiam accedat consuetudo illius

tunc temporis, ut ex Euangelistæ verbis constat; comites enim viæ multi erant, & quidam præire, quidam sequi solebant vsque ad terminum diei, quando conueniebant ad diuertendum in locum quietis; solebant etiam paruuli accedere notis, & amicis, aut sponte, aut ab ipsis tracti. Noluisset ergo piissima Mater negare filio, quod suis etiam filijs aliarum matrum concedebant, non ex amoris erga eos tepiditate, sed potius ex vehementia, nolentes illorum votis contradicere. his forsan de causis Beata Virgo integro die à filio abfuit, quod non vlli negligentia, sed amoris, & reuerentiæ est adscribendum.

Et requirebant eum inter cognatos, & notos

C O M M E N T A R I A.

Splendum est, quod Euangelista non expressit, sed insinuauit, nempe non inuentum esse à parentibus in comitatu, siue apud viæ comites, & socios, ideo requirebant eum inter cognatos, & notos, si forsàn cum eis venisset. Quanto putas dolore, & timore cor Beatæ Virginis concuti incepit, quando in comitatu filium non inuenit? quantaque sollicitudine ad cognatos, & notos recurrit?

Et non inuenientes regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum.

C O M M E N T A R I A.

Eo non inuento reuertuntur in Hierusalem, ibi illum remansisse arbitantes; certi enim erant eum non præisse, iterque ante eos profectum esse, cum iam esset finis diei, cæterique mansionibus, & hospitij incumbere. quod argumento est, Beatam Virginem sedulam in itinere conficiendo fuisse, integrumque diei iter, quod cæteri conficere solebant, confecisse; aliter enim dubitasset, an filius longius cum alijs processisset. Existimandum est Beatam Virginem cum Ioseph non quiescisse, sed Christo in fine diei non inuento, iter statim arripuisse in Hierusalem, corpore nimium defessam, & animo vehementer afflictam.

A N N O T A T I O LXXI.

Reijciuntur Doctores, qui sentiunt Mariam & Ioseph infantem quem hinc, existimantes alio transmigrasse, aut in caelos ascendisse.

Dubitationis est non modica, quomodo parentes quæserunt Christum; ex hoc enim dependet intelligentia sequentium sententiarum. Origenes, hom. 19. cenlet non idcirco quæsiisse, quia putarent illum aberrasse à via, aut perijsse, sed quærebant eum, inquit, ne forte discessisset ab eis, ne relinquens eos ad alia transmigrasset, aut quod magis puto, ne reuertisset ad caelos, cum illi placuisset, iterum descensurus; nec enim poterat accidere, vt Maria, quæ sciebat se de Spiritu sancto concepisse, quæ & Angelum loquentem, & currentes pastores, & Simeonem audierat prophetantem, timeret, ne puerum perderet oberrantem. Hæc Origenes; adfertque exemplum: Quomodo, inquit, vt si quando Scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore quodam, non quod Scripturas errasse, aut perperam quid habere arbitris, sed quod illæ intrinsicè habeant veritatis sermonem, & rationem, & tu nequeas inuenire, quod verum est, ita, & illi quærebant. Titus Bostrenus in eadem est sententia, cuius verba sunt; Nunquid obsecro quærebant eum tamquam qui perijsset, aut ab itinere, vt pueri solent, aberrasset? absit: neque enim sapientissimæ Virgini matri, cui plurimam iam ante de eius diuinitate patefacta, compertaque erant, tale quippiam in mentem venire potuit, sed nec ipsi Ioseph. Quærebant autem illum perinde, ac si quis Scripturam, vel abdita cuiuspiam Scripturæ sententiam quærat. constat namque anxie, & dolenter illum inquirere, non quidem, vt errantem, aut falsam, aut fallentem, sed vt veram, mylticamque doctrinam continentem, nec dum tamen proditam. Ad eum ergo modum illi quærebant Dominum; solliciti enim erant, ne forsàn ab eis discessisset, ipsosue deseruisset. Hæc ille. in eadem sententia est Theophylactus, eaque placet recentioribus; mihi tamen difficilis apparet, & vix commodari contextui posse videtur. Primo quidem, si parentes existimassent, Christum eos deseruisse, & in alia transmigrasse, aut in caelos reuertisse, doluissent quidem, sed non requisissent eum: nemo enim quærit sine inueniendi spe, quæ autem spes esse poterat parentibus, existimantibus Christum, quem Dei filium nouerant, eos de-

seruisse, aut in caelos reuertisse? profecto nulla. esset hoc quidem materia dolendi, sed non causa requirendi. Secundo, ea existimatio, & cogitatio non conuenit cum fide perfectissima B. Virginis, quam Elisabeth commendauit, dicens. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Estque argumentum efficax tale: si Christus discessisset, eosque reliquisset, non congrueret illud cū promissionibus factis per Gabrielem in annunciatione, nec cum verbis Elisabeth, nec etiã cum prophetia, quam ipsa Beata Virgo decantauit. Beatam, inquit, me dicent omnes Generationes: at ipsa Virgo de his omnibus nullatenus dubitauit, & ea omnia fide constanti credidit. igitur de suo filio talia, qualia isti Doctores docent, non potuit existimare. Vnde non probo, quæ Timotheus presbyter Hierosolymitanus, quem supra citauimus, dicit in oratione quadam de prophetia Simeonis, cuius verba sunt. Quando mater visa esset eum perdidisse, quæreas tribus diebus, clamabat dicens, ò calamitatem! quando expectaui felicitatem, tunc, damnum sensi. Hei mihi! quis thesaurum surripuit? quis pretiosas opes mihi abstulit? quis me mea spe est frustratus? Hei mihi! Non dicar amplius benedixisti in Mulieribus; Non amplius dicent. Beatus venter, qui te portauit. ex tabui, non autem beata euasi. Hæc, & alia huiusmodi, inquit ille, quæ reijcienda sunt, vt pote contraria fidei integerrimæ, & perfectissimæ, quæ Beata Virgo fuit prædita, quæ nec in filij passione, & morte, vel minimum titubauit. Dicendum ergo aliter est. in cuius gratiam aduertendum est, Beatam Virginem ex vna parte firmiter credidisse, Christum Dei filium esse, omni scientia, & sapientia plenum, cui nihil à casu, nihil ex errore accidere poterat. Ex altera vero parte, experta erat, eum ab infantia humano more processisse, & sicut cæteros adoluisse. Neque enim in infantia loquebatur, nec firma membra corporis, vt ambularet, accepit, nec proprijs manibus induebatur, sed auxilio, & opera Matris usus est, reliquaque infantibus, & pueris fragilitates communes habuit, patiebatur sitim, famem, lachrymas, vagitus, & alia huiusmodi; nouerat

Maria filium quæsiuit sciebat illum sponte, vel à via aberrasse, vel ab se & Ioseph discessisse.

erat profecto Virgo Beata, filium Dei non ex infirmitate, sed sponte, & voluntate hæc pati, vt nobis similis esset, quos saluare venerat. Ex hoc factum est, vt cogitaret etiam more puerorum illum aberrare voluisse à via, præ tanta multitudine tunc confluente, vt solent sæpe pueri à parentibus aberrare, non quidem vt cæteros, qui nolentes errant, sed volentem, sicut & cæteras hominis infirmitates huiusmodi volens assumpsit. hæc cogitatio, & existimatio non est contraria fidei Beatæ Virginis, quæ etiam si putauit filium perditum, non id infirmitatis, aut necessitatis, sed voluntatis esse credebat. Hinc factum est, vt doluerit. sicut & matres dolent; nam in morte etiam illius doluit, quam tamen voluntariam esse non ignorabat; non solum autem doluit,

sed velut errantem quæsiuit, contra hanc sententiam sic explicatam argumentum Origenis non militat; militaret quidem, si quis diceret Beatam Virginem cogitasse Christum errasse, sicut cæteros pueros ex ignorantia, & contra voluntatem: at hoc non dicimus, sed quod existimauit eum aberrare, & similem alijs pueris etiam in hoc fieri; sponte tamen noluisse. hoc idem cogitauit & Ioseph, eaque de causa reuersi sunt quærentes Dominum. cum autem Beata Virgo filium in Templo inter doctores inuenit, non iam quia errare voluit, vt cæteris pueris accidit, eum remansisse cognouit, sed studio, & consilio particulari. propterea videns admirata est, vt explicabitur in sequentibus.

A N N O T A T I O LXXII.

Trium documenta ad mores spectantia, notantur.

Nonnulla, quæ ad mores spectant, in his sententijs notare licet. Primum est, quod supra dictum est, nempe puerum Iesum remansisse in Hierusalem, & parentes non cognouisse, sed existimasse eum habere secum. quod quidem significat nonnullos esse, qui putant se bene ac recte agere, Christoque placere, cum re vera male agant, illique displiceant, existimantque se Christum habere propitium, cum habeant insensum; vt enim inquit Gregorius libr. 9. moral. cap. 13. vitia sæpe decipiunt specie virtutum. Sunt qui zelo iustitiæ moueri putant ad aliquid agendum in proximum, cum re ipsa moueantur vindicæ animo. sæpe auaritia decipit specie temperantiæ, sæpe exterius bona opera fiunt, interius autem ambitio est, quæ ad ea excitat. Hi sunt, qui secum Christum habere putant, & non habent. Secundum est, quod notat Origenes homi. 10. in Lucam. Parentes requirunt Christum inter cognatos, & notos, & non inueniunt. quod quidem significat humanam cognitionem non posse per se Christum indicare, diuini luminis hoc est. Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus. Præterea parentes, amici, familiares secun-

dum carnem non raro à Christo auertunt, vixque Christum inuenit, qui eorum affectui indulget. Vnde Ambrosius libro de fuga sæculi cap. 1. valde necessariam docet, maxime sacerdotibus, abdicacionem amoris erga cognationem, & amicos secundum carnem, explicans illud Matthæi 12. quæ est Mater mea? & qui sunt fratres mei? Tertium est, cum primum nouerunt parentes Christum secum non habere, reuersi sunt in Hierusalem, nec ulterius in itinere processerunt, malueruntque laborem, & expensam facti itineris perdere, quam Christum non habere. quod condemnat eos, qui cum tempus, & operam multam in negotiis iniquis consumperint, viderintque iam se causam malam prosequi, ne quæ apposerunt perdant, potius prosequi malunt, quam retrocedere. quod vitium est multorum antiquorum, & eorum qui vane tempus, & labores suos collocant. Non sic autem est faciendum, sed cum primum homo nouerit se Christum non habere, & à via recta aberrare, redire oportet ad mentem, & iter inire bonum, etiam si multum tempus in illis rebus consumperit, habendumque est in mente verbu David: Psal. 118. Cogitavi vias meas, & couerti pedes meos in testimonia tua.

Et factum est, post triduum inuenerunt illum in Templo.

C O M M E N T A R I A.

CVM redijsset in Hierusalem, cumque requirerent, inuenerunt post triduum, id est, die tertio; primus enim fuit, quando à Hierusalem profecti sunt; secundus, quando redierunt, & partim requisierant in Hierusalem, tertius, quando etiam requirere perseverantes inuenerunt eum in Templo. Sanctus enim, & de Spiritu sancto conceptus in templo loco sancto inuenitur.

A N N O T A T I O LXXIII.

Triduum hoc quomodo intelligendum.

Dubium est quomodo sit intelligendum (post triduum) an nimirum eoroto transacto, ita vt quarto die sit inuentus, an porius tertio ipso die. Nicephorus lib. 1. cap. 24. modo priori interpretari videtur; Euthymius vero modo posteriori interpretatur, idemque sentit Ambrosius, qui triduum hoc comparat morti, & resurrectioni; similiter Iuuenius sic canens: Lux ubi tertia venit, ad Templum prope remeat, Vatumque choris inuenit insertum.

Sedentem in medio Doctorem.

C O M M E N T A R I A.

Inter Doctores sedentem inuenerunt; speciem enim quoddam suæ futuræ prædicationis dantem; qui enim ab vtero veritatis doctor, ac magister erat, noluit eo tempore, quo pueri cæteri disciplinæ capaces sunt, ita latere, quin admirandæ do-

de doctrina, quam intus retinebat, signum aliquod proderet; non autem inter doctores sedet, quasi vnus ex illis, sed quasi discipulus: solent enim discipuli apud doctores, & magistros confedere, sicut nunc apud nos in disputationibus, & lectionibus fieri videmus.

ANNOTATIO LXXIII.

Diuino consilio factum est, ut adhuc puer sederet Iesus inter doctores

Hebraismus est (in medio doctorum) id est, inter Doctores. Ioan. 1. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis, id est, inter vos. Luc 22. Ego sum in medio vestri, sicut qui ministrat. ita nunc dicitur in medio doctorum confedisse, non quod locum doctoris occupauerit, sed quia apud eos esset; credibile enim est doctores locum eminentiorem quandam obtinuisse; ceteros vero, qui audituri venerant, aut discere ab eis cupiebant, in loco inferiori sedisse; in eo tamen loco, qui ad hoc munus erat deputatus in Templo: & hoc est sedere in medio Doctorum; diuino

autem consilio factum est, ut Dominus adhuc puer annorum duodecim, specimen muneris sui ederet, tum ut excitaret Doctores, & sapientes ad cogitandum, & inquirendum de Christi aduentu, ut quemadmodum infans Magorum aduentu mirando promouit illos ad inuestigandum de Christo: ita puer etiam verbis, & doctrina sua induxerit eos ad idem praestandum; tum ne eius futura manifestatio inopinata, & repentina nimis videretur, & ut dicit Euthymius, oportebat hoc fieri, ut cum postea doceret, facilius ab illis reciperetur.

Audientem illos, & interrogantem eos.

COMMENTARIA.

Partes discipuli agit, aetatis suae rationem habens, qui reuera erat magister, & doctor de caelo veniens, ut omnibus praebat exemplum humilitatis, ne sibi ipsis plus, quam par est, arrogent: interrogat autem illos, non ut discat, sed ut erudiat: nam interrogatio etsi discantis esse videatur, aliquando docentis est; & sapienter interrogare, est instruere; immo sapiens interrogatio aliquando est fortissimum veritatis argumentum, quo etiam aduersarij conuincuntur. cum enim ex vna parte modestiam aetati conuenientem conseruare vellet: ex altera erudire, & veritatem inducere, interrogatione vsus est, quae vtrique deseruit; nam docet, cum discere velle videatur. credibile autem est de Messia in lege, & Prophetis promisso, & praenunciato, sermonem habuisse. frequens enim erat apud Iudaeos verbum hoc, eo maxime tempore, quando proxime venturus expectabatur: ex multis namque signis per prophetas traditis tempus aduentus eius imminere, omnibus erat manifestum.

ANNOTATIO LXXV.

Credibile est, quod inter doctores de aduentu Christi ageretur, quando ille cum ipsis remansit.

Itus Bostrenus, & Euthymius auditum, & interrogationem hanc de legalibus, & iis, quae ad ritus, & legales sanctiones faciebant, interpretantur. Mihi tamen verisimilius est de Christi aduentu, & iis quae ad ipsum spectant, illos tunc disputasse. Christus enim id, hoc suo facto intendebat, eos nempe inducere ad inuestigandas Scripturas de Christo, ut sic disponeretur ad recipiendum, & confitendum eius aduentum, quod ipse Dominus in principio serae suae praedicationis fecit, quando in Patria sua intrans in Synagogam, surrexit ut legeret, & tradito sibi Isaias libro, locum de Christo explanauit, ut refert Lucas cap. 4. & merito quidem de Christo sermo iste habitus est, qui totius legis, & Prophetarum finis erat. Est etiam obseruandum id, quod Origenes homi. 19. dicit, quia paruulus inquit erat, inuenitur in medio, non eos docens, sed interrogans, & hoc pro aetatis officio, ut nos doceret, quid pueris, quamuis sapientes & eruditi sint, conueniret, ut audiant potius magistros, quam docere desiderent, & se vana ostentatione non iactent: atque haec est vna causa cur interrogatione sic vsus. Altera est, quam tradit Gregorius homi. 2. in Ezechi. & 3. p. pastor.

admoni. 26. Vigilanti inquit consideratione pensandum est, quod cum Iesus duodecim annorum dicitur in medio Doctorum sedens; non docens, sed interrogans inuenitur; quo exemplo ostenditur, ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per diuinitatis potentiam, verbum scientiae ipsis suis Doctoribus ministravit. Haec Gregorius, in quo illud verbum (doceri voluit) declarandum est; nempe voluisse doceri quantum ad exteriorem formam, quia apparebat discere velle: tamen intus non indigebat illorum doctrina, qui plenus erat sapientia; potius ipse interrogando dirigebat eos, illustrabat, & erudiebat. atque haec est tertia interrogatio vtendi causa, ut recte Origenes homi. 19. dicit, Interrogabat, inquit, magistros, non ut aliquid disceret, sed ut interrogans erudiret. Ex vno quippe doctrinae fonte manat, & interrogare, & respondere sapienter, & eiusdem scientiae est scire quid interrogas, quidve respondeas. vbi addit quartam causam: Oportuit, inquit, primum saluatorem eruditae interrogationis magistrum fieri, ut posset interrogationibus respondere iuxta rationem Dei, atque sermonem. Haec ille.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant.

COMMENTARIA.

Efficacia, & potentia verbi Christi stupere fecit Doctores, & omnes qui eum audiebant: nouum enim quid, diuinum, & inauditum videbatur illis, quod etiam postea euenit, quando adultus praedicauit. Matth. 7. Admirabantur turbae super doctrina eius, erat enim docens eos sicut potestatem habens. & Mar. 6. Multi admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic haec omnia? & quae est sapientia, quae data est illi? hoc eodem stupore, & admiratione correpti sunt nuuc isti audientes pueri Iesu doctrinam.

Super prudentia, & responsis eius.

COMMENTARIA.

Stupebant autem, & admirabantur prudentiam, & responsa eius. prudentia Graece σωφροσύνη, hoc loco pro intelligentia ponitur; acutissime enim, & supra pueri, immo etiam hominis communis captum interrogabat; & quae dicebantur, perfectissime capiebat. haec ad intellectum, seu intelligentiam pertinent, cuius intelligentiae manifesta signa erant responsa eius, id est ea, quae loquebatur, super quae etiam admirabantur, quia profunda, & occulta Scripturae sensa referabat, quod sapientiae magnum erat argumentum.

ANNOTATIO LXXVI.

Responsum frequenter in Scripturis pro quocumque sermone vsurpatur.

Responsum hoc loco ponitur pro sermone quocumque, etiam si non praecesserit interrogatio. quod superius adnotauimus, explicantes illud (responsum accepit Simeon a Spiritu sancto) Verbum etiam respondendi Scriptura in ea significatione aliquando vsurpat; quod si quis velit sic interpretari, quasi Doctores illi etiam Christum interrogauerint, & super responsa eius admirati sint, non ibo inficias: nam & hoc probabile est: mihi primum accommodatius est visum, tum propter Euangelistae praecedentia

verba (audientem, & interrogantem) tum quia haec nostra interpretatio complectitur vtrumque, nempe, quae interrogabat, & quae interrogatus respondebat. illud autem verbum, prudentia, Graece σωφροσύνη, pro intelligentia in Scriptura accipitur, quod verbum est Isa. 11. Spiritus sapientiae, & intellectus, & Plal. 118. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. & Matth. 15. Adhuc & vos sine intellectu estis?

Et uidentes admirati sunt.

COMMENTARIA.

NON admirantur Parentes sicut Iudaei; hi enim communem hominem Christum existimantes; stupuerunt propter intelligentiam, & responsa eius altiora, & profundiora censentes, quam aetati puerili conuenirent; illi vero filium Dei plenum gratiae, & veritatis agnoscentes non admirantur propter intelligentiam, & responsa eius, eo maxime, quod eum loquentem, nondum audierant, sed quia praeter eorum opinionem, & Christi consuetudinem inter Doctores disputantem viderunt, indeque nouerunt non remansisse, quia aberrare voluit, sicut ceteri pueri aberrant, sed a consilio, & proposito.

ANNOTATIO LXXVII.

Quid Parentes in Christo admirati fuerint.

Euthymius asserit parentes admiratos fuisse, non propter intelligentiam tantum, & responsa illius; verum etiam propter audaciam: quae autem fuerit haec audacia, non explicat, an quia cum Doctoribus disputare sit ausus, an quia ipsis incosultis remansit. ex quo fit, ut admirati sint propter id, ob quod Iudaei obstupuerunt, & propter aliud etiam peculiare, nempe quia visus fuit, aut ipsis nescientibus remanere, aut in aetate puerili cum Doctoribus congregari. Neutrum dictum mihi placet. non quidem primum, quia statim ac viderunt Christum, admirati sunt, quando nondum audierant verbum aliquod, idque Euan-

gelista satis aperte distinxit. de Iudaeis enim inquit, qui audierant eum, stupebant; at de Parentibus: Videntes inquit admirati sunt, non ergo admiratio fuit de verbo, sed de facto ipsius, quod nondum audire verbo videbatur. Non secundum, quia cum non ignorarent eum Dei filium esse, audaciae adscribere non poterant tale factum. mirati sunt igitur, tum propter rem nouam & insolitam, ac praeter eorum opinionem, quia nunquam tale quicquam fecerat Christus; tum quia inde intellexerunt consilio remansisse in Hierusalem ipsis non cognoscentibus.

Et dixit

Stupebant

Et dixit Mater eius ad illum.

C O M M E N T A R I A.

R Ete Mater eius sola locuta est Christo, quæ sola ipsa sine viri copula conceperat, & pepererat eum. Non est autem existimandum, in præsentia doctorum, dum audiret, & interrogaret eos, matrem accessisse, & sermonem interrupisse, sed postquam Christus recessit ab illis, & ad Parentes se conuertit. Nam & Matth. 12. inuenit semel Mater eius prædicantem in Templo, nec tamen accessit, sed foris mansit, donec sermonem compleret. Quod enim quidam accesserunt, dicentes: Mater tua, & fratres tui foris stant, & quærunt te, non à Matre missi fuere, sed ipsi se ingererunt, vt Christum à prædicatione auerterent, aut forsan existimantes se rem gratam illi facturos.

Fili, quid fecisti nobis sic?

C O M M E N T A R I A.

I nterrogatio quædam est, non quidem reprehensionis, aut correptionis alicuius; non enim ignorabat Beata Virgo omni eum carere culpa, qui filius Dei, & conceptus de Spiritu sancto erat, sed cuiusdam admirationis ex materno, at tenerrimo erga filium affectu, ac fiducia procedentis. Admirata est enim Beata Virgo, causam ignorans, cur Christus, qui de ea carnem sumpserat, & nasci dignatus erat, & ab infantia semper ei adhaerens, quique ab ea summo amore diligebatur, remansisset in Hierusalem, ipsa cum Ioseph nesciente, permississetque triduo illos errabundos, & dolentes huc, & illuc permeare, donec ipsum inuenirent. Nota verba, fili quid fecisti nobis? sicut si diceret: Admiramur, nec causam scire possumus, cur feceris sic; id est, vt nobis inconsultis remanseris, nosque errare permiseris, cum sis filius, & hoc nobis, qui te summopere diligimus, feceris, idque non errore, sed consilio, & propria voluntate feceris. si filius non esses, aut si cum extraneis fuisses, aut si non consilio, sed casu, vel errore fecisses, non erat cur admiraremur: at fili tu nobis cur fecisti sic? causam, quam ignorabat, (& propterea admirabatur) à filio suo ex materna fiducia scire desiderat. Perfectiorem declarationem in Annotatione quære.

A N N O T A T I O L X I.

C lare ex verbis hisce colligitur, Beatam Virginem, postquam vidit Christum disputantem in medio Doctorum, non iam existimasse eum errore, aut casu aliquo à suis parentibus non cognoscitibus, remansisse; inquit enim: Quid fecisti sic? Quantum autem ad sensum spectat, Bonauentura existimat verbum hoc esse cuiusdam correptionis, quasi Beata Virgo, tamquam mater filium corripuerit, quod sic remanserit. Quæ sententia non mihi placet, tum quia, vbi nulla culpæ ratio est, non potest esse iusta correptio: Beata autem Virgo filii Dei non ignorabat Christum esse, omnis culpæ expertem, cuius gratia & ipsa omni culpa vacabat. Iniusta ergo esset talis correptio, qualem non debemus existimare de Beata Virgine, procedere potuisse; tum quia etiam si mater esset, ancillam se vere profitebatur, & quidem omni humilitate prædita erat. vnde nec ausa esset Dominum corripere, eo maxime, quod admirata iam errantem insignie filij diuinitatis argumentum, quando vidit, & inuenit inter doctores sedentem. Quidam recentiores existimant verba esse cuiusdam querimonie ex affectu materno procedentis, quasi cum filio suo conuerteretur, quod remanserit ipsa nesciente, ex quo eam maximus cruciatus, & sollicitudo, & labor reuerunt. Nec est indecens querimonia: nam in Scriptura legimus quosdam pio quodam affectu queri-

monias habere ad Deum, quod sibi non exaudiri ab eo videantur. & Hieronymus Matth. 27. illud, vt quid dereliquisti me, querimoniam quandam interpretatur. ita potuit Mater conqueri de filio, quod sit derelicta, non quidem filium increpando, sed vehementem suum erga eum affectum exprimendo. accommodatè hoc dici potest. Mihi tamen accommodatior visa est expositio, quam secutus sum in commentario, vt sit interrogatio admirantis, & causam ignorantis, cur sic cum ea, & Ioseph voluntarie filius fecerit; solent enim in Scriptura interrogatio fieri etiam ex admiratione quadam, vt patet Iai. 14. quomodo inquit cecidisti de celo lucifer, qui mane oriebaris? & Zach. 13. quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Scripturam enim sacram frequentibus vtitur interrogatiombus, licet non eodem sensu: quædam enim sunt simplices interrogationes, quæ sunt, vt responsum detur. Ioan. 18. Quem queritis? Ioan. 9. Quis est vt credam in eum? Quædam sunt per modum indignationis cuiusdam. Matth. 17. O generatio incredula, quousque ero vobiscum? vsque quo patiar vos? quædam per modum reprehensionis, & increpationis. Math. 15. Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? Quare vos transgredimini mandatum Dei? Quædam per modum deprecationis. Psalm. 43. Exurge, quare obdormis? Quædam

Auctoris sententia.

Interrogationes diuersis modis in Scriptura fieri consueverunt.

dam per modum piæ querimonie. Psalm. 73. vt quid Deus repulisti in finem? Quædam per modum commiserationis. Thren. 1. Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? Quædam per modum repulsi. 2. Reg. 16. Quid mihi & vobis filij Saruiz? Quædam per modum negationis. Rom. 11. Quis cognouit sensum Domini? quis consiliarius eius fuit? Quædam per

modum propriæ iustificationis, & defensionis. Psalm. 21. & Matth. 27. Deus meus, vt quid dereliquisti me? quasi diceret, in me culpa nulla est, ob quam sum derelictus. sunt infinita testimonia, multiplicesque sensus interrogationum. in præsentī loco interrogatio est admirationis, vt dictum est.

Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

C O M M E N T A R I A.

A Vget causam admirationis: Ecce, inquit, pater tuus, & ego, quasi diceret, eo magis admiror, quod nobis cum sic feceris; eo enim facta causa fuisti, vt summo dolore affecti te quæreremus, quod te non ignorasse scio. particula (ecce) non solum cruciatus, & doloris vehementiam indicat, sed causam huius in Christum refert, quod quia sic fecerit, eos tali, tantoque cruciatui exposuerit. Patrem appellat Ioseph, non quod vere sit, sed vt supra diximus, quia loco patris erat, & quia talis reputabatur, & ne qui audirent, filium fornicationis existimarent; prius nominat Ioseph, quam seipsam, cum vera mater esset, tum præ humilitate, & modestia, tum vt matrimonij à Deo instituti rationem haberet, in quo vir caput est. qua etiam de causa Matth. 2. Angelus apparuit Ioseph, dicens: Tolle puerum, & matrem eius. vtramque hanc causam notat Augustinus lib. decem & septem sermonum, sermo. 2.

A N N O T A T I O L X X I X.

De quo doluerunt Maria, & Ioseph.

D ubium quoddam se offert, nimirum, quid sit id, de quo doluerit Beata Virgo cum sponso Ioseph. huius dubij resolutio ex his, quæ dicta sunt in annotatione 69. præcedentis facilis est. ibi enim citauimus Origenem, & Titum Bostrenum, affirmantes, doluisse, quia existimauerunt eum recessisse ab illis, & ad alia transmigrasse, aut in cælum reuertisse. quam sententiam non probaui ob causas ibi adductas. vnde aliter dicendum existimo, nempe doluisse de filii absentia, quem putabat à via errasse, sicut ceteros pueros, licet non eodem modo: in qua absentia Beata Virgo sibi persuadebat incommoda,

multa illum passurum, deficiente illi ministerio solito exhiberi ab ipsa, & Ioseph. Quamuis enim filium Dei crederent: nouerant tamen in his, quæ ad corpus spectabant, noluisse virtute sua uti, sed communem hominum seruire consuetudinem. dolebant ergo Parentes, & de absentia, & de illius incommodis, eo magis, quia ignorabant, quamdiu hæc durarent, & an inuenturi essent in Hierusalem, affligebat ergo eos etiam incertitudo temporis, & loci, & tanto acerbior erat dolor, quanto vehementior eorum amor.

Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis?

C O M M E N T A R I A.

A D duo, quæ mater eius dixerat, respondet: incipit autem à posteriori, nempe pater tuus, & ego quærebamus te. quid est, inquit, quod me quærebatis, nimirum dolentes, & anxij? Interrogatio hæc negandi sensum habet, quasi diceret: non erat causa vobis me quærendi, quasi errantem; hoc enim ex consilio, & instituto feci, vt solus remanerem. Non sunt hæc verba reprehensionis, sed instructionis, & consolationis, & defensionis cuiusdam: instructionis quidem, docet enim quod factum est ab illo, consilio, & mysterio diuino gestum esse, vt iis, quæ patris sunt, incumberet. quod statim verbis sequentibus clarius explicat: consolationis vero, quia causam dolendi, & sollicitè inquirendi non fuisse dicit; nec enim quicquam mali ex ijs, quæ ipsi timuerunt, intercessit in hoc facto. defensionis autem, quia causam illis dolendi, & anxie quærendi dedisse tacite negat, quasi diceret: Non ego vobis causam huius cruciatus, & inquisitionis dedi; non enim feci quicquam, propter quod reuera me dolentes quærere debuissetis. Vos pro amore vestro, & quia ignorabatis rei mysterium, causam vobis ministrastis. Quamuis autem sola mater locuta sit, vtrique respondet, quia causa vtrique communis erat, & quia nomine etiam Ioseph fuerant verba à matre prolata.

Hæc Christi verba instructionem, consolationem, & defensionem important.

Reiciuntur existimantes Christum his verbis Parentes reprehendisse.

Ambrosius in presenti Matrem à filio hinc verbis argui affirmat, nec explicat qua de causa arguatur, & re vera nulla est, vbi enim nulla est culpa, cessat omnis arguendi aut reprehendendi causa: sunt potius verba consolationis, & defensionis, vt in commentario interpretati sumus. recte autem Euthymius explicat, quid est inquit, quod me quasi errantem querebatis? Obijciat quispiam, si non erat causa, cur quæsuerint, vana ergo erat inquisitio, & consequenter vitiosa. Respondeo non esse rectam hanc consecutionem; fieri enim potest quædam recte aliquid facere, motum aliqua existimatione probabili, quamuis re ipsa non existat, quod arbitratur, seu existimabat; si quis enim existimans quendam indigere ministret ei, & conferat e-

leemosynam, opus virtutis facit, licet ille vere non indigeat. Nec caruit laude adoratio illa Ioanis Apoc. 19. quando existimans Deum esse, quem videbat, Angelum, vti Deum adorauit, quousque fuit admonitus. Nec vitio sunt danda lachryma Iacob super Ioseph, quem à bestia occisum existimabat, cum reuera vaueret, sunt multa huiusmodi exempla. non ergo reprehendenda, sed laudanda fuit B. Virginis sollicitudo, & inquisitio; nam rationabiliter existimare potuit filium suum paruulum accommodare se voluisse ceterorum puerorum naturæ, sicut in alijs multis fecerat, quo casu quærendus, & quidem cum solitudine erat; existimatio ergo rationabilis, licet res non ita se habeat, non tollit actum virtutis.

Nesciebatis, quia in his, qua Patris mei sunt, oportet me esse?

COMMENTARIA.

Robatio est præcedentis sententiæ, nimirum non esse causam requirendi eum quasi errantem. Est autem sensus, scire, & cogitare poteratis, me ob negotia Patris mei, quibus me oportet incumbere, remansisse. quod si hoc cogitauissetis, non utique sic dolentes quæsissetis me. Sciebant Beata Virgo, & Ioseph Christum Dei filium esse, ac venisse in mundum, vt opus salutis nostræ perficeret, quod hoc in loco ea, quæ Patris sunt, appellat; non tamen cogitarunt ea tunc de causa remansisse solum in Hierusalem. Hoc est, quod dicit Christus illis; Sciebatis me debere ea, quæ patris sunt, facere. hinc colligere poteratis causam absentiam meam, sicque non doluissetis tam anxie me quærentes. Hæc sententia tacite respondet ad prius illud dictum. Cur fecisti sic? nimirum, quia oportet me esse in his, quæ patris sunt, in quibus non pendeo à vobis, nec vobis subijcior, sed soli patri, sicut ille præcepit, sic facio. opponit autem Parentibus patrem æternum, quasi diceret: vos dicitis, pater tuus, & ego quærebamus te; at ego cum Patrem habeam in cælis, quia filius Dei sum, habeo alia negotia, quæ illius sunt, in quibus nihil mihi est vobiscum, & illis oportet me incumbere. recte autem dicit (mei) non (nostri) vt ostendat se habere Deum Patrem naturalem, & sibi substantialem, nos vero adoptionis. Ioan. 20. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. hoc notat Cyrillus Alex. libr. de recta fide ad Reginas, hunc locum Lucæ explicans. Aduerte illud (nesciebatis) sensum facere affirmatiuum; nam interrogatio ipsa vnam habet negationem; verbum autem (nesciebatis) habet alteram, nempe (non sciebatis) vnde vtraque simul affirmat, quasi dictum esset absque interrogatione, sciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse. Simile est illud 1. Corinth. 9. Nescitis, quod qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? id est scitis, quod omnes qui in stadio currunt, omnes quidem currunt. Aduerte quia Christus remanserat, vt opus diuinitatis suæ exerceret in quo parentibus non subdebatur, propterea vtitur hoc genere locutionis, quasi ex imperio quodam, non vt purus homo, sed vt simul filius Dei.

ANNOTATIO LXXXI.

De germano sententiæ superioris sensu

Rigenes hom. 20. in Lucam Epiphan. hæc. 30. Titus Bostrenus, Euthym. & inter Latinos August. lib. decæ & septem sermonū ser. 2. & Leo Epist. 4. ad Episcopos per Sicilia constitutos c. 2. id quod dicitur (ijs, quæ patris mei sunt) interpretantur templum. Templum enim domus est Dei Ioan. 2. nolite facere domū patris mei, domum negotiationis: erit ergo sensus iuxta hanc interpretationem, scire poteratis me esse in Templo Dei: vnde nō erat cur me quæteretis quasi errantem. Hæc expositio non videtur accommodatum sensum facere: non enim quia Templum erat Dei, inde sequebatur, oportere Christū ibi manere: nam non semper erat in Templo, magis ad rem facit, quod in commentario dictum est, opera,

quæ diuinitatis erant, quæque non vt homo communis, sed vt Redemptor, faciebat, appellasse ea quæ Patris sunt. quo sermonis genere sæpe est vsus postea. Ioan. 4. cibus meus est, vt faciam voluntatem patris mei, vt perficiam opus eius, Io. 9. me oportet operari opera eius, qui misit me. Io. 17. opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam. Tale erat opus, quod Christus in Templo nunc fecit: nam iam iam doctrinam suam mundo manifestare, & ad eius aduentum agnoscendum doctorum corda excitare incipiebat. ideo dicit, in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. In huiusmodi autem operationibus non erat subiectus parentibus, sed Patri, vt diximus supra Annot. 67. idcirco sine consensu parentū remansit in Hieru-

Quare Christus Patris appellat opera, quæ ipsemet vt Redemptor exercebat.

Hierusalem, vt tale opus exerceret. Occurrit dubitatio in hoc loco, qua de causa opera huiusmodi, quæ vt Redemptor faciebat, Patri tribuat, & appellat Patris opera, cum vere Christus Deus, & homo ea faceret. Respondeo, dici opera Patris, primo quidem, quia propter hæc à Patre missus est in mundum; non enim ideo venit Christus, vt ambularet, comederet, dormiret, cæteraque faceret, quæ puri homines faciunt, sed vt prædicaret, miracula faceret, redimeret, cæteraque similia, quæ dicuntur opera redemptionis, propria exhiberet. Luc. 4. Quia alijs, inquit, ciuitatibus oportet me prædicare, quia ad hoc missus sum. Ioan. 18. Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Secundo, quia etiam si Christus esset Deus & homo, sicque Redemptor: tamen redemptio præcipue erat à diuinitate, miracula enim faciebat Deus & homo: tamen diuinitas præcipua causa erat, similiter efficacia, & valor operum eius maxime procedebant ab eo, quia Deus erat, idcirco Patri tribuit, cuius filius erat, & à quo habebat diuinitatem. Tertio, quia vt homo accepit præceptum à Patre de huiusmodi operibus faciendis. Ioan. 14. sicut mandatum accepi à Patre meo, sic facio. & nunc dicit (oportet me esse.) verbum (oportet) præceptum indicat Patris, de qua re plura dixi in Commentarijs in Ioannem. Quarto, quia nemini vt homo se subiecit in his, nisi soli Patri æterno, non matri, non Ioseph. id quod significauit verbo eodem (oportet.) vbi perpende, quanti sit faciendum diuinum præceptum; Christus enim tenerrime diligebat Beatam

Virginem sciebat eo facto maximo dolore cruciandam: superauit tamen hoc diuinum mandatum, & Patris negotium. Quanti ergo homo purus, & peccator debet facere, quæ Dei, & Domini sunt, si Christus Dei filius tanti fecit opus patris? Recte aduertit Orig. homil. 20. hoc verbo significasse Christum se non tantum esse Deum, sed etiam Dei filium. Notat etiam Epiphan. hæc. 30. eodem verbo conuincit hæresim Ebionis, & similibus, qui dicebant non fuisse Christum filium Dei vsque ad Baptismum, quando fuit annorum triginta: at hæc verba contrarium probant, erat enim annorum duodecim, & patrem suum Deum vocat. dubitatio etiam est in illo verbo (nesciebatis) quod vt diximus in commentario, vim habet verbi affirmatiui, nempe sciebatis. Est autem talis: cum Beata Virgo, & Ioseph nouerint Christum filium Dei, & habere opera Patris, quæ illum facere oportebat, videntur reprehensibiles, eo quod non cogitauerint illam absentiam ea de causa factam fuisse. Respondeo nullam culpam prorsus commississe, nec vlla dignos reprehensione, si id non cogitarunt, sed potius quia errare voluerit; nam verumque esse potuit; & quod remansisset, volens in hoc alijs pueris similis fieri, sicut in multis fecerat; & quod diuinum opus Patris facere, & se Dei filium ostendere voluisset, habuitque Beata Virgo probabilem rationem cogitandi illud prius, quia non erat experta in toto pueritiæ tempore præcedenti, Christum simile quid egisse. Amor præterea vehementissimus erga filium impulit ad timendum illi, & cogitandum ne errare volens, multa pateretur, vt diximus.

Num Maria & Ioseph alicuius negligentia in hac re sint arguendi.

Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

COMMENTARIA.

Beata virgo, & Ioseph tunc non plane affecuti sunt, nec apprehenderunt sensum responsionis, non intelligentes, quæ appellauerit ea, quæ Patris sunt, & quid sibi vellent, oportere eum in his esse. Etsi enim nouerint illum esse Christum Dei filium, ac saluatorem: rationem tamen, qua ille munus suum obiturus erat, & rationem eorum, quæ iam ab illo agebantur, haud quaquam plene cognoscebant, sed progressu temporis eorum scientia, seu fides augebatur, Nec derogat quicquam perfectioni Beatæ Virginis, & Ioseph, quæ plus in charitatis magnitudine, quam in fidei extensione consistebat. Neque enim quicquam eorum, quæ ad statum eorum tunc pertinebant, ignorabant.

ANNOTATIO LXXXII.

Proxima sententiæ sensus examinatur.

Doctores interpretantes ea, quæ Patris sunt, de templo, vt dictum est in annotatione superiori; consequenter hæc verba explicant in eundem sensum, vt non intellexerint parentes, quod de templo dixerat, sicque explicat Euthymius. At nos secuti sumus expositionem, aliter intelligentes ea, quæ patris sunt, & iuxta eam diximus Beatam Virginem non statim id verbum intellexisse. Durum videtur quibusdam recentioribus verbum hoc, idcirco violentas, & singulares proferunt expositiones. Quidam afferunt referendam esse hanc sententiam non ad Beatam Virginem, & Ioseph, sed ad auditores illos, de quibus superior dictum est, studebant, qui eum audiebant, hosque dictos non intellexisse affirmant. quæ expositio quæ dura sit, nemo non videt, cum relatiuum (ipsi) proximas personas referat. Quidam alij de solo Ioseph interpretantur, per synecdochen positum esse vtrumque pro vno solo affirmantes. hæc expositio parū est accommodata: nam sicut ad vtrūque sermo Christi factus narratur absque synecdoche, ita etiam de vtroque simul dictum est.

quod sequitur. Nec est inconueniens vllum, affirmare Beatam Virginem non omnia mysteria à principio intellexisse; sicut enim in gratia, & charitate suscepit augmentum, ita & in fide, non quantum ad certitudinem, & firmitatem, quia semper constantissime credidit, sed quantum ad dilatacionem, & extensionem quandam, quia multa temporis successu nouit, quæ prius non nouerat. Quoad vero Trinitatis mysterium, & ipsius Christi diuinitatem, & incarnationem & officium, quia Saluator erat, multaque alia huiusmodi, fides eius fuit eximia, nec quicquam ex his ignorabat. hunc fidei progressum fatentur Origen. homil. 20. & Titus Bostrenus, & alij plurimi, idque Euangelista hic, & alibi manifeste docet.

Dubitatio tamen quædam se offert consideratione digna, quomodo Beata Virgo non intellexisse dicitur verbum hoc Christi, quæ Angeli annunciantis verba maiora, & profundiora mysteria significantia percepit, & comprehendit? Respondeo nec hæc nec illa assequi potuisset, nisi Deus illius mentem illuminasset; non enim naturale lumen sufficit, nisi diuino

Maria sicut in reliquis virtutibus, ita etiam in fide in dies crescebat.

Quomodo Maria, quæ aliorum mysteria nouerat, superiorum filij sermonem non intellexit.

diuino adiutum ad fidei mysteria apprehendenda. si- que igitur in annunciatione diuino lumine illustrata, quæ dicta erant ab Angelo, intellexit, non intel- lectura, si lumen non recepisset; ita non intellexit ver- bum hoc, quia non ei datum fuit tunc temporis. quod si prosequatur quispiam interrogare; quare ei datum non fuit? Respondeo conuenientissime factum id fuisse propter multa. Primo quidem, vt sic norum esset nobis discrimen inter filium, & ipsam matrem; ille enim plenus sapientia, & gratia à principio nullum in se augmentum recepit; nec enim sciuit aliquid pro- gressu temporis, quod ante nesciebat, nec iustior factus est, quam prius fuit: at Beata Virgo licet ma- gnâ gratiæ, & fidei copiam acceperit in concep- tione sua, & quando filium concepit, tamen & fide & gratia ac sanctitate in dies augebatur; non enim erat illius natura vnita diuinitati, à qua plenitudo perfecta emanaret, sicut in Christo factum est. Secundo, vt nobis innotesceret posse multa ignorari my- steria absque vlla culpa, nec Christianæ iustitiæ per- fectionem consistere tam in scientiâ, & notitiâ mul- titudine, quam in charitatis magnitudine; maior enim erat causa, & gratia dilectionis in Beata Vir- gine, quam scientia & notitia diuinorum mysterio- rum. Tertio, vt sic ostenderetur omnia accepta esse à Deo, ex gratia, & beneuolentia, si homo qui- dem virtute propria mysteria diuina inuestigare pos- set, efficax tunc esse argumentum. Intellexit quod

maius & difficilius est; ergo etiam quod minus est: at in his, quæ non propria virtute, sed diuina gratia assequimur, argumentum non valet: nam sæpe da- tum est maiora agnoscere, non minora, vt sic mani- festum nobis sit, & hæc, & illa à diuino pendere nutu. Exempla huius rei Scriptura nos docet. Ge- nesi. 27. Isaac senex non nouit Iacob præsentem, existimans esse Elau, & tamen nouit futura multa, & cognita difficiliora. Similiter 4. Regum 4. Eli- seus nouit Eliam raptum iri, & tamen 4. Reg. 2. non nouit Sunamitidem plangentem coram eo propter fi- lium mortuum. Sunt alia huiusmodi multa. Quar- to ad humilitatis exercitium; hac enim de causa Gregor. lib. 3. Dialogorum cap. 14. docet Deum seruis suis maiora concedere, & minora negare. Quinto, propter meritum, vt nostram etiam adhi- beamus operam, & faciamus quod in nobis est, quod euentus rei indicauit: nam & Beata Virgo omnia verba hæc conseruasse dicitur, scrutans corde diu- ina mysteria. Demum, quia non erat tunc tempus intelligendi hæc verba, quia per multos annos Chri- tus postea opera talia patris non erat exercitatus. vnde paulo post dicitur; Descendit cum illis, & er- rat eis subditus. Satis fuit insinuasse, & velut iac- tasse semen, quod suo tempore fructum faceret, pro- pterea quod Beata Virgo verba conseruabat, & hæc est potissima ratio.

Et descendit cum eis, & uenit Nazareth.

COMMENTARIA.

Descendisse dicitur cum eis, quia à Hierusalem proficiscebatur in Galilæam, quæ ratione situs inferior est, & humiliori sita loco, quam Iudæa, in qua erat Hierusalem: reuersi sunt ergo Beata Virgo, & Ioseph cum Christo in ciuitatem Na- zareth, à qua venerant, vt Pascha celebrarent.

ANNOTATIO. LXXIII.

Bernardi ver- ba notantur. Bernardus hom. 19. in Cantica significat Paren- tes non acquieuisse responsis Christi, quasi vel- lent retrahere, & reducere eum in Nazareth, inquit, enim sic; Cum remansisset in Hierusalem, & dixisset, in his, quæ Patris sui erant, oportere se esse, non acquie- scentibus parentibus eius, sequi eos in Nazareth non despexit, magister discipulos, Deus homines, Ver- bum, & sapientia fabrum & feminam. Hæc ille. dura

sunt hæc verba, nec video, quo argumento probari possit, illos non acquieuisse verbis Iesu, cum dictum sit de matre, conseruasse omnia verba hæc: nouerat ergo quid diuinum in facto, & verbis, nec refragata est filio, sed omnino conformem voluntati se exhibuit, nec si immorari plus temporis ibi voluisset, retrahere eum tentasset, venit ergo in Nazareth, sponte, non in- ductus à parentibus.

Et erat subditus illis.

COMMENTARIA.

NE videretur in omnibus subtrahere se ab obedientia velle, quam voluntarie parentibus, non solum vero, sed etiam secundum opinionem, qualis erat Ioseph, illam impendere decreuit. idcirco subditum se exhibuit illis in eis, quæ communiter pueri exhibere solent erga parentes, vt omnibus esset exemplum diuinum manda- tum de parentibus honorandis adimplendi, vt sicut in eo, quod remanserat solus si- ne parentum consensu, Deum se esse declarauerat, ita etiam in subdendo se illis, ho- minem se esse comprobaret, eumque opera diuina, vt Dei filium, & humana vt fi- lium hominis habere, esset omnibus manifestum.

ANNOTATIO. LXXIII.

Ariani imme- rito hoc ex loco deducit filium secundum naturam diuinam inferiorem esse Patrem.

Atutuntur hac sententia Ariani, ex hac subiectione, & obedientia inferentes, Christum etiam

secundum naturam diuinam inferiorem esse patre, vt refert Augustinus lib. 3. contra Maximinum c. 18. ar- gumenta-

Sententia Cy- rilli non pro- banda.

gum entabantur autem sic: Christus, vt homo pro- pter naturam humanam susceptam à matre, subijcie- batur illi: ergo Christus vt Deus propter naturam diuinam à Patre susceptam multo magis subijcitur Patri: si ergo subijcitur, igitur non est æqualis, sed minor Patre. Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 8 expli- cans illud 1. Corinth. 15. Tunc & Filius subijcitur ei, admittit Filium subijci Patri secundum etiam naturam diuinam, quia secundum naturam diuinam facit, quæ placita sunt Patri; negat tamen inde inferri inæqualitatem naturæ, sicut homo homini sub- ditur; natura tamen est æqualis in eis. At vero cæ- teri patres dissentiant, negantes Filium secundum naturam diuinam Patri esse subiectum. ita habent Ambro. lib. 5. de Fide cap. 6. Hilarius lib. 11. de Trinitate. Hieron. Epist. ad Amandum, vbi citat Hilarium. Basil. etiam lib. 4. contra Eunomium, & re vera doctrinæ Cyrilli in hac parte præponenda est cæterorum Patrum sententia, nec illius euasio va- let: nam vbi est subiectio, necesse est distinctam esse voluntatem, intellectum, & potentiam obedientis, & eius, cui obeditur, hoc enim est obedire alteri, sentire, velle, facere, quod sentit, vult, præcipit; alter. cum igitur in Patre, & filio sit eadem volun- tas, intellectus, & potentia, sicut & essentia, non potest esse vnus ad alterum obedientia, aut subie- ctio, sicut nec eiuſdem hominis ad seipsum. Si igitur admittitur obedientia, & subiectio filij ad patrem, necesse est distinctam habere voluntatem, intellectum, & potentiam, & consequenter naturam: data autem natura distincta, consequetur Filium minorem, quia hæc natura erit à Patre facta, vt affirmabat Arius. Si autem ratio Cyrilli efficax esset, ideo filium subdi Patri, quia quæ placita sunt ei, etiam secundum di- uinam naturam facit, inferre oportet, etiam Patrem subijci Filio, quia Pater etiam facit, quæ filio placent, quam subiectionem etiam admittit Cyrillus, vt & Fi- lius Patri, & pater filio subijci dicatur. quæ locutio- nes sunt improprie; & non probandæ; vbi enim subiectio, & distinctio est voluntatum, & inæqua- litas quædam, quæ in patre, & filio non sunt: non ergo Christus secundum diuinam naturam est patri subditus. Ad argumentum igitur Ariani proposi- tum aliter respondendum est cum Augustino lib. 3. contra Maximinum cap. 18. supra allegato, cuius res- ponsio, & doctrina consistit in nonnullis dictis. Pri- mo quidem, Filius in humanis, non ea de causa sola subditur parentibus, quia genitus est, & naturam ac- cepit ab eis; si enim hoc esset, semper subijceretur dum viueret, nec daretur emancipatio legis, nec posset filius fieri superior patre, nec rex, nec præ- latus nec princeps super eum, quæ omnino falsa sunt. Secundo, Filius subditur humanis parenti- bus propter naturam acceptam conditionem, quia accipit eam ita imperfectam, vt indigeat in primis annis nutriri corpore, & erudiri animo. Tertio, consequitur ex his, cum filius in diuinis non sic ac- cipiat naturam à patre, sed absque vlla imperfe- ctione, & æque perfectam, non subditur secundum

Arianorum argumentum optime ab Augustino sol- uitur.

eam naturam patri, sicque soluitur argumentum Arianorum. Adde Christum naturam humanam habuisse distinctam à Matre, sicque potuisse sub- di ipsi: at naturam diuinam habet eandem omni- no cum patre; ideo ei subdi non potest. Arius ve- ro affirmans subiectionem hanc, distinguebat na- turas, negans Patris, & Filij consubstantialita- tem, quæ doctrina fidei Catholicæ aduersatur. Superest igitur subiectum dici ratione humanæ, in qua & distinguitur à patre, & minor est illo. In hac igitur subditus fuit patri, & parentibus, illisque obediuit, cum discrimine tamen, quod notat Am- brosius: nam patri obedientia erat debita, & secun- dum naturam, quia vt homo, erat minor patre, & natura erat ipsius opus; creata est enim humanitas Christi, ideo Deo subdita: at obedientia parentibus non erat debita, nec secundum naturam, cum esset æqualis cū parentibus, sed voluntaria, quia voluit illis subdi; sicut enim carnis infirmitates voluntarie sus- cepit, ita & obedientiam matris; non autem ratione, quia nõ habuit ignorantiam, nec indiguit erudi- tione. nõ ergo potuit non esse subditus patri, cum ho- mo esset, potuit tamen non subdi parentibus, si voluisset. Quando autem dico cum Ambrosio, obedi- entiam hominis Christi fuisse debitam patri, non intel- ligas Christum legi subditum ex legis ipsius Iudai- cæ obligatione, & vi; non enim sub lege compre- hendebatur, nec ex vi ipsius obediuit, sed quia vo- luit, aut quia sic voluit pater, vt legem, qua non comprehendebatur, impleteret. obedientia ergo hæc debita erat in his, quæ pater ei mandauit, qualia sunt quæ ad redemptionem pertinent: hæc enim iniuncta sunt ei à patre, immo quod legem imple- ret, quod parentibus subditus esset, qua ratione pa- ter sic voluit, debita erat obedientia; ratione vero legis, aut parentum ipsorum, voluntaria, & non debita fuit, nec necessaria, quia non ratione naturæ. Quod autem ex hoc loco ad mores facit, recte nota- uit Orig. hom. 20. Discamus, inquit, filij, subiecti esse parentibus nostris, maior minori subijcitur; nam quia maiorem Ioseph videbat ætare, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filijs exemplum tribuens, vt subijciantur parentibus. Quod si patres ijs non fuerint, subijciantur ijs, qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parētibus, & filiis? si Iesus fi- lius Dei subijcitur Ioseph, & Mariæ; ego nõ subijciar Episcopo, qui mihi à Deo ordinatus est pater? nõ subij- ciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præposi- tus est? Puto quod intelligebat Ioseph, quia maior se erat Iesus, qui subijciebatur sibi, & sciens maio- rem esse subiectum, trepidus moderabatur imperiū, videat ergo vnusquisque, quod sæpe melioribus præ- positus sit inferior, & nonnumquam accidat, quod il- le, qui subiectus est, melior sit eo, qui sibi videtur esse præpositus; Quod cum intellexerit dignitate sublimior, non eleuabitur superbia ex eo, quod maior est, sed sciet ita sibi meliorem esse subiectum, quo & Iesus subiectus fuit Ioseph. Hæc ille.

Christus ho- mo obedi- entiam debebat patri, non ma- tri, nec legi.

Morale docu- mentum Ori- genis.

Et mater eius conseruabat omnia uerba hac in corde suo.

COMMENTARIA.

ET si Virgo Beata, quæ fecerat, & dixerat filius, non plane tunc assequeretur, intel- ligebat nihilominus diuina, & humano sensu sublimiora esse, ideo non exci- piebat ea tamquam à puero duodecim annorum, sed tamquam à Filio Dei, & omni- scientia prædito dicta & facta, conseruabatque in corde suo, expectans à Spiritu sancto, cuius opera conceperat, eorum omnium opportuno tempore intelli- gentiam.

Quid per omnia verba hæc, sit hoc loco intelligendum.

Itus Bostrenus illud (verba) ea, quæ dicuntur, interpretatur, refertque non tantum ad ea, quæ dixerat nunc Christus, sed etiam ad ea, quæ ab Angelis, Pastoribus, Simeone, & Anna audierat. Hæc omnia Beata Virgo conseruasse nunc in corde suo dicitur. Euthymius ad dicta quidem refert, non tamen ad omnia præcedentia, sed ad proxima, nimirum, (in iis, quæ patris mei sunt, oportet me esse.) Et quidem probo ad proxima, & immediate præcedentia referendam esse hanc sententiam, id quod relatiuum illud (hæc) indicat; non tamen ad verbum à Christo prolatum tantum refero, sed etiam ad ipsum factum, quod remanserit solus in Hierusalem, inter doctoresque repertus sit, & quod post hæc sub-

Et Iesus proficiebat sapientia.

COMMENTARIA.

Ad duodecimo ætatis anno vsque ad trigésimum quid Christus gesserit, breuissimo compendio Euangelista percurrit, triplicem progressum eius describens. Primus est in sapientia: Proficiebat, inquit, & augebatur in dies sapientia, non quod habitus ipse in se sapientiæ augmentum reciperet, sed quod in dies sapientiora verba, & opera proferret; verba enim, & opera sapientiam Euangelista appellat.

ANNOTATIO LXXVI.

Ariani & Nestoriani hæretici reijciuntur.

Non modica est in huius sententiæ explicatio, ne controuersa. In primis quidem Ariani huc sapientiæ progressum in diuinam Christi naturam referrebant, indeque deducebant Dei filium minorem esse Patre, quippe qui tempore sapientior fieret. Meminere huius rei Athanasius, serm. 4. contra Arianos. & Ambros. lib. de incarnatione. Domini. sacra. cap. 7. & uterque illos redarguit verbo Euangelistæ sequenti, nimirum (proficiebat ætate) quod non diuinitati, sed humanitati conuenit: igitur sapientiæ profectus non est diuinitatis. Proce debat autem hic error ex altero; existimabant enim Ariani in Christo non esse animam rationalem, sed diuinitatē loco animæ unitā esse, hinc sapientiæ profectum, quæ animæ rationalis est, in diuinitate collocabant. Hanc autem resutare hæresim instituti præsentis non est. Quidam alij hæretici profectum sapientiæ ad humanitatem pertinere asseriebant, tamen in altero errabant; existimantes enim sapientiam, quæ erat Christi humanitatis, auctam, & incrementum secundum ætatem accepisse, inferebant purum fuisse hominem, & habuisse personam humanam, quæ non vnicbatur diuinæ, nisi ratione gratiæ, & virtutum, per quas Deus in illo homine erat; non enim capiebant, qua ratione, si hypostatice vnitus esset verbo, & vnica persona diuina illi esset humanitati coniuncta, fieri poterat illum hominem in sapientia profecisse. ita Nestoriani dicebant, referente Damasceno lib. 3. de fide, cap. 22. His vero reiectis erroribus, ad eos, qui Catholicæ in hac parte sentiunt, accedamus. omnes enim conueniunt, in diuina sapientia, seu ratione diuinæ naturæ non fuisse hunc profectum. Quo autem modo fuerit, varie explicant. Primo quidem Damascenus lib. 3. de fide, cap. 22. ratione corporis mystici affirmat, Christum dictum esse profecisse sapientia; non quidem in se, sed in eius fidelibus. Hæc tamen explicatio etiam si sit quorundam aliorum Patrum, non est satis accommodata, nec in ipsa ipse Damascenus conuiescit, sed aliam adiungit, nam in contextu hoc, ut ex antecedentibus liquet, sermo est de Christo in se, non de corpore eius mystico. Illud etiam verbum adiunctum (ætate) id ipsum probat, quod quidem dictum est de Christo ratione corporis proprii. Adde illò, tunc temporis nondum Christo

ditus illis permanserit. omnia hæc mira erant, & profundam causam præferebant, nec tunc Beata Virgo perfectam omnium rationem, & intelligentiam assequeretur, ideo conseruabat in corde suo. Moneor ut hoc affirmem, eo argumento, quia si ad dicta à Christo sola hoc referendum esset, Euangelista statim post verbum Christi adiunxisset hanc sententiam. at non ita fecit, sed dixit: Descendit cum illis, & venit Nazareth. Post omnia autem hæc addidit: Mater conseruabat omnia verba hæc. Nec nouum est in Scriptura Verbi nomen non solum dicta, sed etiam facta significare, ut notauimus superius ibi: (videamus hoc verbum, quod factum est.)

prædicante, non videtur corporis eius mystici factus profectus. Secundo igitur loco Orig. homil. 1. in Hieremiam, hunc locum de Christo ipso interpretatur; affirmat tamen Verbum ipsum profecisse non quidem in se, sed in humana natura; profectus autem fuit hic, quia quæ in se, ut Deus sciebat, sumpta natura humana nouo modo sciuit, nempe humano, vnde humana natura scientiā acquirere, ipsum verbū proficiebat in sapientia, nouo semper modo res ipsas cognoscens, quas prius sua sapiētiā diuinā cognouerat. profectū ergo refert ad Verbum ipsum propter nouitatem modi cognoscendi res. Improprie profecto loquitur; non enim aliter Deus proficere dicitur, nisi ex communicatione idiomatum, quia ille homo, qui Deus est, proficiebat. Tertio loco Athanasius. ser. 4. contra Arianos, & Cyrill. lib. 10. Thetau. c. 7. hunc profectum in Christo ratione suæ humanitatis interpretantur, sic tamen quod à principio incarnationis non fuerit à diuinitate illi communicata tota sapientia, sed paulatim, & temporis progressu illustrata fuerit, & sapientiam receperit, magisque ac magis sapiens euaderet. nec hoc dicunt repugnare vnioni hypostaticæ eius cum Verbo, ex plurim adferentes de morte, cæterisque passionibus: nam sicut quod humanitas passibilis, ac mortalis fuerit, sitim, famem, cæteraque similes infirmitates pateretur, non fuit impedimēto, quin vnita esset diuinitati; ita etiam de sapientiæ profectu: quamuis enim, non habuerit à principio totam sapientiam; sed paulatim receperit, non ob id effectū est, quo minus Verbo vnita fuerit. Vnde iuxta hanc sententiam admittēda est in Christi humanitate ignorantia aliqua. aliter enim sapientior euadere non posset, sicque eam admittit Athanasius loco citato. Quarto loco Ambr. lib. de incarnatione. Dom. sacra. c. 7. profectū in natura humana ponit, sicut Atha. & Cyrill. ita ut à principio non omnia nouerit Christus, sed progressu temporis. Est tamen discrimen inter Ambrosium, & Athanasium, ac Cyrillum, hi enim sic ponunt profectum in scientiā humanitatis Christi, ut dicant eam ab ipsa diuinitate communicari, paulatim reuelante animæ cognitionem: at Ambrosius non sic in ea profecisse dicit, sed per sensum acquirendo, sicut nos homines facimus. Quantum autem ad profectum non distinguit, an à diuinitate reuelante

Patris sententiæ de Christi progressu in sapientia, referuntur.

Christus proficiebat in scientia, quam experimētalem appellat, sed Euangelista non de hac loquitur.

Christus proficiebat in scientia, quam experimētalem appellat, sed Euangelista non de hac loquitur.

Recentiorum Theologorum sententiæ de triplici Christi scientiā explicatur.

reuelante, an per sensus humanos prouenerit. consensit Euthymius, immo videtur August. lib. 3. contra Maximin. cap. 23. idem sensisse, nam excludit profectum in sapientia diuina, affirmans ratione humanæ naturæ profecisse, licet idemmet August. lib. 2. de peccator. merit. & remis. cap. 29. doceret in Christo etiam infante propter vnionem ad Verbum, nullam fuisse ignorantiam. Deserta est hac sententiā à multis alijs Patribus, qui etiam ratione humanæ naturæ non admittunt Christum in sapientia profecisse, sed affirmant ex vnione ad Verbum, plenum fuisse sapientia, & gratia. Vnde alium modum quinto loco excogitarunt, quo profecisse dictus sit sapientia, nimirum, quantum ad ostensionem, & manifestationem: nam temporis progressu sapientior videbatur, eiusque latens plenitudo, sapienter paulatim exterius magis ac magis elucebat. Hic modus est Gregorij Nazianzeni in oratione in laudem Basilij, cuius verba sunt: Ille, ut ætate, & sapientia, & gratia proficiebat, non quod hæc in illo incrementum caperent (quid enim illo quod à principio perfectum est, perfectius esse potest?) sed quod paulatim patefierent, & elucerent. Hæc Gregor. Idem habet Hieronymus super illud Ierem. 3. 1. (Mulier circumdabit virum.) Iuxta incrementa, inquit, ætatis per vagitus, & infantiam proficere videbatur sapientia, & ætate, sed perfectus vir in ventre femineo solutis menibus continebatur. Hæc Hieronymus. Idem habet Titus Bostrenus, Epiphanius in Ancorato, & Damascenus lib. 3. cap. 22. Nicoph. lib. 1. histor. c. 14. Anselmus lib. 1. cur Deus homo c. 9. & Bernar. serm. 2. in Missus est. Et licet videatur Cyrillus loco allegato id sentire, reuera non ita est: nam loquitur de sapientia diuina, quæ magis ac magis apparebat in ipsa humanitate, dum eam in dies illustrabat. Sexto loco post Patres antiquos superuenere scholastici Doctores, qui rem hanc explicatius tractantes, præcipue illam scientiam, & sapientiam, quam Christus, ut Deus habet, quæ eadem est ac Patris, & Spiritus sancti sapientia, distinguunt in humanitate eius tres scientias. Vna est, quam visionis Scientiam appellant, qua videbat intuitiue diuinitatem ab exordio incarnationis, sicut beati vident, & in ipsa diuinitate creaturas cunctas. cuius scientiæ meminit Augustinus lib. 4. de consensu Euangelistarum cap. 10. & in hac nullum fuisse augmentum dicant, sed totam plenitudinem animam illam accepisse ab incarnatione Verbi. Altera est, quam infusam vocant; ut enim Angelis, & Adæ in principio etiam scientiam Deus infudit; ita & animæ Christi, quæ ita perfecta fuit, ut nihil creatum ignorauerit; per eam tamen nihil sciuit, quod per scientiam visionis non sciuerit, sed scientia hæc nouum sciendi modum attulit; per visionis enim scientiam nouit omnia in diuina essentia, per hanc vero infusam nouit res in seipsis. Tertiam scientiam adiungunt, nimirum, acquisitam, & experimentalem: nam etiam si sciret iam omnia, tamen ipsa re, & effectū ex rebus visis, & sensu perceptis accedebat scientia acquisita, ut quod ante infusa nouerat, etiam speciebus sensu perceptis, sciret per acquisitam, quibus postis interpretantur locum hunc, nimirum profecisse sapientia acquisita, non quod sciret de nouo quod ante ignorabat, sed quod sciret nouo modo id, quod ante quidem sciebat, sed non eo modo. Forlan hæc fuit mens Ambrosij, supra citati. quia vero ipse non meminit alterius scientiæ in Christo vltra diuinam, nisi huius acquisitæ, ideo separauimus eius sententiam ab alijs.

In hac parte mihi nonnulla videntur. Primo.

in Christo fuisse scientiam quandam experimentalem, quam vocant, eamque non ab exordio incarnationis perfectam, sed progressu temporis sensuum exercitio auctam, ideoque in hac eum scriptura profecisse, ut sacri Doctores docent; nam Isai. 7. dicitur, Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. & rursum: Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, quem locum Augustinus libr. 8. super Genesim ad literam, cap. 14. interpretatur de Christo, distinguens in eo prudentiam, & experientiam. Est etiam illud Hebr. 5. Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. quem etiam locum interpretans Oecumenius, scientiæ huius experimentalis meminit; nec in hac parte dissentiant Doctores. An autem hæc scientia acquisita, siue experimentalis, sit habitus distinctus ab habitu scientiæ infusæ, relinquatur scholis; non enim nostri instituti est hoc diffusius proficere. De huius scientiæ, seu experientie profectu non videtur mentio fieri in hac sententiā, tum quia dicitur profecisse apud homines: at profectus in experientia potius fuit apud ipsummet Christum, tum quia sapientia hæc coniungitur gratiæ, vnde non de experimentalis, quæ est rerum sensibilium, sed de diuina sermo est; tum etiam, quia verbum Græcum σοφία, nunquam in Scriptura sumitur pro hac scientia, quæ dicitur proprie σοφία.

Secundo, non est affirmandum, Christum profecisse in sapientia ita, ut aliquid de nouo cognosceret, quod non ante cognoscebat. ut enim verè dicit Damasc. lib. 3. de fide cap. 22. ex vnione ad Verbum fuit illa anima omni gratia, & sapientiā repleta, quod etiam Ioannes cap. 1. nos docuit, ubi habitasse inter nos Verbum carnem factum testatur plenum gratiæ, & veritatis. & noster Euangelista paulo ante dixit: Crescebat plenus sapientia, nec enim noster Adam cælestis inferioris est conditionis Adamo terreno, cui omnis scientia fuit infusa, & non progressu temporis accepta. sicut igitur ab initio vnionis anima Christi habuit arbitrii vsum, ita & perfectionem, quantum ad scientiam, & gratiam, in quo conueniant scholastici Doctores cum multis Patribus supra citatis. Tertio, valde probabilis est expositio Patrum, affirmantium profectum hunc in sapientia fuisse quantum ad ostensionem: ut enim Solem dicimus obscuratum nubibus, & dum paulatim hæc dissoluntur, asserimus Solem clarescere, & elucescere, quamuis in se semper luceat; sic Christus in se plenus sapientia obscuratus videbatur infantia carnis, dum radios suos non emittebat; paulatim autem procedente ætate pandebatur, ideoque proficere dicitur, non quod in se sapientior fieret, sicut nec Sol lucidior; sed quod sapientior videretur. Quamuis autem ita sit, habet aliquid difficultatis hæc interpretatio, tum quia Euangelista æqualem videtur fecisse profectum sapientiæ, ætatis, & gratiæ; qui autem ætatis est, non in ostensione tantum, sed in re ipsa positus est: ergo & reliqui duo similem debent habere rationem. Scio in Scriptura eadem verba in eodem contextu habere diuersam significationem, ut Matth. 8. Sine mortuos, nempe anima, sepelire mortuos suos, scilicet corpore. & Ioan. 17. Ascendo ad Patrem meum, nempe naturalem, & viderum, nimirum adoptionis. tamen in his est distinctio quædam. hi enim sepeliunt, illi sepeliuntur. hic meus, illic vester dicitur, vnde significatio variari apte potest: at hoc in loco vnicum est verbum tria hæc complectens. debet ergo vnicam significationem, proportionem quadam habere: tum quia iuxta hanc expositionem dicere etiam possumus, Verbum, seu

Probabile est ideo in sapientia profecisse, quia in dies sapientior in se ostendebat.

Math. 8.

seu Christum ratione naturæ diuinæ profecisse, quod asserere isti. Doctores reformidantes, confundunt ad naturam humanam. at quantum ad ostensionem, dici etiam posset profecisse, quia Verbi sapientia paulatim se prodebat per humanitatem illam; tum etiam, quia impropria est significatio verborum, proficere, id est, videbatur proficere, seu paulatim se ostendebat. ad improprietatem autem significationem verborum non est reuertendum, nisi impellente necessitate, aut urgente ratione; cum autem possimus interpretari verba accommodatissime, seruata proprietate, non est cur improprietate utamur. Idcirco aliter mihi accommodatius dicendum videtur: sapientiam enim non ipsum habitum sapientiæ appellat, sed opera ipsa, & verba, quæ à sapientia procedunt. in his autem vere Christus secundum ætatis incrementum proficiebat, quia opera sapientiora edebat, & verba sapientiora loquebatur; non enim omnia externa

opera æqualem sapientiam habent, contingit sapienter, & sapientius operari, & loqui. Christus autem licet plenitudinem intus sapientiæ haberet; exterius tamen verba, & opera sapientiora proferebat pro ætatis incremento. Non est autem iniustitatum in Scriptura, verba, & opera externa, quæ à sapientia procedunt, appellare sapientiam, immo frequenter id fit. 2. Paralipom. 9. dicitur de Regina Saba: Postquam vidit sapientiam Salomonis. & 3. Regum 4. Ad audiendam sapientiam Salomonis: sicut etiam Luca 11. Venit audire sapientiam Salomonis. Prouerbiorum 2. Audiatur sapientiam auris tua: 1. Corinth. 2. Loquimur sapientiam. Dicta ergo, & facta à sapientia procedentia nomine appellantur sapientiæ: in hac Christus ratione humanæ naturæ progressum vere fecit. sicut in ætate. Atque hæc explicatio mihi sane accommodatior, & prior videtur.

Et ætate.

COMMENTARIA.

HIC est secundus profectus; ætate autem proficiebat, quia secundum carnem ab infantia ad pueritiam, & à pueritia ad adolescentiam, & ab hac ad iuuentutem, & virilitatem annis decurrentibus progrediebatur, sicut cæteris hominibus euenit. Coniunxit autem Euangelista sapientiæ ætatem, vt significaret Christum per ætatis incrementum, sapientiam, qua præditus erat, protulisse, & in ea exterius profecisse.

ANNOTATIO LXXXVII.

AEtate, Græce ηλικία, quod ætatem, & staturam significat, vnde quidam vertunt staturam, nempe proficiebat statura, sicque videtur Athanasius intellexisse serm. 4. contra Arianos: hunc enim locum exponens, ad dimensionem quantitatis corporeæ refert, ex hoc probans, non posse competere diuinitati, quæ corporis experta est. Vulgatus vero inter-

pres vertit ætatem, eamque significationem secuti sunt Titus Bostrenus, & Damascenus lib. 3. de fide cap. 22. qui duo Doctores hæc verba in eum sensum, quem in commentario secuti sumus, interpretantur, nempe dictum esse, profecisse sapientia, & ætate, quia pro ratione ætatis crescentis in sapientia proficiebat.

Et gratia.

COMMENTARIA.

HIC est tertius profectus, nimirum gratia, qua Deo gratus erat, illique acceptus, & sanctus, non quod sanctior, aut gratior progressu temporis factus fuerit, qui ab exordio incarnationis plenus gratia erat, sed quod per ætatis incrementa, perfectioribus gratiæ, & sanctitatis operibus incubuerit; quamuis enim quoduis opus, & verbum Christi, ratione personæ operantis esset æqualis sanctitatis, non tamen ratione ipsius operis, & verbi; gratius enim opus fuit ratione operis ieiunium quadraginta dierum, quam vnus tantum. Gratiam autem in Scriptura, sicut & sapientiam accipi pro dictis, & operibus, quæ ex gratia emanant, frequens est. Psalm. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis. Eccles. 10. Verba oris sapientis gratia. Act. 24. Volens gratiam præstare Iudæis. 1. Petri. 2. Hæc est gratia apud Deum.

ANNOTATIO LXVIII.

CVM Christi gratia, quæ animæ infusa erat, ex vnione Verbi procederet, totam eius plenitudinem accepit à principio, habitauitque in nobis Verbum ratione carnis plenum gratiæ, & veritatis, vt docte annotauit Damasc. lib. 3. de fide cap. 22. nec Catholici Doctores in ea progressum illud, sicut in sapientia interpretantur, nimirum vt in se suscipiat augmentum, licet qui profectum in ostensione sapientiæ

explicant, idem dicant de gratia. Nos vero gratiam opera ipsa gratiæ explicamus, vt in Commentario dictum est, sicut opera religionis dicuntur Religio. Iacobi. 1. Hæc est religio, visitare pupillos. In his ergo profectus fuit, non autem in gratia secundum habitum. Pro cuius explicatione notandum est multiplex discrimen, quod inter Christi gratiam infusam, & eam, quæ nobis per ipsum datur, interest. Primo quidem

Quid in hac re Auctor sentiat, exponitur.

Quid ætatis nomine significetur.

Aliter de gratiæ, quam de sapientiæ profectu loquuntur Doctores.

quidem gratia in nobis est ab extrinseco; non enim nec ex personæ nostræ, aut naturæ ratione consequitur, sed ex Christi merito gratis nobis à Deo impartitur, immo nec Angelis data est gratia, quasi ex virtute naturæ, aut personæ ipsorum consequeretur, sed ex puro Dei beneplacito: at in Christo gratia infusa procedit, & emanat ex diuinitate vnica illi naturæ, ita vt natura humana, quia coniuncta est diuinitati, & vnica personæ, assequatur, & recipiat plenitudinem omnem gratiæ, quod supra Angelus significauit; Ideo, inquit, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Vbi annotauimus, tum ex virtute conceptionis, quia homo ille de Spiritu sancto conceptus est, tum ex vi vnionis, quia ille homo filius Dei est, gratiam perfectam habuisse; nos vero nec ex conceptione, nec ex persona, aut natura nostra eam habemus. Vt enim, inquit, Damascenus loco citato, ditata est illa natura humana propter vnionem verbi omni sapientia, & gratia. Secundo, gratia nobis collata facit de peccatore iustum; sumus enim concepti prius in peccato, quod gratia subsequens delet, et si non essemus in peccato concepti, qualis Adam fuit, & Angeli, gratia, si non de peccatoribus iustos, & sanctos, saltem de non sanctis sanctos, & de non acceptis, ac gratis gratos Deo faceret, sicut corpus de non albo fit album per albedinem, quando nulla præcessit nigredo, quia non haberet Angelus, aut homo acceptationem & sancti-

tatem nisi ab infusa gratia; at Christi gratia infusa non sic se habuit; erat enim si non tempore, saltem origine prius illa natura humana gratificata, & Deo acceptissima per diuinam personam Filij Dei illi vnitam; nam ille homo, quia Filius erat Dei, acceptissimus erat Deo, gratia autem infusa consecuta est, & emanauit; sicut splendens, & radius à luce Solis; vnde nec fecit de non grato gratum, de non bono bonum, sed bonum, & gratum ornauit, vt dicebat Dei filium. Hoc Matth. 3. significatur; Hic, inquit, Filius meus est, in quo mihi bene complacui. vbi quia filius erat, complacuisse dicitur. Quod etiam August. lib. 3. contra Maximin. c. 23. docuit, dicens, per gratiam non effectum Christum de non bono bonum. Id etiam tradidit Basilus hom. Psal. 45. Exprensus illud (sanctificauit tabernaculum suum Altissimi) vbi humanitatem Christi ipsa diuinitate vnica sanctificatam dicit. inde est, vt non sit dicendus filius adoptionis, sicut nos, qui de non filijs filij per gratiam efficiuntur, sed naturalis, vt docuere Hilarius lib. 12. Trinit. & Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 1. Tertio, gratia in nobis per opera bona augetur, in diebusque crescit, magisque ac magis sanctificamur; at in Christo non sic, cum enim ex vnione procederet, vnio autem a principio perfecta fuit, idcirco gratiæ plenitudo data Christo semel fuit. Multæ alix interfere differentix, ad nostrum institutum hæc sint satis.

Apud Deum, & homines.

COMMENTARIA.

HÆC verba ad præcedentia tria referuntur, nimirum (proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines) apud Deum quidem, quia erat augmentum, & profectus non solum in apparentia, respectu hominum, sed re ipsa apud Deum; erant enim sapientiora, & gratiora in se in dies, sicut & ætas prouectior.

ANNOTATIO LXXXIX.

Sensus in commentario traditus magis explicatur.

Titus Bostrenus, qui hunc profectum Christi interpretatur secundum ostensionem, & demonstrationem, verbum illud (apud Deum) sic intelligit, nimirum (Deo disponente) sic enim disposuit Deus, vt Christus secundum ætatis incrementa, maiora suæ sapientiæ, & gratiæ argumenta hominibus præberet, seque illis manifestaret. nos vero qui non ratione solius ostensionis, sed re ipsa profectum hunc esse diximus, scilicet operibus ipsis, & verbis, quæ nomine sapientiæ, & gratiæ appellantur, explicui-

mus illud (apud Deum) pro eo, quod dicitur, vere; sæpe enim hominibus aliud videtur, quam est; at Deo ipsi nuda veritas adit: idcirco dicitur profecisse apud Deum, quia vera opera sapientiæ, & gratiæ faciebat. Additum etiam est (apud homines) quia sæpe contingit, quod verum est apud Deum, non vt tale ab hominibus recipi; at Christus proficiebat & apud Deum, & apud homines; magnificabatur enim ab eis, & à Deo.

ANNOTATIO XC.

Quorum Euangelista repetat sermonem de Christi profectu, cum paulo ante dixit, crescebat & confortabatur.

Dubitatio quædam occurrit, quare Euangelista repetit hanc sententiam, nam paulo antedixerat (crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Deierat in illo) Respondeo illam priorem sententiam dictam esse de Christo ab infantia ad duodecimum annum, quo tempore suæ sapientiæ, & gratiæ nondum hominibus specimen dederat. vnde plenitudo illa sapientiæ, & gratiæ erat apud seipsum; semper enim infans gratiæ, & sapientiæ actibus eminebat: exterius tamen nondum apparere voluit, nec opera externa suæ sapientiæ, & gratiæ talia edidit, quæ homines in admirationem, & considerationem eius conuerterent: at à duodecimo anno, quando iam vsus rationis perfectus solet hominibus inesse, tunc apud homines etiam proficere incepit sapientiæ, & gratiæ

operibus. Qui ergo apud Deum semper profecit, quod dictum est in priori sententia, à duodecimo vero anno vsque ad trigessimum, cuius opera statim describere incipit Euangelista, etiam apud homines profecit. Et hoc est, quod in hac posteriori sententia dictum est: nam profectus iste complectitur totum illud tempus Christi, quod fuit vique ad baptismum, & prædicationem eius, cuius sequenti capite meminit Lucas, nec aliud habemus ab Euangelistis ex ijs, quæ Christus fecit, & dixit hoc toto medio tempore, quæ absque dubio egregia, & miranda, fuere; sanctissimam enim super omnes sanctos vitam agebat, & magnam apud homines sui opinionem conciliabat, donec se esse Christum manifestare à baptismo incepit.

FRANCISCI
CARDINALIS TOLETI
IN SACROSANCTVM
LVCÆ EVANGELIVM
COMMENTARII.

CAPVT TERTIVM.

ANNO autem quintodecimo imperij Tiberij Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilina tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem, Zacharia filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum penitentia in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaia propheta: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius: omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei. Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: Genimina uiperarum quis ostendit uobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos penitentia, nec cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod constitutum est uobis, faciatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & no? Et ait illis: Neminem conculcatis, neque calumnia faciat, & contenti estote stipendijs uestris. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus: respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo uos: ueniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius: ipse uos baptizabit in Spiritu sancto, & igni: cuius uentilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem, & alia exhortans euangelizabat populo. Herodes autem tetrarcha cum corripere ab illo de Herodiade uxore fratris sui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes, adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcere. Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est calum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & uox de celo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Mathathia, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesti, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathia, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Eoos, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit Aminadab, qui fuit

fuit Aram, qui fuit Efrom, qui fuit Phares, qui fuit Iuda, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

CAPVT TERTIVM.

Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Caesaris.

COMMENTARIA.

SUPERIORIBVS capitibus Saluatoris ortum, & infantiam Euangelista descripsit, eaque narrauit, quibus eum etiam si infantulum, Christum tamen esse, verumque Deum, & hominem cōprobauit. Nunc in hoc tertio prætermisiss, quæ à pueritia vsque ad tricesimum ætatis suæ annum gessit, exponit, quomodo Ioannis præcursoris per prophetas prænunciati testimonio, & prædicatione fuerit manifestatus. Ut autem amplius ostendat aduenisse tempus Messia, Imperatorem notat, quo regnante, prædicatione incepit, & annum numerat decimum quintum Tiberij Caesaris, qui proxime Augusto successit. Moris enim erat Prophetarum & nomina, & annos Regum, sub quibus prophetabant, describere; cum autem iam Regnum Iudææ à naturalibus abscissum ad externos, nempe Romanos decidisset, eorum nomen, & tempus obseruauit. Erat igitur annus decimus quintus imperij Tiberij, quando quæ narrare incipit, gesta sunt.

ANNOTATIO I.

Quare Euangelista in prædicatione Ioannis, meminit Imperatoris Romani.

DEBITARE posset quispiam; cum in ortu Ioannis, Euangelista temporis narrationem ab Herode sumpserit, dictum est enim capite 1. Fuit in diebus Regis Iudææ sacerdos quidam; cui in prædicatione non eandem seruauit rationem. Cui facile respondeatur, rerum statum fuisse commutatum. in ortu enim Ioannis, & Saluatoris Iudææ proprium habebat Regem; licet enim Herodes ille alienigena esset, tamen Rex erat Iudææ, & ipsa Regni nomen conseruabat, at prædicationis tempore ablatum erat Regni nomen à Iudæa, & in prouinciam translata, ac Syriæ annumerata, idcirco tempus non à proprijs Regibus, sed ab eo, qui toti prouincia imperabat, describitur. Ex hac autem temporis notatione, annus, quo Christus, & Ioannes prædicare cœperunt, manifestatur; natus enim est Christus anno quadragesimo secundo imperij Augusti. Hic, ut Iosephus testatur, quinquaginta septem imperauit, cui successit Tiberius, eiusque decimo quinto anno prædicatione incepit. tam ergo Ioannes, quam Christus trigessimum ætatis suæ annum agebant, quando prædicare cœperunt. Ioannes enim sex mensibus Christo tempore maior erat. Est autem hoc loco maxime obseruandum, Euangelistam diuino consilio diligentissime, & imperium, & imperij annum notasse, ut sic comprobaret Messia tempus, & regnum aduenisse, fidemque suæ historię de Christo faceret. Quæ res, ut manifesta fiat, attende inter multas alias de futuro tunc Christo prophetias tres fuisse, quæ tempus aduentus ipsius maxime indicabant. Prima erat Genes. 49. Non auferetur, inquit, sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec ueniat, qui mittendus est. Hoc autem tempus aduenisse, ea

quæ nunc Euangelista narrat, manifesto probat; adeo enim erat iam ablatum regnum à Iudæis, ut non solum Regem de Iuda non haberent, sed nec Iudæa ipsa Regni dignitatem obtineret, redacta in prouinciam sub imperio Tiberij Caesaris. Hanc prophetiam notat Titus Bostrenus ab Euangelista indicatam. Erat altera propheta Danielis 2. ubi Nabuchodonosor sub figura quadam statuae, ex varijs metallis confectæ quatuor Monarchiæ futura reuelata sunt, Chaldaeorum, Persarum, Græcorum, Romanorum; vltimæ autem huius tempore aduentus Christi tempus prædicitur per Danielelem, exponentem, & declarantem figuram: In diebus, inquit, Regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & quod alteri populo non tradetur, & consumet, & comminuet omnia regna illa, & ipsum stabit in æternum. Hoc regnum est Christi, quod Ioannes indicat, dicens: Appropinquauit regnum cælorum. & Dominus ipse Matth. 12. Peruenit in uos regnum Dei. Recte ergo Lucas meminit imperij Romanorum, ut tempus illud esse iam significaret, quando Regnum illud suscitandum erat, quod fuerat ante promissum. Tertia erat propheta eiusdem Danielis 9. cui tempus reuelatum est, quod supererat vsque ad aduentum Christi, nempe septuaginta hebdomadarum, quas Iudæi omnes hebdomadas annorum intelligendas esse sciebant, quæ conficiunt annos quadringentos nonaginta. cum autem ab anno duodecimo Cyri numerus incipiat, ut ex ipso Daniele constat, fit ut anno Tiberii decimo quinto iam hebdomadæ compleantur, non quidem omnino, sed sic, ut necessarium sit Christum aduentasse, & aduise in mundo. Si igitur prophetias consideremus, inueniemus tempus hoc Tiberii illud esse, quando Christus salutem mundo impertiri venturus erat,

Lucas his uerbis indicat tres prophetias de Christi aduentu iam fuisse impletas.

erat. idcirco Euangelista illud notauit diligenter. Multa dicenda erant, si prophetias haece discutendas, & explicandas susciperemus, sed non est id in-

stitutum nostrum, satis sit, quae ad Euangelistae sensum intelligendum sufficere videntur, attingisse.

Procurante Pontio Pilato Iudaeam.

COMMENTARIA,

Romani Imperatoris nomine Pontius Pilatus gentilis tunc in ea parte terrae promissionis praesidebat, quae Iudaea dicebatur, quam duae Tribus Iuda, & Benjamin incolebant, & in qua erat ciuitas Hierusalem totius Terrae promissionis prima. In ea etiam parte regnauerat Archelaus filius Herodis primi, eo tamen a Regno expulso, Caesar per suos Praesides imperabat, quorum vnus illo tempore Pilatus erat. Dicitur ergo (procurante Iudaeam) id est, praesidem agente in Iudaea.

ANNOTATIO. II.

Post Herode Regem eius regnum in prouincias fuit a Romanis diuisum.

Mortuo Herode magno, qui pueros occidit, & fere totius terrae promissionis regnum a Romanis obtinuerat, tres filios superstites relinquente, Augustus Caesar non vni totum regnum, sed in singulos diuisit sic, vt mediam partem totius Regni daret Archelao natu maiori, in qua medietate Iudaea continebatur; reliquam vero medietatem in duos alios fratres natu minores diuisit; vnam enim partem dedit Herodi, nomen patris habenti, alteram vero Philippo. Huius auctor est Iosephus lib. 17. Antiquit. cap. 17. Archelaus autem quibusdam de causis post aliquot Regni eius annos priuatus est per eundem Augustum, & in exilium missus, nec loco eius alter est substitutus, sed in prouincia sub Romano Impe-

rio redactum est totum illud, quod ille regebat, & Praesides mittebantur ad certum tempus. Fuit autem vnus Pllatus, non quidem primus post expulsionem Archelai, sed quintus, quamuis si Quirinum Praesidem numero primum comprehendamus cum Iosepho lib. 18. Antiquit. cap. 3. erit Pilatus sextus; sed re vera ille non hoc numero comprehenditur, qui fuit totius Syriae praeses, sed eos solos numeramus, qui in Iudaea praesederunt, quorum Coponius primus, secundum locum obtinuit Marcus Ambiuus, tertium Ancus Ruffus, quartum Valerius Gratus, quintum Pontius Pilatus, cuius procurationis anno quarto, vt refert Eusebius lib. 1. hist. cap. 10. Ioannes incepit praedicare.

Tetrarcha autem Galilaeae Herode.

COMMENTARIA.

Herodes hic dictus Antipa, frater erat Archelai, cui Augustus alteram partem medietatis Regni illius primi Herodis donauerat, non Regis, sed Tetrarchae titulo. Erat autem haec pars prouinciae Galilaeae, in qua conceptus est Christus, Nazareth enim ciuitas erat Galilaeae.

ANNOTATIO. III.

Quid Tetrarchia & Tetrarchia significent.

Tetrarcha, & Tetrarchia vocabula sunt a Romanis scriptoribus usurpata, petita tamen a Graecis. Brant autem Tetrarchae Principes, quartam, aut aliquam Regni portionem obtinentes, vt iidem sint, qui Toparchae, locorum videlicet praesidentes. Romani enim regna superata sinebant, quo minus rebelandi vires haberent, ipsique certis limitibus discernabant, singulasque partes praefectis quibusdam dabant, hos Tetrarchas, aut Toparchas, regiones ve-

ro Tetrarchias, aut Toparchias appellabant, vt videre est apud Plinium lib. 5. cap. 18. licet enim Tetrarchia quartam partem regni significet, forsitan quia a principio in tot partes regio diuidebatur; tamen postea vocabuli significatio extensa est, & ampliata ad quamcumque partem, seu portionem. Erat igitur Herodes hic Tetrarcha Galilaeae; ablatum enim ei erat honor, seu dignitas regia.

Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturae, & Trachonitidis regionis.

COMMENTARIA.

Erat hic Philippus tertius frater, qui in Tetrarchiam a Romanis alteram medietatis partem, regionem nempe Trachonitidem, & Ituraeam obtinebat. Hieronymus lib. de locis Hebraicis eandem putat regionem Trachonitidem, & Ituraeam; diuersis enim nominibus appellata est.

Et Lyfania Abilinae Tetrarcha.

COMMENTARIA.

Quadam erat portio Terrae promissionis, quae sub Herodis primi regno non erat, in qua etiam Romani imperabant, & hanc Lyfania quidam nomine in Tetrarchiam

tetrarchiam obtinebat. Appellabatur haec regio Abilina ab Abila ciuitate eius praecipua, sic nominata, quae quidem regio sita est inter Libanum montem, & Antilibanum. Tota igitur terra Iudaeorum a Regno ceciderat, & a Romanis occupabatur, eo tempore quando gesta sunt, quae nunc narrat noster Lucas.

ANNOTATIO. IIII.

Non constat quis fuerit iste Lyfania.

Augustinus lib. Quaestionum noui, & veteris testamenti Cap. 11. siue quisquis auctor illius est, simul & Beda, quos quidam alij sequuntur, putant Lyfania fuisse etiam fratrem Archelai, Herodis, & Philippi, primumque Herodem hos quatuor habuisse filios superstites, inter quos diuisum est regnum illius. At re vera hoc improbabile est; Iosephus enim diligentissimus scriptor huius historiae lib. 2. de bello Iudaico. cap. 21. & alibi tres numerat filios superstites, quibus diuisum est regnum, tribus portionibus solis factis; & vna, quae totius medietas erat, Archelao tributa. Quidam recentiores existimant hunc Lyfania illum esse, cuius meminit Iosephus lib. 14. Antiquit. cap. 21. vbi affirmat eum fuisse Ptolemæi Minæ filium. At re vera hoc est non minus improbabile; constat enim ex eodem Iosepho lib. 15. Antiquit. cap. 4. eum Lyfania occisum fuisse a Cleopatra, quod quidem fuit nonnullis annis ante Chri-

stum natum. Certum igitur est hunc Lyfania non esse illum, cuius eo loco meminit Iosephus, forsitan eius filius fuit. parum id refert, sufficit ad intelligentiam Euangelistae, quendam appellatum Lyfania tunc temporis praesidem fuisse, & Tetrarcham regionis Abilinae. Greg. hom. 20. Euangeliorum, cur Euangelista vnus imperantis inter gentes, & multorum praesidentium apud Iudaeos meminerit, causam reddit: Quia gentilitas, inquit, colligenda erat, & Iudaea pro culpa perfidiae dispergenda. ipsa quoque descriptio terreni principatus ostendit, quoniam in Romana Republica vnus praefuisse describitur, & in Iudaea Regno per quartam partem multi principabantur; voce enim nostri Redemptoris dicitur: Omne regnum in se diuisum desolabitur. liquet ergo quod ad finem regni peruenerat, quae tot regibus diuisa subiacebat. Haec ille.

Quare Lucas meminerit vnus Gentium Imperatoris & quatuor Principum Iudaeorum.

Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha.

COMMENTARIA.

Non solum Principum temporalium, sed etiam Sacerdotum regimen notatur. Sub his, inquit Sacerdotibus summis facta est praedicatio Ioannis, Anna, & Caipha, non quod hi simul praesentent, nunquam enim fuit rerum Iudaicarum status ita perturbatus, vt duos simul habuerit summos Sacerdotes, sed quod sub Anna primum, postea sub Caipha, illo a Pontificatu remoto, praedicauerit, sicut Prophetarum solebant suae prophetiae tempora describentes multos referre Reges, non quod illi simul regnarent, sed quod illi tempore toto, quo illi regnarunt, inuicem sibi succedentes, prophetarunt. Praepositur autem Anna Caiphae, quia quando Ioannes incepit praedicare, Anna pontificatum gerebat, Caipha vero Pontifice succedente praedicatio completa est, sub quo etiam Christus crucifixus fuit.

ANNOTATIO. V.

Anna & Caipha num eodem tempore fuerint summi Pontifices.

Augustinus Tract. 49. in Ioan. existimat Annam, & Caipham simul summos Pontifices fuisse, & per vices singulos ministrasse. Euthymius autem existimat ab Euangelista Caipham nunc positum esse non tamquam summum Pontificem (solus enim Anna Pontifex erat) sed tamquam Pontificis adiutorem. Eusebius vero lib. 1. hist. cap. 10. refert, non quidem simul vtrumque Principatum gessisse, sed Ioannem sub vtriusque principatu praedicasse, ita vt sub Annæ pontificatu inchoaret, & vsque ad Caiphae pontificatum praedicatio perseveraret. Et quantum ad hoc, ea est legitima historia, & verus sensus Euangelistae. Dixi, quantum ad hoc, quia quæ dicit de numero annorum praedicationis Christi, sumpto ex ijs, quæ narrat Iosephus lib. 18. Antiquit. cap. 4. nimirum, Gratum praesidem remouisse Ananum a Pontificatu, & inuicem tres alios substituisse vsque ad Caipham, non est ad rem, nam haec gesta sunt a Grato, qui praecessit Pilatum, huius autem tempore praedicatio Ioannis, & Christi incepere. Quod autem dicit Augustinus, non videtur probabili niti fundamento, vt ostendimus in commentarijs super Ioannem cap. 18. in principio. Quod vero asserit Euthymius, verbis Euangelistae non accommodatur; non enim Euangelista adiutorem, sed Pontificem, seu Principem Sacerdotum appellat Caipham. Sententia igitur Eusebij ve-

ra est, eo magis quod tunc temporis non erant perpetui Sacerdotes, sed ad tempus pro Romanorum arbitrio, vt diximus in Commentarijs loco allegato, idque Beda in praesenti tradit, dicens annos fuisse Sacerdotes, immo aliquando breviori tempore durabant pontificatus; erat ergo illo anno Anna Pontifex, quando praedicare incepit Ioannes. Non enim sine diuino consilio Lucas pontificatus meminit sub diuersis personis Anna, & Caipha, vt etiam ex hoc tempore Christi aduenisse significaret; erat enim Sacerdotium illud cessaturum, & in aeternum Christi Sacerdotium commutandum, sicuti praedictum erat 1. Regum 2. Suscitabo mihi, inquit, Sacerdotem fidelem. & psal. 109. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Ad finem ergo Sacerdotium illud peruensse indicabat, quando iam non Sacerdotes secundum legem creabantur; nam secundum legem Sacerdotium toto vitæ tempore Pontificis perdurabat, & secundum generationis feriem a patribus in filios deriuabatur, quod iam per Romanos illo tunc temporis erat ablatum. Inquit Origenes hom. 21. cur vtriusque Principatus, nempe gentium, & Iudaeorum Euangelista meminerit, & respondet eo factum, vt significaret Christum in salutem vtriusque populi venisse. Gregorius hom. 20. Euang. alteram adfert causam, nimirum, vt insinuaret

Quare Euangelista meminerit Principatus gentium & Iudaeorum.

suaret Christum regem simul esse, & Sacerdotem. Hæc vera sunt. Superius autem adiunximus causam aliam, scilicet, ut tempus, Christi aduentus significaretur, vti ex prophetijs explicuimus, tam quoad

regnum, quam quoad Sacerdotium. Adde etiam veritatem historiarum his circumstantijs tam publicis, & diligenter notatis, plurimum commendari.

Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium.

COMMENTARIA.

HOC igitur quinquodécimo anno Imperij, & his Præsidijs, & sub dictis Sacerdotibus, iussus est à Domino Ioannes, qui tunc habitabat in deserto, prædicare, & baptizare populum, & Christum annunciare, & manifestare. Hoc significant verba proposita. Phrasis Hebræa est, sæpe à Prophetis usurpata; Factum est verbum super, seu ad hunc, vel illum, id est, manifestavit, aut mandatum dedit Deus aliquid dicendi, vel faciendi. Mos etiam est Prophetarum, nomina parentum indicare. Isaia. 1. Visio Isaia filij Amos. Jerem. 1. Verba Jeremia filij Helcia. Osee. 1. Verbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beer: Et sic in alijs. Ita nunc (super Ioannem filium Zachariae) Euangelista ergo, ut Ioannem Baptistam prophetam esse indicaret, eis locutionibus vsus est, quibus & propheta.

ANNOTATIO VI.

HÆC clare ostendunt Ioannem ad Baptismi, & verbi ministerium, Christi que manifestationem non se ingessisse, sed à Deo vocatum, & missum fuisse. quod etiam ex his verbis notat Chrysostomus hom. 10. in Matth. vbi (verbum) hoc in loco præceptum Dei significare dicit. eadem vocatio confirmatur Ioan. 1. Fuit homo missus à Deo. Quo fit, ut eius munus, & testimonium digna sint fide, & commendatione. Hæretici contra faciunt, ipsi se ingerunt contra Deum. Hinc etiam constat cur tam

admirabilia in ipso etiam conceptionis, & natiuitatis eius initio facta sint; oportebat enim præcurso-rem Christi idoneum apud omnes haberi, cuius dictis crederent. atque hæc etiam forsitan est causa, cur Euangelista patris eius meminisset, ut scilicet admirabilia illa, quæ in illo initio gesta, & narrata sunt, in memoriam legentium reuocarentur, quæ Ioannem plurimum commendant, & omni dignum fide efficiunt.

In deserto.

COMMENTARIA.

NON solum tempus, quando Verbum Domini factum est, & persona, cui factum est, sed etiam locus ipse describitur: habitabat, inquit Ioannes in deserto, quando verbum Domini super eum factum est. Matth. cap. 3. explicat: Venit, inquit, prædicans in deserto Iudææ. & Marcus cap. 1. Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum penitentiae. Non solum igitur factum verbum Domini in deserto dicitur, quia in eo loco mandatum accepit, sed etiam quia eo in loco incepit mandatum Domini exequi baptizando, & prædicando.

ANNOTATIO VII.

Origenes hom. 21. cur verbum Domini factum fuerit super Ioannem in deserto, causam mysticam adfert. quia nimirum futurum erat, ut plures essent filij deserti, scilicet gentilitatis, quam habentis filios, nempe Iudaici populi, ut habetur Isaia 54. Euthymius Matth. 3. duo deserta distinguit, vnum interius, alterum quod circa Iordanem. verbum autem hoc Lucae de interiori explicat, in quo habitabat Ioannes, & in quo verbum Domini illi factum est. quod vero erat circa Iordanem, dicit appellatum esse à Matthæo desertum Iudææ, & à Luca regionem Iordanis. Distinctio hæc non videtur accommodata; vnum enim est desertum Iudææ, in quo & Ioannes habitabat, & in quo prædicare, & baptizare incepit, quamuis in partibus interioribus prius vitam duxerit; in partes vero hominum habitationi viciniores post verbum Domini descenderit, ibique exordium prædicandi, & baptizandi fecerit. nec idem sunt desertum Iudææ, & regio Iordanis: nam desertum erat in prouincia dicta Iudæa, regio vero Iordanis fere tota in Galilæa, quod Matth. 3. apertum est; inquit enim: Exhibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & ba-

ptizabantur ab eo in Iordane. Non ergo Iudæa & regio Iordanis idem sunt. Quod igitur Lucas nunc appellat desertum, Matthæus dicit desertum Iudææ, quamuis non sint eadem partes; in remotiori enim factum est verbum Domini, ab eaque in viciniorem venit primo prædicans, & baptizans, ut dicit Matthæus. Ioannem autem à teneris annis solitariam vitam in deserto Iudææ duxisse, vsque ad trigésimum, quando verbum Domini accepit, & prædicandi exordium fecit, communi consensu sacri Doctores tradunt. causam autem, cur se in desertum ab eo tempore contulerit, Ecclesia docet, dum in ipsius festiuitate sic canit; Antra deserti teneris sub annis ciuium turmas fugiens petisti, Ne leui saltem maculare vitam Famine posses. Hieronymus autem Epistola ad Rusticum, de viuendi forma adiunxit aliam, nempe, ut puram castitatem obseruaret: Ioannes, inquit, Baptista sanctam habuit matrem, Pontificique filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viueret castitatis, viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere. Hæc ille. Tertia causa addi potest; reit: monium enim erat

Quod fuerit desertum, in quo verbum factum fuit ad Ioannem.

Quod fuerit desertum, in quo verbum factum fuit ad Ioannem.

Quod fuerit desertum, in quo verbum factum fuit ad Ioannem.

erat perhibiturus de Christo, cumque nullum miraculum facturum esset, oportebat ad hoc, ut hominum fidem conciliaret, admirandam, & plusquam humanam vitam ducere. quod Matth. 11. Dominus docuit; Venit, inquit, Ioannes, neque manducans, neque bibens, insinuans his verbis vitam Ioannis Angelicam, quæ testimonium eius omni acceptione dignum effecerat: debuit ergo in deserto diu latere, ut postea egrediens omnibus sui admirationem ingereret. Hoc notat Chrysost. hom. 10. in Matth. magnum, & admirandum dicens fuisse hominem videre de repente egredientem de deserto, vbi tot annis latuerat, insolito baptismo vteat, & noua prædicantem. Est etiam alia causa, ut omnem suspicionem contra sui testimonij veritatem remoueret; cum enim esset secundum carnem Christo coniunctus, si conuersatus esset cum eo, & cohabitasset cum hominibus, suspicandi occasionem accepissent, affectu carnis illum duci. quæ suspicio ablata fuit, quando in deserto habitans nec videndi occasionem habuerat. Est etiam alia causa, ut sic se disponeret ad eximium munus, quantum nulli vnquam Prophetae concessum fuerat, Christum baptizandi, & digito demonstrandi illum populis. Hæc, & alia causæ spirituales sunt, & à Spiritu sancto, cuius nutu Ioannes docebatur, præcipue intentæ sunt tamen, qui quandam occasionem, seu causam exteriorem, cur Ioannes in desertum à teneris annis se contulerit, proferunt, nimirum Herodianæ persecutionis contra infantes factæ fugam. Hanc Nicephorus adfert, licet non omnino affirmet, hb. 1. hist. cap. 14. vbi sic habet: Filius Zachariae Ioannes, in cuius natiuitate vox soluta est, cum prius ab illo Ioannis nomen in tabula fuisset exaratum, alterum cum dimidio annum agebat, & vna cum ma-

tre Elisabetha in spelunca quadam in regione montana saluus conseruabatur, fortassis Herodis sanguinariam effugiens manum, atque in solis locis libenter versari solitus, Angeloque duce vsus, in remotiores siluarum recessus secessit. Hæc ille. Consonat huic antiquior auctoritas Petri martyris Archiepiscopi Alexandrini in suis Canonibus, qui approbati sunt in sexta Synodo, & habentur in Bibliotheca Sanctorum Patrum Tom. 7. cum Commentarijs Balsamonis Canone 9. vbi tempore interfectionis infantium ab Herode factæ asserit Elisabetham cum Ioanne fugisse, & Zachariam patrem occisum esse inter Templum, & Altare, quia Ioannem filium quæsitum ad interfectionem non inuenerat. Nec mirum est, si Herodes Ioannem interficere tentauit; nam occidit omnes eos pueros, qui & in Bethlehem, & in finibus eius erant, immo proprium filium, qui natus ei erat in Hierusalem. Ioannes autem natus erat in montana Iudææ non longe à Bethlehem, cuius natiuitas miranda diuulgata fuerat per multa loca. Verba Petri Archiepiscopi hæc sunt: Cum vidisset cruoris sitiens sanguinolentus Herodes se à Magis fuisse illum, valde est commotus, & mittens occidit omnes infantes, qui erant in Bethlehem, & in omnibus eius finibus à bimatu, & infra, eo tempore, quod à Magis diligenter didicerat, cum quibus, & alium prius natum infantem cum interfecurus quæsiuisset, & non inuenisset, patrem eius Zachariam interfecit inter Templum, & Altare, cum effugisset filius cum matre Elisabetha. Hæc ille. Hæc causa licet non sit argumentis efficacibus confirmata, tamen nec similibus argumentis potest de falsitate conuinci, idcirco si non probanda, saltem nec improbanda videtur.

Ratio hæc si non probanda, saltem improbanda non est.

Et venit in omnem regionem Iordanis.

COMMENTARIA.

ACCEPTO Domini mandato venit è deserto in omnem regionem, quæ circa Iordanem fluuium sita erat, ut illud exequeretur, ad quod implendum mittebatur; quod verbis sequentibus explicat Euangelista: prompta Ioannis obedientia fuit, qualis Deo debetur præcipienti; cum primum enim Dei vocem audiuit, sine mora penetrabilia deserti, in quo latebat, relinquens, venit in partes deserti patentiores, & inde in totam regionem Iordani circumiacentem.

ANNOTATIO VIII.

Iordanis fluuius est, habens aquas suauissimas, oritur, teste Hieronymo in quæstionibus Hebraicis, in Genes. & Matth. 16. in principio, ad radices montis Libani è duobus fontibus, vni nomen est Ior, alteri Dan, qui simul iuncti & re & nomine Iordanem efficiunt. Iordanis autem idem significat, ut tradit Hieronymus in Ezech. 47. quod Latine riuus iudicij. Hic fluuius non procul à fontibus, auctore Iosepho hb. 3. de bello Iudaico cap. 18. lacum efficit dictum Samochonitin, ipsiusque paludes secans, centum viginti stadijs percurrans, in lacum primo maiorem se fundit, dictum stagnum Genezareth, seu mare Tyberiadis, seu mare Galilææ, eo etiam dimisso, multaque solitudine peragrata lacui Asphaltiti se miscet, & ut refert Plinius lib. 5. hist. cap. 15. aquas suas laudatas perdit pestilentibus mistas, ab eoque lacu, qui mare mortuum dicitur, absorbetur, ut non amplius erumpat. Multa habet circumuicina oppida, & quidem amœnissima, quæ regio Iordanis appellata est. Genes. 13. Eleuatis, inquit, oculis Loth, vidit omnem circuitum Iordanis, quæ vniversa irrigabatur, antequam Dominus subuerteret Sodomam, & Gomorrhã, sicut paradysus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor. In hanc regionem; va-

riaque eius loca Ioannes è deserto Iudææ descendit, prædicans, & baptizans. Aduerte autem, quamuis Ioannes in regionem Iordanis venerit, baptizabat tamen non solum eos, qui in ea regione habitabant, sed etiam omnes Iudæos, qui ex omni parte ad eum conuenerant. quod Matth. cap. 3. tradit dicens: Exhibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabatur ab eo. & Mar. c. 1. Egrediebatur, inquit, ad eum omnis Iudææ regio, & Hierosolymita vniversi, & baptizabantur ab eo in Iordane flumine.

Inrerrogabit quispiam, cur in Iordanem descendit ad baptizandum? Respondeo id multis de causis factum esse. Primo quidem propter multitudinem aquarum. Hoc deducitur ex Ioan. 3. Baptizabat, inquit, in Aennon prope Salim, quia multæ aquæ erant ibi. Si ergo Ioannes baptismo Christi incipienti cessit, & abiens à Iordane profectus est in Aennon propter multitudinem aquarum, igitur quando baptizare inchoauit, nendum Christi baptismo reuelato, propter multitudinem eandem aquarum venit in Iordanem, quæ maior erat, quam quæ fuit in Aennon. Secundo etiam id factum est propter celebritatem; locus enim celeberrimus etiam baptismum cele-

Rationes propter quas Ioannes baptizaturus in Iordanem descendit.

Nonnulli traduntur rationes, propter quas Ioannes adhuc puerulus in deserto secesserit.

celebrem, & omnibus manifestum faciebat. Tertio, propter commoditatem; erat enim locus Iordanis commodus, quo ex Iudæa, Galilæa, Samaria, & omni parte terræ promissionis concurrere homines ad baptismum possent. Quarto propter sanctitatem; erat enim ille fluuius in maxima veneratione, propter insignia miracula, quæ Deus in eo operatus erat; nam cum ingressi sunt filij Israel in terram promissionis, diuisus est fluuius, & siccis pedibus filij Israel pertransierunt. Similiter Elias quando raptus est, siccis pedibus eundem pertransiuit. Naaman Syrus ibi septies lotus iussu Elisei, mundatus est à leprâ. Quinto propter nominis significationem, quæ eius baptismo

multum conueniebat; Iordanis enim, vt paulo superius diximus, idem significat, quod Latine, fluuius iudicij, talis erat baptismus Ioannis, qui pænitentiam prædicabat; pænitentia enim quoddam fere secum iudicium, quo homo seipsum condemnat, & dignum pœna iudicat, sibi que eam infert. Prædicatio etiam Ioannis quoddam erat iudicium, nam comminatione utebatur; dicebat enim: Genimina viperarum, quis docebit vos fugere à ventura ira? Et: iam securis ad radicem arboris posita est, aliaque huiusmodi, vt recte baptismus, & prædicatio eius iudicij, seueritatis, & comminationis dici posset.

Prædicans baptismum pænitentia in remissionem peccatorum.

COMMENTARIA.

HOC est, quod in mandatis accepit à Domino, & cuius gratia venit in omnem regionem Iordanis, nempe, prædicare baptismum pænitentia in remissionem peccatorum, non quod baptismus eius propria vi haberet remissionem peccatorum, sed quod per eum inducerentur homines ad pænitentiam, per quam obtinerent peccatorum remissionem; baptismus vero Christi vi propria peccata remittebat, tamquam sacramentum continens virtutem passionis Christi, qui pro peccatis latisfaciens Patri, omnium meruit indulgentiam. Illud ergo (in remissionem) connectitur non cum baptismo, sed cum pænitentia; hæc enim erat in remissionem peccatorum, ad quam pænitentiam ille baptismus præparabat.

ANNOTATIO IX.

Ioannem non solum baptismum pænitentia prædicasse, sed etiam baptizasse tradit Marcus cap. 1. Fuit, inquit, Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pænitentia in remissionem peccatorum; idque constat ex Matthæi 3. Nonnullæ autem difficultates pro huius sententia explanatione occurrunt.

Prima est, quid sit prædicare baptismum pænitentia. quod non eodem modo Doctores interpretantur. Quidam enim primo loco baptismum pænitentia ipsam pænitentiam intelligunt, quæ dicitur baptismus fluminis, vt non sit aliud prædicare baptismum pænitentia, quam ipsam pænitentiam prædicare, & ad eam faciendam populos exhortari, quod & fecit Ioannes, quando populis dicebat; Pænitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum. Matth. 3. sic interpretatur hunc locum Chrysothom. hom. 10. in Matth. idemque videtur sentire Ambrosius in commentarijs; hunc enim locum explicans, inquit: Factum est verbum, vt sanctus Ioannes baptista pænitentiam prædicaret. Quidam alij secundo loco baptismum pænitentia, quem Ioannes nunc prædicasse dicitur, intelligunt baptismum ipsum Christi, quem Ioannes prænunciatus prædicabat di-

Quid sit baptismum pænitentia prædicare.

Quid sit baptismum pænitentia prædicare.

ANNOTATIO X.

Altera difficultas est, cur baptismus Ioannis dicitur etiam baptismus Christi: non enim hic conferebatur, nisi prædicata, & annunciata pænitentia, nam Act. 2. prædicabant Apostoli post Spiritus sancti aduentum, pænitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum. Respondeo, baptismum Ioannis dici pænitentia duplici de causa. Primo quidem, quia solis pænitentibus dabatur; non enim infantes eo baptismo baptizabantur; at baptismus Christi non solis pænitentibus adultis confertur, sed

Baptismus Ioannis quare baptismus pænitentia sit dicitur.

Quid sit Ioannem prædicasse baptismum pænitentia in remissionem peccatorum.

ANNOTATIO XI.

Tertia difficultas est, quomodo sint intelligenda illa verba (in remissionem peccatorum) Euthy-

etiam paruulis, quorum non est pænitentia. Secundo, quia baptismus Ioannis non habuit virtutem conferendi gratiam, nec sanandi animam, eamque mundandi, ideo nomen accepit ab eo, quod cum baptismo prædicabat: at baptismus Christi virtutem habet mundandi animam, & gratiam conferendi, propterea ab eo, quod est præcipuum, & generalius, nomen sortitus est, vt dicatur baptismus gratia, ea que de causa Ioannes in aqua sola, Christus vero etiam in Spiritu sancto baptizasse dicitur. atque hæc est ratio, cur infantibus etiam prodest Christi baptismus, non autem Ioannis.

mius Marci 1. dicit Ioannem prædicasse pænitentiam in remissionem peccatorum, id est, propter remissionem

nem peccatorum, vt per pænitentiam homines redarguti, & peccatis compuncti, eum feruenter quærent, qui tollit peccata mundi, quo apparente procurerent, & ab eo remissionem peccatorum acciperent. quæ explicatio & doctrina fuit etiam Chrysothomi hom. 10. in Matth. & recipitur à nonnullis recentioribus, & Hieronymus aduersus Luciferianos videtur simile quid dicere, affirmans Ioannem baptizasse in remissionem peccatorum, futuram per Christi passionem, licet hæc verba trahi in alium sensum possint. Iuxta illorum igitur expositionem dicendum videtur, non per eam pænitentiam, quam Ioanne prædicabat, remissionem peccatorum datam esse, sed homines dispositos fuisse, vt eam à Christo quærent, & acciperent. Hæc doctrina imperfecta, & confusa est, indigetque declaratione. Aduerte igitur Ioannem incoepisse baptizare, & prædicare pænitentiam, priusquam Christus manifestaretur, profectumque esse suum baptismum, & prædicationem etiam Christo manifestato, donec in carcerem missus ab Herode fuit capite plexus. vtroque quidem tempore prædicabat pænitentiam, sed non eodem modo; priusquam enim Christus appareret, prædicabat pænitentiam, non quidem solam, sed cum fide eius, qui post eum venturus erat, sicque illi, quos vere peccatorum pænitebat, credentes in eum, qui post Ioannem venturus prædicabatur, nempe Christum, habebant remissionem peccatorum, etiam nondum Christo apparete, vt recte dicit Chrysothomus loco allegato. Posterius autem apparuit Christus, quem ipse sæpe signauit, & de eo testimonium perhibuit, & tunc prædicabat pænitentiam, & fidem præsentis Christi vt scilicet crederent in eum tamquam verum Messiam, & Saluatorem, & qui sic pænitentes credebant, iustificabantur remissione obtenta peccatorum. Nota ergo artificium mirabile Ioannis. inducebat omnes ad pænitentiam, vt considerarent peccata, & de eis dolerent, vt per fidem Christi remissionem obtinerent, sicque Christo recipiendo præpararentur. Quantum autem ad fidem annunciandam ordinate processit, prius annunciabat post se venturum, vt sic credentes facilius in præsentem crederent; non ergo sola pænitentia remittebat peccata, sed cum fide Christi, tam fides hæc erat etiã Christo nondum manifestato, quæ commutata est in fidem præsentis. Hic est sensus: prædicabat enim baptismum pænitentia in remissionem peccatorum, vt per pænitentiam peruenirent ad consequendam remissionem, fide tamen Christi, quam il-

le annunciabat interueniente. Hæc tota doctrina non solum testimonijs Scripturæ comprobatur, sed etiam per eam Scripruræ testimonia explicantur, & concordantur. Act. 19. dicitur. Ioannes baptizauit baptismum pænitentia populum, dicens in eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent. Hæc verba verificantur de tempore, quando Ioannes incoepit prædicare nondum Christo apparente, tunc enim prædicabat pænitentiam, & fidem venturi proxime post ipsum, sicque credentes, & pænitentes iustificabantur. Illud autem (post ipsum) significat propinquitatem, quasi proxime reuelandus esset Christus. Præterea Act. 13. Prædicante, inquit, Ioanne ante faciem aduentus eius baptismum pænitentia omni populo Israel. cum impleret autem cursum suum Ioannes, dicebat, quem me arbitramini esse non sum ego, sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere. Hæc verba eundem sensum habent cum priori sententia. notanda vero est particula (ego) fidem enim Christi iam iam aduenientis prædicabat, vt per eam pænitentes remissionem consequerentur. Idem est sensus verborum Matth. 3. Pænitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. hoc posterius fidem Christi proxime significat, per quam pænitentia remittebat peccata. At vero postea fidem hanc aliter prædicabat, conuertit e nim in præsentem, & determinatam personam. Ioan. 1. Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est, quod etiam testimonium repetiit, & fidem præsentis in baptismo suo indicabat, ac pænitentia hanc fidem copulabat. Iuxta hanc doctrinam intelligenda sunt quædam verba Basilij sermone 1. de Baptismo. Ioannes, inquit, baptisma nullam prorsus faciebat peccatorum differentiam, nullum exigebat sacrificiorum discrimen. Purificatione studiose non efflagitabat, nec dierum, aut horarum habebat obseruantiam, nec vllam prorsus faciebat ad gratiam Dei, & Christi ipsius perueniendi dilationem. Simulatque accesserat quis, & peccata sua quantacumque, & qualiacumque fuissent, confessus fuerat, in Iordanis flumine baptizabatur, & confestim remissionem peccatorum accipiebat. Hæc ille. Quæ etiam partim repetit sermone 2. de Baptismo cap. 6. Interpretanda autem sunt hæc, non quod baptismus ipse ratione sui remissionem faceret, sed per pænitentiam ipsam. Quod autem remissio fieret statim, hoc verum est, nec declaratione indiget, vt dictum est.

Act. 19.

Act. 13.

Matth. 3.

Basilij locus declaratur.

ANNOTATIO XIX.

Quorsio Ioannes baptizabat per eius baptismum non remittebantur peccata.

Quarta difficultas est. Si baptismus Ioannis non habebat vim peccata remittendi, sed pænitentia per fidem Christi adferebat remissionem, quare Ioannes Baptismo utebatur? Hanc difficultatem ipse Ioannes Baptista verba soluunt, inquit, enim Ioan. 1. Vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans, quæ verba Chrysothom. hom. 10. in Matt. sic explicat. Neque enim, inquit, dignum erat, vt Beatus Ioannes singulas adiret domos, & quasi apprehensa manu circumduceret Christum, atque in ipsum credendum clamaret, & presentibus cunctis, atque cernentibus, beatam illam vocem emitteret, cæteraque cuncta completeret, propterea igitur venit ad baptisma, nam & baptismatis existimatio, & rei propositum totam ciuitatem pelliciebat, atque ad Iordanem vocabat, & frequentissimum quoddam colligebat theatrum. Hæc Chrysothomus.

Baptismo ergo vsus est, vt quodam signo communi exteriori populos conuocaret, vt fidem Christi aduenientis audirent, & in eum iam apparentem crederent. Baptismus autem pelliciebat omnes tanquam res noua, & numquam visa. rursus propter viri baptizantis, insignem sanctitatem etiam exterioribus signis apparentem, propter nouitatem etiam doctrinae appropinquantis regni cælorum. Baptizabat ergo, vt sic commodius ad fidem Christi disponeret, & populis de Christo testimonium perhiberet. Est etiam alia huius causa, vt baptismum suo aqua præpararet populos ad suscipiendum baptismum Christi in aqua, & Spiritu sancto. dicebat enim Mar. 1. Ego baptizauit vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. De baptismo hoc, & de ijs, in quibus à baptismo Christi differt, inferius plura dicemus.

Sicut scriptum est in libro sermonum Isaia propheta.

COMMENTARIA.

Ioannis Baptistae aduentum, & praedicationem confirmat Euangelista testimonio Isaiae prophetae, tum ut quae in Euangelio mysteria narrantur, iis, quae prophetae praenunciaverunt, conformia esse ostendat, tum ut ab incredulis maiorem dictis suis fidem conciliet; credibilius enim illis est quod dicitur, quando multo ante fuisse id praedictum cognoscunt, sicque Augustinus serm. 29. de verbis Apost. interpretatur illud 2. Petri 1. Firmiorem habemus propheticum sermonem, non quod firmior sit sermo prophetarum sermone Apostolorum, cum vterque sit eodem Spiritu sancto prolatus, sed quod contra infideles firmius inde sumitur argumentum, quia minorem calumniandi occasionem habent. Appellatur prophetia Isaiae, Liber sermonum, aut quos Deus ei reuelavit, cum eo loquens, iuxta illud Num. 24. Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est: aut quos ipse ad Reges, & populos saepe habuit, ea manifestans, quae a Domino acceperat.

Vox clamantis in deserto.

COMMENTARIA.

Recitat Euangelista verba Isaiae, quae habentur cap. 40. Sensus est: Ecce vox, & praedicationis cuiusdam, qui in deserto clamabit: quae autem vox haec sit, statim explicat propheta verbis sequentibus: Clamans hic Ioannes Baptista est, vox autem praedicationis eius est. Est autem Hebraismus; supplendum enim verbum substantiuum, Vox erit cuiusdam in deserto clamantis.

ANNOTATIO XIII.

Vobis modis praecedens sententia intelligi potest. Vnus est, quem in commentario exposuimus, ut Ioannes non sit dictus vox, sed qui clamat; vox autem sit praedicationis eius, quae sequentibus verbis exprimitur. Sic interpretatur Euthymius Matth. 3. vbi eadem verba habentur. Et hic sensus accommodatior est verbis Isaiae, qui eodem capite iterum dixit: Vox dicentis, clama; id est, Ecce vox cuiusdam dicentis, & loquentis mihi; Vox autem erat, Clama. Ita etiam nunc, Vox clamantis in deserto. Quae autem vox erat, & qui clamor, explicat, nempe, Parate viam Domini, & caetera. Alter modus est, ut Ioannes ipse dictus sit vox, & Hebraismo quodam vox clamantis dicitur, id est, vox clamans. Sic enim Clemens Alexandrinus in exhortatione ad Gentes, interpretatur. Et hic modus communis est, cui fauet illud Ioannis 1. Interrogatus enim Ioannes, quis esset, respondit: Ego vox clamantis in deserto. quamuis hoc omnino non conuincat, Ioannem vocem dictum esse: nam Hebraismus quidam est, quasi diceret, ego sum, de quo Isaia praenunciavit, Vox clamantis in deserto. At quia expositio haec communis est Patrum, ideo declaranda est. Dicitur enim est Ioannes vox; primo quidem, similitudine quadam: ut enim vox est, per quam verbum, quod in mente nostra latebat, manifestamus, sic Ioannes vox fuit, per quam aeternus Pater

Verbum suum, nempe Filium latentem in carne ostendit. Sic dicit Augustinus serm. 20. de sanctis. Secundo, sicut vox loquentis antevertit verbum, quod concipitur mente audientis; sic Ioannes praedicatione sua praecessit Christi notitiam in mentibus Iudaeorum. Ita dicunt Titus Bostrenus hic. Gregorius homil. 20. Euang. Euthymius Matth. 3. Tertio vox praecedit quidem verbum audientis; tamen hoc verbum praecessit in mente loquentis; per vocem enim transfert quodam modo suum verbum in alteram, sic Ioannes praecessit verbum Dei in mentibus auditorum fide susceptum, quod tamen Verbum praecessit Ioannem, quia ab aeterno erat. Sic Ambrosius, vbi adiungit illud, nempe, quia Ioannes vox erat, idcirco in eius Natiuitate patrem mutum vocem recuperasse: Quarto quidem est alia similitudo, quam notat Epiphanius haesi 69. Vocem hoc loco significare sonum inarticulatum dicit, qualem praecones in multa turba edere solent, cum silentium indicunt, quia princeps locutus est: sic Ioannes praeco quidam fuit, attentionem populo indicens, ut Christi doctrinam perciperet, cuius collatione praedicationis Ioannis imperfecta, & velut inarticulata fuit. Possimus etiam facile dicere: Sicut vox conceptum inuisibilem mentis manifestat, sic Ioannes Verbum latens in carne prodidit. Caetera lege apud Ioannem, vbi haec verba etiam habentur.

ANNOTATIO XIII.

NON est silentio praeterendum, quod Ioannes clamare dictus est; sunt enim huius clamoris causae tum ex parte Ioannis clamantis, tum ex parte eorum, quibus praedicabat, & loquebatur, tum demum ex parte rerum, quas praedicabat. Ex parte Ioannis dictum est, clamasse, ut significarentur libertas, & amplitudo praedicationis eius, libertas,

quidem, quia palam, & omni postposito timore humano, sineque vlla personarum acceptione, arguebat Regem, principes, & populum, & Christi eius annuntiabat, & quae ad mores spectabant, docebat; quanta autem fuerit libertas, ostendunt verba, quae Euangelista referunt, & partem inferius explicabimus. Amplitudo autem, quia sicut, qui clamat non solum

Superior sententia duobus modis exponitur.

Mat. 40.

Ioannes quare ratione vox dicitur sit.

Quid Ioannes clamans indicare voluerit.

solum sine trepidatione, quae sentit, aperit, sed etiam omnibus loquitur, & ijs, qui prope, & ijs, qui longe sunt, & ab omnibus vox eius percipitur, sic Ioannes omnibus locutus est, Principibus, Scribis, Phariseis, militibus, publicanis, turbis, & caeteris Iudaeis. recte ergo clamantis vox dicitur. Ex parte eorum, quibus praedicabat, clamasse dicitur, ad significandam duritiam, & spirituale turpitudinem eorum, quibus praedicabat; pauci enim fide dictis eius adhibuerunt, rari voces eius mentis auribus perceperunt; erant enim aures eorum aggrauatae, sicut

etiam fecerunt ad Christi ipsius praedicationem tales erant, quales Stephanus depinxit. Act. 7. Dura ceruice incircumcisis cordibus, & auribus. Et parte demum rerum ipsarum dicitur clamasse, quia rem maximi momenti, & omnibus communem annuntiabat; solent enim Regis edicta, quia communem utilitatem respiciunt, alta voce manifestari. sic Ioannes, velut praeco aduentantis regis aeterni erat, omnesque ad eum suscipiendum praeparabat, qui omnes venerat saluare, idcirco clamare dictus est.

ANNOTATIO XV.

Ioannes eum in deserto cepit praedicare.

Illud (in deserto) si literalem sensum respicimus, explicatur a Hieronymo Epist. ad Minorium, & Alexandrum. Habitabat enim Ioannes extra hominum communes habitationes, & ibidem praedicare, ac baptizare incepit; ideo dicitur clamare in deserto. Si autem sensus spirituales spectamus, multa dicunt Doctores, cur Ioannes in deserto praedicauerit. Primo quidem Origenes hom. 21. sic inquit: qui in deserto praedicat, superflue facit sibi vociferari, vbi se loquentem nullum exaudiat. haec ille. quasi diceret, quia pauci credituri erant illi, dicitur in deserto praedicaturus. Secundo Hilarius in Matth. cap. 3. inquit id factum, ut significaretur Iudaeis, vbi tunc praedicabat, plena peccatis. & deserta Dei gratia; vbi enim Deus non habitat, quamuis abundant temporalia omnia bona, desertus locus vere dicitur. Tertio, Hieronymus Isaiae 40. & Ambrosius

& Titus Bostrenus id docent factum ad significandam Gentilitatem, quae deserta tunc erat. sed futura per Christum foecunda spiritualium filiorum multitudine; hoc enim nomine Gentilitas appellata est Isa. 37. Laetabitur deserta, & inuia, & exaltabit solitudo. Hanc causam attulit Origenes, ut supra diximus, cur verbum Domini factum sit super Iordanem in deserto. eandem nunc adferunt hi Doctores; cur Ioannes etiam in deserto praedicare inchoauerit; licet non in eadem parte deserti, in qua mandatum Domini accepit, ut supra explicuimus. Quarto potest his omnibus adiungi, qui in deserto praedicat, non auditur, nisi ab his, qui proprias deserunt habitationes. quo significatur, illos esse veros, & perfectos auditores verbi Dei, qui proprios sensus, & affectus negantes, ad ea, quae Deus loquitur, ac praecipit, totos se conuertunt.

ANNOTATIO XVI.

Ioannes vocatus est Angelus, lucerna, & vox, ob tria munera quibus functus est.

Aduertendum est, tres prophetas olim de Ioanne prophetae venturo, singulosque singulis eum nominibus significasse. Malachias cap. 3. Ecce, inquit, mitto Angelum meum, qui praeparabit viam tuam ante te. quam sententiam Christus ipse Matt. 11. de Ioanne dictam interpretatus est. Ante Malachiam Isa. cap. 40. praedixit, Vox clamantis in deserto. Et ante vtrumque David Psal. 138. Parauit, inquit, lucernam Christo meo. Ad quod alludens Dominus Ioan. 5. dixit de Ioanne, Ille erat lucerna ardens; & hoc loco, Graece lucerna est cum Articulo. Cyrilus autem lib. 3. in Ioannem cap. 1. & August. tractatu 23. in Ioan. lucernam hanc, de qua David prophetauit, interpretantur Ioannem. Appellatus igitur est Angelus, Lucerna, Vox, a prophetis. Haec tria nomina significant tria officia, quae Ioannes exercuit. Primum fuit priusquam Christus se manifestaret, & praedicaret, ipsam etiam iam iam venturum praenunciare. Luca 3. Veniet post me fortior me, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti eius soluere. propter hoc dictus est Angelus, id est, nuntius. Altissimi venientis. Secundum fuit, quem venturum iam praedixerat, praesentem demonstrare, & digito indicare. Ioan. 1. Ecce agnus Dei. hic est, de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est. propter hoc dictus est lucerna; ut enim lucerna non solum ardet, & obscura illuminat; ita Ioannes Christum velut ignitionem Iudaicae tenebris obscuratum, & humanitatis humilitate latentem suo testimonio manifestauit. Tertium fuit populum disponere, & praeparare Christo recipiendo: praeparauit autem inducendo populos ad abstinendum a peccatis, & ad commissorum penitentiam. eaque de causa baptismo usus est. Matth. 3. Penitentiam agite, appropinquauit regnum caelorum. propter hoc dictus est vox ab Isaia. Haec tria significarunt Euangelista alijs tribus nominibus; nam propter primum officium, cuius causa

a propheta dictus est Angelus, in Euangelio dictus est propheta. Luca 1. Et tu puer propheta Altissimi vocaberis. praenunciavit enim Christum, antequam eum vidisset, & priusquam ille se manifestasset. Propter secundum dictus est plusquam propheta, quia praesentem indicauit. Matt. 11. quid existis videre? prophetam? etiam dico vobis, plusquam prophetam. Propter tertium dictus est praedicator, seu praedicans. Marci 1. venit praedicans baptismum penitentiae.

De his nominibus duo notanda occurrunt. Vnum de Angelo, alterum de lucerna. nam de Voce, paulo ante diximus. Quod ad primum spectat. Ioannes Angelus dictus est, non propter naturam (homo enim erat) sed propter officium. quae etiam de causa Apocalyp. 2. & 3. Episcopi dicuntur Angeli. Errarunt quidam, Ioannem existimantes Angelum esse natura, quod Origen. hom. 5. in Ioannem sensisse videtur; Eusebiusque lib. 9. demonstrat. Euang. cap. 5. refert, quosdam existimasse Ioannem non hominem, sed aut Angelum, aut demone fuisse. Hi tamen facile redarguantur historia praecedenti, in qua conceptio, natiuitas, parentesque eius referuntur. Est etiam illud Ioannis 1. Fuit hominissus a Deo. in quorum verborum explicatione huius erroris nos mentionem fecimus. Non ergo natura, sed officio Ioannes Angelus est. Hoc quidem verum est, eo nomine etiam plura alia significata esse, propter quae ex quadam similitudine Ioannes Angelus dictus. Primo quidem Angeli infantiam non habere, sed cum vsu liberi arbitrii creati sunt, in quo si non perfectam, saltem aliquam habuit similitudinem Ioannes: nam quoad animam, minimum tempus infantiae habuit, cum sexto conceptionis mense visitatus a B. Virgine, prophetauerit, vsuque rationis obtinuerit, ut supra ostensum est. Secundo, Angeli non vtuntur potu, & cibo isto sensibili

Ioannes multis de causis Angelus dicitur fuit.

Eodem Ioannes munera tribus alijs nominibus ab Euangelista indicata sunt.

fibili. Tobia 12. dicebat Angelus: Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. Ioannes maxime huic vitæ accessit, propter admirandam eius abstinentiam, quæ tantum fuit, vt Dominus Matth. 11. dixerit: Venit Ioannes neque manducans, neque bibens. tam modico enim cibo, & potu pascebatur, vt fere non vsus cibo, & potu diceretur. Vnde Basilus homilia de ieiunio illius, abstinentiam commendans dixit, totam vitam Ioannis fuisse ieiunium quoddam. Tertio, Angeli sunt castissimi, ac purissimi. vnde Beati in cælis ob eam castitatem, ac puritatem illi comparantur. Matth. 22. Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. Ioannes autem admirandæ puritatis, & virginitatis quoad corpus, & quoad animam fuit. Quarto, Angeli perpetuo Dei aspectu fruuntur. Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Ioannes etiam sublimis fuit contemplationis, & fere continuæ, qui ab hominum conuersatione se à teneris annis secreuit, vt quoad fieri in hoc seculo posset, perpetuè vacaret contemplationi diuinæ. Quinto, Angeli sancti, quam gratiam semel infusam acceperunt, non amiserunt, sed eam meritis auxerunt. sic Ioannes quam gratiam in ventre matris sexto mense accepit non amisit, sed conseruauit, & incremento meritiorum insignium mirabiliter auxit, quod priuilegium paucis est concessum; multi enim gratiam concessam amiserunt, licet postea recuperauerint. ac non sic Ioannes, qui nullum commisit peccatum mortale, quo gratia accepta amittitur. His de causis Ioannes Angelus dictus est. officio ergo, & vita Angelus appellatus est.

Ioannes merito lucerna appellatus. Quod ad secundum spectat de lucerna, quamuis plura dixerimus Ioan. 5. nunc tamen pauca notanda sunt. Dicitur enim est lucerna non solum ab officio indicandi Christum, vti paulo ante diximus, sed etiam

ex quibusdam similitudinibus, seu proprietatibus. Primo quidem lucerna noctu accenditur, & die extinguitur. sic nocturnum tempus erat illud legis, Evangelium autem, quod à Christo incepit, dies est, ad Rom. 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. donec ergo Christus non se prodidit, Ioannes vt lucerna ardebat. At Christo se manifestante, recessit; paulo enim post occisus est ab Herode, propter quod illemet Ioan. 3. de se ipso dicebat: Illum oportet crescere, me autem minui.

Secundo lucernæ lux breuis est; non enim lucescunt multis, sed iis, qui in domo sunt: Sol vero omnia illustrat, sic Ioannes lucerna fuit populo Iudæico Soli lucens, & ad ipsum missus, ac Christus Sol iustitiæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 3. Ego sum lux mundi. Vnde & Apostoli lux mundi dicti sunt Matth. 5.

Tertio, lumen lucernæ remissum est, nec multum splendet, Solis vero splendidissimum. sic Ioannes testimonium efficax quidem fuit ad Christum indicandum, at testimonium, quod Christus de seipso perhibuit, multo maius, & efficacius fuit. Ioan. 5. Ego testimonium habeo maius Ioanne, opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, testimonium perhibent de me.

Quarto, Lumen lucernæ illuminat, sed non foecundat, lumen vero Solis foecundum est, metalla, plantas, animalia, cæteraque producit. sic Ioannes prædicationis suæ lumen effundebat, tamen immutandi, & viuificandi animos vim non habebat ex se, virtutis diuinæ hoc opus est 1. Cor. 3. ego plantavi, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit, sed neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Hoc de Ioanne dici potuit, Christus autem Deus, & homo, ipse plantat ipse rigat, ipse incrementum dat. vere ergo lucernæ confertur Ioannes. Hæc omnia dicta sunt occasione explicandæ illius sententiæ dictæ de Ioanne, vox clamantis.

Parate uiam Domini.

COMMENTARIA.

Explicat propheta, quæ sit hæc vox, clamantis in deserto: Parate, inquit, uiam Domini, quasi diceret, Audietur vox in deserto. vox autem hæc erit, parate uiam Domini; prædicabit enim Ioannes excitans populum ad præparandam uiam Christo venienti. Hoc idem Angelus Zachariæ, antequam puer conciperetur, prædixit Luc. 1. Parare Domino plebem perfectam. id ipsum vero recenter nato pater eius Zacharias prænuuciauit, dicens: Præbis ante faciem Domini parare uias eius. Est autem metaphora sumpta ab aduentu Principis magni, cui solent uia parari, per quas venturus est in urbem; sic Ioannes exhortaturus venit populos, vt uiam Domino venienti pararent. Quo autem modo sit paranda uia Domini, sequenti sententia Propheta explicat.

Rectas facite semitas eius.

COMMENTARIA.

Sic parabit uiam Domini, si direxeritis, & rectas feceritis semitas eius. Perseuerat in eadem metaphora, qui enim uiam Principi parant, semitas dirigunt. & æquant, vt Princeps facilius, & citius, ac certius perueniat in urbem. Sensus ergo est, ad dirigendas semitas Christo venienti Ioannes populum excitabit. quod & ipse fecit, primo quidem pænitentiam persuadendo populo, per quam auerteret se à peccatis, & ad Deum, & Christum conuerteretur, & velut dirigeretur; peccata enim

enim detorquent hominem à Deo. Pænitentiam, inquit, agite, quia appropinquauit regnum cælorum. quasi diceret. incipite dirigere semitas obliquitate peccatorum amota, quia appropinquauit Christus. Secundo exhortando, & inducendo ad bona opera, & mandatorum Dei obedientiam. Facite, inquit, fructus dignos pænitentia; bona enim opera, & legis obseruantia rectum faciunt hominem. Tertio fidem iam iam uenientis Christi prædicando. credebat quidem populus à multo tempore in venturum, hæc tamen fides Christo, qui venturus erat, iam proximo, directione indigebat, vt applicaretur ipsimet; quid enim profuit venturum credere, nisi uenientem agnoscerent: idcirco Ioannes fidem hanc dirigebat in Christum, quando dicebat: Post me venit uir, ipse est, qui baptizabit in Spiritu sancto: & ecce agnus Dei. Hic est, de quo dixi, post me venit uir. Pænitentia igitur, mandatorum obseruantia, fides uenientis Christi, semitæ sunt, quas rectas facere Ioannes conabatur. qui enim has semitas rectas fecerunt, Christum receperunt.

ANNOTATIO XVII.

ESSE has duas sententias sic connectendas, quasi posterior sit explicatio prioris, persuasit mihi Ioannis Euangelistæ testimonium, qui utramque sententiam vna complexus est: nam cap. 1. hanc sententiam referens, dicit: Ego vox clamantis in deserto, dirigite uiam Domini, quasi utramque hac vna concludens, sum pro vno verbo (dirigite) ex posteriori, & altero (uiam Domini) ex priori. non ergo aliud est, parare uiam Domini, quam rectas semitas eius facere, quod est dirigere uiam Domini. Multi, licet non omnes, aliter sentiunt, distinguentes harum sententiarum sensus, vt statim dicemus, si prius tria notauerimus. Primum est, in Isaiâ legi in numero singulari (semitam) hoc autem parum habet difficultatis; Hebræi enim sæpe numerum singularem pro plurali, & contra, pluralem pro singulari vsurpant. Alterum; Euangelistas prætermisisse uerbum, quod habetur apud Isaiam, nimirum (rectam facite in solitudine semitam eius) illud (in solitudine) Euangelistæ non habent. Causa est, quia frequenter Euangelistæ utuntur versione Septuaginta interpretum, apud quos non habetur illud (in solitudine.) Tertium est, non sic hæc duo, quæ Isaiâ prædixit de Ioanne, accipienda esse, quasi eisdem uerbis vsus ille fuerit, ac dixerit, Parate uiam Domini, rectas facite semitas eius, sed significant Ioannem populum excitaturum ad ea præstantia, quibus uia Domini paratur, disponiturque homo ad Christum recipiendum, quod fecit Ioannes uerbis, quæ tres Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas descripserunt. Sicque hæc uerba interpretatur Chrysostomus. hom. 10. in Matth. Euthym. autem Mat. 3. hoc idem dicit, nempe sensum horum uerborum Ioannem secutum fuisse. Addit, dici etiam posse, Ioannem eisdem uerbis, (Parate uiam Domini, rectas facite semitas eius) usum fuisse, licet Euangelistæ non narrent; non enim omnia Euangelistæ scripserunt. Quis autem sensus sit horum uerborum, multipliciter Doctores explicant. Primo quidem Orig. hom. 21. uiam hanc Domini, & semitas pro eodem accipit, ac interpretatur animam nostram, per quam ingreditur Dominus ad nos; quia autem Ioannes hortabatur homines, vt animas pararent ad Christum recipiendum, dicitur clamasse, parate uiam Domini, & rectas facite semitas eius. Idem sentit Euthym. Matth. 3. quæ intelligentia qua parte animam, uiam, & semitam Domini esse dicit, non uidetur proprium sensum facere: nam anima potius habet rationem loci, seu tēpli, in quod recipitur Christus per fidem, quam uia. Secundo loco Titus Bostrenus, utramque sententiam, scilicet, Parate uiam Domini, & rectas facite semitas eius, in distinctum

Patres diuersimode superiorē sententiam exponunt.

sensum interpretatur, quasi Ioannes excitaret populos, vt relictis umbris illius legis, ueritati per Christum docendæ se accommodarent, ac si dictum esset, missis ueteris legis umbris, ad susceptionem illorum uos comparate, quæ Christus docturus, & promulgaturus est: rectas autem semitas facere eum dicit, qui per illius iustitiam graditur; improbitas enim res obliqua, & sinuosa est. Tertio Gregorius hom. 20. in Euangelia etiam distinguit utriusque sensum. illam autem (parate uiam Domini) sic interpretatur: Omnis, inquit, qui fidem rectam, & bona opera prædicat, quid aliud, quam uenienti Domino ad corda audientium uiam parat? Hæc ille. Cum ergo Ioannes populos ad fidem, & bona opera excitaret, ad uiam Domini parandam dicitur missus. Illam uero (Rectas facite semitas eius) sic exponit: Vis, inquit, gratiæ penetrat corda, & lumē ueritatis illustrat, ut rectas Domino semitas faciat, dū mundas in animo cogitationes per sermonē bonæ prædicationis format. Hæc ille. Mundas ergo cogitationes habere est rectas Domini semitas facere; ille autem mundas cogitationis habet, qui ad bona opera se conuertit non ex ambitione, aut uana gloria, aliquoue alio humano affectu, sed propter Deum ipsum. Quarto loco Chrysostomus. hom. 10. in Mat. utramque sententiam coniunxit, eumque sensum facere asserit, quem uerba illa Ioannis, Facite fructus dignos pænitentia, quæ expositio non uidetur perfecta: nam Ioannes plura prædicauit, pluraque erant necessaria ad disponendum populum Christo recipiendum. Quinto loco Cyrillus in Commentarijs super Isaiam, non alium sensum utriusque huius sententiæ esse dicit, quam quem uerba sequentia continent, Omnis uallis implebitur, &c. quasi posita sint tanquam explicatio præcedentium. de qua re paulo inferius dicemus. Sexto, Bonauentura uiam Domini diuina mandata, seu præcepta intelligit: semitas autem consilia. cum ergo Ioannes utrumque prædicaret, dicitur, vt uiam pararet, & semitas rectas faceret, missus. Multa alia multi dicunt. Mini non aliud uidetur uiam Domini parare, quam semitas eius dirigere, rectasque facere, ut in Commentario diximus, & confirmauimus. Pro intelligentia autem aduerte Dominum multo ante Iudæos docuisse uerbum illud, per quod ipse agnosceretur, quando ad saluandum ueniret. Hoc autem fuit lex illa sancta multiplici mandato, uelut semitis quibusdā diuisa, fides etiā in uenturum Christum coniuncta cum multis signis futuri aduentus per Prophetas reuelatis, ob quæ fides alio nomine dicta est Prudentia, ut annotauimus cap. 1. in illo uerbo (ad prudentiam Iustorum) & quidem si populus legem

Auctoris sententia magis explicatur.

legem Domini, & mandata legis obseruasset, ut par-
 eras, fideque ipsius instructus fuisset, facile Christum
 aduenientem agnouisset. Hæc Dauid sibi optabat à
 Deo donari. Psal. 118. Da mihi intellectum, & scri-
 rabor. legem tuam, deduc me, in semitam mandato-
 rum tuorum. Perpende fidem, & obseruantiam man-
 datorum, quæ via, & semitæ sunt, quibus Christum
 nosse & recipere docuerunt. Has semitas detorsit po-
 pulus, quantum ad legem quidem, multis transgres-
 sionibus, & sceleribus, quæ animam auertunt, & de-
 clinare faciunt à Deo; quantum ad fidem vero, negli-
 gentia, & inaduertentia Scripturarum, & signorum
 aduentus Christi, quæ negligentia, & inaduertentia
 effecerunt, ut tempus aduentus non nosset; cumque
 populus in hoc se haberet statu, misit Deus Ioannem

imminente Christi aduentu, ut eum disponderet; pri-
 mo quidem remotis peccatis, & commissis sceleribus
 per penitentiam, deinde illustrando fidem, & admo-
 nendo populos de imminente Christi aduentu, ipsum-
 que digitis signando, & hoc est viam parare, rectas-
 que facere semitas Domini, nempe per penitentiam
 remouere peccata, quibus detorquebatur à Deo, &
 per bona opera, fidemque Christi venientis, ad Deum
 conuertere; sic enim ut Christum agnoscerent, & re-
 ciperent, dispositi erant. Quæ omnia Ioannes perfe-
 cissime fecit, quantum erat ex parte sua, ut prædi-
 cationis eius verba ostendunt, ob idque dictus est cla-
 masse, Parate viam Domini, & rectas facite semi-
 tas eius.

Omnia uallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.

C O M M E N T A R I A.

HAEC, quæ sequuntur vsque ad illud (Et videbit omnis caro salutare Dei)
 ad Ioannem pertinent, vocesque ipsius sunt, eiusque nomine à propheta præ-
 nunciantur: nam Ioannes erat præcurfor populo præparando à Deo missus, & erat
 etiam propheta, aduentum Christi imminentem annuncians. Priora igitur verba,
 scilicet (Parate viam Domini, rectas facite semitas eius) ad præcurforis munus,
 posteriora vero hæc ad prophetæ officium spectant. Prædicat autem duo. Vnum est
 Christi aduentu Iudæorum partem repellendam, & Gentium multitudinem substi-
 tuendam populo Dei, ita ut vna ex utroque populo fiat Ecclesia, & vnum utriusque
 commune sit Euangelium, nempe ex reliquiis Iudæorum credentibus, & ex Gen-
 tium multitudine ad fidem Christi veniente. Metaphora autem quadam hoc præ-
 dicit, nempe ex montium, & collium depressione, & vallium repletionem, & exal-
 tationem; quod enim deprimitur ex montibus, adiicitur vallibus, & æqualis fit
 via, sic Iudæorum montes deprimuntur; non quidem toti euertuntur, sed pars su-
 blimis, quæ adiecta vallibus eas repleat, & æquet; sic non omnes Iudæi ceciderunt,
 sed pars non modica, & loco eorum Gentes vocatæ sunt, & sic æqualitas est facta
 in utroque populo, & qui non erat populus Dei, factus est populus, parte eius, qui e-
 rat populus, refecata, & reiecta. Propterea non tantum dicitur: Vallis om-
 nis implebitur, quod fieri poterat absque montium depressione: sed dictum etiam
 est, mons humiliabitur, ut ruina Iudæorum implenda significetur Gentium exalta-
 tione. Matth. 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.
 Ecce quod auferitur à Iudæo, implet Gentes. Hoc est mysterium illud, quod Paulus
 Roman. 11. docuit, dicens: Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, quia cæcitas ex
 parte contigit in Israel, donec Gentium plenitudo intraret. & rursus ibidem: Dimi-
 nutio eorum diuitiæ sunt Gentium. quasi diceret, depressio montium exaltatio est
 vallium. hoc idem Dauid Psal. 109. prænucciavit: Iudicabit, inquit, in nationibus,
 implebit ruinas. Hoc idem Ioannes ipse quadam alia metaphora prædixit: Iam, in-
 quit, ad radicem arboris securis posita est, potens est Deus ex lapidibus suscitare fi-
 lios Abrahæ. quæ verba paulo inferius explanabimus. Distinguit autem montes, &
 colles, ut per illos, Sacerdotes, per hos, seculares ex Iudæis distinguat; ex utroque
 enim numero multi ceciderunt. nec moueat quempiam, quod dicitur (omnis;) licet
 enim vniuersale sit. tamen Scripturæ more sepe multitudinem significat, ut etiam
 Euthymius notauit. Iudæos autem montibus comparari propter legem, & cultum,
 ac fidem veri Dei, Scriptura docet Psal. 67. Mons pinguis, mons coagulatus, mons
 in quo beneplacitum est Deo. Gentes autem, quasi in abyssu peccati iacentes sine
 luce fidei, sine religione veri Dei, vallibus conferuntur.

A N N O T A T I O X V I I I.

Mirum est, quantâ varietas sententiarum sit in ver-
 bis propositis, & iis, quæ sequuntur exponendis,
 quorum nonnullas referam, omnes enim recentere inuti-
 le mihi visum est. In primis, recentiores quidam in præ-
 sentis, & sequenti sententia, verba futuri temporis possi-

ta pro verbis imperandi, interpretantur, ac si dictum
 esset, omnis vallis impleatur, & omnis mons humilia-
 tur, sicut praua in directa, & aspera sint in vias pla-
 nas. Frequentissimus est enim mos Hebræis futuro
 uti pro imperatiuo, & ex multis exemplis vnum sit
 Matt.

Matth. 22. sumptum ex Deuter. 6. Diliges Domi-
 num Deum tuum. Diliges proximum, sicut te ipsum.
 Hæc futuora pro imperandi modo accepta esse, nemo
 ignorat. ita in hoc loco fieri putant, quasi Ioannes
 exhortetur populum hisce verbis, & sententijs. Vi-
 detur autem Hieronymus Is. 40. Futura hæc, ver-
 bis imperandi exponere, quoad sensum vero signifi-
 cationem futuri potius indicat & reuera futuri sunt
 temporis; non enim sine rationabili causa priores il-
 læ sententiæ modo imperandi, hæc vero futuri tem-
 poris verbo exprimentur, quasi illæ ad munus præ-
 dicandi, & exhortandi; hæc autem ad prophetiam
 spectent, ut in Commentario diximus; sicque Patres
 veteres intellexerunt, quorum sententijs modo
 recitabimus. Primo quidem ipse Hieronymus loco
 citato; per montes, colles, & valles gentiles inter-
 pretatur, qui dicuntur montes, & colles, quia elati-
 erant superbia; valles vero, quia humiles confe-
 sione, nimirum dediti idololatriæ, qua humiliati,
 & depressi tenebantur. Hi ad impletionem virtutum
 & depositionem superbiæ inuitantur, quod per Chri-
 stum futurum erat. Quæ expositio dura in eo vide-
 tur, quod eisdem personis applicat montes, & val-
 les. Secundo loco August. serm. 36. de Sanctis, verba
 futuri quantum ad sensum legit, sicutamen interpret-
 atur, ut non aliud sit, omnis vallis implebitur, &
 omnis mons humiliabitur, quam illud, quod à Do-
 mino dictum est Lucæ 14. Qui se humiliauerit exal-
 tabitur, & qui se exaltauerit humiliabitur. Huic ex-
 positioni consentit Gregorius homil. 20. in Euang.
 & Chryost. hom. 10. in Matth. & Bedæ; ea tamen
 contextui parum accommodabilis est. Tertio loco,
 Titus Boltrenus, montes, & colles interpretatur tum
 spiritus malignos, tum animi perturbationes, siue
 internas, siue externas; valles autem difficultates, quæ
 occurrunt iis, qui virtuti incumbunt, sicque conne-
 ctit quia dixerat, Semitas rectas facite. possit quis-
 piam dicere, cum tot obstant obices, cumque oppo-
 nant se tum maligni spiritus, tum internæ, & exter-
 næ perturbationes animi, ac, cum occurrant profun-
 da, & transitu difficilia, quomodo fieri potest, ut
 per viam virtutis rectam incedamus? Huic respondet
 Ioannes, Omnis vallis implebitur, omnis mons, &
 collis humiliabitur, quasi diceret, nihil vereamini,
 siquidem omne illud, quod ante virtutis cursum
 impedit, per Christum e medio submouebitur,
 quia Christus Satanam fregit, eumque sub seruorum
 suorum pedibus strauit, incensolque carnis ardores,
 praua; eius cupiditates sedauit, & aboleuit in seip-

so. In hunc sensum proposita, & sequentiæ verba inter-
 pretatur Titus, ut nempe significetur per ea, impedi-
 menta, quæ ad Deum hæcenus viam difficilem effe-
 cerunt, per Christum amouenda, viamque futuram
 planam, & leuem. Cyrillus Alexandr. Is. 40. eodem
 sensum, & huius sententiæ, & sequentijs adhibet.
 Verba Cyrilli sunt hæc: Quid ergo est, parate viam
 Domini, rectas facite semitas eius? explanat addens,
 omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis red-
 detur humilis, & erunt omnia, quæ obliqua sunt, di-
 recta, & aspera via campestris, sunt enim quædam
 publicæ viæ; & semitæ minime peruiæ, sed asperæ
 illæ quidem, & iniuæ, ut aliquando assurgendum sit
 ad montes, & colles, aliquando per eisdem descendē-
 dum, nunc in præcipitijs pendeas, nunc in colles
 profundos deseraris. Sin cōtingat, ut ædita, & præru-
 pra loca subsidant, & quæ in cauo, ac profundo sunt,
 compleatur, tunc vndeque recta erunt, quæ erant
 obliqua, & campi plani, & via expedita, quæ quon-
 dam erat aspera, & abrupta. Hoc factum est intelligen-
 biliter Saluatoris nostri potētia: olim enim omnibus,
 ut sic dixerim, hominibus inaccessa erat via eximia,
 & Euangelicæ conuersationis semita parum trita,
 quod nunc omnium mundanis, & terrenis esset de-
 tenta cupiditatibus, & subiecta carnis foedis moti-
 bus. Postquam autem homo factus, atque caro secun-
 dum Scripturas in carne aboleuisset peccatum, &
 Principatus, ac Potestates, & rectores mundi huius
 demolitus esset, æqualem nobis, & ad currendam
 apertissimam viam pietatis effecit, nihil habentē accliuē,
 vel in altum sublatum, nihil cauum, aut deorsum, sed
 in campos magis complātatam; omnia enim obliqua
 facta sunt recta. Hæc ille. qui vti superius diximus,
 omnia hæc dicit explanationem esse illorum præce-
 dentium (Parate viam Domini, rectas facite semitas
 eius) in quo à Tito differt, qui ea prima verba aliter
 interpretatur, nec quæ sequuntur, explanationem an-
 tecedentium dicit, sed potius exclusionem obiectionis
 cuiusdam, ut ex citatis ipsius verbis constat. Euthymius
 hanc refert interpretationem, ut montes, & colles pra-
 uos spiritus, seu dæmōnes significant referretque alias
 expositiones potius spirituales, quam literalem sen-
 sum facientes. Mihi omnium accommodatissimam visam
 est ea, quæ in Commentario posita est, quæ est Orig.
 hom. 22. eamque sequitur Greg. hom. 20. in Euang.
 Vide ergo omnes hos Doctores verba futuri tempo-
 ris interpretari, quasi quod per Christum futurum
 erat, Ioannes prænucciaret.

Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas.

C O M M E N T A R I A.

HOC est alterum, quod Isaias Ioannem prædicturum prænucciavit, legis scilicet
 illius veteris mutationem in Euangelium, praua inquit, & tortuosa in recta,
 ac aspera in plana, læuiaque mutabuntur. Erat quidem lex illa vetus tortuosa, &
 aspera. tortuosa, quia non docebat mysteria salutis directe, sed in vmbris, & figuris
 quasi via tortuosa, quæ non linea recta tendit in terminum, sed quod Paulus docet
 Galat. 4. sub elementis, inquit, mundi huius eramus seruientes. Erat etiam aspera
 propter multitudinem, & difficultatem mandatorum, at Euangelium recta via est,
 non vmbras, & figuras, sed veritatem ipsam ostendens, non difficultia illa, & innu-
 merabilia præcepta continens, de quibus Act. 10. dicitur. Nec nos, nec Patres no-
 stri portare potuimus: sed iugum suaue, & leue. Mutabitur ergo lex aspera, & pra-
 ua, id est tortuosa, in Euangelium aduenientis Christi directum, & planum. Hoc si-
 gnificauit Ioannes, quando Christi baptismum non in aqua sola, sed in Spiritu sancto
 futurum prædicauit. Spiritus sanctus enim est, qui Euangelium suæ copia gratiæ, ac
 lucis splendore, rectum, & planum ac suaue fecit.

Psal. 118.

Rom. 11.

Psal. 109.

Psal. 67.

Diuerse Pa-
 trum exposi-
 tiones.

ANNOTATIO XIX.

Interpretatio in commentario tradita est firmatur, & alia referuntur.

Tertullianus lib. 5. contra Marcio. hanc sententiam interpretatur, sicut dictum est in commet. Tortuosa, inquit, & aspera in rectitudinē & in campos, id est, legis difficultates in Euangelij facilitates. Hæc ille. Similiter Chrysof. hom. 10. in Matth. vbi sic habet: Omnis vallis implebitur, & omnis mōs, & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas, ostendunt & humiles sublimandos, & è diuerso sublimes humiliandos, ac difficultatem legis in fidei facilitatem mutandā. Hęc ille. Vbi habes verba hæc posteriora in eisdem sensum interpretari, quem nos secuti sumus. Eadem interpretationem refert etiam Euthymius: Obliquitas, inquit, & asperitas veteris legis in rectitudinem, & perfectionem Euangelij conuertetur. Veteris, inquit, legis obliquitas erat obscuritas, ac varietas, asperitas vero austeritas, & incompassibilitas. Hęc ille. Quidam alij ad mores referunt hominum, qui aduentu Christi per gratiam eius, copiosius quā ante diffusam, in bonum commutati sunt. Sic Gregor. hom. 20 interpretatur, inquit enim: Prava directa fiunt, cum malorum cor-

da per iniustitiam detorta, ad iustitiæ regulam dirigitur, & aspera in vias planas immutatur, cum immites, & iracundæ mentes per infusionem supernæ gratiæ ad lenitatem mansuetudinis redeunt. Quando enim verbum veritatis ab iracunda mente nõ recipitur, quasi asperitas itineris gressum pergentis repellit; sed cum mens iracunda per acceptam mansuetudinis gratiam, correctionis, vel exhortationis verbum recipit, ibi planam viam prædicator inuenit, vbi prius præ asperitate itineris pergere, id est, prædicationis gressum ponere non valebat. Hęc Gregorius. Euthymius præter eam, quam proxime citauimus, duas alias adhibet expositiones; sic enim inquit: Obliqua sunt viæ peruersæ hominum, & asperæ viæ opinionum ipsorum, hæc fiunt recta, & plana, ita vt per ea æquabiliter pergant ad Christum. aut etiam obliquitas, & asperitas prauitatis in rectitudinem, & planitiam virtutis immutabitur. Hęc ille. Vera hæc sunt, sed tamen ad sensum huius sententiæ magis facere videntur, quæ dicta sunt in Commentario.

Et videbit omnis caro salutare Dei.

COMMENTARIA.

Fiet ex hac vallium impletionem, & mentium depressionem, legisque mutationem, vt non Iudæus tantum, sed etiam Gentilis salutem per Christum factam percipiat, omnesque credant in eum. Salutare Dei Christus est, de quo Simeon paulo ante dixit: Viderunt oculi mei salutare tuum. Omnis autem caro hominem significat tam Gentilem, quā Iudæum, qui visurus dicitur Christum, tum quia ipse visibilis apparuit homo factus, quantum ex se est, omnibus, tum quia omnibus salutem attulit, tum quia notitia eius in omnes fines terræ diffusa est. Nec te moueat, quod non omnes oculis carnis viderint Christum, nec omnes eius salutem perceperunt, nec omnes notitiam eius affecuti sunt: nam, vt paulo ante dixi, in Scriptura vniuersalitas aliquando multitudinem significat; aut etiam ex parte sua Christus se omnibus visibilem, & salutarem exhibuit, quo etiam sensu dictum est Marci ultimo: Prædicate Euangelium omni creaturæ, cum tamen non omnibus fuerit prædicatum. & Ioan. 6. Erunt omnes docibiles Dei. & multa alia huiusmodi. Carne autem significari hominem totum, multa loca Scripturæ probant, è quibus illud est præcipuum testimonium Ioan. 1. Verbum caro factum est, vbi & quod homo caro, & quare caro dictus sit, ostendimus.

ANNOTATIO XX.

Eorundem verborum sensus magis declaratur.

Hoc est totum testimonium, quod Euangelista ex Isaiâ propheta refert, qui etiam si in eo capite de reuocatione populi à captiuitate Babylonica per Cyrum facta loquatur; tamen ea cortice significabat veram, & perfectam reuocationem, & liberationem hominum de potestate peccati, & dæmonis per Christum effecta, cuius præcursor Ioannes futurus erat. Est autē notandum in Hebræo aliter nūc legi verba hæc ab Euangelista allegata; sic enim Hebræi exemplar habet, quasi Latine diceremus. Reuelabitur gloria Dei, & videbit omnis caro, quod os Domini locutum est. Septuaginta autē interpretes, quorum versionem nos Euangelista secutus est, loco illius (quod os Domini locutum est) paraphrastice, vt solent, verterunt, salutare Dei. solent enim hoc nomine appellare Christum, & recte quidem: nam videre quod os Domini locutum est, nõ est aliud quam videre, quod promiserat Deus per Prophetas, vt dictum est Lucæ 1. Sicut locutus est per prophetas. Præcipua autē promissio, & omnium maxima Christus est. & licet Isaiâs etiam intellexerit salutem quam

promiserat de liberando populo de Babylonica seruitute, tamen præcipue intendebat Christum significare, vt diximus paulo ante; ideo Septuaginta præcipuum sensum secuti sunt, recteque verterunt Salutare Dei, id est, Christum. Quod autem in versione Septuaginta habetur ultra illud (videbit omnis caro salutare Dei) etiam hoc (quod os Domini locutum est) adiectum est ex alijs versionibus: nam in versione eorum solum habetur, quod Lucas recitat (videbit omnis caro salutare Dei.) Prætermisit autē Euangelista illud (reuelabitur gloria Dei) quia eundem sensum facit cum illo (videbit omnis caro salutare Dei;) in eo enim Dei gloria manifestata est, iuxta illud Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre. Christum autem significari hoc loco per salutare Dei testantur patres antiqui, Irænaus lib. 3. cap. 9. Augustinus lib. 2. ciuit. cap. 29. Ambrosius ad Roman. 3. Greg. homil. 20. Euang. Euseb. lib. 7. demonstrat. Euang. cap. 5. Euthymius autem interpretatur lumen Euangelij, aut salutarem incarnationem, quæ ambo præparauit Deus ante faciem omnium populorum.

Quomodo intelligendum quod omnis caro Christi esset visura.

rum. Titus Bostrenus priorem interpretationem sequitur; scilicet Euangelij notitiam; accommodatior tamē est ea, quæ est Augustini, Gregorij, & Ambrosij. Dubitatio autem occurrit. Quomodo omnis caro dicatur visura Christum; cum non omnes eum in carne visibiles viderint. Augustinus, & Gregorius locis citatis intelligentes hanc visionem corporeis oculis futuram, respondēt hoc implendum in die Iudicij, quādo omnes manifestabimur ante tribunal eius, tunc nemine excepto omnes homines oculis corporeis eum videbunt. Hoc quidem verum est, sed verbis, ac contextui parum accommodabile: nam Ioannes, cuius verba hæc futura prænunciavit Isaiâs, non de posteriori, sed de priori Christi aduentu, cuius ille Præcursor erat, loquebatur. Titus Bostrenus non de hac visione interpretatur, sed dicit, visuros omnes Salutare, quia eo potientur omnes, & fructus, ac virtus eius dilatabitur vsque ad fines terræ. Ac

Ioannes non hoc solum intendebat significare; nam ante incarnationem virtus eius participabatur: sed etiam aduentum visibilem Christi significabat, quo in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Dicendum ergo, vt in Commentario dictum est, omnem hominem visurum dici Christum, quia quantum ex se est, visibilem se exhibuit omnibus oculis corporeis, & credibilem per fidem oculis spiritibus hominum; plena enim est Scriptura huiusmodi locutionibus vniuersalibus. Dictum enim est Psal. 71. Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. & Isa. 2. Et fluent ad eum omnes gentes. Et multa alia huiusmodi. Chrysof. hom. 10. in Matth. particulam (&) causalem interpretatur, quasi dictum esset, Omnis vallis implebitur, erunt prava in directa, & cætera, quia omnis caro videbit Salutare Dei. Cæteri sensum copulantem interpretantur, idque accommodatius est.

Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, ut baptizarentur ab ipso.

COMMENTARIA.

Particula (ergo) illationem indicat ex antecedentibus; dixerat enim Euangelista Ioannem prædicasse baptismum pænitiæ, & interposuit testimonium Isaiæ, prophetantis Ioannis aduentum, & prædicationem. Hinc infert, & deducit, quia baptismum pænitiæ prædicabat, ideo, seu ergo dicebat turbis, quæ ab vrbibus ad ipsum confluxerant, vt baptizarentur, verba ad pænitentiam excitantia, qualia sunt quæ sequuntur; non enim ad baptismum admittebat, nisi pænitentes; præcedebant enim prædicatio, & pænitentia baptismum, quod Matthæus capite 3. expressit. Exhibat, inquit, ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio Iordanis, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentibus peccata sua. Eximia enim Ioannis virtus, & vitæ plusquā humanæ auctoritas, habitus insolitus, noua, & efficax prædicatio, prophetica Isaiæ vox clamantis in deserto, baptismus supra legem, memoria natiuitatis, & conceptionis admirandæ, Tribus nobilitas homines ad se vndique cõuocabant; sic enim oportebat excitari omnes Christo aduenienti. Nota multitudinem confluentem; exibant enim turbæ. Dicuntur autem exisse, quia à locis habitationis egrediebantur in desertum, aut in ripas Iordanis, vbi Ioannes erat prædicans, & baptizans.

Genimina viperarum.

COMMENTARIA.

Exhortatio ad pænitentiam à reprehensione accipit exordium, vt sic auditores ad grauitatem peccati considerandam, & agnoscendam, & in perpetrati sceleris pudorem pertrahantur. Hęc enim ad pænitentiam inducunt. Acris autem est, & aspera reprehensio, quæ & grauitatem, & antiquitatem peccati indicat, grauitatem quidem eo quod viperas appellat, est enim animal hoc venenosum, & suo veneno alios interficiens: tales erant Pharisei, & Saducei, in quos reprehensio dirigebatur, qui suo peccato, & exemplo velut veneno quodā simplices turbas inficiebant. Antiquitatem vero, eo quod progenies, seu genimina viperarum vocat, quasi hæreditario quodam scelere patres, & maiores malos, & aliorum peruersores imitarentur. Graue profecto hoc peccatum est, & inueteratum, & difficile curatu. Admirabilis est autem animi magnitudo Ioannis, qua libere illis hominibus loquitur, qui propheticum semper sitiebant cruorē, quique in nullo erant serpentibus mitiores, vt notauit Chrysof. hom. 11. in Matth.

Baptista Iudæis grauitatem, & antiquitatem peccatorum improperebat.

ANNOTATIO XXI.

Quo modo Matthæus, & Lucas conueniant in ijs Baptistæ verbis. Matth. 3.

In primis hoc eodem vocabulo Christus ipse eosdem increpauit post Ioannem Matth. 23. Serpentes, inquit, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Posset autem quispiam dubitare, nam Matth. 3. dicitur, Exhibat ad eum omnis Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo confitentibus pec-

cata sua. Videns autem multos Phariseorum, & Saduceorum venientes ad baptismum suum, dixit eis, progenies viperarum, &c. Hoc autem in loco Lucas dicit ad turbas hoc dixisse Ioannem. Quod vero illic (progenies) hic (genimina) dicitur, parum refert, eadem enim significatio nominum, & in Græco vnum, & idem est vocabulum, quod interpres modò vno, modò

modò altero nomine vertit. Euthymius huic difficultati respondet, Ioannem bis hisce verbis usum esse, semel ad Pharisæos, & Saducæos, semel etiam ad turbas, illudque Matthæum, hoc Lucam retulisse. Hæc responsio non est necessaria ad difficultatem euacuandam; nam simul cum turbis veniebat Pharisæi, & Saducæi; Ioannes autem omnibus loquebatur, & hoc dicit Lucas, non tamen propter omnes hoc dicebat, sed propter Pharisæos, & Saducæos. & hoc refert Matthæus; sepe enim euenit his, qui conciones, & sermones publicos habent, vt reprehendant omnes generaliter de aliquo vitio, quod non ab omnibus, sed à quibusdam perpetratum est; sic enim suauior, & vtilior fit reprehensio his, qui deliquerunt, quam si determinate in eos solos dirigeretur, quod egregie annotauit Greg. lib. 13. Moral. c. 3. vbi prudens documentum docet, inquiens sic: Sæpe contin-

git, vt talis sit, qui nulla increpationis verba suscipiat. Quid igitur in huius culpa prædicatori agendum est, nisi vt in sermone admonitionis, quem pro salute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat, quales eum perpetrasse considerat, qui & prælo est, & de solo adhuc argui non potest, ne deterior fiat. Et cum generaliter contra culpam inuectio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur, quia potens prauus ignorat, quod sibi hoc specialiter dicatur. Hæc Greg. Igitur, quamuis Ioannes ad omnes haberet sermonem, non propter omnes hæc dicebat, nam etiam si turbis loqueretur, multi tamen in eis erant, qui increpatione tali digni non erant; credibile enim non est omnes fuisse pessimos, & tales, vt gemina viperarum dici possent.

ANNOTATIO XXII.

Quare Iudei viperarum gemina sint appellati.

Grauior est difficultas, cur hi geminibus, seu filijs viperarum conferantur; multipliciter enim Doctores ad hoc respondent. Primo quidem Chrysof. hom. 11. in Matth. sic inquit: Bene eos geminibus viperarum vocauit, siquidem id serpentium genus ita in parentis festinat exitium, vt alio, qua portatur, exesa, in vitam prodeat morte gignentis, quod isti quoque faciunt, patrum sanguine, ac matrum madentes, & sceleratis manibus eos, à quibus ad veritatis lumen ducebantur, interficientes magistros. Hæc ille, gemina ergo viperarum dictos cenfer, quia Patres spirituales, à quibus instruebantur, interficiebant. In eadem sententia est Euthymius Matth. 3. Immo ante vtrumque idem sensit Athanasius in quaestione ad Antiochum q. 56. vbi sic habet: Quare Baptista vocat Iudeos progeniem viperarum? Quia illa bestia suæ matris ventrem exedit, & sic demum egreditur, qualia etiam isti patricidia patrauerunt, suos interficientes Doctores, & Prophetas inuidia comoti; lapidauerunt enim Mosem, Esaiam vero prophetam cum lignea ferra in duas partes diuiserunt. Hæc ille. Secundo loco aliter explicat Isidorus Pelusiota. lib. 1. ep. 105. Vtitur quidem eadem similitudine, sed non eodem modo applicat. Verba ipsius sunt: Viperarum progeniem Ioannes Iudeos appellauit, vt improborum parentum improbiore fetus; aiunt enim hanc feram matrem ventrem, cum in lucem ediret, arrodere. Quoniam igitur Deum, qui eos genuit, dereliquerunt, atque omnem sibi concessam gratiam extinxerunt, ea videlicet in irritum redacta, merito proinde venenatis animalibus eos confert; per ingratitude accepta beneficia obliterantibus, ne dicam corrodentibus. Hæc ille. Et quidem quod ad historiam hanc de filijs viperarum, matrem interficientibus in partu, consentiunt etiam Basiliius hom. 9. de Opificio, vbi sic inquit: Viperas vtero matris prolo fama est in lucem exire, decentes scilicet mercedes, præmiaque parentibus reddentes. In eadem sententia est Epiphanius Hæres. 26. cuius verba paulo inferius recitabimus. Similiter Hieronymus Epistola ad Præsidium. Idem refert August. serm. 1. Dominica 3. in Quadragesima, seu serm. 83. de tempore. hac enim de causa inuidios viperis conferri dicit, sicut, inquit, viperas dilacerato, & dirupto materno vtero, in quo conceptæ sunt, nasci aiunt, ita inuidia illam animam, à qua concepta est, consumit; & perdit. Gregorius etiam lib. 15. Mor. c. 9. sic inquit: Viperæ cum conceperint, filij earum in ventre scruunt, qui ruptis lateribus matrum, ex earum ventribus procedunt, vnde & vipera, eo quod vi pariat, nominatur. Vipera itaque sic nascitur, vt violenter exeat, & cum matris suæ extinctione producat. Hæc Gregorius. Refert etiam eandem historiam Plutar. Opuscu-

lo de grauitate. Acus, inquit, & viperas memorant, cum eniuntur, dirumpi. Hanc igitur historiam illi Doctores allegati sequentes, locum præsentem ea similitudine explicant. Tertio loco Hieronymus Isa. 30. & Matth. 23. & Gregorius hom. 20. in Euangelia, & Beda aliter interpretantur; filios enim malos parentum malorum imitatores dici affirmant filios viperarum, quia quales patres tales ipsi in malitia sunt. Verba Gregorij sunt hæc: Mala soboles malorum parentum actionem imitantes gemina viperarum vocantur; quia per hoc quod bonis inuidet, eosque persequuntur, quod læsiones proximis exquirunt, quia in his omnibus priorum suorum carnalium vias sequuntur, quasi venenati filij de venenatis parentibus nati sunt. Hæc ille. Quarto loco Ambrosius in præfenti refert præcedentem causam, & aliam adiungit, nempe ob quandam prudentiam dictos viperarum progenies, iuxta illud Matth. 10. Estote ergo prudentes sicut serpentes; serpens enim per prudentiam præuidet futura, venenum tamen non deserit, sic isti prouida quadam deuotione videt profutura, & sponte deposcunt, nempe Ioannis baptisimum; adhuc tamen non relinquunt noxia, & peccata. Hanc interpretationem insinuat Euthymius etiam Matth. 3. Quinto loco August. lib. 1. Quaestionum Euangelicarum cap. 5. dici putat gemina viperarum, quasi filios diaboli, nempe per imitationem, iuxta quam expositionem, diaboli significantur per viperas, quorum filij hi dicuntur, quia illorum peccata imitantur. Hæc sunt, quæ patres antiqui senserunt. Quantum autem ad historiam illam viperarum partus attinet, aduertenda sunt ea, quæ Aristoteles de vipera scripsit lib. 5. historia animalium cap. 34. cuius verba sunt hæc: Vipera est serpentibus vna animal edit, cum intra se oua primum pepererit; ouum hoc vnus coloris, & molle vt piscium est; foetus superne consistit, nec cortice continetur, sicut ne piscium quidem. Parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpuntur. Euenit interdum, vt qui in vtero adhuc sunt, abrosis membranis prorumpant. singulis diebus singulis parit plures quam viginti. Hæc Aristoteles. in quibus verbis non possum non mirari quosdam recentiores alucinatos, existimasse Aristotelem in ea sententia fuisse, vt existimaret viperam perire in partu filiorum, corrodentium latera parentis, cum non solum id non docuerit, sed potius contrarium tradiderit: dicit enim parere catulos suos membranis id est, secundis obuolutos, hos autem tertia die, corrosis illis membranis, quæ iam sunt extra vterum, erumpere, sicut & pulli etiam cortice oui fracto emergunt. hoc tamen non inducit matris mortem. Dicit præterea aliquando intra vterum catulos rumpere has membranas, & sic singulos singulis diebus è ventre emit-

Quid Aristoteles, & alij philosophi de vipera scripserint.

Quomodo Ioannes eos increpauerit quorum vita, & mores nondum nouerat.

ti plusquam numero viginti, non autem dicit latera rumpi matris sed secundas, seu membranas illas, in quibus solent obuoluti catuli illi nasci, nec propterea sequitur mors matris, sicut in alijs animalibus, quæ in vtero habent fetus secundis obuolutos, emituntque eos ruptis membranis in vtero, & postea expellunt ipsas membranas. immo si vipera moritur lateribus apertis, quomodo potest singulis diebus singulos parere plures viginti, necesse est primo, aut secundo die mori, nec posset peruenire ad vigesimum diem, vt vltimum pareret. Si ergo decem, & nouem salua emittit, cur non & vigesimum, immo aliquando supra vigesimum adhuc parit. Historia igitur Aristotelis non solum non fauet opinioni illi, quod vipera in partu occidatur à foetibus, sed potius contrarium omnino demonstret. Hæc de Aristotele. Plinius autem lib. 10. c. 62. aliter de hoc animali scripsit. Verba eius sunt hæc: In terrestribus oua pariunt serpentes, coeunt complexu adeo circumuolutæ sibi ipsæ, vt vna existimari biceps possit; Vipera mas caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Terrestrium eadem sola intra se parit oua vnus coloris, & mollia, vt pisces. Tertia die intra vterum catulos excludit. deinde singulos singulis diebus parit, viginti fere numero, itaque cæteri tarditatis impatientes prorumpunt latera, occisa parente. Hæc ille. qui contrarium scribit ei, quod Aristoteles docet, vt facile est vnicuique intelligere. Est autem notandum, in verbis istis nolle Plinium affirmare viperam ore concipere, sed hoc solum significat, cum vipera obuolutæ sunt generandi causa, sicut & cæteri serpentes, marem inserere caput ori feminae; eamque voluptatis dulcedine ex complexu procedente, rodere caput maris, quod forsitan quidam non aduertentes, existimarunt viperam ore concipere, & non solum matrem, sed etiam patrem perire in generatione, matrem in partu, patrem in conceptione. quam opinionem videtur sequi Epiphanius supra citatus hæres. 26. in fine, cuius verba sunt: Sic sane tradunt doloris pariendi exortem viperam, concupiscentiæ affectu demulsam, tum feminam ad masculum, tum masculum ad feminam circumplicari. & simul per os hiantem femina masculum caput immittere, illam vero affectu detentam, huius caput abscindere, & sic ab

ore distillans virus in seipsam diglutire, & ipsam ex hoc gemellos, marem, & feminam concipere, qui in ventre maturi facti, & non habentes vnde gignantur, latus matris sauciant, & sic gignantur. vt pater, & mater eorum pereat. quapropter non est inditum, ex eo, quod dolores partus non experiuntur. Grauis, & horrida super omnia reptilia est vipera, ipsa in seipsam interitum operans, & per os turpitudinem concipiens. Hæc Epiphanius, valde & Aristoteli, & Plinio contrarius. Idem refert Hieronymus Epistola ad Præsidium: Vipera, inquit, per os coitum faciunt, masculi mortem contemnunt, sed femina in ipso coitu, siue magna dulcedine exagitata, siue futuri præcia periculi, dum absorbet semen, caput masculi abscindit, & sic eum occidit; sed cum conceperit, viscera illius ab ipsis, quos concepit, comeduntur, & sic matrem occidunt. Hæc Hieronymus. Hæc sunt, quæ de vipera breuiter annotanda existimaui, in quibus meo iudicio illa vulgaria sunt, quod in partu pereat femina, & quod ore concipiat abscisso maris capite, quæ duo Albertus Magnus lib. 25. suæ historiae de animalibus, omnino reiecit; & falsa censet, homo in his experitissimus, & Aristotelis doctrinam in hac parte amplectens, quæ veram reputat. Doctores autem sacri secuti sunt vulgarem opinionem, vt verba eorum indicant, eam tamen sibi esse existimantes ad similitudinem, quibus vocabantur, faciendas. Et Hieronymus in ea epistola alia multa narrat è vulgo accepta de natura, & proprietatibus animalium, & tale hoc reputo, quod de vipera dicit. Vt igitur ad nostrum institutum reuertamur, viperas puto hos dici à veneni similitudine; nam vipera acutissimo, & multum nociuo veneno inficit homines, sic illi Pharisæi, & Saducæi inficiebant populos erroribus, & pessimo exemplo, vt ex multis locis Euangelij constat. Sic interpretatus est Clemens Alexandrinus Oratione exhort. ad gent. gemina, enim viperarum dicit vocatos quosdam virulentos, impoltoresque ac simulatores, & iusticiæ insidiatores; tales enim erant illi Pharisæi, & Saducæi. Gemina autem viperarum appellauit Ioannes eos, qui tunc aderant, quia parentes, & maiores si niles habuerunt, vt in Commentario explicatum est.

Quid auctor in hac difficultate sentiat.

ANNOTATIO XXIII.

Dicit aliquis, cur Ioannes hos increpauit, quos potius laudare debuerat, quippe qui vrbibus & domibus derelictis concurrissent vt prædicationem audirent, & baptismum susciperent. eo maxime quod Ioannes non eos peccates videbat, sed actum bonum exercentes. Respondeo cum Origine hom. 22. Etiam si hi ad baptismum venerint, non tamen consuetudines malas, nec itatum peccati abicere volebant, quod etiam modo experimur; multi enim accedunt concionibus audiendis, non autem animum habent præcipua studia dimittendi. Hoc præcipue de illis Pharisæis, & Saducæis probabile est, quos post Ioannis baptismum, & prædicationes, adhuc in suis erroribus, & sceleribus ita obduratos Christus inuenit, vt eadem in eos reprehensione inuectus fuerit Matth. 23. Progenies, inquit, viperarum. Quod si dicas, vnde hoc Ioannes sciebat? Respondet Chrysof. hom. 11. Spiritus sancti inspiratione, & reuelatione eos nouisse, nec illos ex opere illo exteriori iudicasse, sed ex eo, quod intus latebat. Idem responderet Euthymius Mart. 3. immo etiam Ambrosius, qui eos serpentes appellatos dicit, quod cum vtilia per prudentiam quadam prouiderent, noxia tamen non derelinquebant. Quod

si iterum dicas, cur hos Ioannes reprehendit, quos obduratos videbat? Respondeo, non esse desperandam salutem, & conuersionem hominum, quantumcumque sceleratorum; dum enim in hoc mortali viuunt corpore, nullius est desperanda salus, omnium est optanda correctio. Præterea etiam si illi non emendetur, qui tamé eos corrigit, & reprehendit, facit quod suum est. demum, si non illis prodest talis correctio, vtilis est alijs circumstantibus; dum enim vnus malus corripitur, licet is non respiciat, qui audiunt alij mali, emendantur, & boni à malo committendo retrahuntur. Postremo norandum est, hoc loco Manichæos abusos esse, affirmantes Euangelium contra-rium veteri testamento, quia in hoc dicuntur homines ad imaginem Dei facti, in illo autem gemina viperarum. Refert hoc August. lib. contra Adimantum cap. 5. & respondet, illud ante peccatum dictum esse, hoc vero post peccatum, ratione cuius filij viperarum, & filij diaboli dicti sunt. Hæc non sic intelligas, quasi post peccatum homo non sit ad Dei imaginem; manet enim imago etiam in peccatore, sed quod ratione peccati, non autem naturæ, comparatus est homo vipera.

Quis ostendit vobis fugere à ventura ira.

C O M M E N T A R I A.

Prosequitur increpationem. Sensus est. Quis monstravit vobis viam fugiendi ab ira venturi Dei, & poena illa, quam male operantibus infligere solet, quasi diceret, ita vestris malis operibus inhæretis, quasi quispiam vobis viam aliquam ostenderit euadendi supplicium inferendum à Deo. quis ergo vobis hoc ostendit? profecto nemo, cum fieri nequeat, ut euadatis iram Dei, si in his vestris operibus, & peccatis perseveratis. Loquebatur Ioannes, ut supra diximus, hæc verba propter Phariseos, & Saduceos. Similis est sententia hæc, & eundem sensum facit cum illa Saluatoris contra eosdem Iudæos pronunciata. Matth. 23. Genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?

A N N O T A T I O X X I V.

Patres diuersis modis superiora verba interpretantur.

Illud (ostendit) verbum esse præteriti temporis, constat ex voce Græca, quod apud Matthæum cap. 3. distinctius habetur. Quis, inquit, demonstravit vobis fugere à ventura ira? Vtrobique est idem verbum Græcum, quod ab interprete varie sensum est. In sensu autem variant expositores. Chrysostr. hom. 11. existimat esse verba admirationis; Ioannes enim admiratur, quod cum illorum tanta fuerint scelera, talem fecerint mutationem, ut ad baptisum, & penitentiam se conuerterint, & quod illa, quæ illis impossibilia videbantur, vel sero implere potuerint, quasi diceret, qui factum est, ut cum illorum essetis filij iam nequiter educati, subito egeritis penitentiam? unde hæc vobis tanta conuersio? quis voluntates vestras asperas mitigavit? quis vulnera immedicabilia curavit? Hunc sensum adhibet Chrysostr. dicens esse verba laudis, Ioannemque increpationi laudis temperamentum admiscuisse. Euthymius consentit adiungens, hæc dicta fuisse illis, qui in Christum credituri erant, & ita prædictam iram euasuri, Ioannemque asperitati reprehensionis miscuisse laudem, ut inde humiliarentur, hinc vero consolationem acciperent. Ambrosius fere in eundem inclinat sensum. Dico autem (fere) quia in eo differt, quod non admirationis verba hæc censet, sed assertionis cuiusdam, quasi diceret: Deus est, non alius, qui suam miseratione hanc vobis infudit prudentiam, ut vestrorum delictorum penitentiam agatis; futuri terrorem iudicij prouida deuotione metuentes. Tantorum autem Doctorum auctoritate, negandum non est probabilem esse exponendi modum, tamen difficultatem patitur; nam hi non egerant penitentiam, nec fugerant à ventura ira, nec à suis recesserant peccatis, sed ad id excitabantur à Ioanne; aliter enim non audissent verbum tam duræ increpationis, genimina viperarum. Præterea, quod me multum mouet, illud est, hos quos increpabat Ioannes, fuisse Phariseos, & Saduceos, uti diximus supra ex Matt. 3. at hi ba-

Facite ergo fructus dignos penitentia.

C O M M E N T A R I A.

Particula (ergo) illationem indicat ex præcedenti, quasi dicat: Cum via nulla alia sit fugiendi à ventura ira, igitur facite fructus dignos, & condecetes penitentia; sic enim euadetis. Fructus digni, & condecetes penitentia sunt bona opera, & studium virtutis, quæ sunt contraria peccatis, quorum hominem penitet; qui enim dolet aliquid fecisse, consequenter facit contraria priori facto. Non supponit Ioannes illos iam penituisse peccatorum; si enim penitissent, veniam obtinuissent, nec essent genimina viperarum, sed simul ad vtrumque exhortatur, ut & penitentiam & opera penitentia faciant: necesse enim est & a malo recedere, & virtuti, ac bonis operibus incubere. Rom. 13. Abiciamus opera tenebrarum, & induamur

mur arma lucis. Mira virtus est penitentia, & fructuum eius, quæ genimina viperarum conuertit, & à ventura ira liberat.

A N N O T A T I O X X V.

Qui dicantur fructus penitentia.

HOS fructus penitentia explicat August. serm. 66. de tempore, dicens esse, transacta flere peccata, & eadem iterum non agere. Non autem hoc tantum esse, sed ultra id etiam bona opera facere docent Orig. hom. 22. & Chrysostr. hom. 11. in Matth. & ratio ipsa id persuadet. Nam aliud est penitentia, aliud fructus eius, sicut aliud arbor, aliud fructus. qui ergo fructum penitentia dicit, ultra penitentiam aliud esse indicat; id autem bona opera sunt; nam quem alicuius facti penitet, contrarium illi facto operatur: iis ergo, quos peccatorum penitet, ea operari conuenit, quæ peccatis sunt contraria. hæc autem virtutis opera sunt. Ponderat Greg. hom. 20. etiam verbum illud (dignos penitentia) distinguens fructus penitentia, & fructus dignos penitentia; fructus enim penitentia sunt opera bona quæcumque, at digni fructus penitentia, sunt non-

quæcumque opera bona, sed quæ quandam habent proportionem, & paritatem cum malo perpetrato; qui enim magis deliquit, maius post penitentiam opus bonum facere debet, si dignum penitentia fructum efficere vult, ut tanto maiora acquirat bonorum operum lucra per penitentiam, quanto grauiora sibi intulit damna per culpam. Quæ quidem explicatio conueniens est, licet possumus etiam dicere sensum esse facite, eos fructus, quos decet penitentes facere, nimirum contrarios malis primis commissis, ac perpetratis. Prudenter autem Ioannes ad fructus penitentia faciendos exhortatur, ut generalem omnibus exhibeat doctrinam, non penitentibus, ut faciant penitentiam, penitentibus vero, ut penitentia fructus operentur; vtrumque enim in ea sententia comprehensum est.

Et ne cœperitis dicere Patrem habemus Abraham.

C O M M E N T A R I A.

Falsam fiduciam eorum remouet, qui se euadere venturam iram ea ratione posse persuaserant sibi, nempe quod filij essent Abrahæ, cuius semini, & posteritati Deus promisit benedictionem, ac salutem. Ne, inquit, cum auditis, quæ de ventura ira dixi; intra vos dicatis, Patrem habemus Abraham, quasi vobis sufficere arbitremini sine penitentia fructibus à ventura ira fugere posse; non enim id assequimini, sed vana est hæc fiducia. Non hoc Ioannes dicit, quo prohibeat illos se se ex sancto Patriarcha Abraham progenitos confiteri, & eo beneficio, ac honore gaudere, aut quo neget illius virtutem prodesse multum posse posteris, sed ne eo freti peccata abiicere, & sancte operari desistant, quasi illud solum arbitantes efficere posse, ut venturam iram Dei euadant, idcirco non dixit; Nihil vobis prodesse potest Abraham, sed leuiori, & mitiori vsus est sermone, ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham.

A N N O T A T I O X X V I.

Magis declaratur superior sententia.

Apud Matthæum, Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham, idem est sensus, qui est in verbis istis Lucae. Chrysostr. hom. 11. in Matth. asserit Ioannem hisce verbis, & illorum conscientia secreta promississe, & futura prædixisse; illud quidem, quia eo vitio illi laborabant, nimium sibi de maiorum nobilitate presumentes, & plusquam par erat, sibi arrogantes. Hoc autem, quia futurum erat, ut postea hoc ipso pretextu se defenderent, quando Ioannis 8. Christo responderunt dicentes, pater noster Abraham est, semen Abrahæ su-

mus, & nemini seruiimus vnquam. Hæc dicit Chrysostr. quorum primum certum est, licet dici posset Ioannem præoccupasse, quod illi possent cogitare. Secundum autem, nempe Ioannem prædixisse, quod futurum erat, quasi tunc præsciret, quod postea Christo responderunt; auctoritate Chrysostr. nititur, non tamen omnino certum est, quomodo autem parentum virtutes, & vitia noceant, aut profint posteris, diximus supra cap. 1. dum de Ioannis parentibus locuti sumus.

Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

C O M M E N T A R I A.

Vanam fiduciam argumento refutat; huic enim fundamento nitetur fiducia illorum, quod posteritati Abrahæ salus, & benedictio promissa est; quomodo ergo illa perire poterit? Potens, inquit, est Deus, quasi diceret, etiam si vos pereatis, nõ propterea vana efficietur promissio Dei, nec ob id Abraham filijs orbarus manebit, potens est enim Deus ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, in quibus diuina impleatur promissio, vobis pereuntibus. Significat Ioannes mysterium, quod vere futurum erat, nempe gentium vocationem loco Iudæorum pereuntium, quas in semen Abrahæ non carnale, sed spirituale Deus vocauit, de quo mysterio Paulus Rom. 9. inquit: Rom. 9. Non omnes, qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui

qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Terrore ergo inducit illos ad pænitentiam, quasi diceret, nisi cauetis, & fructus pænitentiae agitis, à genere Abrahæ exciditis, & loco vestri substituentur gentes; Deo enim id possibile est. Gentes autem nondum fideles nomine lapidum exprimit, tum quia lapides adorabant, vt, inquit, Gregorius: Similes autem fiant, qui adorant ea. Psal. 113. quo etiam vocabulo Isaiæ 5. eadem gentes significat sunt. Lapidem, inquit, elegit ex ea. Non autem dicit, suscitabit Deus, ne eos in desperationem impellat, sed, potens est Deus suscitare, vt timere faciat, & spem non amittant. Illud autem (istis) energiam habet ad exprimendam potentiae magnitudinem, qua vel ex illis materialibus lapidibus potest Deus hominem facere. Illud autem (Abrahæ) vt ex Græco constat, casus est dandi, construiturque verbo (suscitare) nempe ipsi Abrahæ dare filios.

Isaiæ 5.

A N N O T A T I O X X V I I .

Aliz superioris sententiae expositiones non improbande recensentur.

Chrysoströmus hom. 11. in Matth. recitat duas expositiones. Vna est, quam in Commentario secuti sumus, vt per lapides metaphorice Gentes intelligantur, quas Christus per fidem suam in filios Abrahæ promissos conuertit. Quæ expositio est Origenis hom. 22. in Lucam. Hilarij Canone 2. in Matth. Cypriani Epist. 63. ad Cæciliam, & Greg. hom. 20. Euangeliorum, & lib. 18. Moral. cap. 19. & lib. 29. cap. 15. Altera est, vt non de gentibus sermo sit, sed simpliciter quod potest Deus, illis pereuntibus, alios producere, & filios Abrahæ facere, & in cognationem eius adducere. Vtraque Chrysoströmus probat, posteriorem vero priori præponit; Ioannem enim alluisse dicit ad illud Isai. 51. vbi venter Saræ petra propter sterilitatem appellatur. Attendite, inquit, petram, à qua excisi estis. Nos vero prædictos Doctores secuti, priorem posteriorem anteposimus; si enim id tantum, quod Chrysoströmus dicit, Ioannes significare voluisset, non erat, cur lapidum mentionem faceret, sed satis erat dicere, potens est Deus alios suscitare filios Abrahæ. dum igitur cõuersionis huius lapidum in filios meminit, indicauit eos, qui secundum carnem filij non erant, qui tunc lapides colebāt, futuros filios secundum spiritum, & fidem, cui expositioni

Isaiæ 51.

consentiunt Ambros. in præsentibus; August. serm. 24. de Natuit. Domini, qui vna cum Gregorio gentes lapides dictas affirmat, quia idolis, quæ ex lapidibus erant, seruebant, quamuis Gregorius in libris Moral. allegatis causam reddat, nempe propter insensibilitatem, & duritiam cordium, quæ erant in gentibus ante fidem susceptam. Eodem modo exposuit ante allegatos tres Doctores Clemens Alexandrinus, in oratione exhortatoria ad gentes, eandemque causam, cur gentes lapidibus conferantur, adducit, quia mirum lapidibus crediderunt. Eodem modo interpretatus est Irenæus, lib. 4. cap. 16. dicens lapides dictas esse gentes, propter duras, & infructuosas cogitationes, quas ante fidem susceptam habuere. Euthymus Matth. 3. ultra prædictas, aliam recitat expositionem quorundam, asserentium per lapides designari illos, qui passionis Christi tempore propter lapidum, seu petrarum scissionem crediderunt, & per fidem in filios Dei adoptati sunt; hi enim ex lapidibus videntur suscitati in filios Abrahæ, quia lapidum motione mirabili ad fidem Christi sunt cõuersi. Hæc tamen expositio nõ videtur satis accommodata cõtextui; tenenda ergo, quæ dicta est in cõmentario, & multorum, ac illustriũ Doctorum auctoritate confirmatur.

Iam enim securis ad radicem arboris posita est.

C O M M E N T A R I A .

Particula (enim) causam reddit præcedentis sententiae; significauerat enim illos, qui fructum pænitentiae non facerent, de genere Abrahæ excidendos; causa autem est, iam, inquit, ad radicem, quasi diceret, adest iam tempus, quando incisio est facienda, iam securis posita est ad radices arboris; prope enim est Christus, qui tamquam securis præcidet incredulos à radice Abrahæ, sicut per securim præceditur arbor à radice, manenteque radice in terra arbor exciditur, & in ignem mittitur. Vfus est Paulus eadem fere metaphora ad eandem sententiam significandam, ad Rom. 11. de incredulis Iudæis, & gentibus credentibus loquens. Si aliqui, inquit, ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis factus es. noli gloriari aduersus ramos: quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo fracti sunt rami vt ego inserar, bene, propter incredulitatem fracti sunt. Merito autem gentes infideles per lapides, Iudæi vero antequam præciderentur, arbori collati sunt; arbor enim viuit, & fructificat dum radici vnitur; sic Iudæus per fidem futuri vivebat spiritu, antequam per infidelitatem, quia in aduenientem credere noluit, abscissus esset.

Rom. 11.

A N N O T A T I O X X V I I I .

Diversæ partium expositiones trahuntur.

Chrysoströmus hom. 11. in Matth. hisce verbis non aliud significari dicit, quam eos, qui fructus dignos pænitentiae non egerint, immedicabilia mala persequentes, nec spem curationis habituros; qui enim adueniebat Christus, non seruus erat, vt propheta, sed Dominus ipse, grauissimam, & poten-

tissimam impænitentibus inferens ultionem, tamquam acutissima securis, quæ arborem scindit, & radicem dissecat, nec spem vitæ amplius relinquit. Dicit autem (posita est) quia adhuc tempus respiciendi erat. Videtur securim morti, arborem homini, radicem vitæ comparare, vt notat Euthymius, quasi

quasi per mortem impænitentibus malum immedicabile esset inferendum. Sic Chrysoströmus explicat. Greg. autem hom. 20. in Euangelia aliter interpretatur: Arbor, inquit, est vniuersum genus humanum, securis vero est Redemptor noster, qui velut ex manubrio, & ferro tenetur ex humanitate, sed incidit ex diuinitate, quæ videlicet securis iam ad radicem arboris posita est, quia etiam si per patientiam expectat, videtur tamen quid factura sit, quia omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur: quia vnusquisque peruersus citius paratam gehennæ concremationem inuenit, qui hic fructum boni operis facere contemnit. Hæc Greg. Quæ quidem magis spirituali quam literali sensui accommodantur. Athanasius autem in Quæstionibus ad Antiochum quæst. 43. Radix, inquit, est fides, arbor est homo, securis est filius hominis, nempe Christus: quibus verbis videtur insinuare interpretationem, quam disertioribus verbis adfert Origenes hom. 23. in Lucam, nempe significari abscissionem populi Iu-

daici à stirpe spirituali Abrahæ, propter illorum impænitentiam, & incredulitatem, non quidem totius populi, sed partis, vt supra diximus, vnde radix Abraham est, pater credentium, arbor illi Iudæi impænitentes, & increduli, securis vero Christus est, per quem incisi sunt, & ab Ecclesia Dei repulsi, & de regno eiectionis. Quam expositionem secuti sumus in Commentario. Notat autem Origenes arborem abscindi, radice tamen manente in terra; permanet enim radix Abrahæ, cui insertus est gentilis locus Iudæi præscissi, nec probanda est expositio Chrysoströmii, dicens securim nec radici pepercisse, quod omnino dici non potest; dicitur enim securis posita ad radicem, nempe inter radicem, & truncum, alias non esset abscindere, sed euellere. De hac tamen metaphora plura diximus in Commentarijs in Epist. Pauli. Terret ergo illos Ioannes ab imminenti iam præscissione de stirpe Abrahæ, cui salus, & benedictiones promissæ sunt.

Omnis ergo arbor non faciens bonum fructum, excidetur, & in ignem mittetur.

C O M M E N T A R I A .

Prosequitur argumentum ex metaphora sumptum. Securis, inquit, posita est iam ad radices arboris, arbor ergo omnis, quæ non facit fructum, excidetur, id est, iam est excisioni proxima; aduentante enim Christo, necesse est eos, qui ei non credunt, nec pænitentiae fructum faciunt, excidi, & proiici à regno eius, & stirpe vera Abrahæ; non enim securis ponitur ad excidendam arborem, quæ fructum bonum facit. Nota autem generalitatem (omnis) inquit, nemo excipitur siue nobilis, siue ignobilis, siue sapiens, siue insipiens, siue Doctor, aut legis peritus, quicumque sit ille, si fructum pænitentiae dignum non facit, sine remissione à radice excidetur, immo quod amplius est, arbor excisa in ignem mittetur, quod plus nocet arbori, quam excisio, sic qui non facit pænitentiae fructum, non solum de stirpe, & genere Abrahæ excidetur, sed etiam in ignem gehennæ mittetur, quæ omnium est pænna horribilissima. Perpende quatuor argumenta, quibus terrorem iniecit Ioannes, & ad pænitentiam animos audientium, & maxime illorum Phariseorum impellit. Primum est ab excisione de stirpe Abrahæ, cui benedictio promissa est. Secundum, ab eo, quod loco eorum substituentur gentes, quæ velut ex lapidibus suscitandæ sunt in filios Abrahæ. Tertium est, ab imminenti, & iam iam impendente excisione. Quartum, ab igne, qui post excisionem sequetur, quo significatur æternæ damnationis pænna, de qua dicitur à Domino Matth. 11. Filij regni euicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.

Quatuor argumenta quibus Iudæos ad pænitentiam conatur aduocare.

Et interrogabant eum turba dicentes.

C O M M E N T A R I A .

Baptistæ verbis turbas conturbatas fuisse constat; audientium enim corda terrore tam seueræ comminationis percussa consilium ineundæ salutis, & iræ venturæ fugiendæ ab eodem sollicitè quærun, & merito ab illo remedium petunt, à quo se vulnus accepisse cognouerant; ad prædicatorem enim vtrumque spectat, vt peccatores à peccando deterreat, & iis, qui terrore conuersi salutem, & reconciliationem inquirunt, viam ad eam perueniendi ostendat. Apparet hic quantum utilitatis prædicatores verbi Dei publicis reprehensionibus, & comminationibus adferant auditoribus; etiam si aliquando inutiles sint iis, propter quos præcipue fiunt, aliis tamen multis conducunt, nam Pharisei reprehensi sunt, nec conuertuntur, turba vero adstans ea reprehensione commouetur, & salutis viam quærit.

Quid ergo faciemus?

C O M M E N T A R I A .

Particula (ergo) illationem quandam indicat, quasi turbæ dicerent, fructus pænitentiae dignos facere nos mones, & tanto terrore ad eos faciendos impellis, igitur

igitur dic nobis, quis est iste fructus, quem facere nos oportet. Sunt verba turbæ volentis bonum facere fructum timore, ne excidatur, ignorantis autem quis sit fructus iste, promptam tamen se exhibentis exequi quod oportuerit, si ei ostensum fuerit, idcirco doceri, & instrui quærit. Simile accidit Act. 2. quando Petro prædicante Spiritu sancto accepto, multi ex Iudæis compuncti sunt corde & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos; Quid faciemus viri fratres?

Respondens autem dicebat illis.

C O M M E N T A R I A.

Respondet Ioannes eos docens, quia merito veritatis doctrina datur iis, qui humilitate se ignorantes agnoscunt, & recto corde ut quæ docti fuerint, faciant, eam desiderant, & inquirunt; contra vero superbis, qui discere erubescunt, & duplicibus corde, qui non eo animo, ut discant, quod ignorant, nec ut faciant, quod audiunt, interrogant, lumen veritatis sæpe negatur.

Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.

C O M M E N T A R I A.

Turbas ad opera ea faciendâ exhortatur, quæ plurimum ad diuinam consequendam misericordiam valent, quæque omnibus necessaria sunt, nempe quæ sunt misericordiae, & charitatis erga proximum, quem post Deum, sicut nos ipsos diligere tenemur. Opera autem misericordiae his duobus exprimit, quorum vnum ad victum, alterum ad vestitum pertinet; hæc enim sunt, quæ frequentius occurrunt, sub quibus cætera comprehenduntur. Est autem admiranda Ioannis Baptistæ sapientia, breuissimis enim verbis multa ad misericordiae præceptum spectantia declarauit. Primo quidem exempla ponit in iis, quæ necessaria sunt proximo, nempe tunica, & esca; sine vestitu enim, & cibo non potest homo viuere, ut significet in his maxime subueniendum esse, quæ sunt proximis necessaria. Secundo meminit non habentis tunicam, aut escam, nam tunc præceptum est subueniendi proximo, quando in necessitate maxima positus est; idcirco enim non pallij, sed tunicæ meminit, quia hæc plus est, quam illud necessaria. Tertio exposuit quando qui subuenire debet, commode id potest facere, nimirum quia superfluum illi est, cum habeat, quo operiatur, & quid comedat. Qui, inquit, habet duas tunicas, quasi vna sit illi superflua, quæ alteri est necessaria; si enim vnica esset tunica, non utique se ea priuare tenetur, ut alteri eam det, similiter de escis. Verbum autem Græcum magis hoc explicat; dicitur enim, impartiat non habenti, id est, partem, qua ipse non indiget, alteri det. non autem sic intelligas hunc numerum, quasi semper qui habet duas tunicas, oporteat non habenti alteram dare, sed per duas tunicas intelligere oportet superfluum; fieri enim potest, ut duæ, vel tres sint necessariae habenti, nec teneatur alteri aliquam impartiri. Vnius ergo tunicæ nomine vestitum necessarium intelligere oportet. Eadem est ratio de escis. Idem etiam sentiendum de non habente, nam etiam si tunicam habeat, nec ea necessitati illius sufficit, ei tunc subueniendum est.

A N N O T A T I O. XXIX.

Superiora verba magis declarantur, & Patrum expositionibus ornantur.

Recte ponderat Greg. hom. 20. in Euang. non pallij, sed tunicæ factam esse mentionem, quia plus vni nostris hæc est necessaria, quam illud. Notat etiam Hieronymus Epist. ad Hedibiam. q. 1. vnius tunicæ nomine vestitum necessarium significari, etiâ si plures sint tunicæ. Quid, inquit, si Scythiæ frigora sint, & Alpina niues, quæ non duabus, aut tribus tunicis, sed vix pecudum pellibus repelluntur? quicquid ergo corpori sufficere potest, & humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hoc vna appellanda est tunica. Hæc ille. Subdit autem Hieronymus de escis. Quicquid in præsentibus alimentis necessarium est, hoc vnius diei victus appellatur, unde præceptum est, ne cogites de crastino, id est, de futuro tempore. Hoc tamen non ita stricte intelligendum est; nemo enim se priuare tenetur eo, quod

etiam si illa hora, & tempore, quo alter indiget, non sit illi necessarium, probabili tamen ratione timet cito sibi tale futurum; necessitas enim imminens, & quæ probabiliter timetur, non ad crastinum, sed ad præsentem pertinet diem. Notat præterea Gregor. hom. 20. & Beda ipsum sequens, idcirco de duabus tunicis dari præceptum, non de vnica, quia de vnica id dici non potuit; si enim vnica diuidatur, nemo vestitur. quam doctrinam sic intellige. Quando vnica est tota necessaria habenti, diuidendam non esse, quod si media sufficeret, & proximus altera medietate omnino indigeret, utique diuidenda esset. Hoc autem intendunt hi Doctores dici vnica tunicam, quæ in plurimum non diuiditur, totum quod vni est necessarium, rectius significari, sicut per duas, quod superfluum est, indicatur. Postremo annotandum

notandum est, Ioannem multa alia turbis, & auditoribus adiunxisse, quæ necessaria erant; non enim sufficit ad salutem, tunicam diuidere cum proximo: nam & fides venientis Christi necessaria erat illis; tamen paulatim inducuntur à Ioanne ad perfectam viam, & post penitentiae generale præceptum,

quod à principio omnibus indixit, ab illo incipit, quod ad ea, quæ postea docturus erat, maxime conducit. id autem est opus misericordiae erga proximos; hoc enim qui implet, facile misericordiam Dei consequitur, & ad fidem Christi suscipiendam disponitur.

Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur, & dixerunt ad illum.

C O M M E N T A R I A.

Publicani, qui gabellarum, & vestigalium erant exactores, accedunt Ioanni, ut baptismum eius recipiant, scireque auent, & interrogant, quid etiam ipsis præter generale omnibus præceptum, faciendum sit, ut fructus penitentiae dignos facientes euadant venturam iram. Nouerant ex propria ipsorum functione, & officio, quod solet homines multis implicare peccatis, se aliquid amplius facere debere, quam turbas, quibus dictum erat: Qui habet duas tunicas, det vnâ non habenti.

A N N O T A T I O XXX.

Publicani nudi Iudæi, an vero ex Gentibus fuerint.

Tertullianus lib. de pudicitia, existimat hos publicanos, qui Ioanni accesserunt, & cæteros, quorum in Euangelio fit mentio, non Iudæos, sed Gentiles fuisse. quam sententiam Hieronymus epist. ad Damasum, merito reijcit, cum constet etiam ex Iudæis fuisse publicanos. Matthæus enim Apostolus publicanus erat, Lucae 5. quem Iudæum secundum carnem fuisse negari non potest. Cum publicanis etiam Christum manducasse Matth. 9. legimus, à quorum conuictu utique abhorruisset, si Gentiles fuissent. Nec argumenta Tertulliani efficacia sunt: allegat enim Deuteronomium: Non, inquit, erit vestigal pendens ex Israel. quod testimonium in eo sensu

non habetur. Dicit præterea, nisi Gentiles essent, eorum nomen non esset ita execrabile apud Dominum; dixit enim: Sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Respondetur facile, quia id hominum genus extorfiones populis frequentes faciebat; idcirco fuisse odiosum, & execrabile, sicut etiam multi apud nos ob similes functiones sunt execrabiles. Erat etiam altera causa, quia erant Romanorum ministri, sub quorum imperio iniusti Iudæi tenebantur. Immo locus ex Matthæo adductus ostendit, publicanos etiam ex Iudæis esse: aliter enim non erat cur diceret, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. cum sufficeret dicere primum.

Magister quid faciemus.

C O M M E N T A R I A.

NON animo doloso hos publicanos accessisse, sed sincero, & cupido salutis, rei euentus ostendit; nam baptizatos fuisse à Ioanne publicanos ipsemet Euangelista Lucas affirmat cap. 7. Publicani, inquit, iustificauerunt Deum baptizati baptismo Ioannis, quos utique Ioannes non baptizasset, si, ut par erat, ad eius baptismum non venissent; nouerat enim, diuino reuelante spiritu, quales erant, qui ad eum conueniebant, ut inde maiorem apud omnes opinionem sibi conciliaret, quippe qui testimonium de Christo iam iam perhibiturus erat: non autem tanta fide dignus esset, si eum in hominibus discernendis deceptum esse ipsi homines deprehenderent. Est autem pulchrum, & artificiosum epithetum, quod simul est argumentum. Magister, inquiunt, doctrinam ipsius commendantes, & eo nomine, ut doceat eos, inducentes: magistrorum enim est docere eos, qui ignorant.

At ille dixit ad eos.

C O M M E N T A R I A.

Diuersis hominum generibus diuersa respondet, singulisque accommodata, præcepta doctrinæ tradit, prout vnicique cernit expedire; non enim omnes eodem studio feruntur. Periti ergo medici more singulis opportuna præsidia, salutariaque pharmaca præfinit. Turbis quidem, ut mutua beneuolentia se

inuicem complectantur, mutuisque operis se mutuo subleuent, iniungit; hoc enim est, quod precipue in eis desiderari solet; Publicanis vero cupiditate valde deditis, aliud peculiare imponit, quod eam maxime frangat, quam eximiam peritiam in Christo Domino valde commendat Gregorius homil. 32. Euangel. Cælestis, inquit, medicus singulis quibusque vitiis obuiantia adhibet medicamenta: nam sicut arte medicinæ calida frigidis, & frigida calidis curantur, ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem. Hæc ille. id ipsum nunc Baptista præcurfor obseruat.

Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis.

COMMENTARIA.

Publicani maxime delinquere solent in iniquis exactioibus vectigalium, aut plus iusto extrahendo, aut de his rebus, aut ab iis personis, à quibus vectigal non debetur, extorquendo: idcirco, quia in hoc genus peccati procliuiores sunt, præceptum eis datur, ne exigant amplius eo, quod eis est à magistratibus constitutum. non igitur damnatur exactio vectigalium, & tributorum, quæ iustè Principibus debetur, dicente Paulo Rom. 13. Reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal. sed iniqua, & indebita exactio ministris interdicitur, quando id quod à Principibus constitutum non est, exigitur. Recte ergo Augustinus serm. 19. de verbis Domini: Honestam quidem, inquit, publicanorum interrogatio, sed Prophetæ iusta responsio; illi enim sollicitè interrogant, ne ignorantes plus exigendo in peccatum incidant, aut cessantes publicani, decipiant functionem. Hic autem moderate præcipit, vt iniquitas locum non habeat, ac constitutum habeat vectigal effectum; non enim dixit: nihil exigatis, sed nihil amplius exigatis. vnde intelligitur, quod apud Deum non tam exactio, quam iniqua exactio damnatur.

ANNOTATIO XXXI.

Superior sententia magis declaratur.

Verbum Græcum *ἀπαιτεῖν*, ambiguum est, Latine faciatis, aut exigatis. Ambrosius serm. 7. aut Augustinus serm. 19. de verbis Domini. (nam apud vtrumque idem sermo legitur) habent (exigatis;) similiter Beda, in eundem sensum interpretatur. Origen. homil. 23. & Euthymius. Vulgatus autem alteram secutus est significationem verbi, tamen in eundem sensum explicandus est: Nihil, inquit, faciatis amplius, quam quod constitutum est, nempe in exactioe vectigalium: ille autem amplius facit, qui plus iusto, aut quod non debet, vectigal exigit. idem igitur est sensus, siue vnam, siue alteram accipias verbi significationem. Aduerte autem non esse ministrorum facta Principum iudicare, & decernere, an iustum sit vectigal nec ne, sed exequendum est, quod princeps præcipit, quando iustum est, aut quando non constat iniustum esse, vt docuit Augustinus libro 22. contra Faustum cap. 74. in dubiis enim existimare debentur Principes iusta statuere; in hoc casu Ioannis sermo intelligendus est: si enim vectigalia iniqua esse constaret, tunc nec

id, quod constitutum est, exigere ministris liceret. Aduerte autem quam prudenter noster Ioannes doceat, & instruat; teternit enim iustum ab iniusto, & vectigal constitutum exigi permittit; amplius autem quam quod constitutum est, prohibet. Sunt enim prædicatores, qui nimio zelo accensi, dum facta quædam, quæ coniunctam habent cum æquitate iniustitiam, reprehendunt, confundunt omnia, & iustum cum iniusto damnant, sicque fit, vt nulla vtilitate audientium verba effundant: opus est autem vt secerentur id quod licet, ab eo, quod faciendum non est, sic fiet, vt facilius, quod malum est, remoueat. Aduertenda est præterea iniquitas Publicanorum, amplius quam quod constitutum est exigentium, quam notauit Ambrosius siue Augustinus sermone allegato: nam quod iustum est, & tolerabile vectigal Principis constitutione, efficitur iniquum, & intolerabile, dum illud præda exactiois, accumulatur; sæpe enim ministrorum iniustitiæ principum regimen faciunt tyrannidem.

Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos?

COMMENTARIA.

Sicut bonus à iustitiæ tramite declinans, sæpe etiam bonos malo suo exemplo ab eodem tramite auertit, sic è diuerso malus ad viam rectam conuersus, malos

los secum pertrahit. Viderunt milites publicanos suæ salutis sollicitos Ioannem interrogare, accedunt etiam & ipsi eodem studio affecti, dicentes: quid etiam nos faciemus? quasi dicerent, docuisti publicanos, doce & nos; nec enim minus quam illi doctrina indigemus.

Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.

COMMENTARIA.

EA, in quibus milites frequentius delinquent, prudenter prohibet. tria hæc sunt; solent enim vim aliis inferre confisi multitudine. Quanta autem sit militum violentia per cædes, vulnera, contumelias, in alios etiam non publicos hostes, notum est omnibus; iubet ergo eis, neminè concutere, nec violentiam vllam proximis inferre. Solent etiã calumniam facere, alios nempe quasi insidiatores, aut hostes, aut principi infideles falso accusare; præcipit igitur, ne vlli calumniam faciant. Solent demum prædari, & aliena rapere, expilareque homines prætextu propriis necessitatibus consulendi; iniungit ergo, vt stipendijs suis contenti sint, & ex iis suis consulant necessitatibus. Vt enim, inquit Ambrosius, stipendia militibus constituuntur, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur.

Milites frequenter tribus iis peccatis sunt obnoxij.

ANNOTATIO XXXII.

Ioannis doctrina non militibus tantum, sed diuersis etiam hominum statibus conuenit.

Licere bellum Christianis ex hoc loco probant Ambrosius serm. 7. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 74. & epistola quinta. neque enim Ioannes bellare prohibuit, immò probauit. Dominus etiam Matthæi 8. Centurionem laudauit, nec militiam vitio dedit. Et Actor. 10. Cornelius Centurio commendatur, & à Petro baptizatur, nec ei militiam interdicitur. De hac autem re diffuse tractare non est instituti præsentis. Ambrosius ser. 7. seu August. serm. 19. de verbis Domini hanc sententiam extendit ad plura hominum genera; sic enim inquit: Hic iam cognoscere se debet omnis homo, qui militat; non enim tantum de iis militantibus Scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisquis militiae suæ cingulo vtitur, dignitatis suæ miles adseribitur, atque ideo hæc sententia potest dici militibus, protectoribus, cunctisque Rectoribus, & cuiuscumque, qui stipendia sibi decreta consequitur, si amplius quærit, tamquam calumniator, & concussor Ioannis sententia condemnatur. Vtque adeo autem hoc inoleuit malum, vt iam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur iura, sententia ipsa venalis sit, & nulla iam causa possit esse sine causa. Hæc autem diuina sententia, quæ ad milites loquitur, potest etiam ad clericos retorqueri, qui etiam si non videntur militari sæculo, tamen Deo, & Domino militamus, sicut ait Apostolus: Nemo

militans Deo obligat se negotiis sæcularibus. Videmur, inquam, non militare remissis, & fluentibus tunicis, sed habemus militiae nostræ cingulum, quo castimoniam interiora constringuntur. Hæc Ambrosius. & paulo inferius: Catholicus clericus hæc sententia retinetur; si enim non contentus stipendijs fuerit, quæ de Altario Domino iubente consequitur, sed exercet mercimonium, intercessionem vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic negotiator potest magis videri, quam Clericus: nam licet dicere, nemo nos inualoris arguit violentiæ, nullus accusat; quasi non interdum maiorem prædam à viduis blandimenta eliciant, quam tormenta. non interest apud Deum, vtrum vi, an circumuersione quis alienas res occupet, dummodo quoquo pacto teneat alienum. Hæc ille. Postremo aduertendum est, turbas, publicanos, & milites, simplices homines, & ignaros conuerti, & baptizari à Ioanne; superbos autem Phariseos, & Saduceos baptismum, & præcepta eius contemnere, de quibus dicitur capite 7. Publicani iustificauerunt Deum baptizati baptismum Ioannis; Pharisei autem, & Legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsum, non baptizati ab eo. Vnde iusta est sententia, quam Christus in eos postea pronunciauit, dicens Matth. 23. Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in Regno Dei.

Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus: respondit Ioannes, omnibus dicens:

COMMENTARIA.

SVA prædicatione, baptismum, ac vitæ testimonio, tantam opinionem sibi Ioannes conciliauit, vt populus arbitraretur, & omnes secum cogitarent, ac intra se ratiocinarentur, an esset Christus, quod Ioannes diuino status Spiritu intelligens, palam omnibus veritatem manifestat, seque Christum esse negans, de eo, qui vere erat Christus, testimonium perhibet, magnitudineque auctoritatis, in qua ab omni-

bus habebatur, utitur, non in sui vanam ostentationem, sed in eius, cuius erat praecursor, gloriam, & in eorundem omnium utilitatem, qui ei tantum tribuebant, ut Christum esse existimarent. Illud autem (respondit) indicat ea de causa testimonium sequens dixisse, quia Populus id existimabat de eo, quod non significabatur, si tantum dictum esset (dixit omnibus.)

A N N O T A T I O XXXIX.

Verbum *μεσοδελωτος* quidam vertunt (expe-ctate) quasi populus dubitaret, an Christus esset & rei euentu iudicium expectaret. Vulgatus vertit (existimante) a verbo *μεσοδελω* quod significat arbitror, existimo, suspicor, quod ad opinionem quandam, quae certitudinem non habet, pertinet, sicque interpretatur Euthymius, & Titus Bostrenus. Tantae, inquit fidei, tantaque auctoritatis erat Ioannes apud omnes, ut Iudaeorum populus in eam suspicionem venerit, eum esse Messiam, & Christum, quem sancti Prophetae in mundum venturum praenunciaverunt. Verbum autem sequens (cogitantibus) ratiocinationem quandam, & discursum significat, ut verbum Graecum indicat; solemus enim quando suspicamur, aut arbitramur aliquid, de quo certi nondum sumus, rationibus hinc inde apud nosmet ipsos, ut quod verum sit, inuestigamus. sic isti cogitabant, multis apud se collectis, quae eorum animos ad existimandum verum illum esse Christum, permouebant. Quo autem modo Ioannes nouerit has populi suspensiones, & communes cogitationes, Ambrosius explicat dicens; spiritu prophético nouisse. Euthymius autem asserit acumine spiritus illi fuisse manifestas, quod idem est, idque verum esse probatur; licet enim credibile est, multis locutionibus suas ipsos manifestasse cogitationes, tamen Euangelista solas cogitationes cordium refert, & propter eas Ioannem veritatis testimonium perhibuisse affirmat. Qua autem ratione fieri potuerit, ut Ioannes Christus reputaretur, aut in mentem tot hominum vel eius rei opinio aut suspicio venerit, cum multa Scripturae signa, & argumenta id omnino fieri non posse ostenderet, explicuimus in Commentariis in Ioannem capite 1. Annotatione 56. nec est, quod repetamus. Duo autem sunt hic notanda. Vnum est, testimonium, quod nunc Lucas narrat a Ioanne redditum, quodque referunt Matthaeus capite

Auctor profertur magis declarari superiora verba.

3. & Marcus capite 1. non esse illud, quod Ioannes capite 1. descripsit, quando miserunt Iudaei a Hierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es? licet quidam recentiores vnum esse arbitrentur, at reuera non est. hic enim Ioannes non interrogatus reddit testimonium, sed ad cogitationes, & opiniones communes populi, illic autem interrogatus a Sacerdotibus missis a Hierosolymis ab ipsis Iudaeis; quod discrimen notat Ambrosius, dicens, spiritu prophético statum de Christo testificatum fuisse, quo nouit occulta cordium, at vero in historia Ioannis non erat spiritus propheticus necessarius, cum interrogatus esset, & ipsi interrogantes dicerent se missos esse a Iudaeis. fuit ergo hoc, quod Lucas narrat prius tempore, illud vero posterius: facilius enim, & citius populus in has suspensiones incidit, quam Iudaei illi, & Iudaeorum maiores. Alterum est Ioannis fidelitas cum maxima humilitate coniuncta; opinionem enim, quam populus de eo conceperat, non in vsu proprios conuertit, sed in obsequium eius, cuius erat minister, & praecursor. Debent enim, ut recte Grego. 1. p. Pastoral. cap. 8: docet, praelati, & praedicatores studere se diligere, & pluris fieri, quatenus audiri possint, & quod iubent, impleri; amorem tamen hunc non pro seipsis querere, ne inueniantur ei, cui seruire per officium cernuntur, occulta cogitationis tyrannide resutare. eos vero, qui populi opinione, & beneuolentia erga eos concepta abutuntur, & non in eius, cuius ministri sunt, obsequium impendunt, comparat pueris, per quos sponsus dona mittit sponsae, ipsi vero sponsae oculis placere infideliter appetunt. At Ioannes noster, qui sponsus credebatur, eiusmodi a se praescindens opiniones, in eum, qui vere erat, transmisit. Multa alia diximus in Commentario, loco citato.

Testimonium hoc loco a Baptista perhibetur de Christo, aliud est ad eo, quod Ioan. 1. referuntur.

Gregoriae Gregorij doctrinae & praelatus necessaria.

Ego quidem aqua baptizo vos.

C O M M E N T A R I A.

O Buiat Ioannes falsae opinioni populi de ipso conceptae, se Christum esse negans, & eum, qui erat, praenuncians. mirabili autem artificio hoc facit, se enim Christum esse ita negat, ut praecipuo argumento, quo populus eum esse Christum arbitrabatur, respondeat, & efficaciam illius eneruet; populus enim ea re maxime mouebatur ad talem existimationem, quod baptizabat; hoc enim neminem ex prophetis etiam maximis fecisse sciebant omnes; Christo autem praecipue talem baptismum reseruatum existimabant ex Prophetia Ezechielis 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Videntes igitur Ioannem baptizantem in penitentiam, per quam peccatorum erat remissio, Christum esse arbitrabantur. Huic ergo argumento Ioannes velut respondens, inquit, non sum ego Christus, meus enim baptismus est in sola aqua, non illa munda vobis per prophetam promissa, Christi autem baptismus ille, quem vos vere futurum speratis, & creditis, praestantior est meo: nam baptizabit vos ille in Spiritu sancto, non in aqua sola. ne igitur me putetis Chri-

Christum esse, quia baptizantem videtis: nam baptismus hic non est ille, quem Ezechiel vobis praedixit: cito autem veniet, qui eo utetur, & ille est, qui ostendet aquam mundam, & qui mundabit vos ab omnibus inquinamentis vestris, ut praedictum est; erit enim baptismus eius in virtute, & Spiritu sancto, qui auctor est remissionis peccatorum, & gratiae. Hebraismus est, ego baptizo vos aqua, id est, sola aqua.

A N N O T A T I O XXXIII.

Quorum Ioannes, dum negat se Christum esse, Christi baptismum suo grauert.

Alde notandum est, quod in commentario diximus: semper enim Ioannes negans se esse Messiam, baptismi mentionem fecit, ut constat ex omnibus quatuor Euangelistis, quod eo factum est, quia Iudaei maxime permoti sunt ad existimandum eum esse Christum, propter baptismum; nemini enim ante ipsum alios baptismum penitentiae baptizare concessum fuerat, ut recte notat August. lib. 5. contra Donatistas cap. 9. eum autem reseruatum soli Christo credebant ex prophetia Ezechielis, aut si non ipsi soli, saltem praecursoribus eius Eliae, aut cuidam insigni prophetae eius etiam praecursori, quamuis errarent in intelligentia horum praecursorum. quae res manifesta est ex iis, quae Ioannes narrat cap. 1. missi enim ad Baptistam, primo interrogarunt, an esset

Christus, postea an Elias, demum, an ille propheta; cumque neminem illorum esse respondisset, admirati prodiderunt argumentum, quo moti erant, ad existimandum primo loco eum esse Christum, nempe baptismum. Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? At quia nesciebant an Baptismus praedictus per prophetam, non Christi, sed eorum, qui Christum praecurrerant, futurus esset, idcirco interrogarunt, an Elias esset, an ille propheta; errabant enim in his dignoscendis, quae omnia explicui copiose in commentariis in Ioannem. Hec igitur est causa, cur Ioannes prudentissime opinionem populi obuiat, baptismum distinguendo Christi a suo. Et hic est legitimus sensus, & interpretatio huius responsionis.

Veniet autem fortior me post me.

C O M M E N T A R I A.

P Rosequitur eandem sententiam: Ego, inquit, aqua baptizo vos, at proximus iam adest, venietque post me quidam me fortior, qui tanta virtute, & potentia praeditus est, ut a peccatis mundet, & remissionis gratiam per Spiritum sanctum impartiat: ego imbecillus sum, nequeo vobis talia, ac tanta praestare, Christus est, qui fortis cum sit, ac vere fortis, cum sit Deus, ille post me proxime manifestabitur; & is est, qui baptizabit in Spiritu sancto. Vnus ex nominibus Christi, per Isaiam praedictis, est, Fortis, cap. 9. Vocabitur, inquit, nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis. Vere autem fortis fuit, qui admiranda opera diuinitatis suae operatus est, qui diabolum superauit, praedam de eius manu abstulit, regnum eius euertit, & in se transtulit, caeli portas aperuit, mortem absorbit in victoria, peccata deleuit, gratiam & gloriam comparauit. Vtus est autem Ioannes quadam comparatione: Fortior, inquit, me, non quod seipsum Christo conferat, sed quod se Christo inferiorem profiteatur, ad remouendam opinionem falsam populi, arbitrantis eum esse Christum. Appellat autem fortio-rem, cum posset multis aliis nominibus sibi eum anteferre. ut eius potentiam ostendat, per quam magna daturus, & facturus, ac non in aqua sola, sed etiam in Spiritu sancto baptizaturus erat, quod opus est virtutis, & potentiae magnae.

Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum.

C O M M E N T A R I A.

Q VIA fortio-rem me dixi, nequaquam putetis me istud comparationis more dixisse, qui nec inter seruos eius etiam extremos dignus sum collocari, neque vilissimam partem in ipsius ministerio mihi vindicare. Propterea non posuit calceamenta simpliciter, sed corrigiam, quae omnium videtur extrema. Marcus autem addidit, non sum dignus procumbens soluere. Quibus verbis Christi diuinitatem indicat, cui erat illa humanitas vnita; inde enim in eam fuit maiestatem euecta, ut non humilitate sola, sed etiam veritate potuerit Ioannes

hæc verba proferre, quod sequenti satis comprobauit, cum eum in Spiritu sancto baptizatum prænucciavit. Sic Chrysostomus hom. 11. in Matth. & Ambro. hanc sententiam superiori connectunt de qua multa, & quidem notatu digna diximus in Commentariis in Ioannem, apud quem hæc eadem sententia habetur, licet non eodem tempore, & loco à Baptista prolata.

Ipsè uos baptizabit in Spiritu sancto.

C O M M E N T A R I A.

Concludit sententiam discriminis. Ego aqua baptizo, ille vero Spiritu sancto; ideo non ego, sed hic est verus Christus. quantum ergo discriminis est inter aquam, & Spiritum sanctum, tantundem est inter eum, qui baptizat in Spiritu sancto, & me, qui baptizo in aqua, vt interpretatur Basilius serm. 1. de Baptismo. Est autem baptismus in Spiritu sancto, in quo, non sola aqua, sed etiam Spiritus sanctus sua virtute concurrat, vt sic baptizatus aquæ abluitionem, & actionem Spiritus sancti recipiat, ac sicut aqua corpus, ita anima Spiritus sancti operatione, & virtute mundetur; ideo enim baptismus hic peccata delet, & gratiam virtutesque infundit; quia Spiritus sanctus cum aqua ad baptismum conuenit. quale enim principium, talis est finis. Ioannis vero baptismus peccata non debebat; quia in eo actio Spiritus sancti cum aqua non erat. Ea de causa baptizatus baptismo Christi, dicitur ex aqua, & Spiritu sancto nasci. Ioan. 3. Licet autem totius Trinitatis sit actio, & virtus; qua mundatur anima in baptismo; adscribitur tamen Spiritui sancto, vt per baptismum animam sanctificari significetur.

A N N O T A T I O XXXV.

Baptismus Ioannis in nonnullis cum Christi baptismo conueniebat; in multis vero, & quidem magni momenti differebat. Conueniebat quidem primo, quia vterque erat in aqua: Ego, inquit, baptizo vos in aqua; etiam de baptismo Christi dicitur Act. 8. Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Secundo, vterque prænucciatus est per Prophetas; de Christi enim baptismo dicitur Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam. de Ioannis autem baptismo scriptum est Psal. 28. Vox Domini super aquas. hanc enim prophetiam de baptismo Ioannis interpretantur Basilius in hom. in eundem Psalmum. Hieron. & August. in suis Commentariis, cum discrimine quodam; nam Basilius vocem hanc intelligit Ioannem ipsum, at Hieronymus, & Augustinus vocem illam patris, quæ audita est, dum Christus baptizaretur; omnes autem tres concordant aquas hæc baptismum esse Ioannis. Tertio, vterque erat supra legem, neque enim baptismus Ioannis lege continebatur illa, nec ante ipsum eo baptismo usus est quispiam. eadem etiam est ratio baptismi Christi. Vnde Iustinus mar. lib. Questio. genti. responsione 37. baptismus Ioannis supra legem esse dicit. Quarto, vterque baptismus non humanam, sed diuinam habuit institutionem; Christi enim baptismus ab ipso Christo vero filio Dei institutus est: Ioannis autem baptismus non ex eius arbitrio, sed ex Dei institutione, & ordinatione fuit: qui misit, inquit ipse Ioan. 1. me baptizare, ille mihi dixit. loquitur ibi de Deo ipso, qui Ioannem miserat. ideo Mat. 21. non sunt ausi Iudæi negare Baptismum Ioannis de celo esse. Hæc sunt in quibus vterque baptismus conuenit. Est tamen multiplex discriminis. Primum quidem Ioannis baptismus erat præparatorius, & introductorius baptismi Christi, vnde ille imperfectus, hic perfectus est. Hinc Basl. in Oratio. exhortatoria ad Baptismum, Ioannis baptismum vocat introducto-

rium; Christi vero perfectum, de qua præparatione, & introductione paulo ante diximus. Secundum, Baptismus Ioannis erat in aqua solus, baptismus Christi etiam in Spiritu sancto. Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Cuius causam reddit Gregorius Nazianzenus Orat. in sancta lumina, nempe Ioannis baptismus erat in aqua tantum, quia ille homo merus erat; at Christi baptismus in aqua, & Spiritu sancto, quia ipse Deus & homo est. Hinc sequitur tertium discriminis, Baptismus Ioannis non remittebat peccata, nec sanctificabat homines; Christi vero baptismus ea facit, quod Hieron. aduersus Lucifer. notauit. Si Ioannes, inquit, non baptizauit in Spiritu, consequenter nec remisit peccata, quia nulli hominum contingit peccata dimitti sine Spiritu sancto. Hoc discrimen probat Tertullianus libr. de Baptismo, ex illo Actorum 19. Baptizati enim baptismum Ioannis interrogati, si Spiritum sanctum accepissent, responderunt, nec si Spiritus sanctus sit audiuiimus. Idem docet Augustinus libr. 5. de Baptismo. contra Donatistas, cap. 9. Quartum: Ioannis baptismus non erat vniuersalis; nec enim infantibus, nec Gentilibus, sed Iudæis, & incertum est, an feminis conferebatur, & merito, cum non daret remissionem peccatorum; at baptismus Christi omnibus cuiuscumque ætatis, sexus, conditionis, & nationis sit, communis est. Quintum, Baptismus Christi est necessarius ad salutem spiritualem, & æternam. Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei. Ille vero Ioannis non fuit tunc necessarius, nec etiam ijs, qui suscepturi erant Baptismum Christi, nec obligati erant tunc Iudæi illum baptismum suscipere. Sextum, qui Ioannis baptismum erant baptizati, baptismum Christi suscipere tenebantur, & sic Actor. 19. baptizatos baptismum Ioan-

Ioannis, baptismum Christi suscepisse legimus. Ita affirmat Hieronymus aduersus Luciferianos, reddens etiam rationem, quia si per baptismum Ioannis non fuit datus Spiritus sanctus, nec remissio peccatorum, necessarium erat baptismum Christi suscipere, per quæ ea reciperentur. sine distinctione igitur omnibus baptizatis baptismum Ioannis baptismum Christi suscipere necessarium erat. Idem dicit Augustinus libr. 5. de baptismo contra Donatistas cap. 9. & 10.

Septimum. Baptismus Ioannis cum esset introductorius cessauit; baptismus vero Christi permanet vsque ad finem sæculi. Demum Ioannis baptismus non imprimebat characterem; baptismus vero Christi imprimit. Sunt etiam alia non pauca inter vtrumque baptismum differentia; ad declarationem autem huius sententiæ, quam interpretamur, quæ dicta sunt, satis esse videntur.

Et igni.

C O M M E N T A R I A.

Alter baptismus hic est, quasi diceret, Christi est baptizare Spiritu sancto, & baptizare etiam igni. Baptizabit Spiritu sancto in hoc sæculo eos, qui in ipsum crediderint, quos vitæ antea malæ pæniterit; malos autem, & incredulos, qui suis voluerint inhærere vitijs, baptizabit igne gehennæ in altero sæculo. Quibus verbis duos Christi aduentus, & duo eius officia indicat Ioannes; Redemptor enim est, & Iudex, & Redemptoris officium in priori aduentu, Iudicis vero in posteriori exercebit: in illo baptizabit Spiritu sancto venientes ad se, eumque recipientes; in posteriori male operantes æterno puniet igne. Merito Ioannes meminit vtriusque baptismi, nam & ipse prius vtrumque insinuauerat, priorem quidem, dum ad pænitentiam in remissionem peccatorum exhortatus est populos; posteriorem vero, quando comminatus est dicens: Omnis arbor non faciens fructum excidetur, & in ignem mittetur; quia venit iam Redemptor, & Iudex, qui pænitentes Spiritu sancto, incredulos autem, ac inobedientes igne baptizabit. Hunc vtrumque baptismum prædixit Isaias cap. 4. si abluerit, inquit, Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris. Lauat Dominus sordes filiarum Sion baptismum in Spiritu sancto. sordes enim sunt peccata pænitentium, quæ sunt vt sordes, quæ non sunt multum affixæ corpori; sanguinem vero, id est, peccatores inhærere volentes peccatis, quæ sunt vt sanguis, habens colorem quasi inseparabilem, purgat, & lauat de medio Hierusalem spiritu iudicij, separando de medio iustorum, & spiritu ardoris, seu combustionis mittendo in caminum ignis æterni.

A N N O T A T I O XXXVI.

Errarunt olim quidam hæretici Seleuciani, & Hermiani, à Seleuco, & Hermia inuentoribus. Hi non in aqua, sed igne baptizabant, quia legebant dictum hoc Ioannis vt refert Philaster. Meminit Augustinus libr. de Hæres. cap. 59. horum hæreticorum, solum autem refert eos baptismum aquæ repulisse; qua vero materia baptizarent, & quid ad id dicendum impelleret, non expressit. Philaster autem vtrumque explicuit. Quantum autem isti à Catholica veritate aberrant superfluum est multis rationibus ostendere, cum sint aperta testimonia, & quidem non pauca in Scriptura, docente in aqua esse baptizandum. sufficiat autem illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei. Confundebant hi hæretici vtrumque baptismum, & vtrumque aduentum & officium Saluatoris, seu Redemptoris, & Iudicis, vt in Commentario expositum est. Est autem inter sacros Doctores non modica disceptatio, quis sit iste ignis, quo baptizaturus Christus prænucciatur, in quo sunt variae sententiæ. Prima est, hunc ignem esse ignem gehennæ, quo Christus iudex viuorum & mortuorum in altero sæculo puniet incredulos, & malos, & præsertim in suo secundo aduentu, quædam omnes tales igni æterno & animæ, & corpore adiudicabit. Hunc ignem sic interpretatur Basl. libr. 5. contra Eunomium, & in Comment. in Isa. c. 4. vbi sententiam Isaiæ citatam in Commentario & à

nobis explicatam interpretatur sicut nos, & allegat verba hæc Ioannis tamquam illi prophetiæ conformia. De eodem igne interpretatur hæc verba, quæ etiam habentur Matth. 3. Hilarius ibi Can. 2. & Irænaus lib. 4. cap. 9. & Damasc. lib. 4. de Fide cap. 10. vbi distinguens multas baptismi differentias, vltimam ponit, qua mali æterno igni immerguntur, sicque hanc sententiam interpretatur.

Secunda sententia est, hunc ignem esse quidem alterius sæculi, sed purgatorium, quo iusti, qui ex hoc sæculo non plene satisfactione facta, aut venialium remissione culparum nondum obtenta discesserunt, igne purgantur, ut omnino mundi recipiatur in æterna tabernacula. Huius sententiæ est Origenes hom. 24. in Lucam. Et Druthmarus Matth. 3. Cuius etiam meminit Hieron. Matth. 3. allegans illud 1. Corinth. 3. Vniuscuiusque opus ignis probabit. & rursus: Saluus erit, sic tamen quasi per ignem. De quo purgatorio igne August. libr. 20. Ciuit. cap. 25. interpretatur illud Malachiæ 3. Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum.

Tertia sententia est, ignem hunc fuisse illum, de quo dicitur Actor. 2. & apparuerunt illis dispersitæ linguæ tamquam ignis, seditque super singulos eorum. hanc sententiam cum præcedenti refert Hieronymus Matth. 3. refert etiã Damasc. lib. 4. de fide c. 10. & eam amplectitur Euthym. Matth. 3. Est autem obseruandum, Damascenum allegasse locum Act. 1. sic (Ioan-

nes baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto & igne.) hoc autem nomen (igne) non legitur in vilo textu, si vero sic legeretur, expositio ista tertia omnium esset probabilissima.

Quarta sententia est, hunc ignem esse internum, & hominum animis per Spiritum sanctum infusum, qui ardor est charitatis, & Spiritus sancti donum, quo anima purgatur, & mundatur, & inflammatur. Huius sententiae est Chrysol. hom. ad Neophytos, quae habetur Tomo 5. Ignis, inquit, est, quem secreta mentis ostendunt, & hom. 111. in Matth. eam videtur amplecti.

Quinta sententia est, hunc ignem esse eundem Spiritum sanctum, quatenus non solum sanctificat, sed purgat animam a sordibus, inflammaturque charitate, & illustrat hominum mentes. Referunt hanc sententiam Euthymius, & Druchmarus, Matth. 3. eaque est Cyrilli Alexan. in Commentariis in Isaiam cap. 4. prophetiam allegatam in Commentario explicantis, & Hieronymi ibidem, & Leonis Epist. 4. ad vniuersos Episcopos per Siciliam constitutos cap. 6. Ille, inquit, baptizabit in spiritu, & igne, qui

duplici potestate & vitam redderet, & peccata consumeret. De quo igne dictum est Lucae 12. ignem veni mittere in terram.

Quidam recentiores Sexto loco hunc ignem interpretantur tribulationes, & afflictiones, eas maxime, quibus in Ecclesia primitiua suos fideles pari Christus permittit, quasi eos igne baptizans. Hae sunt praecipuae sententiae in huius loci explicatione. Quarum omnium accommodatissima mihi prima visa est, tum multitudine grauium Doctorum, qui in ea sunt, tum propter contextum antecedentium verborum, & sequentium, antecedentium quidem, quia Ioannes paulo ante huius ignis meminerat: (Arbor, inquit, non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.) loquitur enim de praesenti, quasi iam iam veniat is, qui excisurus est, & in ignem missurus. Sequentium vero, quia statim dicit (paleas comburet igni inextinguibili.) cum haec sint coniuncta, & consequentia. ad eundem profecto ignem referenda esse videntur, & amphibologia cauenda est in verbis quantum fieri potest.

A N N O T A T I O X X X V I I .

Athanasius in quaestionibus ad Antiochum q. 134. & Damascenus lib. 4. de fide. cap. 10. nonnullas baptismatum differentias numerant.

Primus baptismus est, diluuij inundatio ad excidendum peccatum, quem Petrus 1. Epist. cap. 3. nostri baptismi Evangelici figuram fuisse testatur.

Secundus baptismus est, quem appellat Moyses, & Paulus refert 1. Corinth. 10. Omnes, inquit, in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, qui baptismus figura fuit nostri baptismi, quo in Christo baptizamur, mare enim aquam, nubes spiritum adumbrabat.

Tertius fuit quem appellat legale; lex enim, ut ex Levitici 6. & alibi constat, saepe purificationem aquae iniungebat, sicque immundities illae legales purificabantur.

Quartus baptismus fuit Ioannis, diuersus ab illo legali. Hunc Rudimentarium appellat, ducentem Iudaeos ad penitentiam, vt postea Christi fidem amplecterentur, quo Christus est baptizatus, non quidem in penitentiam vt caeteri.

Quintus baptismus est sanguinis, qui est martyrium, quo etiam baptizatus est Christus Luc. 12. Baptismo habeo baptizari. & Mar. 10. Baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini. quem baptismum Damascenus caeteris omnibus illustriorem appellauit, quia nullis postea sordibus coinquinatur: nam qui eo baptizatur, non amplius viuit vitam hanc mortalem, in quo etiam post baptismum aquae, & spiritus peccati solet. Hoc etiam notarunt Gregor. Orat. in sancta lumina, & Tertullianus lib. de baptismo. Similiter etiam Orig. homil. 7. in Iudic. qui baptismum sanguinis baptismum aquae, & spiritus, ea de causa praetulerunt.

Sextus baptismus est lachrymarum, & penitentiae, quo peccata dimittuntur, quo perfusus est ille, qui per singulas noctes lectum lachrymis suis lauauit, quo & Magdalena, Petrus, multi & olim, & nunc baptizantur.

Septimus baptismus est ignis, quo peccatores in

Cuius ventilabrum in manu eius.

C O M M E N T A R I A .

VI igne baptizandi sint, eumque baptismum non longe abesse, quadam metaphora explicat; solent enim messores segetem messam, & in area trituratam ventilare

ventilare, vt paleas a grano separent, granumque in horreum, paleas vero foras mittant: sic Christus faciet cum ijs omnibus, quos in suam conuocabit Ecclesiam, & quos prius baptizabit Spiritu sancto; ventilabro enim suae iudiciariae potestatis bonos discernet a malis, illosque in aeternam requiem secum conducet; hos vero aeterno, & numquam extinguendo igni adiudicabit. Verba sunt annotanda; multa enim significant. Primo quidem ventilabri nomine potestatem iudiciariam indicat; vt enim illo triticum a palea secernitur, sic hac boni a malis separantur. Secundo. Non dicitur (Ventilabrum in manu eius) sed (cuius ventilabrum) vt ostendat hoc ventilabrum, & hanc potestatem iudiciariam ipsi humanitati datam; Christus enim in carne iudicabit, & Iudex erit Ioan. 5. Potestatem ei dedit iudicium facere, quia filius hominis est. Act. 4. Ipse est, qui constitutus est iudex viuorum, & mortuorum. Tertio, ventilabrum in manu eius esse dicitur; ad significandam propinquitatem diuini huius iudicij; quando enim messores ventilabrum in manu habent, prope est ventilatio, & separatio tritici a paleis; Quamuis enim multi intercedant anni inter priorem, & posteriorem Christi aduentum, tamen totum hoc tempus aeternitati collatum breue reputatum est, & a Ioanne Apocalypsis 1. dicitur (cito) & a Paulo Rom. 13. Nox, inquit, praecessit, dies autem appropinquauit, eo maxime, quia haec separatio quotidie fit in singulis hominibus ab hoc saeculo recedentibus; ventilantur enim, & bonus saluatur vt triticum, malus autem, vt palea igni traditur. Hoc ipsum fecit Propheta Malachias cap. 3. qui de ipso met Ioanne praedixit; vtrumque enim aduentum coniunxit; Statim, inquit, veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quaeritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & solabit filios Leui. Hae ille. Posteriora enim verba de posteriori aduentu recte interpretatus est Aug. lib. 20. Ciuit. c. 25. quem aduentum priori coniunxit, postquam de Ioanne venturo prophetizauit, aduentusque posterioris iudicium, & separationem igni conflatorio contulit. Ioannes autem noster suum Prophetam imitans, vtrumque copulauit aduentum, aliam tamen secutus metaphoram de area ventilatione.

Et purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

C O M M E N T A R I A .

Prosequitur historiam sub eadem metaphora, aream nempe Ecclesiam vniuersalem, quam (suam) dicit; quia suo sanguine redemit. Matth. 16. Aedificabo Ecclesiam meam. Purgabit ventilabro potestatis iudiciariae, & tamquam verus Iudex & iustus Dominus triticum, id est, bonos in horreum, id est, in aeterna tabernacula, vbi commorabuntur omnes in aeternum, congregabit; paleas vero malorum igni, qui numquam extinguetur, tradet. dum autem hoc iudicium non fit, dumque ventilatio non efficitur, area triticum habet cum paleis, quia in hoc saeculo Ecclesia bonos habet permistos cum malis.

A N N O T A T I O X X X V I I I .

Sidorus Pelusota lib. 1. Epist. 65. aream interpretatur vniuersam orbis Ecclesiam, in qua omnis humanae naturae messis cogitur, Ventilabrum autem iustum iudicium, triticum eos; qui operum puritate, ac penitentiae fructibus abundarunt; paleas vero dissolutos homines, quique ad omnem peccati ventam hucque illucque iactantur. Idem dicit Euthymius March. 3. qui illud etiam interpretatur quod in manu eius ventilabrum esse dicitur, eo quod promptus & paratus est ad iudicandum. Similis est metaphora haec parabola illi, quam Matth. 13. Dominus Iesus ait discipulis, non est in mensura mensurae, sed in modico modico, non est in modico modico, sed in modico modico, non est in modico modico, sed in modico modico.

minus ipse tradidit de zizaniis, in qua concludit, Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem utem congregate in horreum meum. Basilius autem in Regal. breuior. respon. 257. paleas sic explicat: Qui sunt, inquit, de quibus dicit, paleas comburet igni inextinguibili; nimirum qui viles sunt iis, qui digni sunt regno caelorum, quemadmodum paleae tritico: neque id ex vilo charitatis instinctu ergo Deum, proximumque faciunt, siue in donis Spiritus, siue in corporis officiis, atque ita imperfectos seipos deserunt. Hae ille.

Ventilabrum potestate iudiciariam significat.

Malachias 3.

H. 28. 29. 30. 31. 32.

March. 13.

Multa

Alij eiusdem sententiae expositiones referuntur.

Multa quidem & alia exhortans euangelizabat.

C O M M E N T A R I A.

Ioannes & Christi aduentum prædicabat præsentem, & hoc est Euangelizare, simul etiam vitia reprehendebat, & ad opera bona populum inducebat, & hoc est exhortari. hoc præmisit tamquam dispositionem quandam ad inducendam notitiam & fidem aduentus; nam illud, Facite fructus dignos pænitiæ, ad exhortationem pertinebat. similiter, qui habet duas tunicas, det alteram non habenti, & neminem concutiatis, cæteraque huiusmodi, de quibus dicit Euangelista, multa alia Ioannem exhortatum esse, & prædicasse, quæ ab eo non sunt scripta, nec ab aliis Euangelistis. Simile quid de Christo Domino dixit Ioannis ultimo: multa & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. Illud vero, post me venit vir, qui fortior me est, ille vos baptizabit Spiritu sancto, & cætera, quæ sequuntur, ad Euangelizationem pertinent. Et notandum est verbum Euangelizandi; non enim de Propheta vlllo dictum est, sed de plusquam Propheta, qui Euangelij auctorem præsentem indicabat, quo verbo etiam Angelus vsus dixit: Euangelizo vobis gaudium, quod erit omni populo. Merito autem hæc multa silentio Euangelista pertransiuit, quia ad ea, quæ Christi sunt, narranda properabat; de Ioanne enim propter Christum facta est mentio. eaque de causa sola illa refert, quæ ad inducendum Christi testimonium satis esse videbantur.

A N N O T A T I O XXXIX.

QUÆ fuerit Ioannes exhortatus, egregie tradit Iosephus lib. 18. Antiquit. c. 7. vbi de Ioanne sic inquit: Hunc Herodes Tetrarcha necauit, virum optimum, Iudæos excitantem ad virtutum studia; & in primis pietatis ac iustitiæ, simulque ad ba-

ptissimi lauacrum, quod ita demum Deo gratum aiebat fore, si non ab vno tantum, alteroue peccato abstinere, sed animis per iustitiam prius mundatis, adderent & pænitentiam corporis. Hæc ille.

Herodes autem Tetrarcha, cum corripere ab illo de Herodiade, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes.

C O M M E N T A R I A.

VT Euangelista ostenderet, quanta libertate, quantoque zelo Ioannes exhortabatur, per quandam anticipationem, Ioannis incarcerationem enarrat, quæ facta fuit postquam Christum baptizauit, & post nonnulla miracula à Christo iam facta. Solent enim Euangelistæ quibusdam de causis temporis ordinem non seruire in narrandis, quæ gesta sunt, quod nunc factum est. Ioannes ergo sic exhortabatur populum, vt Herodem ipsum Tetrarcham, & regia potestate fungentem corripere non pertimesceret, nam arguebat eum de adulterio; vxorem enim fratris sui Philippi Tetrarchæ sibi copulauerat, & multa alia scelera publica commiserat, de quibus omnibus intrepide à Ioanne exhortante corripiebatur. Discant hinc Ecclesiæ ministri non tacere ad Principum scelera.

A N N O T A T I O XL.

Herodes non adulterij tantum, sed aliorum etiam scelerum arguebatur à Ioanne

Matthæus cap. 14. & Marcus cap. 6. vnâ referunt Ioannis correptionem, propter quam ab Herode fuit in carcerem missus, & decapitatus, nimirum, quia eum arguebat propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo. At vero Lucas noster adiecit etiam alteram: non enim de eo solo peccato, sed de aliis multis sceleribus eum arguebat. Qualis enim ipse fuerit, rei euentus indicauit; nam, vt Iosephus lib. 18. Antiquit. c. 9. refert, per Caium Cæsarem fuit à Tetrarchia priuatus, & in exilium missus, & Dominus ipse testimonium malitiæ huius Herodis reddidit, quando Lucae 13. eum vulpem appellauit. Fuit autem Herodes hic Tetrarcha, de quo in principio capitis huius dictum est, filius Herodis primi, frater Archelai, & Philippi, qui Ioannem occidit, & Christum passionis tempore alba veste in contemptum indui iussit. De correptione autem Ioannis contra Herodem, posset quisquam non immerito interrogare, quare Ioannes reprehendebat Herodem, quem scie-

bat reprehensione non futurum meliorem, nullumque inde fructum illi prouenturum? eius enim animus incorrigibilem, vel ipsa experientia (sæpe enim admonitus erat) deprehendere potuit. Respondeo, non omnino correptionem Ioannis fructu in Herode caruisse, nam Marci 6. dicitur, Herodes metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum, & sanctum & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Prætera etiam si nihil effecerit in eo, quatum ad dimissionem vxoris fratris ipsius, propterea prædicatio, & correptio eius sine fructu fuit. Est enim maxime obseruandum, Prædicatores Verbi Dei sæpe publica crimina, maxime Principum arguere debere, etiam si eos non se emendaturos noverint, ne cæteri scandalum patiantur, existimantes, aut prædicatores illorum facta probare, aut timiditate quadam ea non arguere. Est enim doctrinæ recepta, correptionem quidem fieri non debere, quando vtilitas correpti non speratur, nisi quando peccatum

tum in aliorum damnum vergit, aut quia occasio est ruinae eorum, aut quia ex eo licere putant: quod non licet, tunc propter aliorum vilitatem correctio est adhibenda, maxime si is, qui corrigere debet, si non corrigat, consentire, & probare factum malum illius videatur. Non autem debemus faciles esse in desperanda vilitate illius, qui corrigendus est; fallimur enim sæpe in hoc, desperantes emendationem, correcti plusquam oportet. Videndus de hac re est August. lib. 1. Ciuit. c. 11. Cyrillus autem lib. 2. Theauri c. 4. causam quandam aliam notatu dignam de Ioannis correctione tradidit, nempe, vt testimonium suum, quod de Christo perhibuerat, confirmaret; cum enim Christus à Iudæis tamquam legis transgressor falso haberetur, Ioannem mirabantur, quod tantum de eo testimonium perhiberet, propterea zelatorem legis non qualicumque, sed ardentissimum se exhibuit, Regem ipsum de crimine contra legem

A N N O T A T I O XLI.

Quale fuerit incestuolum Herodis adulterium.

Heronymus Matth. 14. de hac Herodiade sic inquit: Vetus narrat historia, Philippum Herodis maioris filium, sub quo Dominus fugit in Ægyptum, fratrem huius Herodis, sub quo passus est Christus, duxisse Herodiadem filiam Regis Aræ, postea vero focerum eius, exortis quibusdam contra generum simulatibus, tulisse filiam suam, & in dolorem prioris mariti, Herodis inimici eius nuptijs copulasse. Hæc & alia Hieronymus. vbi nota Hieronymus fuisse eius opinionis, Herodem nempe tulisse vxorem fratris Philippi viuentis, quod sequentibus verbis explicatius dicit, in quo etiam conuenit Eusebius lib. 1. hist. cap. 10. in altero tamen discrepat; citans enim, & sequens Iosephum lib. 18. Antiquit. c. 7. dicit Herodem Tetrarcham prius duxisse filiam Aræ Regis Arabum, qua repudiata tulisse Herodiadem vxorem fratris viuentis, eaque de causa Aræ Regem bellum illi intulisse; sic enim nunc in Eusebio legimus. Iosephus autem loco citato addit, Herodiadem hanc filiam fuisse Aristobuli, qui filius etiam Herodis primi fuit, eamque vxorem fuisse Herodis non illius Tetrarchæ, sed alterius fratris eiusdem Herodis Tetrarchæ ex alia matre, nam Herodes primus multas duxit vxores, ex quibus varios habuit filios. Hoc autem dictum Iosephi contradicit Euangelio Marci 6. vbi Herodias hæc dicitur vxor Philippi fratris Herodis Tetrarchæ. vnde in hac parte Iosepho credendum non est, nisi dicamus cum quibusdam recentioribus, hunc Herodem virum Herodiadis esse Philippum appellatum. In hoc autem Hieronymus,

arguendo, & pro eius defensione moriendo, sicque suum testimonium ab omni calumnia liberauit. Verba Cyrilli sunt hæc: Conqueriebantur Iudæi de Baptista, quod auctoritate sua illi faueret, qui legalem doctrinam euerteret, vt ipsi putabant. Quid igitur ad hæc Ioannes? legi propugnare, ne Mosaicam legem contemnere videretur, idque vel ad repellendam, vel ad mitigandam suspicionem de se Iudæorum fecit, non quia hoc ipse magni aestimaret, sed vt testimonium suum de Christo credibilis apud eos fieret. Quamuis igitur tunc multi, multisque modis præuaricarentur, Herodem tamen solum, qui Princeps erat, redarguit, vt periculo suo Iudæos ad beneuolentiam sui reuocaret, & credibilior apud eos fieret: nam quasi pro lege pateretur, faciliores ad credendum ei fiebant, ita morte sua cæteris prodesse studebat. Hæc Cyrillus,

Eusebius, & Iosephus conueniunt, scilicet Herodem Tetrarcham tulisse Herodiadem vxorem fratris sui viuentis, & sibi in vxorem copulasse, vnde & adulterij, & incestus à Ioanne arguebatur. Idem tenent Glosa interlinearis Matth. 14. & Mar. 6. & Beda, ac Druthmarus Matth. 14. Quidam vero alij in hoc dissentiunt, asserentes Herodem copulasse sibi matrimonio Herodiadem vxorem Philippi demortui, qui reliquerat ex Herodiade filiam, hacque de causa à Ioanne reprehensum, quod contra legem ageret: nam prohibitum erat lege Dei Leuit. 18. fratris etiam demortui vxorem ducere: Turpitudinem, inquit, fratris tui non reuelabis; turpitudinem enim fratris tui est, vnoque solo casu licebat, & præceptum erat eam ducere, nimirum ad suscitandum semen fratris, quando sine liberis discesserat, vt habetur Deutero. 25. quod in hoc Herodis facto locum non habebat: nam Herodias ex Philippo mortuo puellam illam saltatricem conceperat, quamuis Iosephus Philippum sine liberis discessisse asserat; putat enim Herodiadem non fuisse Philippi vxorem, quod vt diximus Euangelio aduertatur. Huius opinionis fuit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, affirmans, Ioannem reprehendisse Herodem, quia contra legem agebat, suscepit enim vxorem fratris emortui, qui semen reliquerat. quod etiam Chrysost. hom. 49. in Matth. asserit, & Nicephorus lib. 1. hist. c. 19. cum alijs: Herodes enim licet gentilis natione esset, legem tamen Moysis profitebatur. Mihi tamen prior opinio verior videtur.

Adiecit & hoc super omnia.

C O M M E N T A R I A.

Herodes ergo de his à Ioanne correptus nihilo melior est factus, imo in peiora prorupit, & malis adiecit peiora; vt enim, inquit Greg. lib. 10. Moral. c. 3. cum vera vox prauorum se auribus admouet, memoriam culpa mordet, & in redargutione vitiorum, quo intus cognitione mens tangitur, foris ad studium contradictionis excitatur. Notat autem Lucas hoc postremum crimen, quasi id cæteris quantumuis ingentibus, & grauibus præponderet flagitijs.

A N N O T A T I O XLII.

Herodes, & puella Herodias puniti ob Ioannis necem.

Quam sceleris Herodis fuerit in Ioanne occidendo, vel ex ipso Iosepho constat, qui lib. 18. Antiquit. c. 7. referens bellum, quod Aræ Rex illi intulit, eo quod filiam eius nuptui datam expulerit, vt Herodiadem duceret, in eoque bello victus Herodes fuerit, inquit sic: Apud Iudæos fuit opinio, iusta vltione numinis deletum Herodis exercitum, propter Ioannem, qui Baptista cognominatus est. Hæc ille. Ex eodem etiam Iosepho lib. 18. c. 9. iu-

stum Dei iudicium contra hoc flagitium Herodis constat, nam iniquis, & ambitiosis consilij Herodiadis ductus tentauit id, vnde euenit, vt à Caio Cæsare fuerit Tetrarchia priuatus, & in exilium missus, & quæ causa fuit Herodi, vt Ioannem occideret; eadem causa etiam fuit, vt regnum perderet. Apparuit etiam iusta Dei vindicta contra Herodiadem, quam Nicephorus lib. 1. hist. c. 20. refert; sic enim de Herodiade inquit; Eundem ei quopiam brumali tempore

ore erat, & fluuius traiciendus, qui cum glacie constrictus coagmentatusque esset. pedes cum transibat, glacie autem rupta (idque non sine Dei numine) demergitur illa statim capite tenus, & inferioribus corporis partibus lasciuens, molliusque se mouens saltat, non in terra, sed in vndis; caput vero scelestum

frigore, & glacie concretum, deinde etiam conuulseratum, & a reliquo corpore, non ferro, sed glacie crustis refectum, in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet, spectaculoque eo omnibus præbito, in memoriam ea, quæ fecerat, spectantibus reuocat.

Et inclusit Ioannem in carcerem.

COMMENTARIA.

Malum, quod super cætera omnia Herodes adiecit, hoc est, quod Ioannem misit in carcerem, & occidit, vt Matthæus & Marcus narrant. Particula (&) declaratiua est, quasi dictum esset, id est, Ioannem in carcerem misit; hoc enim est, quod super omnia adiecit.

ANNOTATIO XLIII.

Herodes quare Ioannem in carcerem coniecerit.

Matthæus, & Marcus vnam causam solam referunt, cur Herodes in carcerem miserit Ioannem: nimirum, quia arguebatur ab eo de Herodiade à fratre ablata, & sibi vxoris nomine copulata. Lucas autem meminit etiam alterius causæ, scilicet, quia de multis alijs flagitijs reprehendebatur: Iosephus autem lib. 18. Antiquit. c. 7. adiunxit tertiam, non facta mentione aliarum; sic enim, inquit: Cum magni concursus ad Ioannem fierent, plebe talis doctrinæ quida, Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pararet, quod viderentur nihil non facturum ex eius consilio, iudicauit satius esse, priusquam noui aliquid exoriretur, illum tollere,

quam rebus turbatis seram pœnitentiam agere. Itaque vinculum missum in Macharuntem, illic occidi imperat. Hæc ille. quæ veritati Euangelicæ non videntur consentanea, vt ex Matthæo, & Marco constat, idcirco causâ hæc non est probanda; Ioannes enim præcipue propter Herodiadæ missus est in carcerem, & occisus: simul etiam, quia Herodem de malis ab eo perpetratis corripiebat. Fieri etiâ potuit, vt timeret rebellionem populi ex hac Ioannis correptione, atque hic timor ex parte quadam eum induceret ad Ioannem vincendum, & occidendum: propriæ vero causæ sunt, quas Euangelistæ narrant, & inter eas prima.

ANNOTATIO XLIIII.

Graue scelus est in homines sanctos facere.

Graue scilicet, & perniciosissimum peccatum est, homines iustos & sanctos, qui vel suo exemplo, vel prædicatione à malo nos retrahunt, & in bonum inducunt, ea de causa persequi, expellere, & occidere. Quod peccati genus Dominus Matt. 23. exprobrans dixit: Mitto ad vos sapientes, & prophetas, & scribas, & ex illis occiditis, & crucifigitis, & flagellabitis, & persequemini. Quam autem perniciosum sit, ostendens subiungit. Vt veniat super vos omnis sanguis iustus. Et paulo inferius: Relinqueretur, inquit, domus vestra deserta. Hoc autem maxime apparet ex tribus præcipuis circumstantiis, quæ in hoc peccato, præter iniustitiam ipsam sunt. Primo quidem est ingratitude maxima; hi enim iusti, & viri sancti sunt benefactores nostri tanto maiores, quanto maius beneficium est spirituale, quam temporale; quod enim æquale beneficium esse potest illi, quo à peccato auertimur & ad salutis viam reuocamur? Qui igitur iustos homines, & verbi prædicatores persequitur, in suos maxime benefactores inuehitur. Secundo, hi ipsi viri sunt parentes spirituales; Paulus enim 1. Cor. 4. quos ad Euangelium sua prædicatione conuertit, filios appellat, seque eos genuisse affirmat: parricidij ergo conuincitur is, qui hos occidit. Tertio iusti viri, & sancti sunt, qui apud

Deum nos maxime protegent, & eius indignationem à nobis auerunt: qui igitur hos expellit, & occidit, priuat se defensione & protectione. vt enim, inquit, Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 6. Iusti sunt velut muri ciuitatis: qui igitur eos interficit, similis est illi, qui ciuitatis ab hostibus circumfessæ muros, quibus protegebatur, euertit. Pulchro exemplo eam doctrinam probat Ambrosius. Si enim apud Sodomus decem iusti inuenti fuissent, ciuitates illæ igne consumptæ non essent. Genes. 18. nec ante ignis in illis descendit, quam iustus Loth esset extractus. Hoc ipsum Salomon Prou. 17. egregie docuit: Non est, inquit: bonum, damnum inferre iusto, nec percutere Principem, qui iudicat iuste. Optima profecto sententia; qui enim iuste iudicantem Principem percutit, sibi nocet: nam insurgent latrones, & fures, & homicidæ, deficiente iusto Principe, à quibus is, qui percussit, magnum patietur detrimentum, & grauius, quam à iusto Principe pati poterat. Ex his constat, quam graue flagitium, quamque perniciosum, & nociuum fuerit, Ioannem, qui populo ad Christum recipiendum præparabat, quiq; Deo acceptissimus, ac ad impetrandâ pro populo diuinam misericordiam efficacissimus erat, includere in carcerem, & occidere.

Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato.

COMMENTARIA.

Reuertitur Euangelista ad historiam, quam, vt Herodis flagitium narraret, interruperat. Cum igitur omnis populus, id est, multi de populo baptizarentur (non enim omnes, vt supra diximus, baptizati sunt) & Iesus etiam baptizatus esset. Perficitur hæc sententia sequenti, nempe cum baptizatus esset, & orasset, cælum apertum est. Magna hic Saluatoris humilitas ostenditur. Primo quidem, quod baptizari, quasi peccator, & quasi pœnitentia indigens, voluerit. Secundo, quod à seruo Ioanne baptizari Dominus dignatus sit. Tertio, quod baptismum suscepit vna cum cæteris de plebe, quasi vnus de eis. Quarto, quod baptismum suscepto orauerit Deum, quo se Patre inferiorem profitebatur; orare enim inferioris est. At quo profun-

profundius ipse se humiliat, eo gloriosus exaltatur: nam & Ioannes palam eum baptizare recusat, affirmans se potius ab illo baptizari debere; cæli etiam maiestatem eius indicant, Spiritus sanctus sanctitatem illius manifestat, ac Pater eum suum verum filium testatur.

ANNOTATIO XLV.

Quo ordine hæc res factæ fuerint.

EX Matthæo 3. & Marci 1, constat rem sic gestam fuisse. tunc cum Ioannes baptizabar, venit Iesus à Nazareth Galilææ in Iordanem, vt baptizaretur ab ipso. Ioannes autem prohibebat ipsum dicens, ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? respondens autem dixit ei: sine modo, sic enim nos decet implere omnem iustitiam, tunc dimisit eum, & baptizatus est ab ipso Ioanne in Iordane. baptizatus autem confessum ascendit de aqua, & orauit, & ecce cæli aperti sunt ei, & vidit cælos apertos, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vidit Christus Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se, & ecce vox de cælis dicens: Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Hæc est integra historia, ex qua deducimus cælos apertos fuisse, & Christum vidisse eos apertos. Hæc enim distincta sunt; & vnum sine altero esse potuit. similiter Spiritum specie columbæ descendisse super eum, & hoc etiâ visum fuisse à Christo; sunt enim pari ratione hæc duo etiam distincta. Nos verba sola Lucæ interpretamur, iis, quæ aliorum Euangelistarum sunt, prætermisiss.

Patres nonnullas tradunt rationes ob quas Christus baptizari voluit.

Non immerito autem quispiam interrogabit, cur Christus baptizari voluerit, eo maxime, cū ille Ioannis baptismus fuerit in pœnitentiam, qua Christus innocens, qui nec peccauit, nec peccare potuit, non indigebat. Huius rei causas aliquot sacri Doctores assignant. Prima est, vt virtutem purgandi animas à peccatis daret aquis, sicuti postea factum est in baptismo ab ipso instituto. Hanc causam varijs verbis sacri Doctores tradiderunt. Greg. enim Nazianz. in Oratione in Christi natiuitatem: Videbis, inquit, Iesum in Iordane meam purgare expurgationem, seu potius purificationem aquas sanctificantem. Idem dicit Cyprianus serm. de Baptismo: Venit, inquit, Christus ad baptismum non indigens lauacro, in quo peccatum non erat, sed, vt sacramento perennis daretur auctoritas. Id etiam Ambro. in præfati: Baptizatus est, inquit, Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognouit, baptismatis ius haberent. Chrysof. etiam hom. 25. in Ioan. Ex quo, inquit, Iordanis alueum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viuentium, sed animas racionales, & spirituales aqua producit. Chromatius etiâ in Fragmentis. Matth. 6. Baptizari, inquit, voluit, non vt peccata deponeret, qui peccatum solus non fecerat, sed, vt aquas baptismi sanctificaret ad diluenda peccata credentium; nunquam enim aquæ baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatæ fuissent. Hieronymus etiam Matth. 3. Vt Iordanis, inquit, aquas sanctificans, per descensionem columbæ Spiritus sancti in lauacro credentium monstraret aduentum. Idem docet August. sermone 29. de tempore. In Iordanis, inquit, vndis aquas ad reparationem humani generis suo baptismo consecrauit. Et inferius: Ipsi fuit baptismi ratio, vt aquæ, quæ purgaturæ nos erant, ab illo ante purgarentur. Et in serm. 37. Baptizatur, inquit, non vt purificetur, sed vt aquas ipse sanctificet, baptizatur nouus homo, vt nouum baptismatis constituat Sacramentum. Hæc Sanctorum doctrina non sic intelligenda est, quasi Christus tunc virtutem aliquam purgandi animas aquis imprimeret, sed quod suo facto aquas ad purgandum animas institueret, & ordinaret; præ-

cipua enim causa cur baptizari voluit, ea fuit, quia per aquas mundum à peccatis purgare, & mundare decreuerat. Nec etiam sic est intelligenda hæc Patrum doctrina, quasi si non baptizatus esset Christus, aquæ non potuissent lauare animas; non enim hoc verum est, nam baptismus Christi idcirco lauat animas, quia adest virtus Spiritus sancti: sed Doctores id significare voluerunt, Christum baptismum in Spiritu sancto, & aqua institutum voluisse prius facto suo aquâ sanctificare, & in hoc munus præordinare, sicque illa prima causa intelligi debet. Secundam huius rei causam adfert August. lib. 5. de Baptismo cap. 9. nempe, vt significaret omnibus, quantum crimen committeret, qui baptismum ab ipso instituendum non acciperet. Verba Augustini sunt hæc: Sicut se subiecit pedibus eorum, quos ipse dirigebat, sic Ioannis muneri, quod ipse donauerat, vt intelligerent omnes, quanto superbix sacri legio quisque contemneret baptismum, quod à Domino deberet accipere, quando ipse Dominus accepisset, quod seruo, vt proprium dare posset, ipse præstiterat. Subiungit ibidem August. tertiam causam, nempe propter humilitatem, vt inter omnes humillimus inueniretur, qui eius se baptismo subiecit, qui se profitebatur non esse dignum, vt illius calcamenti corrigiam solueret. Hanc humilitatem commendans Chrysof. hom. 12. in Matth. inquit: Cum famulis Dominus, cum reis Iudæx baptizandus venit. Verum nihil tibi hinc conturbationis oriatur, in his quippe humilibus illius sublimitas vel maxime resplendet. Qui enim dignatus est tanto tempore gestari in vtero virginali, cumque nostra in dies procedere natura, cædi, atque crucifigi, cunctaque perpeti, quæ passus est, quid miraris etiam si baptizari suscipiat, cumque alijs ad seruam venire non respuat? Illud est quippe admirationis omnimodo plenum, quod scilicet ille, qui erat Deus, homo fieri voluit; iam vero alia iuxta rationis ordinem consequuntur. Hæc ille. Quartam causam adfert Hieronymus Matth. 3. nempe, vt baptismate suo Ioannis baptismum comprobaret. Quintam causam, vt notauit Ambro. ipse Dominus tradidit Matth. 3. recusanti enim Ioanni eum baptizare respondit: Sine modo, sic decet nos omnem implere iustitiam, quasi diceret: Non accipio baptismum, tuum, ò Ioannes, quasi eo indigeam, sed vt obseruatorem totius legis me exhibeam, nec quicquid contra me habeant Iudæi, quod opponant; seruauit enim Moysis legem, superest etiam tuo me baptismo, qui à Deo est, subiici, & qui circumcidi volui non ex necessitate, baptizari etiam non respuo sine obligatione, & indigentia. Ita dicit Leo Epist. 4. ad Episcopos per Siciliam constitutos c. 6. Vnde Chrysof. hom. 10. in Matth. sic inquit: Christus per omnem tempus iustitiam legis implens, tum demum venit ad baptismum, quasi cumulum cunctis legis obseruationibus imponens; quod enim hoc postremum fuerit ex operibus legalibus, audi quid dicat: sic decet implere omnem iustitiam. quod dicit, hoc est, omnia iam lege præscripta compleuimus, nec vllum transgressi sumus mandatum, quoniam hoc vnum iam relictat, oportet & istud adiungi, sicque à nobis omnis iustitia implebitur. Hæc ille. Sextam causam adfert Chromatius loco paulo ante citato: Non sui inquit, causa baptizari Dominus venit, sed causa nostri, vt impleret omnem iustitiam; iustum enim est quod

quod quis docet alterum, facere prior incipiat. Quia igitur Magister, & Dominus humani generis venerat, exemplo suo docere voluit, quid esset faciendum, ut discipuli Magistrum, serui Dominum sequerentur. Quia ergo nouum baptismum daturus erat ad generis humani salutem, & remissionem peccati, prior ipse baptizari dignatus est, non ut peccata deponeret, qui peccatum solus non fecerat, sed ut aquas baptismi sanctificaret ad diluenda peccata credentium. Hæc ille. Alias causas congregat Damascenus lib. 4. de Fide c. 10. sub his verbis: Tinctus est autem, non quod ipsi purgatione opus esset, sed purgationem meam sibi adsciscens, ut caput draconum in aqua contingeret, ut peccatum obrueret, ac totum veterem hominem in aqua sepeliret; ut eum, à quo tingebatur, sanctitate afficeret; ut legem expleret; ut Trinitatis mysterium aperiret, ut denique nobis suscipiendi baptismi formam atque exemplum sese præberet. Hæc Damascenus. Augustinus etiam lib. 3. de mirab. sacra Scrip. c. 1. alias adfert causas, sic enim, inquit, ad baptismum descendit Dominus, non quod baptismum egeret, qui proprii, aut originalis peccati culpam haberet; sed ut aquas, quas quamuis in delicto Adæ Deus non maledixit, terræ, qua continebantur, maledictione infectas purgaret, & ne quicquam baptismi sacramentum negligeret, dum qui sine peccato fuerat, baptismi aquas iniuit. Et ne quisquam ab inferiori baptizari parui penderet, dum Deus Dominus à seruo suo mergi vndis baptismi appeteret, & quatenus adhuc se à diabolo, donec tentatio perficeretur, occultaret, qui illum velut lauacro indigentem, ut inter pollutos peccaminibus ablui aquis conspiceret. Hæc ille. In quibus verbis sunt aliquæ causæ ex narratis, & quædam aliæ adiunctæ. Multo igitur aliter Christus baptizatus est, quam cæteri; Christus enim non à baptismo sanctitatem accepit, sed ipse se baptizantem, & baptismum eius sanctificauit, idcirco baptismum Ioannis suscepit, qui in aqua erat sola, nec sanctitatem dabat; sic enim manifestius erat Christum potius eum sanctificasse, quam per illum sanctificatum fuisse. Dubitari autem posset, cur non solus Christus sit baptizatus, sed alij etiam baptizati sunt, & cur si alij etiam baptizati sunt, non omnes baptismum Christi baptizandi, baptismum Ioannis suscepissent. Vtrique dubio respondet August. lib. 5. de baptismo c. 9. ubi sic inquit: Si Ioannes Christum solum baptizasset, melioris baptismi Ioannes dispensator esse putaretur, quo ipse Christus solus tinctus esset, quam Christi baptismus est, quo Christiani tinguntur. Et rursus. Si omnes prius baptismum Ioannis, & deinde Christi baptizari oporteret, minus plenus, minusque perfectus Christi baptismus merito videretur, qui non sufficeret ad salutem. Quocirca & baptismum Ioannis baptizatus est Dominus, ut superbas hominum ceruices ad salutarem suum baptismum flecteret, & non solus ipse baptizatus tinctus esset, ne hoc ipso superius ostenderet, quod eo solo ipse baptizari meruisset, & ultra illud perseverare non sinit, ne hoc vnum, quo ipse baptizatus, indigere alio præcedente videretur. Hæc ille.

Et orante.

COMMENTARIA,

Connectitur præcedentibus sic. Cum populus baptizaretur, & Christus etiam baptizatus esset, post baptismum susceptum orauit, tunc apertum est cælum. Aduerte post baptismum, quem in Iordane suscepit, ab vndis ad terram ascendisse, & orasse, ne quæ statim facta sunt, baptismum Ioannis adscriberentur. Oravit autem, ut suo baptismo, quem instituturus erat, virtutem sanctificandi obtineat; sicut autem baptizatus est, ut homo, ita etiam orauit, ut homo.

ANNOTATIO XLVI.

Quorsu Christi post baptismum orauit. Offert etiam quispiam interrogare, cur post baptismum Christus orauit. Aduerte Christum, ut refert Mattheus, similiter, & Marcus, cum in Iordane baptizatus esset à Ioanne, confestim ascendisse ab aquis in terram, & illico, ut narrat Lucas, orasse. Quæ duo ideo fecit, ut ea, quæ statim facta sunt, nempe cælorum apertionem, vocem Patris, Spiritus sancti descensum super eum, nemo baptismum Ioannis adscriberet, sed ipsius orantis Christi virtuti; ideo enim baptizatus, non est in aquis commoratus, sed à fluuio egressus; si enim dum in aquis esset, id euenisset, facile errarent adstantes, tribuentes Ioannis virtuti, aut eius baptismum: confestim ergo egreditur orationi autem intendit, ut omnem suspitionem auferat, & nemo fallatur. Oravit etiam alia de causa; sciens enim quæ futura erant, nempe Patris admirandum testimonium, & Spiritus sancti descensum, ut

homo, oratione se præparat, tam magnificum beneficium recepturus. Euthymius Matth. 3. aliam adfert huius orationis causam: Baptizatus, inquit, orabat, docens eos, qui baptizati sunt, orare. Hanc causam pluribus verbis dilatans Beda, inquit: Quod Iesus, cuius omnia, quæ Patris, sunt, orasse memoratur, ad nos informandum actum non dubitatur, quibus post lauacrum baptismatis aula cæli panditur, non otiose viuendum, sed ieiuniis, precibus, atque elemosynis esse insistendum. Quia etsi peccata omnia sint in baptismo laxata, non adhuc tamen est carnis fragilitas solidata: nam quasi transito mari rubro, necatos quidem gratulamur Ægyptios, sed in deserto mundanæ conuersationis hostes occurrunt alij, qui duce & cooperatrice Christi gratia, nostro sudore vincantur, donec promissam vitæ æternæ perueniamus ad patriam. Hæc Beda.

Apertum est cælum.

COMMENTARIA,

Hæc sententia perficitur præcedens, post baptismum enim susceptum, cum orasset, cælum apertum est, id est, splendor in regione superiori quidam apparuit, quasi cælorum apertura, quam Philosophi hiatus cæli appellat. Hoc autem factum est, tum ut columbæ descensu Spiritus sancti aduentus ostenderetur, tum ut vox non hominis, sed Dei, cuius sedes cælum est, agnosceretur, tum demum ut per baptismum

mum

Christi, ianua cæli aperienda significaretur; baptizati enim, & purgati, si quid fordis post baptismum contraxerint, non iam limbo detinentur, sed in cælum euehuntur.

ANNOTATIO XLVII.

Cælum quare, & quomodo apertum fuerit. Matthæi 3. dicitur: Ecce aperti sunt ei cæli. Quæ autem sit apertio hæc, & quæ de causa facta, non eodem modo Doctores explicant. Hieron. Matth. 3. Aperti, inquit, sunt cæli, non reseratione elementorum, sed spiritualibus oculis, quibus & Ezechiel in principio voluminis sui apertos eos esse commemorat. Hæc Hieronymus. Non igitur secundum Hieronymum, apertura aliqua reali cæli sunt scissi, nec sensibili aliqua specie, quasi aperti visi sunt, sed spiritualiter, quia oculis mentis per contemplationem reuelata sunt mysteria cælestia. Hæc expositio non satis accommodata mihi videtur: nam sicut vox, & columba sensibilibus percepta sunt, ita etiam sensibilibus fuit apertura; hæc enim propter illas facta est. Chrysostr. in Matth. in imperfecto hom. 4. idem sentit cum Hieronymo in hoc, quod cæli non sint reipsa scissi, & aperti: aliter tamen aperturam hanc interpretatur, nimirum, quia oculis corporeis Christus vidit, quæ in cælis erant, sicut Stephanus dicitur cælos vidisse apertos, quia vidit, quæ in cælis erant, nempe Christum, ac si aperti fuissent. Quæ expositio prout ego arbitror, non videtur etiam satis accommodata, nam non Christus solus, sed etiam Ioannes & adstantes viderunt cælorum apertionem, sicut etiam viderunt columbam, & audierunt vocem Patris; hæc enim facta sunt in testimonium Christi, vnde aliis etiam innotescere debuerunt. Eodem argumento refellitur quorundam aliorum interpretatio, scilicet, factam hanc apertionem fuisse non visibilibus, sed imaginariis; Christus enim sua imaginatione cælos apertos vidit. Quod dici non potest, cum hæc apertio sit facta in testimonium. nec obstat verbum Matthæi, ubi dicitur (Aperti sunt ei cæli) non enim id significant hæc verba, quasi ipse solus viderit, sed quod propter eum, ut interpretatur Chrysostr. in

imperfecto hom. 4. aut etiam quasi versus eum sit apertio facta, non autem quod alijs non fuerit visa. Existimo ergo cum præfatis Doctoribus non fuisse cælos scissos realiter, sed apparuisse sensibilibus, & corporeis oculis splendorem in regione superiori, quasi cæli essent aperti, ut in Commentario dictum est. Quæ autem de causa hæc apertura sit facta, August. serm. 9. de Tempore respondet, sic dicens: Ideo cælum aperitur, ut mysterium baptismatis in hoc declaretur, quia quando homo de baptismo egreditur, tunc ianua regni cælestis ei aperitur. Chrysostr. autem in imperfecto hom. 4. cum prior, etiam alteram adfert causam; Aperti sunt, inquit, cæli, ut exemplo eius intelligamus, quia omnes homines recti, qui baptizati Spiritum meruerunt accipere sanctum, similiter aperiantur eis cæli, & vident ea, quæ sunt in cælo, non carnalibus oculis videndo, sed spiritualibus fidei credendo. Adducit etiam ibidem tertiam causam: cæli, inquit, sunt Scripturæ diuinæ Prophetarum, & Apostolorum, in quibus habitat Deus, de quibus scriptum est. Quoniam videbo cælos operatorem tuorum, Lunam, & stellas, quæ tu fundasti: ergo qui baptizatur, & meretur accipere Spiritum sanctum, adaperiantur ei omnes Scripturæ, ut intelligat, quæ ibi posita sunt mysteria veritatis. Hæc ille. Augustinus serm. 37. aliam adiungit, quæ quarta est: Aperti, sunt, inquit, cæli, existimo ut in cælestibus esset miraculum de his, quæ agebantur in terris: quomodo enim poterant non admirari Virtutes cælorum, & Dominaciones, Cherubin, & Seraphin, cum viderent Dominum Sabaoth in fluuio à Ioanne baptizari? Hæc Augustinus. Quæ omnia ad spirituales sensum pertinent. Ad literalem tamen ea, quæ in Commentario dicta sunt, magis facere videntur.

Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.

COMMENTARIA,

Quare columba quæ Spiritus sancti signum erat, super Christum descendit. Cælo aperto columba Spiritus sancti signum descendit, & super eum mansit: descendit autem, tum ut eum sanctum, & Spiritu sancto conceptum indicaret, tum, ut Ioannes baptista eum esse Messiam indicio cælesti cognosceret; dictum enim erat ei à Deo; super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto, ut habetur Ioan. 1. tum, ut significaret Christum iam inchoare officium redemptionis: tum demum ut nobis innotesceret, eos, qui Christi baptismum baptizandi erant, Spiritum sanctum accepturos esse, & donis, ac virtutibus ipsius ornandos. Epiphanius in Ancorato addit etiam descendisse Spiritum sanctum, ut demonstraret aquas esse iam puras ijs, qui baptizandi erant in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti. Spiritus sanctus autem descendisse dicitur, non quod substantia ipsius, quæ ubique est, locum mutauerit, sed quod species columbæ, quæ signum erat ipsius Spiritus sancti, descendit, sicut etiam in discipulos sub ignis specie descendisse dicitur. Conueniens autem signum Spiritus columba est, ad exprimendam simplicitatem, & innocentiam, & animi candorem, quæ à Spiritu sancto sunt, & in Christo erant. Et recte quidem in Christum descendit, ut Hieronymus Matth. 3. notauit, ne vocem Patris, Hic est filius meus, de Ioanne pronuntiatam adstantes existimarent.

ANNOTATIO XLVIII.

Refellit quædam hæresis, & Tertulliani verba de columba hæc referunt. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis c. 5. notat dictum (sicut columba) quia non erat vera columba, sed species, seu figura eius, quod in Com-

mentariis in Ioannem diximus. Recte etiam August. lib. 3. de mirabilibus sacra Scripturæ cap. 5. annotauit Spiritum sanctum descendisse super Christum; non quod

quod ante non habuerit Spiritum sanctum, qui vt homo, de eo iam conceptus erat; & ab vtero matris sanctus erat; vt autem Deus, ipsi erat consubstantialis, sicut nec quod sequitur (filius meus est tu) tunc habuit, cum baptizatus est, quippe qui filius Dei conceptus fuit. sed hæc facta nunc sunt ad significationem, vt dictum est in Commentario. Fuit antiqua hæresis diuidentium Christum à Iesu, & affirmantium Christum descendisse, & vnitum fuisse cum Iesu in baptismo, idque significare descendit hunc. De hoc tamen, & de aliis nonnullis ad hunc descensum, & columbam pertinentibus, diximus in Commentariis in Ioannem annotatione 70. & sequentibus; idcirco eam prætermittimus, illic lector, si libet legere, inueniet, solum hoc in loco verba Tertulliani lib. de baptismo referam. Sanctissimus, inquit, spiritus super emundata, & benedicta corpora libens à Patre descendit, super baptismi aquas, tamquam pristinam sedem recognoscens con-

quiescit; columba figura delapsus in Dominum, vt natura Spiritus sancti declaratur per animal simplicitatis, & innocentiae, quod etiam corporaliter ipso felle careat columba, ideoque inquit: Estote simplices sicut columba. Nec hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodum enim post aquas diluuii, quibus iniquitas antiqua purgata est post baptismum (vt ita dixerim) mundi, pacem cælestis iræ præco columba terris annūciauit dimissa ex arca, & cum olea reuersa; eadē dispositione spiritualis effectus terræ, id est, carni nostræ emergendi de lauacro post vetera delicta, colūba Spiritus sancti aduolat, pacem Dei adferens emissa de cælis, vbi Ecclesia est arca figurata. Hæc Tertullianus. In quibus illud annotandum est, quod de columba refert, nempe non habere fel, non omnino ab Aristotele probari, qui lib. 2. hist. Animal. cap. 15. dicit habere quidem sed valde exiguum, illudque iunctum intestino, vt propemodum sensum effugiat.

Et vox de celo facta est.

COMMENTARIA.

Descendente Spiritu sancto specie columbæ, & manente super Christum, vox Patris de cælo auditur, non solum à Ioanne, sed à turbis etiam circumstantibus, testimonium de Christo reddentis. prius quidem columba mansit super eum, vox postea secuta est, vt de eo pronunciata esse dignosceretur, super quem Spiritus descenderat, & manebat. De cælo autem dicitur facta, quia ab alto audita est, quasi de cælo emissa.

ANNOTATIO XLIX.

Duplex colūba, & paternæ vocis confidens ratio.

Aduerte vocem, & columbam dupliciter considerari posse. Vno modo, quantum ad naturam suam; illa enim accidens, seu sonus quidam in aere formatus est, hæc vero substantia quædam est. Altero modo, quantum ad significationem. Si modo priori considerentur, à tota Trinitate Patre, Filio, & Spiritu sancto factæ sunt; cum enim sint quædam res creatæ, necesse est à Trinitate tota eas esse productas. nihil enim facit pater, quod non & filius & Spiritus sanctus, vna, & indiuisa actione, sicut vna est in tribus essentia, & potentia. Si vero posteriori modo considerantur, tunc distinctas significant personas: nam columba Spiritum sanctum, vox Patrem indicat, sicut nobis etiam accidit; vocibus enim & imaginibus Deum significamus, quas voces, & imagines non dubitamus totius Trinitatis virtute, & potentia nobiscum concurrente esse factas, vna tamen voce, & imagine Patrem, alia filium, aliam Spiritum sanctum significamus. Hæc eadem distinctio procedit in Christi humanitate, quæ etiam considerari potest quantum ad substantiam suam, sicque à tota Trinitate facta est. Altero modo quantum ad vnionem, sicque soli filio vnita est. Columba igitur solum Spiritum sanctum, vox hæc solum Patrem significat, homo vero hic, super quem columba descendit, & de quo vox pronunciat, solus est filius, licet columba, vox, & humanitas à tota Trinitate sint effectæ, & creatæ. Doctrina est hæc ab Augustino tradita serm. 38. de Tempore, cuius verba sunt. Indubitanter, inquit, credere debemus ipsam sanctam Trinitatem esse inseparabilis substantiæ, essentiæ, inseparabiliterque operari, quicquid à singulis personis legimus operatum esse. Quamuis enim certissimum sit, Patrem esse solum, qui dixit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, & filium esse solum,

super quem illa vox solius Patris sonuit, quando in Iordane secundum Ioannem baptizatus est idem vnigenitus Deus, qui carnem solus accepit, & Spiritum sanctum Patris, & filii solum esse, qui in specie columbæ super eum baptizatum ascendente de aqua, descendit, & quinquagesima die post resurrectionem Christi fideles in vno loco postros in linguarum ignearum visione adueniens repleuit: illam tamen verissime vocem, qua solus locutus est Deus Pater, & illam carnem, qua solus homo factus est vnigenitus Deus, & illam columbam, in cuius specie Spiritus sanctus super Christum descendit, illasque linguas igneas, in quarum visione fideles in vno loco constitutos repleuit, opera esse totius sanctæ Trinitatis, id est, vnus Dei, qui fecit in cælis, & in terra visibilia, & inuisibilia, verissime credendum est. Hæc Augustinus. Aduerte præterea Augustinum eundem serm. 37. de Tempore causam quandam præter superius dictas assignare, cur super Christum, & columbæ specie Spiritus sanctus descenderit, & vox patris audita sit, nimirum, vt testificatio Ioannis, quam de Christo exhibuerat, diuino testimonio confirmaretur; existimat enim Augustinus ante baptismum Christi Ioannem eum demonstrasse, dicendo: Ecce Agnus Dei. Hoc tamen, vt ex Ioannis Evangelio constat, non videtur probandum, post baptismum enim tale testimonium perhibuit. Verius tamen dici potuit, diuino testimonio confirmatum esse, id quod ante baptismum Ioannes coram turbis dixerat: Ego à te debeo baptizari; illum enim sibi prætulit, idque Spiritus sanctus signo, & Pater sua voce comprobauit: negandum vero non est, hoc diuino testimonio roboratum esse etiam, quod post baptismum Ioannes de Christo testificatus est. Paulo autem inferiorius de hoc patris testimonio plura dicemus.

Tues

Tu es filius meus.

COMMENTARIA.

Testatur Pater Christum filium suum, & in Græco est articulus emphaticus, Tu es ille filius meus, non adoptiuus; sed naturalis, de quo scriptum est, Filius meus est tu, ego hodie genui te. Maiorem ac clariorem de Ioanne Baptista, populus conceperat tunc opinionem, plurisque ille habebatur, quam Christus, confirmarique ea opinio poterat, cum Christum illius baptismum suscepisse videret, idcirco testimonium patris præsentem Ioanne fit, vt dum Christus solus filius pronuncietur, ille seruus agnoscat, quantumque filius seruum, tantum Ioannem Christus excedere crederetur. Ad Hebr. 1. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit: cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus est tu, ego hodie genui te.

ANNOTATIO L.

Mysteria declarantur, quæ sub hoc patris testimonio clauduntur.

Augustinus libro 2. de consensu Evangelistarum cap. 14. notat Matthæum cap. 3. referre hoc testimonium Patris in tertia persona; Hic est filius meus; Marcum vero, & Lucam in secunda, Tu es filius meus. Nihil tamen contrarietatis esse dicit, quia ad eandem sententiam vtrumque pertinet, quamuis vnum horum Dominus dixerit: Matthæus vero explicare voluit, cuius causâ hæc sit vox reddita, nimirum propter adstantes, vt eum filium esse Dei agnoscerent, ideo ad eos referens scripsit: Hic est filius meus; Christus enim testimonio non indigebat. Cæteri vero duo Evangelistæ verbum ipsum Patris narrarunt. Sunt nonnulla hoc loco annotanda.

Primo quidem verba hæc esse tantum significationem; erat enim Christus ab ipsa conceptione in vtero matris Dei filius; tunc enim vnio facta est diuinæ naturæ cum humanitate in persona filij Dei, & ille homo filius erat Dei simul & hominis, nunc vero mysterium manifestatur à Patre, & Spiritu sancto. Fuit hæresis antiqua, cuius meminit Irenæus libro 3. cap. 10. Christum purum hominem fuisse vsque ad baptismum, in quo incepit filius Dei esse. Diximus contra hanc hæresim supra in capite 1. & commentariis in Ioannem, & satis conuincitur præsentem sententiam; verbum enim est testificandi quod iam erat, Tu es filius meus.

Secundo, nota hoc verbo significatam esse mutationem veteris legis, quæ erat seruitutis, in statum Euangelicum filiorum Dei; de qua dicitur Romanorum 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. & Galat. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Idcirco cum spiritus descendit, vox auditur: Tu es filius meus, per eum enim in filios Dei adoptandi eramus. Ioan. 1. Quotquot receperunt eum, dedit ei potestatem filios Dei fieri.

Tertio nota, Christum non solum vt Deum, sed etiam, vt hominem esse filium Dei; vt Deum quidem, ratione naturæ diuinæ, quam ab æterno accepit à patre, generatione, vt hominem vero vnione, quia illa natura humana vnita erat personæ Filij Dei,

eadem enim erat persona Deus, & homo, vnde non erat adoptionis filius nec vt Deus, nec vt homo; sed naturalis.

Quarto nota, Christo baptizato Spiritum sanctum descendisse specie columbæ, & Patrem de Filio testimonium perhibuisse, vt mysterium salutis nostræ ordo reuelaretur, quia per Baptismum salutarem, Christi eramus futuri filij Dei, & donis Spiritus sancti munerandi, vt notauit Chromatius in fragmentis in Matth. in fine. Baptismus enim Christi, & ianuam cæli aperit, & filios Dei adoptionis facit, & Spiritus sancti gratiam, dona, & virtutes infundit, idcirco Christo baptizato & cæli aperuntur, & Spiritus sanctus columbæ specie descendit, & vox Patris filium ostendentis auditur.

Quinto etiam nota, significatum esse quoddam aliud diuinum mysterium, Baptismum nempe Christi futurum generationem quandam spiritualem, per quam renascitur eramus in nouum hominem, & in Dei filios; non enim solum baptismus innouat, sed regenerat etiam. Ioann. 3. Oportet nasci denuo. Ad Tit. 3. per lauacrum regenerationis, & renouationis. Non quidem vt iterum nascatur carnalis homo, sed vt nascatur spiritualis, & diuinus, & Dei filius. Quod enim natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est: idcirco quæ fuerunt in Christi generatione, & conceptione, in eius baptismo apparent; nam in conceptione superueniens Spiritus sanctus, & virtus Altissimi obumbrans adfuit; in baptismo autem adfuit etiam Spiritus sanctus & Pater, quia futurum erat, vt per Christum baptismus institueretur, qui esset generatio quædam diuina, & cælestis.

Sexto etiam nota, adfuisse sensibilibus totam Trinitatem, Patrem loquentem, Spiritum sanctum descendente specie columbæ, Filium in carne visibilem, quia totius Trinitatis nomine baptismus erat conferendus Matth. vltimo: Docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. Postremo notat Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 14. in nonnullis codicibus legi hoc in loco; Tu es filius meus, ego hodie genui te. In vetustioribus tamen codicibus Græcis non haberi, nec vulgatus legit illud (Ego hodie genui te.)

Dilectus,

COMMENTARIA.

Non tantum filium, sed dilectum etiam Pater appellat, non solum quia super omnes dilectus est à Patre, Ioan. 3. Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manu: sed etiam, quia ex summa erga nos dilectione Patris datus nobis est. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. atque etiam, quia summi erga nos amoris Dei Patris est argumentum efficacissimum.

S 1. Ioan.

1. Ioan. 3. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quia filium suum vnigenitum...

In te complacuit mihi.

COMMENTARIA.

TV es, in quo benefacere hominibus volui, & per quem ipsi mihi placuerunt...

ANNOTATIO LI.

Renus libro tertio cap. 11. illud Matthæi 11. Ex Isaia 42. Ecce puer meus, quem elegi...

cui, nisi quia omnia, quæ habet Filius, habet Pater, sicut & quæ Patris sunt, Filij sunt?

ANNOTATIO LII.

Christus iam baptizatus Ioannem. Baptizans baptizans sic enim significabat ea, quæ gesta erant...

porta cæli aperitur, donis Spiritus sancti repleretur. Ioannem autem à Christo baptizato baptizatum...

Spiritu baptizandum. Chrysoftomus in imperfect. homilia quarta sic habet: Dum dicenti Ioanni, Ego à te debeo baptizari...

egebat, quia sine peccato esse non poterat; Christus baptismo egere non poterat, quia peccata non fecerat.

Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.

COMMENTARIA.

Aggreditur Euangelista texere historiam Christi, mundo se iam doctrina, & signis manifestantis...

ANNOTATIO LIII.

Patres diuersis modis superiorum sententiam legunt.

IN huius loci intelligentia magna est controuersia inter antiquos etiam Patres. Oportet autem, quæ ad literam spectant, primo omnium explanare.

rea Græce illud (incipiens) est in fine sententiæ, nempe (Erat quasi annorum triginta incipiens.)

ANNOTATIO LIIII.

Sensus superioris sententiæ magis examinatur.

QVOD vero ad sensum spectat, duæ occurrunt difficultates. Prior est de participio (incipiens) cui connecti debeat...

icipiens.) Simile illud est Actorum 10. Incipiens à Galilæa post baptisma, quod prædicauit Ioannes.

Primo enim loco Origenes homilia 28. legit ἀρχόμενος, id est, incipiens, ut supra diximus...

Tertio loco Euthymius diuidit participium ab annis, non tamen interpretatur, ut Clemens, sed cum Origene, nempe, Iesus annorum quasi triginta erat...

Auctoris sententia declaratur.

phanus, & multi, quos sequenti annotatione referemus. Mihi in hac parte accommodatior, & verior visa est sententia, si participium diuidatur ab annis, sensusque sit iuxta vulgatum is, quem in Commentario explicuimus. Moueor ad hoc sentiendum, & affirmandum tum auctoritate grauissimorum Doctorum Iustini, Origenis, Clementis, cum Euthymio, qui licet non eandem lectionem sequantur; in hoc tamen sunt consentientes, quod separant participium ab annis: tum etiam, quia si cum annis connectamus, incongrua nimis sit locutio, incipiebat esse quasi triginta annorum; superfluit enim particu-

A N N O T A T I O L V.

Tres Patrum sententiae referuntur de Christi aetate quando baptizatus est.

Superest nunc posterior difficultas de annorum numero, quo pacto sit intelligendum, Christum fuisse, quando baptizatus est, annorum quasi triginta, seu incepisse esse annorum quasi triginta. Eadem enim est difficultatis ratio, siue diuidatur participium ab annis, siue non. Sunt igitur in hac parte tres Doctorum sententiae. Prima est, Christum baptizatum fuisse paucis diebus post impletum trigessimum annum, sic enim vere dici potuit, incepisse esse quasi annorum triginta, cum iam illos expleuisset. Huius sententiae videtur Ignatius Episc. 5. ad Trallianos, Expletis, inquit, trium annorum decadibus, vere baptizatus est. Idem etiam sensit Chrysolost. homil. 10. in Matth. Post triginta, inquit, annos Christus venit ad baptismum. In eadem sententia est Beda lib. de ratione temporum cap. 45. Quod si obijcias huic sententiae particulam (quasi) quae praeposita numero indicat aliquid deesse, respondere possent, non semper illud esse: nam aliquando est affirmatiua, Matth. 3. dicuntur manducasse quatuor millia virorum. Marci autem 8. dicuntur quasi quatuor millia, immo aliquando importat augmentum. nam Exo. 12. dicuntur quasi sexcenta millia virorum. Num. autem 1. dicuntur sexcenta tria millia, quingenti quinquaginta. Quod ergo dicitur Christus quasi triginta annorum, non inde sequitur eum nondum expleuisse trigessimum. incepisse autem dictus est, quia tunc primum expleuerat, & sic incipiebat habere trigessimum annum. haec dicta sunt pro huius sententiae explicatione.

Secunda sententia est, Christum baptizatum esse prope trigessimum anni finem; nondum enim expleuerat, parum tamen a complemento distabat, ob id dictus est incepisse habere quasi annos triginta: particula enim (quasi) iuxta hanc sententiam minuit numerum annorum. Huius sententiae est Epiphanius haeresi 51. ubi affirmat Christum, quando baptizatus est, expleuisse viginti nouem annos, & decem menses: fuit enim baptizatus sexto Idus Nouembris anni suae aetatis trigessimae. In eadem sententia videtur esse Irenaeus lib. 3. cap. 39. quamuis non exprimat quo tempore sit baptizatus, sed solum quod prope finem trigessimae. Ad baptismum, inquit, venit nondum qui triginta annos suppleuerat, sed qui inciperet esse tamquam triginta annorum. Idem videtur sensisse Ambrosius; videtur enim particula (fere) loco (quasi) incipiens, inquit, erat fere annorum triginta, qua particula numerum minuit, ita tamen, ut parum desit complemento.

Tertia sententia est, Christum baptizatum esse initio trigessimae anni, cum vigessimum nonum expleuerat, & trigessimum paucis diebus attigerit. Huius sententiae fuit Origenes homil. 1. in Ezechielem,

la (quasi). quod enim quidam recentiores dicunt illud (incipiens) significare fuisse quasi annorum triginta, nempe, quia inchoabatur trigessimus annus, nihil ad rem facit; id enim significari poterat sine particula (quasi) immo quouis modo siue cum illa, siue sine illa legas, ambigua est locutio, ut paulo post dicemus: tum demum quia sic diuisum participium sensum facit conuenientissimum, & respondentem ijs, quae Act. 1. & 10. dicuntur, ut diximus: a baptismo enim Ioannis incepit Christus suam praedicationem.

& Hieronymus Ezechielis 1. in principio; sic enim dici etiam potuit incepisse habere quasi triginta annos. In eadem sententia sunt etiam illi, qui Christum anno trigesimo passum esse dixere, ut meminimus in Commentariis in Ioannem cap. 8. Eusebius autem libro 1. historiar. cap. 10. ambigue loquitur; solum enim dicit Christum baptizatum cum incepisset esse annorum quasi triginta: cum autem locutio haec sit ambigua, tresque sensus facere possit, nihil certi ex eo deduci potest. Titus Boetrenus ambigue etiam locutus est, & inter primam, & secundam sententiam versatur: nam particulam (quasi) interpretatur plus minus eo, quod dicimus, circiter. Haec sunt quae ex sacris Doctoribus habemus fideliter recitata, qui omnes particulam illam (quasi) legunt, ut ex ipsorum sententiis recitatis manifestum est, & participium (incipiens) cum annis copulant, praeter Origenem, & illos, quos annotatione superiori retulimus. Conueniunt autem Doctores hi, Christum tres annos integros praedicasse, & paucis mensibus ex quarto, in quo passus est: differunt tamen in his numerandis; qui enim baptizatum dicunt in initio trigessimae, passum affirmant trigesimo secundo cum fere dimidio aetatis suae: qui vero impleto trigesimo, aut prope finem trigessimae baptizatum asserunt, dicunt passum esse anno trigesimo tertio cum fere dimidio; praedicationis enim eius post Ioannis baptismum habuit exordium. In hac parte quid sentiam, breuiter aperiam.

Primo quidem negare non possum, omnes tres sententias esse probabiles, cum singulas graues auctores tueantur, & rationes probabiles habeant.

Secundo, communis Patrum sententia est, Christum anno trigesimo ipso baptizatum fuisse, non autem post, & praeter allegatos, est Cyprianus Oratione de Ieiunio, ubi habet trigesimo anno fuisse baptizatum, quod si eo completo, & sequenti incepto baptizatum sensisset, non anno trigesimo, sed trigesimo primo dicendum esset. Idem dicit Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum Baptisma, & Gregorius homilia 2. in Ezechielem, ubi Christum simulat Ezechiel: hic autem in ipso trigesimo nondum completo vidit caelos apertos. Augustinus etiam lib. 3. de mirab. sacrae Scripturae cap. 5. vel quisquis est illorum librorum auctor, asserit Christum baptizatum annum agentem trigessimum; nondum ergo impleuerat trigessimum. Hi vero Doctores non explicant, quo tempore trigessimae anni fuerit baptizatus, an in principio, an vero prope finem.

Quod vero ad auctores primae sententiae pertinet, Ignatium praecipue, & Chrysolostomum non possumus certo affirmare, eos fuisse in ea sententia, ut post impletum trigessimum Christus fuerit baptizatus; quod enim dixerint expletis triginta annis, aut post

Superiores sententiae probabiles, sed inter eas tertia ab auctore magis probatur.

post trigessimum completum, fuisse Christum baptizatum, non inde sequitur, initio trigessimae primae baptizatum, eos dicere: nam locutio haec verificatur, etiam si annum ageret trigessimum nondum impletum: habemus enim ex Luca: Postquam impleti dies octo, Christum circumcisum fuisse, qui tamen non in nono, sed in eodem octauo circumcisus est. quia ergo Christus agebat trigessimum annum, idcirco dixerunt expletis triginta fuisse baptizatum, nimirum postquam ad trigessimum annum peruenit: non ergo certo affirmare possumus, Ignatium, & Chrysolostomum in ea fuisse sententia, quae primo loco recitata est.

Tertio, Christum annum ipsum trigessimum agentem baptizatum esse, propter communem sententiam Patrum mihi visum est probabilius. Sic etiam completae sunt figurae; Ioseph enim anno trigesimo praesse Aegypto coepit. Genes. 41. & Dauid exorsus est regnare eodem anno. 2. Regum 5. & Ezechiel

Ut putabatur filius Ioseph.

C O M M E N T A R I A.

Sententia haec annexa est superiori; totus enim sensus est. Erat Iesus incipiens se manifestare post Ioannis baptismum, cum esset quasi annorum triginta, qui toto hoc tempore communi opinione hominum filius reputabatur Ioseph, quasi diceret: postquam reuelante Patre, quod filius Dei esset, innotuit, non iam conueniebat eum putari filium Ioseph, aut subditum esse illi; idcirco exorsus est se mundo prodere filium Dei esse, qui usque ad annum trigessimum putabatur filius Ioseph. Ira Cyprianus lib. de Ieiunio interpretatur. Hinc Iustinus Martyr in lib. quaest. q. 66. infert Christum de Ioseph non fuisse genitum, putabatur quidem, sed non erat. Graece, ut supra diximus est participium (ὡς) Latine existens, id est, cum eatenus esset reputatus filius Ioseph.

Qui fuit Heli.

C O M M E N T A R I A.

Genealogia Ioseph describitur, quia pater Christi putabatur, & vir erat Beatae Virginis, cuius verus filius Christus erat. Ioseph igitur fuit filius Heli, non quidem naturalis, quasi ex eo genitus, sed legalis. Iacob enim naturalis pater fuit, ut Matthaeus refert, at quia Heli frater Iacob sine liberis obiit, uxorem eius accepit Iacob, & filium Ioseph ei suscitauit, iuxta legem Domini. Deut. 25. Ioseph ergo, & legali, & naturali generatione ex Dauid erat.

A N N O T A T I O L V I.

Variae referuntur patrum opiniones de Ioseph, quem Matthaeus filium Iacob, Lucas vero filium appellat Heli.

Vetus est quaestio, quo modo Matthaeus Ioseph filium Iacob, Lucas vero filium Heli dixerint. Hanc quasi inter Euangelistas dissonantiam quandam Christianis obiecit olim Iulianus Apostata, ut auctor est Hieronymus Matth. 1. Eandem etiam opposuit Manichaeus; inde Scripturas Testamenti noui falsas esse probare conatus, ut refert Augustinus libro 2. retractation. cap. 7. Est autem multiplex huius difficultatis soluendi modus.

Primus est. Si dicamus Iacob fuisse binomium, ut & Iacob, & Heli sit appellatus. Hic autem modus a nemine tenetur, quem optime Aug. lib. 2. quaest. Euang. cap. 5. rejicit: nam diuersis auis, atauis, & proavis Iacob, & Heli usque ad Dauid describuntur, quod manifeste probat fuisse distinctas personas.

Secundus modus est antiquus, & communis Patrum, nimirum Ioseph duos habuisse patres, vnum

visionem vidit, caelos nempe apertos, cum annum ageret trigessimum, qui omnes figura fuere Christi suam exordientis praedicationem. Huic sententiae fauent Patres, dicentes, Christum agentem triginta annos baptizatum fuisse. qui autem expleuit trigessimum, & ingressus est trigessimum primum, iam non trigessimum agit sed trigessimum primum.

Quarto, probabilior est postrema sententia, nempe initio trigessimae fuisse baptizatum, non autem prope finem: agebat enim vigessimum nonum impletum, & tredecim dies trigessimae: moueor autem ad hoc, quia cum communissima sententia sit, nondum impletum esse trigessimum, quando baptizatus est, consequitur potius fuisse in principio, quia Ecclesiae ritus obtinet baptizatum fuisse paucis diebus post natiuitatis tempus. Probat etiam hanc sententiam computatio annorum ex historiis fidelissima, de qua recentiores diligenter tractarunt.

Vnde probetur Christum baptizatum fuisse initio anni trigessimae aetatis suae.

auctor, vt refert Eusebius libro primo histo. cap. 7. qui a consanguineis Christi hæc tradita afferbat, Iacob naturalem, Heli vero legalem Ioseph patrem affirmat, sicque historiam seu genealogiam textit; narrat enim Mathan, qui per Salomonem ex Dauid descendit, & Melchi, qui ex eodem Dauid per Nathan originem ducit, diuersis temporibus ex eadem vxore Estha nomine filios singulos genuisse, Mathan quidem genuit Iacob, Melchi vero genuit Heli, ille quippe eam prior duxit, quo mortuo, & relinquente filium Iacob, Melchi ex eadem Tribu eius duxit vxorem, ex qua habuit Heli: erant igitur Iacob, & Heli fratres ex eadem matre, distinctis tamen Patribus. Heli autem vxorem duxit, & sine liberis obiit, vnde ex legis mandato Iacob frater ex illa semen suscitauit, nempe Ioseph, qui naturalis filius Iacob, legalis vero Heli fuit. Hæc ex Africano, referente Eusebio, habentur. in quibus notandus est error scriptorum; loco enim Melchi legi debet Mathat, vt enim ex Luca constat, Heli non Melchi, sed Mathat filius fuit. Hieronymus in catalogo Scripturæ Ecclesiasticæ meminit huius Africani, & refert eum Epistolam ad Aristidem scripsisse, in qua de dissonantia, quæ in genealogia Saluatoris inter Matthæum, & Lucam videtur esse, conscripsit, & ipse Hieronymus Matth. 2. eum citat, & eius sententiam amplectitur. Idem senserunt Hilarius Can. 1. in Match. Titus Bostrenus. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 15. Euthymius cum alijs multis;

Tertius modus est. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 3. & lib. 3. contra Faustum cap. 3. & lib. 28. cap. 3. tradit Ioseph fuisse filium adoptionis Heli, quem ipse sibi adoptauit, sicut filia Pharaonis adoptauit sibi Moysen, & Iacob adoptauit duos filios Ioseph, & alij alios sibi in filios adoptarunt. Multum autem differt hic modus à primo; iuxta primum enim, Heli mortuo Iacob frater illius semen suscitauit legis mandato ex eadem vxore: iuxta secundum vero ipse Heli viuens sibi Ioseph in filium adoptauit, sicut in exemplis positis patet, & ipse Augustinus lib. 2. quæst. Euangelicæ, cap. 5. adeo distinguit hunc modum, nempe adoptionem à legali, vt hunc impugnet, illum vero prober. Hunc modum idemmet Aug. lib. 2. Retract. c. 7. retractauit, secutusque est Africani sententiam, quem fateor se nondum legisse, cum illa scriberet, immo lib. 2. Quæst. Euangelicæ, cap. 5. refert modum hunc Africani, nesciens esse illius, eumque impugnat dicens, non posse Ioseph dici filium legalem Heli, quia filius legalis nomen defuncti habere debebat, vt constat Deuteronom. 25. probatque modum prædictum nimirum adoptionis: at vero lib. 2. Retract. cap. 12. etiam id retractat, dicens argumentum, quo vsus erat, nullius fuisse momenti, quia non significat lex nomen debere habere defuncti, sed quod tamquam filius eius habendus sit, confirmatque modum Africani, nempe filium esse legalem Heli;

Quartus modus est Ambrosii, qui licet communi sententiæ consentiat, nempe Ioseph duos habuisse patres, vnum legalem, alterum naturalem, tamen Heli naturalem, Iacob vero legalem fuisse asserit. in quo à communi recedit sensu: Traditur, inquit, Mathan qui à Salomone genitus ducit, Iacob genuisse filium, & vxore superstiti decessisse, quam postea Melchi accepit vxorem, ex qua generatus est Heli. Rursus Heli fratre sine liberis decedente, copulatus est fratris vxori, & generauit filium Ioseph. Hæc Ambrosius, vbi similis est error, Melchi pro Mathat posito, sicut etiam apud Augustinum lib. 2. Retract. cap. 7.

Quintus modus est quorundam recentiorum, qui vtramque generationem naturalem esse affirmant, led eam quam Matthæus describit, ex parte Ioseph, qui fuit filius naturalis Iacob, eam vero, quam Lucas narrat, esse ex parte Beatæ Virginis, quæ fuit filia Ioachim, quem alio nomine dicunt appellatum esse Heli. Dicitur ergo Ioseph fuisse Heli, quia gener eius, gener autem fœceri filius vocari solet. Huius modi nemo antiquorum meminit, quod argumento mihi videtur, eum improbabilem esse, tum quia longe diuersa sunt nomina Heli, & Ioachim; asserere autem fuisse binomium, aut quod quidam dicunt, Ioachim, & Heliachim idem esse; Heli autem idem esse, quod Heliachim, quasi per quandam syllabarum abbreuiationem; cum nulla hæc ratione, aut auctoritate dicantur, recipienda non sunt: tum etiam, quia ex Damasceno lib. 4. de fide cap. 15. contrarium habemus: nam Ioachim patrem beatæ Virginis testatur filium fuisse Bipantheris. hunc autem filium Pantheris, hunc autem filium Leui, & fratrem Mathat patris Heli. Est autem error etiam in Damasceno pro Mathat Melchi: non ergo Heli est Ioachim pater Beatæ Virginis. ex qua Damasceni historia, quæ communiter recepta est, vnum habemus, nempe Leui proauum fuisse legalem Ioseph, nam genuit Mathan, hic vero Heli, Heli vero pater fuit legalis Ioseph. eundem autem Leui fuisse proauum naturalem Ioachim, & consequenter atauum naturalem Beatæ Virginis: nam Leui genuit Pantherem, hic autem Bipantherem, hic vero Ioachim patrem Beatæ Virginis.

Sextus modus est, Heli esse auum maternum ipsius Ioseph. Matthæus ergo generationem Ioseph ex parte patris, Lucas vero ex parte matris descriperunt: matris autem non meminit, quia femina erat, idcirco auum retulit. Huius modi meminit Augustinus lib. 2. Quæst. Euangelicæ, cap. 5. qui a nemine asseritur, idcirco probandus non est. Hoc tamen aduertendum debet, quendam ex recentioribus deceptum esse in hoc loco Augustini, existimauit enim Augustinum significasse Heli auum Christi ex parte matris, quod ad confirmationem quinti modi explicati pertinet, quasi generatio Beatæ Virginis describatur, cum tamen Augustinus, vt recte intuenti manifestissimum est, de auo Ioseph ex parte matris locutus sit. Hæc sunt, quæ ex Doctoribus, & Patribus colligere licuit. quibus omnibus perpensis, existimo à communi via non esse recedendum, cum nulla ratio, saltem probabilis nos compellat. Ioseph igitur habuit patrem naturalem Iacob, legalem vero Heli, vtramque autem generationem Euangelistæ describere, cuius rei causam Titus Bostrenus adfert: oportune inquit, conuenienterque alter naturalis, alter legalis meminit, quo hac nimirum ratione planum fiat, Iosephum ex vtroque parente ad Dauidem, & Iudam genus suum referre. Ad hæc cum Iudæi tamquam lege oblitæti legales parentes agnoscant, Græci vero, & Pagani, quibus nihil cum lege commune est, naturales tantum progenitores spectent, Euangelistæ diuino Spiritu afflati Iosephum ex vtroque parente, legali, inquam, & naturali ad Dauidem reduxerunt. quamobrem, cum hi duo patres originem suam ad Dauidem referant, tam

Iudæis, quam Græcis omnis prorsus hæsitatio, omnisque offensionis causa adempta est. Alteram etiam causam sequenti annotatione dicemus.

Deceptio cuiusdam Auditoris qui existimauit Augustinum sensisse se quod Lucas Mariæ generationem testauerit.

Quare Ioseph & non Mariæ genealogia describitur, & quomodo illa ad Christum pertinet.

Quare Lucas non vt Matthæus dicit Mathat genuit Heli, sed tantum asserit, qui fuit Heli, qui fuit Mathat. &c.

NON immerito autem quispiam interrogare possit, cur Lucas non est vsus verbo gignendi, sicut Matthæus; non enim dixit, qui fuit genitus ab Heli, Heli autem genitus est à Mataht, sicut Matthæus dixit, Mathan genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph. Præterea cur Matthæus processit descendendo, Lucas vero ascendendo. Et quare Matthæus à principio Euangelij, ante Natiuitatem, Lucas vero post baptismum, seriem hanc describit. Ad primam difficultatem respondet Augustinus libro 2. de consensu Euangelist. cap. 2. id esse factum, vt qualis esset vtraque generatio significaretur; erat enim illa naturalis, idcirco Matthæus vsus est verbo generandi; quam vero Lucas describit, erat adoptionis, idcirco non est vsus eo verbo; non enim filius à patre adoptante genitus vere dicitur. & quamuis modo quodam dici posset; nam adoptans charitate gignit adoptatum, & is filius eius dicitur, quo modo filij Dei fideles dicimur, & ab ipso geniti; genuit enim nos in verbo charitatis: tamen ne fieret confusio, & discerni non posset, vter esset naturalis pater, aut adoptionis, Iacob, aut Heli, idcirco Euangelistæ distinctis loquendi modis vsi fuerunt; ita Augustinus, & recte respondit, hoc excepto, quod loquitur de adoptione: possunt tamen hæc accommodari legali generationi, cui illud etiam adiungemus, si eo verbo Lucas vsus fuisset, dicendo, Ioseph genitus est ab Heli, qui genitus est à Mathat, &c. esset amphibologia in verbo: nam non eo modo genitus est Ioseph ab Heli, quo Heli à Mathat, nec vterque genitus est, sicut Adam à Deo; idcirco vt significationem vnam in omnibus retineret, communi omnibus verbo locutus est, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, &c.

Ad secundam autem idem August. respondet lib. 2. de consensu Euangelist. c. 4. nimirum Matthæum

repræsentare voluisse aduentum Christi in carnem, quam ad nos descendendo assumpsit; idcirco generationes eius descendendo descripsit; Lucas vero significare intendebat Christum sacerdotem, qui ad expianda peccata venerat, idcirco ascendendo generationem eius narrauit. Dici etiam aliter posset, in hoc mysterio aduentus Christi posse duo considerari, & aduentum ipsum, & aduentus fructum, ille descendit de cælis, vt nos ascenderemus ad cælos, Filius Dei factus est homo, vt homo fieret filius Dei; quia enim Verbum caro factum est, nos potestatem habemus filios Dei fieri. idcirco huius aduentus secundum carnem, & descendendo, & ascendendo narratio facta est. Euthymius Matth. 1. literalem huius adfert causam; Matthæus enim mentionem faciens Dauid, & Abrahæ, ab ipsis ad Ioseph descendit; Lucas vero, quia filium Ioseph Christum reputatum esse retulerat, ideo à Ioseph ad superiores ascendit. Recte autem notat Ambrosius lib. 3. in Lucam, in principio, non esse hoc contra morem Scripturæ; nam 1. Regum 1. origo ascendendo describitur; Nomen, inquit, eius Helcana, filius Ieroham, filij Eliu, filij Thohu, filij Suph.

Quare Matthæus descendendo Lucas vero ascendendo, Christi scripserint genealogiam.

Quare Matthæus ante Christi natiuitatem, Lucas vero post baptismum, eius genealogiam recensuerint.

Ad tertiam difficultatem idem etiam Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 4. respondet, causamque adfert cum præcedenti coniunctam, nimirum quia Christum sacerdotem, qui expiare peccata venerat per baptismum, repræsentabat, idcirco à baptismo init narrationem. Dici etiam ultra hoc potest, Lucam significare voluisse toto illo tempore, quod intercessit à natiuitate vsque ad baptismum, communi opinione reputatum filium esse Ioseph, donec seipsum verbo, ac signis significare inceperit; idcirco distulit narrare genealogiam vsque ad hoc tempus, quasi iam mundo nouo modo nasceretur per fidem, & agnitionem sui veram. Sunt nonnullæ aliarum difficultates in hac narratione, quas in expositione explicabimus.

Quare Ioseph & non Mariæ genealogia describitur, & quomodo illa ad Christum pertinet.

GRAuior autem multo occurrit difficultas, cum Christus non sit à Ioseph genitus, sed ex sola Virgine conceptus, & natus, quare Euangelistæ genealogiam Ioseph prosecuti sunt, & eam, quæ matris veræ erat, prætermiserunt, & quomodo illæ generationes dici Christi potuerunt. Ad hæc Hieronymus Matthæi primo duas adfert causas. Vna est, quia non est consuetudo Scripturæ in generationibus ordinem mulierum texere, sed virorum. Altera est, quia ex eadem Tribu erat Beata Virgo, ex qua Ioseph, vnde ex lege tenebatur eam accipere, vt propinquam, ideo simul censetur in Bethlehem, tãquam vna stirpe generati. Vtramque causam etiam reddit Ambrosius in hoc loco. Cur autem, inquit, Ioseph magis, quam Mariæ generatio describatur, cum Maria de Spiritu Sancto generauerit Christum, & Ioseph à generatione Domini videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrueret Scripturarum, quæ semper viri originem quærit. Hæc Ambrosius, & paulo inferius: Noli, inquit, mirari, quod Ioseph origo descripta est. Etenim secundum carnem natus vsus debet sequi carnis, & qui in sæculum venit, sæculi debuit more describi, maxime cū in Ioseph origine, etiam origo sit Mariæ, nam cum vir iustus fuerit Ioseph, vti que ex tribu sua, & ex patria sua accepit vxorem, nec potuit iustus facere contra id, quod lege præscriptum est. sic enim habes Num. 36. quia vnusquisque in hæreditate Tribus suæ patriæ adhærebunt filij Israel, nec de tribu

ad tribum pertransibunt, & omnis filia, quæ habebit hæreditatem tribuum filiorum Israel, vni ex populo, & tribu Patris sui erit vxor. Hæc Ambrosius. Habes ergo ex his duobus doctoribus solutam vtramque difficultatem, nempe, cur origo Ioseph, non autem Beatæ Virginis descripta sit. ratio huius est, consuetudo Scripturarum, & sæculi huius. Quomodo autem hæc generationes Christi dici potuerunt, responsio est, quia ex eadem Tribu, & familia erant Ioseph, & Beata Virgo. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 1. & 2. tertiam causam docet, per quam secunda difficultas soluitur, nempe, quomodo generationes Ioseph possunt esse Christi: causa autem est, quia Ioseph erat vir verus, & vero matrimonio B. Virgini coniunctus, etiam si Christum ex ea non genuit. cum autem Christus ex ea, quæ vera vxor Ioseph erat, natus sit; ideo potuit Ioseph dici pater Christi, & Christus filius Dauid, etiam si Beata Virgo non fuisset ex Dauid; multo enim magis propter veritatem matrimonij illius, dici potuit Christus filius Ioseph, quam qui per adoptionem filius cuiuspiam est. ideo generationes Ioseph narrantur, & Christi esse dicuntur. Hoc possumus etiam confirmare, si adiungamus illas nuptias celebratas esse propter ipsum Christum, vt Christus de sponsata nasceretur. multo magis id dici potuit, quia Beata Virgo erat etiam de semine ipsius Dauid. Hæc ex his grauissimis patribus habentur. Et quidem quod ad rationem illam secundam

ſpectat, quod de eadem Tribu vxores accipiebantur, dicimus in ſequenti annotatione; id vero nunc tantum dicimus, eam cauſam non eſſe ſufficientem: nam ſolum ex ea ſequitur, Beatam Virginem eſſe de Tribu Iuda, non autem ex ſtirpe Dauid; ſatis enim erat accipere vxores ex eadem Tribu: non autem neceſſarium erat ex eadem familia. non igitur ex hac genealogia demonſtratur Beatam Virginem fuiſſe ex Tribu, vt reuera fuit, ſed tantum quod erat ex Iuda ſicut Ioseph. Doctrina autem Auguſtini, de qua ſuperius diximus, quando expoſuimus, quomodo Ioseph pater Chriſti dictus ſit, vera eſt, tamen non inde ſequitur, Chriſtum de ſemine Dauid fuiſſe; ſi enim Beata Virgo non eſſet de ſemine Dauid, licet vera coniux eſſet Ioseph, & Chriſtus dici poſſet filius eius, & Dauid, tamen non de ſemine Dauid, vt promiſſum erat. Prima autem illa cauſa, nempe non eſſe conſuetudinem, vt virorum origo à feminis ſumatur, ſed à ſolis viris, non videtur ſatisfacere; nec in ea animus conqueſcit; ſunt enim quædam, quæ in contrarium obijci poſſent. Primo quidem. ſi Chriſtus natus eſſet ſecundum conſuetudinem hominum ex viro, & femina, tunc fautor conſuetudo ſeruanda eſſet, & eius recte origo ex viro deſcriberetur: cum autem præter conſuetudinem natus ſit ex ſola femina, non debuit illa conſuetudo obſeruari; quæ enim conſuetudo non fuiſſet natiſcens, non debuit ſeruari in ſcribendo. Secundo. videtur quod omnino ſeruari non debuerit: nam occaſio quædam inde accipi poterat, Chriſtum de Ioseph genitum ſuſpicandi, cum origo eius deſcriberetur ſecundum conſuetudinem aliorum hominum, qui ex viro, & femina geniti ſunt. Tertio. quia quamuis eo quod Ioseph vir verus fuerit Beatæ Virginis matris Chriſti, indeque pater Chriſti, Chriſtusque filius eius, & Dauid dici potuit, etiam ſi Beata Virgo ex Dauid non eſſet, tamen non eſſet completa promiſſio facta Dauid Pſal. 131. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam: nec Chriſtus dici poſſet de ſemine Dauid ſecundum carnem, vt dicitur Rom. 1. ad hoc enim neceſſe erat, vt genitura à Dauid carnem traheret, ideoque compellimur dicere Beatam Virginem, ex qua natus eſt Chriſtus, eſſe ex femine Dauid. ſi igitur promiſſionis veritas perfecte non manifeſtatur in huius originis ex Ioseph deſcriptione; manifeſtatur autem, ſi Beatæ Virginis ex Dauid origo narrata fuiſſet; cur hac prætermiſſa, Euangelista illius tam diligentem fecerunt mentionem? Quarto habemus ex Scriptura Iudith 8. ipſius Iudith propter tam inſigne factum occiſionis Holofernis genealogiam eſſe deſcriptam; dicitur enim Iudith vidua filia Merari, filij Dox, filij Ioseph, filij Ozia, filij Elai, filij Iamnor, filij Gedeon, filij Raphei, filij Achitob, filij Melchiz, filij Enan, filij Nachania, filij Salathiel, filij Simeon, filij Ruben. Cum igitur maius multo, & mirabilius, & diuinius opus geſtum ſit in Beata Virgine, quæ Saluatorem concepit, & peperit, cur eius origo ab Euangelistis taceatur? Propter hæc dicenda nonnulla ſunt. Primo quidem Matthæum generationes Chriſti ex Ioseph narraſſe, non tantum quia conſuetudo Scripturarum erat genealogiâ à viris deſcribere, vt inquit Hieron. & quia Ioseph erat pater Chriſti ſecundum opinionem, & quadam ratione propter matrimonij veritatem vt dicit Auguſtinus, & quia Beata Virgo erat de eadem Tribu, vt dicit Ambroſius, ſed peculiari etiam alia quadam cauſa, quam notaui Irenæus lib. 3. cap. 30. vt nimirum oſtenderet ſic virum Beatæ Virginis, & patrem Chriſti Ioseph fuiſſe, vt de eius femine Chriſtus conceptus non ſit. quam

rem facile ſignificabat Hebræis, quibus ſcripſit Euangelium; erant enim Scripturarum periti. Quod enim de ſemine Ioseph conceptus eſſet Chriſtus, Ieremiæ prophetia, quæ cap. 22. ſcribitur, obſtabat. dictum eſt enim de Iechonia femine neminem ſuſcitantum, qui ſederet ſuper ſolium Dauid: ſi ergo Chriſtus de ſemine Ioseph fuiſſet, fuiſſet etiam de Iechonia femine, ſicque haberet Iechonia de ſuo ſemine, qui ſederet ſuper ſolium Dauid; hoc enim Angelus Beatæ Virgini de Chriſto prædixit. Dabit, inquit, illi Deus ſedem Dauid patris eius. quod quidem fieri non poterat, iuxta prophetiam Iechonia. fuit ergo Chriſtus filius Iechonia, ſicut & Ioseph, ſed non de eius femine: merito ergo Euangelista generationem Ioseph narrauit naturalem, vt ſic virum Beatæ Virginis, ac patrem Chriſti oſtenderet, vt non de eo, ſed de ſola Virgine genitum ſignificaret. Hæc ex Irenæo ſumpta ſunt. Quibus addendum eſt, Ieremiæ 22. non dictum eſſe, Iechoniam non habiturum filium, qui ſederet, ſuper ſolium Dauid, ſed de femine eius neminem futurum, qui ſederet ſuper ſolium Dauid. potuit quidem filium habere, ſed non de femine ſuo, ſicut & Ioseph pater Chriſti fuit; non tamen de eius femine Chriſtus eſt. Hæc de Matthæo dicta ſunt. Secundo autem, quod ad Lucam ſpectat, exiſtimo dicendum eſſe, generationem legalem Ioseph eum ſcripſiſſe, non tantum vt legalem generationem illius deſcriberet, ſed vt ſimul naturalem Chriſti generationem oſtenderet; vtrumque enim miro artificio coniunxit: nam poſt Heli, & Mathat, qui pater, & auus legales fuerunt Ioseph, peruenit ad Leui, qui fuit auus naturalis Ioachim patris Beatæ Virginis; vt enim in Annotatione præcedenti ex Damasceno diximus, Leui præter Mathat, filium habuit Pantherem, hic genuit Bipantherem, qui fuit naturalis pater Ioachim, & proauus Beatæ Virginis; ſecundumque carnem atauus Chriſti, ſicque non ſolum de Iuda, ſed de femine Dauid fuit Beata Virgo, & Chriſtus Dominus, non quidem per Salomonem, & ſucceſſores eius, ſed per Nathan. atque hæc eſt cauſa vna, præter ſuperius assignatas, cur Lucas vique ad Adam ipſum perduxerit generationes, vt nimirum ſignificaret Chriſtum carnem ſumpſiſſe ad redimendum hominem, quæ caro ex illo naturali propagatione deſcendebat, qui homines in captiuitatem redegerat. veritas enim carnis Chriſti in hac genealogia demonſtratur. Ex duobus igitur Euangelistis perfectam ex omni parte habes genealogiam Chriſti, & qualis fuerit, declaratam: nam patris eius non carnis, ſed veri matrimonij naturalis generatio deſcribitur: & ſimul oſtenditur, non ex eius femine Chriſtum fuiſſe. Eiuſdem Ioseph etiam habes legalem generationem coniunctam, tamen cum naturali generatione, & genealogia Chriſti ſecundum carnem, & Matris eius, quam non ſtatim à patre Beatæ Virginis deſcripſit, vt legalem etiam generationem ex parte Ioseph non prætermitteret. Per hæc mihi videntur facile ſolui poſſe, quæ paulo ſuperius obiecta ſunt, & quæ ad has genealogias hæc in parte pertinent declarare.

Eſt autem vnum hoc loco notandum, Hilarium can. 1. in Matth. & Ambroſium Lucæ. 3. affirmari Matthæum narraſſe generationem regiam Chriſti, Lucam vero ſacerdotalem, quod à quibuſdam recentioribus aſſeritur. Non video autem qua ratione id ſuſtineri poſſit, cum tam vna, quam altera ſit Dauidica generatio, omneſque ſint poſteri ipſius, ad quos Sacerdotium non ſpectabat: non igitur Heli, nec eius patres ſacerdotes eſſe potuerunt. Illud enim 2. Reg. 8. Filij Dauid ſacerdotes erant, id ſignificat, nempe

non habuiſſe officium, ſed dignitatem, quia erant Primates, & Principes ad latus Regis; nomen enim Hebræum idipſum etiam indicat; nam non tantum ſacerdotes, ſed etiam Primates ſignificat. Auguſtinus lib. 83. quaſt. quaſt. 61. idipſum etiam aſſeruit, explicuit tamen qua ratione id dictum ſit: Nathan, inquit, filius Dauid, à quo poſteritas eſt vſque ad Heli, vxorem duxit ex Tribu ſacerdotali, ſicque & ex Regia, & ex Tribu ſacerdotali originem habuit.

Vnde autem Auguſtinus habuerit Nathan duxiſſe vxorem ex ſacerdotali familia, non apparet, nec Scriptura tradit, ideoque parum firmo fundamento id nititur. Dicendum eſt probabilius, Chriſtum quidem originem etiam ex Tribu ſacerdotali habuiſſe ex parte Annæ matris Beatæ Virginis, quæ erat de Aaron, vt diximus ſupra, explicantes illud (Ecce Elifabeth cognata tua) qua parte enim cognationem habuit cum Elifabeth, ex familia ſacerdotali erat.

A N N O T A T I O L I X.

D Vbitatio non parua poſtremo loco ſe offert, an genealogia à Matthæo deſcripta, quæ ab Abraham per Dauid, & Regalem progeniem deſcendit, pertineat ad Beatam Virginem, ita vt ex ea genealogia probetur eam fuiſſe de Tribu Iudæ. quæ quidem dubitatio dependet ex altera, an fuerit generale præceptum de celebrandis matrimonijs in eadem Tribu; ſi enim generale eſt, tunc ſequitur, ſi Ioseph fuit de Iuda, etiam beatam Virginem de eadem fuiſſe Tribu.

Primo loco multi antiqui patres id ſenſerunt, dicentes Ioseph ex præcepto legis Num. 36. obligatum fuiſſe ducere vxorem ex propria tribu: cum autem ipſe de Iuda fuerit, conſequitur etiam Beatam Virginem de eadem fuiſſe Tribu; vir enim iultus non eſſet legis mandatum tranſgreſſus. in genealogia igitur Ioseph etiam Beata Virgo deſcribitur. Ita affirmant Hieronym. Matth. 1. & Ambroſ. Luc. 3. quorum verba Annotatione præcedenti recitauimus, & præter eos etiam Chryſoſt. hom. 2. in Lucam, Damascenus lib. 4. de fide c. 15. Eucherius in quaſtionibus in Matthæum. Anſelmus, Druthmarus Matt. 1. Eusebius lib. 1. hiſt. c. 7. & Beda. Hi omnes affirmant, hæc genealogiam Ioseph etiam ad Beatam Virginem pertinere, quia ex præcepto legis Ioseph tenebatur vxorem de eadem Tribu ducere. quod argumento eſt, eos ſenſiſſe generale fuiſſe præceptum illud de matrimonijs in eadem Tribu celebrandis. Fauent huic ſententiæ verba ipſius præcepti Num. 36. iuxta Vulgarum interpretem; ibi enim duæ assignantur rationes præcepti illius, nempe, ne hæreditas vnius Tribus tranſeat in aliam Tribum, & ne Tribus miſceantur, & confundantur, ſed vt maneant diſtinctæ, ſicut à Domino diſtinctæ ſunt. Hæc eſt eorum patrum ſententia.

Secundo loco Auguſtinus lib. 7. quaſt. in Iudic. c. 47. affirmat licuiſſe feminæ nubere viris de quacumque Tribu, quod exemplis de Scriptura ſumptis probat, nam Michol filia Saul de Tribu Benjamin tradita fuit Dauid de Iuda. 1. Reg. 18. & filia Regis Ioram de Iuda nupſit Ioiadæ ſacerdoti 2. Paral. c. 12. His exemplis Auguſtinus probat ſuâ ſententiã, nempe licuiſſe feminis nubere viris de quacumque Tribu. quod ſi licuit feminis, non video quomodo non etiam licuerit viris; vnum enim ſine altero eſſe non potuit: nam feminæ non poſſunt viris de quacumque Tribu nubere, niſi ſimul etiam liceat masculis, ſeu viris de quacumque Tribu accipere vxores: fiet ergo iuxta hanc ſententiã, vt præceptum fere nullum fuerit de non permiscendis Tribubus.

Tertio loco, ſunt non pauci recentiores, qui ſentiunt illud præceptum non fuiſſe generale, ſed particulare, & ſtrictum, nimirum quando feminæ præter dotem habebant hæreditatem paternam deficientibus masculis, tunc enim tenebantur nubere in eadem Tribu, ne hæreditates, & partes terræ ſeparatæ confunderentur. quod obſeruatum legimus Thob. 7. vbi Sara filia Raguelis vnica patris, & hæres, tradita fuit Thobiz de eadem Tribu. Quando vero non erant hæres, non prohibebantur nubere viris de

quacumque Tribu, nec viri prohibebantur eas ducere vxores. In hac parte, quæ probabiliora mihi viſa ſunt, proponam.

Primo, probabilis eſt ſententia illa, quæ affirmat, præceptum eſſe generale, nemini licuiſſe matrimonium celebrare extra propriam Tribum; hoc enim grauium Doctorem auctoritate firmatur, & verba Scripturæ fauent, vt ſuperius diximus, iuxta Vulgarum Interpretem, cuius auctoritati non eſt refragandum, nec ad Hebræos codices, euadendi cauſa, conſugiendum. iuxta quam ſententiã reſpondent quidam, aliquando licuiſſe vxores de aliena Tribu ducere, id tamen diſpenſatione præcepti, ſicut & apud nos licet cum conſanguineis ex diſpenſatione contrahere. Fuiſſe autem olim poteſtatem in quibuſdam præceptis diſpenſandi apud maiores illos, probari poteſt Scripturæ teſtimonijs: nam Leui. 18. præceptum erat, turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſiue ex matre, quæ foris genita eſt, non reuelabis, & tamen 2. Regum. 13. Thamar ſoror Amon cum opprimeretur ab eo, dixit, Noli frater mi, noli opprimere me, quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi. Hæc illa. Erat igitur poteſtas in Synagoga diſpenſandi in præcepto illo, alias nunquam Dauid etiam rogatus deſiſſet ſororem fratri in vxorem, nec Thamar vſa eſſet argumento ad perſuadendum apto, ſi non fuiſſet tunc commune, & certum diſpenſari poſſe in tali præcepto. Præterea in eodem Leuitici capite dicitur; Turpitudinem patris tui non reuelabis, nempe, ne ducas vxorem patris tui, & tamen 3. Regum. 2. Berſabee petiit à Salomone Adonia filio Dauid vxorem Abiſai, quæ nupta fuerat Dauid, iuxta communem Doctorem ſententiã; licet enim Dauid non cognouerit eam, tamen duxerat vxorem. Notanda ſunt hæc teſtimonia Scripturæ, quibus probatur poteſtas diſpenſandi antiqua in præceptis quibuſdam poſitiuis legis. Sic potuit ex diſpenſatione, cauſa aliqua urgente, diſpenſari in præcepto non miſcendi Tribus.

Secundo, non eſt minus probabile, immo probabilius, præceptum illud generale non fuiſſe, niſi quando feminis hæreditas paternã obtingebat. Hoc ex eo probatur, quia, vt conſtat ex Num. 27. ea fuit cauſa præcepti condendi, nempe, quia filiabus Saalphar hæreditas obueniebat, propterea fuit Num. 36: ſtatutum præceptum. ratio autem legis limitat legem etiã generalibus verbis prolatam, nec ſunt duæ cauſæ, ſed vna explicans alteram, nempe, ne miſceantur Tribus, intellige hæreditates Tribuum, quæ diuino mandato erant diſcretæ, & diſtinctæ. Idipſum etiam confirmatur Scripturæ teſtimonijs; præter illa enim ab Auguſtino paulo ante relata de Michol filia Saul, & de filia Ioram, eſt etiam illud Iudic. 21. omnes enim Iſraelitæ iuramento ſe obſtrinxerunt, ſe non daturus filias ſuas Beniaminitis: poſtea vero cum viderent Tribum illam fere deletam, & omnino perituram, ſi in iuramento perſeueraffent, eos pœnituit, & coegerunt viros Iabes Galaad, qui non iurauerant, filias ſuas Beniaminitis tradere. Ex qua historia deducitur non fuiſſe generalem legem, quæ in vniuerſum prohiberet cum alijs Tribubus contrahere.

Propoſita diſcultati nõ fit ſatis, dum dicitur viros de Tribu vxores accipere.

Iudith 8.

Auctor ex alijs principijs propoſita dubitationem euacuat.

Quid auctor in propoſita quaſtione ſentiat, declarat.

2. Reg. 13.

3. Reg. 2.

Iudic. 21.

Præterea Ruth. 1. Duo filij Blimeles duxerunt Ruth, & Orpham, quæ erant alienigenæ de gente Moabitaram. & Ruth 4. Salmon duxit Raab meretricem, quæ erat Chananæa. & Deuter. 21. conceditur Israelitis, quibusdam seruatis conditionibus, ducere uxores feminas bello captas, & quamuis Chananæi excepti fuerint, priuilegium obtinuit Raab, propter singulare opus suum, quod fecerat Israelitis. Hæc omnia argumenta sunt, non fuisse præceptum illud generale, prohibens mixtionem Tribuum, quandoquidem gentilibus miscbantur, sed ad conseruandam hæreditatum distinctionem. Hoc ipsum argumento efficaciter comprobatur; nam Tribus Iuda, & Leui mutuis matrimonijs misceri affirmant etiam Doctores, qui primam sententiam tuerentur, & expresse asserunt Epiphanius. Hæresi. 78. Theodoret. lib. quæst. in Num. 9. vltima, cum alijs, quos citauimus, quando exposuimus illa verba (Ecce Elisabeth cognata tua) & in annotatione præcedenti hoc ipsum confirmauimus; aliterque Beata Virgo, & Elisabeth cognatæ esse non possent. Vnde igitur prouenit, quod hæc duæ Tribus miscerentur, nisi ex eo, quod Tribus Leuitica non habebat partem separatam in Israel? si autem generale esset præceptum, vtrique etiam comprehensa esset. Quod si miscbat se cum Iuda, id erat, quia cum esset Tribus sacerdotalis, & nobilissima, eligebat viros ex Iuda, quæ erat Tribus regia. Propter hæc igitur probabilis reputo non fuisse generale præceptum, vti explicatum est.

Tertio, ex eo, quod Ioseph erat de Tribu Iuda, non consequitur necessario Beatam Virginem fuisse de Iuda. Hoc dictum argumento manifesto probatur; nam etiam secundum opinionem illorum antiquorum patrum, qui præceptum illud generaliter intelligunt, duæ Tribus, Iuda scilicet, & Leui inuicem se matrimonio copulabant; non ergo deducitur, si vir est de Iuda, quod vxor etiam sit de Iuda; nam potuit esse de Leui, sicut diximus in illa verba (Ecce Elisabeth cognata tua.) Pater Beatæ Virginis erat de Tribu Iuda, tamen Beata Anna erat de Aaron; aut ergo faten-

dum est, nec has etiam duas Tribus misceri, quod tamen omnes affirmant, aut ea veritate posita non sequi, si Ioseph erat de Iuda, etiam Beatam Virginem fuisse de Iuda. Hanc igitur veritatem non ex hac genealogia certam habemus, sed ex alijs Scripturæ locis; nempe Rom. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. & Luc. 2. Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore. & psal. 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, aliisque multis eiusmodi locis, quibus Christus de Iuda, & de Dauid secundum carnem futurus prædictus est. Adde etiam stante illa lege, solum sequebatur esse de Iuda, non tamen de Dauid: nam præceptum non erat de accipiendis vxoribus ex eadem familia, sed ex eadem Tribu: at Euangelica veritas non tantum de Iuda, sed de stirpe Dauidica Beatam Virginem exortam confitetur. in quo sensu multi, & graues, & antiqui patres interpretati sunt illud Isa. 11. Egredietur virga de radice Iesse; per virgam enim beatam Virginem intellexerunt. Hac igitur de causa Lucas genealogiam eius vere descripsit, quæ erat ex Dauid per Nathan, quod quidem est argumentum, non fuisse genealogiam eius scriptam per Matthæum: nam hæc erat per Salomonem, & Reges, ac Iechoniam, per quos, vt supra diximus ex Ireneo, Christus secundum carnem non descendebat.

Quarto potest deduci ex præcepto illo prædicto, Beatam Virginem de eadem Tribu cum Ioseph fuisse, non quidem ex præcepto generaliter sumpto, sed determinate, & cum limitatione accepto; erat enim Beata Virgo filia vnica beatorum patrum Ioachim, & Annæ, & non solum vnica, sed etiam precibus amorum à Deo impetrata, vt referunt Epiphanius hæresi. 79. & Gregorius Nyssenus Oratione de Natiuitate Domini: erat igitur hæres domus, ac possessionis, eaque de causa tradenda erat iuxta præceptum Domini viro eiusdem Tribus, nempe Iuda. quo sensu interpretari possumus Doctores supra in prima opinione allegatos. Et hæc sufficiant in hac parte.

Qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Mathathia, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mathath, qui fuit Mathathia, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadau, qui fuit Her, qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid.

COMMENTARIA.

Continuis generationibus generatio Ioseph legalis perducitur vsque ad Dauid, nec mireris, si inter Dauid, & Ioseph exclusiue intercessere quadraginta viri in generatione hac legali; apud Matthæum vero in generatione naturali multo pauciores inueniuntur: sæpe enim contingit eodem tempore alios alijs magis multiplicare, eo quod citius generant, fierique experimur, priusquam vnus filium habeat, alterum etiam illi coætaneum habere nepotem, eo quod citius vxorem ducat, & celerius generet.

ANNOTATIO LX.

Num Zorobabel, & Salathiel à Matthæo, & Luca connumerati iidem sint.

Occurrit hoc loco difficultas quædam, quo modo Lucas Zorobabel, & Salathiel inter Patres legales Ioseph collocaet, quos Matthæus inter naturales Patres numerauit. Euthymius ad legale, & naturalem generationem recurrit, dicens, Salathiel esse filium legalem Neri, quod Lucas dicit; naturalem

vero Iechoniæ, quod refert Matthæus. Quidam autem recentiores existimantes etiam eosdem esse hos cum iis, quos Matthæus describit, nescio quæ conseruunt, & absque villo fundamento: cum omnes antiqui patres indubie, & absque vlla exceptione affirmant, non esse eosdem viros, quos Lucas refert cum narratis

narratis à Matthæo. mirum est autem nominum similitudine hos recentiores esse permotos, cum non solum in Scriptura plures passim legamus, qui idem nomen sortiti fuere, sed etiam in hac ipsa genealogia id sæpius euenerit; nam duos legimus appellatos Leui, & præter Ioseph Christi parentem, sunt alij tres dicti etiam Ioseph. duo etiam Mathathæ nomen habent,

alij etiam duo Melchi. Quid ergo? si sint duo, qui idem nomen sortiti sunt cum iis, qui in generatione carnali describuntur, puta Zorobabel, & Salathiel; nam etiam quidam in legali generatione appellatur Iuda, quem non ideo dicemus eundem esse cum Iuda illo, qui in carnali generatione narratur.

Qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Iuda, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham.

COMMENTARIA.

Communis est hæc descriptio cum Matthæo, vterque enim patres Dauid ad Abraham perduxit, Matthæus quidem descendendo, Lucas vero ascendendo. Legalis autem generatio in Dauid terminatur, qui tam generatione carnali, quam legali, licet per filios & nepotes diuersos, Pater fuit Christi secundum carnem; ab Abraham vero vsque ad Dauid sola naturalis generatio intercessit.

Qui fuit Thare, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit Enoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

COMMENTARIA.

Ab Abraham vsque ad Adam, & Deum perducitur generatio, cum Matthæus ultra Abraham non processerit. Recte autem Lucas generationem ad Adam, & Deum ipsum describit; cum enim à Christo se manifestante, & salutem iam hominum operante initium sumpserit, omnium meminit generationum, quia omnes ab eo saluandi erant, & sicut primus Adam omnes suo peccato infecit, ita hic secundus Adam sua iustitia omnibus remedium salutis attulit. Et quod Deus ipse, cuius Adam fuisse dicitur, in primo homine condidit; eum enim iustum, & sanctum, & sibi amicum fecerat; id Christus malitia dæmonis, & hominis arbitrio destructum, ac perditum reparauit, ac restituit. Sunt autem omnes computato ipso Iesu, & Deo, qui formauit Adam, septuaginta septem generationes; quibus, vt notauit Augustinus lib. 2. de consen. Euang. c. 4. omnium peccatorum abolitio per Christum significatur; hoc enim numero peccatorum vniuersitatem expressit Dominus Matth. 18. Non dico tibi septies, sed septuagies septies; immo & poena peccati indicata est Gen. 4. Vltio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Nec intelligas sic Adam fuisse Dei, vt cæteri dicuntur fuisse suorum parentum; hi enim filios naturali generatione de femina procreauerunt; Deus autem fecit Adam de limo terræ: illi non animas, sed corpora fecerunt; Deus autem etiam animam creauit.

ANNOTATIO LXI.

Quæ ratione Cainan à Lucas numeratur, qui nec in Hebræo textu nec apud Vulgarum reperitur.

Aduertendum est, nec in Hebræo textu, nec apud Hieronymum, nec apud Vulgarum Interpretem haberi Cainan inter Sale, & Arphaxad, sed solum Arphaxad genuisse Sale, vt patet Gen. 10. Septuaginta vero Interpretes, quos Lucas secutus est, eam generationem numerant. Quidam recentiores nodum sic soluunt, vt Cainan fuerit pater legalis Sale, Arphaxad vero pater naturalis, in Hebræo autem, & vulgato solus pater naturalis habetur. Hæc autem solutio nullius est efficacæ; nam Lucas dicit Sale fuisse Cainan, Cainan autem fuisse Arphaxad filium: medius igitur extitit Cainan inter Sale, & Arphaxad. Quidam alij recentiores etiam dicunt Sale fuisse binomium; appellatus enim est Sale, & Cainan. vnde sic legendum censent, Sale, qui & Cainan. Hæc autem solutio non est villo modo probanda, cum textum receptissimum corrumpat; omnia

enim exemplaria, & interpretes habent, Sale, qui fuit Cainan. Præterea est argumentum contra vtramque solutionem manifestum: nam Septuaginta in ordine generationum naturalium collocant Cainan inter Sale, & Arphaxad, & numerum annorum vitæ eius describunt Gen. 11. sicut & cæterorum. Minus etiam est probandum quod quidam dicunt, generationem hanc irrepsisse in Lucam, quasi ex Septuaginta ab aliquo sumptam, & Euangelio insertam. hoc autem vanum est, cum in omnibus exemplaribus habeatur. Quidam alij etiam ex recentioribus respondent, Lucam secutum esse Septuaginta, quia tunc temporis eorum versio maximæ erat auctoritatis apud Græcos præsertim, & alias nationes, at re vera superfluum esse talem generationem. Hæc autem solutio non mihi probanda videtur, nec video, qua ratione defendi posset; nam admittendum est necessario errasse Euan-

Euangelistam, & in Euangelio mendacium contineri, quod Catholicus nemo dicit. quo modo enim a mendacio, seu errore excusabimus Lucam, dicentem Sale fuisse filium Cainam; hunc vero filium Arphaxad, si re vera ita non fuit? nam dicere secutum esse Septuaginta, ad rem non facit; Euangelista enim nullius errorem, & mendacium confirmat. Adde quod fatendum esset, Doctores antiquos, qui septuaginta septem numerarunt generationes, & mytheria in hoc numero considerarunt, deceptos fuisse. Existimarem potius dicendum esse, in Hebraeo deesse illam generationem, quae re vera legebatur, & a Septua-

ginta conuerfa est in Græcum; non enim est credibile, Septuaginta non solum numerasse Cainam; sed etiam annos vitæ eius si non legissent in Hebraeo: legerunt ergo, & exemplaria illa ita habebant, nec nouum est illos alia etiam tunc legisse, quæ nunc non habentur vicio scriptorum, quod etiam in Vulgato dicendum est; credere enim debemus Euangelistæ id affirmanti, minusque periculum est dicere exemplaria Hebraica ea in parte non haberi perfecta, quam asserere in Euangelio errorem, seu mendacium, vel minimum reperiri.

ANNOTATIO LXII.

Quare Lucas vsque ad Adâ seriem generationis texerit.

Quare autem Lucas à Christo vsque ad Adam seriem generationum protaxerit, præter dictas in Commentario, sacri Doctores causas adserunt. Athanasius in Oratione in illud (omnia tradita sunt mihi à Patre meo) causam docet vnâ. Lucas, inquit, à filio Dei exorsus vsque ad Adam recurrit, vt ostenderet corpus, quod Iesus assumpsit, ab Adam originem trahere, qui à Deo formatus fuit. Irenæus lib. 3. c. 33. sic, inquit: Christus initium viuentium factus, quoniam Adam initium morientium factus est, propter hoc & Lucas initium generationis à Domino inchoans in Adam retulit, significans, quoniam non illi hunc, sed hic illos in Euangelium vitæ regenerauit. Hæc ille. Ambros. lib. 3. in Lucam, in fine, aliam adducit: Iam inquit, de ipso Adam, qui iuxta Apostolum figuram accepit Christi, quid pulchrius potuit conuenire, quam vt sacrosancta generatio à Dei filio inciperet, & vsque ad Dei filium deducere-

atur? creatusque præcederet in figura, vt natus in veritate sequeretur, ad imaginem Dei factus præiret, propter quem Dei imago descenderet? Hæc ille. Leo serm. 10. de Natiuit. Domini, sic inquit. Lucas Euangelista ab ipso Domini ortu seriem generis sursum versus retexuit, vt etiam illa sæcula, quæ diluuium præuenerunt, huic Sacramento doceret esse connexa, omnesque ab initio successionum gradus ad eum, in quo vno erat salus omnium, tetendisse. Hæc ille. Euthymius autem cur ad Deum vsque generatio perducatur, causam adhibet, dicens, quod à Christi inchoans humanitate sermonem reduxit ad eius diuinitatem, demonstrans Christum, vt hominem quidem incepisse, vt Deum vero carere principio. Hæc ille.

FINIS CAPITIS TERTII.



FRANCISCI CARDINALIS TOLETI IN SACROSANCTVM LUCAE EVANGELIVM COMMENTARII.

CAPVT QVARTVM.



ESVS autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane: & agebatur à Spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducauit in diebus illis: & consummatis illis esuriit. Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat. Et respondit ad illum Iesus: Scriptum est: Quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, &

ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum; quia mihi tradita sunt: & cui volo do illa. Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia. Et respondens Iesus, dixit illi: Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quod Angelis suis mandauit de te, vt conseruent te: & quia in manibus tollent te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Et respondens Iesus, ait illi: Dicitum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, vsque ad tempus. Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galileam, & fama exiit per vniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ propheta. Et vt reuoluit librum, inuenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, predicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, predicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, Et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cæpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus uestris. Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph? Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum: quanta audiuius facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait autem: Amen dico uobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico uobis, multa uidua erant in diebus Elie in Israel, quando clausum est celum annis tribus, & mensibus sex: cum facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidonia, ad mulierem uidua. Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta; & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat adificata, ut precipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis. Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius. Et in synagoga erat homo habens demonium immundum, & exclamauit uoce magna, dicens: Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? uenisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. & increpauit illum Iesus, dicens: Obmutescere, & exi ab eo. Et cum proiecisset illum demonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. Et factus est pavor in omnibus, & colloqueban-

sur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc uerbum, quia in potestate, & uirtute imperat im- mundis spiritibus, & exeunt? Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. Sur- gens autem Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis teneba- tur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam imperauit febrim: & dimisit illam. & continuo surgens, ministrabat illis. Cum autem Sol occidisset: omnes, qui habebant infirmos uarijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. Exhibant autem demonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Christum. Facta autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & uenerunt usque ad ipsum: & detine- bant illum ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euange- lizare regnum Dei: quia ideo missus sum. Et erat prædicans in synagogis Galilæe.

CAPVT QVARTVM.

Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane.

COMMENTARIA.

CHRISTVS semper fuit Spiritu sancto plenus, tamen post baptismum, & Spiritus sancti in specie columbæ descensum, Patrisque testimonium, dicitur Spiritu sancto plenus, ratione nostri; quia se mundo manifesta- re, & doctrina, ac operibus suis, quæ Spiritus uirtute edebat, homines sanctificare, & Spiritus sancti gratiam eis impartire incipiebat. qui igitur à principio conceptionis usque ad trigessimum ætatis suæ annum plenus erat Spiritu sancto in se, baptizatus iam uirtute eiusdem Spiritus prædicare, & miracula facere, & per hæc se prodere, credentibusque Spiritus sancti gratiam donare exordie- batur. Regressus autem à Iordane dicitur, quia baptismi suscipiendi gratia à Galilæa in Iordanem uenerat, quo suscepto reuertitur, facturus quæ Euangelista continuo describit.

ANNOTATIO I.

POSTOLI repleti Spiritu sancto Act. 2. & Diaconi illi electi Act. 6. pleni Spiritu sancto, ac Stephanus eodem Spiritu sancto plenus Act. 7. dicuntur, non sicut Christus; illi enim propter gratiam, & dona Spi- ritus sancti, & adhuc non propter integrum comple- mentum, sed propter abundantiam, & copiam eo- rum, pleni dicti sunt, amplius tamen repleti pote- rant: ac Christus tum propter diuinitatē ipsius Spi- ritus sancti, quæ sibi unita erat (nam eadem est Patris, & Filij, & Spiritus sancti substantia, & deitas) ple- nus dicitur, tum propter gratiæ, & donorum, ac uirtutum Spiritus sancti perfectam plenitudinem, ita ut maiorem non caperet, nec augmentum in eis sus- ceperet. Dicit quispiam, cum diuinitas sit totius Trinitatis una, & eadem, cur dicitur plenus Spiritu sancto, potius, quam plenus Patre, aut se ipso, qui

filius est? nam Act. 10. dicitur uictus Spiritu sancto, & Matth. 12. dicitur in Spiritu Dei eiecere dæmonia, & Luc. 10. dicitur in Spiritu sancto exultasse. Res- spondeo id dici propter tria. Primo ad significandum per eam diuinitatem, quæ sibi unita erat, humanita- tem eius esse sanctificatā, & consecratam, ut supra in c. 1. notauimus. Secundo, quia humanitas illa per unio- nē diuinitatis accepit plenitudinem donorum Spiritus sancti. Tertio, quia quæ docuit Christus, & fecit, in hoc tendebant, ut homines sanctificaret. Quæ omnia insinuat I. Ioh. cap. 1. in persona Christi Dei, & hominis loquens: Spiritus, inquit, Domini super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum, & mansuetis misit me. Nota causas, cur Spiritus san- ctus sit super eum: eo, inquit, quod unxerit me, san- ctificando humanitatem, & donis suis implendo, & eo quod miserit me, ad annunciandum mansuetis do- ctrinā sanctificationis, ut uerbis sequentibus explicat.

Et agebatur in Spiritu in desertum.

COMMENTARIA.

NON casu, aut temere, aut vi, nec tepide, sed consilio, ac proposito, & sponte, animoque feruentissimo, nostræque salutis cupidissimo, post baptismum, eodem Spiritu sancto, quo plenus erat, ductus est in desertum; sciebat enim, quæ ibi futura erant, & ob ea ipsa Spiritus sancti uirtute, & consilio uolens uenit in desertum, ibi- que commoratus, eo duce, & comite operabatur; non tantum enim Spiritu ductus est in desertum, sed etiam in id ingressus eodem Spiritu agebatur, non in vno solo permanens loco. recte autem cum hoste congressurus, & salutem hominis operari, incepturus desertum petit. Hoc quidem, ut dicit Ambrosius, quasi hominem quærens, qui à Paradiso eiec- tus in huius sæculi desertum expulsus fuerat; illud au- tem

Quare Chri- stus Spiritu sancto plenus dicitur.



tem, ut dicit Chrysostomus hom. 13. in Matth. quia tunc maxime diabolus contra aliquos imminet, cum solos, atque ab aliis segregatos uider. Illud (in) Hebraismus est; solet enim casui instrumenti præponi.

ANNOTATIO II.

NONnulla sunt in præcedenti sententia notan- da. Primo quidem per Spiritum, quo Do- minus agi dicitur, intelligi Spiritum sanctum, ut Hilarius can. 3. in Matth. Chrysostomus hom. 13. in eundem, & Greg. hom. 16. in Euang. & Hieronym. Matth. 4. affirmant; idemque docet Athanasius Epist. ad Serapionem, Spiritum sanctum non esse creaturam, ubi tradit regulam, nempe quando in Scriptura ponitur Spiritus sine additamento, ueritatis, aut filij, aut paraclæti, aut sanctus, aut sine articulo, sed nude, & simpliciter dicitur Spiritus, tunc si quæ præcesserūt, sunt de Spiritu sancto, debet etiam Spiritus intelligi de eodem Spiritu, allegatque hunc locum Lucæ, ubi Spiritus sine adiectione scribitur, quia uero, quæ præ- cesserūt, de Spiritu sancto sunt; dictum enim est, ple- nus Spiritu sancto, consequenter etiam hoc uerbum Spiritus de eodem intelligendum est, nempe eodem Spiritu agebatur Christus, quo plenus dictus est. uerū quidem est, Græce haberi cum articulo, agi batur illo Spiritu, qui articulus etiam Spiritum sanctum indicat, & in hoc loco emphaticus est. Secundo, tres Euange- listæ huius rei meminere, & diuersis uerbis uelunt, Matth. cap. 4. ductus, inquit, est Spiritu in desertum. Marcus cap. 1. Expulit eum Spiritus in desertum, Lu- cas noster, agebatur Spiritu in desertum. quæ uerba in- terpretes pro eodem accipiunt, cum reuera sint di- uerſa, & diuersum sensum faciant, & omnia tria si- mul legenda. Christus quidem Spiritu sancto a turbis, quæ eo loco, quo baptizatus est, aderant & à cōuerſa- tione hominum, quam prius habuerat, sequestratus est in locum solitariū deserti. & hoc Matthæus significa- uit, ductus inquit est. uerbum Græcū significationem magis explicat ἀνελθὼν, id est, subductus est, & seque- stratus. Præterea non solum sequestratus est a turbis, & hominum cōuersatione; sed magna Spiritus effi- cacia, quasi iam nouum statum, & modum uiuendi exordiens, & hostem, contra quem pugnaturus uenerat adoriens, & ad bellum se accingens uenit in desertum. & hoc exprimit Marcus: expulit, inquit, eum Spiritus, quod non uolentiam sed efficaciam Spiritus insolitam, quasi impetum, & fortitudinem, quibus hostem aggrediebatur, significat. quod etiam uer- bum indicat, Christum exposuisse se tentationibus Diaboli, totis ipsius uiribus, & arte tentandum. Nos

Concordiam Euangelistarū superiora uer- baturiscentiū.

quidem ut dicit Augusti lib. 20. Ciui. cap. 15. tentat demon, non quantum potest, sed pro uiribus nostris, & Christum tentauit, quantum ipse Dæmō potuit; ideo dicitur, expulit eum Spiritus in desertum. Præterea eo tempore toto, quod in deserto consumpsit; eodē Spi- ritu ducebatur, & gubernabatur, & operabatur, non in vno loco permanēs, sed huc illucque per desertum permeans, & hoc indicat Lucas: agebatur, inquit, in deserto, quod Cyprian. lib. de ieiunio recte inter- pretans dicit, desertum Christum ingreditur, ibi suo, id est, Spiritu sancto duce, & comite cōuersatur. Hæc ille. Nō ergo solum motum in deserto hoc uerbum significat, sed etiam ductum Spiritus sancti, quo toto illo tempore ducebatur, quod in deserto insumpsit, si- ue orando, siue ieiunando, siue cum hoste pugnando, omnia hæc Spiritu sancto duce, & comite operabatur; ideoque positum est imperfecti temporis, quod dura- tionem significat, quasi toto illo dierum tempore Spi- ritu ageretur. quo etiam uerbo usus est Paulus Ro- manor. 8. qui Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt; Christus enim, ut homo dicitur agi Spiritu sancto. Tertio multis de causis Spiritu duci, & agi in deser- tum dicitur. Primo quidem, quia non ignarus, sed cōsilio ducebatur, ut dicit Ambrosius. Secundo, ut in- quit Hieronymus Matth. 4. quia non inuictus, aut cap- tus, sed sponte, & libere uenit. Tertio, ut dicit Hila- rius can. 3. in Matth. quia non aliter tentasset eū Dia- bolus, nisi Spiritus sancti facultate permisso. Quarto, ut dicit Chrysostomus hom. 13. quia hominēs non debent tentationibus se committere, sed immisiam sus- tinere: at Christus sciens se tentandum, ipsum aggre- ditur hostem, quod non feret, nisi peculiari Dei uo- luntate ideo Spiritu sancto ductus, & actus dicitur. Quinto, ut significet, non posse uinci tentationes, nisi Spiritus sancti uirtute. Ultra has causas, quæ commu- nes sunt, propria quædam est, quia exordiebatur salu- tem hominum operari, & munus Redemptoris exer- cere, ac non iam communem hominem, sed filium Dei agere, propter quod Spiritus sanctus specie colūbæ in baptismo super eum manserat, idcirco Spiritu sancto agi, ac duci dicitur; opera enim superhumana, & ce- lestia erant, quæ à Spiritu sancto tribuuntur, quia per ea sanctificati sumus.

Christus multis de causis Spiritu sancto duci, & agi dicitur.

Diebus quadraginta.

COMMENTARIA.

TEmpus signat, quo per desertum agitabatur Spiritu sancto, quadraginta, inquit, diebus; eum enim dierum numerum Christus ieiunio suo elegit, quem Moyses, & Helias obseruauerant, demonstrans, ut notauit Augustinus epist. 109. cap. 15. ad Ianuarium, Euangelium non aduersari legi, & prophetis; in persona quippe Moyſis, lex; in persona Helia, prophetæ representantur; inter quos in monte gloriosus appa- ruit, ut euidentius fieret, quod de illo dicit Apostolus, testimonium habens à lege, & Prophetis.

ANNOTATIO III.

IN exemplari Græco ambiguus sermo est, an hic dierum numerus connecti debeat antecedentibus, nempe agebatur in deserto per dies quadraginta, nam non habetur particula (&) nec est uerbum (ten- tabatur) sed participium passiuum, quasi Latine dice- remus, agebatur in spiritu quadraginta diebus tenta- tionem à diabolo patiens, sicque fit ut dierum nume-

Sententia hæc non sequenti sed præcedenti est connectenda.

rus antecedenti uerbo, aut sequenti participio copu- lari possit. Origenes hom. 29. & Euthymius partici- pium coniungunt, quasi Euangelista significare uellet, his omnibus diebus tentatum esse; uulgatus uero in- terpres coniunctione illa (&) interposita dierum nu- merum antecedenti connectit; sic enim habet ageba- tur in spiritu in deserto quadraginta diebus, & tenta- batur.

tabatur à diabolo, eaque lectio amplectenda est, tum quia Marco cap. 1. concordat; ait enim: erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana: tum quia si coniungamus sequenti, significatur hoc spacio quadraginta dierum tentatum esse Christum, quod in sequenti Commentario, & Annotatione verum non esse ostendemus: tum demum, quia cum sit sermo ambiguus in exemplari Græco, Vulgati auctoritas est plurimi facienda. Quod autem ad numerum hunc quadragenarium spectat, multa Scripturæ exempla congregant Hilarius can. 3. in Matthæum, Ambrosius in præfenti, Au-

Et tentabatur à Diabolo.

COMMENTARIA.

DUO sunt, quæ in deserto de Christo facta sunt, & agebatur spiritu quadraginta diebus, & tentabatur à Diabolo. non quod simul hæc fuerint, sed quod consequenter; post illud enim hoc gestum est; quæ duo Evangelista distinctius enarrat. Tentatur autem, quia ipse voluit, non ut nos, qui tentamur etiam inuiti; ideo enim rogabat Paulus ter, ut ab eo Satanæ Angelus discederet. quod si volens tentatus esset, non utique à tentatione liberari rogasset. Sicut autem Christus baptizatus est, ut homo, & agebatur, ut homo in desertum, ita etiam tentatur, ut homo.

ANNOTATIO IIII.

Origenes hom. 29. in Lucam connectens numerum dierum quadraginta sequenti verbo abiq; vlla coniunctiva particula, affirmat Christum his diebus multas, & graues passum esse tentationes à diabolo præter illas tres, ab Evangelistis Matthæo, & Luca narratas; illas autem forte silentio prætermittas dicit, quia maiores erant, quam ut litteris crederentur, & si sic, inquit, oportet dicere, sicut mundus capere non poterat libros, si scripta fuissent, quæ fecit, & docuit Iesus; sic quadraginta dierum tentationes, quibus tentatus est Dominus à Diabolo, mundus ferre non poterat, si Scriptura docuisset. Hæc ille. huic sententiæ accessit Euthymius Matth. 4. Marcus, inquit, & Lucas dixerunt, quod etiam in quadraginta diebus tentabatur, ut manifestum sit, quod in illis quidem ipsum à longinquo tentabat, nempe per somnum, per tristitiam, per ignauiam, & similia: postquam autem ipsum esurire cognouit, iam prope, & manifeste appetiuit, idque per vitium fami conueniens, putata per gulam. Hæc ille. Verba autem Græca Evangelistæ impulerunt Origenem, & Euthymium in hanc opinionem: nam dicitur, agebatur quadraginta diebus tentationem patiens, quasi his diebus tentatus fuerit: idque placuit nonnullis recentioribus, nec aduertunt ex verbis illis id non deduci; nam Lucas prius narrat in genere, quæ gesta sunt in deserto, nempe actum esse spiritu quadraginta diebus, & tætarum, postea vero, quæ in genere dixerat, speciatim, & distincte explicat, dicens, illis diebus nihil mâducaffe, neque bibisse, & post eos dies esurisse, & tunc tentatum esse, non quod sit hæc tentatio distincta ab illa prius narrata, sed quod, quæ confuse prius scripserat, clarius explicet, & edisserat, cui sensui multum fauent verba Marcæ, inquit, in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentatur à Satana, quibus verbis tentationes, quas cæteri Evangelistæ scripserunt, significauit in genere, nec ad illas sigillatim describendas descendit. Matthæus autem solum

ANNOTATIO V.

Matthæus vnum consideratione dignum narrat, quod Lucas omisit; dixit enim: ductus est Iesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. particula (ut) eo loco finem quandam, & intentionem indicat, quasi ea intentione, & fine in deserto ascenderit Christus, ut occasionem tentandi

gustinus Epist. 109. ex quibus constat numerum hunc mysteriis significandis fuisse à Deo electum, & sacratum; præter ieiunium enim Moyfis, & Helix, legimus totidem dierum numero aquas Abyssi fuisse effusas super terram; exploratam etiam fuisse terram promissionis; eodem annorum numero populus Dei per desertum ductus est; quadraginta dies præscripsit Ionas Niniuitis ad penitentiam, totidem diebus Christus mansit post resurrectionem in terra, priusquam ascenderet. his & aliis exemplis constat numerum hunc mysteriis significandis accommodatum. lege causam apud Augustinum in Epist. citata.

eadem distincte narrauit, Lucas vero vtrumque complexus, & prius in genere, & postea distincte, & in specie expressit. Est etiam communis sententia Patrum, Christum non fuisse tentatum, nisi postquam quadraginta diebus ieiunij elapsis, esuriit. Cyprianus, de ieiunio, sic inquit, forma ieiuniorum proposita, fixoque exemplo, postquam dierum quadraginta abstinentiam Dominus consummauit, Satan cū esurientem videret, accessit, retroactum tempus obtinuerat quietes, & secum silentij sera opus illud eximium Saluator exegerat; modo oblata famis occasione tumultuator de latebris prodiēs egreditur, & subdola professione quasi compatiens ei, subuenire periclitanti naturæ hortatur. Hæc ille. Vbi vides toto ieiunij tempore non fuisse Christum tentatum. Hilarius etiam can. 3. in Matth. non erat, inquit, à Deo diabolus, sed à carne vincendus, quam utique tentare ausus non fuisset, nisi in ea per esuritionis infirmitatem, quæ sunt hominis, recognouisset, quam in eo sentiens ita orsus est, si filius Dei es, &c. Hæc ille. Vbi causam etiam docet, propter quam quamdiu ieiunauit, ante esurientem tentatus non est. Chrysostrmus hom. 13. in Matth. sic habet. considera, quanta ad eum astutia, & malitia accedat, quodue præcipue tēpus obseruet; non enim ieiunantem adit, sed esurientem, ut scilicet hæc discas, quam sit bonum grande ieiunium, & quia hæc aduersus diabolum arma sint maxima. Hæc ille. Idem docet Ambrosius lib. 1. de Cain, & Abel cap. 5. vbi primam tentationem factam à Diabolo Christo asserit fuisse gulæ, quando dixit, dic ut lapides isti panes fiant. prima autem non esset si spacio dierum quadraginta eum tentasset; hæc enim facta fuit cōsummatis illis diebus, quando esuriit. Hanc patrum sententiam ratio ipsa confirmat: nam tentationes illæ, quas Euthymius enarrat, fieri non possunt, nisi Diabolo interiis tentante, quod in Christo non esse factum dicemus in Annotatione 7. sequenti.

Diabolo daret. sic interpretatur Ambrosius. consilio, inquit, ductus est in desertum, ut Diabolum prouocaret. Idem sensit Chrysostr. hom. 13. in Matth. notans, quod diximus in cōmentario, propterea eum dictum esse ductum à Spiritu sancto, quia humanae solius voluntatis non est se ingerere tentationi, sed immittam;

sustinere, Christus autē Deus, & homo suo ducebatur Spiritu in desertum, ut ibi cum hoste congressus de eo reportaret victoriā, quæ sibi erat certissima, & cognita. tentari autem voluit sponte quidem, sed multis de causis, primo ob cautelam nostram. hæc causam docet Ambrosius, ut ostenderet, inquit, nobis Diabolum ad meliora tendentibus inuidere, & tunc magis esse cauendū, ne mysterij gratiam deserat mentis infirmitas. Secundo ob institutionem nostram, de qua sic scripsit Chrysostrmus hom. 13. in Matthæū, occasione Diabolo adeundi præbet, ut prius ipse cōgressus, quomodo ab aliis etiam vinci possit, ostēderet. Sic etiam faciunt Athletæ, qui cum discipulos suos vincere docent, data opera in palæstris cum aliis certamen exercēt, ut in luctantium corporibus faciant artem spectare vincendi, & modū, vique victoriæ adipiscendæ mōstrent. Hæc Chrysostrmus. Tertio propter victoriā nostram; sic enim Damasc. lib. 3. de fide c. 20. tradit dicens, tentatus est, at superauit, ut nobis victoriā cōpararet, naturæque nostræ frangendū aduersarij vim tribueret. Quarto propter Dæmonis confusionē, quod Cyprianus lib. de ieiunio docet dicēs, baptizatus non repēte ad signa, & miracula, & doctrinam vsus est potestate, sed interim auctoritatem continuit, & antequā notum se faceret mundo, exposuit se tētrandum Diabolo, non ut diuinitatis integritas probaretur, sed, ut tētoris confunderetur præsumptio, dum fame, & lassitudine post ieiunium veritas humanitatis pateret, quæ diuinitati associata omnino peccati sensu, & cōsentu careret. Hæc ille. Quinto Leo ser. 1. de Quadragesima, multas complexus causas sic scripsit: intelligamus, quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tato nos vehementius ab aduersariis impetendos: sed fortior est, qui in nobis est, quā qui aduersus nos est, & per ipsum validi sumus, in cuius virtute confidimus. Quia ob hoc Dominus se tentari à tentatore permisit, ut cuius munimur auxilio, eius erudiremur exemplo; vicit enim aduersarium testamentis legis, non potestate virtutis; ut hoc ipso, & hominem plus honoraret, & aduersariū plus puniret, cū hostis generis humani non solum quasi à Deo, sed etiā quasi ab homine impugnaretur, & vinceretur. Pugnauit ergo ille tunc, ut & nos postea pugnaremus; vicit ille, ut, & nos similiter vince-

remus. Hæc Leo. Quibus verbis indicat Christū tētari voluisse, ut dilceremus; quo magis saluti nostræ incubuerimus, eo magis ab hoste tentandos; post ieiunium enim Christus tētoratur. Præterea, ut sciamus nos maiorem habere virtutē illo, in Christo enim fortiores sumus Diabolo. Præterea artem docemur vincēdi, verbo legis, & fidei proposito, & inuolabiliter custodito. præterea, ut homo honoraretur, & Dæmō, dum ab homine vincitur, magis puniretur. Ut enim, inquit, Hilarius can. 3. in Matth. dignū nequitia, & scelere Diaboli erat, ut in eo, cuius morte, & calamitatibus gloriabatur, homine vinceretur. præterea non debere nos dedignari tentari, si ille tētatus est, & pugnavit, demū speranda nobis victoriā ab eo, qui illum pro nobis vicit. Hæc, & aliæ huiusmodi causæ à sacris Doctoribus traditæ sunt. Mihi autem vna videtur maxime ad rem facere, nimirum, cum ipse Christus esset Adam secundus, qui restaurare venerat totum, quod primus Adā euerterat, voluit initium salutis operandę facere, sicut ille peccatū, & ruinā exorsus fuerat. Deus hominem extra paradysum creauerat iustum, ac sanctū fecerat, & in paradiso collocauerat, qui intactus, & purus permanēs ab hoste tentatus decidit: Christus ergo baptizatus Spiritu super eum descendente illū indicat statum, in quo primus Adam creatus est: in desertum recedit, sicut ille in paradiso positus est, ieiunat multis diebus, sicut & ille sanctus quodam tempore permāsit, quo nec famem, nec sitim patiebatur; supererat, ut sicut illum hostis inuasit, sic Christus ab eodem hoste tentari se permitteret, ut quod ille tentationi succumbens perdidit, Christus tentatorem vincendo recuperaret. Hac igitur de causa tentari nunc voluit. Adde etiam aliud, quod ad hanc similitudinem magis facit: Adam in paradiso victus, expulsus est in hunc mundum à paradiso, vbi peccato subiugatus Dæmonis potestati relinqueretur: Christus vero in deserto victor existēs descendit inter homines, ut opera Diaboli dissolueret, & potestatem eius infringeret, & de eius manu homines eriperet. Hæc igitur est causa, cur non statim post baptismū Dominus signa, & miracula operatus est, sed prius in desertū recedit, & ibi cū Tyranno mundi congreditur, victoremque hominum humanitate superauit, ac vicit.

Et nihil manducauit in diebus illis.

COMMENTARIA.

QUADraginta illis diebus, quibus in diuersum actus est Spiritu sancto, ieiunauit, non sicut nos, qui semel in die cibum, & potum capimus; sed ille nihil cibi, nec potus accepit: nā, qui venerat sanare hominē, contraria morbo in se ipso suscepit medicamenta; hic enim cibo cecidit, & mortem contraxit; Christus autem abstinentia in vitā reuocare exorditur. mira profecto virtus, & laus est ieiunij, quod Christi prædicationi, & functioni muneris sui initium fuit.

Et consummatis illis postea esuriit.

COMMENTARIA.

POST quadraginta dierum, & noctiū ieiunium esuriit, non quidem, ut nos esurire solemus, coacti, aut nolētes, sed volēs; voluit autē, ut hostē prouocaret ad pugnam, data ei, & oblata occasione tētandi; quem enim diuina virtute ieiunatē tētare non fuerat ausus, hunc esurientem, & infirmitatem nostram assumentem aggreditur.

ANNOTATIO VI.

QUADam nota occurrunt. Primo quidē ex Damasc. lib. 3. de fide c. 20. passiones naturales fuisse in Christo, & secundum naturā, & supra naturā secundum naturā erant, quia caro ipsius ea, quæ natura lia erāt, patiebatur; vere enim esuriit, sitiit, lassabatur, dolebat, timebat, tristabatur: supra naturā autē erant, quoniā ea in Christo voluntariē non anteuertebāt; nec enim quicquā coactū, aut necessariū, sed omnia voluntaria erāt, & volēs fame, volēs siti, volēs metu, volēs morte affectus est; idē dicit Hilarius can. 3. in Mat. cū esu-

riit, inquit Dominus, non inedia subrepsit operatio, sed virtus illa, quadraginta dierū non mota ieiunio, naturæ suæ hominē dereliquit. idem etiā dicit Chrysostr. homil. 5. ex variis locis Matthæi: Non, inquit, necessitate, sed voluntate Dominus esuriit, ut ad huiusmodi tentationē Diabolū prouocaret. prius ergo sustentabatur diuina virtute, ne esuriret; postea volens fuit carnem pati iuxta naturā suā. Secundo hanc esurientem Christus assumpsit, ut hostē prouocaret, & occasione tētandi ministraret, quod Hilarius loco citato asserit dicens: non

Quadragenarius numerus in Scriptura, Sacramentis refertus.

Relicitur sententia dicens, Christū per quadraginta dies, variis tentationibus à Demone fuisse vexatū.

Diuerse traduntur rationes ob quas Christus voluit à Diabolo tentari.

Quare esurire voluerit.

je rat à Deo Diabolus, sed à carne vincédus, quã vtiq; tentare nõ ausus fuisset, nisi in ea per esuritionis infirmitatẽ, quẽ sunt hominis, recognouisset. Hinc soluitur dubitatio quãdã, quã cupiã suboriri posset, nã Moy ses ieiunauit quadraginta diebus, Exo. 34. similiter & Helias 3. Reg. 19. neutrũ tamẽ post id ieiuniũ esuriisse legitur. respondet Maximus hom. 3. in illis duobus diuinã virtutẽ tantũ ostẽdam fuisse, idcirco non dicitur esuriisse: at in Christo non tantum diuina virtus, sed etiam vera humanitas ostendi debuit cum infirmitate, vt hostis prouocaretur, quod non fieret, si post ieiunium non apparuisset esuries. Id etiam notarunt Hilarius can. 3. in Matth. & Ambrosius in præsentia, de Moy sis, & Helix ieiunio mentionem facientes. Tertio, Basil. in regul. breuior. respon. 75. tradit doctrinam quandam, per quam intelligere facile possumus, qua ratione Diabolus esurientem sentiens Christum, eum tentare aggressus sit; sic enim inquit: In vniuersum opinor Satanam non posse ipsum per se causam esse alicui, vt peccet, sed cum modo insitis vnicuique à natura motionibus, modo etiam interditi cupiditatibus, velut adiutricibus vtatur, per hæc ipsa eos, qui negligentiores sunt, ad propria vitia conatur abducere. Vtitur autem ille quidem adiutricibus secum naturalibus motionibus, sicut in Domino facere tentauit, quando esuriens illum animaduertens dixit; si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant; interditi autem cupiditatibus, vt in Iuda, quem, quod auaritiã morbo eum obnoxium esse intellexerit, huius ipsius cupiditatis opera vsus, auarum hominem ad scelestissimẽ proditiõis lapsum nummis triginta argenteis extimulauit. Hæc ille. in quibus perpende Dæmonis artem, passionibus quasi infirmi-

Demon quomodo tentat

tate nostra vtitur ad impugnandum, sicut hostis solet partem inferiorem aggredi ad expugnandum; qua parte enim hominem infirmum sentit, tentat, vt etiam Gregorius docet lib. 7. epist. 53. Christus ergo infirmari se passus est, artem Diaboli sciens, sicque non solum prouocat, sed etiam, velut arma ministrat hosti. Perpende etiam Christum passum esse motiones naturales hæc, quas adiutrices inimici appellat, sed non cupiditates, quæ vitia sunt, & quibus etiam vtitur Diabolus ad tentandum, vt fecit in Iuda, & in multis nunc facit, ad ea vitia prouocans perficienda, ad quæ sentit homines propensos. Hæc duo in hac Basilij sententia probanda sunt. quod vero ad hæc duo capita tantum, reducat Diaboli tentationes, quasi non tentet, nisi vtens motionibus nostris naturalibus aut cupiditatibus, non videtur omnino probanda; nam tanta est eius audacia, vt tentet perfectos homines, etiam si nec motionem naturalem, aut cupiditatem inuenerit, quod exemplo Christi manifestum est: nam tentauit secunda, & tertia tentatione de auaritiã, & ambitione, etiam non præuia vlla cupiditate, aut morione naturali, sicut fecerat in prima tentatione. quæ ergo Basilij dicit, frequentiora sunt, non tamen perpetua, sicque interpretandus est. Quarto, ex hoc verbo (esuriit) deducimus Christum, vt hominem fuisse tentatum, sicut vt homo esuriit, & ex esurie inimicus tentandi occasionem accepit. Hinc Origenes hom. 29. causam inuenit, cur Ioannes tentationem Christi mentionem non fecerit, cæteris tribus Euangelistis non tacentibus, respondet, quia Ioannes præcipue diuinitatem Christi docuit, & ab ea exorsus est; cæteri vero ab humanitate; tentatio enim nõ diuinitatis, sed humanitatis fuit.

Dixit autem diabolus.

COMMENTARIA.

N Vllam occasionem nocendi intermittit hostis, qui semper circuit, quærens quem deuoret; cum enim sensit esurientem Dominum, confestim accessit tentans. Non autem tentauit interius suggerendo cogitationes, aut excitando cupiditates, vt solet nobiscum facere, sed tantum exterius, verbis inducendo. Apparuit autem in forma visibili, ostendens quod non erat, & occultans quod erat.

ANNOTATIO VII.

T Enenda est Doctrina Damasceni, lib. 3. de fide c. 20. & Gregorij hom. 16. in Euang. nimirum Christum tentatum quidem fuisse, non vt nos; nos quidem tentamur à Diabolo non solum exterius verbis, aut factis, sed etiam interius, per immixtas cogitationes malas, aut excitate partis sensitivæ cupiditates, nobis etiam nolentibus; propter peccatum enim inferior pars inobediens est superiori, & Dæmonis incursum expositat; Christus nõ est tentatus interius, sed solum exterius verbis Diaboli suasiõis; in hoc enim similitudinem, inquit Damascenus, habuit cũ primo homine in paradiso posito, vbi exterius à Dæmone tetatus est, cuius ratio ea fuit, quia tũc temporis pars sensitiva obediens erat rationi, nec motio vlla oriebatur ratione inuita. cum autem Christus hanc in sua humanitate habuerit æqualitatẽ, non potuit interius, sed exterius tetari: nullã ergo cogitationem malã, nec prauam insurgentem cupiditatem Diabolus excitauit, sed exterius tantum tentauit, quod Euangelista significans

ait, Dixit illi Diabolus: quo argumẽto paulo superius reiecimus sententiam Euthymij, asserentis spacio dierum quadraginta Christũ passum esse tentationes interiores. Notat autẽ August. lib. 9. ciu. c. 21. Diabolum hunc, qui Christũ tentauit, fuisse ipsum Principẽ Dæmonum. cui sententiã fauet ratio, & auctoritas, ratio quidẽ, tum propter Christi insignem perfectionem, & sanctitatem, cui nemo alius accedere ausus esset: sunt enim Dæmones viribus inæqualibus, nec omnes idem possunt: tũ quia agebatur de principatu Diaboli euer-tendo; ad hoc enim venturũ Christum non ignorabãt Diabolus: Principi igitur ipsi incũbebat cõgredi cum eo, quẽ Christũ esse suspicabatur, nec alteri inferiori se tantũ committeret negotiũ. Auctoritas autem, quia ipsemet Dominus testimonium reddidit, Ioan. 14. venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquã, significans Principẽ ipsũ insurrexisse contra eum. Diabolus à Marco appellatur Satan. de vtroq; autem nomine diximus in commentariis in Ioannem.

Si Filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat.

COMMENTARIA.

N Ouerat Diabolus ex Scripturis filium Dei futurum hominem; cum autem audisset vocem patris prope Iordanem, de Christo dicentis. Hic est filius meus; simul etiam Ioannis testimonium, Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi; cumque nullum in eo peccatum deprehendisset, quod in omnibus deprehendere solitus erat; eum esse Dei filium, qui venturus promittebatur, suspicatus est. à perfecta vero credulitate illum auertebant esuries, ipsumque ieiunium, caroque cum cæteris hominibus commu-

Utrumque dicitur

communis. Non enim plane intelligere poterat, qua ratione Dei filius in ea carne esset, quæ ieiunio affligi, & esurire posset, cæterasque naturales huiusmodi motiones pateretur. Ambiguus ergo accedit, exploraturus diuinitatem, si filius Dei erat, aut prouocaturus ad gulam, si solum erat homo, sicque explorat, vt tentet, & sic tentat vt exploret, si filius, inquit, es Dei, dic lapidi huic, vt panis fiat, longo ieiunio te conficis, natura carnis deficit, ciborum nulla est commoditas: si ergo filius Dei es, qualem te Pater suo testimonio commendauit, dic lapidi, vt fiat panis, sicque tibi consulas. Existimabat Diabolus, Christum, si filius Dei erat, lapidem conuersurum in panem, quo facto diuinitatem illius deprehendisset, aut si tantum homo erat, auersurum se eum à proposito ieiunij, ac prouocaturum in appetitum inordinatum gulæ, quo cibum non opportuno tempore, nec modo conuenienti appeteret, quod intemperantiã erat. atque hæc est prima tentatio, qua eum esurientem inuasit. Est autem Diaboli in tentando artificium, facilia facit, quæ suadet: dic, inquit, facile enim est, quod solo fit verbo. Præterea faciliores partes in peccato perpetrando ipse accipit; suadet enim homicidium, gulam, & quid simile; ipse enim inducit, sed laborem, periculum, & cætera, quæ in peccato patrandò fiunt, homini relinquit, dic, inquit, vt lapis fiat panis, tu postea accipe, rumpe, serua, comede. Præterea non dicit dic lapidi, sed huic, quem ipse demonstrat; quia non tantum ad peccatum trahere conatur, sed etiam sub suo imperio, & principatu tenere.

ANNOTATIO VIII.

Vnde Diabolus suspicatus sit Christum Deum esse.

Q Uod ad verba spectat, Matthæus numero plurali vsus est, dic, vt lapides isti panes fiant; Lucas vero singulari, nulla tamen in hoc est pugnantia, numerus enim pro numero vsurpatur aliquando. Theophylactus existimat plurali vsu fuisse Diabolum, vt sic ad superfluos cibos excitaret; vnus enim panis satis erat. quidam alij pluralem pro singulari putant. quod vero ad rem ipsam spectat, multa explicanda occurrunt. Primo quidem loco illud est, quid induxerit Diabolum in suspicionem de Christo, quod filius esset Dei: Ad quod sacri Doctores varia respondent. Primo quidem Cyprianus serm. de ieiunio, dicit permotũ esse virtutis illius integritate, omni peccato carente, qualem neminem quantumcunque virum sanctum ille deprehenderat. Secundo in præsentia respondet inductum esse in eam suspicionem, quia nouerat ex Scripturis venturum Dei filium; dubius tamen erat quia non putabat per carnis infirmitatem venturum. Tertio, Hilarius can. 3. in Matth. docet ieiunio quadraginta dierum motũ esse, vt Dei filium suspicaretur. Postremo loco Chrysostomus hom. 5. in diuersos Matthæi locos, & hom. 13. in Matth. affirmat Diabolum in eam venisse opinionem propter Pa-

tris vocem in baptismo auditam, Hic est filius meus dilectus: simul etiam propter testimonium Ioannis, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nos in Commentariis multa conuinximus, quæ profecto conuenerunt; ex vna enim parte ex Scripturis nouerat filium Dei naturalem vëturum in mundum, futurumque hominem, vt dicit Ambrosius; si enim hoc non nouisset, verbum illud patris facile de filio quodam adoptionis insigni interpretatus fuisset, sciebat ergo filium verum Dei venturum. ex altera parte in Christo deprehendebat quãdam, quæ magnam ei ingerebant suspicionem illum esse, qui venturus sperabatur, nempe virtutis integritatem sine labe vlla, vt dicit Hilarius, & maxime testimonium Ioannis, vocemque paternam, vt recte dicit Chrysostomus. hæc omnia ipsum Diabolũ permoueant, vt putaret Christum filium Dei verum esse: at non plenum assensum præbuit, quia ieiunare eum vidit sicut Moyses, & Helias fecerant, qui homines puri fuerant. maxime autem esuries eum remouebat à perfecte credendo. Ambiguus igitur accessit, vt omnes præfati Doctores consentientes affirmant.

ANNOTATIO IX.

Quo sine Diabolus Christũ tentauerit.

S Econdo loco inquirendum est, quid Diabolus intenderit in hac sua tentatione prima. In qua re explicanda Doctores varij sunt. Primo quidem loco quidam existimant Diabolum tetasse Christum, vt ad peccandum induceret. in qua sententia est Gregorius Nazianz. orat. in laudem Cypriani, vbi de Diabolo loquens sic inquit: Nec Dominum quidem ipsum, à quo proffigandus, & contrucidandus erat, adorari dubitauit, eiq; qui nulli tentationi obnoxius est, tentationem admouit, quoniam eam Dei partem, quæ aspectu sentiebatur, Adamo similem esse videbat, quasi ipsum quoque deiecturus; neque enim fore suspicabatur, vt humanitatem aggressus in diuinitatem incurreret. Hæc ille. Idemque sentit in orat. in sanctum Baptisma. In eadem sententia est Basilij serm. de abdicatione rerum temporalium, vbi sic inquit: Qui primum parentem callida escæ obiectione ita malitiose vita spoliavit, & ite in Iesum eodem se modo supplantaturum sperauerat, nihil est, quod is vereatur, quin & tanto ausit confidentius tibi quodque primam malorum originem propinare. Hæc Basilij. consentit Cyprianus serm. de ieiunio, affirmans Diabolum tetasse prima hac tentatione Christum de gula. idem-

sensit Chrysostomus hom. 13. in Matthæum, vbi de hac tentatione loquens, inquit: Non vt crederet, hæc ille dicebat, sed (quantum opinabatur) vt ipsum infidelitatis argueret, siquidem ipsos primos homines hac arte decepit, eosque parum Deo credidisse arguit. Hæc ille. Idem sensit Gregorius hom. 16. in Euangelia asserens in hac prima tentatione Diabolum tetasse Christum per gulam, sicut & primum hominem. in quo videtur cum Gregorio, & Basilio, ac Cypriano conuenire. Idem dicit Euthymius Matth. 4. Chrysostomus autem de infidelitate tetasse dicit, quasi vt induceret, ne crederet voci paternæ, aut si crederet, vt testimonium aliquod virtutis ederet. Cõsentiant ergo tentasse, vt ad peccatum prouocaret; dissentiant autem in qualitate peccati. Secundo loco, quidam alij existimant tetasse ad explorandum, nempe, vt diceret, certusque fieret, an esset Dei filius nec ne. in qua sententia sunt Chrysostomus hom. 5. in diuersos locos Matthæi Hieronymus Matth. 4. Augustinus lib. 9. ciuit. cap. 21. & Leo serm. in 1. Domin. Quadragesimæ. Tertio loco Hilarius can. 3. in Matth. & Ambrosius in hoc loco, vtrumq; completuntur, nimirum tetasse, vt exploraret, & vt in pec-

eatum induceret gulæ . vt exploraret quidem diuinitatem eius , si filius Dei erat , aut vt prouocaret ad gulam si homo solum erat ; sic enim hos duos Doctores intelligendos existimo , non quod velint dicere Diabolum tentasse , vt ad peccandum induceret , etiam si filius Dei esset . Hæc sunt , quæ antiqui patres de hac difficultate sensere . Quarto loco quidam multo posteriores tempore existimarunt , Diabolum tentasse Christum ad peccatum , etiam si filius Dei esset ; putabat enim quem esurientem sentiebat , peccare etiam posse . Quæ autem mihi in hac parte probabiliora videntur , hæc sunt , nempe Diabolum accessisse animo explorandi diuinitatem Christi , simulque si ea non esset , inducendi ad gulæ peccatum . Moueor ad hoc existimandum non sola Hilarij , & Ambrosij auctoritate ; sed etiam hoc argumento ; si enim solum ad gulam induceret , non petisset , vt lapides faceret , sed potius panes ipsos obtulisset , & ad vescendum prouocasset ; hac enim via esurienti facilius persuadere poterat , vt comederet , quam lapides proponendo . Non igitur intendebat tantum ad peccatum inducere . Si autem tantum exploraret , non cibum seu panes peteret : hos enim proponens intendebat eum ad manducandum excitare , vt constet ex responsione , non in solo pane viuere homo : igitur vtrumque intendebat .

Auctoris sententia declaratur.

Quo modo Diabolus tentatione hac Christi diuinitatem explorauerit .

Tertio loco considerandum est , quale argumentum sit hoc , quo Diabolus diuinitatem Christi explorabat : si filius , inquit , Dei es , dic , vt lapides isti panes fiant . nonne potuit homo merus diuina virtute conuertere lapides in panes , etiam si non esset filius Dei ? maiora enim fecit Moyses , mirabilioresque effecit conuersiones , non tamen propter eas vllus dixit eum esse filium Dei . Hoc solum Pharaõ dixit , digitus Dei hic est , nempe virtus , & potentia diuina est , quæ per hominem operatur ; immo Dæmon ipse per virtutes naturales creaturarum , quibus vtitur , multa facit admiratione digna , vt constat ex operibus magorum Pharaonis . Respondeo duobus principijs inniti argumentum hoc , quo Diabolus vsus est . vnum est , Christum eam conuersionem non facturum , nisi diuina virtute ; cum enim ipse Princeps esset Dæmonum , facile sciebat talem non futuram opera Diaboli ; Nouerat etiam Christum esse virum sanctum , & innocuum , qui nullis magicis artibus utebatur : certum ergo erat illi , conuersionem , si fieret , futuram virtute diuina . Alterum principium erat , virtute diuina nullum fieri opus ad confirmationem falsitatis aliquius , sed in solius veritatis , & iustitiæ testimonium .

ANNOTATIO XXV.

Quarto loco cõsideratione dignum est illud , quod à multis prætermisum videtur , nempe an Diabolus hominem se finxerit in hac tentatione , an potius Angelum lucis . Pro explicatione huius difficultatis est summopere aduertendum , Diabolum in hac trina tentatione progressus quosdam in sua malitia ostendenda fecisse . Primo quidem non est ausus Christo accedere , nisi quando esurientem nouit , eaque infirmitate carnis quasi adiutrice vsus est , sine qua accedere non erat ausus . Præterea de minori tentauit peccato , nempe de gula , hominem etiam se finxit , qui quandam compassionem simulans , & quasi esurienti se compati ostendens , vt recte dicit Cyprianus serm. de ieiunio , naturæ periclitanti subuenire hortatur , dicens : si filius Dei es , dic lapidi , vt panis fiat , sicque explorat , & tentat . At vero Christum videns licet tentationi non succumbentem , tamen aditum ad tentationem non recusantem , victus quidem , sed audacior factus est , & impudencior ; sub specie enim Angeli lucis accedit , & ad grauius peccatum subdolat te prouocat ; grauior enim est vana gloria , & ambitio , & Dei têtatio , quam gula . hoc ergo in secunda tentatione exhibuit ; vt enim paulo post dicemus , nisi An-

gelum se ostendisset , nõ assumpsisset Christum in Templi pinnaculum , quod facere nõ poterat , nisi se Angelum manifestasset , non quidem qualis erat , sed fingendo se lucis , cum esset tenebrarum . Hoc autem eo probatur , quod Christus eum non reiecit ; si enim se Satan esse demonstrasset , vtique Christus eum amplius ad têtandum non admisisset , sicut in tertia tentatione factum est , in qua audacissimus factus Diabolus , iam sibi persuasus , Christum nõ esse filium Dei , aperto Marte accedit , & se Satanam significans , ad grauius peccatum idololatriæ prouocat allecramento auaritiæ , idcirco aperte etiam exploditur , & expellitur . Hic est progressus têtationum . Primo quidem in manifestatione ; paulatim enim se magis manifestauit . Secundo in audacia , quia qui à principio motione naturali , tamquam adiutrice vsus fuit , postea nulla ad tentandum infirmitate , aut cupiditate se adiuuat . tertio in malitia , quia ad grauius peccatum semper prouocat . Rursus , primo hominẽ , secundo Angelum lucis se simulat , tertio se Satanam ipsum , & principem Dæmonum prodit ; his enim tribus modis solet etiam homines tentare , quos Christus in se experiri voluit , qui venerat propter nos Diabolum debellare .

nium . ex hoc deducebat ille , si conuertit lapides in panes , sine dubio filius Dei est , quia opus hoc erit Dei ipsius , & in testimonium , quod ipse sit filius Dei : vel ergo non faciet , vel si facit , erit vere filius Dei ; nam Diabolus sub hac conditione , & in huius testimonium petebat miraculum hoc , nempe quod ipse esset filius Dei . Perpende autem artificium eius , non enim dixit , cum esurias , dic , vt lapis iste panis fiat ; ex hoc enim etiam si faceret , nihil explorabat Diabolus ; nam purus homo diuina virtute id facere potuit ; sed si filius Dei es , quasi hoc miraculo confirmari id peteret . Præterea , eadem de causa , non dixit , filius Dei es . dic , vt lapis fiat panis ; nec enim ex hoc illud colligebatur , sed vsus est conditione , si filius Dei es ; hoc enim significabat conuersionem futuram in testimonium diuinitatis . Eodem etiam verbo inducit ad faciendum , quasi diceret , si tantus es , quantus prædicaris , & Deus testatus est de te , nõ permittas hanc tantam dignitatem obscurari , aut inutilem esse , fac panem ex lapide , quo & tibi consulas , & tuam ostendas diuinitatem . hæc est huius argumenti , & tentationis efficacia .

gelum se ostendisset , nõ assumpsisset Christum in Templi pinnaculum , quod facere nõ poterat , nisi se Angelum manifestasset , non quidem qualis erat , sed fingendo se lucis , cum esset tenebrarum . Hoc autem eo probatur , quod Christus eum non reiecit ; si enim se Satan esse demonstrasset , vtique Christus eum amplius ad têtandum non admisisset , sicut in tertia tentatione factum est , in qua audacissimus factus Diabolus , iam sibi persuasus , Christum nõ esse filium Dei , aperto Marte accedit , & se Satanam significans , ad grauius peccatum idololatriæ prouocat allecramento auaritiæ , idcirco aperte etiam exploditur , & expellitur . Hic est progressus têtationum . Primo quidem in manifestatione ; paulatim enim se magis manifestauit . Secundo in audacia , quia qui à principio motione naturali , tamquam adiutrice vsus fuit , postea nulla ad tentandum infirmitate , aut cupiditate se adiuuat . tertio in malitia , quia ad grauius peccatum semper prouocat . Rursus , primo hominẽ , secundo Angelum lucis se simulat , tertio se Satanam ipsum , & principem Dæmonum prodit ; his enim tribus modis solet etiam homines tentare , quos Christus in se experiri voluit , qui venerat propter nos Diabolum debellare .

Et respon-

Et respondit ad illum Iesus ; scriptum est .

COMMENTARIA,

Quem ad tentandum Christus admiserat , tentantem non arguit , aut reiecit , sed vincit ac superat , non quidem potentia diuinitatis , sed humanitatis doctrina , & sanctitate : nam se Dei filium non ostendens , quod Diabolus explorare venerat , Scripturæ testimonio eius tentationi resistit . vnde recte Ambrosius dixit : Diabolus sic explorauit , vt tentaret , sic tentauit , vt exploraret ; Christus autem sic vicit , vt falleret , sic sefellit , vt vinceret ; victus est enim Diabolus , quia nec nouit , quod explorabat , nec obtinuit , quod tentabat . Instruimur verbo Dei , quod voluntatem eius explicat , vincendum esse Diabolum ; tunc enim superatur tentatio , si in Dei voluntate constantes permanemus .

Non in solo pane uiuit homo , sed in omni uerbo Dei .

COMMENTARIA,

Respondet Dominus verbis sumptis ex Deuteron. 8. sensus autem est , non solo pane hominis vita conseruatur , sed quacunque re alia , quam Deus in hominis cibum destinauerit ; nam patres in deserto , non pane , sed manna pauic annis multis ; superfluous igitur est panis iste , quo me pasci suades . Verbum Dei appellat , rem , quæ à Deo in cibum destinatur , quæ non solus panis est , sed quod ipsi Deo placet , & alia quæ in cibum hominum condita sunt : nihil ergo certitudinis inimicus extorsit , sed dubius , incertusque dimissus est , nec obtinuit , vt Christus se proderet miraculo , nec vt intemperanter ad cibum properans obediret seductoris consilio ; sed exclusus est tentator , quasi superflua suggerens , & illusor est explorator , Christo nec prodente , nec negante se esse filium Dei . particula (quia) non causalis , sed declaratiua est .

ANNOTATIO XII.

Lucas breuius testimonium allegauit ; nam apud Mattheum dicitur , in omni uerbo , quod procedit de ore Dei , sicut habetur Deut. 8. dicitur autem uerbum procedere de ore Dei , res , quæ Deus in cibum , & victum hominis destinauit : tñ quia in cibum instituit ; tum quia eam uerbo creauit ; dixit enim & facta sunt . hæc enim sententiã protulit Moyses filius Israhel , quando in deserto cibo communi deficiente Deus ministravit illis manna , quo vescentes multis annis seruati sunt : dixit ergo eis , non solo pane , sed etiam aliis quibuscunque , quæ Deus in cibum destinat , uiuet homo , vitamque conseruare poterit . in Hebræo non habetur nunc (uerbo) sed dicitur (in omni , quod procedit de ore Dei) at Septuaginta , & vulgatus habent (uerbo) quos credendum est legisse illud in exemplaribus ; dicitur autem procedens de ore DEI , id est , quod Deus destinat , & ordinat in cibum , & sustentationem hominis . hæcenus , quæ ad litteram spectant , sint dicta . Quod autem ad sensum pertinet , hanc sententiã à Domino prolatam varie sacri Doctores interpretantur . Primo quidem Cyprianus serm. de ieiunio , Hilarius can. 3. in Matth. Ambrosius in præsentia , & Epist. 8. 2. Hieronymus Isa. 5. & Chrysostomus hom. 21. in Genesin per hoc uerbum spiritualem doctrinam intelligunt , qua pascitur anima , sicut cibo materiali corpus , voluntque Dominum respondere , non solum curam corporis habendam esse , sed præcipue animæ , quæ non pane , sed uerbo Dei pascitur . Hæc expositio mihi non uidetur satis accommodata : tum quia locus Deuteronomij , à quo

Vnde sumpta Christi responsio.

Patres diuersis modis superiora Christi uerba interpretantur .

Quare Dominus noluerit de lapidibus panes facere .

sumpta est sententiã , non de cibo spiritali , sed de materiali procedit , quale erat illud manna tum quia nõ uideretur ad rem facere ; sermo enim erat de esurie , cui non subuenitur doctrina spiritali , sed cibo materiali ; nec quia cibus corpori necessarius exhibetur , propterea cibus animæ negatur . Secundo igitur Chrysostomus hom. 12. in Matth. ad cibum corporis refert , sed uerbum interpretatur , non rem , aut cibum materiale , sed ipsum uerbum , & sermonem Dei , quasi diceret , non solo pane uiuit homo , sed Deus uerbo suo potest sustentare eum , sicut fecit cum Helia , & Moyse , quos sine cibo sustentauit quadraginta diebus solo uerbo , & uoluntate sua . neque hæc expositio apud me multum est accommodata : nam Moyses , & Helias non esurierunt in deserto illis quadraginta diebus , sicut nec Christus ; unde pari ratione , sicut illi , Christus uerbo , & uirtute Dei sustentatus est , at postea cibo materiali usi sunt illi , quando esurierunt : ita nunc Dæmon excitat Christum , ut sibi esurienti prouideat cibo materiali . si autem Christus respondisset , Deus potest me suo uerbo sustentare , sicut hæcenus fecit , dicere Dæmon posset , iam uideris hoc uerbo destitui , cum maxime esurias , unde cibo materiali tibi opus est . Tertio loco Euthymius uerbum interpretatur cibum , & rem quamcumque in hominis alimoniam institutam , quasi diceret , nõ est cur ad hoc me uerbas , vt ex lapidibus panes faciam , cum sint multa alia , quibus esurie subueniam . atque hæc expositio accommodatior uideretur .

ANNOTATIO XIII.

Sacri Doctores interrogant , cur Dominus noluit facere , quod Diabolus suggererat , cum posset illud efficere ? Multipliciter autem respondent . Cyprianus serm. de ieiunio , duas adfert causas . vna est quia Diabolus indignus erat propter malignitatem têtationis . Altera est , quia inutile erat tale miraculum .

Sic ille inquit , non erat digna responsione quæstio malignantis , nec opus erat , vt hoc facto infidiori innotesceret , quia nullo signo eius poterat inuidiam commutari , cuius incorrigibilem iniquitatem desperatio fugillauit . superfluum igitur erat ad suggestionem eius ibi nõ profutura miracula operari . hæc ille .

quod

Quod si obijcias, nō erat superfluum, cū esurienti sibi subuenire posset talibus panibus. Respondet Cyprianus esuriam illam Christi non fuisse necessariam, sicut nostram, vnde tandiu potuit tolerari, quādiu ipse voluit, nec per hoc natura deficeret. vnde subiūgit dicens, satis erat diligenter consideranti, quod esurientem, tibi non superabat appetitus, & desiderij motus defectio non esset, sed virtus; in nullo Christū aliqua coegit, aut dominata est ei necessitas, qui proprię moderamine voluntatis disposuit, & persoluit, quod exegit humanitas. sicut in ipsius voluntate fuit consecrare ieiunium; ita & in potestate fuit tempore opportuno sumere cibum, quod vtiq; nec consilio, nec ministerio Diaboli fuerat ordinandum, quia abstinentię, & refectiois penes ipsum erat & arbitrium, & facultas. Hęc Cyprianus, August. serm. 41. de verbis Domini, huius rei easdem fere profert causas, nimirum, quia tentator erat, & quia eo factō miraculo in eum crediturus, minime erat; sic enim inquit, non fecit de lapidibus panes; quā vtiq; sic potuit facere, sicut de aqua vinum, sed non fecit, vt voluntatem contemneret tentatoris, aliter tentator non vincitur, nisi contemnatur. Qui tanta poterat, quare istud nō fecit? lege, immo recole, quod audisti, qui fecit de aqua vini, quid addidit Euangelista, & crediderunt in eum discipuli eius non quid tunc fuerat Diabolus in eū crediturus? Hęc Augustinus, si dem appellat Augustinus hoc in loco charitate, & dilectione perfectam; hoc enim est credere in Christum, quam fidem Diabolus non potest habere, habet tamen fidem, id est, credulitatem.

quandam acquiram, qua assentit iis, quę negare non potest, de qua dicitur Iac. 2. Demones credūt, & contremiscunt. hęc tamen nullum fructum illi adfert, idcirco propter talem fidem noluit Christus miracula facere. Chrysostomus hom. 13. in Matth. huius rei adfert duas causas, vna est, vt nos erudiamur in nulla re Diabolo credere, etiā si vtile aliquid dicere videatur, & verum. Altera est, quia Diabolus non id petebat, vt crederet, quod intellige de fide perfectā dilectione, sicut diximus explicantes Augustinum. Isidorus Pelusiotus lib. 1. Epist. 76. reiecta quorundā causa duas adfert. Quod, inquit, lapides à Christo minime in panes conuersi sunt non ideo factum est, quod edendorum miraculorum tempus nondum adisset, quemadmodum maleferiati homines garrunt, sed quia petitio vana erat, & petitor dignus; Deus enim omnia cū ponderē, ac mēsurā, & necessitate largitur. vbi autem quod queritur superuacaneum est, illic quoque miracula edere prorsus intempestiuum est. Hęc ille. Hęc sunt, quę Patres tradidere, quibus adiūgenda est causa non minus præcipua; nimirum, ne si Diabolus eum nosset, impedimento esset, quo minus à Iudæis crucifigeretur, ne eius morte redemptio hominū efficeretur. vt enim inquit, Paulus 1. Corinth. 2. quam nemo principū huius seculi cognouit; si enim cognouissent, nūquam Dominū glorię crucifixissent, quę Pauli locum Ambrosius cum aliis patribus de Dæmonibus intellexit. de hac tamē re dicemus plura, quādo de passione, & morte Domini diuina fauete gratia tractabimus.

Iacobi.

1. Corinth.

Et duxit illum diabolus in montem excelsum.

COMMENTARIA.

Repulsus Diabolus auctoritate Scripturę, & propositi firmitate Christi, alia agredi via non desistit, & Christi patientia, ac humilitate audacior factus eum in montem excelsum duxit, vt ostensa mundi huius sublimitate, & gloria, dominationis vniuersorum pollicitatione animum eius ad grauissimum nefas committendum sollicitaret.

ANNOTATIO XIII.

Matthæus eo ordine, quo peractę sunt Christi tentationes describit.

Primo loco offert se difficultas de ordine tentationum harum, nam hanc secundam tentationem Matthæus loco tertio describit, quam vero tertio loco Lucas narrat, ille secundo loco ponit, in prima autem vterque contentit. Respondeo non esse vllam in hoc contrarietatem; non enim semper Euangelistę rerum ordinē in narratione obseruant, contenti res ipsas describere, quod Lucas noiter fecit, verum autem ordinem, quo gesta sunt hęc, seruauit Matthæus, vt ea sit prima, qua de lapidibus panes fieri Diabolus petiit, secunda, qua assumpsit eum in Hierusalem, & posuit super pinnaculum Templi, tertia, quę nunc scribitur à Luca, quando duxit eum in montem. Hunc ordinem probant Cyprianus serm. de ieiunio, Ambrosius lib. 1. de Cain, & Abel c. 5. ceterique patres, idque ipsa Euangelica verba confirmant; nam quando, in monte petiit Diabolus à Christo, vt se adoraret, Christus ipse aperit eum appellauit Satanam, atque eiecit; vade, inquit, retro, quod argumēto est hanc esse vltimam tentationem. Hoc idem ipsamet tētio comprobatur: nam in ea se ipsum Satanam manifestauit, & non ad explorandum, sed ad peccandum sollicitat igitur non potest post

hanc illa tentatio de templi pinnaculo collocari, quę ad explorandum etiam fuit, & in qua Diabolus adhuc se occultauit; si filius, inquit, Dei es, mitte te deorsum; non enim verisimile nedū probabile est, postquam se manifestum fecit, & exploratione se iam non indigere existimauit, iterū accedere cum dissimulatione, ad explorandum. Præterea Matthæus hanc tentationem describens dicit, assumpsit iterum eum Diabolus, quasi fuerit secunda assumptio præcedente prima, quando assumpsit in Templum. Lucas autem noluit, qui solum intendebat ipsas tentationes describere, & quo pacto testimonio Scripturarum eas Christus superauerit, ostendere, non multū curauit seruare ordinem rerum. Vnde nec narrauit illud (vade retro Satā) quia post hanc tentationem descripturam erat aliam, hoc autem verbum videbatur eius narrationis ordini aduersari. Sunt etiam, qui referunt in quibusdā antiquis exemplaribus etiam Lucam eundem ordinem seruasse, quasi vitio scriptoris ordo sit mutatus, id quod Ambrosij commentaria indicant, quę eundem ordinem cum Matthæo sequuntur.

ANNOTATIO XV.

Quaratione intelligatur Christus assumpsit super pinnaculum, & montem.

Secundo loco grauior occurrit difficultas, quę communis est secundę, & tertię tentationis, in vtraque enim dicitur Diabolus assumpsisse, seu duxisse Christum, & in Hierusalem, & in Templi pinnaculum, & in montem excelsum, quaritur igitur, quę fuerit hęc assumptio, & qualiter ductus dicatur Christus; sunt enim varia Doctorum placita. primo loco Origenes hom. 31. in Lucam, & Chrysostomus hom. 5. in diuersos

locos Matthæi, existimant Christum corporaliter ductum fuisse in Templi pinnaculum, & in montem, non tamen sic, quasi eum Diabolus rapuerit, & transportauerit, sed quasi eum monitu ad talem viam induxerit, ita vt ille præierit, Christus vero secutus eum fuerit, sicut homo ducit hominem in locum quempiam. Secundo loco Cyprianus serm. de ieiunio, tenet non fuisse motum hunc corporalem, sed tantum spiritualem,

Iem, quo vnus spiritu dicitur duci in locum remotum, quando cogitatione, & contemplatione illic est, seu illuc vadit. quo pacto Ezechiel, cum super fluiū Chobar federet, Hierosolymam in spiritu raptus edificat Ciuitatē, & metitur, murosq; ac templū inflatur, vt habetur cap. 43. sic nunc dicitur Christus, cum esset corpore in deserto, spiritu ductus in templi pinnaculum, & in montem excelsum, vt sic occasionem exhiberet Diabolo tentandi. Non autem ductus est in montem, aut templum à Diabolo, sed à proprio Spiritu, ipsemet enim suo Spiritu in vtrumq; locum venit. Hęc est sententia Cypriani. Tertio loco Hieronymus Matth. 4. & Chrysostomus in imperfecto hom. 5. corporalem motū interpretantur, sic autem, vt raptus sit à Diabolo, sicut Philippus ab Angelo transportatus est Act. 8. Spiritus Domini, inquit, rapuit Philippum, & inuentus est in Azoto: Angelus etiam similiter portauit Abachuc in Babylonem. Daniel. 15. ita nunc Christum portatum in hęc loca Hieronymus purat; & idem expressius docet Gregorius hom. 16. in Euang. Beda Luc. 4. & Euthymius Matth. 4. quamuis cum discrimine: nam Christus voluntarie id permisit. Quarto loco quidam recentiores existimant, per quandam visibilem oculorum elusionem Christum ductum in Hierusalem, & in montem, quasi Diabolus oculis eius representauerit species, quibus videretur sibi esse in templo, & in monte. hoc sibi isti persuadent, quia tentationes factas esse in deserto Euangelista dixerat. In hac autem difficultate mihi quidem sententia Cypriani dura valde videtur in eo, quod dicit Christum à proprio Spiritu ductum, non autem à Diabolo, cum tamen Euangelistę expresse dicant, Matthæus quidem, assumpsit eum Diabolus, Lucas autem, duxit eum Diabolus: negari igitur non potest Christum à Diabolo ductum, & assumptum. In eo etiam: quod dicit, spiritualem fuisse hunc motum, dura est, nam verba Euangelistę vix accommodari huic sensui possunt, & multo minus verba ipsa tentatoris, mitte te deorsum, non enim consulebat,

nisi descensum corporalem, nec erat cur in montem ductus esset, vnde regna mundi ostendi possent, nisi esset corporalis locus, & motus. Præterea non videntur hęc cogitationes Christo dignę, vt cogitaret se esse in pinnaculo templi, & in monte. Sententia autem recentiorum est improbabilis, & non minus dura, cum Euangelistę dicant, assumpsisse eum Diabolum, & duxisse in Hierusalem, & in montem excelsum, quę verba violente accommodantur oculorum illusionibus; nec argumentum eorum efficax est: nam tentationes hęc in deserto dicuntur factę, quia etiam si in pinnaculo, & in monte sint perfectę, inchoatę tamen fuerunt in deserto; multo ergo accommodatiorum sunt in hac parte sententię Origenis, & Hieronymi, inter quas probabilior, & accommodatior est Hieronymi, & Gregorij sententię: si enim illo pacto gestę essent, spacio multorum dierum opus erat, cum esset loca valde distāta, nec posset Diabolus inuenire causas apparentes, quibus Christum modo in pinnaculo, modo in montem excelsum duceret, vt illic tentaret. Dicamus ergo cum his Doctoribus, Christum permisisse se portari à tentatore Diabolo, nec est cur hoc abhorreamus dicere, vt recte notauit Gregorius: si enim ministris Diaboli se tradidit flagellandum, ligandum, & crucifigendum, quid absurdi est si dicamus ipsi Diabolo permisisse, vt se raperet in tēplum, & in montem ad tentandum: cum enim vidisset tentator semel Christum admississe tentationem, licet victus, audacior factus est, & maiora aggressus. Hoc tamen mihi videretur necessario iuxta hanc sententiam fatendum, nimirum, Diabolum in his iam non hominem finxisse (has enim transportationes homo nō posset facere, ideo non erat, cur hominem se fingeret) non tamen Diabolum se ostendit, sed finxit se Angelum lucis, imitans Angelos, qui similes fecerant assumptiones, vt tanto grauius tentaret, eoq; maiorem auctoritatem sibi conciliaret in suadendo, quo nobilioris naturę personam ostendebat, sanctioremq; se simulabat.

Sententia Hieronymi, & Gregorij ceteris præferenda.

Et ostendit illi omnia Regna Orbis terrę in momento temporis.

COMMENTARIA.

Satan appetitum Christi excitare tētat obiecti præsentia, hoc est enim eius artificium, & virtus, vt per proposita obiecta hominum animos aut excitet ad malū perpetrandum, aut auertat à bono prosequendo. Abutitur enim creaturis Dei aduersus ipsū Deum. In monte igitur Christo constituto, regna mundi breuissima tēporis mora ostendit, rerum ipsarum etiam longe distantium species vsq; ad oculos Christi perducendo, quibus etiā remota quasi propinqua viderentur. locorū ergo multitudinem, magnitudinē, speciositatem, gentium multiplicitem, cæteraq;, quę oculis exterioribus videri possunt, representauit. Sic enim sperabat affectum eius se posse trahere ad consensum peccati, vt in sequentibus explicabitur. Perpende autem Diaboli dolum, ostendit Regna, & gloriam eorum, sed non difficultates, pericula, dolores, cæteraq; huiusmodi, quę in eis acquirendis, & conseruandis sunt, proponit semper quod placet, vt alliciat; occultat vero quę displicere possunt, ne terreat. Recte autē regna ostenduntur ad alliciendū appetitum, nam bona terrena plūris fiunt, cum non habentur, & desiderantur, quam cum possidētur, vt sapienter docuit Gregorius hom. 36. in Euang. in momento autē tēporis bene ostensa dicuntur, quia tā breui tēpore durant, vt ostensa magis, quā data dicantur.

ANNOTATIO XVI.

Dvubitatio duplex occurrit. vna est, quid per Regna orbis terrę intelligendū sit. in qua re nulla esset cōtrouersia, nisi Origenes nimia quadā subtilitate sensum excogitasset hom. 30. nēpe Regna hęc esse Diaboli Regnū, quo per innumera, & multiplicia peccata regnabat in hominibus; dicit ergo Origenes Diabolū ostēdisse ipsi Christo, quo modo ipse regnaret, demonstrans innumerabiles homines, in quibus per diuersa scelera, & crimina principatū obtinebat.

Quā violentus autē sit sensus hic, nemo non videt, cui verba ipsa contradicūt: ostendit, inquit, Regna orbis terrę. rursus addit Matth. & gloriā eorū, vt intelligamus locutū esse de his terrenis Regnis, & eorū amplitudine, quę in hoc mundo, sūt quę solent animos hominū allicere, sicq; Hilarius, Hieronymus Ambrosius, Cyprianus, ceteriq; Patres intellexere recte autē (orbis terrę) adiecit, vt cæleste regnū excluderet. Al tera dubitatio grauior est, quo pacto Diabolus Regna hęc

terra Christo ostenderit, in qua soluenda varij sunt Doctores. Primo quidem Chrysostomus hom. 5. in secunda expositione in Mathaem, & Euthimius Math. 4. dicunt ostendisse indicando, & velut digito signando partes orbis terrae, in quibus Regna sita erant dicens, in hac parte est Regnum Romanorum, in illa vero Persarum, in ista Assiriorum, & puri modo de cæteris, sicut magnus quidam cosmographus solet facere, aut potest efficere cum quodam alio. Secundo loco Titus Bostrenus interpretatur non solum oratione, & verbo regna mundi delineasse, sed etiam delineata menti Christi, ut Diabolus opinabatur, impressisse. existimo Titum per mentem intellexisse imaginatiuam partem, quam speciebus rerum harum corporearum permouit, ipsiq. Christo omnia hæc representauit. Tertio loco Theophylactus aliter sensisse videtur, nempe oculis corporeis Regna hæc videnda obiecisse, ut in commentario diximus, & modo explicatius dicemus. Prima quidem opinio non videtur multum accommodata; nam si verbo, & signo Regna mundi omnia ostendisset, id in momento temporis non fecisset. præterea, quod magis urget, quia nec sic animi permouere poterat; multo enim minus audita, quam visa animos permouent. Præterea, quia Evangelista non dicit locutum fuisse quicquam, sed ostendisse, & postea dixisse, hæc omnia dabo; nihil autem locutus est in ostensione, immo Evangelista distinxit ostensionem à locutione. Ostensio igitur non illo facta est modo. Secunda autem sententia, qua parte dicit Diabolus oratione delineasse omnia regna mundi, eisdem argumentis, quibus prima, impugnari potest. Qua vero parte dicit menti impressisse species delineatorum, minus est probabilis: ut enim superius diximus, Diabolus non tentauit Christum interius, sed tantum exterius.

Tertia ergo sententia probabilior est, ut oculis exterioribus Christi representauerit Regna orbis terrae; hoc autem fieri potuit Dæmonis virtute, perductis speciebus rerum visibilibus ad loca vicina, & propinqua oculis Christi; si enim res distantes possent species diffundere suas in remotissima loca, utique in remotissimis locis viderentur. quod ergo virtute sua res efficere non potuerunt, nec possunt, id Dæmonis potentia fieri valet, sicut etiam experimur, vento flante versus nos, audiri voces, & sonos remotiores, & odores remotarum rerum percipi, quæ nisi à vento portarentur, utique non sentirentur. hoc idem facit Dæmon in speciebus rerum visibilibus, facitq. videri etiam remotissima. id ipsum virtute diuina effectum est multo perfectius cum Moyse Deutero. 34. quando Deus totam terram promissionis oculis eius representauit, ut videret eam è monte quodam ubi erat. Nec est necessarium, ut omnia Regna ita representata dicamus, ut nihil totius orbis remanserit, quod non fuerit ostensum: ut enim supra notauimus, in Scriptura vniuersalis sermo sæpe multitudinem significat, sicque præcipuas orbis partes, & Regna intelligere possumus ostensas fuisse. Mathæus addidit (& Gloriam eorum) non solum enim loca, sed pulchritudinem rerum, magnitudinem, gentium diuitias, & voluptates, cæteraq. huiusmodi, quæ animos pertrahunt, ostendit. quæ omnia vno verbo Lucas conclusit, dicens: ostendit omnia Regna. adiecit (in momento temporis) quia simul hæc omnia representauit, sic enim vehementius se prouocaturum appetitum Christi Diabolus sperabat; totum enim magis mouet, quam singulæ per se partes. Sicut etiam in malo, plura enim simul magis perturbant: nam ea de causa breui tempore in multis nocuit Iob.

Deutero. 34.

Auctor probat in hac re Scitètia Theophylacti.

Et ait illi.

C O M M E N T A R I A.

Regnorum multitudine, & gloria, ac amplitudine prius proposita, & ostensa, voluntatem postea sollicitat ad malum; hac enim conatus omnes Diaboli tendunt, si quando enim bonum temporale aliquod homini facere videtur, totum id in perniciem eius destinat, nimirum, ut ad peccatum pertrahat, non enim perstitit tentator in Regnorum terræ ostensione, sed statim serpentium suum venenum euomuit, ut inficeret, si posset. ait (inquit) illi.

Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum.

C O M M E N T A R I A.

Opinione, quam de Christi diuinitate hostis conceperat, deposita, pollicitatione omnium, quæ ostenderat, ad grauissimum idololatriæ peccatum prouocat, non iam hominem, aut Angelum lucis se simulans, sed se ipsum prodens: pollicetur autem potestatem vniuersam hanc, id est, ditionem, & dominationem terræ, & gloriam eorum, ut prospere, & feliciter dominetur. mendax fuit hæc falsa, & arrogans, & dolosa pollicitatio. Mendax quidem, quia, quæ pollicebatur, dare non intendebat; falsa, quia Regna, quæ pollicebatur, dare non poterat; arrogans, quia sua esse profitebatur, quæ non erant eius, sed Dei; dolosa vero, quia futurum pro præsentem commutat: dabo, inquit. adorari vult de præsentem pro spe recipiendi promissa, in futurum enim tempus differebat, quæ dare non poterat, ut sic sperantem accepto eò, quod tentator volebat, deciperet, ac confunderet, tempus enim præsens sibi Diabolus dari vult, quia futurum semper incertum, & quia eius fallacia in futurum delata non apprehenditur, nisi postquam hominem ad malum pertraxit.

A N N O T A T I O X V I I.

Origenes hom. 30. in Lucam hanc sententiam cum præcedenti longe aliter interpretatur, quam cæteri antiqui Patres; dicit enim Diabolus ostendisse omnia Regna terræ Christo, id est, qualiter in

hominibus per diuersa, & multiplicia peccata Dominetur, & regnet, hancq. dominationem ipsi promittit Christo, ea conditione, ut ipse Christus illi subdat, eumq. adoret. Verba originis hæc sunt. Osten-

Ostendit ei Diabolus innumerabiles hominum multitudines, quæ suo tenebantur imperio, & dicit ei: scio venisti, ut aduersus me dimices, & tollas de imperio meo, quos nunc subiectos habeo: nolo contendas, nolo nitari, ne habeas ullam in certando molestiam, vnum est, quod precor, procidens adora me, & accipe omne Regnum, quod teneo. Hæc Origenes. cui cæteri expositores merito aduersantur, ut diximus in expositione præcedentis sententiæ. Non enim de Regno peccati, sed de temporali loquebatur, ut & verba ipsa satis aperte demonstrant: sunt autem duo in hac Origenis interpretatione consideranda. vnum est in ea tentatione, quæ vltima ordine fuit, Diabolus non iam se occultasse, sed se principem Dæmonum prodidisse. quod quidem verum existimo, ut paulo superius diximus, & verba Christi comprobant, immo & ipsius tentatoris. Verba quidem Christi, vade, inquit, Satan, nunquam enim Christus eum reuelasset, nec se illum nouisse indicasset, nisi ipse prius se manifestasset, ne inde Diabolus illum esse filium DEI deduxisset; eaque de causa in prima, & secunda tentatione Christus dissimulauit cum illo, nec se eum nouisse indicauit, in tertia vero dixit vade Satan, quia ipse iam se manifestauerat. Verba etiam ipsius Tentatoris id probant, quia dixit, si adoraueris me, & hæc omnia tradita sunt mihi, & cui volo, do. quibus significabat se Principem huius mundi esse, de quo dictum est: venit Princeps huius mundi. in hoc recte dixit Origenes. Alterum dictum Origenis est, Diabolus nouisse Christum; dixit enim scio venisti, ut aduersus me dimices. Hoc autem non probat, imo omnino existimo contrarium, non solum non nouisse, sed deposuisse suspicionem, quam conceperat il-

lum esse DEI filium; cum enim vidisset Christum, nec lapides vertisse in panem, nec se de pinnaculo misisse, passumq. fuisse se bis ab ipsomet tentatore rapi, voluntatem Saluatoris putauit necessitatem, ut dicit Hieronymus, sicque iam sibi perluaferat Christum hominem esse purum. quod etiam ipsa tentatione comprobauit: numquam enim adorari ab eo peteret, quem sciebat filium Dei esse. in hac sententia est Hilarius can. 3. in Math. qui de hac tentatione loquens, inquit, gemina tentatio opinionem suspicionis excesserit. Quid est gemina tentationem excessisse, & superasse opinionem suspicionis in Diabolo, nisi quod ex eo, quod bis se tentari Christus permittitur, deposuit tentator in tertia tentatione suspicionem, quam ante conceperat, illum esse filium Dei. Non ergo hæc tentatio fuit ad explorandum, sed ad tentandum tantum. Scio Hieronymus affirmare in his tribus tentationibus, Diabolus hoc egisse, ut intelligeret, an Christus filius Dei esset, quod quidem est probabilis, quam quod dicit Origenes, nempe nouisse, & confessum fuisse, illum esse Christum. Si cui autem placet sententia Hieronymi, nimirum quod etiam hic tertius accessus fuerit ad explorandum, sicut & duo priores, tunc sic est dicendum, nempe Diabolus occulta inquisitione inuestigasse, quod prius aperte explorabat, dicendo, si filius Dei es; putabat enim eatenus Christum non se prodidisse, quia exploranti respondere noluerat: nunc autem cælat artem suam, Christumq. ad adorationem prouocat, & quæ ipsius sunt Regna, sibi vsurpat, sperans tanta iniuria illi illata eum commouendum, & ipsa commotione se proditurum. Sic factum est, ut simul exploraret, si filius Dei erat, si vero non erat, ad peccatum teataret,

Quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.

C O M M E N T A R I A.

In pollicitatione facta: (tibi dabo, & cætera) tacite significabat se posse dare; qui enim promittit se aliquid daturum, insinuat se posse illud implere, Huius ergo causam, & probationem tentator explicat, ut certitudinem pollicitationi adiungat, & efficacius suadet mihi, inquit, tradita sunt vniuersa hæc, in meaq. sunt posita voluntate, itaque cui volo, do, proq. arbitrio meo confero. Præcedens mendacium duplici mendacio confirmat, non enim ei vniuersa erant tradita, nec cui volebat dare poterat: sicut in principio cum primis hominibus mentitus est, ita & nunc; nam mendax est, & mendacij Pater. Non tamen adeo mentiri potuit, quin aliquid veritatis etiam inuitus confessus fuerit, ne dum nimium mentitur, omnem fidem à suis dictis auertat; dum enim dicit, tradita sunt mihi, fatetur tradentem, nempe Deum, creatorem vniuersorum, à quo sibi esse tradita mentitus erat.

A N N O T A T I O X V I I I.

Græce verbum est singulare, referturq. ad potestatem, nempe mihi tradita est potestas vniuersa, idem sensus est; mentitum autem esse Diabolus in hac sententia testantur Irenæus lib. 5. cap. 24. & Chrysostomus hom. 13. in Matth. & res ipsa aperta est. primo quidem, non tradidit Deus vniuersam hanc creaturam in manu, & potestate Dæmonis, Domini enim est terra, & plenitudo eius, & in manu eius sunt omnes fines terræ. licet permittat aliquando Deus Dæmoni aliquid facere in his creaturis; id tamen non facit iure aliquo sibi dato, sed ex diuina permissione, quantum Deus vult, & quomodo vult permittere. quod Augustinus lib. 3. Trini. cap. 9. probat illo facto Magorum Pharaonis, nam fecerunt quod maius erat, nempe serpentes, & ranas, non autem quod minus erat, nempe scyniphes, ut eo ostenderetur Dæmonem non aliud posse in creaturis, quam quod, & quantum permittit illi

Deus. tradidit etiam Deus hominem illi propter peccatum, non ut in illum plenum ius exerceret, sed quantum Deus determinaret, & permittit; non ergo vniuersorum ditio, & potestas illi tradita fuit. Secundo, non dat Regna, nec potestates terræ, cui vult; licet enim permittat illi Deus, ut malis vijs, & iniquis perducatur hominem ad terrenam aliquam dignitatem; id tamen, nec semper, nec ex potestate, sed ex permissione limitata Dei factis, Deus est, qui cui vult, dat Regna, Danic. 4. Cognoscant viuentes, quoniam excelsus dominatur in regno hominum, & cuiusq. voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituet super ipsum. & Iob. 34. qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. quo autem modo Diabolus dicatur Princeps huius mundi, & quis sit principatus eius, explicuimus in commentarijs in Ioannem cap. 12.

Daniel. 4.

Tu ergo

Tu ergo proci dens, si adoraueris coram me, erunt tua omnia.

C O M M E N T A R I A.

Postquam magnificauit res has terrenas, suamque potestatem iactauit, infert, ego cui volo do. ergo tibi dare possum, & quidem dabo, si tamen proci dens coram me adoraueris, diuinitatemque in me recognoueris. Perpende tentatoris artem; nouit enim quantum animi hominum ambitione, & terreni principatus cupiditate moueantur, idcirco huius pollicitatione summum scelus expostulat.

A N N O T A T I O XIX.

Græce non habetur illud (proci dens) προσκύνῃς, ad maiorem autem declarationem adiunctum est. προσκύνῃς significat uenerationem cum gestu corporis, nempe cum inclinatione, aut genuflexione, idcirco appositum est (proci dens) quasi dictum esset, si ante me te prostraueris uenerando me. Illud enim (coram me) est cum uerbo προσκύνῃς. Latine autem coniungitur cum participio (proci dens) nam interpres sensum obseruauit. Illud autem (tu ergo proci dens) Hebraismus quidam est, solet enim nominandi casus absolute poni, Latine dicitur: si tu ergo proci dens adoraueris coram me, erunt tua omnia. Hæc de uerbis dicta sint, quod uero ad sensum spectat, Cyprianus Serm. de ieiunio hanc tentationem dicit fuisse ambitionis, quæ est in honoribus, & glorijs appetendis, soletque hominum animos uolenter attrahere, qua etiam primum hominem tentauit, dicens: eritis sicut dii, scientes bonum, & malum. Ambrosius autem lib. 1. de Cain, cap. 5. addit fuisse ambitionis, & simul auaritiæ, nam in regnis etiam diuitiæ sunt. Est autem auaritiæ uehemens tentatio, soletque homines impellere in multa scelera, de qua illud est, quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? sunt autem uitia hæc dupl. coniuncta, ambitiosus enim, ut habeat, quæ pro honoribus consequendis, aut conseruandis dispergat, solet in cæteris auaritiæ indulgere, & supra modum diuitias appetere, & congregare, ac uidiq. colligere. Dubium tamen est, cum nullam in Christo cupiditatem inuenerit, quare cum ambitione inuasit, similiter & auaritia. Respondeo, Diabolum non agnouisse in Christo cu-

piditatem, quia non erat, tamen sciuisse illum esse insignem virum, & admirandæ sanctitatis super omnes natos, de quo Pater testimonium reddiderat præclarum, & nunquam auditum, quem Ioannes sibi prætulera. ex altera autem parte experientia nouerat huiusmodi homines, qui se tantis meritis onustos uident, facile cum ab alijs honore digni iudicantur, acquiescere, & proprio, ac alieno iudicio cadunt. idcirco eum tentare uniuersorum dominatione, quasi eum dignum honore iudicaret, ipsiusque iudicium expostularet, ausus est. Doctrina hæc est Cypriani, qui hanc tentationem ea ratione explicans, inquit, continentem, & humilem oblata aggreditur potestate, & ostensa mundi huius sublimitate, & gloria (quasi dignum sit tæx auctoritatis Doctorem, & insignium operum patratorem ignobili, & contemptibili schemate obumbrari) & dominatione uniuersorum, usque animum dignum honore sollicitat, & daturum se omnia pollicetur, si ei pro tanto munere gratias agat, & proci dens adoret tanti culminis largitorem. Solent uis virtutum huiusmodi præstigia se offerre, & testimonium religionis conscientia perhibent, cum ab alijs digni honoribus iudicantur, facile acquiescunt, & tam proprio, quam alieno fascinati iudicio a rectitudine coriunt, euerfaque cathedra mentis, humo fractis uerticibus colliduntur, repenteque & subito, quod multis erat partum sudoribus, ambitione irruente oblitteratum est, & turbini huius impetu auulsum est, quidquid antiquæ religionis labor meruerat. Hæc ille.

Et respondens IESVS, dixit illi, scriptum est.

C O M M E N T A R I A.

Eiusdem Scripturæ uerbo hanc repellit tentationem, ac uerbum Diaboli mendax, & iniquum uerbo Dei ueraci, & iusto conuincit, & destruit, filium quidem Dei non se prodens, humanitatis uero sanctitatem, & rectitudinem conseruans.

A N N O T A T I O XX.

A pud Matthæum ante Scripturæ testimoniū Christum dixisse legimus, uade retro Satan, & in quibusdam Græcis exemplaribus etiam apud Lucam habemus. quibus uerbis Christus Diabolum se ipsum prodentem nomine proprio repellit: uade inquit Satan, id est, DEI contrarie, qui quod Dei est, usurpare audes, adorari uolens, quod non creaturæ,

sed creatori est proprium. zelus Dei, quia de eius honore, & gloria agebatur, induxit Christum, ut in hac tentatione, quæ uelut ultima est, contra Diabolum insurgeret, quod in alijs non fecerat: non solum, quia in reliquis Diabolum non se prodiderat, sicut in tertia; sed etiam, quia in hac Deo ipsi detrahere est ausus, & adorationem Deo soli debitam sibi usurpare tentauerat.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias.

C O M M E N T A R I A.

Quid Diabolum petierit, Christi responsum ostendit: est autem sumptum ex Deuteronomij. 6. & 10. Dominus Deus solus adorandus est, eique soli est seruiendum petierat tentator diuinitati cultum, & prostrationem debitam: hanc autem non alteri, quam Deo cæli, & terræ Creatori exhibendam Christus responder, iuxta Scripturæ

ta Scripturæ præceptum. Adoratio ad exteriorem quandam uenerationem spectat; seruitus uero generale obsequium, & mandatorum complementum, totamque religionem continet.

A N N O T A T I O XXI.

Adoratio quid in Scriptura significet.

Verbum adorandi tam Latine, quam Græce, quo Christus respondet, illud idem est, quo Diabolum uisus erat, quodque quandam corporis humiliationem, & inclinationem in ueneratione significat, licet etiam uerbum hoc sit commune Deo, & hominibus; tamen usu communi Scripturæ, ut dicit Augustinus lib. 10. ciui. cap. 1. ad eam significandam usurpatur, quæ Deo exhibetur; hanc enim Diabolum sibi dari uolebat, nec est inconueniens ulli, quod in Deuteronomio, unde hoc testimonium acceptum est, legatur, loco (adorabis) timebis. nam Græce dicitur φοβηθήτη, quod timorem significat, & in Hebræo est etiam uerbum timendi. hoc inquam non est inconueniens: nam ut supra notauimus, timor in Scriptura pro cultu, & reuerentia accipitur. so-

lent enim, qui timent, gestu corporis inclinari iis, quos timet; Christus autem sensum obseruauit, usufque est uerbo προσκύνῃς quia têtator eodem etiam usu ante fuit in sua tentatione. Uerbum autem seruias, quod est Græce λαβέσθεις, etiam generale est, seruitutem, quæ hominibus exhibetur, etiam significans; tamen usu Scripturæ, & patrum, illam indicat seruitutem, quæ Domino supremo debetur, nempe Deo, qui absolute Dominus est supra omnes dominos. Nota autem duo uerba adorare, & seruire; nam duo alia præcesserunt nomina, nempe Dominus Deus, quia Deus, adorandus, quia Dominus est, ei summe seruiendum est, nempe recognoscendo eum supremum habere in omnem creaturam dominium.

Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi:

C O M M E N T A R I A.

REI ordine hæc tentatio secundum locum obtinet; adhuc enim ambiguus ex prima Christi uictoria tentator remanserat, quem ergo sub specie hominis non potuit decipere, sub Angeli lucis figura se, quod intendit, affecurum sperat. idcirco assumit eum, & celeri motu in Hierusalem transportat, supraque pinnaculum locum templi eminentissimum constituit, populi multitudine præsentem; factoque uerbo explorans, & tentans: nam in ipsa assumptione fuit exploratio quædam; existimabat enim tentator, si filius Dei erat, assumi se ab illo non passurum, eoque facto se deprehensurum esse filium Dei: Christo autem dissimulante, & transferri se patiente, ille uerbis tentare & explorare aggreditur.

A N N O T A T I O XXII.

Deceptus demon in hac tentatione.

Superius explicuimus hanc assumptionem fuisse corporalem, & quo pacto tentator in Angelum lucis se transfigurauerit: sunt autem nonnulla alia notanda. primo ex Chrysostomo homil. 5. in secunda editione in Matthæum, in duobus fuisse Diabolum in hac tentatione deceptum. prius est, quia existimauit Christum inuitum, & quasi non potentem resistere ei assumptum fuisse, qui tamen uerosponte patiebatur se assumi, unde in Domino non infirmitas, sed patientia fuit, sicut in assumente, non tam uirtus, quam superbia; immo uti supra diximus, hæc assumptio quædam exploratio erat, quamuis assumptio non omnino certum fecerat Diabolum, Christum non esse filium Dei. Posterius dictum est, Diabolum existimasse, Christum uideri à multis quando in pinnaculo Templi positus erat: ac reuera nemine uidebatur uisus ergo est tentator in assumptione hac. Secundo notandum est, hanc tentatio-

nem, sicut & primam fuisse non solum tentationem, sed etiam explorationem; propterea enim dixit tentator, si filius Dei es, ut explorares, an filius Dei es, quod si non erat, in peccatum inducere eum intendebat, quod peccatum Cyprianus serm. de ieiunio. & Gregorius homil. 16. Euang. affirmant fuisse uanæ gloriæ. Ambrosius uero lib. 1. de Cain cap. 5. & Luc. 4. dicit esse iactantiæ, quod idem est. Erat autem hæc uana gloria desiderium quoddam, quo affectaret se esse filium Dei, ut coram populo se à summitate templi illusus mitens, magnificaretur ab hominibus. Tertio pinna Templi, seu pinnaculum erat extremitas frontis uicij vestibuli; erat enim vestibulum, quod erat in atrio sacerdotum & ante sancta, summa pars Templi, totumque edificium superabat: cuius frontispicij summitas dicta est pinna, seu pinnaculum Templi, in hac Diabolum Christum constituit.

Si Filius Dei es, mitte te deorsum.

C O M M E N T A R I A.

NON cogit Diabolum, sed suadet, non necessitatem uoluntati, dum tentat, imponit, sed uolentem inducere conatur: mitte te, inquit, explorat ergo; si enim se misisset, filium Dei eum esse existimasset, sicut si lapidem in panem conuertisset; si uero non, hominem purum existimasset, indeque in uanum desiderium illud prouocaturum se sperabat. Proprium est Diabolo consilium hoc; qui enim deorsum de cælo cecidit, alios deorsum mittere conatur, cumque ad peccandum excitat hominem, non aliud

aliud facit, quam persuadere, ut deorsum se mittat. Omnis enim, qui peccat, deorsum est. Ioan. 8. Vos deorsum estis, ego de supernis sum.

Scriptum est enim, quod Angelis suis mandavit de te, ut conseruent te: & quia in manibus tollent te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

C O M M E N T A R I A.

Astutus tentator, cum in prima tentatione Christum Scriptura se protegisse sentiret, ut viam se protegendi ei praecluderet, magisque ad assentiendum sibi suaderet, Scripturae testimonio vitur: mitte, inquit, te deorsum; nam nullum tibi imminet periculum, si filius Dei es, cum scripta sint Psalmo nonagesimo de filio Dei verba haec: Angelis suis mandavit Deus de te, & caetera. habes ergo Angelorum custodiam, & ego ipse, qui Angelus lucis, & vnus ex iis sum, vna cum illis mandatum accepimus a Deo conseruandi te, & manibus te tollendi in omnibus viis, ne vel minimum offendas.

A N N O T A T I O X X I I I.

Psalmus 90. non de Christo sed de iustis intelligendum.

Origenes homil. 24. existimat Diabolum falso vsum esse testimonio allato: nam psalmus ille non intelligitur de Christo, qui Angelorum ministerio non indiget, sed de iustis, & sanctis hominibus, qui in adiutorio Dei altissimi habitant, quosque Deus praeseruat ab omnibus malis, idem etiam sentit Chrysostomus homil. 13. in Matth. & Hieronymus Matth. 4. & in suis commentarijs in Psalmos, hunc locum exponens. Ambrosius autem hoc loco de Christo testimonium interpretatur. nec in hoc tentatorem arguit, sed in eo, quod testimonio Scripturae vltus est, non ut doceret, sed ut circumscriberet, & falleret. Eodem modo interpretatur Remigius, qui ad argumentum respondet, nimirum Christum vsum esse Angelorum ministerio, non ex necessitate, sed ob dignitatem, & maiestatem, cui Angeli inserviebant, tamquam Dei filio. Cum priori sententia sentiunt Hilarius can. 4. in Matth. & Gregorius Nazianzenus orat. in sanctum baptisma, qui adnotarunt, Diabolum diminute allegasse testimonium: nam

omisit verba illa, quae contra eum faciebant, nimirum: Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Hoc ipsum haereticis familiare est, verba Scripturae imperfecta proponere, omittis, quae contra eos pro veritate faciunt; non enim veritati illustrandae incumbant, sed suos errores, & adinventiones sustentare. In hac parte mihi sententia Origenis, & Hieronymi placet: vere enim de iustis hominibus ibi sermo est, licet multa Christo accommodari possint; immo forsitan Diabolus sperabat Christum responsurum, id testimonium non esse de se pronunciatum, ex quo tentator deprehendebat, eum esse filium Dei, illud autem, quod Hieronymus in commentarijs in psalmum hunc notat, nimirum praetermississe Diabolum illud verbum (ut custodiant te in omnibus viis tuis,) quia contra se facere nouerat, non videtur probandum: nam etiam si apud Matthaeum non legatur, habetur tamen a Luca; inquit enim: (ut conseruent te,) non igitur tentator id verbum omisit.

Et respondens Iesus, ait illi: Dicitum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

C O M M E N T A R I A.

Vero Scripturae testimonio tentationem vincit, & explorationem eludit, scriptum est in Lege Deuterom. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum. Tentat ille Deum, qui sine necessitate per miraculum obtinere vult, quod naturali via consequi posset; cum enim scala, & communibus templi viis descendere ex illa summitate posset, nec vlla utilitas, seu necessitas vrgeret, non erat, cur se mitteret deorsum, spectans Angelorum ministerium a Deo exhibendum; non enim locus ille suadet debere se mittere deorsum, etiam si Angelis esset illud mandatum. Non ergo responsione filium Dei se esse prodit, neque negat, sed ambiguum relinquit exploratorem, nec facit, quod ille suadet, vnde victum illum dimittit.

Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, vsque ad tempus.

C O M M E N T A R I A.

Quid sit Deum tentare.

Consummata omni tentatione, quam pati Christus dignatus est, Diabolus ab ipso eiectus recessit, non quidem ne amplius ad Christum reuerteretur, sed ad tempus, paulo post reuersurus, non ut tentet, sed ut pugnet contra Christum per ludaeorum insidias, & persecutiones, quas per eos Christo vsque ad mortem excitauit; dictum enim est Ioan. 8. Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere, & Ioan. 13. cum Diabolus misisset in cor, ut traderet eum Iudas Luc. 22. Haec est hora vestra, & potestas tenebrarum.

ANNO-

A N N O T A T I O X X I I I.

Quare dicitur sit, omni tentatione consummata.

Chrysostomus hom. 13. in Matth. & Euthymius ibidem asserunt dictum esse (omni tentatione consummata) quia haec tres sunt capita omnium tentationum, & a quibus caeterae oriuntur, & qui hos deuicerit effectus, contra caeteros omnes victoriam obtinebit. Idem tradit Ambrosius: Prope, inquit, omnium criminum fontes, haec tria genera demonstrantur esse vitiorum; neque enim consummata omnem tentationem Scriptura dixisset, nisi in his tribus esset materia omnium delictorum, quorum semina in ipsa origine sunt cauenda: Finis ergo tentationum finis est cupiditatum, quia causa tentationum, causa cupiditatum sunt; causa autem cupidi-

tatum, sunt carnis oblectatio, species gloriae, auiditas potentiae. Haec ille, accommodatius vero, & verius exponemus, si dixerimus omnem dici tentationem, quae facta est in deserto, & quam descripsit Euangelista: hac autem generalitate vsus est, ut significaret, non aliam passum esse Christum tentationem tunc, quam tres illas narratas. Hoc quidem verum est, illas tres esse praecipuas inter exteriores; diuitiae enim, honores, & voluptates ciborum multum solent animos hominum corrumpere, in quibus nunc Christus tentatus est, Lucas praetermisit vnum, quod Matthaeus narrauerat, nempe recedente tentatore, Angelos apparuisse, & Christo ministrasse.

A N N O T A T I O X X V.

Documenta ad mores speculantia traduntur.

Multa documenta ex hac Domini tentatione desumuntur. Primo quidem Diabolum esse tentatorem, qui excitat, & sollicitat homines ad peccandum, & ad transgrediendum legem Dei, quod Matth. 4. indicatur; dicitur enim, accedens tentator: non autem dicitur tentator ab vno, aut altero actu, sicut nec scriptor, nec lector, sed a consuetudine, & officio tentandi. Secundo, neminem tentat, nisi Deo permittente, quod notat Hilarius can. 5. in Matthaeum, explicans illud: Ductus est Spiritus in desertum, quod dictum censet, quia neminem tentat hostis, nisi quem Deus tentari permittit; immo quando, & quantum Deus permittit. 1. Cor. 10. fidelis Deus, qui non patietur vos tetari, supra id, quod potestis tentat quidem ille ad malum, sed Deus tentare permittit propter bonum, quod Greg. lib. 18. mora. cap. 3. explicat ponderans illud 1. Reg. 18. Spiritus Domini malus irruerat in Saul. quo modo, inquit, malus, si Domini est? & quomodo Domini spiritus dicitur, si malus est? respondet dici spiritum Domini propter potestatem, quia non potest tentare, nisi accepta potestate, & Deo permittente, qua illi vti Deus iuste permittit: malus vero propter malam voluntatem, & intentionem qua tentat. Tercio, Diabolus non tentat quempiam cogendo, aut necessitatem inferendo ad malum perpetrandum, aut bonum omitendum, sed inducendo, suadendo, sollicitando homines, arbitrio eorum libero manente ad consentiendum. Hoc ostenditur ex verbis, quibus vsus est contra Christum; Dic, inquit, ut lapides panes fiant, mitte te deorsum; si cadens adoraueris. Omnia sunt verba suadentis, & prouocantis, non cogentis, ut notat Hieronymus Matth. 4. in illud verbum (mitte te deorsum.) Doctrina autem est etiam August. traet. 12. in Ioan. Dæmon, inquit, potestatem habet, non cogendi, sed suadendi, si homo non consentit, nihil ille potest. Hinc est, ut causa peccati non sit Diabolus, quia ipse arbitrium hominis non tollit, ut dicit recte Clemen. lib. 6. stromat. nec sit ipse Deus permittens, ut notat Basilius hom. quod non sit Deus auctor malorum, sed ipsemet homo, qui libere consentit suadenti malum, & quem Deus permittit tentari, non ut tentatus consentiat, sed ut dissentiat, vincat, & coronetur, recipiatque victoriae praemium. Quarto, non semper Diabolus tentat, nec omne peccatum a Dæmonis tentatione procedit. hoc significatur eo, quod non accessit Christo, nisi post multos dies, & in deserto. doctrina autem est Augustini lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 82. Non omnes, inquit, mala cogitationes nostrae semper a Dæmonis instinctu excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrii motu emergunt. idem docet Chrysostomus hom. 54. in Acta. Multi, inquit, absque Diabolo peccant, non omnia ipse efficit, sed multa etiam fiunt a sola nostra ignauia. Quinto, tri-

plex Christi tentatio indicat triplex tentationis genus, quo solet vti Diabolus, quosdam enim tentat infirmitate; qua parte enim sentit hominem infirmum, tentat, ut facilius expugnet, & vincat; dicit enim Gregorius lib. 14. moralium c. 7. Diabolum intueri mores, & propensiones vniuersiusque, eaque proponit, ad quae nouit hominem facilius inclinari, ut his, qui sunt asperis moribus, ea obicit, quae iram excitant, aut superbiam, aut crudelitatem; ijs vero qui blandis, proponit, quae ad luxuriam sunt. denum accommodata vnicuique opponit, sicut qui muspulam ponit in viis, per quas solent mures ambulare. exemplum est ipse Gregorius, hac tentatione aggressus est Christum; videns enim esurientem, cibos ei obicit. Quosdam alios tentat ignorantia, ut decipiat, & capiat, hoc tentationis genus pulchre docet Gregorius lib. 3. moral. cap. 19. aliquando sub specie pietatis inducit hominem ad cibos capiendos, ut eis sumptis caro vegetior fiat, faciliusque ad inhonesta prorumpat. aliquando sub specie humilitatis, quo homo se indignum, & ineptum iudicat, ardet a bonis operibus erga proximum faciendis, mille sunt modi, quibus sub specie virtutis fallit, & decipit. Hac arte refert Basilius lib. de vera Virginitate, quosdam induxisse sub specie castitatis, se Eunuchos facere, & in maiorem sic luxuriam, & concupiscentiae ardorem impulit. hac tentatione aggressus est Saluatorem; falso enim Scripturae testimonio allegato ad tentandum Deum prouocabat. Quosdam alios tentat malitia aperta; quos enim videt parui facere peccata, plurisque facere suis indulgere appetitibus, bonis hisce terrenis aggreditur. aliquando etiam ita confidit se huiusmodi creatis bonis homines trahere posse, ut non timeat accedere, sperans eorum magnitudine illos a recta via deturbare. sic enim vltima tentatione Christum inuasit. Sexto duobus modis tentare solet homines. Vno modo exterius, nempe res sensibiles sensibus obijciendo. sic tentat hominem visu rerum appetibilem, tactu, odoratu, gustu, & auditu delectabilem, ut abstrahat ad malum, vel horribiliu, aut auertat a bono, ad quem tentandi modum pertinet persecutiones, detractiones, calumniae, quas excitat. contra hominem, & multa huiusmodi, sicq; Christum tentauit verbis suauissimis: dic huic lapidi ut panis fiat, mitte te deorsum, ostendit regna mundi. altero modo interius tentat, nimirum excitando partem sensitiuam, commouendo imaginationem, & moriones appetitus prouocando, quae solent superiorem partem rationis mouere, quam quidem rationalem partem ipse non potest per se tagere, sed per sensitiuam, sicq; cogitationes malas immittere dicitur, & intrare hominum corda. etiam hoc modo intelligendus est Gregorius lib. 17. Moral. cap. 17. dicens, Diabolum bonorum mentes ingredi, & illicita suggerere: sic etiam est intelligendus Augustinus lib. 3. de consen. Euange-

Euangelist. Intra, inquit, Dæmon cor, immittendo malas cogitationes mentibus non per se immediate, sed per motionem partis sensitivæ. diximus plura de hoc in commentariis in Ioan. cap. 13. explicantes illud (cum iam misisset diabolus in cor.) hanc tentandi facultatem in Christum nec exercuit, nec habuit ut supra diximus.

Septimo quosdam tentat Diabolus inuisibiliter, & latenter non se manifestando, sed per res creatas inducendo in malum, vel retrahendo à bono, sicut in prima tentatione factum est; quosdam transformando se in Angelum lucis, ut in secunda; quosdam autem visibiliter, & aperto Marte, non dissimulando se esse diabolum, ut in tertia tentatione fecit.

Octavo advertenda est astutia Diaboli in tentando, quæ in multis deprehenditur. in primis quidem non accedit tentare per se ipsum, sed vitur semper bono apparenti, quo affectum allicit; nemo enim peccat, nisi aliquo, quod placet, tractus, ut dicit Augustinus lib. 1. confes. cap. 5. ut fiat quædam commutatio; transgreditur enim legem Dei homo, & perdit incommutabile bonum pro terreno, & caduco: hac arte usus Diabolus accedit Christo per panem, & per gloriam, & populi æstimationem, & regna mundi promissa, quæ placere solent. Præterea proponit in re obiecta, quæ placent, & occultat, quæ displicent, & quæ mala sunt; obicit enim regna mundi, & gloriam eorum: non autem afflictiones, & labores, ac pericula plurima, quæ in eis sunt, ut paulo ante diximus: sic peccatori representat, quæ delectant; dissimulat vero periculum damnationis, & bona spiritualia, quæ perdit. rursus spe vana vti-

Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam.

COMMENTARIA.

NON connectitur regressus hic immediate cum his, quæ narrata sunt de ieiunio, & tentatione. multa enim intercesserunt, quæ Ioannes narravit tribus capitibus primis, post quæ regressus hic factus est; non enim omnia Euangelistæ tractaverunt. Dicitur autem regressus in virtute Spiritus in Galilæam, non quod prius Spiritus virtutem non habuerit; qui enim humanitatem divinæ naturæ unitam in sua persona habebat, secum Spiritum, qui eiusdem est substantiæ, habere necesse erat: dicitur autem in virtute Spiritus regressus, quia in Galilæam reuertebatur, virtutem hanc ibi exercitaturus, & ostensurus doctrina, & miraculis, quæ in Galilæam regrediens fecit.

ANNOTATIO XXVI.

Superioris sententia sensus magis declarat.

CHRIŒTUS ex Iudææ deserto post ieiunium, & tentationem egressus, in eadem Iudæa mansit aliquot diebus, quibus facta sunt, quæ Ioannes narravit cap. 1. de Ioannis testimonio, & vocatione Andree, & Petri, post quæ venit in Galilæam, ubi in nuptiis vinum ex aqua fecit. Post hæc prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Hierosolimam, ut Ioannes scribit, ubi eiecit vendentes de Templo, & gesta sunt, quæ cap. 3. idem Ioannes narravit de Nicodemo, cæteri que in eodem capite, quibus peractis, iterum in Galilæam venit, quod cap. 4. refert Ioannes, & hic est secundus regressus, cuius cæteri tres Euangelistæ etiam meminerunt, Matthæus cap. 4. Marcus 1. & Lucas noster in præfenti. hoc autem discriminis est, quod illi occasione regressus expresserunt, nempe cum audisset Christus Ioannem Baptistam traditum esse; noster vero Lucas id prætermissit. Idem tamen est regressus hic cum illo, quem

tur, & decipit. dabo, inquit, mitte te deorsum, quia Angeli portabunt te, sic homines longioris vitæ, & futuræ penitentia, & consequendi; quæ numquam assequuntur, spe fallit; ut enim dicit Basilius in homil. de exhortatione ad baptismum: Dæmon non auferit spem, sed auget, ut sic securum faciat peccantem, in quo latet eius ars, ut notat Basilius ibidem, affirmans Diabolum tempus præsens, quod certum est, sibi vulturpare: futurum autem incertum relinquere peccatori; perit sibi hodie, dat cras, quia peccare nunc suadet; bona vero, quæ promittit, in futurum remittit, ut hoc medio tempore mors minus cogitata adueniat.

Nono notanda etiam est malicia Diaboli in tentando; creaturis enim, quas Deus fecit, ut homo per eas manu duceretur ad Dei notitiam, & honoré, vitur ipse tentator ad auerendum illum à Deo per tenebras mentis, & affectus prauitatem: nam hæreticos Scripturis ipsis excæcat, & temporalibus bonis homines ad legem Dei transgrediendam prouocat; quam malitiam notauit Basilius libro de vera virginitate, ita nunc lapide, pane, pinnaculo, Angelorum custodia, Scriptura sacra; regnis mundi abusus est, si forsitan his posset Christum vincere. rursus mendacio pernicioso accessit, promittebat, quæ dare nec intendebat; nec poterat: præterea etiam si dedisset, iniquitas erat maxima pro temporali bono æternum auferre. Præterea adorari se voluit, diuinitatemque affectauit. Sunt multa alia, quibus & astucia, & malicia eius in tentando deprehenditur, quæ dicta sunt, sufficiant.

Matthæus, Marcus, & Ioannes descriperunt. Quod autem ad sensum spectat, Origenes homil. 32. regressum in virtute Spiritus Christum interpretatur, quia virtus addita ei fuit, quoniam Draconem conculcauerat, & tentatorem cominus vicerat: quæ verba, si ut sonant, accipiantur, omnino sunt damnanda; ei enim, qui unitam habebat Spiritus sancti substantiam, additamentum virtutis eius capere non poterat, multo verius exposuit Titus Bostrenus, nempe propter miracula, quæ facturus erat in Galilæa, dictum esse regressum in virtute Spiritus, nec solum propter miracula, sed propter prædicationem etiam, & doctrinam; per totam enim Galilæam regrediens verbis, & operibus nominis sui notitiam sparsit, ut in sequentibus apparebit. Additum ergo virtutem apud Origenem interpretabimur, quantum ad ostensionem, & manifestationem; in primo enim regressu in Galilæam, parum se manifestauerat.

Et fama

Et fama exijt per vniuersam regionem de illo.

COMMENTARIA.

REgrediens Iesus in Galilæam, ut narrat Matthæus cap. 4. venit, & habitauit in Capharnaum, coepitque prædicare, ac dicere: Penitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. & exijt fama eius per vniuersam regionem illam, tum propter prædicationem insolitam, & admirabilem; tum propter ea, quæ fecerat in Hierusalem. ut enim inquit Ioannes cap. 4. cum venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent, quæ fecerat Iesus Hierosolymis in die festo; ipsi enim venerant ad diem festum, quando eiecerat vendentes de templo: tum etiam quia iam conuerterat aquam in vinum in Cana Galilææ.

Et ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

COMMENTARIA.

Matthæus cap. 4. diffusius hæc explicat: circuibat, inquit, Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, & sanans omnem languorem, & infirmitatem; & abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, & tormentis comprehensos. propter hæc ab omnibus magnificabatur. magnificare enim solemus, à quibus beneficijs affecti sumus, aut affici speramus.

Et venit Nazareth, ubi erat nutritus.

COMMENTARIA.

REgrediens in Galilæam non intrauit Nazareth, sed relicta ea, venit Capharnaum, & ibi prædicauit, multa que miracula non illic tantum, sed etiam per Galilæam, ut in præcedenti commentario dictum est, plurima que alia fecit, quæ cæteri narrant Euangelistæ, post hæc venit in Nazareth, ubi conceptus, & nutritus erat.

ANNOTATIO XXVII.

NE existimes, quando regressus dicitur in Galilæam, tunc venisse Nazareth; non enim sic factum est, immo relicta ea transiit Capharnaum, ut referunt Matthæus 4. Marcus 1. & Ioan. 4. sed post multum temporis factus est aduentus hic in Nazareth, cuius meminere Matth. cap. 13. & Marcus cap. 6. intercesserunt ergo illa, quæ hi duo narrant; Lucas vero per anticipationem quandam describit hunc aduentum, ut docet August. lib. 2. de consensu Euan-

gel. cap. 42. Vnde non est consentiendum Theophylasto, qui regredientem Christum in Galilæam prius in Nazareth venisse affirmat, notatque hoc per id significari, primum nos curam domesticorum habere debere. Huic tamen sententiæ non solum aduersantur Euangelistæ, qui reliquisse Nazareth asserunt, sed etiam verba ipsius Lucæ sequentia, ut ex eorum expositione constabit.

Et intrauit secundum consuetudinem suam, in die sabbati in synagogam.

COMMENTARIA.

Solebant Iudæi diebus sabbati in synagogis conuenire, tum ad orandum, tum ad publicam Prophetarum, & Legis lectionem, & interpretationem faciendam, quam consuetudinem Christus obseruans, quando venit in Nazareth, accessit etiam synagogæ die sabbati, sicut & cæteri Iudæi. ob id dicitur intrasse secundum consuetudinem suam; solitus enim erat illorum consuetudini se accommodare, ut multos simul doceret, & testes suæ prædicationis haberet, iuxta illud Matth. 18. Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagogis, & templo, quo omnes Iudæi conueniunt; doctrina enim, quæ in omnium salutem instituebatur, omnibus erat prædicanda.

ANNOTATIO XXVIII.

Deprehenditur ex hoc loco memoriæ lapsus Irenæi lib. 4. cap. 40. qui hæc historiam, nimirum quando Christus locum Isaiæ sequentem expli-

cuit, in Capharnaum gestam dixit; cum tamen manifestum sit ex Euangelistâ, non in Capharnaum, sed in synagoga factam id fuisse.

Et surrexit legere.

COMMENTARIA.

Viris solis, non feminis licebat in Synagogis loqui, ut tradit Paulus 1. Corin. 14. liberum autem erat unicuique si quid dubitationis occurrebat, proponere, & si dicen-

si dicendi peritiam habebat, sermonem etiam facere; hac enim de causa Paulus frequenter per Synagogam Christum predicabat. prius autem lectio Scripturae, aut legis fiebat, postea fermocinari solitum erat, ut constat Act. 13. habebatur autem lectio Prophetarum, aut legis a stante, propter reuerentiam ipsius Scripturae, sicut apud nos Euangelium, & Epistola in missa a stantibus legitur.

ANNOTATIO XXIX.

MOS erat maiores Iudeorum in Synagoga conuenientium inuitare quosdam alios ad dicendum, sic enim legimus Act. 13. ubi Paulus cum socijs refertur venisse Antiochiam, & intrasse Synagogam die Sabbatorum, & ibi sedisse. Post lectionem autem legis, & Prophetarum miserunt Principes Iudeorum ad eos, dicentes, viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite: surgens autem Paulus, &

manu silentium indicens ait. Aliquando autem etiam nemine inuitante, si quis aliquid dicendum habebat, licebat illi etiam dicere, immo non vni, sed multis successiue, ut constat ex paulo 1. Cori. 14. sic nunc Christus fecit. erant autem duo, vnum lectio legis, & Prophetarum, alterum explicatio, aut exhortatio, vtrumque nunc Christus exhibuit.

Et traditus est illi liber Isaia prophetae.

COMMENTARIA.

NON volumine vno, sicut apud nos fit, biblia sacra tunc habebantur compaginata, sed singulae partes diuersis membranarum circumuolutis conscriptae; liber igitur Isaiae traditus est Christo legendus, & interpretandus; liberum autem erat vnicuique locum ex libro tradito, qui visus illi fuisset legere, interpretari: non autem casu, sed diuino consilio liber hic traditus fuit; inter Prophetas enim omnes Isaia est, qui copiosius, & clarius de Christo, & doctrina Euangelica vaticinatus est, qui etiam apud Iudeos maxima erat auctoritatis.

Et ut reuoluit librum, inuenit locum ubi scriptum erat:

COMMENTARIA.

Accipit Christus traditum librum, & eum reuoluens peruenit ad caput eius sexagesimum primum, ubi scripta sunt, quae statim Euangelista narrat. Erant multi libri, ut iam diximus, tum etiam membranarum scripti, quorum singuli lignis oblongis circumuoluebantur, ob id Christus nunc reuoluisse, id est, explicasse, & expandisse librum, & membranam dicitur.

Spiritus Domini super me.

COMMENTARIA.

Verba sunt Isaiae, quibus praedixit legationem, functionemque Christi ad redimendum, & saluandum mundum captiuum, & oppressum. loquens igitur in persona Christi ratione humanitatis assumptae, praedicat, quod futurum erat: Spiritus, inquit Domini super me, id est, Spiritus sanctus descendit super me, ut munere, & legatione eius fungar. fuit autem super Christum Spiritus; quando specie columbae visibiliter in eum descendit in Iordane, ut munus, & opus redemptionis inchoaret.

ANNOTATIO XXX.

Nota notanda occurrunt. Primo quidem, merito locum hunc Isaiae electum esse a Christo declarandum in patria sua; cum enim ibi tot annis tanquam vnus ex ceteris versatus esset, modo autem admirandae praedicationis munus iniret, ne nimium arduum, & difficile illis id videretur, ut pote assuetis communi eius conuersationi, locum profert ex Isaia, ubi de legatione eius agebatur. Secundo, verba haec: Spiritus Domini super me, significant Spiritus sancti descensum visibilem in specie columbae, idque probari videtur, nam similia dicta sunt ab eodem Isaia cap. 42. de di, inquit, Spiritum meum super eum. quae Hieronymus, & Cyrillus ibidem de hoc descensu interpretantur. pari igitur modo interpretanda sunt verba haec, quae dicuntur cap. 61. Tertio spiritum Domini esse super Christum, aut specie columbae descendisse super eum non significat, quod Spiritus Christi humanitati aliquam gratiam, aut donum, aut vnctionem tunc infu-

derit, quantum ad habitum, cum ab instanti incarnationis plenus fuerit, sed quod manifestatione, & vsu eorum induerit: ut qui eatenus latebat, mundo iam se proderet, & opus saluatoris iniret; quod in sequenti sententia magis explicabitur. erat quippe Christus ut homo, legatus Dei, seu Spiritus sancti, & salutis nostrae effector: hoc tamen munus latebat annis multis usque ad baptismum; quando autem Spiritus sanctus descendit specie columbae, tunc exercere incipit tale munus, & legationem, & hoc est, quod nunc dicit, Spiritus Domini super me, nempe mittens me ad operandam salutem mundi, ut ipsemet verbis sequentibus explicat. Quarto, his verbis Christum loqui non ratione diuinitatis sed humanitatis, id est, non ut Deum, sed hominem, docet Athanasius. contra Arianos. Hieronymus, Cyrillus in suis Commentarijs, & est communis sensus Patrum, idque verba ipsa indicant; non enim mittitur Christus a Spiritu sancto ut Deus, sed ut homo, ne Spi-

Pro literalis sensu faciunt nonnulla quae hic ab auctore notantur.

Spiritus est super Christum ratione diuinitatis, qui est consubstantialis ei nec Christus, ut Deus Dominum habet. haec omnia dispensationi conueniunt. Quinto, in Hebraeo habetur, Spiritus Domini Dei, sicque vertit Hieronymus, quo notatur processio Spiritus sancti a Patre, & Filio; Dominus enim Patrem, Deus Filium significat: Spiritus ergo Domini Dei, Spiritus est Patris, & Filij, qui super eundem filium ratione humanitatis esse, & descendisse dicitur; seu futurus, & descensus praedictus est. Sexto, si hunc eundem locum aliter etiam considerare libet, notan-

dum est in Hebraeo illud, Domini, esse plurale cum affixo, nempe Dominorum meorum, quasi dictum esset, Spiritus Dominorum meorum, Deus super me; Christus igitur ut homo appellat Spiritum Dominorum suorum, nempe Patris, & Filij, seu sui ipsius ut Deus est: illud autem Deus consubstantialitatem significat, nempe Spiritus, qui a Domino Patre, & Domino Filio, Deus est vnus, & idem cum ipsis, Haec igitur verba legationem Christi hominis per Spiritum sanctum significant.

Propter quod vnxit me.

COMMENTARIA.

Causam exprimit cur super eum Spiritus venerit, quia nempe ad hoc munus obendum iam ante idem Spiritus eum vnixerat, nempe quando conceptus est, & diuinitati vnitus; tunc enim omnem plenitudinem accepit. Ideo igitur Spiritus Domini super me est, ut opera eius perficiam, & munus inchoem redemptionis, quia ad hoc seu propter hoc vnctus sum ab ipso Spiritu ab incarnationis instanti. aut clarioribus verbis: missus sum a Spiritu, ut fungar legatione, ad quam me vnixerat. Finis ergo vnctionis est exercere, & operari salutem mundi, ad quod Spiritus Domini super illum venit. vnctio ergo officij, & muneris causa efficiens est; finis vero vtriusque ipsa functio, nempe praedicatione, caeteraque opera ad redemptionem instituta.

ANNOTATIO XXXI.

Superior sententia diuersimode legitur, & alijs conuenitur ab expositioribus.

Multiplex est varietas Doctorum in huius sententiae explicatione. Primo quidem varie a Latinis Patribus legitur illud (propter quod) Irenaeus enim lib. 3. cap. 10. & lib. 4. cap. 40. legit (Quapropter) Hilarius lib. 8. de Trinitate. habet (propterea) Hieron. & Gregor. lib. 4. mor. cap. 11. & Vulgatus interpres legit (eo quod) Ambrosius, autem lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. & 8. Cyprianus lib. 2. contra Iudeos. cap. 10. & Augustinus tractat. 74. in Ioan. habent (propter quod) immo Hieronymus Isa. 61. in Commentarijs citans locum Lucae legit (propter quod) quamuis ipse vertat verba Isaiae (eo quod vnxit me) Quidam recentiores legunt (cuius gratia vnxit me) quidam alij (propterea quod) particula enim Hebraea *pro* omnes has admittit significationes. Maior tamen est controuersia, quae secundo loco occurrit, de sententiae huius connexionem; quidam enim cum antecedenti connectunt, nempe Spiritus Domini super me propter quod vnxit me, seu eo quod vnxit me, quam connexionem amplectitur vulgatus interpres, eumque secuti sunt Irenaeus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & Gregorius locis citatis, & Athanasius orat. 2. contra Arianos, & ad Serapionem de Spiritu sancto, & Cyrillus in commentarijs, & Epiphanius in Ancorato Chrysostomus. hom. de Spiritu sancto, Basilius in Psal. 33. & Euthymus. Quidam alij sequenti coniungunt, quasi quae sequuntur, ea sint, propter quae vnctus sit Christus, ut sit sensus: propter quod vnxit me, ut euangelizarem pauperibus, & caetera. hanc connexionem receperunt Tertullianus lib. 4. contra Marcion. c. 14. ubi hunc Isaiae locum sic legit: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me ad euangelizandum pauperibus eadem sequuntur Hilarius in commentarijs in Ps. 72. & Beda in presenti. hi autem sic coniungunt sequentibus, ut antecedentem sententiam referat quasi causam in hunc sensum: Spiritus Domini super me, eaque de causa vnxit me euangelizandum pauperibus & caetera. Placet recentioribus haec connectio. In alium tamen sensum diuertunt, nempe, ut idem sit Spiritus Domini super me, cum eo, vnxit me, sitque repetitio eiusdem sensus, ad explicandum finem vnctionis huius. erit ergo sensus iuxta horum mentem, Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, id est, causa, & finis propter quem vnxit me, seu super me est, is est, qui sequentibus verbis exprimitur, eu-

gelizare pauperibus misit me, & caetera. Haec sunt, quae & in lectione, & in connexionem, ac in sensu Doctores sentiunt. In primis licet parum referat legere (propter quod) seu (propterea) seu (eo quod vnxit me) quouis enim modo legimus, difficultas est, & & ambiguitas in connexionem; tamen amplectemur vulgatum interpretem, & legimus (propter quod vnxit me) & iuxta hanc lectionem interpretanda est sententia, eidemque sensui caeterae lectiones accommodabuntur. Hoc igitur supposito mihi videtur sententia haec connectenda superiori; moueor tum auctoritate vulgati interpretis, quae plurimi facienda est, eo maxime, cum accedat auctoritas Hieronymi; multorumque Patrum antiquorum, quos paulo ante citauimus: tum etiam, quia si connectamus sequenti, verbum illud (misit) incongrue positum est; dicendum enim erat, propter quod vnxit me, pauperibus euangelizare, sanare contritos, & caetera, ut vnicuique facile est intelligere; sicque legunt Hilarius, & Beda, qui sequentibus connectebant: tum demum, quod maxime vrget, quia sensus exoptulatur, ut praecedenti connectatur; cum enim diceret, Spiritus Domini super me, causa debuit exprimi, cur super eum Spiritus Domini fuerit; ea autem est, quia vnixerat eum, non quidem tunc, quando super eum fuit, sed ante; vnctus enim est Christus Spiritu sancto, quando carne indutus est; at Spiritus fuisse dicitur super eum, quando missus est a Spiritu eodem ad se prodendum, praedicandum, & opus salutis nostrae perficiendum, quod fuit post baptismum. quia igitur in vnctione suscepit munus, & officium Redemptoris, ideo mittitur ad id munus exercendum; quid enim proderat munus obitusse, nisi muneris opera praestitisset? sensus ergo perficitur, & declaratur, si connectatur sententia haec praecedenti. ubi aduertendum est, quod etiam in commentario indicauimus, priorem sententiam non esse causam sequentis, nempe quia Spiritus Domini fuit super Christum, ideo vnctus fuit Spiritu Christi; non enim hoc est, quamuis non negem nonnullos Patres sic intellexisse, existimantes hanc vnctionem factam fuisse post baptismum, de qua re nihil modo dicam, quia in commentarijs in Ioan. cap. 1. annota. 71. id diffuse explicui: rei autem huius veritas in duobus consistit, vnum est hanc vnctionem factam fuisse, in incar-

Auctoris sententia.

Vera dictarum sententiarum alterius causa sit.

in incarnationis instanti, quando diuinitas fuit vnita humanitati, & ex vnione omnis plenitudo gratiarum emanauit in humanitatem illam, sicque hanc vnionem factam intelligunt Damascenus lib. 4. de fide cap. 6. & Gregorius lib. 9. epist. 61. Alterum est, vnionem fuisse per Spiritum sanctum, ita vt ipsa diuinitas Spiritus sancti sanctificauerit illam Christi humanitatem: ceteri quidem sancti vncti sunt gratia, & dono Spiritus. at Christus Sanctus Sanctorum etiam ipso Spiritu sancto, fonte omnium gratiarum, quod docte ac vere docuit Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 26. allegans illud Act. 4. quomodo vnxit eum Dominus Spiritu sancto. & hoc nunc significatur hisce verbis: Spiritus vnxit me. Cum igitur vnctio sit ipso Spiritu facta, tunc vnctus est, quando diuinitas vnita fuit humanitati, & hoc est, quod dicitur, propter quod vnxit me, id est, vnxit me Spiritus, vt postea esset super me, mitteretque ad redimendum, & sanandum, & euangelizandum. interpretatio vulgata, & Hieronymi, hoc magis explicant, dicentes: eo quod vnxit me. Non ergo sic intelligas, (propter quod vnxit me) quasi sit dictum, Spiritus Domini est super me, & huius rei causa vnixerat me prius. ambigua enim est particula, & vtrumque sensum admittit: sed verus sensus est, vt prima sententia sit finis secundae, quasi ad hoc sit vnctus, vt a Spiritu mitteretur, & esset super eum ad exercendum munus vnctionis. causa vero efficiens primae secundae est, sunt enim mutuo sibi causae finis, & efficiens; sanitas enim finis est medicamenti, & medicamentum efficiens causa sanitatis. Ex his facile solues, quae recentiores pro sua ipsorum connectione obiciunt nobis; dicunt enim in Hebraeo, post illud (Spiritus Domini super me) esse virgulam diuisiuam; facile responderetur, non esse in omnibus Bibliis; in Regiis enim non habetur, nec Hierony-

mus eam habuit, qui secundam cum prima sententia coniunxit. Obijciunt iterum, quia non videntur in vnica causa, Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me. Respondeo ex ea radice processisse eorum sententiam, putant enim idem esse Spiritum Domini esse super Christum, & vnctum esse, quod omnino falsum est, cum sint diuersa, & diuersis temporibus facta; Spiritus enim super eum dicitur, quando specie columbae descendit, mittens eum ad praedicandum, & euangelizandum: vnxit autem, quando in incarnatione opera Spiritus sancti diuinitas est copulata humanitati; sunt autem haec inuicem causae, in diuerso genere, vnum est finis, alterum efficiens, vt saepe iam diximus. Ex his huius sententiae sensus mihi explicatus satis videtur. Non est autem vnum silentio praetereundum, nimirum, cum Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vniam diuinitatem habeant, eaque diuinitas vnita sit per totam Trinitatem humanitati, cur dicatur magis vncta humanitas Spiritu sancto: non autem vncta Patre, aut Filio, eo maxime, quia Filij persona, est vnita naturae illi humanae. Respondeo, etiam si alibi de hac re plura diximus, id factum esse ad significandum ex gratia, & liberalitate Dei factum esse, quod illa humanitas diuinitati vniretur: quae autem gratiae sunt, Spiritui sancto tribuuntur. vt enim docet Augustinus tract. 74. in Ioan. Quod Christus, inquit, vnigenitus aequalis est Patri, naturae est, non gratiae; quod autem in vnitate personae vnigeniti ille homo assumptus est, non naturae, sed gratiae est. Adde etiam, quia illa diuinitate sanctificata est humanitas, & ex illa dona & virtutes, gratiaeque omnes in humanitate fluxerunt, ideo Spiritu vnctus dicitur, quia haec omnia Spiritui sancto adscribuntur; quare autem haec tribuantur Spiritui sancto alterius est considerationis.

Quare Christus a Spiritu sancto, & non a Patre, & Filio, vnctus dicitur.

Qui pauperis nomine intelligitur.

Euangelizare pauperibus misit me.

COMMENTARIA.

Explicat ad quid Spiritus Domini super eum venerit, & quemadmodum Prophetae dicebant, factum est verbum Domini ad me, postea exponebant, quae Dominus significaret; sicut etiam supra dictum est, factum est verbum Domini super Ioan-nem Zachariae, & statim adiunxit, quod hoc verbum contineret: ita nunc cum dixisset, Spiritus Domini super me, cuius causa prius me vnixerat, enarrat, quae sint ea, ad quae Spiritus Domini super eum venerit: multa autem haec sunt, quorum primum est, misit me euangelizare pauperibus, id est, instruere, & docere pauperes doctrinam Regni caelestis, ipsisque viam aperire, mediaque conferre, quibus illud adipiscantur; hoc enim est Euangelium, doctrina nempe Regni caelorum, & via, ac medium, illud assequendi. Christus licet vt Deus mittat Spiritum sanctum, quia ab illo procedit Spiritus; vt homo tamen ab eodem Spiritu mittitur. Pauperes autem hi, sunt illi, de quibus dicitur Matth. 11. pauperes euangelizantur.

ANNOTATIO XXXII.

Aduerte in primis Isaiam quantum ad litterae corticem praedixisse liberationem illius populi a Babylonica captiuitate, intendens praecipue eam, quam Christus facturus erat a Diaboli, & peccati captiuitate. Appellat autem Iudaeos captiuos in Babylone, pauperes, vt pote bonis patrijs, ac diuitijs proprijs spoliatos, & ad inopiam redactos; quibus Isaias missum se dicit ad annuncian-dum, id est, bonum nunciu significandum, reditum nempe in patriam, & antiquorum bonorum recuperationem; praecipue autem sub hoc cortice nomine Christi loquitur, qui pauperibus, vt dictum est, euangelizauit. quem sensum, quasi praecipuum, in commentario amplexi sumus. Aduerte rursum Hilarium, & Bedam connectentes hanc sententiam praecedenti, non legere verbum illud (misit) sed

sic, propter quod vnxit me euangelizare pauperibus, sanare contritos corde, & caetera. Quidam alij verbum (misit) sequenti infinito connectunt, nempe, vnxit me euangelizare pauperibus, & misit me sanare contritos, & caetera. quae omnia peruertunt textum vulgati interpretis, vt in Annotatione praecedenti notauimus, idcirco hanc sententiam primae copulaui-mus. Aduerte etiam ex Ambrosio lib. 3. de Spiritu sancto in praefatione, & cap. 1. filium mittere Spiritu sanctum, & ab ipso etiam mitti. primum illo Ioan. 15. probat, quem ego mittam vobis a Patre. Secundum hoc testimonio Isaiae confirmat, tamen non eadem ratione: filius enim, vt Deus mittit Spiritum sanctum, vt autem homo mittitur a Spiritu sancto, sicut & a Patre, & a seipso, mediator enim & le-

& legatus Dei est. Aduerte praeterea quosdam loco (pauperibus) legere (mansuetis) quosdam alios (afflictis); verbu enim Hebraicum fere haec significat: parua mutatione. עכורים cum vau significat mansuetos, cum dupli ci vero iod, vt loco vau sit alterum Iod, significat pauperes, & afflictos, eadem tamen est radix; venit enim a verbo עכר quod affligere, humiliare significat; pauper tas autem quaedam est afflictio, quae solet homines mansuetos, & humiles efficere. vulgatus noster, & Septuaginta apud Isaiam legunt (pauperibus) & haec est lectio communis, & tenenda. Est autem controuersia, quid per hos pauperes intelligendum sit. Ambrosius generaliter intelligit omne genus humanum, omnesque homines, qui per peccatu pauperissimi effecti sunt, spiritali paupertate. Origen. hom. 32. & Titus Bostrenus, strictius interpretantur gentes, quae paupertate premebantur, cum essent sine Deo, sine lege, sine religione, sine salutis via, sine Doctore, & Propheta. Tertullianus autem lib. 4. contra Marcion. & Hieronymus Isa. 61. & Eusebius lib. 3. de demonstratione cap. 1. & lib. 9. cap. 10. adhuc strictius interpretantur, nimirum pauperes spiritu, tuncque hos Euangelizatos dicunt fuisse, quando in monte dixit Christus: Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Euthymius Iudaeos intelligit, qui

virtute pauperes erant. Quamuis autem in Scriptura hi omnes pauperes dicantur, hoc tamen in loco mihi accommodatius dici videtur, si pauperes in sua propria significatione intelligamus, vt pauperes sint, quos vulgo pauperes homines, nempe diuitijs temporalibus destitutos appellamus; his enim primis annunciatum est Euangelium, & hi primi Christum receperunt, quales fuerunt Discipuli Christi, qui erant piscatores pauperissimi, alijque discipuli, & credentes de media turba, & plebei. Ex illis enim principibus, & Phariseis, ac primis Iudaeorum pauci, & sero crediderunt. Voluit enim Christus fundamenta sui Euangelij in his infimis, & pauperibus collocare, vt virtus diuina in eis magis innotesceret; vt enim dicit Paulus 1. Corint. Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quae non sunt, vt ea quae sunt, destrueret, vt non gloriaretur omnis caro in conspectu eius; hi sunt pauperes, quibus euangelizare missus est Christus. licet enim omnibus euangelizare venerit, hi tamen primi efficaciter receperunt eum. Dicemus de hac re plura Luc. 10. in eo loco, Pauperes euangelizantur.

Sanare contritos corde.

COMMENTARIA.

Missus est Christus a Spiritu, non solum ad euangelizandum pauperibus, sed etiam ad sanandos contritos corde: ij autem contriti corde dicuntur, qui admissa peccata cognoscunt, & ob ea moerore, ac dolore afficiuntur. de quibus Psal. 50. Dauid scripsit: Cor contritum, & humiliatum Deus non despicias. in quo loco idem est verbum etiam Hebraicum שבר. hanc sanitatem praestare, non hominum, sed Dei esse idem Dauid Psal. 146. docet, dicens, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Haec enim duo loca prophetia sunt Christi.

ANNOTATIO XXXIII.

Utque superioris sententiae sensus literalis est.

SI corticem litterae tantum consideramus, contritos corde appellat tristes, & amaro animo, quales erant Iudaei captiui in Babylonia, non solum priuati bonis patrijs, saeculij; diuitijs, sed etiam diuersis, multisque temporalibus afflictionibus vexari, & confracti. vnde Cyrillus in commentario, contritos, inquit, corde vocat infirmo, & fracto animo praeditos, & perturbatos, in cursu non valentes obistere. Hos sanare, & consolari Deus per Isaiam promisit. Est autem si verbum Hebraicum perpendimus, pulchra metaphoram: na loco verbi (sanare) est verbum חבש quod non solum sanare, sed etiam circūligare, & circumuoluere, seu alligare significat, sicut chirurgus solet vulnera infirmi ligare. quo vsus est etiam Dauid Psal. 146. qui alligat, inquit, contritiones eorum. & Isaias cap. 30. cum alligauerit Dominus vulnera populi sui. Vnde vt notat Hieronymus in commentarijs Isaiae, Symmachus, & Theodotion hunc locum vertunt, misit me Spiritus ad alliganda vulne-

ra peccatorum. Huic sensui consonat illud Luc. 10. in parabola Samaritani, qui alligauit vulnera illius, qui inciderat in latrones, & ab eis vulneratus fuerat. At vero si spectamus sensum intentum, & praecipuum, Isaias intendebat ea significare, quae Christus in liberando populo suo facturus erat. in hoc sensu contritos corde non carnaliter, sed spiritaliter intelligemus, nempe quos peccatorum praeniter, qui eorum moerore, & dolore velut fracto, & comminuto sunt animo, hos Christus consolari, & sanare missus est. in quem sensum interpretati sunt hanc sententiam Hieronymus in commentarijs, Basilius in Psal. 33. exponens illud simile, prope est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 14. & Beda. hunc igitur sensum praecipuum omisso literalis minus principali in commentario amplexi sumus, quia etiam literalis est cortice historiae conclusus, & significatus.

Predicare captiuis remissionem.

COMMENTARIA.

Tertium opus, ad quod missus est Christus, est captiuis annunciare libertatem, & ereptionem de potestate inimicorum: pauperibus igitur diuitiae; tristibus, & afflictis consolatio; captiuis liberatio confertur per Christum; tenebatur enim homo sub iugo, & seruitute dura Diaboli; illa autem liberatio, & relaxatio populi, de qua quantum ad corticem loquitur Propheta, figura erat huius per Christum efficienda.

Locus Isaiae 61. exponitur

Et cæcis uisum.

COMMENTARIA.

Quartum opus hoc est; solent autem prophetae, ut à littera, & historiae cortice legentes abstrahant, & ad sensum altiore extollant, aliquid interponere, quod cortici historiae accommodari non potest, ut sic secretiora, & latentia indicent; nam in restitutione Babylonica cæcis non est visus restitutus, id per Christum tantum faciendum erat, qui cæcos corporaliter illuminauit, & cæcis spiritualiter, nempe tenebris erroris, & ignorationis Dei oppressis lumen veritatis, & fidei infudit. Hæc Christus non tantum prædicauit, sed etiam effecit: prædicare autem dicitur, quia ad hanc remissionem, & ad hoc lumen volentes trahit.

ANNOTATIO XXXIII.

Hieronymus litteram Hebraicam sequens, hunc locum sic vertit (clausis apertionem) Septuaginta vero, quos Euangelista secutus est, hanc clausuram interpretantes, verterunt (cæcis visum); cæci enim oculos dicuntur habere clausos, apertos autem, quando visus restituitur eis, iuxta illud Ioannis 9. Aperuit mihi oculus. & Isa. 35. Aperientur oculi cæcorum. Estque frequentissima phrasim Scripturæ Genes. 3. aperti sunt oculi eorum, id est, viderunt, quæ ante videre non poterant. & 4. Regum 6. Aperi oculos pueri, suntque plura testimonia, unde in Scriptura videns appellatur apertus. & 4. Reg. (videntem, & cæcum) in Hebræo est, apertum, propter hoc Septuaginta verterunt (cæcis) quia apertionem hanc ad visum retulerunt, iuxta phrasim communissimam. versio igitur Septuaginta est quædam declaratio verborum, quæ Hieronymus absolute interpretatus est, nec est contradictio vlla. Quidam recentiores, ut cortici litteræ etiam hanc sententiam accommodent, censent cæcos dici, non qui videndi potentia privati, sed, qui in tenebrosis carceribus tenerentur, ubi nullo fruente lumine, velut cæci erant, quibus Deus promisit apertionem carcerum, ut exeuntes visum exercerent. Huic autem sensui, & interpretationi aduersantur verba ipsius Isaia cap. 42. ubi sic habet: posui te in fœdus, & in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vincitum, & de domo carceris sedentes in tene-

bris, in quibus verbis distinguuntur hi duo, nempe cæci, & sedentes in tenebrosis carceribus; rectius igitur interpretati sumus cæcos eos, qui cæcitate corporali premebantur, quorum plurimis Christus visum restituit, & de quibus Matth. 11. dicitur, cæci vident: similiter etiam cæcos spiritualiter, quibus Christus fidei visum infudit; ut enim in commentario diximus, idque multis exemplis confirmari potest, solent Prophetae verbu aliquando historiae cortici intextere, quod non ad illum sensum pertinet, sed ad alium, quem præcipue intendunt, nempe prophetiam de Christo, ut eo significant sub verbis illis communibus altiora latere. quam doctrinam tradit eleganter Augustinus lib. 17. ciuit. cap. 8. interpretans psal. 71. ubi quantum ad corticem de Salomone agitur, quantum vero ad præcipuum sensum, de Christo. inquit ergo Augustinus, in eo psalmo multa dicuntur, quæ omnino Salomoni conuenire non possunt; Domino autem Christo apertissima perspicuitate conueniunt, ut euidenter appareat, quod in illo figura qualiscumque abumbrata sit, in isto autem ipsa veritas præsentata. Hæc ille. idem in præsentia sententia dicere possumus; sunt enim multa, quæ liberationi à Babylonica captiuitate aptari non possunt, ut noscimus illam fuisse figuram liberationis à Christo faciendæ, in qua omnia perfecte complenda erant, sicut & completa sunt.

Dimittere confractos in remissionem.

COMMENTARIA.

Quintum opus, ad quod missus est Christus, est, ut dimitteret confractos in remissionem, vinculis obligatos relaxare, & liberos dimittere, quod corporaliter, & spiritualiter Christus effecit: corporaliter quidem, quando infirmos, & dæmoniis obsessos liberauit; hi enim confracti dicuntur quasi impediti, & ligati, quo minus libere operari valeant. Luc. 13. quam alligauerat Satanæ ecce decem & octo annis, spiritualiter vero, quando dimisit peccata multorum. sunt enim peccata vincula, & funes, quibus anima alligatur, quo minus bene operari valeat, ad Deumque tendere; hi omnes confracti dicuntur metaphorice; ut enim fracta corpora seu vasa, vsui, ad quem instituta sunt, deseruire non possunt, sic homines infirmitate, aut dæmone oppressi opera sua libere exercere non valent. Hoc autem est vnum ex his, quæ historiae accommodari nequeunt; non enim Isaias ipse dimisit confractos, sed Christus, cuius figuram ille gerebat, & in cuius persona ille loquebatur.

ANNOTATIO XXXV.

Difficultas est, quia hæc sententia, nec in Hebræo est, nec apud Septuaginta interpretes, unde ergo Lucas noster hanc habere potuit? Prætermittis quorundam recentiorum responsionibus, quæ parum aptæ sunt, ea legitima videtur, in cuius declarationem aduerte, in Hebræo vnicam esse sententiam, quantum ad verba (clausis apertionem) ut Hieronymus vertit, multiplicem tamen esse, quantum ad sensum, nemo, qui vel minimum versatus sit in Hebræo idio-

mate, ignorabit. hinc factum est, ut Septuaginta vnum sensum sequentes verterint (cæcis visum) ut in præcedenti commentario dictum est. Hieronymus vero aliū sensum amplexus interpretatus est (clausis apertionem) verbu enim Hebræum אֲסִירִים significat ligatos vinculis, aut carcere detentos. quod cæcis conuenire potest, & infirmis etiam, ac obsessis, qui velut vinculis obstricti sunt; & per metaphoram etiam peccatoribus. Videns ergo Euangelista Spiritum

tum sanctum non vnum sensum solum intendisse, sed generaliter illos omnes, diuersis sententiis expressit, quæ sub vna generaliter comprehendebantur. unde complexus est, & interpretationem Septuaginta, & ultra adiecit hanc sententiam, quia sententia Hebræa, etiam si quantum ad voces vna sit, quantum ad sensum tamen duplex est. quæ ergo confuse Hebræa significauerunt, & quæ diminue Septuaginta interpretati sunt, Euangelista explicatius, & perfectius distin-

xit. Exempla habemus huius rei: nam psalm. 4. dicitur: (A fructu vini, & olei sui.) ubi in Hebræo vnicum est nomen תִּירוֹשׁ quod generalius est, quam vini nomen, si gnificas liquorem expressum siue ab vuis, siue ab oliuis. & licet aliquando accipiatur pro solo musto, seu vino, quando coniungitur cum nomine olei, tamen absolute positu, vtrumque complectitur; ideo Septuaginta, & vulgatus interpretantes duobus nominibus illud explicauerunt.

Prædicare annum Domini acceptum.

COMMENTARIA.

Hoc est sextum opus, ad quod missus est Christus, nempe ad prædicandum, & ad annunciandum tempus, quod constituit Deus, ut in eo sibi homines reconciliaret, & acceptos sibi faceret, ex sua bona voluntate, & beneplacito. hoc est, tempus redemptionis, & saluationis per Christum faciendæ. annus ponitur pro tempore, qui quidem in Christo incepit, & perdurat vsque ad sæculi finem.

ANNOTATIO XXXVI.

Sensus litteræ magis examinatur.

Irenæus lib. 2. cap. 38. refert quosdam Hæreticos ex hoc loco deduxisse, Christum vno solo anno prædicasse: in fine autem anni passum fuisse: qui multum errarunt, cum annus non pro spacio duodecim mensium, sed pro tempore, quod annos multos complectitur, positum sit, ut paulo inferius ostendemus. Origen. autem hom. 32. idem refert, appellatq; simplicem intelligentiam illorum, qui annum hunc duodecim mensium interpretati sunt; ipse vero pro tempore interpretatur; tamen tempus hoc dicit esse sæculi futuri. Irenæus vero rectius, & verius pro tempore Euangelij, quod est ab aduentu Christi in finem sæculi, censet accipiendum. Aduerte pro declaratione, in Hebræo illud (acceptum) esse רָצוֹן, quod Latine vertitur beneplacitum, & Septuaginta sæpe vertunt d'δουλια, id est, bona voluntas, ut Psal. 68. Tempus beneplaciti. & Psal. 88. in beneplacito suo exaltabitur cornu nostrum. Psal. 105. Memento nostri Domine in beneplacito tuo. & Psal. 146. non in tibijs viri beneplacitum est Domino. & 149. beneplacitum est Domino in populo suo. his duobus locis vltimis est verbum רָצוֹן unde illud nomen trahitur, hoc est, beneplacitum, quod supra dicitur, hominibus bonæ voluntatis. bona enim voluntas, qua gratis, & spon-

te, ex amore, & misericordia sua Deus decreuit hominibus subuenire, eosque saluare, & sibi reconciliare, & adoptare, dicitur beneplacitum Dei, quod quia executus est per Christum, dicitur beneplacitum in Christo posuisse. Ephes. 1. secundum beneplacitum, inquit, eius, quod posuit in eo. prædicauit igitur Christus, tempus beneplaciti huius Dei erga homines iam aduentasse, & hoc est prædicare annum acceptum Domini. hoc idem nomen רָצוֹן habetur apud eundem Isai. c. 49. in eodẽ sensu; tempore inquit placito exaudiui te, & in die salutis audiui te; quẽ locu Paulus de tempore Euangelij, quod est à Christi aduentu, vsque ad finem sæculi interpretans, ait: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. ex quo loco constat annum in hac sententia positum esse pro tempore, non alterius sæculi, ut dicebat Origenes, sed huius, ut Irenæus affirmavit. Alludit autem Isaias ad annum Iubilæi Iudaici, de quo Leui. 25. fit mentio, qui figura erat temporis huius Euangelici. Annus igitur acceptus Domino est tempus misericordiæ, pacis, remissionis, salutis, in quo post longam iram, & indignationem Dei contra nos restitui mur in gratiam, & acceptationem, ac benevolentiam eius.

Et diem retributionis.

COMMENTARIA.

Non tantum prædicauit annum acceptum, quod ad primum Christi aduentum spectat, sed etiam diem retributionis, quod est secundi aduentus; nam dies hic retributionis est dies Iudicij, quando veniet reddere vnicuique iuxta opera sua mercedem, aut pœnam, ut dicitur Matth. 16. hunc diem Christus prædicauit, ut ex Euangelio constat, admonens homines se nunc venire ad saluandum, & miserendum, postea vero venturum ad iudicandum: prior aduentus misericordiæ, posterior iustitiæ est; vtrumque autem annunciauit nobis. Multa sunt loca in Euangelio, ex quibus manifestum est, Christum hunc diem prædicasse, in parabola de mna Luc. 19. & in parabola de vinea Matth. 21. de Virginibus, de talentis, de Rege, Matth. 25 & alibi sæpe. Habemus ergo ex his omnibus, Christum ratione humanitatis, tũ Apostolum fuisse confessionis nostræ, ut dicitur Hebr. 3. Missus enim est à Spiritu sancto; tum medicum, quia sanat contritos corde; tum liberatorem captiuorum; doctorem etiam illuminantem cæcos, & ignorantes; præterea pontificem ligatos soluentem; mediatorum etiam Dei, & hominũ, annum Deo placabilem reuocantem; iudicem, mercedem dignam retribuentem, bonis ad vitam, & malis ad mortem. Quæ omnia & per prophetas primo nunciata, & ab Euangelistis, & Apostolis confirmata sunt.

ANNOTATIO XXXVII.

Patres diuersimode superiorum sententiam exponunt.

In nonnullis Græcis codicibus non habentur hæc verba præcedentia, nec ab Ambrosio, nec à Tito Bo-

streno, nec à Hieronymo Isa. 61. ubi citatur locus Lucæ, nec ab Euthymio exponuntur; leguntur tamẽ ab Ori-

gene hom. 3. 2. & Aug. lib. 2. de confen. Euang. c. 42. & a vulgato interprete, & certissimum est à Luca esse scripta; nam & in Hebræo, & apud Septuaginta habentur in Isaiâ, sicut cætera præcedentia. Quod autem ad sensum spectat, Hieronymus in Isaiâ commentariis, & Euseb. lib. 9. demonstrat, c. 13. diem hunc interpretantur, quando populus Iudaicus ultione diuina punitus est, & per Romanos deuastatus, & perpetuæ captiuitati mancipatus, quem diem Christus sæpe illis Iudæis annunciauit Luc. 19. Non relinquens in te lapidē super lapidem, eo quod non cognoueris tēpus visitationis tuæ, & Matth. 23. vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terrā. Argumētū Hieronymi illud est, quia in Hebræo est **קָדַם** quod idem significat quod ultio, seu vindicta, quæ in malā partē accipitur, quasi punitio quædā. Cyrill. vero in cōment. duas alias profert expositiones. vna est hūc diē esse iudicij tempus; retributionē autem hanc esse, quam reddet Christus tunc credentibus in eum. Altera est, hanc retributionem esse, quam Christus reddidit Diabolo, qui insolenter mundum inuaserat, & contra ipsum Christum inique insurrexerat;

propterea enim priuatus est imperio, & eiectus à suo principatu, iuxta illud Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras, quam vindictam Christus in hoc mundo existens, nempe in priori suo aduentu fecit. Ex tribus hisce interpretationibus secunda ordine mihi vīsa est accommodatior, quia Christus adueniens vtrumque suum aduentum annunciauit: priorem quidem ad saluandum, posteriorem vero ad iudicandum bonos, & malos, & ad sententiam ferendum secundum singulorum opera, sicque annuum acceptum prædicauit, vt simul iustitiam futuram ostenderet, id est, diem retributionis. quæ expositio etiam est Irenæi, lib. 2. cap. 38. & Bedæ in hoc loco, nec argumentum Hieronymi efficax est: nam etiam si eo tempore merces bonis redderetur, tamen quia tunc mali puniendi sunt, & ultio perfecta fiet contra eos, solet ab hac parte tempus iudicij, tempus vltionis appellari, vnde Isaias cap. 13. vocat diem furoris, iræ, & indignationis, & Septuaginta verterunt *ἡμέρα τοῦ θυμοῦ*, id est, retributionis, quod commune est tam bonis, quam malis, tam præmij, quam poenæ.

Et cum plicuisset librum, reddidit ministro.

COMMENTARIA.

Explicauerat librum, vt legeret: post lectionem autem illum plicuit, & Doctorem ministro, qui eum porrexerat restituit. Beda in his multa considerat mysteria; censet enim significari hoc factō, Christum primum Euangelium sua prædicatione aperuisse, & Apostolis tradidisse prædicandum, & aperiendum populis. hæc autem, & alia huiusmodi ad sensus mysticos spectant.

Et sedit.

COMMENTARIA.

QVI stans legerat Isaiæ prophetiam, eam interpretaturus, & concionem habiturus sedit; mos illius temporis esse videtur, vt liberum esset vnicuique siue stantem, siue sedentem exhortari, aut concionari: nam & Paulus Act. 13. stans sermonem habuit, Christus vero sedit; ea tamen sessio dicentis auctoritatem, & doctrinæ maiestatem indicabat.

Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.

COMMENTARIA.

Avdierant isti multa miracula, quæ Christus fecerat in Galilæa; nouerant etiam eum ab infantia, vtpote nutritum, & annis multis conuersatum apud eos, nec tamen doctrinæ specimen eatenus eis dedisse; nouum ergo, & insolitum sermonem audire sperantes conuerterunt oculos in eum, eo maxime, quia quæ legerat, intelligentiæ auiditatem excitabant, & de se ipso aliquid eum dicturum illi conceperant, ac spectabant. sic fieri solet, aut quando insignis vir dicturus est aliquid, aut quando nouum quid, vel arduum audire expectatur.

Capit autem dicere ad illos.

COMMENTARIA.

COEpisse dicitur, non solum quia quod sequitur initium sermonis eius fuit, sed etiam quia numquam ante in illorum synagoga tale dicendi munus exercuerat, auditor sæpissime in eam synagogam intrauerat, nunc primum doctor accessit.

Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.

COMMENTARIA.

HÆC Scriptura, & prophetia hodie in vestris auribus impletur: nam hodie à Spiritu sancto missus sum vobis euangelizare, & prædicare remissionem, & aduentum illius, per quem omnia hæc efficienda sunt. dum ergo euangelizo, & prædico vobis, impletur, quod prædictum est. his verbis significat se esse eum, de quo prophetia loquitur, particula (quia) adiecta est ab Euangelista ad declarandum, quæ sequuntur, initium fuisse prædicationis Christi in illa synagoga, ac si dictum esset, cepit dicere ad illos hoc, nempe: Hodie impleta est Scriptura in auribus vestris.

ANNOTATIO XXXVIII.

Superiorum verborum sensus expenditur.

EVthymius suppleendum existimat verbum, nempe, hæc scriptura, quæ in auribus vestris insonuit, completa est hodie. recentiores sine supplemento connectunt eum participio, nempe completa est in auribus vestris: inquirunt autem, qua ratione dicta sit hodie, seu illo die impleta, respondentque sic esse sententiam interpretandam, nimirum, completa est hodie prophetia in auribus vestris, id est, annunciat vobis, seu auribus vestris hodie auditis esse completam prophetiam hanc; à principio enim incarnationis vnctus fuit Christus spiritu, tamen id illi ignorabant; eo vero die notum ipsis factum est. Dura videtur expositio, nec omnino vera: nam missio hæc, de qua loquitur prophetia, non est facta nisi post baptismum, vt ante diximus. multo autem facilius, &

verior est expositio data in commentariis, nempe prophetiam dici completam eo die, non quidem absolute, sed illis Nazaræis, quibus tunc primum Euangelizabat, & prædicabat, quæ prænunciata erant, ob id dixit completam in auribus illorum: nam prius prædicauerat aliis ciuitatibus, & multas in eis virtutes operatus erat. vnde impleri prophetia cœperat iam ante; eo tamen die implebatur in Nazaræis. Impleri autem prophetiam non aliud est, quam ea, quæ prædicta sunt, ipso opere exhiberi. prædictum autem fuit mittendum Christum ad Euangelizandum, prædicandum, sanandum, & cætera. id ipsum illo die cum Nazaræis factum est, ideo impletur prophetia in auribus eorum.

Et omnes testimonium illi dabant.

COMMENTARIA.

Necessè erat in explicatione prophetiæ huius mentionem facere virtutum, & miraculorum, quæ Christus in Galilæa, & in Iudæa fuerat operatus, multa quippe insignia eo tempore fecerat, quæ Nazaræi non ignorabant; nam partim fama, partim experientia nouerant; immo quando Christus hanc prophetiam explicuit, iam nonnullos infirmos apud illos sanauerat. omnes ergo, qui tunc audiebant eum, testimonium illi dabant, nempe attestantes, & confitentes virtutes has, & mirabilia, quæ fecerat, hoc est, testimonium illi dare, approbando, & confirmando, quæ ille in hac parte dicebat, & fecerat. iuxta quam significationem Ioan. 12. dictum est, testimonium perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit. Hoc autem loco (omnes) pro pluribus dictum est, quæ phrasis communissima est in Scriptura.

ANNOTATIO XXXIX.

Expositio in commentario tradita magis confirmatur.

EVthymius hoc verbum refert ad illud, quod sequitur, nempe (in verbis gratiæ) in hunc sensum comprobabat verba eius esse plena gratia, & admirabantur, ita vt admiratio, & testificatio sint eiusdem rei, nempe sapientiæ, & gratiæ verborum Christi sermonumque eius, huic obstat præpositio (in) Græce *ἐν*; non enim testimonium dari dicitur in verbis, sed de verbis. Quidam recentiores referunt ad Christi confessionem, nempe testificabantur eum esse Christum. Huc aduersatur, quia nunquā isti eum Christum esse crediderunt. vnde nec dici possunt testimonium dare: testimonium enim perhibetur de re prius nota. Quidam alij testimonium dare interpretantur, laudare seu cōmendare, quæ Christus dicebat, quæ significatio impropria, & in Scriptura inusitata est, omnibus igitur hinc inde cōsideratis ad miracula Christi retuli, quæ notissima Nazaræis erāt, vt ipse Lucas paulo inferius indicat, eo maxime, quia in explicatione prophetiæ opus erat sanitarum, & miraculorum mentionem à Christo fieri, vt ostenderet impletam esse prophetiam in ea parte. præterea, quia cæteri duo Euangelistæ Matthæus 13. & Marcus 6. non tantum verborum Christi, sed etiam virtutum meminerunt, referentes, illos admiratos fuisse Christi sapientiam, & virtutem; sapientiam quidem in sermonibus, virtutem vero in operibus mirandis: Lucas autem propter has virtutes addidit illos testimonium Christo dedisse, quasi testes se exhibentes, & confirmantes miracula illius. Dixi autem in commentario, quando Christus hanc explicuit prophetiam, infirmos quosdam sanasse apud Nazaræos; hoc enim refert Marcus: eos autem sanatos fuisse ante hanc prophetiæ explicationem id persuadet, immo forsan conuincit: nam post eam explicationem, & illa, quæ secuta proxime sunt, Nazaræi voluerunt Christum præcipitare, & extra Ciuitatem eiecerunt, ipseque reuerlus est Capharnaum. infirmitates ergo illas, quarum meminit Marcus, iam sanauerat.

Et mirabantur in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.

COMMENTARIA.

DE virtutibus, & miraculis Christi testimonium dabant, sermones autem eius admirabantur; erant enim pleni gratia, id est, audientium animis, & auribus gratissimi, vtpote magnam sapientiam indicantes, cum dicendi venustate, & suauitate coniuncti; hæc enim sunt, quæ loquentem maxime gratum & acceptum audientibus faciunt. Non enim dictum est, (quæ loquebatur,) sed (quæ procedebant de ore eius) ad significandum leporem, & venustatem sermonis in docendo, & proferendo, quæ etiam animos alliciebant. Multa Christum dixisse in explicatione huius prophetiæ Lucas insinuat, quæ ipse non narrat, sed tacite indicat, cum dicit, audientes admiratos fuisse verba gratiæ, quæ de illius

ore procedebant. Non solum autem sermones, ac verba Christi, sed etiam eius opera, ac virtutes, quas operabatur, hos Nazaraeos admiratos fuisse constat ex Matthæo, & Marco à quibus hæc eadem historia descripta est.

ANNOTATIO XL.

Quid gratia nomine hoc loco significetur.

Gratia hoc in loco non eam, quæ hominem charum Deo, sed eam, quæ hominibus acceptum ac gratum facit, significat, cuius significationis vsus frequens est in Scriptura, vt supra declarauimus, illud explicantes, (inuenisti gratiam apud Deum) duo autem maxime erant, quæ gratum, & admiratione dignum Christi sermonem efficiebant, vnum est sapientia, quæ manifestabatur: vnde Mar. 6. dicitur, admirabantur in doctrina eius. Alterum est suauitas, & venustas

dicentis, quam Lucas insinuauit dicens, (quæ procedebat de ore eius.) de qua Psal. 44. dictum est. Diffusa est gratia in labijs tuis. Hæc duo vno nomine complexus est Euangelista, appellans verba gratia, id est, accepta; & grata audientibus, & quæ eorum animos alliciebant; gratia enim dicitur, quidquid sermonem gratum, & acceptum audienti efficit, iuxta illud Colos. 4. Sit sermo vester semper in gratia sale conditus.

Et dicebant nonne hic est filius Ioseph?

COMMENTARIA.

Ad mirationem animo conceptam, causamque eius verbo expresserunt, dicentes, nonne hic est filius Ioseph? quasi dicerent, nouimus hunc esse humilis conditionis virum, filium hominis fabri, inter nos nutritum, qui studijs litterarum numquam incubuit, qui nihil hactenus insigne operatus est; vnde ergo tantam sibi sapientiam, & virtutem comparauit, vt tam mira faciat, & tam sapienter, ac gratiose loquatur? Isti Nazaraei effectus ex vna parte considerabant insolitos, & insignes, nempe miracula, & doctrinam; ex altera vero causam, & principium, à quibus hæc procedere poterant, ignorabant, Christi humilitatem, & abiectiorem attendentes, idcirco admirabantur. admiratio enim ex ignorantia causarum, ac principiorum in effectibus insolitis procedit. Fuit autem admiratio incredulitatis: nam etiam si virtutes, & sapientiam eius agnoscerent, carnis tamen abiectiorem se à credendo retraxerunt, vnde Matthæus, & Marcus referunt illos scandalizatos fuisse in Christo.

ANNOTATIO XLI.

Due difficultates circa superiora uerba uidentur.

Ceteri duo Euangelistæ hanc admirationem magis expresserunt; inquit enim Matthæus, (ita, vt mirarentur, & dicerent, vnde huic sapientia, & virtutes nonne hic est fabri filius? Nonne Mater eius dicitur Maria? Et fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon & Iudas? & sorores eius nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.) Marcus etiam, multi inquit, audientes, admirabantur in doctrina eius, dicentes, vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? & scandalizabantur in eo. Hæc Marcus. In quibus notandum est, tanto maiorem illis admirationem fuisse, quanto magis considerabant, neminem ex fratribus, & sororibus Christi aliquid tale facere. Quo modo autem fratres, & sorores dicantur, explicauimus in commentarijs in Ioannem. In his autem duobus locis Matthæi, & Marci Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 42. inquit, quomodo Matthæus dicat Christum appellatum fabri filium; Marcus uero fabrum. & responderet, vtrumque dici potuisse; eo enim illi credebant fabrum Christum, quo fabri filium. respondere etiam possumus, Christum antequam se proderet, artem fabri sicut Ioseph exercuisse, vnde & faber, & fabri filius appellatus est. cum autem faber sit nomen commune artis, non possumus determinate scire, cuius artis fuerit. Hilarius autem cap. 14. in Matth. existimat fuisse fabrum ferrarium: Plane, inquit, hic erat filius fabri, ferrum igne vincens, omnem sæculi virtutem iudicio decoquentis, massamq; formantis in omne opus utilitatis humanæ, formam scilicet corporum nostrorum, & materiam, in diuer-

sa membrorum ministeria, & omnia æternæ vitæ opera fingentis. Hæc ille. Maior tamen difficultas videtur in altero verbo, quod Matthæus, & Marcus referunt, nempe (scandalizabantur in eo.) quomodo scandalizati sunt in eo, si testimonium dederunt ei, & admirabantur sapientiam, & virtutem eius? Quidam recentiores sic soluunt; fingunt à principio multos admiratos, & testimonium dedisse; quosdam vero alios pauciores murmurasse, & detraxisse Christo: hi autem priores illos in suum sensum conuerterunt, & à priori iudicio mutarunt, ideo dicuntur omnes scandalizati. Nec solutio mihi gratis conficta videtur, nec inuenio, quid hos recentiores coegerit ad id existimandum, immo ad difficultatem excitandam, quam nec Augustinus, qui diligentissime loca Euangelistarum, quæ dissonantia videbantur, concordauit, id notauit, cum huius loci historiam aduerterit, & ponderauerit loco paulo ante citato. Dicendum igitur est, scandalizatos dictos esse, quia non crediderunt in Christum, offendentes in eius humiliationem, & carnis abiectiorem; plus enim potuit apud illos ad non credendum uidisse Christum inter eos communiter nutritum, & versatum, ac filium Mariæ, & iuxta eorum opinionem, Ioseph fabri, quam sapientia, & virtutes eius, ad credendum eum esse Christum, idcirco scandalizati in eo dicuntur. idem est sensus illius Matthæi 11. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, & beatus, qui non fuerit scandalizatus in me, quasi diceret, beati illi, apud quos plus efficient miracula, & opera diuinitatis meæ ad credendum me Christum esse, quam mors, & passio mea facient ad non credendum, & ad auerendum animum, & fidem à me. huic infidelitati, & scandalo non aduersatur admiratio, & confessio virtutis Christi; est enim admiratio quædam, quæ ex fide, & cū fide est

Matth. 11.

Prosequitur que in Commentario traduntur declarare, & confirmare.

est, & est etiã admiratio, quæ cum infidelitate est; de hac enim dictum est. Ioan. 7. mirabantur Iudæi dicentes, quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Ecce hi confitebantur litteras, & sapientiam Christi, easque admirabantur, & tamen ei non credebant. ita nunc virtutum testimonium dabant, sapientiam mirabantur, & verba etiam gratia, tamen Christi humiliationi, & carnis vilitati succumbentes non ei credebant, & scandalizabantur, quia ab admiratione, & magnitudine virtutum, & sapientia, quam nouerant,

ac per quam in fidem erigendi erant, deprimebantur, & in incredulitatem impellebantur. Rege Hilarius hoc intellexit, qui simul hæc coniunxit: quamquam, inquit, & docendi prudentia, & operandi virtus admirationem commoueret, infidelitas tamen eorum veritatem iudicij non recipit; non enim credunt hæc Deum in homine agere. Hæc ille. Non igitur est, cur fingamus diuersitatem, aut mutationem personarum, cum & admirari, & scandalizari simul potuerint,

Et ait illis.

COMMENTARIA.

Videns Christus illorum infidelitatem, quæ tanta reprehensibilior erat, quanto illi magis eius virtutes, ac sapientiam agnoscebant, mirabili artificio eos arguit; & causam infidelitatis eorum detegit, & quantum detrimenti hæc eadem ipsis adferat, ostendit. quæ omnia sequentibus verbis efficit.

Vtique dicetis mihi hanc similitudinem.

COMMENTARIA.

Artificiose reprehendendi modus hic est, illorum, nempe obiectionem, seu accusationem, quam contra eum paratam habebant, præoccupare, & totam culpam in eosdem reicere. dictio (vtique) affirmantis est, quasi diceret, scio vos mihi obiicere velle, quod similitudine, seu prouerbio quodam dici solet, quasi me accusantes, & de me conquirentes.

Medice cura te ipsum.

COMMENTARIA.

Similitudo, seu prouerbum hoc est, Medice cura te ipsum, quasi dicerent, sicut medicus non minorem curam, dum sibi medetur, gerere debet, quam dum medetur extraneis; sic tu deberes non minorem rationem nostri habere, qui ad te pertinemus, cum eiusdem tecum simus Patriæ, quam externorum habuisti, apud quos multas virtutes exercuisti, & admiranda fecisti opera. deberes ergo apud nos non minora facere, aliter contra te dici posse videretur, Medice cura te ipsum; vitio enim dabitur medico, qui curam aliorum gerens, sui rationem non habet. Quamuis autem prouerbum sumptum sit à Medico, qui aliorum gerit curam, sui ipsius neglecta, tamen generaliter applicatur iis omnibus, qui cum alijs profint, sibi prodesse negligant.

Quanta audiimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.

COMMENTARIA.

Explicat sensum prouerbij, magna, & admiranda opera fecisti in Capharnaum, fac ergo eadem in patria tua, ne videaris contemnere patriam propriam, & externorum habere rationem, dicaturque contra te, medice cura te ipsum; hi enim, qui ad patriam pertinebant, ad ipsummet Christum spectare putabant, vt qui patriæ rationem non haberet, dici posset, sui ipsius non habere, sicque prouerbum applicatur. Hæc est accusatio, seu obiectio, quam Christus contra se illorum nomine excitat, eos præueniendo, ipsorumque animos intuendo.

ANNOTATIO XXV.

Aduerte Christum huic tacitæ obiectioni respondere voluisse, & à faciendis miraculis in Patria sua se excusasse, non solum vt conciuum infidelitatem incusaret, sed etiam ne cui illorum iusta querela, & accusatio contra eum videretur; iure enim naturæ cæteris paribus maior cura suorum vniciue est habenda, quam aliorum; qui enim suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, vt testatur Apostolus, & docet etiam Gregor. hom. 27. in Euang. Illud autem Luc. 14. qui non odit patrem, & matrem, & sequitur me, non est me dignus, intelligendum est, quando illi contradicunt Euange-

lio, & in iis, quæ contra salutem spiritualement sunt, vt idem Gregorius hom. 37. Euang. interpretatur, & ante eum Clemens Alexan. lib. 3. Stromat. hoc nõ obstat, quin in iis, quæ non sunt contra salutem, maior cura, & ratio sit eorum habenda. Poterant igitur isti obiicere Christo, cum ipsi conciuues essent, cur non faceret opera mira, & salutifera apud eos, quæ fecerat apud extraneos. Hac igitur de causa, ne horum querela iustitiam continere videretur, Christus huic obiectioni respondet, & causam, seu potius culpam in illos reicit, quasi ipsi effecerint, vt quæ iure naturæ eorum iudicio sibi quodammodo debebantur,

cum

cum illis facta non fuerint; quam causam notauit Ambrosius in presenti dicens, non otiose Saluator se excusat, quod nulla in patria sua miracula virtutis suae sit operatus; ne fortasse aliquis viliores patriae nobis esse debere putaret affectum. Hae Ambrosius non ergo hi miracula fieri apud se cupiebant propter fi-

dem, sed propter ambitionem quandam, aut curiositatem, & fortassis ex infidelitate, quia non credebant vera esse miracula, quae foris facta narrabantur, idcirco iusta est Christi excusatio, & illorum reprehensio.

Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.

COMMENTARIA.

Respondet obiectioni propositae, altero quodam prouerbio. sensus autem responsionis est, quasi diceret, recte id mihi opponeretis, si opera mea, quae petitis, vtilitatem allatura essent apud vos, fidemque, cuius causa fiunt, conciliatura: at non sic est; nec enim mihi creditis, nec crederis, & vestra infidelitate verificatis contra me illud prouerbium, Propheta in Patria sua acceptus non est. Sic nec ego apud vos fidem inuenio, nec vobis acceptus sum. Infidelitas ergo vestra causa est, cur quanta feci in Capharnaum, non faciam in patria mea.

ANNOTATIO XLIII.

Non ambitioni tribuendum quod Christus miracula fecerit vt cognosceretur.

Responsioni huic duo opponi posse videtur vnum est, si miracula non fecit, quia in patria Propheta non est acceptus, igitur Christus miracula edebat, vt acceptus esset iis, apud quos ea operabatur, quod ambitionis, & gloriae vanae esse videtur. Respondeo verum esse Christum miracula fecisse, vt homines crederent eum esse Dei filium, & Christum promissum. Ioan. 10. si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est. & Ioan. 11. haec dixi propter populum, qui circumstat, vt credant, quia tu me misisti. Hoc igitur verum est, tamen omnino est falsum id ambitionis, & vanae gloriae esse, sed summum religionis, & charitatis erga Patrem, & dilectionis erga nos; honor enim, & gloria Patris, & salus, ac vita nostra posita erant in eo agnoscendo, & credendo, quam Patris gloriam, hominumque salutem Christus homo summo opere cupiebat, & quaerebat. De illa dictum est Ioan. 5. qui non honorificat filium, non honorificat Patrem. Ioan. 17. Pater ego te clarificauit super terram. Ioan. 11. infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. De hac autem scriptum est Ioan. 8. nisi credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Ioan. 17. Haec est vita aeterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ioan. 6. qui credit in me, habet vitam aeternam, quod igitur Christus crederetur, quod acceptaretur, salus, & vita nostra, & Dei honor erat, propterea miracula, vt crederemus ei, edebat, sine fide enim, nec vita, nec salus nostra est, nec Deum, vt par est, honorare possemus. Sicut si medicus insignis quaereret, & cuperet agnosci ab infirmis, vt sanari ab eo vellent, ac possent, & sic respublica conseruaretur, non ambitio, aut vana gloria, sed honesta, & commendanda dilectio esset. qui etiam inter nos doctus, & studiosus esset, cuperetque doctrinam, & vitam suam agnosci, non propter se, sed vt alij discerent, & imitarentur, virtutem & scientiam appleterentur, non ambitiosus, sed laudabilis esset. quod Gregorius lib. 14. moral. cap. 14. docet, interpretaturque illud Pauli 2. Corinth. 11. & 12. vbi se

plurimum commendat, non propter se, sed propter alios, vt credant veritati, quod vere bonum, & sanctum est. Hoc idem a Christo factum est. Alterum, quod opponi posset, difficilius est, nempe, quia fecit miracula apud alios, qui etiam non crediderunt: si igitur propter horum infidelitatem non cessauit miracula facere, cur propter infidelitatem iuorum noluit ea facere? quasi magis puientis suos, quam ceteros; vt enim dicitur Mat. 13. propter infidelitatem eorum non fecit ibi multas virtutes, sed paucos iustos sanauit impositis manibus, vt dicitur Marci 6. Videtur ergo minus dilexisset suos. Respondeo, & ni fallor, notanda est responsio haec: nam in hoc plus dilexit suos; quando enim beneficiis Dei homo abusus est, maius accipit beneficium, magisque diligitur, si ea illi non conferantur. magnum quidem fuit beneficium incredulis tot miracula facta esse, tamen minus esset, si illis facta non fuissent; non enim rei essent, & tam inexcusabilis culpa, quod Dominus docuit, dicens Ioan. 15. si opera non fecissem, Ioan. 15. quae nemo alius fecit, peccatum non haberent. docuit etiam Petrus 2. epist. 2. melius erat illis non cognoscere viam Iustitiae, quam post agnitionem retrorsum conuerti. Mattheus etiam cap. 26. bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille. quam doctrinam tradit Augustinus tract. 73. in Ioan. dicens, Deum aliquando nos exaudire, dum non facit, quae petimus; nimirum quando ea, quae petimus, nocumento futura sunt nobis. Cum igitur infidelitas horum grauior futura esset miraculis Christi, profecto maiori beneficio affecti sunt, magisque dilecti ab eo, illis non factis, quam si fierent. ne autem omnino eos contempnere videretur, paucas quasdam infirmitates sanauit. Quod si dicas, cur miracula fecit aliis incredulis, si haec eorum infidelitatem auxerunt? respondeo facta esse coram illis, non propter eos, sed propter illos, qui crediderunt, quorum salutis, & fidei maiorem habuit rationem Christum, quam detrimenti incredulorum, praesertim cum talis detrimenti ipsi increduli sibi causa fuerint: in patria autem illa sua credentes non inuenit, propter quos miracula edere necessarium esset.

Quare miracula infidelibus Nazareis negant, qui non crediderunt Ca-pharnaemis illa concellit.

Ioan. 15.

Proverb. 24. Eccl. 30.

Tres inuidiae effectus.

quempiam dolere de aliorum prospero successu absque inuidia, immo aliquando dolor is ad virtutem referri debet; qui enim de aliorum prosperitate dolet, quia per eam aliis ille nocet, & ea, vt instrumentum vitium in aliorum perniciem, vel etiam, quia ea prosperitas spirituale nocumentum eidem adfert, is profecto non inuidus, sed iustus est, & dolor is ad iustitiam, aut charitatem spectat. Qui etiam dolet de felicitate alicuius temporali, nimirum, quia indignus cum esset, ad praerelationem euectus est, non inuidus censetur, sed boni communis zelator. hinc est, quod Gregorius lib. 22. moral. c. 6. docuit licere aliquando de temporali malo, & ruina alterius gaudere, non propter malum illius, sed ne noceat aliis, quibus non nocebat. Augustinus etiam lib. contra Adimantum c. 17, docet charitatis esse optare alicui malum temporale, vt per id spirituale bonum acquirat iuxta illud psal. 81. imple facies eorum ignominia, & quaerent nomen tuum. Ecce dolor est de prosperitate alterius, & non vitij, sed virtutis est. Contingit etiam dolorem hunc esse vitium quoddam, & non inuidiam; nam qui dolet de prosperitate alterius, quia inimicus sibi est, non inuidus, sed odio habens est. Dolor igitur de aliena prosperitate, tunc inuidiae rationem habet, quando ea de causa homo de alterius bono dolet, quia per id bonum sibi videtur ipse minor fieri, & alter praerferri, aut coaequari, qui inferior erat. haec ratio dolendi inuidiam constituit, vnde docte Augustinus lib. 11. super Genes. ad litteram cap. 14. sic inquit: Inuidet par pari, quia ei coaequatur; inuidet inferiori maiori, quia ei non coaequatur; inuidet superiori inferiori, ne ei coaequetur. Haec Augustinus. Semper enim inuidus bono alterius minui ipse sibi videtur, aut quia qui inferior erat, sibi bono illo aequalem fieri existimat, aut, quia ipse alteri coaequari non potest; aut quia qui par erat, maior efficitur, qui igitur hac ratione, & causa de alterius successu prospero dolet, inuidus est, & haec est inuidiae perfecta descriptio. Ex hoc liquet natura inuidi; non tam enim ipse cupit bonum habere, quam quod alter non habeat; hoc enim solo se diminui videbatur, & de eo dolebat, vnde etiam fit, vt tunc incipiat diligere proximum, cui inuidebat, quando eum in miseriam incidisse, ac bono priuatum esse videt, propter quod prius illi inuidebat, vt notat Basilius orat. 10. de inuidia; ex hoc etiam constat, quod dicit Basilius oratione eadem, hoc, inquit, bonum habet inuidia, quod nocumento est ipsi inuido, quasi secum adferat poenam, idemque dicit Hieronym. Galat. 5. est enim vitium afflictium ipsius habitus. vnde prouer. 14. dicitur putredo osium inuidia, & Eccl. 30. Zelus, & iracundia minuunt dies. Quod autem ad secundum spectat, nimirum inuidiae effectus, scire oportet eos tres esse praecipuos. Primus est incredulitas prosperitatis alienae; inuidus enim, ne prosperitate alterius, cui inuidet, asiligatur, & torqueatur, difficile credit prosperitatem, aut bonum, quod alteri euenisse narratur, & nisi ita sit manifestum, vt negari corde non possit, id

Psalm. 81.

Proverb. 24. Eccl. 30.

Tres inuidiae effectus.

In veritate dico vobis, multae viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est caelum annis tribus, & mensibus sex; cum facta esset fames magna in vniuersa terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in saxeis Sidoniae, ad mulierem viduam.

COMMENTARIA.

QVIA in prouerbio facta est mentio Prophetae, exemplis Prophetarum duorum confirmat, non solum Prophetas apud suos in pretio non fuisse, sed etiam eos ob incredulitatem suorum miracula apud extraneos, suis derelictis, fecisse. Primum autem exemplum est sumptum ex 3. Reg. 17. de Elia, qui cum fames magna longo tempore per totam regionem illam Syriae grassaretur, nec defuissent in Israel multae viduae pauperes, non fuit missus a Deo ad vllam ex suis, sed ad alienigenam quandam

sibi dissuadet, quasi effugiens tormentum, quod ex illo bono sibi imminet. Secundus effectus est, quando ratio, ac mens ita conuincuntur, vt assentiendum sit, & aliena felicitas, seu prosperitas sit credenda. quaerit inuidus verbis mouere, & eleuare, & saltem apud alios, vt non sit credita prosperitas illa, aut minor reputaretur, quam est; hinc inuidum detractio sequitur, & per quandam metaphoram dentes inuidi dicimus. Est autem contrarius adulatori. adulate enim, vt docet Gregorius lib. 4. moral. cap. 25, propter quandam vicinitatem, quam habent vitia, cum virtutibus, ipsa vitia in aliis nomine virtutum obscurat, & astutum appellat prudentem; crudelem, iustum; prodigium, liberalem; auarum, temperatum; inuidus autem contrarius facit, vt notat Basilius orat. de inuidia; virtutes propter eandem vicinitatem reputat, ac praedicat vitia, & prudentem appellat astutum; iustum, crudelem; liberalem, prodigium; temperatum, auarum. Quaerit enim semper verbis detrahare, etiam si mente negare nequeat. Tertius effectus est, quod si nec ea, quae dicta sunt, potest, fludet rebus ipsis impedire, aut auferre alterius prosperitatem, de qua dolet, vt sic cruciatum inuidiae a se moueat. hinc multa iniustitiae contra proximum procedunt, calumniam, falsa testimonia, & denique homicidia, Cain praer inuidia occidit fratrem, & Saul saepe David mortem inferre tentauit, & fratres Ioseph occidere voluerunt, & demum vendiderunt. Recte Paulus huius vitij mala considerans ad Rom. 2. dixit, plenos inuidia, & postea subiunxit, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurriones, detractores, quasi haec posteriora ex inuidia tanquam radice germinentur. Hos tres effectus, nimirum incredulitatem, detractorem, iniustitiam, breuissimis verbis notauit Augustinus serm. 18. ad fratres in eremo; inter alia enim multa sic inquit. Inuidia fidem tollit, linguam multiplicat, iustitiam disperdit. Ex his apparet prouerbij sensus; qui enim eiusdem patrie sunt, quandam videntur habere aequalitatem, & paritatem; quando ergo aliquis eorum prosperum habet successum, facile ceteri conciuces inuident; eo enim videntur sibi fieri inferiores, & quasi minui, quod non fit inter eos, qui non sunt eiusdem patriae; hinc dictum est, nemo propheta acceptus est in patria sua. accommodatur autem Christo Domino; conciuces enim eius aegreferebant eum, qui cum ipsis nutritus, & conuersatus quasi vnus ex ceteris erat, sic sibi anteferri, vt Christus reputaretur: idcirco inuidebant illi tantam dignitatem, quasi ipsorum dignitas, & status per eam diminueretur. vnde ex hac inuidia secuti sunt tres illi effectus, nam nec crediderunt eum esse Christum, & detraxerunt verbis ipsius dignitati, dicentes, filius est fabri, & faber, & sorores eius apud nos sunt, quasi ceterae feminae; nec hoc contenti tentarunt eum praecipitare de monte. Hoc ergo prouerbio Dominus taxauit suos conciuces inuidiae, infidelitatis, & detractiois, ac iniustitiae.

Inuidus contrarius est adulatori.

Rom. 2.

Quare Propheta acceptus non fit in patria sua.

ANNOTATIO XLIV.

Quae sit inuidiae natura.

Prouerbij huius (nemo Propheta acceptus est in patria sua) ratio, & accommodatio explicatione indigent, quae exhiberi perfecte non potest, nisi nonnulla de inuidiae vitio praemittamus, nempe quid sit, & qui eius effectus. Quod ergo ad primum spectat, Basilius hom. de inuidia, sic eam definit. Inuidia est de proximo prospero successu dolor conceptus. cui

definitioni consentit ea, quam adfert Augustinus psal. 104. inuidia, inquit, est dolor alienae felicitatis. Haec autem definitiones imperfectae sunt, nec tam definitiones, quam definitionum principia, seu partes sunt; licet enim inuidia sit dolor alienae felicitatis, seu successus prosperi proximorum, non tamen omnis talis dolor inuidia est: nam contingit quem-

quandam habitantem in oppido dicto Sarepta in terra Sidoniorum, apud quam maiorem fidem, & charitatem erga proximum inuenit, quam inuenit in terra propria Israel. Dicitur autem caelum clausum tribus annis, & sex mensibus, quia toto eo tempore non fuit pluuia in regione illa tota. Cum ergo fames communis esset, & suis, & alienigenis, non ad illos, sed ad hos missus est; & non quidem auctoritate propria fecit, ne quis Prophetae vitio adscriberet, sed Dei iussu, ideo missus dicitur. Hoc exemplo infidelitatem Patriae vehementer reprehendit, cum apud extraneos fidem inuenit, non apud suos.

A N N O T A T I O XLV.

Tempus autem famis notauit Dominus, non solum propter historiae veritatem, sed etiam aliis de causis: tum, ut grauitatem eius indicaret, ne quis diceret, fames non erat magna, idcirco non est mirum, si Elias suis non subuenit; tum ut populi Israelitici infidelitatis magnitudinem ostenderet, qui tanto flagello, & tam diuturno admonitus non resipuerit; ut eo exemplo patriae etiam suae infidelitatem

magis taxaret, qui tot miraculis, & doctrina acceptis nondum crederit: tum demum, ut significaret, se etiam tribus annis fere cum dimidio praedicaturum apud Iudaeos, apud quos fidem non erat inuenturus, nisi apud paucos. De hac historia multa erant dicenda, quae magis ad libros Regum pertinent, unde hoc exemplum tractum est.

A N N O T A T I O XLVI.

Merito Christus magne fames quae tempore fuit Eliae, mentionem facit.

Merito Dominus infidelitatem suorum exemplo viduae Sidoniae reprehendit, in qua eximia fides elucet, cuius magnitudo ex historia facile deprehenditur. nam 3. Reg. 17. sic habetur, cum venisset Elias ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligans ligna, & vocauit eam, dixitque ei, Da mihi paulum aquae in vase ut bibam, cumque illa pergeret, ut afferret, clamauit post tergum eius dicens; affer mihi obsecro, & bucellam panis in manu tua. Quae respondit, viuit Dominus tuus, quia non habeo, nisi quam pugillus capere potest farinae in hydria, paululum olei in lechito. En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, ut comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait, noli timere, sed vade, & fac, ut dixisti; veruntamen mihi primum fac de ipsa farina subcineritium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem, & filio tuo facies postea. Haec autem dicit Dominus Deus Israel, hydria farinae non deficiet, nec lechitus olei minuetur vsque in diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terrae. Quae abiit, & fecit iuxta verbum Eliae. Hec ibi. Vide igitur magnitudinem, & excellentiam fidei; credidit enim simplici verbo Prophetae, & cum periculo extremo vitae suae, & filij; nam prius attulit panem Eliae ex illa farina, quam sibi, & filio, non dubitans verbum Prophetae certum futurum; nec deerat ratio efficax dubitandi; potuisset enim dicere, quomodo verbo tuo credam, qui nec habes panem, aut aquam tibi ipsi, nec tibi haec-

nus subuenisti: nihil tale obiecit, nec mente concepit, sed nec haesitans, nec sibi aut filio timens, si prius panem Eliae daret, credidit, & obediuit; eximia profecto fides haec est, quam merito extollunt Ambrosius lib. de viduis in principio, & Chrysostomus hom. 19. in 2. Corinth. in morali. Quam etiam opponit Dominus ipsis Nazaraeis non credentibus tanta miraculorum multitudine, quae facta audierat, & ad quam demum Deus derelictis viduis Israel misit Eliam, etiam si illa Sidonia esset. Non tantum autem fides in ea eminuit, sed etiam charitas, misericordia, & hospitalitas, ut notant Ambrosius, & Chrysostomus locis citatis. Haec autem virtutes in eo maxime apparent, quod cum colligeret ligna pro cibo sibi, & filio necessario, Propheetaque aquae vas peteret, non est grauata ab opere illo desistere, & abire, ut aquam petitam illi afferret, & indigenti potu succurreret, etiam cum suo detrimento. Praeterea cum rogata esset bucellam panis afferre, nec haberet, dulcibus, & efficacibus verbis se excusauit cum iuramento, negans se habere, unde illi praestare posset, fideliter manifestans totum quod apud se erat. Quantum autem verbum dulce sit habendum, docuit Salomon Eccles. 18. Ecce inquit, verbum super datum, bonum: saepe enim gratius est verbum dulce, quam opus ipsum. Fuit etiam hospitalis, ut notat Ambrosius, quae prophetae multo tempore ministrauit. talis erat vidua haec, quae alienigena cum esset, praeposita fuit viduis Israel.

Et multi leprosi erant in Israel sub Elisaeo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

C O M M E N T A R I A.

Alterum exemplum sumptum est ex lib. 4. Reg. c. 5. vbi cum multi leprosi essent in Israel, Elisaeus neminem eorum mundauit, sed solum Naaman alienigenam natione Syrum, quod ea ratione factum est, quia Israelitae indigni erant propter eorum incredulitatem erga Elisaeum Prophetam; Naaman autem hic credidit se ab Elisaeo sanari posse. Simili igitur de causa nec Christus miracula edidit apud suos propter incredulitatem eorum.

A N N O T A T I O XLVII.

Naaman fides magna in multis ostenditur.

Eximia etiam fides Naaman, ut constat ex eius historia, quae breuitatis causa hic non narratur, quod quidem multis constat. primo vni puellae captivae dicenti, ut inam fuisset Dominus meus ad Propheetae, qui est in Samaria, profecto curasset eum a lepra,

quam habet, statim ille credidit. Secundo non solum credidit, sed fidei huius virtute motus ad Regem Syriae, cuius militiae Princeps ille erat, venit, rem ipsam tanquam certam nuncians. Tertio ea fide inductus profectus est in terram Israel ad Elisaeum cum maximis,

simis, & pinguibus donis. Quarto iussus ab Elisaeo septies in Iordane lauari, quamuis in principio renuisset; expectabat enim verbo statim sanari: tamen postea ad vocem seruorum suorum obediuit Prophetae, credens ea ablutione mundandum. Quinto cum sanatus esset, nullo alio miraculo expectato, cum prius Idololatra esset, errorē deposuit, & fidem veri Dei est amplexus, dicens, vere scio, quia non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israel. Sexto, quia onus duorum burdonum de terra Israel secum tulit, ut holocaustum, & victimas Deo Israel offerret, & amplius diis non sacrificaret. Eximia profecto fides haec fuit, ut merito a Propheta sanari obtinuerit, spreto leprosis Israel, qui cum tantum habe-

rent apud se Prophetam, ab eo sanari posse non crederunt, & ideo nec mundati sunt. Quam fidem opponens Christus Nazaraeis, eorum arguit incredulitatem, & cur apud eos miracula non faciat, tali se excusat exemplo. Aduertendum porro est, in his duobus exemplis Titum Bostrenum notasse ea de causa Dominum Prophetarum oraculis hisce vsum esse, ut argueret Iudaeos, qui vaticinia Christi ad finem deducta iam esse videntes, alio despectebant, nempe vel ad quosdam, qui apud eos Regnum administrauerant, vel ad ipsos Prophetas: Christus ergo ad se ipsum ea spectasse ostendit, sibi accommodans, quae illi dixerunt, aut fecerunt.

Et repleti sunt omnes in synagoga ira, haec audientes.

C O M M E N T A R I A.

Nouerunt Nazaraei contra eos exempla proposita, seque infidelitatis argui, reprehensione autem non solum resipuerunt, sed peiores propria culpa effecti sunt; illorum enim perfidia excreuit, & in nouum scelus prorupit. nam omnes illi, qui in synagoga tunc, cum Christus haec diceret, aderant, ira, & vindictae appetitu contra eum repleti sunt, id iniuriam reputantes, quod ad doctrinam, resipiscentiam, & salutem institutum erat, imple tumque illud prouer. 15. non amat pestilens eum, qui se corripit. Quo quidem facto confirmarunt, quod Christus illis obieciebat, nimirum eos esse indignos, ut apud illos miracula faceret.

A N N O T A T I O XLVIII.

Quare Iudaei Christo fuerunt irritati.

Interrogabit quispiam, quae causa huius irae fuerit. Auctor Graecus in catena Sancti Thomae, duas adfert causas, aut quod sibi prophetiam Isaiae tanquam verus Messias applicuerit; aut quod se Prophetis illis duobus, Eliae, & Elisaeo comparauerit. Quidam alij aliam excogitarunt, nempe quod his exemplis Christus a Iudaeis ad gentes gratiam Dei transferendam

significauerit. Quidam alij, quod se infidelitatis argui, & quasi indignos miraculis priuari ex exemplis adductis nouerint; & hoc contextui, & veritati accommodatius est, quamuis praetextum, & fluxerint se irasci eo, quod Christus Messiam se praedicauerit, ut dicemus in annotatione sequenti.

Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat aedificata, ut praecipitarent eum.

C O M M E N T A R I A.

IRam non comprimentes eo proruperunt, ut non solum in synagoga, sed etiam in ciuitate eum expellerent, tanquam reum mortis; mos enim erat illis reos extra ciuitatem morte plectere, quapropter Christus extra portam passus est. ideo subiungit Euangelista, duxerunt, inquit, illum in supercilium, id est, verticem montis, locum eminentem, & praeruptum, ut inde ipsum praecipitarent. Erat hoc supercilium montis extra ciuitatem; nam fundata ciuitas erat super montem quidem, non tamen super partem montis superiorem, seu verticem, quae dicitur supercilium. Ad hoc igitur pertrahentes praecipitare conati sunt. Vi autem trahi, & eiici videbatur illis Christus, sponte tamen se trahi, & eiici sinebat.

A N N O T A T I O XLIX.

Quare eiecerunt Christum extra ciuitatem, dum eum volebant praecipitare.

Reste notat Beda, & ante illum Ambrosius, hos Nazaraeos quodammodo Diabolo peiores; hic enim in pinnaculum Templi Christum ducens praecipitium verbo suaserit, mitte, inquit, te deorsum, at hi illud facto inferre tentarunt. Verba Ambrosij haec sunt: Est peior magistro discipulorum haereditas, ille verbo Dominum tentat, hi facto; iste dicit mitte te deorsum, illi adoriuntur, ut mittant. Hec ille. S. Bonauentura hoc in loco asserit Nazaraeos Christum extra ciuitatem eiecisse, quasi blasphemum, nam Leuit. 24. praecipitum erat, educ blasphemum extra castra & lapider eum omnis populus. qua etiam de causa Act. 7. Stephanum Iudaei eicientes extra ciuitatem, lapidarunt. Huic sententiae duo aduersari videntur, vnum est ipsa Euangelistae verba: nam dicit, haec audientes repletos ira fuisse, & eiecisse extra ciuitatem;

ut praecipitarent illum. Illud autem (haec audientes) referri ad exempla duo prophetarum ambigi non potest, in quibus nihil est, quod illi blasphemiae adscribere possent; unde Euangelista irae, & indignationi illorum imputauit, quia testimoniis allatis se percussit, & argui sentiebant. Praeterea quia ab eo, quod blasphemiae videri illis poterat, nempe quod prophetia Isaiae in eo completa esset, tam Euangelista pertransiuit, sermonem distinctum exorsus, nempe (utique dicetis mihi, & caetera) non igitur dici potest illos blasphemum reputasse, sed superbia reteros reprehensionem ferre non potuisse. Ad haec autem responderi potest, vere illos ira, & appetitu vindictae, ac inuidia commotos fuisse, ut haec facerent, praetextisse tamen blasphemiam, quod se Christum, & Messiam praedicaret: nam etiam & his exemplis, quibus illorum

Ad eorum 7:

illorum perfidia arguitur, se Christum esse significabat, aliter enim non erat quod illos incredulitatis inculcasset. Sicut etiam Iudaei Christum morti tradentes, odio, & nuidia impellebantur, tamen blasphemiam praetererunt dicentes, blasphemauit, quid vobis videtur? Quia reus est mortis. Vbi nequitia, & astutia horum pensanda est; iram enim, & indignationem legis, & iustitiae zelo cooperuerunt, aliter enim ex ira sola non ausi fuissent occidere quamquam, timentes saecularem Herodis potestatem. Hoc tamen verum est, non solum blasphemus, sed etiam quoscunque mortis reos extraciuuitatem plebs moris illorum tunc fuisse. Alterum, quod eidem sententiae aduersari videtur, est illud Leui-

Ipsa autem transiens per medium illorum, ibat.

COMMENTARIA.

Virtute diuinitatis suae Christus ex montis supercilio sine fuga vlla, sine violentia illis illata eorum manus euasit, & profectus inde est, non raptus in aera, sed per medium illorum; sicut, qui inter multos existit, solet per eos medios transire, & recedere. Illud (per medium eorum) participio (transiens) connectitur.

ANNOTATIO L.

Qualiter Christus Nazarenorum manus euasit.

QUO modo Christus per medium illorum abiisse dictus sit, inuestigant multi, quidam existimant inuisibilem illis se reddidisse. Quidam alij, eorum voluntates Christum mutasse, ut eum dimitterent liberum, in qua sententia sunt Ambrosius, & Beda. Quidam alij Christum virtute sua eorum tenuisse manus, ne illum apprehederent possent, aut detinere. Hoc certum est, diuina sua virtute eorum euasisse manus, quo autem modo id factum sit, ambiguum est, cum modis multis fieri posset; prout tamen id factum, sicut, qui inter nos est media turba, egreditur, & a manibus aliorum se eripit robore, aut virtute sua, hoc tamen discrimine, quod apud nos est quaedam vis, & violentia manifestatur in Christo praeter virtutis, & potentiae suae magnitudinem, nulla vis apparebat, sed sicut nos per medium incedimus aetrem, nec vis apparet, quia ratione virtutis motiuae fere nihil resistentiae habet aer; ita Christus illorum manus euadens per medium eorum transgressus est, & abiit. Dicit aliquis, cur non est passus tunc a suis praecipitari? Huic facilis est responsio, ex Tito Bostreno non, inquit ideo id fecit, quod mortem fugeret, nam ut pateretur, in mundum venerat; sed quod tempus ad eam rem idoneum necdum adesset. Coeperat enim iam tunc primum Euangelij doctrinam

Et descendit in Capharnaum Civitatem Galilaeae.

COMMENTARIA.

Descensus hic non est factus, postquam venit in Nazareth, & gesta sunt, quae hactenus Lucas narravit, sed prius tempore; post descensum enim ex deserto, venit in Galilaeam, & multa ibi fecit, venitque in Capharnaum relicta tunc Nazareth, ut referunt Matheus. 4. & Marcus. 1. & hic est descensus, cuius nunc Lucas meminit, quae autem de Nazareth exposita sunt, per quandam anticipationem sunt dicta, ut ante diximus ex Augustino lib. 2. de consen. Euang. cap. 42. solent enim Euangelistae hac anticipationem aliquando uti. Capharnaum autem dicitur ciuitas Galilaeae, non qualisquam; sed quasi metropolis Prouinciae.

Ibiq; docebat illos Sabbatis.

COMMENTARIA.

QUIA Sabbatis Iudaei in Synagogis conueniebant, idcirco Christus ijs diebus praedicabat, non enim in occulto, sed palam veritatem aduentus sui, & doctrinam Regni Dei mundo annunciabat, & ad poenitentiam exhortabatur, ut refert Matheus: poenitentiam, inquit, agite, appropinquauit enim regnum caelorum, ut qui pro omnium salute venerat, salutis notitiam omnibus impertiretur.

Et sta-

Et stupebant in doctrina eius.

COMMENTARIA.

Nouum quiddam, & diuinum, & inauditum referebat in auribus audientium, doctrina Christi, idcirco admirabantur, & obstupebant audientes.

ANNOTATIO LI.

Mirabilis Christus in verbis, & operibus.

Admirari, seu obstupescere in doctrina non aliud est, quam propter doctrinam obstupescere, seu admirari quasi doctrina ingereret auditoribus admirationem, & stuporem. sapientia quidem, & virtus Christi admiranda erant, illa propter ea, quae dicebat: haec autem propter ea, quae operabatur, saepeque Iudaei tam illam, quam istam admirati sunt. De virtute habetur Matth. 8. homines inquit, mirati sunt dicentes, qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei? & Math. 12. oblaesus est ei daemoneum habens cae-

cus, & mutus, & curauit eum, ita ut loqueretur, & videret, & stupebant omnes turbae. de sapientia habetur Mar. 6. multi, inquit, audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes, vnde huic haec omnia? & quae est sapientia, quae data est illi? & Ioan. 7. mirabantur Iudaei dicentes, quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Sunt huius vtriusque rei alia etiam testimonia. Hoc vero in loco mentio fit admirationis doctrinae, ut verba, quae sequuntur etiam indicant.

Quia in potestate erat sermo eius.

COMMENTARIA.

Causa, cur doctrina Christi, admirationi illis erat, explicatur, nimirum quia docebat, non quasi minister, aut doctor communis, aut quasi vnus ex Prophetis, sed quasi auctoritatem habens, & quasi ex se loquens. vnde non utebatur verbo illo communi Prophetarum, haec dicit Dominus, sed ego dico vobis; nec alterius auctoritati nitebatur, sed propriae: erat enim Deus ipse, & non homo tantum. Hoc ut nouum, insolitum, & diuinum admirationem omnibus audientibus ingerebat.

ANNOTATIO LII.

Pater diuersimode declarant quid sit in potestate docere.

Hanc cum praecedenti sententia bis legimus apud Euangelistas, semel apud Lucam in praesenti, & Marcum cap. 1. iterum etiam semel apud Matth. cap. 7. in fine. admirabantur, inquit, turbae, super doctrina; erat enim doctus eos sicut potestatem habens. Adiungit autem Mattheus (& non sicut scribae eorum, & Pharisei) Marcus etiam (& non sicut scribae) Quid autem sit docere, seu sermonem habere in potestate, non eodem modo explicant Doctores. Victor Antiochenus Mar. 1. sic interpretatur. cur, inquit, stupebant? quia non loquebatur ad gratiam, neque vlli prorsus ad ulabatur, nec auditorum laudes captabat, sed erat sermo eius in potestate. Hortabatur enim non ad quauis promiscue, sed ad caelestia, & animae salutaria, perfidisque, & obstinatis peccatoribus imperterrite supplicia comminabatur. Haec ille. Iuxta cuius sententiam, docere in potestate, complectitur multa, nempe loqui non ad gratiam, non adulari, non propriam gloriam captare, salutaria animae docere, imperterrite obstinatos, & perfidos reprehendere, eisque supplicia comminari. Titus Bostrenus Luc. 4. aliter hanc edisserit sententiam; sic enim inquit: Quoniam Iudaeis persuasum erat Christum nihil praeter ceteris sanctis peculiare habere, verum tanquam vnum ex Prophetis in medium prodire; ea propter, quo maiorem de se ipso, quam de aliis opinionem, & existimationem concipiant, communem Prophetarum mensuram excedit. Neque enim dicere consueuerat, hoc dicit Dominus, verum tanquam legis Dominus multa, quae legis modum exuperabant, edicebat. Haec ille. Huic consensit Euthymius Matth. 7. in fine. Quidam recentiores aliter interpretantur, nempe sermonem eius cum potestate dici, quia raram quandam efficaciam, & energiam habebat Christi sermo, Spiritu sancto per eum miratione corda auditorum permouente ad fidem, & poenitentiam, cum doctrina Scribarum frigida esset,

& parum efficax ad commouendum. Quidam alij aliter explicant, scilicet cum potestate sermonem eius esse, quia doctrinam, & sermonem suum miraculis comprobabat. In huius rei declarationem notandum est, Iudaeos Christi doctrinam multis de causis fuisse admiratos. Primo quidem, quia ardua, & difficilis ad credendum erat: videbatur enim illis, quasi impossibilia continere. hac de causa miratus Nicodemus Ioan. 3. dixit: Quomodo potest homo nasci denuo, cum sit senex? Cui respondit Dominus: Non mireris, quia dixi, oportet vos nasci denuo. & Ioan. 5. dixit Dominus Iudaeis: Sicut pater habet vitam in semetipso, sic & filio dedit habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est, nolite mirari hoc. Secundo admirati sunt Iudaei doctrinam Christi, non ut arduam, & difficilem, sed ut insignem, & eximiam. hac admiratione excitata mulier illa Luc. 11. extollens vocem dixit: Beatus venter, qui te portauit. Tertio, admirati sunt doctrinam propter virtutem, & efficaciam ad animos hominum commouendos, & commutandos, huiusmodi admiratione percussis ministri Iudaeorum missi a Principibus, ut Christum apprehenderent, excusantes se, quod eum non apprehenderint, dicebant, numquam sic locutus est homo. Quarto admirati sunt doctrinam, tanquam audientium animis, & auribus gratam, dulcem, ac magna venustate pronunciatam. de qua admiratione paulo superius dictum est: mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore eius. Quinto admirati sunt Christi doctrinam non ratione ipsius doctrinae, uti haecenus dictum est, sed ratione personae; existimabant enim eum hominem sicut vnum ex ceteris; cumque eum nouissent scholas non frequentasse, nec ab homine didicisse, nec ante praedicationis tempus specimen scientiae, seu sapientiae dedisse, mirati sunt, quando audierunt eum praedicantem

Iudaei multis de causis Christi doctrinam admirabantur.

cantem, & docentem, quæ legis Doctores non attigerant. sic solemus mirari, quando quispiam, qui inter nos rusticus, & ignarus reputatus est, profert sententiam, aut dictum aliquod, quod sapientiæ argumentum est, non quod miremur dictum ipsum, quia, si à Doctore prolatum esset, nullam adferret admirationem, sed miramur, quod talis homo id pronunciauerit. de hac admiratione est illud. Ioan. 7. quod paulo ante citauimus, mirabantur Iudei dicentes, quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? illud etiam Mar. 6. admirabantur in doctrina eius dicentes, vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientiæ, quæ data est ei? Sexto admirati sunt, non quidem ratione ipsius doctrinæ, quia difficilis, aut quia eximia, aut quia efficax, aut quia gratiosa erat; nec ratione personæ, quia litteris operam non dederat, sed ratione modi docendi, & auctoritatis, quam docendo præferebat; non enim vii scribæ, aut Pharisei loque-

batur, quasi verborum legis interpret, sed quasi legislator ipse, multa addens legi, multa declarans; verbisq; vtens, non vt minister sicut erant Prophetæ, sed tanquæ Deus ipse, & Dominus: non enim dicebat, hæc dicit Dominus, sed ex se ipso loquebatur, & hac de causa admirati sunt Iudæi doctrinam eius, de qua admiratione, vt in commentario diximus, hæc præfens sententia procedit; hoc enim est in potestate esse sermonem eius; potestas enim pro auctoritate accipitur, sicut & Ioan. 2. in qua potestate hæc facis? Si ergo omnes causas admirationis coniungamus, facile intelliget vnusquisque, Christi doctrinam merito admirabilem fuisse Iudæis illis; fuit enim Christus, & opere, & sermone potens coram Deo, & omni populo, vt dicitur Luc. 24. vt enim virtus, & verbum Patris erat, sic virtute, & verbis eminebat. quod eo magis Iudæorum incredulitatem inexcusabilem fecit.

Et in synagoga erat homo habens demonium immundum.

COMMENTARIA.

Christus doctrinam suam miraculis confirmauit, vt eam à Deo esse, cuius virtus per talia opera ostendebatur, constaret. Inter varia autem & multa mirabilia quæ ille operatus est, vnum erat vexatos à dæmonibus liberare, quorum vnus iste est, cuius Lucas nunc, & Marcus cap. 1. meminerunt: erat igitur in Synagoga Capharnaum, vbi hoc gestum est, homo habens dæmonium immundum, id est, malum dæmonem.

ANNOTATIO LIII.

IN exemplari Greco legitur (erat homo habens spiritum dæmonij immundi) vnde quidam recentiores spiritum interpretantur, non pro ipso dæmonio, sed pro impulsu, quo ille homo agebatur à dæmonio: accommodatior tamen expositio est, si per spiritum intelligamus ipsum dæmonium, quod Marcus clarius significauit dicens: erat homo in spiritu immundo. Lucas autem Hebraismo vsus dixit, spiritum dæmonij immundi, id est, spiritum dæmoniacum immundum, solent enim Hebræi genitiuo casu substantiu nominis vti loco adiectiu, hominem enim diuitæ, aut superbium, appellant hominem diuitiarum, aut superbiam. eadem phrasi vsus est Ioannes Apoc. 16. sunt, inquit, spiritus dæmoniorum facientes signa. Aduertendum est autem ex Augustino lib. 9. Ciui. cap. 20. dæmonium seu dæmonem esse nomen Græcum, quod Latine idem significat ac sciens, aut sapiens a verbo Græco δαίμων, id est scio, seu noui, inde δαίμων, quasi δαίμων, iuxta Platonem, autem in Cratylo δαίμων, dicitur quasi δαίμων, id est peritus, à rerum prudentia, & peritia. Hinc est, vt tam in bonam, quam in malam partem accipiatur. nam Eudæmones, & Cacodæmones dicimus Angelos bonos, & malos, & Plato ipsum Deum dæmonem appellauit, similiter & hominis animum. Notat tamen Augustinus lib. 9. ciui. cap. 19. in Scriptura sacra nomen dæmonis semper accipi in malam partem pro malo Angelo, quasi scientiam sine charitate habeat, quæ potius inflat quam ædificat. quam loquendi consuetudinem affirmat etiam populum recepisse; cum enim quispiam alteri dicit, dæmonem habes, absque dubio ei male dicere videtur, quod quidem confirmatur Ioan. 8. vbi Iudæi Christo dicentes, dæmonium habes, absque hæsitacione contumelia afficere voluerunt. Hac igitur Augustini doctrina supposita, difficultas est, cur Lucas dæmonium immundum appellauerit, nam si dæmonium in malam accipitur semper partem, non erat cur adiungeretur, immundum; omne enim dæmonium immundum est. Apud Marcum non est difficultas: nam dixit, erat homo in spiritu immundo, vbi cur additum sit (immundo) facile intelligitur, nam

nomen (spiritus) commune est bono, & malo; sancto, & immundo. Distinguitur igitur mundus, & & bonus, ab immundo, & malo, cum dicitur (in) spiritu immundo) at apud Lucam hoc dici non potest, si vera est Augustini doctrina, nempe in Scriptura sacra semper dæmonium, seu dæmonem pro malo accipi. Quidam dæmonium immundum dici interpretatur, propter peccatum, ad quod homines prouocant; peccatum enim quædam est immundities spiritualis: dæmon ergo & formaliter, & effectiue causa immundities est, quia peccatum in se habet, & quia alios peccare facit. Hæc interpretatio non soluit difficultatem prædictam iuxta Augustini doctrinam, nam tali immundities dæmonium omne immundum est, si dæmonium in malam accipitur partem. Quod si quispiam Augustini doctrinam tenere velit, affirmans etiam in hoc loco dæmonium in malam accipi partem, tunc aliter respondendum est. in cuius rei explicationem notanda est doctrina Origenis hom. 15. in Iosue, vbi tradit malos dæmones ad peccatum quidem tentare, non tamen omnes ad idem genus peccati, sed quosdam ad superbiam, quosdam ad iram, alios ad gulam, alios ad luxuriã, sicque in omnibus generibus peccatorum varios dæmones esse tentatores. quæ doctrina est etiam Ambrosii lib. de Paradiso cap. 12. & August. lib. quæst. ex vtroq; mist. c. 15. est enim ordo in dæmonibus, & hierarchia ad tentandum ad malum, & peccatum. iuxta quam doctrinam interpretari possumus, dici dæmonium immundum illud, quod ad immundities, & spurcicias carnis tentat, quod idcirco additum est. quia non omne dæmonium ad tale peccati genus tentat. vnde quia idololatria quædam est fornicatio, spiritualis, immundities dicitur, & dæmones ad eam prouocantes immundi. Zach. 13. Spiritum immundum auferam de terra. Hoc ergo dæmonio agebatur, & vexabatur homo iste, qui nunc à Christo liberatus narratur. Quod si quis obiciat doctrinam eiusdem Augustini loco citato, alia dæmonia esse, quæ tentant ad peccatum; alia, quæ vexant, & intrant corpora hominum, ideoque non posse hoc dæmonium dici immundum in ea significacione, quæ dicta

Dæmon quid significet.

Quare Lucas dæmonium appellauerit immundum.

Zach. 13.

Certum est dæmones humana corpora ingredi & vexare.

Quare dæmon in humana corpora faciat.

dicta est. Respondeo doctrinam Augustini in ea parte non esse omnino probandam: nam spiritus ille malus, quod vexabatur Saul, etiam eum ad occidendum Dauid prouocabat. hoc quidem verum est, non semper Dæmonem tentare ad peccandum eum, quem corporaliter vexat, vnde fieri potuit hunc hominem vexari a spiritu immundo, licet non tentaretur ad immunditiam peccatum. Mihi vero hoc in loco immundum generaliter accipi videtur, vt diximus à principio; dicitur enim immundus omnis dæmon propter peccatum, quo pollutus est, & alios polluere conatur, aut vt dicit Euthymius Mar. 1. quia immundities, & sceleribus gaudet. Iuxta quæ significacionem dicitur Apocalyp. 16. vidi de ore Draconis, & de ore bestiarum, & de ore pseudoprophetae exire spiritus tres immundos. Adit autem Lucas dæmonij vocabulo immundum,

quia etiam si in malam soleat accipi partem, tamen cum esset peritus linguæ Græcæ, nouit significacionem vocabuli extendi posse etiam ad Angelos bonos, idcirco addidit immundum, vt distingueret malum spiritum à bono, hoc mihi persuadet verbum Marci. 1. vbi huius miraculi memoriam faciens, refert Iudæos admiratos esse, quod spiritibus immundis Christus imperaret. Satis autem hic constat immundum accipi non pro eo, qui ad immunditiam carnis tentat, hoc enim illi nosse non poterant de illo homine, sed pro immundo, & malo spiritu, qui immundus peccato est. Vnde Lucas Dæmonis vocabulo vsus est generaliter, sicut Marcus nomine spiritus, quod in bonam, & in malam accipitur partem, ideo restrictionem adhibuit appellando immundum.

Et exclamauit uoce magna dicens.

COMMENTARIA.

Dæmonium existens per præsentiam in homine illo, vsus est lingua eius ad uoces formandas, & per eum locutus est, & uoce magna exclamauit; solent enim dæmones intrantes in humana corpora, eorum membris, etiã inuitis ipsis hominibus, abuti ad operandum, vt lingua ad loquendum, pedibus, & manibus ad ambulandum, & percutiendum, aliæque opera exercendum. sunt enim illi in corporibus talidus non quidem, vt animæ, aut formæ, sed vt motores in corporibus motis, vnde actiones tales non ipsis hominibus, sed dæmonijs, quibus agitantur, adscribuntur: ideo exclamasse dicitur dæmonium. exclamauit autem ob Christi præsentiam, tum timore perculsus, præsentiens se ab eo expellendum, sicut exclamare, solent, qui aduersarij potentiam, à quo sibi multum timet, præsentem habent: tum etiam vt ab eo sibi parci impetraret.

ANNOTATIO LIIII.

Dæmones ingredi in humana corpora, & eis adfistere; eaq; vexare, adeo ex ipsa sacra Scriptura constat, vt absque graui, & manifesto errore negari nequeat; id quod etiã ratio ipsa ostendit. nã qui talibus dæmonibus agitantur, ea loquuntur, & faciunt, quæ humanis, aut astrorum virtutibus tribui non possunt: ignari enim homines linguis sibi ignotis loquuntur, multa occulta manifestant, vires corporis supra humanas habent. Errant ergo illi, qui humoribus melancholicis, & virtutibus astrorum talia adscribunt, quos Hieronymus Math. 4. recte impugnat exemplo lunatici illius, dicens, Dæmonem, vt homines ad odium creaturarum Dei prouocaret, persuasisse quibusdam id non à se sed ab astris fieri. Facit autem ea dæmon virtute sua, dum Deo permittente corpora ingreditur, & membra mouet violente, sæpeq; torquet, vnde tales homines dicuntur enervumeni, quasi agitati, seu exercitati. Sicut enim nos virtute propria manus applicando corporibus ea multipliciter mouemus: ita Dæmon intra corpora existens sua virtute ea mouet, & eorum membra, vt dicit Augustin. lib. 19. Ciui. c. 4. & lib. de Ecclesiastic. dogmat. c. 82. Multa autem facit erga talia corpora: nam sæpe ea torquet, & dolore afficit, sæpe ea violente hæc, illucq; mouet, in ignem, aut aquam, aut in alia loca mittit; sæpe lingua vitur ad dicendum multa, & ad maledicendum; sæpe etiam membris genitalibus abutitur ad actus obscenos, aliaq; similia efficit, etiam inuitis hominibus, quos vexat. Nihil tam horum facit, nisi permittente Deo, vt probat Chryostomus hom. 3. de patientia Iob, adducens illud Math. 3. mitte nos in porcos. si enim non potuerunt intrare in porcos nisi permissione facta, multo minus in homines. Exclamat ergo nunc dæmon per hunc hominem, ac lingua eius vitur ad proferenda verba, quæ sequuntur. Non immerito autem quispiam interrogabit, quare dæmon affectat humana corpora intrare, & quare Deus id ei permittit. Ad quorum primum nonnullæ causæ adduci possunt. vna est in odium sanctissimæ carnis, quæ

ante Euãgelium dæmon filium Dei assumpturum, & iam assumptam non dubitat. sicut enim homines odio habet, quia imago sumus Dei, vt docte Basilius asserit in homil. quod Deus non sit auctor malorum, vbi ea de causa assimilat illum Pardali, quæ adeo insauit in homines, vt vel ipsas imagines dilaceret; ita corpora hominum odio habet, & in ea ingreditur, in coruptum, & detestacionem Christi corporum. Altera est, quia maius dominium propter peccatum permixtum illi est in corpora, quã in animas; has enim non potest immediate mouere, illa vero potest, partem enim sensitiuã, & interiorē perturbat, passionibus, affectibus, & cogitationibus, idcirco corpora ingreditur, cū ibi maius habeat dominium, seu principatum. Tertia est, vt potestatem, quæ ei propter peccatum permixta est in homines, ostendat: cum enim potestas, quæ per animas exercet, non appareat, quia inuisibilis est seruitus animarum, eam in corpora visibilia exercet, vbi magis suum ostendat dominium. Ad secundum autem, nempe, cur Deus hoc permittat, nonnulla etiam dici possunt. Primo quidem in poenam, & vltionem peccati, sic. 1. Reg. 16. permixtus est Saul, postquã Dei mandata transgressus est, dæmoni corporaliter vexandus. Secundo propter peccatum quidem, sed in correccionem, & emendacionem, vt resipiscat homo, sic. 1. Cor. 5. fornicarius ille traditus est Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret, & 1. Thim. 1. duo illi traditi sunt Satanæ, vt discerent non blasphemare. vt enim inquit Origenes hom. 2. in Iudic. olim per potestatem Ecclesiasticã ministri tradebat homines vexandos dæmoni propter publica quædam peccata, vt resipiscerent, modo autem excommunicantur. Tertio vt appareat à quali hoste nos liberauit Dominus, & quanta eius premebamur tyrannide, vt enim notat Augustin. lib. 2. 1. Ciui. cap. 14. non semper propter peccatum homo vexatur à dæmone, cum infantes baptizatos contingat etiam vexari, vt ipsemet dicit lib. 22. Ciui. cap. 22. Quarto, quia in hoc sculo non est perfecta redemptio corporum à Christo facta

Quare Deus permittat dæmones ingredi hominum corpora.

facta, redimit quidem totum hominem quantum ad animam, & quantum ad corpus, tamen non est executioni demadata ea, quae corporum est, quia adhuc subiacent necessitati, mortis, infirmitatum, ceterarumque passionum: propter quod ad Rom. 8. dicit Paulus: ingemiscimus, redemptionem corporis expectantes. ea igitur de causa permittit Deus Dæmoni corporis vexationem, utpote nondum liberationem, & redemptionem assecutorum, usque ad resurrectionem. Hoc ta-

men verum est, ante Christi aduentum plures inter fideles fuisse à dæmone obsessos, quâ post, propter reuerentiam carnis iam diuinitati unitæ, & propter potestatem Ecclesiæ expellendi dæmones, quam ipsi pertimescentes, non ita facile audent corpora hominum intrare; in eorum enim expulsiōne multum vexantur, & torquentur. vnde per hunc hominem dæmon exclamauit Christi virtute compulsus.

Sine.

COMMENTARIA.

Clamans Dæmon petit se in corpore, quod obsidebat, manere permitti. Sine, inquit, ne me expellas, nec potestatem, quam in hoc corpus exerceo, cohibeas; scio te posse eiicere me, rogo ne facias.

ANNOTATIO LV.

Verbum (sine) Græce est εἰς, quod est ambiguum: nam potest esse imperatiuus modus, à verbo εἶλω, quod significat (sine) quo modo vulgaris interpret accipit; aut potest esse interiectio dolentis, quod Latine dicitur eia, aut vah, quo modo quidam recentiores vertunt, videturque respondere interiectioni Hebrææ אַהֲוֹ quam interpret Ier. 1. vertit A A A. Cum au-

tem ambigua sit dictio, & sensus constet in utraque lectione præponenda est auctoritas interpretis nostri ab Ecclesia recepti, quia sensum accommodatiorem sequentibus facit. eadem dictio est Mar. 1. vbi hoc miraculum etiam refertur, ibi Euthymius nota interiectionem, sed verbum interpretatur, sicut in commentario dictum est.

Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene?

COMMENTARIA.

Causam adfert Dæmon, cur fini, nec à corpore illo expelli à Christo debeat, ea autem talis est, quia dæmones nihil contra Christum fecerant, nec ei in vlla re nocuerant, vnde Christus causam haberet eos expellendi à suo principatu. hic est sensus horum verborum: quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? id est, quam habes causam nos dæmones insequendi, & à principatu nostro cohibendi? in nullo te lesimus, nullam iniuriam tibi intulimus, nihil à te rapuimus, quid ergo tibi est aduersus nos? mentitur Dæmon, ut solet, & mendaciis se defendit; multas enim causas habebat Christus, ut eos expelleret, multa erant Christo contra illos; regnum enim eius occupabant, contra Patris honorem pugnabant, homines, quos liberare venerat, ini- que opprimebant, ad hoc etiam carnem Christus assumpsit, ut Principem mundi huius foras eiiceret: mendacium ergo erat dicere, nihil nobis tecum est. Christum nomine proprio appellat (Iesu) & à patria in qua conceptus, & nutritus fuerat (Nazarene) sic enim communiter vocabatur, ut ex titulo Crucis constat.

ANNOTATIO LVI.

Quidam recentiores existimant huius sententiæ sensum esse eundem cum verbis illis 2. Corin. 6. quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? aut quæ conuentio Christo ad Belial? Hoc tamē stare non potest, si enim is esset sensus, Dæmon causâ potius attulisset, cur expelli deberet,

sicut unū contrariū alterū propter cōtrarietate eiicit; at nō hoc intēdebat ille, sed potius causâ adducere, cur fini, & permitti in corpore debuisset, cui sēsui accommodatur expositio in commentario explicata. de hac phrasi, quæ Hebræa est, diximus plura in commentariis in Ioan. c. 2. in ea verba: Quid mihi, & tibi mulier?

Venisti perdere nos?

COMMENTARIA.

Alteram causam adducit Dæmon, cur à Christo debeat fini, & permitti in homine illo manere, ea autem est, quia integra dæmonum perditio non erat futura usque ad diem Iudicij, & potestate in homines permessa non erant priuandi in hoc sæculo, usque ad consummationem eius: non igitur Christus debuit eos ab hominibus expellere. hunc sensum facit proposita sententia; est enim quædam expositulatio, venisti nos perdere? & regno ac potestate nostra priuare? quasi diceret, non debet esse tuus hic aduentus ad nos expellendum à regno nostro, & potestate priuandum. Est autem causa, & ratio hæc adducta à Dæmone mendacio permista. Quamuis enim non debeant dæmones omnes in Infernum detrudi, ita ut non amplius egrediantur, nec vllam in hoc sæculo potestatem contra homines exerceant, usque ad diem vltimum Iudicij, quando venturus est Christus iudicare omnes homines; tamen in priori aduentu erat dæmonum potestas cohibenda, & regnum eius minuendum, & ho-

& homines à captiuitate liberandi, ita ut nemo, nisi volens, sub imperio Diaboli detineretur; dæmon autem hic fecit, quod solent & homines aliquando facere; quando enim ab aliis percutiuntur, clamant, occidisti me, aut occidis me, cum percussio ad mortem non sit, ut sic percussoris manum cohibeant; sic clamat dæmon, perdis nos, conquerens se nondum perdi debere, cum eius expulsio non pertineat ad illam consummatam perditionem, quam ille significabat.

ANNOTATIO LVII.

Magis expeditur superioris sententiæ sensus.

Hæc eadem sententia habetur Marci 1. Quamuis ibi in nonnullis codicibus legatur: venisti ante tempus perdere nos. Sic legit Victor Antiochenus: tamen plurima exemplaria non habent illud (ante tempus) desumptum enim videtur à Matthæo cap. 8. vbi illud habetur. licet autem non legamus, sensus tamen id expositulat, conqueritur namque dæmonium se perdi à Christo adueniente, quando nō sibi videbatur debere perdi. Quidam hanc sententiā interpretantur, simpliciter, seu per affirmationem; non autem per interrogatiōnem dictā, quasi dæmon confiteatur Christum perditorem esse suum, & ad hoc venisse, ut perderet regnum eius: sicque Victor allegatus interpretatur, cui interpretatiō nonnulli recentiores consentiunt, & videtur in eundem sensum trahi nam conqueritur dæmon, quod venerit perdere eum, quando non debuisset. Quæ autem sit perditio hæc,

Euthymius Mar. 1. explicat dicens esse cohibitionem potestatis dæmonis. Quidam intelligunt dolorem, quo torquebatur Christi præsentia. in quem sensum Chrysostomus hom. 29. in Matth. interpretatur illud, venisti torquere nos. nos autem in commentario diximus perditionem hanc esse consummatam dæmonum damnationem. Quamuis enim nunc omnes diuina visione priuentur, & dolore torqueantur; tamen nondū sunt omnes in inferno loco cōclusi, nondū priuati potestate nocēdi hominibus, eosque tentandi, ac decipiendi, nec Regnum eorum est omnino destructum, usque ad sæculi consummationem. de hac igitur perditione nunc dicit, venisti perdere nos, plus obiciens, & expositulans, quam re vera esset, ut sic Christū induceret ad sibi permittēdum manere in corpore illo; sicque interpretatur August. lib. 8. c. 23. similem sententiā Matth. 8. venisti ante tempus perdere nos.

Scio te, quia sis Sanctus Dei.

COMMENTARIA.

Tertiam causam adiungit, cur dimitti in corpore à Christo impetrare debeat; ea autem est, quia præclaram de Christo opinionem habebat: scio, inquit te esse Sanctum Dei. Græce est articulus emphaticus, quasi diceret sine me: nam scio te esse illum Sanctum Dei, nempe Christum, seu Messiam. in lege, & Prophetis prænunciatum, & promissum; Sanctum autem Dei dixit, quia filius erat Dei, quod paulo inferius iterum dæmonia prædicarunt dicentia: tu es filius Dei. multum autem deceptus est dæmon in hac causa; charitas enim ædificat, & Deo grata est, non sola scientia. multi dicunt Domine Domine, quibus dicitur, discedite à me operarij iniquitatis. Si fides, quæ donum Dei est, sine dilectione non placat Deum, quanto minus ea scientia, quæ inferior erat fide, qualis erat huius dæmonis? Particula (quia) declaratiua est, scio te, quod sis Sanctus Dei.

ANNOTATIO LVIII.

Nonnulla traduntur quæ ad superioris sententiæ expositionem conferunt.

Nonnulla notanda occurrunt pro præcedentis sententiæ explanatione. Primum est Græce legi, scio te quis sis, Sanctus Dei. Sicque Euthymius interpretatur Mar. 1. Scio te quis sis, nimirum Sanctus Dei, & ante eum Athana. lib. de incarnatione verbi, & corporali eius aduentu, & August. tract. 10. in Epist. Ioan. Irenæus etiam lib. 4. c. 14. legit, scio te, qui sis, Sanctus Dei: at vero Gregorius lib. 3. moral. c. 11. legit particulam, scilicet, scio te, quod sis Sanctus Dei, eademque est lectio cum vulgata, scio te, quia sis Sanctus Dei. sensus idem est, siue vno siue altero legas modo. Secundum est ex Victore Antiocheno, & Euthymio Mar. 1. Sanctum in hoc loco non accipi pro sancto, participatione, quo modo Prophetæ, & iusti homines sancti dicuntur; sed pro sancto proprie, & natura, quomodo sanctus est Deus, ideoque articulum emphaticum positum esse; dæmon igitur se scire Christum Deū esse falsus est. Alludit ad illud Dan. 9. vbi Christus Sanctus sanctorum appellatus est, quo nomine & à Dauid psal. 15. & ab Isaia etiam cap. 41. & ab aliis Prophetis vocatus est, nempe Sanctus, aut Sanctus Israel, aut Sanctus suus, scilicet Dei. Tertium est ex Irenæo lib. 4. cap. 14. illud (Dei) significare Christum filium Dei esse, ut in commentario adnotauimus, quod etiam insinuauit Victor

allegatus, qui hunc locum exponens sic scripsit: Sanctus erat Prophetarum vnusquilibet; verum non loquitur hic de vulgari quopiam vate, aut promiscue fortis humanæ; sed vnum illum, qui ex vno procedit, præsto esse annunciat. siquidem per articulum adiectum vnum quæpiam præ cæteris eximium designat, metuque percussus omnium Dominum sese agnosce-re neuitiquā dissimulat. Hæc ille. Quartum est, quod ex verbis constat, dæmonem nouisse Christum non solum esse Messiam, sed etiam filium Dei. Quamuis Victor Antiochenus Mar. 1. affirmet dæmonem simulasse se scire, quod suspicabatur, nec eius certam scientiam habebat; sic enim interpretatur, etsi inquit, absolute se scire simulet, perindeque ac si certo sciat, verba fundat; attamen, necdum certam, & firmam fatis de illius præsentia notitiam hauserat. Hæc Victor. quod etiam nonnullis recentioribus placuit. Cui sententiæ verba Euangelistæ contradicere videntur. Hoc tamen inferius Annot. 75. diffusius explicabitur. Quintum est ex Tito Bostreno, qui hanc sententiā adulatoriam esse asserit; sic enim inquit: Hoc nimirū, scio te, quia sis Sanctus Dei, Spiritus nequam aiebat, quia forte sperabat, ut per huiusmodi adulatoria blandimenta aliquod inanis gloriæ desiderium in eius pectore excitaret, eaque ratione efficeret, ne vel se,

vel sui ordinis alios increparet; hanc nimirum gratiam pro impensa gratia rependens: at fraudulentiis prado, quam confitebatur praedam, non assensurus; Deus enim non irridetur; nec dolo cuiuspiam capitur. Hæc ille. In eadem sententia est Euthymius Mar. 1. noui, inquit, te, quis sis, adulando ei dixit, vt ipsi parceret. Hæc Euthymius. in hac autem parte duo mihi videntur. vnum est, non esse probabile, dæmonem, qui Christum sanctum Dei confitebatur, existimasse, in vana gloriæ appetitum

potuisse incidere; ac peccare, quod etiam supra adnotauimus, cum de tétatione eius differuimus. Alterum est, hæc verba, non ad adulationem præcipue fuisse profata, sed ad quandam exostulationem, & in argumentum, vt sibi parci impetraret; cum enim Christus credentes sibi reciperet, existimauit ille, quia eum nouerat, & confitebatur; posse etiam obtinere vt ei dimitteretur, in quò deceptus est; vt in commentario explicuimus.

Et increpauit illum Iesus dicens.

COMMENTARIA.

Reprehenditur dæmon, tum ob malam voluntatem, qua ab hominis vexatione desistere volebat; tum etiam ob mendacia, quæ ad id obtinendum admiscebat: tum demum, quia noticia, quam de Christo habebat, abutebatur, per eam enim permitti sibi vt homini noceret, conabatur impetrare.

ANNOTATIO LIX.

Euthymius Mar. 1. verbum hoc (increpauit) Græce ἐπιτιμᾶν interpretatur, os obturauit: mihi autem plus hoc verbū significare videtur, nō tantum enim Christus os eius obturauit, & linguā cōpescuit, ne loqueretur, sed etiam eum reprehendit, & obiurgauit, nam fieri potest, vt os alicui obturemus, ne loquatur, absque reprehensione, hæc vero oris obturatio facta est cum obiurgatione quadā, aut per modū obiurgantis, ob causas in commentario expositas. Non quod vsus sit verbis increpationis distinctis ab istis, quibus os obturauit; non enim alio vsus est verbo,

quam illo (obmutescere) sed quod illud modo increpantis, & obiurgantis pronūciauerit. Illud enim participium (dicens) indiçat increpationem factam, fuisse sequenti verbo, potest etiam hoc verbum Græcum aliam habere hoc loco significationem, nempe minis additis præcipere; sicut Marth. 12. præcepit eis, ne manifestum facerent eum. vbi idem est verbum Græcum; accommodatior tamen est interpretatio communis, quam secuti sumus, de hoc tamen verbo dicemus inferius Annot. 70.

Obmutescere.

COMMENTARIA.

Verbum est increpationis, & potestatis. increpationis quidem, quia increpandi modo dictum est; potestatis vero, quia virtutem dæmonis cohibuit, ne lingua hominis illius vti posset amplius ad voces proferendas, quibus eum distinctius indicaret. Hoc enim significat verbum (obmutescere) non enim tantum indicit silentium, ne vellet plura de illo loqui, sed etiam potentiam dæmonis retinuit, ne tunc posset etiam si vellet; sicut mutus qui nec loquitur, nec loqui potest. Huius rei causas in Annotatione quare.

ANNOTATIO LX.

DVO in hoc verbo inuestiganda sunt. vnum est, quare Dominus silentiū imposuit dæmoni eum annūcianti, & consistenti. Sacri Doctores multa dicūt in hac parte. Primo Athanasius lib. de Synodis Arimini, & Seleuciæ id factū docet, quia suspectus est dæmon; & quamuis vera dicat, tamen intetio eius deprauata est. Verba Athanasij sunt hæc. Hæreticus tamen si voces suas à sacris litteris mutuatur, nihilominus suspectus, animoque corruptus audiet à Spiritu sancto, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentū meum per os tuum? Ita quoque diabolus à Scripturis loquenti os à Domino obturatus est. Hæc ille. Secūdo Chrysostr. hom. 13. in Mathæum, huius silētij impositi causam alteram proferit, nimirū quia initium peccati fuit audisse dæmonem. Vnde prohibetur loqui etiam vera, qui tunc falsa contra Deum, & hominem locutus est. Verba ipsius sunt hæc: quia inquit, primus homo hinc offendit Deū, legumque transgressus est, ex abundantia te docet, quod & si tibi nō preuaricationē præcipiat, nec sic sit parendum. Et quid dico preuaricationem? etiam si aliquid vile dæmones iubeant, ne tunc quidem eos debes audire; sic enim illos dæmones loqui vetuit, qui eum Dei filium prædicabant, & Paulus id ipsum in clamantes increpauit, quamuis vile erat, quod dicebatur: sed magis, magisque dedecore afficiens, eorumque insidias detegēs eorum ora clausit, & tacere præcepit. Hæc ille. Tertio, idē Chry-

sostr. hom. 2. de Lazaro alias duas adiūxit causas. prior quæ ordine tertia est, talis est, quia dæmones veris falsa admiscerent, veraque dicunt, vt sibi in falsis fidem conciliant, idcirco audiendi non sunt. posterior est ordine quarta, quia infamis est dæmon, & officij non suum usurpat; Apostolorum enim est Christum prædicare, & annūciare, non dæmonum. verba Chrysostr. sunt hæc: Paulus dæmonibus vera dicentibus imposuit silentiū, ne ex veris naeti occasionem post admiscerent mendacia, fidemque sibi conciliarent; cum enim dixissent, isti homines serui Dei Altissimi sunt, annūciantes vobis viā salutis; indignatus Apostolus silentiū imposuit spiritui Pythonico, atque exire iussit, & tamen quid mali dicebant? sed quoniam plerique simplices non norunt semper diiudicare, quæ à dæmonibus dicuntur, semel eos exclusit à fide. Ex infamium numero es, inquit, non est tuum libere loqui, tace, obmutescere, non est tuum prædicare, Apostolorum ista est auctoritas, quid usurpas; quod tuum non est? si infamis esto. Sic & Christus, dicentes ipsi Dæmones, nouimus te quis sis, increpauit multa cum acrimonia, nobis legem præscribens, ne quo pacto dæmoni fidamus, etiam si tibi, quod verum est, dixerit. Hæc ille. Hæc vtraque causa est etiā Athan. in orat. 1. contra Arianos, cuius verba sunt ista: Dæmonibus ora obturabat, tamen si verum esset, quod ab eis diceretur, tu es filius Dei. Noluit autē per os impurū veritatem

Qualis fuerit Christi obiurgatio dæmonis increpantis.

Quare Christus silentium imposuit dæmoni.

Quare Christus permisit loqui, quæ postea obmutescere iussit, & non potius omnino fecit, ne loqueretur.

Quale fuerit hoc Christi præceptū, qui etiam irrationabilibus imperabat.

Quomodo Doctores superiora verba expo fuerint.

ritatem annūciari, multo minus per illos, ne per hanc occasionem admiscerent zizania suæ malæ voluntatis superseminarent, quo homines in somnis essent. Hæc ille. Quinto loco Beda aliam adfert causam, quæ talis est, ne Christi manifestatio passioni eius esset nocumento. ob quam etiam causam Apostoli iubentur resistere, ne diuina maiestate prædicata passionis dispensatio differretur. Sexto loco quidam recentiores id factū putant, ne occultam cum Dæmone putaretur habere pactiōnem. Hæc tamen ratio si quid roboris haberet, probaret potius silentium imponendum esse illi, ne quicquam loqueretur; quod tamen nō est inpositum, nam permissum illi est confiteri Christum sanctum DEI esse. Dicendum igitur est, Christum Dæmonem obmutescere fecisse, ne annūciaret eum esse Messiam, & Christum, quem Iudæi spectabant; noluit enim Christus hoc à dæmonibus annūciatum, non solum ob causas prædictas, sed etiam ne ante tēpus Iudæi arriperent occasionem accusandi Christū apud Gæcos, vt dicemus diffusis in Annot. LXXV. Alterum hoc loco inuestigandum est, nempe quare permisit Christus Dæmonem loqui, & postea obmutescere iussit, & non potius omnino fecit, ne loqueretur.

retur. Respondeo id factū primo quidem, vt imperium quod in dæmones exercebat, manifestaret, eoq. facto se à Deo esse indicaret contra Iudæos incredulos, qui eum cum Dæmonio pactum habere, blasphemantes dicebant; tūc enim Christi potestas magis declarabatur, quando Dæmoni se per loquelam manifestanti, & supplicanti imperabat. Secundo ex Irenæo lib. 4. cap. 14. vt veritas diuina eo magis comprobaretur, cum ab aduersarijs, & inimicis accipit testimonium; illa, inquit, vera, & sine contradictione probatio, quæ etiam ab aduersarijs ipsis singula testimonio profert; & paulo inferius. Accipies inquit testimonium: quoniam vere homo & quoniam vere Deus est; à Patre, à Spiritu sancto, ab Angelis, ab ipsa cōditione, ab hominibus, ab Apostaticis spiritibus, & ab erroribus, & ab inimico, & nouissime ab ipsa morte. Hæc ille. Idem docuit Gregorius Nazian. orat. 1. cōtra Iulianum, quæ ordine tertia est: Dæmones, inquit, inuiti Iesum confitētur, atque per contraria, quo plus fidei, & auctoritatis habeat, veritas demonstratur. Adiungit quandam aliam causam peculiarem Iuliano, vt scilicet illius impietatem diuina prouidentia compesceret, que etiam idololatris communis est.

Et exiit ab eo.

COMMENTARIA.

NON solum loquelam vetuit, sed exire ab hominis corpore, liberumque eum relinquare Christus Dæmoni imperauit. potuit enim etiam loquendi facultate ablata adhuc in homine permanere, ideo nouum præceptum Christus adiunxit, vt egrederetur ab illo.

ANNOTATIO LXI.

Posset quispiam non irrationabiliter dubitare, an verbum hoc Saluatoris, præter significationē vocis habuerit virtutem expellendi Dæmonem. vt non solum verbum hoc significatiuum, sed motiuum etiā, seu operatiuū fuerit. in cuius gratiam aduerte, Christum imperio vsū fuisse tam erga irrationalia, seu sensus expertia, quam erga rationalia; legimus enim imperasse ventis, & mari, vt quiesceret; & febri, vt dimitteret ægrotum; & surdis auribus, vt aperirentur; & ficui, vt areficeret, quæ omnia insensibilia sunt, & vocum significationem percipere non possunt; similiter dæmonibus imperauit, vt à corporibus hominū exirent, qui quidem præceptum intelligebant. Illud prius præceptum nemo dubitat, non tam significatione, quam virtute operatum esse; dū enim Christus loquebatur virtute, & potentia suæ diuinitatis, per verbum illud, tanquam per quoddam instrumentum operabatur, & vêtos ac mare fedabat, febrem expellebat, & aures aperiebat. At de posteriori nunc quaerimus, an etiam fuerit operatiuum sic, vt Dæmonē egressus sit,

non voluntate sua quasi obediens verbo Christi, sed coacte, quasi vi expulsus à Christo. Et quamuis dici posset hoc modo exisse, nimirum non voluntarie se mouens, & à corpore egrediens, sed expulsus, virtuteque diuinitatis actus, ac renuens, sicut homo inuitus, & coactus expellitur à loco quodā ab altero homine; tamē probabilis dicitur nō sic exisse, sed propria virtute se mouisse, & deseruisse corpus illud, volentem quidem absoluta voluntate, nolentem tamen voluntate conditionata: sicut seruus obediens Domino facit multa voluntate absoluta, quæ tamen nollet facere, vnde inuitus ea efficit. Sic Dæmonē Christo Domino iubente discessit, volens quidem absolute discedere, inuitus tamen, quia nollet; inductus autem est timore præcipientis maiestatis, sicut seruus timore facit, quæ iubet Dominus. Aliter ergo Christi imperiū se habebat erga insensibilia, aliter erga rationalia, & quæ virtute intelligētis prædita erant, vt dictum est, & inferius plura de hoc dicemus.

Et cum proiecisset illum Dæmonium in medium, exiit ab illo.

COMMENTARIA.

Verbo Christi obediens Dæmon exiit ab homine illo, prius tamen eum proiecit, & iactauit à loco in quo erat, in alium violento impetu; quod quidem permisit Dominus, vt magis manifestaretur dæmonium, quo ille homo opprimebatur, inuitum, & coactum exire, sicq. virtus sanantis, & liberantis agnosceretur; atq; etiam, vt verbum illud (scio, quia sis sanctus DEI) non hominis, sed Dæmonis esse, ostenderetur.

ANNOTATIO LXII.

Nonnulla adnotanda hoc in loco occurrunt. primo quidem Titus Bostrenus illud) proiecisset in medium (interpretatur pro eo, quod est, iudicasse in terram, seu strauisse solo. Hoc tamen significatio verborum non probat, sed potius proiecisse in mediū non aliud esse, quam vi, & impetu quodam hominem

iactasse, & expulsisse à loco in quo erat, in alium distantem, quod fieri potuit etiam si non strauerit solo. Secundo Marcus duo addidit verba, nimirum Dæmonem exisse, exclamando voce magna, & discernendo hominem. Quod autem ad clamorem attinet, non est intelligendum, Dæmonem locutum aliquid fuisse, nā

missa, & imperio Christi obmutescere, sed ut notat Euthymius Mar. 1. inarticulatas voces, & stridorem edidit, quod etiam muti faciunt; exclamavit autem quia inuitus, & coactus exibat. Quod autem ad descriptionem spectat, Euthymius Mar. 1. existimat idem significasse discipulorum apud Marcum, quod apud Lucam, in medium proijcere. Quae sententia fuit etiam Augusti. lib. 4. de consen. Euang. c. 2. Non tamen satis accommodata hoc die ei posse videtur, cum longe aliud sit discipulorum hominem, aliud in medium proijcere, vniquam absque; altero fieri valeat. rectius igitur ea distincta esse affirmamus, & verumque factum esse asserimus: nam daemon ille hominem discerpit, & proiecit in medium. Tertio, non eodem modo descriptionem hanc interpretantur Doctores, Augustinus enim loco allegato interpretatur iactationem quandam membrorum atque vexationem, attestaturque

aliquos codices loco illius (discerpens) habere conuexans (Euthymius vero discerpionem dicit fuisse) proiectionem illam in medium. Victor autem Antiochenus discerpisse asserit idem fuisse, ac huc, illucque iactasse, & in terram fuisse. At cum verbi significatio sit manifesta, nam tam Graecum quam Latinum verbum idem significat, quod lacerare, seu dilaniare, non debet confundi cum verbo proijciendi, seu iactandi. existimo ergo ad vestimenta debere referri lacerationem hanc, seu dilaniationem; per quandam enim figuram continentis pro contento dicimus hominem dilaniasse, qui vestes eius, quibus indutus erat, laceravit. discerpit ergo Daemon hominem non quidem corpore, sed vestimento, propterea enim addidit Evangelista (& nihil illi nocuit) ut statim explicabitur.

Nihilque illum nocuit.

COMMENTARIA.

Nillum corpori nocumentum intulit Daemon, quamuis hominem discerpserit, & in medium proiecerit. Solent enim cum a corporibus Daemonia expelluntur, in membris, aut in viribus, aut in sensibus nocere permitti, ut ex historia Evangelica constat; hoc autem cum homine isto facere non est Daemonio permittitur, sed id tantum, ut hominem proijceret, & discerperet, quo demonstraretur proijcentis malitia; nocere vero corpori non potuit, ut apparet expellentis potentia.

ANNOTATIO LXIII.

Augustinus lib. 4. de consen. Euangelist. cap. 2. concordans locum Mar. 1. in quo Daemon dicitur discerpisse hominem, cum hoc Lucas, ubi nihil illi nocuisse asserit, inquit, sic nihil nocuisse dicitur, quia illa iactatio membrorum atque vexatio non debilitauit hominem, sicut solent exire daemonia etiam quibusdam membris amota vexatione elisis. Hanc Augustinus. Victor Antiochenus Mar. 1. aliter concordat; dicit enim hominem vexatum fuisse, & iactatum humo, nec grauius lauciatum, & hoc Lucas referre. facilius autem respondere possumus, uti supradictum est, discerpionem

non in corpore, sed in vestibus fuisse factam; Lucas vero de nocumento corporis locutus est, quando scripsit, nihil illi nocuisse. Aduertendum autem est Christum miracula quidem fecisse, corporibus vitia, precipue tamen intendisse animarum salutem, quae erat per fidem in ipsum, idcirco permittebat aliquando Daemonibus, ut eiecerit a corporibus, nocumenta quaedam illis inferrent, a quibus ipse postea ea sanabat, ut aduersarij potentia, & malitia manifestata, virtus diuinitatis sanantis agnosceretur.

Et factus est pavor in omnibus.

COMMENTARIA.

Pavor est quidam timor rei magnitudine intellectum dimouens, ut nesciat inuenire rationem, & causam ipsius; quo pauore omnes, qui tunc, cum Christus Daemonem eieceret, aderant, correpti fuere; timuerunt enim in praesentia tantae virtutis, & potentiae, quanta apparebat in Christo, & eorum mentes confusae sunt, ignorantes, unde, aut qui esset, qui tali, ac tanta virtute pollebat. Fuit autem pavor hic non tam voluntarie ab illis excitatus, quam ipsius facti nouitate, ac magnitudine ingestus, ideo dicitur, factus est pavor in omnibus.

ANNOTATIO LXIII.

Quod Lucas nunc dicit (pavor factus est in omnibus) Marcus significauit verbis hisce (& mirati sunt omnes) non enim haec diuersa sunt, quod ex Graecis verbis manifestius est: nam Lucas vsus est nomine θαμβος, Marcus vero verbo θαμβησας, quasi Latine diceremus (& expauerunt omnes) est autem pavor plusquam timor, & quae admiratio. plus quidem quam timor, quia non semper timor mentem mouet a loco, ut nesciat timere, rei quae timetur, inuenire rationem: hoc vero pavor

facit. Plus etiam quam admiratio, quia haec non semper est cum timore, & metu, pavor autem vtriusque concludit. expauerunt ergo isti, quia timuerunt maiestatis, & potentiae magnitudinem, sicut timere solent minores, & infirmiores in praesentia maiorum, & fortiorum, ne sibi ab eis aliquid mali inferatur, cui non valent resistere; eo maxime, quod sibi suorum peccatorum conscij erant, unde autem tanta maiestas, ac potentia esset, causam non inueniebant, ideo pavor fuit super eos.

Et colloquebantur ad inuicem dicentes.

COMMENTARIA.

Proprium est horum, qui timent, & rei rationem ignorant, mutuis uti interrogationibus; singuli enim metu perculsi sperant ab aliis ignoratae rei inuenire cognitionem, qua sibi consulere valeant; inuicem ergo, qui expauerunt, loquuntur, & dicunt, vnus ad alium.

ANNO-

Quomodo Lucas & Marcus in hac sententia conueniant.

Pavor addit super timorem, & admirationem.

Quid per verbum, hoc loco sit intelligendum.

Series historice textur.

ANNOTATIO LXV.

Marci verba indicant, hanc sententiam sic continuari debere, nempe pavor fuit in omnibus, ita ut colloquerentur inuicem, & dicerent; sic enim habet Marcus, & mirati sunt omnes, ita ut conqui-

rerent inter se dicentes. quibus verbis significatur, tantum fuisse pauorem, ut eo impellerentur ad mutuas interrogationes, quibus rationem facti inuestigarent, ut in commentario dictum est.

Quod est hoc verbum? quia in potestate, & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt.

COMMENTARIA.

Magnitudinem operis admirantes, & pauentes dicunt, quod est hoc verbum? id est, magnum, & inscrutabile opus hoc est, cuius causam, & rationem assequi non possumus. Explicant autem opus hoc, nempe quod immundis spiritibus potestate, id est, auctoritate, tanquam dominus imperat; nec sola potestate, & auctoritate, sed etiam virtute, & potentia, nam ad imperium eius illi exeunt. Non semper potestas, & auctoritas virtuti est coniuncta, contingit enim homines aliquid imperare auctoritate, carere tamen virtute, & potentia, ut quod imperant, efficiatur; saepe etiam virtus est sine auctoritate, & potestate; nam hominibus conceditur virtus, miracula, aut aliquid aliud faciendi non ex dominio, sed ex ministerio; at Christus auctoritate, seu potestate, & virtute miracula operabatur, & immundos expellebat spiritus, quasi Dominus, & quasi potens, idcirco hoc admirantur Iudaei, ac pauent.

ANNOTATIO LXVI.

Theophylactus (verbum) interpretatur sermonem ipsum, quo vsus est Christus, dicens (obmutescite, & exi ab illo) ut sit sensus, qualis, & quanta potens est sermo iste, quod imperat demonibus, & exeunt hac relata expositione, adfert etiam aliam Euthymius Mar. 1. quam recipiunt quidam recentiores (verbum) doctrinam Evangelicam interpretantes, quasi hi admirarentur, quod eam tanta virtus comitaretur, ac tanta docentis potestate comprobaretur. vtramque expositionem verba Marci referunt, videntur, sic enim habet. Quidnam est hoc? & quanam doctrina haec noua? Quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Quibus verbis prior expositio non videtur accommodata: illud namque (quid est hoc?) non sermonem, sed factum ipsum indicat, & his responderet, quod dicit Lu-

cas, quod est hoc verbum? similiter posterior interpretatio rejicitur: nam aliud est illud (quae doctrina haec noua? quod Lucas tacuit, & solum meminit, illius (quid est hoc?) Est igitur tertia expositio Victoris Antiocheni Marci. 1. qui ad factum ipsum refert, ut in commentario dictum est; phrasim enim est Hebraeae verbum pro facto, & opere vsurpare, ut adnotauimus saepe, & maxime super illa verba superiora (videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Deus.) Dicitur autem Christus. in virtute Spiritus eiecerit, ad distinctionem magorum, & eorum, qui ex demonum pacto eosdem expellunt; Christus vero virtute eiecerat eos. Dicitur autem in potestate, quia non ut Prophetarum, & Sancti homines, tanquam ministri Dei; at Christus ut Deus, & Dominus eos exire imperabat.

Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

COMMENTARIA.

Verba Marci locum hunc explicant: processit, inquit, rumor eius statim in omnem regionem Galilaeae. Tam praclaro, & insolito facto nomen Christi diuulgabatur per totam illam regionem Galilaeae, in qua gestum fuit. Dicitur autem (statim) quia breuissime per totam regionem fama percrebuit.

Surgens autem IESVS de Synagoga introiit in domum Simonis.

COMMENTARIA.

Post miraculum praecedens protinus hoc subsecutum est; egressus enim Christus de Synagoga Capharnaum, ubi hominem a daemone obsessum liberauerat, in domum Simonis se recepit, ut cibo corpus reficeret, ubi socri Simonis febris laboranti sanitatem restituit, ut in sequentibus narratur.

ANNOTATIO LXVII.

Historiae contextus, ut ex Marco constat, talis est. Praeteriens IESVS Mare Galilaeae, vidit duos fratres Simonem, & Andream mittentes retia in mare, & vocauit eos; illi autem relicta retibus sequuti sunt eum, & progressus paululum, vidit Iacobum, & Ioannem eius fratrem, qui vocati secuti etiam sunt eum. post haec cum illis venit Capharnaum, ibique in Synagoga, hunc obsessum a daemone liberauit, protinus autem

inde egressus cum praedictis Discipulis, Simonis domum ingreditur, ubi miraculum sequens operatus est, quod Marcus significat dicens: protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum Simonis, & Andream cum Iacobo, & Ioanne, quod eodem die gestum esse cum praecedenti manifestum est. Hinc constat Matthaeum ca. 8. narrantem hoc miraculum post Centurionis historiam, quam Lucas refert cap. 7. non seruasse ordinem temporis, sed post-

posuisse, quod prius factum erat, ut solent Euangelisti aliquando facere. Victor Antiochenus cibi sumendi causa se in domum Simonis Christum recepisse affirmat, id quod confirmat subsecutus est; nam ibi a focru Simonis illi ministratum est. Commendat autem Ambrosius lib. de Viduis, Saluatoris clementiam, & humilitatem, qui vilis, inquit tugurij penetralia non est dedignatus succedere. Marcus cap. 1. non solum Petri, seu Simonis, sed etiam Andree domum hanc vocat. Vbi insurgunt duae difficultates, quarum prior est, cum Simon, & Andreas essent de Bethsaida, ut constat Ioan. 1. quae media est inter Capharnaum, & Magdalum; qua ratione domus eorum dicitur fuisse in Capharnaum. Quidam recentiores hanc domum non in Capharnaum, sed in Bethsaida asserunt extitisse, sic enim historiam uident, ut Dominus postquam in Synagoga Capharnaum hominem obsessum a demone liberauit, profectus sit in Bethsaida, & ibi domum Simonis, & Andree fuerit ingressus, ad hoc autem affirmandum inducti sunt praedicto argumento, quod Simon, & Andreas erant de Ciuitate Bethsaida. Huic tamen sententiae obstare uidentur uerba Euangelistae, sic enim habet: surgens Iesus de Synagoga introiuit in domum Simonis, quod etiam refert Marcus. Quae uerba significant non in aliam Ciuitatem profectum tunc esse, sed ex Synagoga in domum illam se recepisse. Est autem argumentum efficax contra eam sententiam; nam quando hoc miraculum in Synagoga fecit, erat Sabbatum, ut constat ex antecedentibus; egressus igitur non potuit venire Bethsaida, nam Sabbato non poterat confici iter, nisi ad uicium

milliare, quod dicebatur iter Sabbati: Bethsaida autem multo distantior erat a Capharnaum. nec argumentum recentiorum alicuius momenti est, nam & Christus domum habuit in Nazareth, ubi conceptus, & nutritus est; postea uero habitauit in Capharnaum, ut habetur Matth. 4. sic & Simon, & Andreas, licet nati essent, & educati in Bethsaida, tamen domum habitationis habere potuerunt in Capharnaum, quod probabile facit, quia cum piscatores essent, eum locum habitationis elegerunt, qui erat uiciniore mari, qualis erat Ciuitas Capharnaum; etsi enim Bethsaida non multum distaret a mari Galilaeae, tamen Capharnaum erat multo uiciniore, ut pote ad littus sita. quam sententiam secuti sunt quidam alij recentiores, & probabilitate non caret. Mihi tamen probabilius dicendum uidetur, domum hanc non fuisse Simonis, & Andree propriam, sed focrus Simonis. in eam tamen eos se recipere solitos fuisse, quoties in Capharnaum diuertebant propter affinitatem. unde dicta est domus eorum, quantum ad habitationem. propria tamen eorum domus erat in Bethsaida. Haec sententia conformis est traditioni Epiphaniij, qui haere. 51. refert Petrum a Bethsaida fuisse, tamen uxorem duxisse a Capharnaum, unde focrum illius ibi sanauit Christus a febre. Posterior difficultas est, quomodo dicta sit domus eorum, si iam reliquerant omnia. Huic facile responderi posset iuxta id, quod proxime diximus, nimirum domum hanc non propriam illorum fuisse, sed focrus Simonis. Quod si propria erat eorum, dici potest eos reliquisse omnia, quantum ad proprietatem, non autem quantum ad usum: nam & post Resurrectionem retribus usi sunt.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

COMMENTARIA.

Prosequitur Euangelista miraculi historiam, describitque personam, & miraculi materiam. causa cibi sumendi diuerterat, sed quae ministratura erat, decumbat infirma. Socrus, inquit, Simonis magnis febribus tenebatur. Socrus autem Simonis dicitur, cuius filiam Simon, priusquam a Christo uocatus esset, duxerat uxorem, quae teneri febribus magnis dicitur, quia cogebatur decumbere praemorbigravitate, nec ministrare poterat.

ANNOTATIO LXVIII.

Tertullianus lib. de Monogamia, a nomine focrus, deducit Petrum fuisse uxorem: agnosco, inquit Petrum maritum per focrum: quod etiam recipit Hieronymus lib. 1. aduersus Iouenianum: Socrus enim nomen est affinitatis, quae ex matrimonio ortum habet. An autem eo tunc temporis superstes

esset uxor, Hieronymus negare uidetur; Clemens uero Alexan. lib. 7. Stromatum affirmat, dicens eam postea pro Christo martyrium subisse. Socrum hanc inter uiduas Ambrosius lib. de Viduis, numerat, quia tunc, cum sanata est, uidua erat. Haec nunc attigisse sit satis.

Et rogauerunt illum pro ea.

COMMENTARIA.

Non tantum ex fide, & proximi dilectione preces hae emanabant, sed etiam ex quadam necessitate; credebant quidem, qui rogarunt, potuisse Christum illam a febribus liberare, & affectu dilectionis, quo eam prosequerantur, sanitatem illi optabant. praeter haec tamen cum non haberent, qui mensae ministraret, necessitate quadam compulsi rogauerunt pro ipsa. tales preces Dominus exaudiuit, quando expedire nouit. Bonum igitur est, & Deo gratum, preces pro infirmis ad Deum fundere, pro sanitate illorum impetranda, tunc maxime, quando sanitas honesto fine desideratur.

ANNOTATIO LXIX.

Marcus addit (statim dicunt de ea) id est, certiorum faciem Dominum de infirmitate focrus, quae erat ministratura; & pro ea rogarunt, ut dicit Lucas. Ambrosius autem lib. de Viduis, eos, qui nuc

rogasse dicuntur, Simonem, & Andream fuisse testatur, quod uerum est, si tamen alios non excludamus. cum enim ex Marco constat, Dominum non cum solis his duobus sed etiam cum Iacobo, & Ioanne domum

rum illam ingressum esse, probabile est eos omnes discipulos pro illa rogasse. Athanasius uero orat. 4. contra Arianos, causam precum insinuat, nimirum

necessitatem ministerij; necessitas, inquit, requirebat ut Dominus focrum Petri febrientem excitaret, quod etiam asserit Victor Antiochenus Mar. 1.

Et stans super illam.

COMMENTARIUS.

Anuit precibus Discipulorum Dominus, & sanaturus eam, adstitit super illam, id est, accessit decumbenti, ac inflexo corpore manum eius apprehendit, erigens eam, hoc enim Marcus explicuit dicens, accedens eleuauit eam manu eius apprehensa; non enim manus iacentis tangi potuit, nisi Christo se inclinante, & corpus flectente, & hoc est, quod dicitur (stans super eam) noluit enim absentem sanare, cum posset, sed praesentem, ut sic illius fidem magis sibi conciliaret; sic enim illa ignorare non poterat se imperio Christi sanitatem recepisse.

Imperauit febre, & dimisit illam.

COMMENTARIA.

Non utitur precibus, ne reputetur simplex quidam Propheta, aut purus homo; sed imperio, ut credatur DEVS, & Dominus, qui uerbi sui uirtute omnia operatur, & mouet; quod rei probauit euentus; nam ad Domini imperium recessit febris, & restituta est sanitas.

ANNOTATIO LXX.

An legendum sit imperauit, an uero iacrepauit.

Verbum (imperauit) Graece ἐπιτιμήσατο, illud idem est, quo paulo superius usus est Euangelista dicens (increpauit illum IESVS dicens, obmutescite) quod quidem uarie uulgato interpretatur: nam praedicto loco, & Matth. 16. ubi idem est Graecum uerbum, uertit uerbo increpandi: coepit, inquit, Petrus, increpare illum. alijs tamen in locis idem uerbum interpretans uertit uerbo imperandi, aut praecipendi, nam Matth. 8. habetur, imperauit uentis, & mari, & Matth. 12. praecipit eis, ne manifestum eum facerent. in omnibus autem his locis Graece idem est uerbum. Hoc ergo in loco interpretatus est (imperauit) sicq. Ambrosius lib. de Viduis, legit. Euthymius autem non solum explicat iuxta hanc significationem, sed etiam censet non esse explicandum uerbo increpandi; eaq. significationem cum uulgato secuti sumus in commentario. quidam uero recentiores idem uerbum retinentes legunt etiam in hoc loco (increpauit febrim) & re uera uerbum Graecum ἐπιτιμήσατο, plus indicat, quam Latinum (praecipit) aut (imperauit) nempe comminando praecipere, ut Matth. 12. praecipit, inquit, eis, ne eum manifestum facerent, id est, (additis minis iussit) aut cum quadam reprehensione aliquid dicere, quomodo Matth. 16. dicitur, Pe-

trus increpasse Christum: aut cum obiurgatione iudicare, ut paulo superius dicitur: increpauit eum dicens, obmutescite. quae etiam significatio huic loco accommodari potest. quod si quis obijciat, quae increpatio fieri potuit febris sensus incapaci a Respondeo primo: si ea obiectio efficax esset, nec etiam esset febris imperandum; nam nec uoces imperantis percipere ualuit febris. Secundo, quia uerbum Christi non tantum significationem, sed etiam uirtuosum, & potens erat, idcirco uerbis potuit febrim expellere, & insensibilia mutare: non ergo uerbatur hoc imperio, ut febris, aut insensibilia perciperent significationem, sed ut ea uerbi uirtute uidentes excitarentur, & noscerent potestatem, & dominium, talia uerba proferentis: significabant ergo uerba haec hominibus; operabantur uero in rebus insensibilibus. Iuxta hoc tertio dico, Christum increpasse febrim, ut significaret hominibus audientibus huiusmodi mala, ac infirmitates culpa hominis emanasse; non enim sic Deus hominem a principio fecit, sed ipse talem se reddidit peccato suo; increpatio igitur febris culpam, & causam respexit; uirtus autem uerbi illam expulit, ac sanitatem restituit.

Et continuo surgens ministrabat illis.

COMMENTARIA.

Virtus diuina eo se prodidit, quod magnis febribus detentam, uerbo solo, & tactu tam celeriter, tamque perfecte sanauit, ut continuo mensae ministrare posset; & quae ad cibum necessaria erant praeparare. Apparet in his uerbis miraculi occasio, ut supra diximus, nempe necessitas quadam ministrandi. Exemplumque datur infirmis, ut Victor Antiochenus notauit, ne sanitatis beneficium aut praepostere a Deo expetant, uerum eo praecipue animo, ut sanitatem iam adepti praepostere illius accuratius pareant: sanctisq. eiusdem necessaria uitae praesidia facilius subministrare valeant.

Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum.

COMMENTARIA.

Eodem die Sabbati, quo utrunque miraculum narratum edidit Christus; post occasum uero Solis multi infirmi varijs languoribus affecti ducuntur ad eum a parentibus

rentibus amicis, familiaribus, alijsue personis, vt sanentur ab illo. Non temere autem tempus notatur, post Solis nempe occasum; Iudæis enim illis persuasum erat Sabbathi curare fas non esse, sed & Iudæorum proceres id ipsum turbis vitio dabant Luc. 13. dicentes, sex dies sunt in quibus oportet operari. in his ergo venite, & curamini, non in die Sabbathi, eo nunc maxime, quia opus quoddam corporis miscebatur, quo infirmi, & debiles, à recte valentibus portabantur: eius ergo rei causa Sabbathi finem expectarunt; post Solis enim occasum opus quoduis exercere licebat.

ANNOTATIO LXXI.

Verba hæc
iuxta Lucæ, &
Marci Euan-
gelium expo-
nuntur.

Marcus cap. 1. sic habet (vespere autem facto, cum occidisset Sol, afferebant ad eum omnes male habentes) quod vt notat Augustinus lib. 2. de confen. Euan. cap. 2. indicat hæc, quæ sequuntur, ad eiusdem diei tempus pertinere, in quo focus Petri sanata est. vbi notandum est, non superflue additum esse priori verbo (vespere facto) illud posterius (cum occidisset Sol) vt enim notauimus in commentarijs in Ioann. cap. 13. annotat. 4. duplex erat vesper apud Iudæos. vnum, quod paulo post meridiem est, quod nos appellamus hora vesperarum, alterum post Solis occasum, ideirco Marcus adiecit (cum Sol occidisset) vt de posteriori vespere se loqui significaret; illud enim prius ad diem Sabbathi spectabat, in quo operari non licebat. causam autem in commenta-

rio expositam, cur post Solis occasum infirmi sint ad Christum adducti, adfert victor Antiochenus Marc. 1. vbi respondet etiam obiectioni cuidam, nempe cur Discipuli Domini ante Solis occasum sanitatem, seu curationem petierunt pro focro Simonis. ad quam obiectionem sic inquit: Christi Discipuli, qui nonnullos iam in fide progressus habebant, vespera non expectata, Iesum, vt Petri focrum à morbo exuscitaret, rogant. Hæc ille. Marcus multitudinem hanc infirmorum, & eorum, qui simul venerant cum eis, sic explicat: afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes, & erat omnis Ciuitas congregata ad ianuam, scilicet domus illius, ad quam diuerterat.

At ille singulis manus imponens curabat eos.

COMMENTARIA.

Qui poterat sola voluntate curare, manus impositione vsus est, vt distinctius omnes agnoscerent medicum, à quo sanabantur; qua etiam de causa non simul omnes verbo vno, sed singulis manum imponens sanitatem restituebat; sic etiam eis clementiorem se exhibebat; simulq. significabat vnumquemq. beneficio accepto ita deobligatum manere, ac gratum se debere benefactori præstare, ac si solus ipse beneficium recepisset; vitium enim hominum est frequens, minus obligatos se agnoscere beneficijs, quæ alijs etiam conferuntur, quasi maior liberalitas conferentis minus obliget recipientes, cum potius id debeat eos efficere magis gratos.

ANNOTATIO LXXII.

Matthæus cap. 8. hanc referens historiam citat testimonium Isaiæ 53. sic enim habet, vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eiciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curabat, vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam, ip-

se infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. in cuius loci explicatione non immorabor, quia non ad nostra commentaria in Lucam ea verba pertinent.

Exibant autem à multis dæmonia clamantia.

COMMENTARIA.

Vtex Marco constat, non tantum male habentes, sed etiam à dæmonibus obsessi afferebantur ad Christum, qui varijs languoribus affectos curabat, & dæmonia à corporibus eiciebat; exhibant autem dæmones virtute ac potentia Christi oppressi, ac eoacti, clamantes, & clamore ipso testificantes se inuitos à corporibus, quæ obsidebant, expelli. Dicit autem (à multis) quia non omnia dæmonia, quæ Christus tunc expulit; clamabant, ipsumq. confitebantur.

Et dicentia, quia tu es filius Dei.

COMMENTARIA.

Confitentur dæmones eiectioni (Christum filium Dei, tum timore, ne grauiori poena ab ipso afficiantur; tum superbia, ne ab homine puro videantur expelli, ac superari. Malunt enim veritatem confiteri, quam ab illa excellentia, quam apud homines ambitiose, & superbe expectant, vel minimum deturbari; minoris autem fieri sibi videbantur, si ab eo, qui Deus non erat, inuiti eijcerentur: Hæc autem verba per ora eorundem hominum, à quibus exhibant; loquebantur.

ANNO-

ANNOTATIO LXXIII.

Verba & co-
rri sensus ma-
gis declaran-
tur.

Priorem causam confessionis huius dæmonum, tradit Augustinus tract. 10. in Epistolâ Ioannis, nempe timorem, nam confitebantur eum esse filium Dei, vt ab eis discederet. idem etiam dicit serm. 33. de verbis Apostoli. Quod autem ad litteram spectat, Græca quædam exemplaria habent sic, (quia tu es Christus filius Dei) sicque legit Euthymius. Latina vero vulgata non habent illud (Christus) & existimo nullo modo legi debere, nam contradiceret verbum hoc sequenti sententiæ, non sinebat ea loqui, quia sciebat eum esse Christum. quæ sententiæ indicat,

Et increpans non sinebat ea loqui.

COMMENTARIA.

Christus eorum superbiam, & malitiam increpans silentium imposuit, ne plura, quam quæ dicta sunt, loquerentur; nisi enim eos dæmones à loquendo prohibuisset, eum esse Christum, & Messiam à Iudæis expectatum, per ora illorum hominum palam, & expresse annunciaissent, non quidem intentione recta, sed peruersa, vt prædicationis eius veritatem diminuerent, quasi à fallacibus dæmonibus annunciatam.

Quia sciebat eum esse Christum.

COMMENTARIA.

Causa est hæc, cur illis silentium imponebat, nempe, quia nouerant eum esse Christum, ne igitur veritas à fallacibus dæmonibus, & ante tempus prodiret, non sinebat eos loqui; non enim ab eis, nec tunc temporis ita manifeste annuncianda erat.

ANNOTATIO LXXIV.

Particula
(quia) cau-
sam nō decla-
rationem im-
portat.

Græcus sermo ambiguus est: particula enim *ὅτι*, Latine (quia) & declarationis est, & causæ. si priori modo accipiatur, sensus est, præcedentibus sic connexus: non sinebat dæmonia loqui, hoc nimirum, quod scirent eum esse Christum: si vero posteriori modo accipiatur hæc sententiæ causa est præcedentis, nempe causæ, cur non sinebat eos loqui, ea erat, quia illi nouerant eum esse Christum, sicut in Commentario explicatum est. Euthymius Marc. 1. priorem videtur sequi sensum, cui etiam nonnulli ex recentioribus contentiunt; mihi tamen posterior accommodatior visus est: si enim dæmones hi dixissent, nos scimus te esse filium Dei, tunc quadraret expositio prior, nempe, non sinebat eos loqui hoc, quod scirent eum esse Christum, at non sic se habent illorum verba, sed dicunt, tu es filius Dei. dicendum ergo erat, non sinebat eos loqui ipsum esse Christum, sicut Matth. 16. dictum est, (præcepit eis, ne cui dicerent, quoniam ipse esset Iesus Christus) vbi non dicitur (ne cui dicerent, quoniam scirent ipsum esse Iesum Christum.) verbum ergo illud (sciebat) confirmat particulam illam, (quia) non declarationem, sed causam indicare. Hoc autem verum est, siue vno, siue altero modo interpretemur, verba hæc in eundem incidere sensum: nam, dum causa assignatur, cur non sinebat dæmones loqui, nimirum, quia sciebat eum esse Christum, indicatur, quid sit id, quod non sinebat eos loqui, nimirum eum esse Christum. Est autem obseruatione dignum, ter dæmones Christum confessos esse. Primo quidem paulo superius, quando dæmon ille dixit: Scio te, quia sis sanctus Dei. Secundo loco hoc, & Mar. 1. quando plures dæmones confitebantur, tu es filius Dei. Tertio Matth. 8. Mar. 5. & Luc. 8. quando deprecabantur, vt permitteret eos abire in porcos, dicebantq. (Iesu fili Dei Altissimi) nunquam tamen eos illū appel-

Dæmones ter
Iesum confes-
si nunquam
Christum ap-
pellauerunt.

dæmones non manifestasse eum esse Christum; licet enim idem sit filius Dei, qui Christus; tamen nomen Christi non pronunciauit dæmon, vt paulo post explicabitur. si ergo legeremus (tu es Christus) non esset verum, quod sequitur, prohibuisse dæmonibus, ne loquerentur eos scire illum esse Christum; idem enim est sensus, etiamsi eam sententiæ causaliter exponamus: retinenda igitur est lectio vulgata communis, cuius rationem sequenti Annotatione explicabimus.

Et increpans non sinebat ea loqui.

Quia sciebat eum esse Christum.

COMMENTARIA.

Causa est hæc, cur illis silentium imponebat, nempe, quia nouerant eum esse Christum, ne igitur veritas à fallacibus dæmonibus, & ante tempus prodiret, non sinebat eos loqui; non enim ab eis, nec tunc temporis ita manifeste annuncianda erat.

lasse Christi, seu Messiam legimus. Immo, hoc est, quod superius loqui vetuit, quando dixit (obmutescite) & nunc cum dicitur, non sinebat eos loqui, additurque causa, non, quia sciebat eum esse filium Dei, sed quia sciebat eum esse Christum. Quamuis autem re ipsa idem sit filius Dei, qui Christus, seu Messias; non tamē id erat confiteri eum esse filium Dei, & Christum, quod manifestant verba ipsa Euangelica; nam dæmonibus confitentibus illum filium Dei, veritum est, nec eum Christum esse loquerentur; immo Matth. 16. eum Petrus coram discipulis confessus esset vtrunq. dicens, tu es Christus filius Dei viui: Christus ipse prohibuit illis prius, præcepit, inquit, discipulis suis, vt nemini dicerent, quia esset Iesus Christus. inuestiganda igitur sunt huius rei causa, & mysterium. Nemo autem, vt paulo ante diximus, ignorat, si rem ipsam consideremus, eundem esse, qui sanctus Dei; filiusq. Dei dictus est, & Christum ipsum, qui diuersis rationibus his nominibus appellabatur, cum vnus, & idem esset. Hoc tamen erat discriminis. Primo quidem, quod Christi nomen erat cunctis Iudæis notius, & manifestius; omnes enim tam sapientes, quam insipientes in eum credebant, & futurum expectabant, quem Messiam, seu Christum appellabant; eum autem filium Dei esse non omnes nouerant, quod satis indicauit ipse Christus, quando Matth. 22. interrogauit Doctores illos Iudæos, Christus quando uenerit, cuius filius est? volens probare eum, quem Messiam credebant, & sperabant, filium esse Dei, dicente Dauid in Spiritu: Dixit Dominus Domino meo. à principio etiam multi eum confitebantur Christum, & tamen nondum esse filium Dei intelligebant: nam & Martha, & Maria Christum scientes Ioan. 1. non statim diuinitatem eius nouerunt, vnde illi dictum est, nonne dixi tibi, quia si credideris videbis gloriam Dei? eaque de causa illa insignis Petri confessio

Rationes ob
quas Domi-
nus noluit à
dæmonibus
Christum nun-
cupari.

Matth. 26.

com-

commendatur, quæ utrumque complexa est: Tu es Christus filius Dei viui. Martha etiam, postquam à Christo edocita, & instructa est, protulit: Credi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Hinc factum est, vt licet dæmones confessi essent illum filium Dei, non tamen propterea omnes intellexerint illum esse Christum, & Messiam, & maxime, quod nomina illa ab audientibus non ita perfecte intelligebantur, & poterant nō. Messie, sed prophete alicui insigni tribui. Secundo, Ex nomine Christi, maiorem occasionem insequedi eum Iudei acceperunt, quam ex nomine filij Dei; ex illo enim Christum Regem futurum sperabāt, cum ideo Christum, id est, vñctum dictum reputarent, quia regnum temporale adepturus esset. cui argumentum illud est, quod Luc. 23. vt apud Pilatum deseruissent, quod Regnum Cæsaris usurpare tentasset, dixerunt: Hunc iudicemus subuertentem gentem nostrā, prohibentem tributā dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. Hoc vltimum verbum (Regem esse) addiderunt, vt significarent Pilato Gentili, qui se Christum dicit, consequenter asserere se Regem esse. Confirmat hoc, quod cum Ioan. 19. audisset Pilatus à Iudæis, Christum filium Dei se facere, ti-

mit quidem, ne quis ausus est eum morti tradere, ac cum iterum audisset illum se Regem facere, nimirum, quia se esse Christum confitebatur, statim eum occidere propter Cæsarem; vnde Matth. 27. dixit. quid igitur faciā de Iesu Nazareno, qui dicitur Christus? & milites Regis insignia illudentes eum induerunt. Hæc est etiam causa, cur Iudæi Ioan. 8. cum iam audissent Christum filium Dei esse, nondum sibi videbantur sufficientem habere causam perdendi eum apud Presidem Romanorum; idcirco accesserunt ei dicentes, quousque animam tollis? si tu es Christus dic nobis palam, quorum dolos Christus intelligens, veritatem confessus est, se nempe filium Dei esse. ex quo illi deducere poterant, eum esse Christum, & Messiam; tamen ab ipso Christi nomine abstinuit, vnde nec illum accusare poterunt. Patet igitur ex his causa, cur noluit Christus hoc nomine à dæmonibus manifestari, nempe quia hæc manifestatio erat Euangelica, & ad Apostolos spectabat; & quod maxime ad Iam factū, ne ante tempus exirant contra eum Iudæos, ministrarēque occasione cum apud Gentēs accusandi; ob id enim etiam Discipulis id verum, vt supra diximus.

A N N O T A T I O L X X V.

Difficultas grauis se offert, an Dæmon nouerit Christum, non loquimur autem de tempore ante tentationem, & Christi predicationem, ac miracula; eo enim non nouit; sed sermo est de tempore post tentationem, & maxime postquam prædicare, & miracula facere cœpit, quando per os illius superius narrati hominis locutus est, dicens: Scio te, quia sis sanctus Dei; & nunc multi clamauerunt, quia tu es filius Dei. Et quidem difficultas duas habet partes. vna est, an nouerit illum esse Christum, & Messiam. altera est, an cognouerit esse filium verum, & naturalem Dei. Prior pars non habet magnam controuersiam, nempe Dæmonem nouisse Christum esse Messiam promissum) quod verba Euangelica satis aperte indicant, nempe (sciebant eum esse Christum) idque ex miraculis, & Scripturarumque signis, & prædicationibus assequi potuit; dæmonibus enim Christi miracula admirabiliora erant, quam hominibus; propterea quod illi causas multarum rerum cū nossent, videbant omnem vim naturæ superare, esseque vera miracula. Præterea, quia illis erat manifestum, illa miracula non dæmonis, sed diuina virtute facta, quod hominibus non erat ita perspicuum, licet certum esse potuerit. cum ergo miraculis probaret Christus se esse Christum, & Messiam, id Dæmon non ignorabat, quod nec hominibus ignorare licuit: nec potest dici Deum impedisse, ne Dæmon Christum agnosceret; sed hoc enim impedimento non solum non constat, sed id potius Scriptura non fuisse testatur, cum legamus, quod dictum est de dæmonibus, nempe, sciebant eum esse Christum. Posterior autem pars est in controuersia posita, nempe, an nouerit Christum filium Dei esse. De qua re Hieronymus Matth. 8. refert quorundam sententiam, affirmatiuam, dæmones id nouisse, non autem Diabolum, qui inter eos maior, & princeps est; hic enim, vt pote nequior ignorauit, malitia maxime excæcante eum. quam sententiā ipse Hieronymus irridet, asseritque, neminem illorum nouisse, omnes verò suspicatos fuisse. Verba Hieronymi sunt hæc: Ridicule putant quidam dæmones scire filium Dei, & Diabolum ignorasse, eo quod minoris malitiæ sint isti, quam ille, cuius satellites sunt; cum omnis scientia discipulorum ad magistrum referenda sit: & tam dæmones, quam Diabolus suspicari magis filium Dei, quam nosse intelligendi sunt; nemo enim Patrem nouit,

An dæmones nouerint Dominum esse Messiam.

An dæmones nouerint Christum esse filium Dei.

et dicitur

nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Hæc Hieronymus. Cuius sententia si ponderetur, non videtur argumentis admodum efficitur confirmari; duabus enim rationibus vitur contra opinionem recitatam. prior est, quæ ostendit, non posse Diabolum ignorare, quæ inferiores dæmones sciunt; quia Diabolus, inquit, est magister, dæmones vero discipuli: non ergo ignorare potuit Diabolus, quod nouerunt dæmones. quæ ratio efficax esset, si scientia omnis dæmonum esset à Diabolo per doctrinam, aut disciplinam, aut reuelationem accepta. Hoc autem non ita est; naturalem enim scientiam omnes à Deo ipso immediate cum natura, & intellectu receperunt insulam. Acumine autem intellectus vnusquisque multa assequitur per se. vnde potest nosse minor, quæ non nouit maior; sicut discipuli mala norunt, quæ magistri ignorant, præter ea, quæ per disciplinam acceperunt. Posterior ratio Hieronymi est, quæ probat omnes suspicari quidem, sed neminem nosse: nemo, inquit, nouit Patrem; nisi cui voluerit Filius reuelare: at Filius non reuelauit dæmonibus Patrem: igitur non potuerunt nosse Filium. Nec hæc etiam ratio efficax est; fateor enim neminem nouisse Patrem, & Filium, nisi cui voluit filius reuelare; tamen dicimus Filium reuelasse se dæmonibus, non quidem infundendo lumen fidei, sicut viatoribus; nec per lumen gloriæ, sicut beatīs, sed per miracula quæ fecit, & verba, quæ docuit illis non ignota; ex his enim dæmones suo adiuti intellectu à Deo illis dato affectui sunt illum esse filium Dei; simul etiam per Scripturas, & prophetias. quod Aug. lib. 9. ciui. c. 21. fatetur dicens, Christum Dei filium manifestasse se dæmonibus, quantum ipse voluit, voluit autem quantum oportuit, oportuit vero quantum eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum tyrannica, quam modo potestate fuerat liberaturus prædestinatus in suum Regnum. Innotuit autem dæmonibus non per id, quod est vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios, cui viuendo per fidem, quæ in illo est, corda mundantur, sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissima signa præsentis, quæ Angelicis sensibus etiā malignorum spirituum, potius quam infirmitati hominum possent esse conspicua. Hæc ex Augustino habentur, quibus ratio Hieronymi facile dissoluitur, firmaturque sententia, dæmones nouisse Christum Dei filium, Quam etiam

anti-

antiqui, & graues patres amplexi sunt. Gregorius enim Nazianzenus orat. 2. in Pascha, quæ ordine est 43. exprobat Arianis eorum infidelitatem, dicens: dæmones nouisse Christum filium Dei, quod ipse negabit: asserit autem dæmones id cognouisse, ex doctoribus, quos sentiebant, quando ab ipso iugabantur. Irenæus etiam lib. 4. cap. 14. in eadem est opinione, scilicet dæmones nouisse Christum filium Dei. Ambrosius etiam lib. 3. de fide, cap. 7. Gregorius etiam lib. 3. moral. cap. 11. asserit dæmones nouisse Christum filium Dei ex miraculis. at vero ex infirmitate carnis ignorare postea, allegatque locum hunc Lucæ, quo constat eos tunc nouisse. Vnde etiam Antiochenus, quæ supra retulimus, asserit dæmones simulasse se scire, tamen non sciebant cetera scientiæ, & fidei, quod verum est: nam cognitio eorum opinio, non visio, non fides erat, si tamen bñctis non dicitur, quod multi non sciebant.

Ratione confirmatur, quod dæmones nouerint Christum esse filium Dei.

& forsan Hieronymus eam appellauit suspitionem. Quod autem dæmones nouerint filium Dei, illud mihi videtur satis efficaciter probare, quia Christus sufficienter argumenta dedidit hominibus, quibus non solum possent, sed etiam deberent credere eum filium Dei, cum ergo ea argumenta nota fuerint dæmonibus, non est cur ignorare dicantur. Præterea, cum nouerint eum esse Christum, & ex Scripturis, quæ illis cognita erant, deducatur, certo, filium Dei Christum esse, dæmonibus profecto ea veritas patuit. Nec est, cur quisquam dicat, dæmones nouisse Christum esse, & filium Dei, qua ratione illum interfici procurant: nam cum mortalem viderit, posseque mori, tentauit occidere, nescius illius mortem in eius ruina esse præparatam; putabat enim salutem hominum impedire interficiendo, & laqueo suo comprehensus est. De illi dissonantia, & quibusdam

egressus erat in desertum locum.

C O M M E N T A R I A.

Vespere illius diei, in quo Christus in Synagoga hominem à dæmone obsessum liberauerat curauit infirmos, & eiecit dæmonia, de quibus proxime dictum est: mane autem facta, quod est principium diei sequentis, succedens vesperi, & nocti tam illi, egressus est Dominus à Ciuitate Capharnaum, & iuit in desertum locum, vbi hominum habitatio nulla erat.

A N N O T A T I O L X X V I.

De concordia Euangelistarum super his verbis.

Marcus c. 1. habet (diluculo valde surgens, egressus est in desertum locum) Græce (Mane, noctu valde surgens egressus est) hæc autem non contradicunt verbis Lucæ: sic enim Euthymius conciliat. crepusculum enim diei seu diluculum dicitur valde mane, cum adhuc tenebræ sunt, quod dicit Marcus, & hoc idem est principium diei, quod narrat Lucas. Quidam recentiores aliter componunt hæc dissonantiam apparentem, nempe, Christum surrexisse diluculo valde, seu mane valde, non tamen est egressus Ciuitate, nisi orto die. Hoc tamen non est probabile: nam Christus egressus est turbis nesciens, vnde factum est postea, vt eum requirerent: id autem non esset, si orto die egressus esset. Accommodatius dici potest illud (facta die) connecti debere verbo (ibat) in hunc sensum, quod egressus

quidem est valde diluculo à ciuitate, sed antequam peruenisset in desertum, dies factus est; hoc enim significat (ibat facta die) prima conciliatio optima videtur. Ex his consequitur ea, quæ Matth. cap. 8. narrat post curationem infirmorum, & obsessorum à dæmone, vespere factam: non connecti proxime inter se, sed post tempore facta fuisse: nam quæ proxima fuerit, Marcus, & Lucas referunt, nimirum egressum in desertum locum, vt docet Augustinus lib. 2. de consen. Euang. cap. 22. Quid autem in deserto fecerit, Marcus significauit dicens (abit in desertum locum ibi orabat) deserta enim loca cōtemplationi eliguntur, ad turbas autem, & Ciuitates, vt misericordie opera, & miracula faceret, sicque doctrinam confirmaret, se conuertebat.

Et turbæ requirebant eum.

C O M M E N T A R I A.

Turbæ tot ac tantis affectæ beneficijs à Christo, qui infirmos earum sanauerat, & obsessos à dæmonibus liberauerat; non inuenientes eum domi, requirunt illum. trahunt beneficia homines; & animi ad veritatem recipendam multum disponuntur, cum benigna manus docentis præcedit.

A N N O T A T I O L X X V I I.

Factorij series declaratur.

Historiæ series hæc est, vt ex Marco constat, solus Christus primus egressus est in desertum locum diluculo, postea turbæ ciuitatis Capharnaum venerunt domum, requirentes Christum, nec inuenierunt. Deinde Petrus est ceteris Discipulis profectus est Christum, quem nouerant in desertum esse profectum. Turbæ autem post eos abierunt; & peruenierunt tamen primi Discipuli, & inuenientes illum dicunt omnes quærunt te, & ait illis: Eamus in proximis vicis, &

ciuitates, vt & ibi prædicem; ad hoc enim uenit cum autem iret, & à deserto egredieretur, inuenit eum turbæ, & videntes illum proficisci in alios vicos, & ciuitates detinebant ipsum, ne discederet ab eis: quibus ille iterum ait, quia & alij ciuitatibus oportet me euangelizare Regnum Dei, quia ideo missus sum. Profectusque inde prædicabat in pluribus Synagogis Galilææ. Hic est contextus huius historiæ ex Marco, & Luca desumptus.

Et uenit

Et venerunt usque ad ipsum.

COMMENTARIA:

VT ex annotatione precedenti constat, turbæ requirentes inuenerunt Christum post Petrum, & Discipulos, quando iam Christus ex deserto in vicos, & ciuitates Galilææ profecturus egrediebatur. Laudanda est turbarum constantia, quæ Christum quæserunt, donec inuenerunt. Hoc enim studium est perfectum, si bonum, quod deest, inuestigemus, donec assequamur.

Et detinebant illum, ne discederet ab eis.

COMMENTARIA.

PRECIBUS, & flagitationibus multis Capharnaitæ illum detinere conabantur, vt ab eis non discederet, nec in vicos, & ciuitates eis relictis abiret, non solum sanitarum, & liberationum cupiditate moti, sed etiam, & quidem præcipue, studio audiendi sermonem, & doctrinam ipsius, vt verba Christi sequentia indicant.

Quibus ille ait.

COMMENTARIA.

MAGNA Christi clementia ostenditur, dum precibus turbæ non obtemperaturus conuenientem ei exhibuit excusationem, & iustam profectionis suæ causam aperuit, quibus illi homines acquieuerunt, & desiderio habendi Christum inflammati remanserunt.

Quia & alijs ciuitatibus oportet me Euangelizare Regnum Dei.

COMMENTARIA.

CAUSA profectionis hæc est, non Capharnaitis solis, sed cæteris etiam Iudæis doctrina mea manifestanda est; oportetque, id est, à Patre meo statutum, & decretum est, vt Euangelium, quo Regnum cælorum annunciatur, commune faciam; egoque non vobis solis, sed & cæteris Iudæis prædicem. Particula (quia) declarationis est, indicat enim, quæ sequuntur, nempe (alijs ciuitatibus oportet me euangelizare) causam esse, cur discedat tunc ab eis, & in alias ciuitates proficiscatur. Non dixit autem, in alijs ciuitatibus oportet me miracula facere, & infirmos curare, ac obsessos liberare, sed dictum est, oportet me euangelizare. Hoc enim est ad salutem necessarium, non illud, & quod Christus præcipue intendebat: quæ verba, vti supra notauimus, indicant Capharnaitas detinere Christum voluisse Euangelij audiendi causa, ob id enim illis respondit se alijs etiam Ciuitatibus, non illis tantum prædicare debere.

ANNOTATIO LXXVIII.

ARTICULA causalis (quia) indicat aliqua verba prolata à Christo, quibus significauit se non posse apud illos manere, quorum causam dedit, dicens, quia alijs Ciuitatibus oportet me euangelizare. Euangelizæ autem non omnia facta, nec verba Christi retulerunt, multa omiserunt, nonnulla insinuarunt quibusdam verbis, aut particulis. cuius rei exemplum in præsentem habemus, & in sequentibus etiam alia notabimus.

Quia ideo missus sum.

COMMENTARIA.

ARTICULA (Quia) causam indicat, cur dictum sit, oportet me prædicare alijs etiam Ciuitatibus. ea autem est, quia ad hoc sum missus à Patre; quasi diceret: munus, & functio iniuncta mihi à Patre, qui me in hunc mundum misit, hoc est, vt populo Israel euangelizem, & annunciem Regnum Dei; ad hoc enim veni, & ad hoc missus sum; oportet ergo functionem hanc implere. Attende Christum venisse, vt omnes tam Iudæos, quam Gentes redimeret, & vt communem omnibus doctrinam

nam Regni aperiret, cunctorumque salutem morte sua operaretur; Hoc vero solis Iudæis præstare debuit, nempe, vt per se ipsum, oreque proprio eam doctrinam, Euangeliumque illis prædicaret, miraculisque confirmaret, ipsorumque Apostolus & Doctor esset, verbis, & operibus mirandis; Gentes enim per Discipulos docturus erat, propterea Matth. 15. dixit: Non sum missus, nisi ad ioues, quæ perierunt domus Israel. & nunc dicitur, ad hoc missus sum, nempe vt alijs etiam ciuitatibus, & vicis Iudæorum prædicem Euangelium Regni Dei.

Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

COMMENTARIA.

PROFECTUS igitur est in alias ciuitates, & vicos Galilææ, in eorumque synagogis non in occulto, sed palam, & publice prædicabat Euangelium, & Regnum Dei, nempe aduentum suum in mundum, & ea, quæ credere, & facere oportebat, ad cæleste Regnum consequendam; illud autem participium iunctum verbo imperfecti temporis, quod etiam Græce habetur (erat prædicans) frequentem, & quasi non intermissam prædicationem eius indicat.

ANNOTATIO LXXV.

PREDICANT quidem Christus in Iudæa, & in Galilæa; frequentius tamen in Galilæa, & commorabatur, & prædicabat, propter Iudæorum malitiam, qui ipsum acius persequantur; cum enim Christus de Tribu Iudæ venturus crederetur, & speraretur, eum venientem Iudæi odio, & inuidia maiori persecuti sunt, quam Galilæi, maiori se iniuriâ affici reputantes, quod prædicaret ille se Christum esse, qui de eorum Tribu futurus erat, eaque de causa occasionem accusandi, & perdendi eum quæserunt, propter quod Dominus ipse humano more eorum infidias fugiens, donec tempus moriendi destinatum à Patre aduentaret, in loca securiora secedebat, ibique prædicabat. quod Ioan. cap. 7. tradidit: Ambulabat, inquit, Iesus in Galilæam. non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.

FINIS CAPITIS QVARTI.



FRANCISCI
CARDINALIS TOLETI
IN SACROSANCTVM
LUCAE EVANGELIVM
COMMENTARII.



CAPVT QVINTVM.

FACTVM est autem, cum turba irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in unam nauim, qua erat Simonis, rogauit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Praceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam, rumpebat ut autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, ut venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita ut pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Iacobum, & Ioannem, filias Zebedaei, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum. Et factum est, cum esset in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum, & procidens in faciem, rogauit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. & ipse praecipit illi, ut nemini diceret: sed, vade, ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut praecipit Moyses in testimonium illis. Perambulabat autem magis sermo de illo: & conueniebant turba multa, ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem sedebat in desertum, & orabat. Et facta est in vna dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisei sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilae, & Iudae, & Ierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & querebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes, qua parte illum inferrent praeterea turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summisserunt eum cum lecto in medium ante Iesum, quorum fidem ut vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua. Et caeperunt cogitare Scribae, & Pharisei, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, & ambula? Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat, & abiit in domum suam, magnificans Deum. & stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia uidimus mirabilia hodie. Et post haec exiit, & vidit publicanum nomine Leui, sedentem ad Telonium, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. & fecit ei conuiuium magnum Leui in Domo sua: Et erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes. Et murmurabant Pharisei, & Scriba

Scriba eorum, dicentes: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis? Et respondens Iesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisaorum: tui autem edunt, & bibunt? Quibus ipse ait: Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? Venient autem dies, cum ablatu fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram a nouo vestimento immittit in vestimentum uetus: alioquin & nouum rumpit, & ueteri non conuenit commissura a nouo. Et nemo mittit uinum nouum in utres ueteres: alioquin rumpet uinum nouum utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt. sed uinum nouum in utres novos mittendum est, & utraque conseruantur. Et nemo bibens uetus, statim nult nouum; dicit enim: Vetus melius est.

CAPVT QVINTVM.

Factum est autem, cum turba irruerent in eum, ut audirent uerbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth.

COMMENTARIA.

DResequitur Euangelicam historiam; cum enim Christus è Capharnaum profectus, ciuitatibus caeteris, Synagogisque Galilae praedicaret, factum est semel ut turbae praeter multitudinem, cupiditateque audiendi uerbum, praedicationemque Christi eumurgerent, ipsique imminerent. Tunc autem ille stabat prope stagnum Genesareth, quod alio nomine mare Galilae, seu Tiberiadis dicitur. Multa, & insignia beneficia à Christo aegris impensa ad audiendum uerbum eius audidissime populos concitabant; miracula enim doctrinam commendabant, beneficia uero auditores beneuolos ad eam non solum audiendam, sed etiam inquirendam efficiebant. beneficentis enim uerba libenter audiuntur ab omnibus, quia nemo est, qui sibi benefieri non cupiat.

ANNOTATIO I.

Quid, irruere, hoc loco signi ficat.



Ambrusius ferm. 111. optime hoc uerbum (irruerunt) explicat, uerba ipsius sunt. Quorum mirabilium operator sit Dominus, intelligere possumus ex hac lectione, qua describitur, tanta per eum beneficia in populum fuisse collata, ut prouocatae hominum turbae ad audiendum illum magis irruerent, quam rogarent, & medicinam salutis non sperarent per

humilitatis gratiam, sed per importunitatis inuersionem, ita ut irruentes turbas non desertum separaret, non Synagoga repelleret, non reuerentia diuinitatis perarceret. Haec enim consuetudo infirmantium, ut dum sperant suis aegritudinibus medicinam, ab importuna petitione non loco prohibeantur, non tempore; sed quanto plus medetur ille, qui sanat, tanto amplius ille importunus est, qui laborat. Haec Ambrusius.

Et uidit duas naues stantes.

COMMENTARIA.

VT ex superioribus constat, una harum nauium Simonis, & Andreae erat; altera uero Iacobi, & Ioannis; hi enim relictis nauibus, Christum secuti dicuntur. Stabant autem prope stagnum ad littus, quia piscatores ab opere piscandi cessauerant.

Piscatores autem descenderant, & lauabant retia.

COMMENTARIA.

EGressi erant è nauibus piscatores, ut retia lauarent. Quo facto Lucas insinuat, illos tunc de piscium captura desperasse prorsus; nec enim occasionem capiendi pisces, nec profectum aliquem laboris iam ultra uidebant. Quod quidem capturae futurae miraculum indicabat.

Ascendens autem in unam nauim, qua erat Simonis.

COMMENTARIA.

Q Via populus tanto impetu ad Christum in littore stantem confluxerat, & irruperat, ut periculum esset, ne urgente populi frequentia e littore in stagnum proturbaretur; quamuis efficere potuisset, ut in littore tamquam murus æneus staret, aut diuinitatis virtute turbas reprimeret; morem tamen humanum sequens, humanis est usus remediis, & nauim vnā ingreditur, ut importunitatis iniuriam aquarum natura depelleret, quos, ut inquit Ambrosius sermone allegato, reuerentia doctoris minime coercebat. Nauis autem Simonis eligitur, quia ea Ecclesiæ, in qua Simon futurus erat caput, figuram gerebat.

ANNOTATIO II.

Ambrosius serm. 11, hanc sententiam edisserens, sic inquit; Videamus, quæ est ista nauicula Simonis Petri, quam adducendam de duabus magis opportunam Dominus iudicauit; quæ & tutum Saluatorem præstet ab iniuria, & credulitatis hominibus largiatur eloquia. Inuenimus enim Dominum nauigasse in alia naui, & grauib; iniuriis lacesitum. Nauigauit enim cum Moyse in mari rubro, quando populum Israel per vndarum fluentia transiit, sed grauib; est affectus iniuriis, sicut ipse ait in Euangelio ad Iudæos, si crederetis Moyse, crederetis & mihi; iniuria enim Saluatoris est incredulitas Synagoge. Ergo Petri nauim eligit, Moyse deserit, hoc est, spernit Synagogam perfidam, fidelem assumit Ecclesiam. Dux enim quasi nauiculæ à Deo

destinatæ sunt, quæ in hoc, tamquam in mari, mundo salutem hominibus piscarentur; sicut ait Dominus ad Apostolos: Venite, faciam vos piscatores hominum. Ex his ergo duabus nauiculis vnâ relinquitur ad terram inanis, & vacua; altera producit in altum onusta, vel plena. Vacua enim Synagoga relinquitur in littore, quia Christum cum prophetarum amittit oraculis; onusta autem Ecclesia in altum assumitur, quia Dominum cum Apostolorum doctrina suscipit. Synagoga, inquam, remanet ad terram, quasi terrenis inhærens operationibus; Ecclesia autem in altitudinem reuocatur, tanquam cælorum profunda sacramenta discutiens. Hæc Ambrosius.

Rogauit eum à terra reducere pusillum.

COMMENTARIA.

I Ngressus nauim Petrum rogauit, ut eam in aquam reueheret, ut irruentem turbam euitaret, ne si illa in terra maneret, adhuc in eum turba irrueret nauim ingrediendo: rogat autem nauim in aquam mittere non multo spacio, sed pusillo, ut ad littus existentes prædicantem audire possent.

ANNOTATIO III.

Verbum (reducere) Græce ἐπαναγαγεῖν a verbo ἐπαγαγεῖν, id est, reduco, seu iterum duco, prius enim Simon nauim in aquam miserat; quando piscari venerat; reuersus autem nauim ad littus existentem in stagnum reuehere rogatur. Interpres ergo noster accommodatius vertit per verbum (reducere) quam illi, qui interpretantur (abducere) seu (prouehere) Augustinus lib. 2, quæstionum Euangelicarum q. 2. Quod inquit Dominus ascendens in nauiculam Petri, rogat eum à terra reducere pusillum, significat temperate vtendum verbo ad turbas, ut nec terrena eis præcipiantur, nec sic à terrenis in profundiora sacramentorum recedatur, ut ea penitus non intelligant: Hæc ille. in eundem sensum hanc sententiam interpretatur Gregorius lib. 17. moralium c. 14. dicens, per nauem Petri quid aliud, quam commissa Petro Ecclesia designatur? de qua ut Dominus turbis confluentibus prædicet, eam à terra paululum reduci iubet: quam nec in altum duci, & tamen à terra præcipit remoueri, profecto significans prædicatores suos rudibus debere populis, nec alta nimis de cælestibus, nec tamen terrena prædicare. Nam

plerunq; si auditorum cor verbi immensitate corrumpitur lingua docentium indiscretionis poena mulstat. Hæc ille. Interrogabit autem non immerito quispiam, cur Christus Simonem non rogauit pro ingressu suo in nauim, sed pro reductione siue reuentione nauis in stagnum. causam huius rei litteralem eam fuisse existimo, ingressus enim cuiusdam imminentis necessitatis erat; irruerat enim in eum turba, quod Ambrosius sermo. 11. significans, inquit; cum Dominus ab irruentibus turbis semotus in terra esse non posset, aspiciens in mari duas nauiculas, vnā nauim Petri omni festinatione conscendit, ut importunitatis iniuriam aquarum natura depelleret, Hæc ille. Festinatio ergo necessaria locum non dedit precibus; ingresso autem in nauim Dominus necessitas non ita imminet, & opera adhuc Petri, ad nauim in altum reducendam requireretur, idcirco rogauit, potuisset quidem omnium Dominus imperare, & compellere; sed suæ humanitatis, & mansuetudinis voluit exemplum exhibere omnibus, præsertim maioribus, ut in ijs, quæ à minoribus impetrare humanitate possunt, vim potestatis suæ deponant.

Quid Petri nauis mystice significet.

Quid reductio nauis à terra indicet.

Et sedens docebat de nauicula turbas.

COMMENTARIA.

NON vt propria commoda quæreret, irruentem vitauit Christus turbam, sed vt ei melius consuleret, verbique doctrinam vtilius omnibus præberet. in nauim enim existentem omnes ante faciem stantem videbant, à nemineque impeditus, è locoque eminentiori loquens à singulis percipiebatur. Sedens autem docet, ut prædicationis grauitas, & docentis maiestas indicentur.

ANNOTATIO IIII.

Hanc sententiam perpendens Ambrosius sermo. 11. Videte, inquit, misericordiam Saluatoris. separatur quidem ab hominibus corpore, doctrinæ tamen iis utilitate coniungitur, vbique miseretur, vbique prodest: in terra positus per tactum languores corporum sanat; in mari constitutus per doctrinam

vulnera curat animarum. Hæc ille. Augustinus etiam lib. 2. quæst. Euang: quæst. 2. eandem explicans sententiam, inquit: Quod Dominus de nauicula docet turbas, significat hoc tempus, quando Dominus de auctoritate Ecclesiæ docet gentes.

Ut cessauit autem loqui, dixit ad Simonem.

COMMENTARIA.

DOCTRINÆ adiungit opera, quæ ad persuadendum plus ponderis habent, & quos verbis non mouerat, miraculo obstupere fecit; stupor enim circumdedit omnes in captura piscium mirabili, eaque effecit, ut discipuli quatuor, relictis omnibus illum sequerentur. omnibusque verbi prædicatoribus documentum Christus exhibuit, ut post prædicationem otiosi non manerent, sed sanctis operibus vacent, ut quod docuerunt verbo, confirmet opere, & quos prædicatione non valuerunt ad virtutem excitare, vita ipsa pertrahant.

Duc in altum.

COMMENTARIA.

Venerat Simon ex alto mari irrita piscatione: iubet autem Christus eum in altum mare, vnde venerat, nauim reducere, ut copiosa piscium captura virtutem, diuinitatemque iubentis ostendat, doctrinæ virtutem comprobet, & multitudinem hominum ad rete Ecclesiæ trahendum significet. Idcirco autem in eundem locum, in quo nihil ceperat, Simoni nauim reuehere præcipit, ne si in alium locum reduceret, non miraculo, sed casu factum quispiam existimaret, quod tanta copia piscium caperetur.

ANNOTATIO V.

Idem est verbum Græcum in hoc loco, quod erat paulo superius, cum dictum est (rogauit reducere à terra) dicitur enim ἐπαναγαγε, vnde si interpretes in eadem interpretatione perseverasset, dilucidior fecisset Scripturæ sensum; dicendum enim erat (reduc in altum) ut in commentario expositum est. non tamen per hoc sensus mutatur: sæpe enim fit, ut simplicia pro compositis, & composita pro simplicibus verbis vsurpentur. Ambrosius sermo. 1. significari hic affirmat altitudinem mysteriorum in Euangelio reuelandam, quæ in Synagoga latuerunt: Duc, inquit, in altum, id est, in profundum disputationum generationis diuinæ. quid enim tam profundum, quam quod ait Petrus ad Dominum: Tu es Christus filius Dei viui? Quid tam terrenum, quam quod dixerunt de Domino Iudæi, nonne hic est filius Ioseph fabri? ille altiori consilio natiuitatem Christi diuinitus approbavit; hi mente viperea generationem cælestem carnaliter existimant. Hæc ille. Ambrosius lib. 3. de Virginibus, præcedenti alterum etiam adiungit sensum; sic enim habet: Ante non ducebat in altum Petrus, quando piscabatur in stagno, est mare erat, altum non erat, altum mare Scriptura nescit. Quid ergo sit altum, accipe; aqua alta consilium in

corde viri: altum cor, viri est, vbi nihil vadosum est. Duc ergo in altum disputationis tuæ, fideique remigium duc in cor viri. Est & aliud mysterium, duc in altum, quia ante in arena erat, quando in synagoga erat, illa non erat aqua Iudææ. Non ergo in altum ducere poterat, quando cum Iudæis credebatur, ideo dicitur Petro, duc in altum, id est, duc ad Christum. Hæc, & alia Ambrosius. Augustinus autem lib. 2. Quæstionum Euangel. quæst. 2. interpretans, cur prius pusillum à terra, postea nauim in altum reducere iusserit, inquit, quod Dominus ascendens in nauiculam Petri, rogat à terra reducere pusillum, significat prius in proximis regionibus esse prædicandum, ut quod dicit iterum Petro, duc in altum, & laxate retia vestra in capturam, ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est, pertineat. sicuti Esaias dicit: Tolle signum in gentes ad eas quæ prope, & ad eas quæ longe. Hæc ille. ex his igitur Doctoribus triplicem sensum spiritualem habemus, duc nempe in altum, id est, in corda hominum reconde doctrinam. duc in altum, id est, mysteriorum altitudinem aperit. duc in altum, id est, gentibus remotis prædica Euangelium.

Mystica nauis in altum reducit.

Et laxate retia uestra in capturam.

COMMENTARIA.

Postquam in altum nauis perducta est, iubet Dominus Simoni, & ijs, qui cum eo erant, Iacobo scilicet & Ioanni, laxare retia ad pisces capiendos. Quod autem ait (laxate) emphasim habet, quasi dicat, quam maxime potestis extendite retia; tantum enim trahetis piscium, quanta retis capacitas erit.

ANNOTATIO LXXIV.

Quare soli Petro dicitur, duc in altum, & non soli, sed etiam aliis, laxate retia, CVM soli Petro dictum sit (duc in altum) cur non illi tantum, sed etiam aliis duobus discipulis dicitur (laxate retia uestra) mihi dux causae huius rei esse videtur. vna litteralis, altera spiritualis. litteralis est, quia ad ducendam nauim vnus opera satis erat, idcirco vni dicitur: Duc in altum. id autem Simoni dictum est, quia illius nauigij gubernator erat. Ad retia vero laxanda non vnus tantum opera, sed multorum necessaria erat. Spiritualis vero est, quia ducere nauim, ad regimen spectat: significabatur autem solus Simon totius Ecclesiae rector futurus; retia vero laxare, ministerij est, quod ad multos spectat. vnde in Ecclesia vnum caput est, multi autem verbi praedicatores. Ambrosius hoc in loco sic retia explicat: Quae sunt, inquit, Apostolorum, quae laxari iubentur retia, nisi verborum, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos, quos ceperunt, non amittant? & bene Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quae non captos perimunt, sed referuant, & de profundo ad lumen extrahunt,

& fluctuantes de infernis ad superna perducunt. Hae illae. Gregorius autem hom. 24. Euang. cur non ad dexteram, sicut post resurrectionem, sed indistincte retia laxare iubeantur, optime explicat; sic enim inquit: Bis in sancto Euangelio legimus, quia Dominus iussit, vt ad piscandum retia mitterentur, antepassionem videlicet, & post resurrectionem. Sed priusquam redemptor noster pateretur, & resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum iubet, sed vtrum in dexteram, an in sinistram mitti debuisset, non iubet. Quis vero nesciat bonos dextera, & malos sinistra figurari? Illa ergo piscatio, in qua specialiter, in quam parte rete mitti iubeat, non iubetur, praesentem Ecclesiam designat, quae bonos simul, ac malos colligit, nec eligit, quos trahat, quia & quos eligere possit, ignorat. Hae autem piscatio post Domini resurrectionem facta in sola dexteram missa est, quia ad videndam claritatis eius gloriam sola electorum Ecclesia pertingit, quae de sinistro opere nihil habebit. Hae illae. Quae sumpta sunt ex August. lib. 83. quaest. q. 81.

Et respondens Simon, dixit illi: Praeceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.

COMMENTARIA.

Actus est Discipulis piscationis per totam noctem irritus labor, vt Magistro veniente fieret admirationis magna sublimitas. Proprio ergo labori Simon diffidens, hoc dixit, vt maiorem fidem, & obedientiam declararet, quod cum tota nocte laborans, nihil predidisset, tamen eius obediens, & confidens verbo, iterum retia laxaret, faciliorem iactum illius virtute sperans. Solet per noctem maior, quam per diem piscium captura fieri, cum pisces minus insidias videre possunt; sed contra accidit Petro. Hoc autem miraculum auget, & fidem Simonis, obedientiamque commendat. Die enim innumerabiles pisces capti sunt, & post totius noctis irritam capturam diei felicem futuram credidit, & sperauit.

In uerbo autem tuo laxabo rete.

COMMENTARIA.

Quamuis tota nocte laborans nihil ceperim, tamen verbo tuo obediens, & fidens laxabo iterum rete. Admiranda Simonis obedientia, & fides, qui in eo, quod experientia, & naturalis ratio oppugnabant, fidelem, & obedientem se exhibuit. Recte hic spiritualiter notat Beda, dicens: Nisi Dominus aedificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui aedificant eam. Nisi Dominus illustrauerit cor auditorum, doctor in nocte laborat: nisi in verbo gratiae supernae laxata fuerint instrumenta disputationum, frustra vocis suae praedicator iaculum mittit. Quia fides populorum, non sapientia verbi compositi, sed diuinae vocationis munere prouenit.

Et cum

Et cum hoc fecissent, conuulserunt piscium multitudinem copiosam.

COMMENTARIA.

Laxatis retibus, copiosa piscium multitudo breui comprehensa est, vt piscium copia, & temporis breuitas mirabilem verbi Christi virtutem commendarent, & fidei, obedientiaeque Simonis fructum reportarent; ac numerosam, velocemque gentium, ad Euangelicam Ecclesiam conuersionem significarent. Voluit etiam Christus Simoni pro eius, qua vsus erat, nauicula nulum soluere cumulatam, ea re maxime, quam nauicula, quarebat, id est, piscium multitudine, eo nauulo veluti per typam, vel imaginem quandam illos admonens, operam, quam Euangelicae doctrinae rete laxantes, insumpturi erant, sua mercede, & fructu nequaquam frustratum iri, vt Tirus Bostrenus ex Cyrillo Alexandrino notauit. colligimus copiosa mercede non carituros, qui Christi concionatores domo recipiunt. Ipse enim dixit: Qui vos recipit, me recipit. Elias viduam illam Sarepte, quae eum domo exceperat, & aluerat, multiplicato diuinitus oleo locupletauit, mortuumque filium illi suscitauit. 3 Reg. 17. Elifaeus Sunamitidi hospita suae sterili filium impetrauit, eundem mortuum in vitam reuocauit. 4. Reg. 4.

Rumpebatur autem rete eorum.

COMMENTARIA.

DVM rete extraheretur, praepiscium multitudinis pondere rumpi incipiebat; non tamen ruptum est. Quod etiam miraculum auget; vetus enim iam rete, & tantae capturae non accommodatum, copia piscium insolita & grauis non scidit.

ANNOTATIO VII.

Quid est quod rete multitudine piscium ante Christi resurrectionem capta rumpebatur, post resurrectionem vero non rumpebatur.

Gregorius homil. 24. Euang. ponderat, cum bis multitudo copiosa piscium Christi virtute comprehensa sit, semel nunc ante passionem, semel post resurrectionem, cur nunc rete rumpi dicitur, tunc vero non. Causamque reddit: hic praesens Ecclesia, quae malos, & bonos complectitur, illic futura tantum bonorum significatur, vt paulo ante annotatione 6. ex eodem Gregorio dictum est. Verba ipsius sunt haec: In illa piscatione praepiscium multitudine piscium rete rumpitur, quia nunc ad confessionem fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoque Ecclesiam haeresibus scindant. In ista vero piscatione, & multi, & magni pisces capiuntur, & rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia in continua auctoris sui pace quiescens,

nullis iam diffensionibus dilaniatur. Hae illae. eodem modo Augustinus hanc ruptionem interpretatur lib. 2. quaest. Euang. q. 2. nempe de haereticis, & schismaticis, qui Ecclesiam scindunt, cum prius intra rete Ecclesiae continerentur, nondum haeresibus, & schismatibus adiuuentis. Ex his duobus Doctoribus deducitur rete ex parte ruptum fuisse; verbum enim illud (rumpebatur) non significat solum ruptioni proximum fuisse rete, sed etiam ex parte aliqua ruptum, scissionemque inceptam, sed non perfectam exitisse. vnde Beda miraculum ponderans, & spiritualiter hoc interpretans, inquit: Rumpitur rete, sed non labitur piscis, quia suos Dominus etiam inter perfequentium scandala seruat.

Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, ut uenirent, & adiuuarent eos.

COMMENTARIA.

Socios, qui erant in altera naui ad litus remanente, signis, & nutibus significant, vt veniant ad adiuuandum eos; tantum enim erat pondus retis piscibus referti, vt Simon cum Iacobo, & Ioanne illud trahere non possent. Annuerunt autem, quia loci distantia vocum intelligentiam distinctam impediabat.

ANNOTATIO VIII.

Quare socijs non vocibus sed nutibus vocarunt.

Tirus Bostrenus, & Euthymius affirmant discipulos vocasse socios, qui erant in altera naui, signis, & nutibus, quia praestupore, & metu loqui non poterant. Huic opinioni aduersantur tria. Primo quidem verbum ipsum Euangelicum; nam Petrus etiam stupens dixit Domino: Exi a me, quia peccator sum: non igitur stupor vocem impediuit. Secundo, quia stupor nondum eos inuaserat, quando socijs annuerunt. nam cum rete trahere coeperunt, quod praepondere rumpebatur, tunc annuerunt socijs, vt

venirent in auxilium, & rete simul traherent minori cum periculo, & maiori cum facilitate. stupor autem factus est, quando tanta multitudo agnita est, vt ambrae nauiculae implerentur. Tertio, quia si stupor impedisset vocem, impedisset etiam vires corporis ad rete trahendum. Non igitur ea fuit annuendi causa, sed loci distantia; longe enim aberant a littore, vbi remanserat nauis altera, accedente etiam sonitu ex aquarum motu, quae duo vocum distinctum auditum prohibere: idcirco nutibus vsi sunt: accedat

accedat etiam inopinata captura, ad quam auxilium præsto necessarium erat: nutus autem citius de-

siderium annuentium expriment, & ad alios deportant, quam voces.

Et venerunt, & impleverunt ambas nauiculas.

COMMENTARIA.

Venientes socij, vna cum discipulis Domini retia traxerunt ita piscibus referata, vt ambæ nauiculæ præ multitudinem implerentur; subito enim pisces, qui ab eo loco longe aberant, nullique per totam noctem comprehensi erant, virtute verbi Christi coacti tanta copia adnatarunt, captique sunt, vt ambæ nauiculæ implerentur. Voluit autem Dominus non solos discipulos mirandæ copiæ facere participes, sed & alios, qui socij erant, vt plurimum illius artis peritorum testimonijs miraculum innotesceret, & Christi virtus testatissima esset; simul etiam, vt significaret Apostolos in piscatione hominum futura multos etiam habituros esse comministros, & cooperatores. Ecclesiæ ergo Pastores cum ipsi per se aut imposito, aut suscepto onere non sufficiunt, alios à quibus iuuari possint, aduocare debent.

ANNOTATIO IX.

Quid per hos socios mystice designetur.

Titus Bostrenus sic inquit: Designat hoc mystice multos fuisse, & esse, olimque futuros, quibus hic piscandi labor cum Apostolis communis esset, inter quos primas facile tenent, qui sacrorum Evangeliorum volumina conscripserunt; secundum hos autem pastores, & Doctores, Populorumque Duces, & candidi dogmatum veritatis interpretes; iacitur

enim etiam nunc Evangelij rete, Christo Domino id implente, eosque, qui in profundo pelago, hoc est, in mundi huius commotione, & fluctibus versantur, ad conuersionem vocante. Hęc ille. Beda duas nauiculis fideles ex vtroque populo Iudaico, scilicet, & Gentili vocatos, significari dicit. vbi multa alia addit ad id spectantia.

Ita ut pane mergerentur.

COMMENTARIA.

Tanta erat copia piscium, vt eorum pondere nauiculæ pressæ pane mergerentur, id est, submersioni proximæ essent, aquis vltra modum eas cooperientibus.

ANNOTATIO X.

Quid hæc nauium submersio indicet.

Augustinus lib. 2. quæst. Euang. q. 2. hanc nauium submersionem significasse affirmat multitudinem hominum carnalium, futurorum in hac militanti Ecclesia, quorum prauis moribus illa videtur submersa. Quod etiam Beda docet sic scribens, quod impletæ merguntur, id est, submersione premuntur

(non enim submersæ, sed periclitatæ sunt) Apostolus exponit dicens: In nouissimis diebus erunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes; &c. Nam mergi naues est homines in læculum, ex quo elati per fidem fuerant, morum prauitate relecti. Hęc ille.

Quod cum uidiſſet Simon Petrus, procidit ad genua Iesu dicens.

COMMENTARIA.

Videns Simon Petrus copiam piscium subito factam, & vltra omne exemplum antea piscatoribus spectatum, eo maxime loco, in quo per totam noctem nullum ceperat; diuinam virtutem Christi, cuius verbi fiducia rete iecerat, agnouit, periculumque imminens submersionis, quasi suorum peccatorum poenam considerans, adorabundus, & deprecabundus ad eius genua procidit, & talia verba protulit. Illud (quod cum videret) non solum ad factum mirandum capturæ piscium, sed etiam ad imminens submersionis periculum referendum est.

COMMENTARIA.

Exi à me Domine, quia homo peccator sum.

Petrus supplex Christum, vt à se recedat, deprecatur, causamque adiungit, quia peccator, inquit, ego sum. Nouit Simon ex tanto miraculo Christum sanctissimum, diuinumque virum esse, seque peccatorem agnoscens, imminens submersionis periculum, quasi poenam proprii reatus arbitratus est, quia indignus peccator dignissimum suscipiebat vectorem. idcirco præsentiam eius formidat, & refugit.

ANNOTATIO XI.

Quare Petrus dominum recedere precatur.

Difficultas est, cur Petrus Christi præsentiam recusaret ea ratione motus, quia peccatorem se agnoscebat, cum potius hæc esset causa veniendi ad Christum, accedendiq. ei, sicut infirmitas non facit ægrum medici præsentiam vitare, sed potius quærere. Quidam recentiores ex reuerentia quadam, & humilitate dictum hoc interpretantur, quasi se indignum reputaret Petrus tanto hospite, sicut & Centurio ille dixit: non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Quorum interpretationi fauere videtur Ambrosius in præsentia, hoc enim interpretans inquit: admirabatur dona diuina, & quo plus meruerat, hoc præferebat minus. & lib. 3. de Virginibus, Vir, inquit, sapiens, & grauis, in quo esset Ecclesiæ fundamentum, & magisterium disciplinæ, nihil vtilius esse prospexit, quàm ne secundantis operis extolleretur euentu; & ideo exi, inquit, à me Domine; non rogat, vt deferatur, sed ne infletur. Hęc Ambrosius. Et re vera negari non potest, quin ex reuerentia quadam agnoscentis Christi dignitatem, & ex humilitate propriam sentientis indignitatem, hæc processerit sententia; tamen, nec reuerentia, nec humilitas causa proxima fuit, sed timor, & metus. quod verba Saluatoris satis aperte indicant, cum Simoni dixit. ne timeas. Dices quid timuit? respondent quidam alij recentiores, timuisse sanctissimi Christi præsentiam, ne ex eo, quod indignus homo dignissimum susceperat hospitem, aliquid mali pateretur. Quod etiam verè, sed in sufficienter dictum est, timuit enim submersionem nauium, quam imminentem cernebat, ne ea sibi eueniret propter peccata sua, quæ eum indignum effecerant, vt Christum sanctissimum reciperet. Hoc autem antecedentia indicant, dictum enim est (quod cum videret) quod non solum ad copiam piscium refertur, sed etiam ad submersionem. nam nauiculæ submergebantur: timuit ergo Petrus ex præsentia sanctitatis, & potentiæ, seu virtutis admirandæ, seq. peccatorem considerans, submersionem illam poenam suorum peccatorum arbitratus est. Mentis enim suæ aciem fixit in demerito suo, ac in iustitia, & potentia Christi, qui poterat poenam inferre, & in eo etiam periculo, quod imminerebat; timent enim mali iustorum præsentiam, ne arguantur, quos si agnouerint potentes, metuent etiam, ne dignam suis peccatis accipiant ab eis re-

Ex timore magis quam ex reuerentia Petrus Christi præsentiam recusauit.

tributionem. Non igitur considerauit Christi clementiam, qua venerat ad saluandum, nec quàm tantam piscium copiam receperat, sed sanctitatem, & virtutem Christi, simulq. proprium peccatum ex vna parte, ex altera vero imminentem submersionem, quasi proprii peccati poenam. Vnde Euthymius hanc fere interpretationem amplectens, eius, inquit, deuotabat præsentiam, timens, ne quando periclitaretur eo, quod talis talem suscipere ausus esset. facit pro hac interpretatione, quod lib. 3. reg. cap. 17. scriptum est de illa muliere Sareptana, quæ Eliam suscepit. eius filius cum postea mortuus esset, dixit ad illum, ingressus es ad me, vt rememorarentur peccata mea. Sensus igitur est, quasi Petrus diceret, exi à me Domine, timeo enim submergi, quia tam indignus ego peccator, tantum te suscipio rectorum. Hęc ad litteralem spectant sensum. Quod vero ad spiritualem attinet, Augustinus lib. 2. quæst. Euang. q. 2. quem sequitur Beda, interpretatur, quasi nomine Ecclesiæ multitudine peccatorum repletæ, hæc sententia dicta sit. Verba Augustini sunt ista. Significat hominum carnalium multitudinem tantam futuram in Ecclesia, vt etiam diruptione pacis exeuntibus inde hæresibus, & schismaticis tanta remaneret, & tanta illi futura amissio fidei, & honorum morum, vt talis Ecclesia Christo dicere videatur, exi à me quia homo peccator sum, tamquam turbis carnalium repleta, & eorum moribus pæne submersa, regimen spirituale, in quibus maxime Christi persona eminent, à se expellat quodammodo. Non enim hoc voce linguæ, sicut homines bonis ministris Dei, vt eos à se repellant; sed voce morum, & actuum suorum suadent à se recedi, ne per bonos regantur; & eo vehementius, quo deserunt eis honorem, & tamen factis suis à se recedere admonet; vt honorificentiam eorum significauerit Petrus cadens ad pedes Domini: mores autè in eo, quod dixit, exi à me Domine, quia homo peccator sum. Quod quia non fecit Dominus, non enim recessit ab eis, sed eos subductis nauibus ad littus perduxit, significat in bonis, & spiritualibus viris non esse oportere hanc voluntatem, vt peccatis turbarum commoti, quo quasi securius, tranquilliusq. viuant, munus Ecclesiasticum deferant. Hęc Augustinus, & quidem egregie, & nostris temporibus maxime accommodatè.

3. Reg. 17.

Spiritualis sensus superiorum verborum.

Stupor enim circundederat eum.

COMMENTARIA.

Deuiſſet potius Petrus in periculo illo Christo fidere, ipsiusq. auxilium inuocare, quam rogare, vt à se discederet, stupore tamen tanti miraculi correptus non admodum cogitauit, quod dicebat: Euangelista igitur velut excusat illum hac sententia, reddens causam, cur sic locutus est, & non potius Christum retinens apud se, ipsius opem flagitauit, à quo tanto fuerat affectus beneficio, tantæq. virtutis erat, vt verbo suo captura numerosa impleuerit retia, stupor inquit circundederat eum in captura admiranda piscium. stupore igitur occupatus, non omnino apud se erat, nec cogitauit perfecte quid loqueretur. Verbum (circundederat) indicat stuporem magnum, quasi non inuenerit viam inuestigandi tanti miraculi causam, aut rationem. Non quod Simonis humilitas laudanda non fuerit, sed quod verosimile non sit eum dicturum Christo, vt à se exiret, si satis considerasset, quanto esset vtilius eum retinere, quam ablegare. Stupor etiam hoc miraculum commendat, vt dicemus in sequenti commentario.

Et omnes, qui cum eo erant, in captura piscium, quam ceperant.

COMMENTARIA.

NE videretur sine causa miraculi magnitudine Petrus obstupefactus, addidit Euangelista, etiam omnes, qui cum illo erant, simili stupore fuisse correptos in captura, id est, propter capturam piscium. Quod etiam ad miraculi magnitudinem commendandam facit, cum piscatores ipsi, qui alias multos pisces extrahere solebant, non vnus, aut alter, sed omnes, qui aderant, tali captura obstupuerint, quasi non humana arte, sed diuinitus facta.

Similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis.

COMMENTARIA.

Communis fuit stupor Simoni, & omnibus, qui ad auxilium in altera naui aduenierant, Iacobo etiam, & Ioanni, filijs Zebedæi, qui socij erant Simonis, & cum eo in nauim, qua Christus uehebatur, intrauerant. Horum Euangelista specialiter meminit, quia hi cum Simone relictis omnibus secuti Christum dicuntur.

Et ait ad Simonem IESVS; noli timere.

COMMENTARIA.

Conuersus ad Simonem Dominus, timorem omnem submersiois, aut mali alicuius expellit, quo ille correptus, Christum à se exire petierat: noli, inquit, timere, quamuis videas nauiculas pæne submergi, teq. peccatorem agnoscas, & me indignum præsentia, nihil tibi inde damni euenturum arbitraris; ne igitur formides, non vt tibi nocerem, tuam nauim ingressus sum, teq. retia iacere iussi. Proprium est bonis spiritibus timorem sua præsentia conceptum amouere, vt supra notauimus. nam & Beatæ Virgini, & Zachariæ dictum est ab Angelo, ne timeas.

Ex hoc iam homines eris capiens.

COMMENTARIA.

Prosequitur sententiam Dominus. sensus est, pone timorem hunc, tantum enim pabest, vt quicquam mali, quod me peccator homo receperis, sit tibi euenturum, vt maximum potius sit lucrum accessurum. Non hæc facta sunt, vt te terrerem, sed vt instruerem; posthac enim ex piscium piscatore fies mea gratia hominum piscator; vtq. non laboris tui, sed verbi mei virtute tam multam cepisti piscium capturam, sic etiam mea virtute fultus amplissimam hominum multitudinem Euangelij reti ad meam Ecclesiam conuerteres. Timorem ergo amouet Dominus à Petro, & nouo beneficio, quia hominum efficitur piscator; & instructione, quia quid miraculum, & ea, quæ facta erant, portendant, explicuit.

ANNOTATIO XII.

Illud (capiens) Græce amplioiorem habet significationem, est enim participium ζωγων a verbo ζωωω, quod est compositum ex duobus verbis, quasi Latine diceremus vnico verbo, viuificatio, seu diuicando viuos capio, seu à cæde conseruans capio. quam significationem secuti quidam vertunt (eris homines viuos capiens.) at multo accommodatior est significatio, quam huius verbi adhibet Iustinus Martyr, in quæstionibus gentium. q. 40. nempe ad vitam capio, nam hoc idem verbum Græcum idem etiã significat quod Latine, viuifico, seu vegeto; quam significationem secutus Ambrosius li. 5. Hexameron. c. 6. & lib. 6. cap. 3. vertit, (eris homines viuificans) at quia de piscatione sermo est, accommodatior erit leuio, (eris homines ad vitam capiens) vt seruetur Metaphora piscatorum. ex hoc soluitur difficultas: nam posset quispiam obijcere contra metaphoram, nam piscatores pisces ad interitum, & mortem extrahunt; Christus autem ad vitam vocat, qua igitur ratione vocatio comparatur piscium captura? Hoc dubium

excitauit Iustinus loco allegato, & respondit. verba eius sunt: Si piscatores ad mortem, & interitum pisces extrahunt, & capiunt, cur ad vitam æternam Christus Dominus per Apostolos homines introducit, eos se piscatores hominũ facturum esse promissit? Explicatio. Quia eos homines, quos Apostoli rebus regni caperent, mori oportebat superiori vitæ, quã in peccatis egisset: idcirco captura piscium, hominũ captura comparauit. addidit autẽ illud (in vitam) adiuncto eo, quod exẽplo deerat, ei, quod dicebatur. Hæc Iustin. qui similitudinẽ vtriusq. captura ponit in eo, quod sicut pisces capti moriantur, ita etiam homines capti ad Euangelium moriuntur vitæ antecedenti peccati. Rom. 6. existimate vos mortuos esse peccato. ideo dicit adiunctum esse illud (ad vitam) nempe (eris homines ad vitam capiens) quia in captura piscium non exprimebatur hæc vita, cum pisces ad mortem capiantur, quasi dictum esset, eris homines capiens non omnino sicut pisces; hi enim ad mortem capiuntur absolute, at tu capies homines,

Hominum vocatio quorsum captura piscium comparatur.

nes, vt moriantur quidem, sed tamen, vt viuant meliorem, & perfectiorem vitam. Hæc est sententia Iustini. Origenes vero hom. 16. in Ieremiam, contendit etiam vtranq. partem in metaphora contineri, nam pisces extracti moriuntur vitæ illi propriæ, quam habebant, tamen comeduntur, & incorporantur hominibus, in quibus vitam nobiliorem fortiuntur; sic etiam homines moriuntur peccato, in quo nati, & nutriti erant, & incorporantur Christo, in eo viuentes vitam spiritualem, & immortalem. quod Paulus Rom. 6. docet: existimate, inquit, vos mortuos peccato viuentes autem Deo in Christo Iesu. & ad Colof. 3. mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Recte igitur dictum est (eris homines ad vitam capiens) quod si sequamur expositionem (eris homines viuos capiens) sensus est, non sic capiens eris homines, sicut capiuntur feræ cædibus, & vulneribus, sed sicut pisces, qui illæsi capiuntur; non enim armis trahendi sunt homi-

nes, sed spiritus virtute. Notat autem Ambrosius lib. 3. de Virginitibus, & lib. 5. Hex am. cap. 6. duobus modis Apostolos fuisse piscatos, nempe reti, & hamo: nam Matth. 17. Petrus hamo traxit piscem illũ, in cuius ore inuentus est nummus ille soluendus pro tributo; qua re significari dicit duo genera fidelium ad Ecclesiam vocatorum, quidam enim hamo tracti sunt, quales Martyres, qui sanguinem fuderunt pro Christo, & ferro occisi sunt; quidam alij capti sunt retibus, qui ad Ecclesiam venerunt, conseruatis suis diuitijs, honoribus, vita, & alijs bonis, quæ in sæculo obtinebant, quæ quidem spiritualiter dicta sunt, & apud me non admodum accommodate: nam & martyres reti pacifico vocati sunt, etiam si postquam in Ecclesiam intrarunt, martyrium subierint, nec Dominus vocationem ad Ecclesiam hamo, sed retibus explicuit. Potius quod ad gentium tributum spectabat, hamo significauit, non reti. Illæ enim impetrant ferro, & armis.

Ambrosius notat quosdam hamo, alios vero reti ad Ecclesiã trahi

ANNOTATIO XIII.

Quare soli Petro dictum sit, eris homines capiens.

Vbitabit quispiam, cur soli Petro dictum est (eris homines capiens) cum ibi adfuerint tunc Ioannes, & Iacobus, quos hominum piscatores futuros etiam Dominus promissit Matth. 4. Quidam recentiores respondent non vni tantum, sed pluribus dictum esse, nempe Simoni, & Andrea, (eris homines capientes) existimant enim hi Doctores eandem esse historiam hanc cum ea, quæ Matt. 4. describitur, quod quam à veritate sit alienum, ostendemus in annotatione 15. sequenti. Nec adhuc isti difficultatem euacuant, nam interrogandi sunt, cur Euangelistæ soli Petro dicta retulit? Dicendum ergo est, Christum non alijs sed Simoni hæc dixisse, sicut & antecedentia (noli timere.) Quæ sententia est Augustini lib. 2. de consen. Euang. cap. 17. Causa autem cur illi soli hæc dicta sint, ea est, quia non communem piscationem, sed quandam peculiarem Petro promittebat, qua piscaturus erat homines reti Euangelico, tanquam supremus piscator, & nauis huius, Ecclesiæq. moderatur primus. idcirco nauim eius ingressus est, solumq. eum rogat à terra subducere, & soli ei dixit, duc in altum, & noli timere, & eris homines ad vitam capiens; quod quadã Antonomafia dictum est de Petro; licet enim cæteri Apostoli Piscatores

sint, Petrus tamen est primus omnium, primatumq. habiturus erat in naui Ecclesiæ: sic hanc sententiam intellexisse visus est Chrysostomus hom. 38. ad Populum Antiochenum, & hom. 3. in Matthæum. Petrus inquit, dixit, exi à me, quia homo peccator ego sum, & idcirco factus est Ecclesiæ fundamentum. eandem insinuauit Ambrosius lib. 3. de Virginitibus, vbi sic scripsit. Duc in altum disputationis tuæ, fideiq. remigium. Per parabolam hic vocat ad Ecclesiam Petrum, quem secundum Matthæum simplici vocauit sermone. Hæc ille. Nota Petrum hic ad Ecclesiam vocatum; non quidem ad Ecclesiam absolute, nam iam Ioan. 1. ad Christum venerat, eiusq. fidem receperat, sed Ecclesiam, nempe ad regimen Ecclesiæ, ideo dicitur duc in altum disputationis tuæ fideiq. que remigium. Soli igitur Petro Christus locutus est hæc verba, quia soli illi Ecclesiæ primatum, & piscationis primas promittebat. Nec existimes, quia dictum est (ex hoc) seu (posthac) Petrum statim hominum primatum consecutum esse in piscatione hominum, sed deputatum tunc esse, cui tale munus iniungeretur; quamuis etiam ex tunc semper quendam principatum inter cæteros habuit, & primus discipulorum reputatus est.

ANNOTATIO XIV.

Quia ratione exaudita sit hæc Petri petitio.

Vbitabit iterum quispiam, an Dominus dicens sit exaudisse Petrum rogantem (exi à me.) Videtur enim non exauditus Petrus, cum Dominus non se ab ipso separauerit, sed cum eo in nauim ad litus venerit, quem & Petrus cum Ioanne, & Iacobo secuti sunt. Respondeo, si petitionem eius consideremus in se ipsa, absq. dubio exauditus non esse; petijt enim à Christo, quod Christus non illi concessit, nempe, vt ab eo exiret: si tamen petitionis finem, seu scopum, & petentis intentionem respiciamus, fuit non tantum exauditus, sed supra id, quod desiderabat, aut excogitabat accepit. Petrus enim Christum exire à se postulabat eo animo, & intentione, ne quid mali ob suam indignitatem, tantique vectoris præstantiam pateretur: impetrauit ergo quod volebat, nihil enim est detrimenti passus, nec periclitatus est, & tamen Christum habuit præsentem, nec à se abeuntem, immo cumulatius, quam

optabat, collatum ei est beneficium: nam audiuit, eris posthac homines capiens ad vitam; quod munus vota omnia illius excessit, ac superauit. Exemplũ habemus. 3. reg. 2. accessit enim Bersabee petens Salomonem, vt Adoniæ fratri Abisai Sunamitem in vxorem traderet. quam petitionem Salomon matri petenti negauit, & negando petentem exaudiuit; Mater enim ea de causa petebat, quia regnum Salomoni ea via confirmari existimebat, intentioneque & animo conseruandi regnum illi, id petebat, quod longe aliter se habebat: nam potius hoc erat regnum ab illo abdicare, & in Adoniam transferre; dum igitur negat, exaudit; sic factum est cum Petro, nam si Christus exisset à Simone, periclitaretur is potius, quam seruetur, sua verò præsentia illum, & omnes saluat; idcirco exauditus est Simon. hoc enim ille intendebat, & consequi cupiebat. Diximus de hac re plura in commentarijs in Ioannem.

3. Reg. 2.

Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

COMMENTARIA.

Seruatis nauibus, & piscibus, incolumes virtute verbi Christi ad terram perueniunt; tanto autem beneficio affecti Simon, Iacobus, & Ioannes, quod est animi

animi gratissimi, non pratermiserunt; praterulerunt enim benefactorem beneficio, relictis namque nauibus plenis piscibus secuti sunt Christum; temporalia, nempe, naues onustas reliquerunt socijs, Christum autem sibi elegerunt, nulla cupiditate piscium aut lucri temporalis detenti.

ANNOTATIO XV.

Hec Lucae historia an eadem sit cu illa Matthaei 4. & Marci 1.

Augustinus lib. 2. quaest. Euang. q. 2. hanc sententiam spiritualiter interpretans inquit: Quod subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum Petrus, Iacobus, & Ioannes, potest significare finem temporis, quo ab huius mundi fallo, qui Christo inhaerent, penitus recessuri sunt. Hae ille. Est autem non exigua dubitatio, an historia haec sit eadem cum illa, quam Matthaeus. cap. 4. & Marcus cap. 1. narrant, quando ad littus maris Galilaeae Christus primo Petrum, & Andream, & procedens Iacobum, & Ioannem ad se vocauit, dicens; venite post me, faciam vos fieri pisces hominum. sunt enim in hac parte tres sententiae.

Prima est Augustini lib. 2. de Consen. Euang. cap. 17. quam sequitur Beda in praesenti, distinctam esse historiam, quam refert Lucas, ab ea, quam Matthaeus & Marcus describunt, ita tamen, vt prius tempore factum sit, quod dicit Lucas, illud autem Matthaei, & Marci, posterius. Post miraculum enim hoc secuti sunt Christum Petrus, Iacobus, & Ioannes, non inseparabiliter, sed sic vt remearint: post illam vero vocationem Matthaei, & Marci illi inseparabiliter adhaerunt, vt discipuli Magistro.

Secunda sententia est antiquior, nimirum distinctam quidem esse vtramque historiam, prius tamen tempore factum esse, quod legimus apud Matthaeum, & Marcum, posterius vero quod narrat Lucas. Hae sententia fuit Sedulij, qui in suorum carminum lib. 2. describit historiam Matthaei, & Marci, nempe vocationem Petri, & Andrae, Iacobi, & Ioannis; libro vero quarto refert, quod apud Lucam habetur. Eandem sententiam secutus est Tatianus in sua Harmonia, qui narrans vtramque historiam, praemisit, quod habetur apud Matthaeum, tamquam prius tempore gestum, & quamuis Tatianus ab Ecclesia postea recessit, vt refert Hieronymus lib. de Script. Eccles. tam in eo libro Catholice locutus est, & secutus videtur doctrinam Iustini martyris, cuius fuerat discipulus. In eadem sententia videtur Ambrosius lib. 3. de Virginibus. Hanc enim historiam Lucae referens, inquit: Per parabolam hic vocat ad Ecclesiam Petrum, quem secundum Matthaeum simplici vocauit sermone. Hae ille. Quibus verbis indicat non solum distinctam historiam, sed priorem tempore esse illam, eandem tenuit Gregor. hom. 5. in Euang. ubi sic habet: Auditis fratres carissimi; quia ad vnus iussione vocem Petrus, & Andreas relictis retibus secuti sunt Redemptorem, nulla hunc facere adhuc miracula viderant; nihil ab eo de praemio aeternae vitae audierant, & tamen ad vnum Domini praecceptum hoc, quod possidere videbantur, obliuiscunt. Hae ille. Perpende nulla miracula vidisse, quando sunt vocati vocatione relata a Matthaeo. Huic sententiae consensit Euthymius expressis verbis.

Tertia sententia est quorundam recentiorum, qui eandem esse existimant historiam, quam refert Lucas, Matthaeus, & Marcus, vnumque Euangelistam suppleuisse, quae alius praetermisit. nituntur recentiores hi huic vnico argumento, nam omnes tres Euangelistae concludunt discipulos hos relictis omnibus secutos fuisse Christum, si igitur distinctae haec sunt historiae, & prius est vnum gestum, quam alterum, cogemur dicere discipulos postquam dimise-

runt sua, & secuti sunt Christum, recessisse ab eo, & ad sua reuertisse; non enim aliter bis dici potuisse videtur, illos relictis omnibus secutos esse Christum. In hac sententia Patrem antiquum nullum inueni.

Pro huius ergo difficultatis resolutione quaedam sunt statuenda. Primo quidem, quod Ioannes cap. 1. refert, de Petro, Andrea, & Philippo ad Christum venientibus, longe aliud esse ab his duobus, de quibus nunc controuertimus, illudque prius tempore factum est. In hac assertionem nulla est controuersia, concordant enim omnes, & expresse id affirmant. Augusti. lib. 2. de Consen. Euang. & Chryso. homil. 14. in Matthaeum, multisque argumentis probat Chryso. illud prius tempore gestum esse, quam quod narrat Matthaeus de vocatione Apostolorum; illud tamen efficax est, quia quae narrat Matthaeus de vocatione Apostolorum, facta sunt, postquam Ioannes Baptista traditus est: at vero quae dicit Ioannes Euangelista de Petro, & reliquis, fuerunt ipso Ioanne Baptista adhuc praedicante, vt ex verbis ipsorum Euangelistarum constat.

Secundo, quod Matthaeus, & Marcus narrant de vocatione Apostolorum, distinctum est omnino ab eo, quod Lucas describit: in hoc concordant prima, & secunda sententia, & adeo est manifestum, vt mirum sit recentiores ab ea veritate recessisse: multis tamen ea veritas confirmatur. In primis apud Matthaeum, & Marcum vocantur discipuli a Domino, & quidem bini; at apud Lucam nulla est vocatio, quod docte notauit Augustinus; sed post miraculum secuti dicuntur Christum. Rursus apud Matthaeum, & Marcum vocantur Petrus, & Andreas simul; at apud Lucam Andreas non solum non vocatur, sed nec fit eius mentio, nec interfuit in hac piscatione. Lucas enim expresse sic dicit: Similiter Iacobum, & Ioannem filios Zebedaei, qui erant socij Simonis. Si Andreas interfuisset, vti que cum tribus numeratus esset. & Augustinus lib. 2. quaest. Euang. cap. 2. & loco citato, hos tres tantum refert, Praeterea, apud Matthaeum prius tempore vocantur, & sequuntur Christum Petrus, & Andreas; postea vero Iacobus, & Ioannes; at apud Lucam simul tempore sequuntur Christum Simon, Iacobus, & Ioannes. Praeterea, apud Matthaeum Petrus, & Andreas vocantur iacentes rete in mare, & Iacobus, & Ioannes rescicientes retia cum patre suo; apud Lucam vero retia iacere omnes desierant, capturam desperantes, eaque lauabant. Christus autem retia laxare iussit. nec ergo iaciebant, nec resciciebant retia, quando Christum secuti sunt. Praeterea apud Matthaeum Christus dixit Simoni, & Andrae: Venite post me, faciam vos pisces hominum; at apud Lucam soli Petro; Ex hoc eris homines capiens viuos ad vitam. Praeterea illa verba; venite faciam vos, &c. dixit Christus, ambulans iuxta mare; hoc autem in naui ipsa. Sunt alia tam multa diuersitatis argumenta, vt meo iudicio recentiores hi reprehendendi sint, quod in componenda historia, vt eam ad suas imaginationes trahant, multa fingant, & omnia perturbent.

Tertio probabilior est antiqua, & communis sententia,

Auctoritas sententia.

Historia a Mattheo, & Marco recensita prior fuit quam illa, quae a Luca hoc loco refertur.

retia, hoc quod Lucas narrat, gestu esse post vocationem narrata a Mattheo, & Marco. Hae assertio probatur ex serie ipsa narrationis Euangelistarum, nam vocatione illa Matthaei facta est in principio praedicationis Christi, vt Mattheus, & Marcus aperte ostendunt; at vero quod narrat Lucas, euenit, quando eo praedicatione processerat per Galilaeam, vt vndiq; turbae confluerent, & irruerent in Christum; ea enim occasione in nauim ingressus est Petri. Praeterea Lucae, & Marci contextus id ipsum demonstrat, nam Petrus cu Andrae, & Iacobo insecutus dicitur Christum in deserto, & postea tu; bas inuenisse eum, cumq; haec illud detinere voluissent, dixit se praedicare alijs etiam ciuitatibus misum esse; & reuera praedicauit alijs ciuitatibus, in qua praedicatione factum est, quod Lucas refert. igitur iam Petrus cu alijs adhaererat Christo, quando in nauim Simonis, irruentibus turbis, ingressus est. Praeterea, quia Lucas asserit Petrum, Iacobum, & Ioannem secutos esse Christum, nunquam autem secuti essent, nisi prius vocati fuissent, sequuntur enim quia iam prius vocati erant a Christo, vt ei adhaerent: Lucas enim nihil de vocatione dicit, sed solum absq; vocatione secutos esse Christum refert. Praeterea, si nondum Christo adhaerissent, illi non se tam ebedientes exhibuissent Christo iubenti, vt laxarent retia, cum per totam noctem nihil prendidissent, & iam lassati essent, ac sine spe capturae. propter haec existimo posterius hoc euenisse, quam illud, quando vocati sunt ad disciplinam Christi sub promissione illa (faciam vos pisces hominum.)

Supere est argumentum recentiorum soluere, & in primis si vim aliquam id argumentum haberet, probaret Apostolos recessisse a Christo, quando post resurrectionem redierunt ad piscandum; nauim enim, & retibus suis vsi sunt. Quis autem hoc dicit? Recte ergo Augustin. lib. 2. de consen. Euang. ait: Quando Christi

Et factum est, cum esset in una ciuitatum.

COMMENTARIA.

Miraculum quoddam aliud describitur, quod fecit Dominus, dum per ciuitates Galilaeae praedicaret, leprosum enim mundauit, & a lepra sanauit. Factum, inquit, est, cum Dominus in vna ciuitatum, id est, prope vnam quandam Ciuitatem Galilaeae esset. quae autem, ciuitas haec fuerit, proprio nomine non significatur.

ANNOTATIO XVI.

Lucas & Mattheus concordantes in huius miraculi narratione.

Hoc idem miraculum Mattheus cap. 8. & Marcus cap. 1. referunt. ut autem ex Mattheo constat, factum est post concionem illam Domini, partim ad discipulos in monte, partim ad turbas in loco campestri, quam tribus capitibus scribit, unde Lucas multa praetermisit, quae intercesserunt a miraculo piscium usq; ad leprosi huius mundationem. Occurrit autem dubitatio, qua ratione dicat Lucas Christum fuisse in una ciuitatum, quando leprosum sanauit, cu leprosi extra ciuitatem legis precepto manere cogentur, ut habetur Leuit. 13. & Num. 5. cumq; Mattheus asserat, cu descendisset Christus de monte hunc leprosum occurrisse ei, & sanatum fuisse. Respondent qui-

dam recentiores, & quidem uere, leprosum sanatum esse no intra ciuitatem, sed prope, sicq; cum Mattheo concordat Lucas: cum enim descendisset de monte Christus, & iam ciuitati proximus esset, occurrit tunc leprosus; Hoc etiam ex Marco confirmatur, nam post emundatum leprosum dicit, Christum non potuisse manifeste introire in ciuitatem praet multitudine concurrente, audito eo miraculo; igitur non fuit factum intra ciuitatem. Nec est phrasia haec a Scriptura aliena: nam Iosue. 5. dicitur, cum esset Iosue in agro urbis Hiericho, ubi in Hebraeo dicitur, cum esset in Hiericho. sic etiam nunc Christus dicitur in ciuitate fuisse, cum esset in agro ciuitatis seu prope eam.

Et ecce uir plenus lepra.

COMMENTARIA.

Particula (ecce) indicat quasi a longe venientem, & ab alijs sequestratum: leprosus enim a consortio hominum repellebatur. quod autem plenus dicitur lepra, morbum auget, & eo magis sanantis virtutem comendat. Non enim omnis leprosus lepram habet per totum corpus diffusam, sicut hic. habent autem emphasim quandam verba haec (ecce uir) leprosus enim iste maximis, & raris virtutibus exornatus erat, vt paulo inferius demonstrabitur.

A N N O T A T I O X V I .

Qua lepra specie cōtra heretur legis immunditia. **M**atthæus, & Marcus simpliciter leprosum dixerunt; Lucas autem magis morbum explicuit, dum totum corpus lepræ plaga infectum narravit. est autem aduertendum pro huius verbi recta intelligentiâ, dupliciter quempiam lepra plenum esse posse. vno modo, quando lepra totum inficit corpus ita, vt nulla pars carnis viuida appareat in corpore, seu in tota illa parte, quæ lepra infecta est, sed tota sic incandorem conuersa. Altero modo, quando sic corpus lepra peruagatur, vt inter partes lepra infectas viuidæ partes carnis appareant. Qui priori modo leprosi erant, non censebantur immundi, nec à communi consortio expellebantur, vt expresse habetur Leui. 13. cuius causam assignauimus supra cap. 1. annotat. 138. iam enim putredinis motus completus est, nec est periculum infectionis, sicut caro, quando corruptio consummata est, non amplius fetet. posteriori modo leprosi immundi erant, & à consortio se-

parabantur. Erat ergo leprosus mundus, & immundus. Quod autem dico de toto corpore, intelligendum est de parte, in qua plaga lepræ erat, nam si totus locus plaga erat infectus, nec caro viuia intermitta apparebat, erat lepra munda. Hoc supposito intelligere debemus leprosum hunc plenum lepra dici modo posteriori, quia plaga corpus totum ita infecterat, vt non omnes partes carnis lepra fuerint coopertæ, quod signum erat putrefactionis adhuc perseuerantis. Talem autem hunc fuisse leprosum aperte probant verba sequentia: nam à Christo missus est, vt se sacerdoti præsentaret, & munus pro mundatione offerret. Erat igitur leprosus immundus. nam qui priori modo leprosus erat, mundus cum iam esset iudicatus, non tenebatur se iam sacerdoti præsentare, nec munus pro mundatione offerre; hæc enim facta erant, cum iudicatus fuit mundus, etiam si à lepra non esset sanatus.

Et uidens Iesum, & procidens in faciem suam.

C O M M E N T A R I A .

Vidit leprosus Iesum, à quo credebatur, & sperabat sanari, & adorabundus, & deprecabundus genu flexit ante eum; dignum enim tali honore iudicauit, quem credebatur posse tantum opus efficere, & tale ei conferre beneficium. Procidit autem in faciem, non solum præ humilitate, & pudore, vt dicit Ambrosius, sed etiam præ reuerentia; timuit enim ne morbi deformitas, & foeditas Christi aspectui adferret molestiam. idcirco procidit in faciem, quasi (quantum fieri à se poterat) se cooperiendo, & foeditatem occultando, qui timor reuerentiæ cuiusdam fuit.

A N N O T A T I O X V I I I .

Leprosi reuerentia fuit vera adoratio. **M**atthæus inquit (ueniens adorabat eum) Marcus autem (genu flexo) Lucas autem (procidens in faciem suam) quæ omnia vera, & consona sunt. Quidam autem recentiores non multum considerate asserunt, hanc adorationem, & genuflexionem fuisse cuiusdam vrbauitatis; solemus enim iis, qui eminent dignitate, officio, aut virtute aliqua, corporis inclinationem honoris cuiusdam causa exhibere; quorum sententia non est probanda, sed omnino tenendum, hanc genuflexionem, & adorationem exteriorem fuisse religionis; vt enim Magi prociderunt

ante Christum, & eorum prostratio à religione procedebat; ita & leprosi huius inclinatio erat virtutis eiusdem, quæ erga Deum, & diuina versatur. Ita affirmant Origenes hom. 5. in diuersos, qui similitudine Magorum allegata vritur, & Ambrosius in præfenti asserit petitionem leprosi plenam esse fidei, & religionis. id autem argumento efficaci confirmatur; nam ea prostratio ex fide procedebat, qua Christum Deum credebatur, quod paulo inferius diffusius explicabitur, & comprobabitur.

Rogauit eum dicens.

C O M M E N T A R I A .

Prius adorauit, postea rogauit; tunc enim preces dignæ sunt exauditu, cum præcedit fides vera, & reuerentia, quæ in adoratione continentur; nec humanæ fuerunt preces hæ, quæ hominibus puris funduntur, sed diuinæ, quæ Deo exhibentur; non enim rogauit, quæ homines facere poterant, sed quæ solus Deus.

Domine si uis potes me mundare,

C O M M E N T A R I A .

Mira confessio humilitati coniuncta; tantum enim Christum confitetur, vt in eius voluntate constituat effectum diuinæ potestatis, quasi diceret, tantus es Domine, vt possis efficere, quæ vis, & sanitas mea in tua sit posita voluntate. Præ eximia autem humilitate non dixit, munda me; se enim beneficio indignum iudicauit, totamque rationem, & causam impetrandi in affectu eius, qui sanare voluntate poterat, collocauit. Sententia igitur hæc expresse confessio quædam est fidei, tacite autem petitio est, & deprecatio. cætera in annotatione require.

A N N O T A T I O X I X .

Leprosus iste Christi diuinitatem credit. **N**otanda est fides leprosi huius, quam eius confessio, & tacita petitio demonstrant. Diuinitatem enim Christi credidit, quod & Sacri Docto-

res affirmant, & ratio ipsa comprobatur. quod ad Doctores spectat, Origenes hom. 5. in diuersos asserit leprosum hunc fidem diuinitatis Christi habuisse, quod etiam

etiam affirmarunt Athanasius orat. 5. contra Arianos, Chryso. Hom. 26. in Matthæum, & Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas, vbi verbis huius leprosi vtitur ad Christi diuinitatem contra hæreticos probandam. Quam etiam sententiam amplexus Ambrosius, dicit hæc verba leprosi plena esse fidei, & religionis. Ratio etiam, quæ ex verbis sumitur, id ipsum demonstrat: Si uis, inquit, potes me mundare. In quorum explicationem aduertendum est, prius verbum (si vis) non cadere supra posterius; nimirum (potes) tunc enim sensus esset falsus, nempe si vis habes potentiam sanandi, quasi ideo possit, quia vult, non enim sic est, nam siue vellet sanare, siue non, potentia erat illi sanandi, quæ non ex voluntate, sed ex natura procedebat; debet ergo verbum prius quantum ad sensum postponi, in hunc modum, & sensum, potes sanare me (si uis) id est, habes potestatem, vt si velis me sanare: sicut dicimus inter nos, si volo possum currere, non quod potestas currendi pendeat à voluntate, sed quod potestas est, vt currâ si velim. similiter dicimus Deum, si vult posse alterum mundum creare. Hoc supposito vero sensu, argumentum efficax deducitur ex his verbis, leprosum in Christo diuinitatem credidisse, & fuisse confessum: nam pro voluntate propria vti uirtute diuina solius Dei est; potuerunt quidem Prophetæ, & Apostoli, & homines sancti diuina uirtute, miracula facere, at non quoties, & quando uoluerunt, nec in eorum positum erat uoluntate, solius id Christi fuit, quia Deus est, suaq; utitur uirtute pro sua uoluntate. Doctrina hæc est Hieronymi Ezechi. 35. & Greg. lib. 2. mora. c. 28. qui ponderant locum illum Ioan. 1. Super quem, inquit, uideris spiritum manentem, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto. ubi notant neminem sanctorum habuisse spiritum manentem, vt miracula facerent, aut prophetarent, quando uolebant, sed quando illis Deus concedebat. unde aliquando maiora faciebant, & non minima, uidebant; difficiliora cognitu, non autem faciliora; hoc soli Christo, quia Deus erat, conueniebat, vt quando, quoties, & quomodo uolebat, uti diuina posset uirtute. Leprosus ergo istum fidem habuisse diuinitatis confessio eius ostendit: quæ enim solius Dei sunt, de Christo confitetur. quod etiam affirmavit Ambros. lib. 2. de fide cap. 3. vbi huius confessionis meminit. Præterea modus ipse mundandi id ipsum confirmat, si uis potes me mundare, quasi diceret, tantæ es potentia, vt sola uoluntate tua mundare me possis. hoc Dei est solius, qui sua uoluntate cuncta potest efficere, nec ullò alio indiget instrumento. hoc ponderauit Cyrillus loco allegato, vt inde concluderet Christum Deum esse, qui sola potuit uoluntate mundare leprosum.

Verborum leprosi duplex sensus, & qui textui accommodator. **A**duertendum est autem, huius sententiæ (potes me mundare si uis) duos esse sensus, vnus est, vt sola uoluntas causa munditiæ sit, ac si dictum esset, si vis, ipsa uoluntate efficies, vt ego munder, potesque solum uolendo mundare. Alter sensus est, vt non sola uoluntas causa sit sanitatis, seu munditiæ, sed etiam remedia adhibita munditiæ restituendæ, quæ ideo uoluntati tribuitur, quia in ipsa positum est talia remedia adhibere, vt sit sensus, si vis potes me mundare, quia in uoluntate tua munditiæ remedia posita sunt. Quo modo dicimus inter nos homines vnus alteri, si vis, potes me diuitem facere, non quod sola uoluntate id fiat, sed quia uoluntatis illius est præbere diuitias; ita etiâ, si volo possum te interficere, non quidem solum uolendo, sed quia mihi li-

berum est, vt si uelim, ense euaginem, & te occidâ. Prior modus operandi solius est Dei; uoluntas enim eius est efficax, & potens, vt sola illius uoluntate id fiat, quod ipse fieri, & esse uult. Posterior modus communis est Deo, & hominibus, sed multo differentius: Deus enim ita per media, quæ in eius sunt posita uoluntate, operatur, ut possit etiam sine medijs operari illud idem: at uero non sic se habet homo, sed præter uoluntatem medijs alijs indiget, ut fiat, quod fieri uult. Est igitur dubitatio, utro sensu leprosus hanc sententiâ protulerit. Athanasius lib. de comuni essentia Patris, Filii, & Spiritus sancti priorem probat, ipsumque eo argumento confirmat, quod eodẽ uerbo, quo usus est leprosus, syllaba mutata, sanauit ille dixit si uis; Christus autem (uolo) unde uolens mundauit. similia uerba cū Athanasio dicit Chryso. Hom. 27. in Matthæ. in eadem sententia est Cyrillus lib. de fide, ad Reginas, qui hunc locum adducit ad probandam Christi diuinitatem, quia uoluntate sanauit, quod solius est Dei. idemque Ambros. lib. 2. de fide cap. 3. allegato, eaq; sententia est accommodatior, quam secuti sumus, nec obstat, quod uerbo usus est, ad mundandum: nam id factum est, ad exprimendâ, & significandam uoluntatem efficacem, ut in commentario diximus. Sicque Ambrosius Luc. 5. intelligendus est, qui cum diceret, eo modo sanasse, quo rogatus est, simul etiam tactu, & uerbo mundasse affirmavit. Hoc tamen est notandum, quod si quis posteriorem amplectatur sensum, adhuc is solius est Dei: nam lepra sola diuina uirtute sanari potuit, quæ aliquando medijs, aliquando se sola operatur: diuinæ autem uirtutis nulla alia uoluntas arbitrium habet, nisi solius Dei. dum igitur dicit, si uis, potes me diuina uirtute mundare; hæc enim mihi opus est; arbitrium facit Christum diuinæ uirtutis, & consequenter Deum confitetur. siue ergo sola uoluntate, siue adhibitis medijs emundare petierit, quod illi liberum reliquit leprosus, Christum Deum esse confessus est.

Opponet quispiam sic: Sicut ad uocem hominis puri Deus potest miracula facere, & sanitatem conferre; scriptum enim est Iosue. 10. Iosue uerbo stare fecisse Solem obediente Deo uoci hominis, ita etiam eadem potest facere ad solam uoluntatem ipsius puri hominis; non igitur ex eo, quod leprosus dixit (si uis potes me mundare) consequitur ipsum confessum fuisse Christum esse Deum, cum potuerit fieri, ut Deus ad uoluntatem illius uoluerit miracula facere, & sanare, etiam si Deus non esset. Ad hoc fateor ea fieri potuisse, licet nunquam Deus faciat. Si enim sola hominis uoluntate miracula ederet, non agnosceretur is, per quem fierent; qua de causa Christus, qui sola uoluntate poterat sanare, & miracula efficere, utebatur uoce, aut signo sensibili, vt scirent homines se ea facere. At uero leprosi uerba maius quid de Christo ipsum sensisse, & confessum esse indicant; absolute enim in uoluntate Christi positam esse mundationem confessus est, absque uoluntate alterius extra se, si vis, inquit, nec dixit sicut Martha. Ioan. 11. quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Confessus etiam est potestatem absolutam faciendi in eo esse, (potes) inquit. Hæc autem non poterant esse nisi in eo, qui Deus erat. Recte ergo Doctores sacri allegati affirmarunt ex hisce uerbis colligi, leprosum confessum esse Christi diuinitatem.

Leprosi prudentia multis circumstantiis commendatur.

Accessit fidei mira huius leprosi prudentia. primo quidem, ut notat Chrysostomus homil. 26. in Matthæum, quia opportunitatem in petendo seruaui; non enim quando Christus prædicabat, populisque spiritualem doctrinam impartiebatur; ille importune se ingessit, sermonem interrumpens, sed postquam de monte descendit, & prædicare cessauit; nouit enim leprosus spiritualibus temporalia, quæ petebat, cedere debere, nec illa esse intermittenda, quando tempus instat, propter hæc, quæ minoris sunt. Secundo, eius prudentia in petitionis modo relucet; cum enim ad Christum nunquam ante accesserit, nec ullam cum eo communicationem habuerit, non est ausus expresse aliquid petere, nec rogauit, ut mundaret, sed vsus est insinuatione verborum, & ipso facto: tam miserandus enim morbus ante oculum medici medicinam efficacius flagitabat quam sermo. Tertio etiam apparet prudentia in argumentis, quibus ad impetrandum est vsus: Domine, inquit, si vis, potes me mundare. Quædam sunt hæc impetrandi argumenta, (Domine) ecce primum, id est, tuum est me sanare; decet enim dominos seruorum curam gerere: tu autem es Dominus omnium, ego autem vnus ex tuis seruis. (potes) ecce secundum, quasi diceret, tu solus remedium adhibere mihi po-

Et extendens manum suam tetigit eum, dicens.

COMMENTARIA.

Prociderat in faciem suam leprosus, præ reuerentia, corporeis oculis Christi morbi foeditatem occultans; Christus vero reuerentiam eius aspiciens, non solum aspectum, sed etiam tactum concessit, quasi diceret, ne vereare tantam morbi foeditatem aspectui meo præsentare; tantum enim à me abest, quod tuum aspectum abhorream, ut nec tactum aufugiam: ecce manum extendo, & hanc ipsam foeditatem, quam præ reuerentia oculis meis occultas, manu ipsa tango. Et attende Christum manum extendisse, quia leprosus eadem reuerentia, Christo non multum appropinquauit.

ANNOTATIO XXI.

Quare Christus leprosum tetigit, cum id lege prohiberetur.

Marcus verbum aliud expressit (Iesus, inquit, misertus eius extendit manum) Est autem consideratione dignum, cum voluntate, & verbo mundaret, cur manus tactum adiecit. Marcion, ut refert Tertullianus lib. 4. contra eundem, ex huius leprosi tactu argumentabatur, Euangelium esse contra legem, & Christum esse aduersarium Creatori, qui auctor fuit legis: nam lex prohibebat consortium cum leproso; immo eum ab hominum communione expelli præcipiebatur Leu. 13. & Num. 5. Huic hæresi Tertullianus se opponens respondet, tactum hunc non fuisse contra legem, idque duplici causa; prior est, quia fuit ad legis explicationem; illa enim prohibitio communicandi cum leproso significabat omnino debere nos abstinere à participatione peccatorum, ne in eorum operibus malis vllum habeamus consortium, idcirco Christus tetigit leprosum, quasi diceret, non est hic tactus, quem lex præcipue significat. At quia obiici potuit, etiam si tactus ille significaret communicationem peccati, tamen vere ille tactus corporeus lege prohibebatur, idcirco adunxit posteriorem causam, cur tactus Christi non esset contra legem, nimirum, quia Christus, qui Deus erat, non poterat lepræ contagione inquinari, quasi diceret: lex erat illis data, qui tactu leprosi infici poterant; Christus autem diuina virtute præditus non poterat morbi illius tactu lædi. Ex doctrina hæc duas elicimus causas, cur Dominus leprosum curaturus tetigerit, nempe, & ut legis præceptum interpretaretur, quasi per illud, quod spirituale est,

si tu non me sanas, à nemine sanabor. (si vis) ecce tertium, nempe facilitas sanandi, quasi diceret; Non est tibi opus magnos sumptus facere, aut multum laboris in me sanando subire. quæ duo amouere dominos solent à subuenièdo seruiss; ac tu sola voluntate id præstare potes; quid autem facilius sit, quam quod sola voluntate facientis efficitur? (me mundare) ecce quartum argumentum, grauis nempe & extrema miseria, quasi diceret, si quod peto, leue esset, aut mihi parum commodi adferret, exaudiendus non essem, at non sic est, mundari mihi opus est à morbo intolerabili, & mihi molestissimo, qui me ab hominum consortio expulsus tenet; maxima ergo est indigentia mea. Postremo prudentia eius ostensa est in dispositione, qua ad Christum accessit, quæ talis ac tanta fuit, ut impetraret quidquid petierat: nam venit cum fide mirabili diuinitatis Christi, eiusque confessione, profunda humilitate, religione, fiducia impetrandi, & absque dubio existimandum est, etiam cum charitate, & dilectione; à quo enim tam insignem accepit fidem, cæterasque virtutes, etiam dilectionem recepisse arbitramur, quæ fidem perficiebat, fiduciam, seu spem impetrandi excitabat, & causam impetrationis ministrabat.

intelligendum esset: & ut se legis præcepto non contineri ostenderet.

Origenes homil. 5. in diuersos alias causas docet, & quid, inquit, est, quod tetigit eum, cum lex prohibuisset leprosum tangere? ut ostenderet omnia munda mundis, quia aliorum aliis non adhaerent inquinamenta, neque extranea immunditia immaculatos coinquinat. Ad hæc, ut humilitatem demonstraret, & nos doceret nullum spernere aut abhorre, aut contempibilem ducere propter læsionem, aut maculationem. Hæc ille.

Chrysostomus hom. 26. in Matthæum duas has causas huius tactus adduxit, vnam cum Tertulliano, ut se supra legem ostenderet. Alteram cum Origene, ut spiritualiter mundo nihil esse immundum significaret, nempe corporis immunditiam non coinquinare animam, nec lepram impedimento esse virtuti. iuxta illud Matth. 15. quod intra per os, non coinquinat hominem. Ambrosius in præfati præter eam, scilicet, ut se non subditum, sed legis Dominum significaret, alias duas protulit causas. prior est, ut potestatem, virtutemque suam Christus declararet, nam tactu, & imperio vsus est; tetigit enim leprosum, & imperans, dixit; Mundare, illud ut potestatem, hoc ut auctoritatem suam ostenderet, quæ voluntate, & verbo illo (volo) non satis ostendebatur. Verba Ambrosij sunt hæc: Tangit non dedignatus, & imperat non diffusus; hoc enim est indicium potestatis, quia quasi habens potestatem sanandi, & iubendi auctoritatem, operandi testimonium non refugit.

Misericordia Christi elucet in tactu leprosi.

Lex non prohibuit tangere leprosum, sed in dicitur tamen gentilibus immunditiam prænam.

refugit. Hæc ille. Posterior est, ut ostenderet se non timere contagium ut homines, quia contaminari non poterat, qui alios liberabat.

In primis tactus Christi non fuit contra legem, nec eo immundus factus est; in cuius declarationem attède, leprosum tangere lege non fuisse prohibitum, prohibuit quidem lex cohabitationem communem leprosis, iubens eos à castris, & ciuitatibus expelli, non tamen prohibuit, ne quis eos tangeret, sed statuit, qui tetigisset, immundum esse decernebat, donec purgaretur, sicut nec prohibuit tangere mortuos, sed qui tangebatur, immundum esse decernebat, donec seruatis quibusdam à lege præscriptis mundaretur. vnde non peccabant, nec legem transgrediebantur, qui leprosum, aut mortuos tangebatur, sed immundi erant, tenebanturque legem immundum implere, sicut apud nos Iudices, & ministri, quorum vindicandis morte criminibus se immiscent, irregulares sunt, & ab ordinum susceptione arcentur, non tamen peccant, nec contra legem agunt, dum reos morti adiudicant. Adde argumentum, quia si tactus hic prohibitus esset, inconueniens sequeretur, nimirum legem postiuam aduersari legi naturali: nam aliquando naturali lege obligabantur, & mortuos tangere, & leprosum, nempe sepeliendi, aut medendi causa: non ergo tactus talis legi erat contrarius, sed immunditia ex tactu contracta erat secundum legem, tenebanturque hi, qui tangebatur, immunditiam ritu legis purgare. Tertullianus igitur, Chrysostomus, & Ambrosius, ac Origenes affirmantes esse lege prohibitum leprosi tactum, sic sunt interpretandi, nimirum secundum legis præceptum tangentes leprosum immundos esse, & qui tetigerant, nec se ut immundos gerebant, contra legem egisse. Dicimus ergo Christum, qui leprosum tetigit, non egisse contra legem, nec illum tactum comprehensum lege fuisse, quasi ex eo immundities contraheretur. Hoc satis aperte comprobatur ex facto Elisæi 4. Reg. cap. 4. qui mortuum tetigit, nec tamen immundus factus est, quia tactus ille erat miraculosus, nempe ad suscitandum mortuum; opus enim diuinum coinquinare, aut immundum facere non poterat. Si igitur homo purus tactu supernaturali non est immundus effectus, multo minus Deus, & homo Christus. Diximus de hac re copiose in commentariis in Ioannem cap. 5. annotat. 11.

Quod si causam postules, cur hunc leprosum te-

Volo mundare.

COMMENTARIA.

Voluntatem, & potestatem sanandi rogauerat leprosus, voluntate, & potestate mundatur, & quo genere fuerat Christum obsecratus, eodem sanatur, duobusque verbis, si vis, potes me mundare, duo item exhibet, volo, mundare, id est, esto mundus. illud voluntatem, hoc imperium, & potestatem exprimit. sola voluntate sanare potuit, ut leprosus rogauerat, sed si sic sanasset, non ita facile leproso, & turbæ adstanti sanitatis auctor manifestus esset. utitur ergo verbis, voluntatem, ac voluntatis potentiam significantibus. Duo enim hæc, volo, mundare, explicant Christi interioré voluntatem efficacem, potentemque leprosum mundandi. (mundare) auté modus est imperatiuus passiuæ vocis, clarioribus verbis dici potest, esto mundus. Simul ergo tetigit & locutus est, sed verbo sanauit, tactu se leprosum non abhorre, significauit.

ANNOTATIO XXII.

Marcionis hæresis refutatur.

Autebatur Marcio etiam his verbis ad probandum, Christum contrarium esse veteri testamento, ut refert Tertullianus lib. 4. contra eundem; ille enim opponebat Elisæum 4. Reg. 5. aqua vsu fuisse ad mundandum Naaman à lepra, quo facto approbabat Deum, qui aquam, & cuncta creauit: at Christum non esse vlium aqua, quasi aduersarium Creatori. Respondet sapienter Tertullianus duo. vnum est, non ex

tigerit? Respondeo præter causas ex Antiquis Doctoribus allegatas, aliam mihi accommodatissimam videri, in cuius explicationem aduerte, in leprosis adiuuandis maxime misericordiam virtutem exerceri, non solum in pecuniis erogandis, si pauperes sunt, sed etiam in ope præstanda: nam inter omnes morbos lepra in hoc est miserrima, quia arceat, & terret medentes, aut opitulatores, tum contagionis periculo, tum foeditate, & turpitudine, quæ ad nauseam prouocant. Vnde Greg. Nazianz. orat. de amore pauperum in leproso duplicem prædicat misericordiam, & quod infirmus est, & quod aliis odio, & nauseæ est. Blucet igitur misericordia erga leprosum in his, qui etiam manum opitulatricem admovent illis. Distinxit Hieronymus Epist. ad Oceanum, in Epiraphio Fabiolæ, hæc duo misericordiam opera, & eos, qui pecuniis iuuant, clementes pecunia appellauit: eos vero, qui morbos, & turpibus morbis infectis medicas admovent manus, vocauit clementes manu, quod opus difficilium est, & à paucioribus fit quam pecuniarum erogatio. Hæc autem duo significata sunt psal. 11. ubi sic habetur, qui non spreuit, nec despexit deprecationem pauperis, illud (despexit) in Hebræo est verbum שָׁפַח quod significat quasi ad nauseam, & stomachum prouocare; sunt enim qui spernunt pauperes, sed potius pecunia opitulantur: at præ nauseam, respicere non audent; Christus vero noster nec spreuit, nec despexit leprosum, ut misericordiam suam perfectionem indicaret, qui tactu etiam, & virtute leproso auxiliatus est. hoc Marcus satis indicauit, nam dixit (misertus est, & tetigit eum.) Non immerito autem hanc misericordiam perfectionem in leproso significauit, qui eadem misericordiam perfectionem mundo opem tulit; cum enim sola voluntate, & virtute hominem peccato infectum sanare posset, voluit etiam carne ex eius massa suscepta, quasi extendens manum, & tangens, sanitatem illi conferre, & pro homine facere, quod homo nec ausus esset rogare; sicut nec leprosus ausus est petere à Christo tangi. significauit etiam Euangelicæ charitatis perfectionem futuram, quæ non solum immundos non reputat leprosis manum admouentes, sed summopere commendat. vnde Elisæus ille Naaman leprosum nec tetigit, nec respexit; Christus vero noster vidit, allocutus est, & tetigit, manum extendens in eum, qui accedere ausus non fuerat. Hæc igitur esse videtur causa, cur tetigerit leprosum.

diuerso modo mundandi colligi Christum aduersari auctori veteris testamenti, sed ostendere se longe alium esse ab Elisæo; non enim Dominus voluit eundem modum seruare, quem seruus tenuit; potentior enim est dominus famulo. Alterum est, Christum eo modo sanasse, qui eum maxime decebat; verbum enim potius indicat, Christum Creatori conformem, quam aqua: nam Deus vniuersum verbo creauit; modus igitur mundandi

mundandi verbo ostendit Christum creatori non aduerfari. Notat autē Chryfoft. hom. 26. hoc verbo Christum fidem leprofi confirmasse, qui crediderat eum Deum esse, qui poterat voluntate sanare, quasi diceret: Vere credidisti, in mea, nempe voluntate positum esse mundare te, indeq; me Deum esse, ecce volo, esto mundus. Quo etiam verbo nobis significauit ad exhibenda opera misericordiae erga proximos, faciles, & promptos nos esse debere. Docte autem ponderat Ambrosius tria verba in huius mun-

Et confestim lepra discessit ab illo.

COMMENTARIA.

Voluntatis, verbiq; Christi virtute subito, & momento temporis leprosus sanatus est. recte autem dictum est (lepra discessit) & non (mundus factus est) quamuis Marcus vtrumq; coniunxerit: nam leprosus aliquando mundari dicebatur, non quod ablata esset lepra, sed quod in eum esset statum redacta, vt legis immundities amota esset. vt enim diximus supra, quando lepra totum corpus plagæ peruagata erat, nullaq; carnis viuida pars intermixta apparebat, sed in candorem erat tota conuersa lepra, tunc mundus decernebatur leprosus à sacerdote: at Christus non sic mundauit hunc hominem, sed sanauit, lepram ipsam abstulit, & in pristinam puritatem corpus restituit, sicut Elisæus sanauit Naaman, cuius caro effecta est, sicut pueri caro, qui nullo fuit vmquam morbo infectus; idcirco Euangelista dixit, (discessit ab illo lepra) additum est autem (confestim) tum vt Christi virtus ostenderetur, tum vt non alteri medicinæ, quam voluntati verbo expressæ sanitas attribueretur.

ANNOTATIO XXIII.

Posset quispiam non immerito dubitare, an solo Christi tactu lepra discesserit, an solo verbo, an simul utroq;. Nam Christus dum tetigit, locutus est; dicit enim Euangelista (tetigit eum dicens). Primo loco Hieronymus Matth. 8. Extendente, inquit, manum Domino, statim lepra fugit. quod etiam Iuuenius lib. 1. Carminum affirmauit, sic canens:

Tunc dextra Christus

Attactu solo purgauit lurida membra.

quod Origenes prius sensisse videtur hom. 5. in diuersos.

Secundo loco Ambrosius solo verbo sanatum asserit li. 2. de fide c. 3. Dixit, inquit, Volo, & statim secuta est sanitas. Hæc ille, de tactu vero nihil dicit. In eadem sententia est Chrysoftomus. hom. 26. in Matthæum. Cuius, inquit, rei gratia, cum voluntate, & verbo sanaret, adiecit & tactum? Hæc ille. Igitur præter voluntatem solo verbo sanauit. In eadem est sententia Athanasius. lib. de communi essentia Patris, Filii, & Spiritus Sancti, vbi affirmat Christum sanasse eodem verbo, quo vsus est leprosus, syllaba mutata, nempe (vis, volo).

Tertio tamen loco idem Ambrosius Luc. 5. & verbo, & tactui sanitatem tribuit: nam de verbo dicit leprosum sanatum esse eodem quo petiit modo; de

Et ipse præcepit illi, vt nemini diceret.

COMMENTARIA.

Fugiebat aliquando Dominus turbæ concursum, aut quando curiositate quadã, non studio fidei, agnoscendiq; veritatem, ducta, audito aliquo, aut expectato miraculo ad eum confluere, aura quadam populari applausura: de qua re Ioann. 6. dictum est: Cum cognouisset, quod venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit in montem solus. Aut quando nullum in iis, qui conuenturi erant, miraculum facere, nec sermonem habere decreuerat, sicut scriptum est Ioann. 5. IESVS declinavit à turba constituta in loco, nimirum, quia neminem alium præter paralyticum illum sanare statuerat: aut quando nulla opportunitatis habita ratione suis potius inhians temporalibus commodis multitudo ad eum conuolabat, impedimentoq; ipsi erat, quo minus alijs operibus, quæ tunc magis expediebant, quæq; facere propo-

ditione leprosi, volo, mundare, tetigit. Primum contra Photinum hæreticum, qui voluntatem humanam in Christo negabat: secundum contra Arium, qui imperium diuinæ naturæ remouebat à Christo: tertium contra Manichæum, qui carnis Christi veritatem auferebat. Volo, enim humanam voluntatem indicat Christi, Mundare, diuinam naturam, cuius est imperium absolutum, tetigit, veritatem carnis, aliter enim tangere vere non posset.

tactu autem sic inquit. Non tetigit, quia sine tactu mundare non poterat; sed vt lepra tactu Domini fugaretur, quæ solebat contaminare tangentem. Hæc ille. cui sententiæ adhæsit Euthymius Matth. 8.

Postremo Druthmarus ambiguitas est, cuius hæc sunt verba: Nescio quid magis timuerit lepra, verbum, an tactum eius? si tacuisset Christus, lepra non fuisset ausa expectare manum Domini, quia non fuerat ibi creata; si non extendisset manum, & dixisset volo, non esset ausa remanere, quia ille erat intrus in illo corpore, qui dixit, & facta sunt. Hæc ille. Faretur ergo vtroq; potuisse sanare, solo tactu, & solo uerbo; dubitat vtro sanauerit in hac parte, cum & solo tactu, & solo uerbo, utroq; simul sanare Christus potuerit.

Omnes sententiæ probabilitate non carent, at multo accommodatior contextui historię est secunda sententiã, solo uerbo, efficacem uoluntatem exprimentem vsus esse Christum ad sanandum, & mundandum leprosum. cuius ratio est, quia leprosus petiit, si uis; Christus autem annuisse videtur, cum dixit: volo, mundare. voluntate quidem sola sanasset, sed leprosus non id agnouisset, nisi signo exteriori ei fuisset manifestata; idcirco uerbum, vt instrumentum assumpsit sanandi, vt diximus in commentario superioris tactum autem adhibuit ob causam ibi explicatam.

proposuerat, incumberet, de quo dictum est Matth. 5. Videns turbas ascendit in montem. Et Marci. 3. conuenit ad eum turba, ita vt nec possent manducare panem. Hæc igitur nunc de causa leproso præcepit, vt nemini diceret, nec publicaret miraculum factæ emundationis, ne si tunc temporis illud euulgasset, importuna turbæ multitudo concurreret ad eum; qui & ex via, & ex conuentione amplissima facta se cum discipulis defessus in Ciuitatem illam recipiebat: non tamen vetuit, quin opportuniori tempore illud euulgaret.

ANNOTATIO XXIV.

Quare Christus leproso præcepit, ne miraculum factum manifestaret.

Consideratione dignum est, cur Dominus silentium leproso imposuerit quod illis decem leprosis Luc. 17. non indixit. Chrysoft. hom. 26. in Matthæum refert quorundam opinionem, asserentium id factum esse, ne sacerdos, cuius erat de lepræ mūdatione iudicare, callide, & versute se in iudicando gereret, si sciret auctorem munditiæ; erant enim illi sacerdotes Christo aduersarij. Hæc sententiam reijcit Chrysoftomus eã ratione, quia tam manifesta erat mundities diuinitus facta, vt nullum ambiguitatis locum reliqueret. Adde Leui. 13. esse præscripta signa, & argumenta omnia decernendi lepræ munditiem, adeo vt in tam perfecta emundatione, & omnibus manifestis nemo posset iudicium peruertere, quin iniquitas esset ab omnibus deprehensa: præterea, quia sciebat Christus etiam, si euulgatum esset prius miraculum, iudicium tamen sacerdotis rectum futurum, quod rei euentus à Christo præscitus declarauit: nã leprosus nõ seruauit silentium, & iudiciũ fuit rectum; quod Christus ipse significauit; nã dixit: Ostende te sacerdoti; & quasi de iudicio emundationis futuro certus, etiã si sciret prius miraculum publicandum, adiunxit, offer pro emundatione tua, nempe post iudicium sacerdotis. Præterea quia tunc dicendum potius erat; nemini dicas, priusquam te sacerdoti ostendas.

Hæc igitur dimissa sententiã, ipse Chrysoftomus aliam imposuit silentij causã profert, nimirum, vt doceret, quã esset alienus ab aura gloriæ, pōpaq; iactatiæ; quæ etiã causa assignata fuit ante à Tertull. lib. 4. contra Marcionem. Quantũ, inquit, ad humanæ gloriæ auersionem pertinebat, vetuit leprosum diuulgare. cōsentit huic Euthymius Matth. 8. adiungens etiã id præcepisse, vt instrueret eos, qui beneficia in aliquo conferunt, ambitionem execrari. Hoc etiam dixit Origen. hom. 5. in diuersos: Vt doceamini, inquit, quãdo aliquid boni facitis, nõ gloriari, aut extolli, vel inaniter placere uelle in conspectu. Hæc ille. quod si postea ille nõ seruauit silentium, fecit tamen Christus, quod in se erat, vt responderet Chrysoft. & Euthymius. Hæc causa perpetua nõ est, nã miracula multa publice fecit, immo manifesta omnibus ea esse uolebat, non quidẽ in gloriam propriam, sed in nostram utilitatem; sciebat enim salutem hominũ in eo positam esse, vt eũ agnosceremus, & in ipsum crederemus. Ioan. 17. Hæc est uita æterna, vt cognoscant te uerum Deum, & quem misisti, Iesum Christum. Agnitio autem hæc maxime erat ex operibus diuinitatis eius. Ioan. 10. Si mihi non creditis, operibus credite. Adde hoc ipsum miraculum non vetuit predicari, & euulgari absolute, sed tunc temporis, vt dicitur inferius.

Ambrosius alias duas adfert huius præcepti causas, uerba eius sunt. Cur autem præcipitur nemini dicere? nisi vt doceret non uulganda nostra beneficia, sed præmendanda; ut nõ solum a mercede abstinemus pecuniæ, sed etiam gratiæ. Hæc Ambros. quæ etiam causa non est perpetua: nam miracula multa erga in-

Sed uade, & ostende te Sacerdoti.

COMMENTARIA.

Vetus lex erat, ne ullus de mundatione leprosi decerneret, sed solus summus Sacerdos, vt constat Leui. 13. Oportebat ergo vt conspectui sacerdotis se leprosus offerret,

firmos corã tota turba facta sunt a Domino. Alteram causam adiungit Ambrosius dicens: fortasse illa silentij impetrati causa fuit, quod meliores putabat eos, qui fide spontanea magis, quam beneficijs speratis credidissent, quasi diceret, uoluit significare Christus imponendo silentium miraculi, homines magis debere credere illi propter uerbum, quam propter miracula, & beneficia. Quod & si uerum est, scilicet perfectiorem esse fidem, quæ etiam sine miraculis est; tamen Christus ab illo populo fidem ex miraculis exigebat; eamq; probabat.

Druthmarus in Matthæum priorẽ causam Ambrosij scribit, alteramq; addit, nempe quia superfluum erat loqui, ubi tam manifestum erat opus. Verba ipsius sunt: Necessè, inquit, non erat uerbis narrare, cum omnes sanum uiderent, quem leprosum antea uiderat. Quã causam etiam tradit Victor Antiochenus Mar. 1. sic enim habet: Nemini dixeris, non indigeo tua prædicatione; si enim morbus, quo laborabas, me non, prædicauerit, mūdities tua nulla erit. Hæc ille: immo eadem etiam est Hierony. Matth. 8. sic enim, inquit: re uera quid erat opus, vt iactaret, quod corpore præferbat. idẽ etiã dixit Origenes hom. 5. in diuersos. Quæ causa si uera esset, alijs multis, qui miracula facta narrarunt, iniungendũ erat, vt nemini dicerent.

Omnibus igitur hæc perpensis Marcus Euangelista uisus est mihi causam silentij impositi indicasse: nam post silentiũ impositu leproso sic habet; Egredere te nepe leprosus cœpit prædicare, & diuulgare sermonem, ita ut iam non posset manifeste introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esset. Ex his uerbis causam deducimus impositi silentij; uolcãt enim tunc Christus ciuitatem intrare illam sine turba, & tumultu, se enim recipiebat tunc causa quietis, quia uenerat è uia, & de monte descenderat, longamq; cõcionem habuerat, idcirco silere tunc præcepit, ne miraculum importune euulgaretur, sic enim impediabatur ab ingressu libero multitudine concurrente, uti leproso postea euulgante factum est, ut inferius dicemus. Hæc causa etiã deducitur ex uerbis eiusdẽ Marci: Comminatus, inquit, est illi, id est, minis additis præcepit, ut nemini diceret, adiecit etiã (eiecit illũ) ne si ibi permansisset, multitudo cõcurreret ad uidentum illum. Quærebatur ergo tunc Christus solitudine, idcirco imposuit, ut sileret, non quidem absolute, & perpetuo, sed tunc temporis, quando aderat Christus, & facile ad eũ multitudo cõfluere poterat; sic enim tempus illud liberum manebat Christo, ut Ciuitatẽ sine strepitu intraret, ibiq; cum discipulis quiesceret. Colligitur etiã causa, cur decẽ illis leprosis hoc silentiũ non imposuit, non enim tunc temporis solitudo à Christo quærebatur, ut nũc, & eo maxime, quia in uia erat. Cur autem præcepit Christus leproso silentium, quod ille non obseruauit, præsertim cum multitudo conuenerit ad eum, dicemus inferius, cum ea uerba explicabimus.

Auctor aliam iudicij silentij causam ex uerbis Marci deducit.

offerret, & signis, ac probationibus ostensis iudicium eius expectaret, ante quod im- mundus, quantuncumq. sanus esset, censebatur. Præcepit igitur Christus leproso, vt sacerdoti se ostenderet, ne ipse Christus videretur sacerdotis sibi vsurpasse iudicium, sicque calumniantium obturauit ora, qui tanto acrius contra Christum insurgerent, quanto sublimior erat persona, cuius prætexebatur vsurpatum iudicium.

A N N O T A T I O XXV.

Quare Chris- tus leproso præcepit, vt se sacerdoti ostenderet.

Marcus inquit (ostende te Principi Sacerdotum) non enim, vt in commentario diximus, cuius- que sacerdotis erat iudicare de lepræ mundicia, sed summi, qualis Aaron fuit, & eius successores. Cur autem ad sacerdotem miserit Dominus leprosum, doctores varias proferunt causas. Tertullianus lib. 4. contra Marcio. eam dicit esse, vt legem imple- ret. Chrysostomus. hom. 36. in Ioan. duas assignat. vna est, vt calumniantium, qui eum legis præuaricato- rem proclamabant, ora comprimeret; quam cau- sam etiam hom. 26. in Matth. tradidit. Altera est, vt miraculo certam fidem faceret, nam ipsi facto acce- debat iudicium summi Sacerdotis, quo decerneba- tur non fictam, sed veram esse emundationem. Am- brosius, & Origenes. hom. 5. in diuersos aliam docet. Ostendere, inquit, se sacerdoti iubetur, vt dum of- ferret se sacerdoti, ipse sacerdos intelligeret non

legis ordine, sed gratia Dei supra legem esse curatū. Druthmarus autem tres causas dat, nempe, ne Chris- tus legis annihilator videretur; & propter humi- litatem, vt ostenderet se sacerdotibus reuerentiam, exhibere; & vt, si videntes non crederent, deterius damnarentur; si vero crederent, saluarentur. Hæc omnia recte dicta sunt. potissima autem causa ea est, vt calumniæ obuiaret, ne Sacerdotis summi iudi- cium contra legis præceptum sibi vsurpare videretur, quo quidem facto se legis obseruatorem simul demonstrabat. Vnde recte dicit Chrysost. hom. 26. in Matth. Ne dicerent rapuisse gloriam sacerdotum, opus impleuit ipse; probationem vero permisit illis, quibus etiam de signis suis permisit potestatem, ac si diceret; procul sum, vt Moysi, aut sacerdotibus vi- deat repugnare, immo eos, quos ipse curauit, ad pa- rendum illis, induco.

A N N O T A T I O XXVI.

Marcio huius loci auctori- tate Mar.

Opposuerunt hanc Evangelistæ sententiam simul cum sequenti (offer pro emundatione tua sicut præcepit Moyses) Marcionem ij, qui Catholicas partes tuebatur dicebat ille; Christus erat contrarius vete- ri testamento, & auctori eius; opponebant autem nostri; quod leprosum misit, vt sacerdoti se ostende- ret, & offerret pro emundatione sua, in quo legem illam seruasse demonstrat. ita opposuerunt Mar- cionem Tertullianus lib. 4. allegato, & Epiphanius hæ- ref. 42. Hæreticus vero ille perfidus, & callidus huic obiectioni respondebat, referente Tertulliano, Chris- tum hæc iussisse leproso, quia sciebat illum ea fa- cturum. quam vanam hæretici euasione refellit Tertullianus multipliciter, nam siue ea de causa siue alia iusserit, hæreticus conuictus est: nam saltem le- gem seruari iussit, quod hæreticus negabat. Præterea quia tacere poterat, quid enim compellebat, vt sa- cerdoti se ostendere præciperet, si sciebat leprosum id facturum (Vide cætera apud eundem Tertullianū.

litate ea, qua nos quoque esse humiles docuit, sa- cerdotē adhuc appellabat, quem sciebat esse sacrile- gum. Hæc ille. Est autē notandum verbum Cypria- ni (sacrilegum) quod non sic est intelligendum, quasi ille adueniente Christo deserit esse sacerdos, nec ve- rus fuerit Pontifex; sed sacrilegum appellat, quia Christi persecutor erat, & veritatis oppugnator; cæ- terum sacerdotium, & sacrificium legis nondum celsauerant, donec Christus se obtulisset holocaustū pro mundi salute, nouumq. sacrificium Evangelicū instituisset: idcirco, & sacerdotem appellauit, & sa- crificium secundum legem Moysi offerri præcepit pro emundatione. Quam doctrinam tradidit Au- gustinus lib. 2. quæst. Euag. q. 3. cuius verba hæc sunt: Quod Dominus dicit leproso n. undato, Vade ostende te sacerdoti, & offer munus pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. Hic videtur approbare sacrificiū, quod per Moysē præ- ceptū est, cum id non receperit Ecclesia; quod ideo iussisse intelligi potest, quia nondum inceperat esse sacrificiū sanctū sanctorū, quod corpus eius est. Non- dum enim in passione obtulerat holocaustum suum, quo sacrificio confirmato in credentibus populis, templum ipsum euersum est, vbi illa sacrificia offer- ri solebant; non enim oportebat auferri significantia, priusquam illud, quod significabatur, confirmatum esset contestatione Apostolorū prædicantium, & fidē reddentium populorum. Hæc August. vere, & doctē.

Et offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses.

C O M M E N T A R I O.

Postquam summus Sacerdos hominem à lepra liberum, mundumque ex si- gnis, & argumentis lege præscriptis iudicabat, quædam holocausta, & vi- ctimas, nonnullaque alia iuxta Moysi præceptum fieri demandabat; quibus ille, qui lepra prius infectus fuerat, mundabatur, & purgabatur ab immunditia legali, vt posset deinceps conuersari, ceteraque omnia facere; sicut ij, qui mundi, & à lepra immunes erant; de qua purgatione, & emundatione nunc Christus lo- quens, offer, inquit, pro emundatione tua, id est, in tui purgationem legalem, ea, quæ Moyses Leui. 14. fieri mandauit in leproforum post sanitatem receptam pur- gationem, & emundationem. Hoc mandato Christus nullum calumniæ locum per- secutoribus reliquit, se legem Moysi non soluere, sed implere demonstrans. Non autem

Ecclesiæ Præ- latis quantus sit honor de- ferendus.

autem dixit, sicut præcepit Deus, sed sicut Moyses, quo fortius illorum ora consue- ret, quippe qui Moysen, quem illi venerabantur, magnificabat. Ex huiusmodi obla- tionibus multa commoda Sacerdotibus proueniebant, quæ si Christus impedisset, maximos contra se tumultus præ illorum insatiabili auaritia commouisset.

A N N O T A T I O XXVII.

Qua ratione intelligendum sit quod Moyses pro lepro- si emundatio- ne offerri præ cepit.

Leuitici 14. duas legimus emundationes leproso- rum; vnam, & quidem priorem, qua leprosus si- ue diuina, siue naturali virtute à lepra sanabatur: al- teram posteriorem, qua post iudicium à summo Sa- cerdote factum, quod à lepra conualuisset, certis ho- locaustis, victimis, & asperionibus, purificabatur, seu purgabatur, vt posset deinceps, tamquam mun- dus agere, & cum cæteris conuersari. Verba Leuiti- ci sunt: Hic est ritus leprosi, quando mundandus est, adducetur ad sacerdotem, qui egressus de castris, si inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei, &c. illud (mundandus) de posteriori, illud vero (munda- tam) de priori emundatione intelligere necesse est. Christus Dominus priorem in hoc homine operatus est, diuina sua virtute sanando leprosum, lepramque expellendo, ad posteriorem vero faciendam nunc mittitur. Et attende, quod iussit illi, Sacerdoti se ostendere, vt secundum legem de munditia priori fa- cta decerneret, declararetque vere esse sanum; nunc autem præcipit, vt offerat pro posteriori purgatione

legali, de qua nunc dicit (pro emundatione tua) siue (tui) vt habent Græca, id est offer ea, per quæ pur- gandus es, secundum Moysi mandatum ab immun- ditia legali; ante talem enim purgationem leprosus etiam sanus, immundus secundum legem censebatur. Hæc dicta sint in huius verbi explicationem. His ad- neſtenda sunt, que Isidorus Pelusiota Epist. lib. 1. 146. hanc sententiam explicans dicit: Eam, inquit, ob cau- sam leprosus munus lege indictum offerre iubebatur, vt vtriusque testamenti concordia demonstraretur; quod is, qui nunc morbum depulit, idem ipse est, qui legem quoque imposuit. Hæc ille. Tertullianus etiam lib. 4. contra Marcion. eiusdem sententiæ, & præcedentis spirituales sensum exponens, inquit, Si- gnificabant hominem quondam peccatorem, verbo- mox Dei emaculatū offerre debere munus Deo apud Templum; orationem scilicet, & gratiarum actionem apud Ecclesiam per Christum Iesum Catholicum Pa- tris Sacerdotem. Hæc ille.

In testimonium illis.

C O M M E N T A R I A.

Connexa est hæc sententia præcedentibus duabus in hunc sensum, vade, & osten- de te Sacerdoti, ac offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, vt hæc sint testimonium, & quædam probatio illis, id est, contra illos nempe Sacerdotes, & Iudæos, qui me præuaricationis legis accusant, me non legem soluere, sed imple- re; quando quidem induco te, & præcipio tibi, vt legis præscripta obserues, mea que diuinitus facta miracula etiam illi legi subdo. Hæc ergo tua legis obseruatio meo ius- su exhibita testis erit accusatores meos calumniæ conuincens.

A N N O T A T I O XXVIII.

Patrum sentē- tia circa hæc verba perpen- duntur.

Epiphanius hæref. 42. refert Marcionem huius sententiæ verbum corruptentem; legebat enim (in testimonium vobis) quam lectionem videtur amplecti Tertullianus lib. 4. contra eundem, & Am- brosius in hoc loco: at nec sic hæreticus ille euadebat vim argumenti; siue enim legas (vobis) siue (illis) te- statur tamen Christus se legem seruasse Moysi. Quod autem ad interpretationem huius testimonii spectat, Hilarius can. 7. in Matth. hanc sententiam connectit cum verbo (præcepit) in hunc sensum, si- cut præcepit Moyses in testimonium, & statutum, seu, vt esset ei lex, & testimonium seu foedus. Ter- tullianus vero loco citato coniungit cum præceden- tibus, nempe emundatione, ostensione, & oblatione, sic enim, inquit: In testimonium, quo Christus testa- batur se legem non dissoluere, sed implere, & quo etiam testabatur se esse, qui morbos, & validudines suscepturus annuntiabatur, Ex quibus verbis colli- gitur, Tertullianum sensisse non tantum ostensionem Sacerdoti factam, & oblationem secundum legem, sed etiam ipsam emundationem appellari testimo- nium, ita vt oblatio & ostensio testimonium sint, quod legem obseruauerit, emundatio autem testimonium sit, quod ipse sit, qui morbos nostros suscepturus ve- nerit. Prior interpretatio Hilarij non videtur satis ac- commodata; non enim videtur causa, cur magis hæc duo præcepit Moyses illis in testimonium, quam reliqua præcepta legis. Posterior etiam Tertulliani contextui etiam non satis aptatur; ad duo enim, quæ præceperunt, nempe, ostende te Sacerdoti, & offer pro

emundatione tua, referendum est, quod sequitur nempe, vt hæc sint in testimonium illis, sicque Chry- sost. hom. 26. in Matth. & Euthymius interpretantur; simulque testimonium explicant, redargutionem, seu reuictionem, vt sit sensus; calumniatores, qui me legis transgressorem esse prædicant, & huius me criminis accusant, hoc facto, quasi testimonio quodam, & efficaci argumento reuincuntur, & redarguentur calumniæ, & falsitatis. Illud autem, quod Chryso- stomus dicit, nempe, leprosum ipsum futurum in- testimonium eo tempore, quo Christus præuaricatio- nis legis accusandus erat, quasi diceret: Tu eo tem- pore eris mihi in testimonium, quando accusabor, non sic intelligas, quasi ipse leprosus se tunc præsen- tare deberet, & vocibus testari se ad legem obseruan- dam à Christo missum, sed quod in eo leproso fa- ctum est, futurum postea testimonium, & accusatio- nem contra illos. Dices autem, quod est tribunal, in quo testimonium hoc apparere debebat? Respon- deo conscientias illorum calumniantium proprias; maxime enim apud se redarguebantur, agnoscentes ex illo facto non ignoto sibi, Christum non esse præ- uaricatorem, sed impleſse legem. Rursus apud com- mune hominum iudicium, quod velut quoddam est tribunal; nam qui audient Sacerdotes, Christo impo- nentes legis præuaricationem, hoc facto publico eos condemnabunt calumniæ, & falsitatis. Demum apud Deum ipsum, ipsiusque iudicium commune, & ge- nerale, vbi tanto acrius, & grauius suæ calum- niæ, & impietatis conuincuntur, & pœnam condi- gnant

gnam recipient, quanto euentioribus testimoniis hominum redarguti apparebunt. Eadem significatio sumptum est testimonium Matth. 24. predicabitur Euangelium Regni in vniuerso mundo, in testimonium

omnibus gentibus, id est, predicatio Euangelij erit testimonium ad conuincendas gentes incredulas suauitatis, & iniquitatis, quae salutem oblatam non receperunt.

Perambulabat autem magis sermo de illo: & conueniebant turbae multae ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis.

C O M M E N T A R I A.

Leprosus admirandum, ac diuinum sanitatis beneficium à Christo receptum, postquam à Christo eiectus discessit, coepit praedicare, ex cuius praedicatione fama nominis Christi adeo increbuit, ac peruulgata est, ut multae turbae conuenirent, tum ad audiendam illius doctrinam, tum ut per eum à variis infirmitatibus curarentur; ille enim, & doctrina, & virtute corporibus medebatur, & animabus.

A N N O T A T I O XXIX.

Quare leprosus manifestauit miraculum, quod Christus manifestare prohibuit.

Marcus habet quaedam verba, quae Lucas insinuat, quae quidem, sed non expressit; postquam enim retulit Dominum iussisse leproso, ut taceret, ostendit, se Sacerdoti, & munus pro emundatione offerret, subiungit, egressus coepit praedicare, & diffamare sermonem, ita ut iam non posset manifeste introire in ciuitatem. Haec ille. Ex praedicatione ergo, & publicatione miraculi per leprosum facta, tota haec multitudo, quam Lucas refert, ad Christum confluit, fama peruagante vndequaue. Quo in loco duae se offerunt difficultates; vna est, cur leprosus non seruauit Christi praecipitum de miraculo facto non praedicando: altera est, cur Christus id praecipit, quod sciebat illum non obseruaturum? Ad priorem respondet Victor Antiochenus Mar. 1. Leprosus, inquit, debet gratitudinis nequaquam oblitus benefactoris suum ubique locorum laudat, & praedicat. idem dicit Euthymius eodem loco. Haec autem responsio non euacuat omnino difficultatem; gratitudo enim non est censenda, quae contraria est praecipitum eius, à quo beneficium acceptum est, potius ingratitude est praecipitum, & voluntati illius se contrarium exhibere; cum igitur Christus comminatus iusserit, ut nemini diceret, non videtur, qua ratione inductus gratitudine, dici possit. Posset alicui videri leprosum non seruasse praecipitum impositi silentii: nam Christus iussit nemini dicas; at ille coepit praedicare, & diffamare sermonem, id est, rem ipsam, & miraculum. Euthymius Marci 1. ita sensit, cui multi consentiunt; quod si quaerat quisquam ab eo; cur Christus praecipit id, quod sciebat leprosum non seruaturum? Et cur leprosus praecipitum non obseruauit? Respondet vtrique difficultati Euthymius hisce verbis: Oportet eos, qui beneficia conferunt, modestiae causa praecipere silentium; eos vero, qui beneficio sunt affecti, praedicare propter gratitudinem: Haec ille. Quam doctrinam sumpsit ex Chrysol. hom. 26. in Matth. qui eiusdem videtur fuisse sententiae. Christus igitur praecipit, quod sciebat illum non facturum, causa modestiae, & ut se alienum à vana gloria ostenderet, & si ille postea non seruauit silentium, Christus fecit quod in se est, sicque demonstrabat se gloriam humanam fugere, at ille leprosus gratitudinem considerans praedicauit miracula contra silentium impositum.

Hanc sententiam, etiam si videam eam esse commu-

Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

C O M M E N T A R I A.

Tanta erat multitudo confluentium, ut non posset Christus manifeste, & libere, sine tumultu, & turba magna in ciuitatem ullam se recipere, ibique manere, ut Marcus refert. idcirco, quando à praedicatione vacandum illi erat, in loca deserta secedebat, ibique orabat, ne à multitudine ciuitatis impediretur, quae tanta erat, ut etiam

etiam nec panem posset manducare. Perpende Christum, quando praedicaturus, aut opus aliquod suae virtutis effecturus erat, turbas admisisse; quando vero orandum, erat, aliisque officiis propriis incumbendum, in deserta abiisse; multitudo enim impedimento erat in ciuitatibus, ne haec faceret. Exemplum datur praelatis, ut & orationi, ac contemplationi incumbant, sibi que ipsis consulant: turbae tamen, id est, inferioribus, quibus praesunt, diligenter statutis temporibus intendant, nec toti in actione, nec toti in contemplatione versentur.

Et factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens.

C O M M E N T A R I A.

Ad aliud miraculum se Euangelista conuertit, quod non statim post leprosi curationem, sed aliquo postea intercedente tempore patratum. Factum, inquit, est, ut prima die hebdomadae, qui est proxime post Sabbatum, ipse doceret, ac praedicaret, ut alias saepe solebat. Illud (vna dierum) idem est, ac prima dierum, quae apud nos Dominica dicitur; apud Iudaeos enim Sabbatum erat vltima dies hebdomadae, quae incipiebat à die post Sabbatum.

A N N O T A T I O XXX.

Historiae ferres ex tribus Euangelistis collecta.

Matthaeus c. 9. & Mar. c. 2. hoc miraculum narraunt, quaedam referentes, quae Lucas praetermisit. Matthaeus refert Christum, cum prius esset in regione Gerasenorum, transfretasse, & venisse in patriam suam, ubi hoc miraculum paralytici factum est. Marcus vero nomen patriae expressit, nempe Capharnaum, & locum, nempe domum habitationis Christi; ibi enim docebat, & paralyticum sanauit. Lucas vero tempus indicauit, scilicet prima die dierum, seu hebdomadae, cum ibi doceret. Ex his ergo tribus Euangelistis constat cum Christus e regione Gerasenorum veniens transfretasset mare Galilaeae, & venisset Capharnaum, in domum habitationis suae consuetae se recepit, ibique prima die hebdomadae praedicauit multis audientibus; eo autem docente paralyticus hic adductus est ante eum, & facta sunt, quae statim explicabimus.

Christi patria secundum Matthaeum quae.

Occurrit in his difficultas; Matthaeus enim dicit in patria Christi hoc esse factum: quae autem haec sit patria, non omnes eodem explicat modo: nam Hieronymus Matth. 9. patriam hanc asserit fuisse Nazareth, ubi conceptus, & educatus est Christus. Chrysol. autem hom. 30. in Matth. affirmat esse Capharnaum, idemque censet August. li. 2. de consen. Euang. c. 25. Victor Antiochenus veramque refert sententiam tamquam probabilem: at re vera Chrysol. & Augustini sententia legitima, & vera est: nam Marcus expresse in Capharnaum hoc miraculum factum refert. quo autem modo Capharnaum dici possit patria Christi, ut Matthaeus habet, optime interpretatur Chrysol. distinguens tres Christi patrias, vnam Natiuitatis, Bethlehem; alteram educationis, Nazareth; tertiam habitationis, Capharnaum, ubi adultus habitauit; sic enim Matth. 4. dicitur, Relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum: sic igitur Marcus cum Matthaeo concordat.

A N N O T A T I O XXXI.

Quid per vna dierum sit intelligendum.

In proxima sententia posset quispiam interrogare, cur dictum est (in vna dierum) quidam recentiores interpretantur, ac si dictum esset (quodam die), hi vero non videntur assecuti sensum Euangelistae, nec causam. In primis Hebraismus est; solent enim Hebraei vnum ponere pro primo. Gen. 1. Factum est vespere, & mane dies vnus, id est, primus. & apud Euangelistas id frequens est, Ioan. 20. vna autem Sabbati Maria Magdalene, id est, prima Sabbati. & ibidem rursus, vna Sabbatorum, cum essent ianuae clausae. & Luc. 24. Vna Sabbati valde diluculo. & Matth. 28. quae lucessit in prima Sabbati, Graece dicitur in vna Sabbati; sic in praesenti positum est, vna dierum, id est, prima dierum, quae erat proxima post Sabbatum, & apud nos appellatur Dominica, Magno autem consilio dictum

Augustinus autem loco allegato alios inuestigat modos concordiae non ita faciles, aut accommodatos. primus est, ut apud Matthaeum intelligamus patriam illam fuisse Nazareth, non tamen, quod velit dicere ibi factum esse miraculum paralytici, sed omittens, quae tempore medio gesta sunt, transfuit ad miraculum describendum, quod factum est in Capharnaum, ut refert Marcus. Haec concordia dura videtur, nam Matthaeus postquam dixit Christum in patriam suam venisse, adiunxit: Et ecce leprosus, quasi eodem tempore leprosum curauerit, non in alio loco, quam in patria. Addit secundam concordiam Augustinus, nimirum patriam apud Matthaeum significari Galilaeam, quia in ea erat patria Christi Nazareth, sicque concordat cum Marco, quia Capharnaum erat in Galilaea. Adiungit tertiam, quia Capharnaum erat metropolis Galilaeae, ideo patria Galilaeorum dicebatur, & consequenter Christi: quam autem violentae sint concordiae, ex improprietate verborum vnusquisque intelligit. Victor Antiochenus Mar. 2. refert quosdam, dicentes Nazareth, & Capharnaum paulo interuallo à se inuicem distitisse, Euangelistas autem non curasse, ut locum praecise indicarent, quam ut miraculum ipsum exponeret. Haec tamen concordia potius est discordia: nam veritati Euangelistarum parum consonat. Recentiores quidem dicunt Nazareth fuisse de territorio Capharnaum, sicut apud nos multa castella, & oppida ad ciuitatem vnā praecipuam pertinent, quae eorum, qui in illis nati, aut educati sunt, etiam patria dicitur. Hoc tamen fundamento vano nititur: nam Nazareth, etiam si parua esset, ciuitas erat, non oppidum, aut castellum. omnium accommodatissima interpretatio & sententia est, quae ex Chrysol. diximus, nempe Capharnaum fuisse ciuitatem Christi habitationis, & domicilij, quam etiam Victor allegatus probat.

est (prima die) propter duo vnū est, quia Christus docuisse narratur, ne quis autem Sabbatum eam diem existimasset, additur non Sabbatum, sed proximum post Sabbatum esse, eo maxime, quod domi suae docebat: Sabbato autem non domi, sed in Synagoga docebat, ut erat mos apud Iudaeos. Alterum est propter id, quod statim describitur; paralyticus enim portatus est, & super lectum delatus, & per lectum dimissus, quae omnia Sabbato non fuissent facta absque maxima Pharisaeorum concitatione, quasi contra legem: idcirco Euangelista dixit prima dierum: nam ex vna parte praedicatione indicabat diem esse Sabbati, quia frequentius Sabbatis Christus docebat; ex altera, opus seruale in paralytico deportando, non esse tunc Sabbatum ostendebat, idcirco tempus, & diem Euangelista

declaravit. particulam autem illam (&) Euthymius censet abundare: Quidam recentiores loco (cum) positam censent, nimirum vna dierum (cum) esset docens, seu cum sederet docens.) at parum hoc ad sensum facit, licet positam esse particulam dicere possimus, quasi enumerationis indicium, vt connecta-

mus eam cum sequentibus sic, factum est prima dierum & Christus erat docens, & Pharisei, ac doctores sedentes. Græce non habetur (sederat) sed (erat docens) ab interprete autem explicationis causa adiecta videtur; sedebat enim sicut Pharisei, qui eum audiebant.

Et erant Pharisei sedentes, & legis doctores, qui uenerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Hierusalem.

COMMENTARIA

Vndique conueniebant ad Christum non turbæ solæ, aut plebs; sed etiam Pharisei, ac legis Doctores, tanta erat illius doctrinæ, & miraculorum fama: sedebant ergo hi audientes cum docentem. Illud (Hierusalem) non in casu gignendi sed auferendi positum est, quasi dictum esset: uenerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & ex Hierusalem; non enim connectitur cum illud (castello) quasi ex castellis Hierusalem uenerint, sed ex ipsa media Hierusalem ciuitate omnium nobilissima, ac prima, Pharisei, & Doctores ad Christum conuolabant.

ANNOTATIO XXXII.

Marcus c. 2. multos alios conuenisse tunc refert, auditum, inquit, est, quod in domo esset, & conuictum conueniunt tunc multi, ita, vt non caperet, neque ad ianuam; quod etiam Lucas noster paulo inferior significauit, ait enim (non inuenientes, qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum) nunc uero Phariseorum, & Doctorem legis meminit Lucas, tum, vt Christi doctrinam commédaret, quam

ex distantibus locis ipsi doctores uenientes auidè audire quærebant; tum quia narraturus erat ex his non multos cõtra Christum postea obmurmurasse, quod paralytico dixerit (remittuntur tibi peccata tua) tum etiam, vt ostenderet responso Christi illos conuictos & confusos remãssisse, nec habuisse, quid illi præsentè responderent. quæ omnia non essent tanta admiratione digna, si soli homines fuissent de media plebe.

Et uirtus Domini erat ad sanandum.

COMMENTARIA

Post doctrinam, curandis mirabiliter infirmis incumberebat; hic est enim sensus huius sententiæ, respondentis illi (erat docens) nimirum illos, qui ad eum uenerant; doctrinæ autem sine imposito erat sanans eorum infirmos. Esse enim uirtutem Dei ad sanandum, significat actum & exercitium faciendi diuina opera erga infirmos; quod uerbum ideo præmisit Euangelista, vt indicaret occasionem oblatis paralytici ad sanandum; quod non fuit factum, dum doceret, sed quando iam doctrina completa, ad diuina miracula se conuerterat, infirmos sanando. Illud autem (eos) non ad Phariseos, & doctores tantum, sed generaliter ad omnes, qui aderant, refertur, quique curatione indigebant, quibus curandis se iam Christus paratum exhibebat post sermonem.

ANNOTATIO XXXIII.

IN quodam Græco exemplari loco ἀντὶς, id est, (illos) habetur ἀντὶν, id est (illum) referturque ad Christum, & debet præponi infinitiui: nam Græca habent infinitiuum, ac si dicerent us uerbum uerbo redédites: Virtus Domini erat ad illum, sanare. sensus autem est, Virtus Domini erat illi, seu cum illo ad sanandum, quibus uerbis, vt in commentario explicuimus, significatur Dominum curationi infirmorum incubuisse post doctrinam. Quam forsitan lectionem secutus Euthymius sic interpretatus est sententiam hanc, uirtus Domini erat cum illo ad sanandum turbas, quod dictum putat ob continuam & auctoritatis plenam sanationem. Si uero legamus (illos) sensus non mutatur. Existimo autem non esse dictum uirtutem Domini fuisse ad sanandum, propter continuam sanationem, vt uult Euthymius, quia non continuo sanabat, sed quia tunc paratus erat suam exerere, & exercere potentiam diuinam ad sanandum.

thymius sic interpretatus est sententiam hanc, uirtus Domini erat cum illo ad sanandum turbas, quod dictum putat ob continuam & auctoritatis plenam sanationem. Si uero legamus (illos) sensus non mutatur. Existimo autem non esse dictum uirtutem Domini fuisse ad sanandum, propter continuam sanationem, vt uult Euthymius, quia non continuo sanabat, sed quia tunc paratus erat suam exerere, & exercere potentiam diuinam ad sanandum.

Et ecce uiri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus.

COMMENTARIA

Recte connectitur hæc sententia cum præcedenti; habita enim opportunitate curationis, quam turbæ post doctrinæ sermonem expectabant, cum iam uirtus Domini esset ad curandum parata, ecce adsunt uiri portantes paralyticum in lecto; neque enim se ille poterat mouere, vt ad Dominum ueniret, nec eum uiri extra lectum, in quo iacebat, manibus portare, præ membrorum corporis eius mobilitate sine illius nocumento potuerunt. particula (ecce) indicat confestim, cum Dominus curare infirmos paratum se exhibuit, hos accurrisse.

ANNOTATIO XXXIV.

Chryso- mus cur multis contendat probare paralyticum hunc non esse eundem cum illo Ioan. c. 5.

le apud piscinã Hierosolymis iacebat, hic in Capharnaum; & ille triginta & octo annis laborauit, de hoc uero nihil tale adscriptum est; præterea nullos ille habuit ministros, huc autem adferri ad Christum uideo-

mus; adhuc huic dixit; confide fili remittuntur tibi peccata tua; illum uero intrrogauit, an uellet sanus fieri. Accedit, quod in Sabbato illum curauit, hunc uero non in Sabbato, nihil enim tale hic accusare Iudæi uidentur. Postremo, post hoc signum tacuerunt Iudæi, post illud importuni persequebantur. Hæc non otiose dixi, sed nequis unum eundemque putans esse paralyticum, dissonantiam esse credat. Hæc Chryso- stomus, quibus possent & aliæ rationes adiungi, nisi quæ dictæ sunt, efficacissimæ essent; quamuis an infirmitas illius, cuius Ioannes meminit, fuerit paralyticus, ex Euangelio non constat. Non immerito autem quispiam posset interrogare, cur Chryso- stomus tot in hac re accumulauit argumenta, demonstrandi diuersitatem hanc inter hos pa-

ralyticos. Existimo fuisse tunc aliquos, qui in ea erant opinione, vt existimarent eandem esse utriusq. paralytici historiam, in qua forsitan sententia fuit Origines hom. 5. in diuersos, qui referens historiam paralytici, cuius Ioannes meminit, asserit Christum dixisse illi, tolle lectum tuum, & uade in domum tuã, quæ uerba non habet Ioannes, sed Matthæus, & Lucas de hoc nostro paralytico: insinuat ergo Origenes unum, & eundem fuisse, nisi memoriæ lapsui tribuamus, quod Origenes uerba vni dicta alteri adscripserit. idem profus habemus apud Irenæ. lib. 2. cap. 42. siue ergo id senserint hi duo doctores, siue lapsi sint memoria, certissimum est hunc non esse eundem paralyticum cum eo, quem Ioannes scripsit.

Et quærebant eum inferre, & ponere ante eum, & non inuenientes, qua parte eum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante IESVM.

COMMENTARIA

Tanta, & eorum, qui audierunt, & eorum, qui curari quærebant, multitudo conuenerat in domum, ubi Christus erat; tantaque uisitas miracula eius, aut uidentur, aut in se ipsis experiendi; ut nec compassione erga paralyticum moti, nec uirorum conatu agitati, locum portantibus darent, ut ante conspectum Christi intrantes per ianuam paralyticum ponerent: conscenderunt ergo, qui baiulabant, supra tectum domus, uersus partem, in qua Christus erat, & eo aperto paralyticum cum lecto funibus dimiserunt, & ante Christum posuerunt. quamuis autem uerbis nihil petierint, ramen operum grauitate, & fidei uehementia sanitatem paralytico non solum petebant, sed etiam efflagitabant.

ANNOTATIO XXXV.

Marcus c. 2. explicat fufius historiã in hac parte, sic enim habet: Uenerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur, & cum nõ possent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum, ubi erat, & patefacientes submiserunt grabatum, in quo iacebat paralyticus. Hæc ille. Ex his constat, & numerus portantium, & modus, quo per tegulas di-

miserunt grabatum cum infirmo. Aduertendum, etiam est, non solas uoces exteriores, aut opera, sed etiam desideria interiora esse petitiones, & clamores apud Deum, dictum enim est Psal. 9. desiderium pauperum exaudiuit Dominus, unde isti gestatores, opere, fide, desiderio petebant sanitatem, licet non uocibus.

Quorum fidem, ut uidit, dixit.

COMMENTARIA

Mira est fides portantium, quos tantus labor à credendo non auertit, sed in fide constantes magno sudore paralyticum cum lecto per tectum submittunt, credentes tantæ uirtutis Christum, ut talem etiam infirmum posset sanare. uidet ergo Christus hanc fidem, non solum, quæ in eorum corde intus latebat, sed etiam quæ per opus exterius corporeis oculis se demonstrabat; atque ad infirmum anima, & corpore sanandum propter illos se conuertit; tanta enim fides portantium portato impetrauit animæ, & corporis sanitatem.

ANNOTATIO XXXVI.

Portantis ne tantum modo an etiam paralytici fidem Christus respexit.

Nonnulla discutienda se offerunt. primo quidem, qui sint hi, quorum fidem Christus uidisse dicitur, portantium tantum, an etiam paralytici, qui portabatur? Hieronym. Matth. 9. fidem illorum, non huius, interpretatur, sic enim inquit: uidens fidem non eius, qui offerebatur, sed eorum, qui offerebant. in eadem sententia est Ambrosius in præsentè, & Chryso- st. hom. 30. in Matth. qui, etiam si affirmet paralyticum fidem habuisse, quia si non credidisset, dimitti se non esset passus, tamen fidem eorum, quam uidit Dominus, interpretatur illorum, qui dimiserunt, idem etiam sensit Victor Antiochenus Mar. 2. & Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 5. qui non solum fidem hanc portantium esse affirmat, sed etiam negat paralyticum tunc fuisse fidelem. quod non probo, sed cū Chryso- stomo illud credidisse puto, quamuis nõ ita perfecte, ut eos, qui eum gestabant. Euthymius uero Matth. 9. intelli-

git hæc fidem esse tam portitorum, quam paralytici. Prior tamen sententia, ut communior, ita etiam accommodatior est; tum quia uidetur quædam appositi uerborum, illorum enim fidem uidit, & ad paralyticum propter illos se conuertit; tum quia etiam si paralyticus crediderit, ut dictum est, tamen multo præstantior erat fides gestantium, qui nulli labori pepercerunt, ut Christo offerrent infirmum; portarunt enim paralyticum, ascenderunt tectum, illum lectum funibus traxerunt; tectum nudarunt, & foderunt, & per illud funibus submiserunt. Magna fides hæc fuit, quam tam multiplex labor corporis non potuit auertere. cum igitur fides baiulantium oculis etiam corporeis per opera lucidior apparuerit, merito Christus hanc uidisse dicitur; tum demum quia paralytico dixit, confide, ad perfectam fidem, fiduciamque exhortans, quasi non ea fiducia præditus esset, qua, qui eum obtule-

rant,prædicti erant, eo maxime, quia ille adhuc erat in peccato, nondum enim remissionem acceperat. fidem ergo offerentium vidisse Christus dicitur.

Fides dupliciter dicta, & utroque modo eam portitores paralytici habuerunt.

Ioan. 5.

Luc. 17. Iacobi 1.

Secundo occurrit difficultas, quid per fidem lo- co intelligendum sit. Aduerte ex Cyrillo Catech. 5. allegata, fidei nomen licet vnum sit, dupliciter tamē diuidi; est enim vnum fidei genus, qua credimus, & asentimus dogmatibus reuelatis, & propositis per Ec- clesiam, vt credantur; quam fidem Cyrillus dogma- ticam appellat, de qua dictum est Ioan. 5. Qui verba mea audit, & credit ei, qui me misit, habet vitā æter- nā. & c. 14. creditis in Deum, & in me credite. Alter- rum fidei genus est, qua non tantū dogmatis assenti- mus, sed etiā id, quod fieri petimus, efficiendū à Deo credimus; quā fiduciam etiā appellamus; de qua dic- tū est Luc. 17. si habueritis fidem sicut granum sina- pis. & Iaco. 1. postulet in fide, nihil hæsitans. Hæc fides cōplectitur primam, & superaddit ei; eaq. est, quam portitores isti habuerunt; non solū quia crediderunt Christum potuisse paralytico conferre sanitatē, quod ad fidem dogmaticam spectabat; sed etiam credide- runt, sibiq. persuaserunt, Christi clemētis innitentes, illura sanaturum esse infirmum, vt petebant, & in vo- tis habebant: nisi enim hanc fidē habuissent, nō vtiq. tantum laboris assumpissent, vt paralyticum ante Christum constituere; nemo enim rem aliquā at- tentat, eo solū, quia credit fieri posse, nisi habeat per- suasionem, futurum id quod procurat; cui fidei spes nititur, quæ ad effectum spectat. Nec fuit nuda fides horum, sed coniuncta est charitati erga proximum, quæ Deo gratissima est. profecto enim pro se ipsis maiora, aut grauiora nō facerent, quam fecerunt pro proximo; hæc igitur fidei præstatiā Christus respexit.

Quo modo Christus horū fidem viderit.

Tertio loco occurrit difficultas, quo modo Chri- stus viderit illorum fidem. Aduerte fidem dupliciter videri posse. Vno modo in se ipsa, sicq. non patet o- culis corporeis, cum enim sit spiritualis, & in solo in- tellectu consistēs, sensibus corporeis imperceptibilis est. Altero modo in suis effectibus exterioribus, quæ ex fide procedunt, qui enim opera efficit ea fide, quā intus habet, excitatus, fidem suā facit cognoscibilem exterius, iuxta illud Iaco. 2. Ego ostendam tibi meam fidem ex operibus. Isti igitur gestatores paralytici fidē habuerunt, & opera ex fide emanantia, vnde vtro- que modo fidem illorum Christus vidit, oculis quid- em corporis fidem in operibus; fidem tamen ipsam in se oculis diuinitatis suæ, & oculis animæ, quibus nihil erat occultum. Sola prior, nempe visio in operi- bus, seu per opera fallax est, nā sæpe homo sicte ope- ratur, quasi, qui credit, cū tamen non credat; at poste- rior nō potest falli. Vidit ergo Christus fidē illorū & in se, & in operibus, exterius, & interius, vnde certif- sima, & infallibilis fuit eius visio. Nec fuit visio hæc nuda solum cognitio, sed cū quadam affectus appro- batione; vidit enim fidē, probauit, & accepta fuit ei.

Christus multo- ties ob fidē petentium, a-

Quarto loco est difficultas, quo modo propter fidē illorum, qui offerebant, sanitatem contulit Christus

Homo remittuntur tibi peccata tua.

COMMENTARIA.

Ecce sanitas, & salus impetrata propter fidē gestantiū, in peccato enim erat paraly- ticus, quod causa erat infirmitatis corporis; aufertur autē causa morbi, & à morbo, quo affectus erat, postea sanatur. Excitat tamē arbitriū paralytici, sine cuius cooperatio- ne nō remittitur homini adulto peccatū; vox enim (homo) excitantis est, per quā Chri- stus, & mētē, & affectū paralytici ad agnitionē, & cōtritionē cōuertit: qui enim aures ex- teriores voce hac pulsauit, interius animā fide, & dilectione, ac pænitiā commouit, cō- moto autē potestate diuina, qua præditus erat, peccata remittit: remittūtur inquit pec- cata tua nō autē dixit, remitto peccata tua, sed remittūtur peccata tua, ne significaret se- rātū vt Deū, & nō etiā, vt hominē peccata remittere. Ecce sanata est anima paralytici.

ANNOTATIO

ANNOTATIO XXXVII.

Marci, & Lu- ce concordia in superiori sententia.

Quod ad verba spectat, notandum est, Græce in præterito dictū esse (remissa sunt tibi peccata) sicq. legūt Hilarius can. 8. in Matth. & Ambrosius in præfenti, sensus tamen idē est: nam Hebrei præterito vtuntur sæpe pro præfenti. Interpres enim noster, ne- quis putaret priusquā ad Christū accederet, peccata fuisse illi dimissa, cū tūc remissionem obtinuerit, cū verbū à Christo prolatū est, idcirco præfenti verbo vsus est; Christus enim verbo remisit, ac si diceret, ego remitto; quod Pharisæi recte intellexerunt, inde enim occasione murmurandi acceperunt. Notandū est præterea Matthæū, & Marcū habere (fili) Lucam vero (homo.) Hieronymus in Matthæū duas adfert causas, cur filiū nominauit, aut propter humilitatem, aut quia remittebatur illi peccata. O mira, inquit, hu- militas, despectū, & debile, totisq. membrorū cōpa- gibus dissolutū, filiū vocat, quē sacerdotes non dignā- batur attingere, aut certo ideo filiū quia dimittebatur ei peccata sua. Hæc Hierony. Victor Antiochenus Mar. 2. duas adfert alias, nempe dictū filiū, aut propter fidē illius, quā de Christo habebat, aut propter creationē, quia opus Dei homo est; quam causam adfert etiam Hilarius can. 8. in Matth. Hi doctores, quāuis explicēt cur filiū dictus sit, nō tamen difficultatē dissolunt, nēpe quo modo Lucas dixerit (homo) Marcus autem (fili.) Augustinus ergo lib. 2. de cōsē. Euāg. c. 25. duo respondet. vnū est, dictum esse à Luca (Homo) ad ex- pressius sententiā Domini insinuandam, quia homini dimittebatur peccata, qui hoc ipso, quod homo erat, non poterat dicere, non peccaui; simul etiā, vt ille, qui homini dimittebat, intelligeretur Deus. Alterū est, à Christo vtrumq. esse dictū; aut sic, confide homo, di-

Quare Chri- stus prius ani- mæ peccata remisit, quā corporis sanita- tem contule- rit.

Inquiret quispiam, cur cū sanitas corporis quæ- rere- tur, anima, & quidē prius, à peccatis liberatur. Re- spondeo, duplici de causa prius remisisse peccata, quā corpus sanaret. prior est Hierony. Matth. 8. & Victo- ris Antiocheni Mar. 2. quia peccata causa fuerūt mor- bi huius paralytici, prius igitur causam, postea aufert effectum. verba Hieronymi sunt hæc: Datur nobis in- telligentia propter peccata plerāsq. euenire corporū debilitates, & idcirco forsā prius dimittebatur pecca- ta, vt causis debilitatis ablatis sanitas restitueretur. Vi- ctor autē sic inquit: Anima præ corpore laborat, itaq. causa ē medio submotā, ipse etiam morbus vna sub- mouebitur. Hæc ille. Posterior causa est Chrysof. hō. 30. in Matthæum, cuius verba sunt hæc: Omnem fu- giens ambitionē (quoniā magna erat multitudo cir- cūfusa, adeo vt omni obstruso introitu à tecto paraly- ticum dimiserunt) noluit statim corpus sanare; verū ab ipsis occasione accipit, & latentē atq. adbitā curā animæ contulit, cū peccata dimisit. Quod quidē; & pa- ralytico salutare erat, & ipsi nimum gloriosum nō erat. Hæc enim Iudæi cū prauitate animi reprehē- derunt maiora videri, inuiti omnia perfecerunt. Sapiē- tia enim eius factum est, vt ex inuidia eorum multo magis signum appareret. Hæc Chrysof. ex quibus illud tantum probandum videtur, Christum noluisse statim corpus curare, vt occasionem arripere ex ani- mæ curatione demonstrandi suam diuinam in re- mittendis peccatis potestatem, quæ minus agnosce- batur, quam potestas sanandi corpora, vt factum est. quod autem de fuga ambitionis dicitur, parum habet probabilitatis vt ostensum est prius.

Propter por- tantium fidē

Adhuc notandū est fidem gestantium, vtrāq. sani-

mittuntur tibi peccata filii; aut sic, confide filii, dimit- tūtur tibi peccata, homo. Hæc ex Augustino habetur, quorū posterius nō videtur satis accommodatē dici; idē enim est sensus vtriusq., nam phrasis est Hebræa; dicere, aut homo, aut filii, vt cōstat ex prophetis, & Sa- lomone, quibus hæc phrasēs familiares sūt. Vnde vnus Euangelista vocē, alter sensū est securus, vt fit frequē- ter, vnū tamē à Christo est probatū. Est autē vox cle- menter, & pacifice loquentis, & effectum explicantis erga eū, quo cum loquimur, qualem se Christus ostē- debat erga paralyticum; sic enim dictū est Luc. 22. à Petro, mulier, non noui illum, & iterū, homo, non sū- sensus ergo idem est inter Euangelistas, licet vox non eadē. Hoc igitur verbo, vt in commentario diximus, tamquā diuinæ virtutis instrumēto incœpit Christus animū excitare, & præparare paralytici, ad suscipien- dam peccatorum remissionem. Notandum etiā est, Lucā, & Marcū omisisse verbū, quod Matth. expli- cuit, inquit enim (cōfide) exhortatur enim Christus pa- ralyticū ad fiduciā, perfectamq. fidem sanitatis reci- piendæ; quod duplici de causa dictū est, tum quia dif- ferēda erat corporis curatio, donec Christus Iudæorū murmurationi proxime futuræ satisfaceret, ipsosq. conuinceret, idcirco ad fiduciā exhortatur, & fidē, ne mora illa animū infirmi turbaret, fidesq. eius vacilla- ret; tū etiā, vt mentē illius excitaret fide, & dilectio- ne, vt sic reciperet remissionē peccatorū. vt enim di- ximus in præcedēti annotatione, hæc non cōfert Deus sine motu proprii arbitrii eius, qui iustificatur à pec- catis: nō enim est sicut sanitas corporis, quā sæpe cō- tulit nihil agētibus, & nondū credētibus. Vtroq. igitur verbo (fili) seu homo confide) hæc Christus effecit,

ANNOTATIO XXXVIII.

tatem impetrasse paralytico, & corporis & animæ, quamuis quidā recentiores aliud sentiant, nimirum solā corporis curationem impetratā esse illorum fi- de; contrarium tamen verba Euāgelistæ demonstrāt, inquit enim (vt vidit fidem illorum, dixit, confide filii remittuntur peccata tibi) quasi diceret, propter illorū fidē dixit (confide) quo corporis sanitatē indicauit, & (remittūtur peccata) quod salutem animæ significat. Quæ sententiā est Ambrosij, & Chryf. hom. 30. in Mat- thæum. quo autem modo impetrata sit salus animæ, diximus supra, nimirum impetratis a Deo ijs, quibus ad remissionem peccatorum perducitur homo; non enim remissio datur, nisi arbitrio hominis cōcurrē- te, & propria fide, & dilectione disposito. Quod si o- bijcias illos gestatores solam corporis sanitatem pe- tiuisse. Respondeo solitum esse Deum plura concedē- re, quam petantur, & sæpe maiora; petenti enim de- biti soluendi dilationē, totum remisit; & petentibus sororibus, ne Lazarus moreretur, mortuū suscitauit.

paralytico prestita fuit salus animæ, & corporis.

Postremo notandum est, Christum frequenter v- sum esse his locutionibus, quibus significabat se quidem operari, & miracula facere, tacite tamen in- dicando personam suam: nam & Magdalenæ di- xit: remittuntur tibi peccata. & infirmo illi Ioan. 5. Ecce sanus factus es, non autem dixit, ego remitto, ego sano, suntq. aliæ huiusmodi locutiones, quarum causam existimo, ne humanitati, quæ apparebat, po- testas præcipua illorum operum tribueretur, quasi hominis esset ea facere, cum tamen esset diuina per- sona, quæ non videbatur, cuius erant opera illa, quæ fiebant, hæc enim tamquam causa prima per huma- nitatem operabatur.

Et cæperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi dicentes.

COMMENTARIA.

Avdito verbo Christi, statim Scribæ, & Pharisæi, vnusquisq. in corde suo dixerūt. Apperpende verba. incœpisse dicuntur, quia antequam Christus diceret (remittun- tur tibi

tur tibi peccata) nihil tale dixerant, eo tamen audito confestim in id proruperunt. Præterea non dicitur (cogitarunt) quia, qui cogitant, nondum affirmant, aut negant; nec tantum dicitur (dixerunt) ne exterius locuti credantur, sed simul vtrumq. (cogitantes dixerunt) quia in cordibus suis locuti sunt, & affirmarunt, Christum blasphemasse, vt statim subiungitur.

ANNOTATIO XXXIX.

Particula, in-
tra se, quo sen-
su intelligen-
da.

Matthæus c. 9. inquit (dixerunt intra se) quod quidam recentiores interpretantur (inter se) quasi collocti inuicem; hunc tamen sensum verba sequentia refellunt; videns, inquit, cogitationes eorum, ait: vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? nõ ergo dictum est intra se, quasi inter se, sed quasi in se ipso vnusquisque corde suo locutus sit; quod Marcus c. 2. explicuit, orant, inquit, quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis. idẽ etiam Lucas apertis verbis signi-

ficat, dicens (cogitare coeperunt dicentes) quasi cogitatione sola dixerint; quem locum August. lib. 15. Trinit. c. 10. adducit, illudq. (dicentes) non ad exteriores voces, sed ad solos mentis conceptus refert, explicans quo pacto homines in se ipsis, solaque mente loqui possint. de quo locutionis genere illud est Psal. 13. dixit inspiens in corde suo, non est Deus. Qui autẽ Scribæ, quiq. Pharisei fuerint, diximus in commentarijs in Ioannem.

Quis est hic, qui loquitur blasphemias?

COMMENTARIA.

Ecce quid corde dixerint, nempe Christum blasphemasse. quod enim solius Dei erat, nempe remittere peccata, sibi tribuebat, quem purum hominem esse illi arbitrabantur. Illud (quis est hic?) indignantium, & contemnentium vox est; indignabantur enim, eum, quem hominem, & quidem non conditionis eximie existimabant, quæ Dei omnipotentis solius erant, sibi vsurpare, nempe peccatorum remissionem.

ANNOTATIO XL.

Quid blasphemare significet, & quibus modis Deus blasphemetur.

Matthæus sic habet, dixerunt intra se, hic blasphematur. Lucas autem, quis est hic, qui loquitur blasphemias? Omnia hæc eundem sensum habent. Euangelistæ enim non semper sermonis identitatem, sed sensus obseruant. Quod autem ad rem ipsam spectat, blasphemare verbum est Latinum à Græco sumptum; quod, si eius significatio absolute consideretur, idem significat, quod conuictijs afficere, competitq. hominibus tam contra Deum, quam contra homines siue æquales, siue superiores. Sic. 1. Cor. 4. dicitur, blasphemamur, & obsecramus. & Matth. 27. Prætereuntes blasphemabant eum, vnde blasphemia vsurpatur pro conuictio. Eph. 4. omnis amaritudo, ira, indignatio, & blasphemia tollatur à vobis. Vfus tamen iam obtinuit, vt blasphemia proprie intelligatur contra Deum; quæ duplici committitur modo, aut quando quis-

piam Deo imputat, quod eius dedecet dignitate; aut quando negat, quod eius cõuenit maiestati. Hæc enim conuictia sunt contra Deum. Aut etiam quando quisquam sibi aliquid vsurpat, quod Dei est; nam id etiam est conuictum quoddam cõtra Deum, cum vel se homo æqualem quodammodo Deo facit, vel Deum deprimat, vt commune faciat homini, quod Dei solius est sic dicitur blasphemare in Deum. iuxta quam significationem Mar. 3. dicitur, qui blasphemauerit in Spiritum Sanctum & dicitur etiã blasphemia in Spiritum Sanctum, quia quod erat Spiritus Sancti, nempe eiicere dæmonia, tribuebat illi impij Iudæi Diabolo. Hanc igitur significationem habet verbum in hoc loco, existimabant enim solius Dei esse remittere peccata, nihilque in Christo aliud cogitantes, quam quod hominis est, dicebant blasphemasse in Deum, quia quod Dei erat, homo sibi vsurpabat.

Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

COMMENTARIA.

Causam cur blasphemet, apud se ipsos proferunt, quia nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus: hic autem, cum homo sit, sibi vsurpat, quod Dei est, quod quidem est blasphemare. Cæci erant hi in cordibus suis, debebant potius dicere, nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus: hic vero remittit peccata: ergo Deus est.

ANNOTATIO XLI.

De duplici potestate facienda miracula, & remittendi peccata.

Pro intelligentia præcedentiũ duarum, & sequentium sententiarum sunt nonnulla maxime notanda. Primo potestatem faciendi miracula duplicem esse, vna est prima, independens, & incommunicata, & hæc in solo Deo est; cum enim miracula sint supra virtutem creaturarũ, illius est principaliter, & primo ea facere, qui est supra omnes creaturas, & earũ Auctor; altera est secunda, dependens, & cõmunicata, quæ à prima derivatur, & hæc in homine est; cui enim Deus virtutem tribuit, potest etiam miracula facere, non quod sola hæc potestas sit causa miraculi, sicut Deus per suam primam potestatem potest solus miracula operari, sed quod Deus potestatem talem det homini, vt vna cũ ipso, & per ipsũ operetur. Quamuis autẽ duplex sit hæc potestas, vtraque tamẽ diuina est, quæ vel Dei ipsius est, vel quæ à Deo comunicatur supra naturæ virtutem. Secundo, simili etiam ratione duplex est potestas re-

mittendi peccata, vna est prima, & incommunicata; altera comunicata, & secunda, quæ a priore emanat, & derivatur. prior solius est Dei, nam ipsi soli incumbit primo, & principaliter peccata remittere, quod Isa. 43. testimonium confirmat, vbi Deus loquens inquit: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, quasi id sibi proprium vindicans. Hoc doctẽ argumento cõprobat Irenæus lib. 5. c. 17. nempe, peccatum est iniuria quædam cõtra Deum, igitur Dei est remittere; nemo enim remittere potest iniuriam, nisi is, contra quem est facta. Adde etiam huic aliud, quia remissio peccati nõ sit, nisi, qui peccauit, restituatur in gratiam eius, quem per peccatum offendit, quis ergo poterit restituere vnum in gratiam alterius, nisi interueniat voluntas huius? Adde rursus in remissione peccati, est condonatio æternæ pœnæ, lege Dei peccati decreta: nemo ergo potest legem Dei tollere, nisi Deus ipse, si loquamur

loquamur de prima potestate: secunda vero potestas potest esse in homine; cui enim Deus vices concedit condonandi iniuriam sibi illatam, & reuocandi in gratiam illius, & condonandi pœnam, absq; dubio potestatem dat remittendi peccata; sicut inter homines potest vnus, cõtra quẽ iniuria allata est, & condonare eã per se, & alteri dare facultatẽ condonandi; semper tamen potestas prima Dei cooperatur secundæ hominis. pari ergo ratione procedit potestas miraculorũ, & potestas remittendi peccata in his, quæ dicta sunt.

Tertio inter hanc vtramq; potestatem vnũ est, quod ad rem nostram facit, discrimen, scilicet in veteri testamento potestatem miraculorum inuentã fuisse, tum apud Deum, tum etiã apud homines; fecit enim mirabilia Deus per se solum, fecit etiam per homines: nõ legimus prophetas & mortuos suscitasse, & admiranda fecisse, nõ quidẽ propria virtute, sed diuina. exempla huius manifesta sunt vnique; potestas vero remittendi peccata mansit semper apud Deum, nec vlli homini sicut comunicata. Hoc fuit priuilegium noui testamenti, vt homini etiam daretur potestas remittendi peccata, sicut data est faciendi miracula Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Noluit enim Deus homini dare potestatem remittendi peccata, quousque solum esset precium remissionis peccatorum morte Christi, idcirco statim à mortuis resurgens eã dedit, nõ quod non potuisset etiam dare in veteri testamento.

Quarto, ex præcedentibus duo facile deprehenduntur, nepe error Scribarũ, ac Phariseorũ istorum; & erroris causa. Error quidẽ in eo, quod dicunt: Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? nam potest etiam homo diuina potestate: sicut quis potest mortuos suscitare nisi Deus? tamen homo diuina sibi data virtute etiam suscitauit, potestque suscitare. Errarunt ergo in hoc. Dicunt etiam, blasphematur, quia dixit: Remittitur tibi peccata; quia quod Dei est, sibi vsurpare videbatur. errarunt etiam in hoc: nam si homo potestatem haberet remittendi peccata, etiam si Deus non esset, non blasphemaret, si diceret: Remitto tibi peccata, sicut nunc non blasphemant Sacerdotes dicentes, Ego te absoluo à peccatis. Errarunt igitur in cogitationibus suis: erroris tamen occasio ea fuit, quia in veteri testamento non erant illi experti, nec viderat vmq; potestatem remittendi peccata, hominibus cõcessam, sed soli Deo reseruatã; audientes ergo hominẽ dicentẽ: Remittunt tibi peccata, prolapsi sunt in errorem, & dixerunt, blasphematur: nõ ignorabat illum esse

Verbarum error, & eius ratio.

Deũ, & habere à Deo potestatem remittendi peccata. Hoc enim certũ, & verũ erat, potestatem remittendi peccata Dei esse solius, siue eius, cui Deus dederit.

Quinto, ex his etiam manifestum est, Christum non expressisse, se vt Deum peccata remittere, sed solum absolute remissionẽ peccatorum dedisse, quod poterat intelligi, aut potestate prima, vt Deus, aut potestate secunda, & comunicata, vt homo erat. vnde ex verbis ipsius non potuit colligi Deum esse, aut potestatem diuinam, & à Deo in se habere, idcirco, vt existimo, non dixit: Ego remitto tibi peccata, sed remittuntur tibi peccata tua; quamuis enim vtrumque ambiguum est, tamen illud expressius significabat, prima potestate, & vt Deum peccata remittere. Exemplum huius sit, ex hoc, quod dixit: surge, & tolle lectum tuum, non sequitur ipsum esse Deum, sed aut Deũ esse, aut potestatem diuinam habere, ita simile ex eo, quod dixit, remittuntur peccata, non sequitur definitẽ Deum esse, potestateque prima id facere, sed aut esse Deum, aut potestate diuina remisisse peccata.

Quomodo in Christo duplex potestas remittendi peccata.

Postremo, notandũ est, Christum, cum esset Deus, & homo, duplicem potestatem habuisse remittendi peccata, primam, & independentem, vt Deum; secundam etiam & comunicatam, vt hominem, sicut etiam in miraculis faciendis duplici virtute utebatur; vt Deus enim erat auctor, & causa prima, vt homo autem, causa secunda, & velut instrumentalis; illam primam remittendi peccata potestatem nemini comunicauit, quia nulli homini alteri vnus est filius Dei hypostaticè; hanc vero secundam comunicauit Apostolis, & cæteris noui testamenti Sacerdotibus, non quidem ita perfectam, qualis in eius humanitate erat; quæ perfectio in multis consistebat, à quibus nunc narrandis, ne ab instituto recedam, abstinere, ea enim de causa à Theologis appellata est potestas excellentiæ. Ex hoc sensum verum huius contextus deduco. Quamuis enim Christus vtramq; potestatem remittendi peccata habuerat vt Deus, & homo; tamen præcipue nũc intendit ostendere, se etiã vt hominem habere potestatem remittendi peccata, nec iam Deum sibi soli retinere eam potestatem, sed datam etiam esse homini, non distinguẽdo, an eam habuerit ex vnione diuinitatis, quia Deus erat, an ex concessione Dei; sed absolute, & indistincte docuit, se etiã si homo esset, habere potestatem remittendi peccata, non quidem humanam, sed diuinam, sicut etiam potestatem miraculorum. Hæc sententia, & doctrina eiusque confirmatio paulo inferius explicabitur.

Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum respondens dixit ad illos.

COMMENTARIA.

SE diuina, & non humana tantum virtute præditum indicat, qui non expectatis vocibus eorum, corda ipsa inspexit, & illorum cogitationibus, quibus in corde suo loquebantur, respondit, vt vel ex hoc intelligant Iudæi, se non blasphemasse, quia peccata dimittere dixit: nam qui potuit virtutem habere diuinam cordium occulta scrutandi, potuit habere virtutem, & potestatem peccata dimittendi; vtraque enim potestas non est nisi à Deo.

ANNOTATIO XLII.

Patrium de horũ verborum expositione sententia.

Hieronimus Matth. 8. sic interpretatur hanc sententiam, vt Dominus velit se Deum esse probare, cuius est occulta cordiũ intueri, vt hoc ipso cõfirmet se etiam Deũ esse, qui possit peccata remittere cũ vtrumq; eiudem sit potestatis. Verba Hieronymi sunt hæc: Dominus videns cogitationes eorum ostendit se Deum, qui possit occulta cordis cognoscere, & quodammodo tacens loquitur. Eadem maiestate, & potestate, qua cogitationes vestras intueor, possum & hominibus peccata dimittere; ex vobis intelligite, quid paralyticus consequatur. Hæc ille. Chrysof. hom. 30. in Matth. in eadem est sententia, sic enim habet: Verũ hoc aliud signũ deitatis suæ, & quod Patri æqualis

esset, non paruum ostendit; illi enim murmurantes secum dicebant, peccatorum remissionem esse solius Dei: ipse vero non solum peccata dimisit, sed occulta cordium, quæ nosse solius Dei est, manifestauit. Hæc ille. idẽ sentit Ambrosius in præsentia, affirmans Christum hac cogitationum cognitione se Deum esse demonstrasse, eademq; potestate dimisisse peccata. Idem etiã Cyril. docet lib. de fide ad Reginas, quibus multi consentiunt, asserentes Christum, vt Deũ, diuinamq; ac prima potestate remisisse peccata, idq; ostendisse reuelatione cogitationum, quas vt Deus nouit, quasi diceret, si possum cognoscere occulta cordium, ergo & remittere peccata, nam solius Dei esse, vtrumque

que Scriptura vestra testatur.

In primis illud statuendum est, sicut remissio peccatorum, & opera miraculosa absolute sumpta possunt & à Deo solo per potestatem supremam, & ab homine etiã per potestatem à Deo communicatam fieri; ita etiam, & cordium cogitationum cognitio potest Dei esse tanquam eius, qui primo, & principaliter, ac per se cognoscit; hominis etiam non quidem virtute propria, sed diuina cõcessa, & communicata. vnde prophetis concessum est aliquando occultas aliorum cogitationes cognoscere Deo id reuelate. Doctrina hæc est expressa Pauli 1. Cor. 14. vbi de spiritu prophetarum loquens ait: Occulta cordis eius manifesta fiunt. Est etiam doctrina Patrum; Ambrosius enim explicans locum Luc. 3. existimante populo, & cogitante, ne forte esset Christus, & respondente Ioanne se non esse Christum, vbi visus est cogitationes populi nouisse, inquit Ambrosius sic: Videbat ergo occulta cordis, Dei munus est, qui reuelat, non virtus hominis. Chrysost. etiam hom. 11. in Matth. de eodem Ioanne loquens occasione cuiusdam alterius sententiæ, inquit: Ioannes nouerat recondita cordis illorum, Deo id ei reuelante. Res hæc est adeo certa, vt superfluum sit cumulare probationes. Nosse igitur occulta cordium, aut Dei est, aut hominis virtute Dei, cuius est proprium suamet virtute ea nosse, & intueri. non ergo occultarum cordis cogitationum cognitio argumentum, & signum efficax est, cognitorem esse Deum, sed aut Deum esse, aut diuina virtute præditum; aliter enim Ioannes Bapti-

sta probaretur Deus, qui cogitationes nouerat multorum. Ex quo sequitur Christum nõ reuelasse cogitationes illorum, vt probaret se esse Deum, sed vt ostenderet se habere virtutem Dei, quia non poterat aliter talia intueri, nisi diuina potestate, & virtute, & hoc argumento inciperet indicare illis, se etiam habere potestatem remittendi peccata; sicut enim hæc potestas Dei dicitur, ita etiam & illa: nam Dei est remittere, & occulta cordis nosse. si igitur nouit occulta; cur non etiam poterit habere virtutem remittendi peccata, etiam si homo sit? Nondum hoc argumento probat se habere potestatem remittendi peccata; non enim Ioannes Baptista habuit potestatem remittendi peccata, quia nouit occultas cogitationes hominum; sed id non debere illis videri impossibile, nec eum statim iudicare blasphemum, vt illi fecerunt, cum diuinam habeat in se virtutem, nec argumentum hoc solui ab aduersariis potuit. nihil ergo in hoc contextu Christus de sua diuinitate distincte concludit, sed habere se posse potestatem remittendi peccata, etiam si homo sit, sicut habet potestatem occulta cordium intueri; & sicut habet potestatem sanandi supra naturam, vt statim ipsemet Dominus probat: nam omnia hæc diuinæ sunt potestatis, exceduntque creaturæ virtutem: non ergo affirmat se expresse Deum, neque negat, sed solum docet, & confirmat se virtutem habere potestatemque diuinam, cuius est remittere peccata, siue per se, siue per homines. Hoc tamen adhuc perfectius explicabitur in sequenti sententia.

Quid cogitatis in cordibus uestris?

COMMENTARIA.

Reuelat illorum cogitationes, cum reprehensione quadam, quia falsæ & iniquæ erant. Matthæus sensum magis expressit: Vt quid, inquit, cogitatis mala in cordibus vestris? Marcus autem: Quid ista cogitatis in cordibus vestris? me enim existimatis blasphemum; quasi virtute humana attentauerim remittere peccata, cum non humana, sed diuina potestate id fecerim. Non expressit Christus, quæ fuerint cogitationes, dicendo: Cogitatis me blasphemum, & Dei potestatem non habere remittendi peccata, sed eam mihi vsurpare, & falso arrogare. Non hæc dixit, sed argumento quod sequitur, eos confutando, & conuincendo significauit; nulla enim maior reprehensio, nec manifestatio efficacior, quam veritatis irrefragabilis probatio.

Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, & ambula?

COMMENTARIA.

Post reprehensionem malitiæ, cogitationum ostendit earum falsitatem, probatque se habere potestatem remittendi peccata. ad probationem autem assumit vnum, nempe esse minus impossibile homini potestatem Dei non habenti sanare paralyticum illum corpore, dicendo, surge, & ambula; quam sanare animam, dicendo, peccata remittuntur tibi; vtrumque enim diuinæ solius est virtutis, ac potestatis non humanæ, aut alterius creaturæ. Quod autem dicitur: Quid est facilius, nõ eo dictum est, quod velit vnum alteri inter se conferre, sed quod vtrumque comparet humanæ potestati, cui neutrum est possibile; dicimus enim, quid est facilius homini volare in cælum an suscitare mortuos, non quod hæc duo sint æqualis difficultatis, sed quod vtrumque sit homini impossibile. sic nunc dictum est, non esse facilius dicere, Surge, & ambula, quã dicere, Remittuntur tibi peccata, id est, humanam virtutem vtrumque superat, & diuinæ solius est potestatis. Verbum autem illud (dicere) non voces tantum significat, sed rem ipsam, nempe vere, & cum effectu dicere: nõ dicere quantum ad voces solas, facile homo vtrumque dicit, sed neutrum cum veritate dicit, quia nõ fiet quod dicit. Non autem dictum est, quid est facilius remittere, an sanare; sed dicere, remittuntur peccata, an dicere, surge, quia illi blasphemiã verbi opponebãt, quod dixerit, remittuntur peccata, propterea Christus à blasphemia se defendens, dicit: Sicut dixi, remittuntur peccata, ita dicam, Surge, & ambula; si me non iudicatis esse blasphemum in verbo posteriori, licet verbo, quod Dei est, vtar, non me debetis iudicare talem in priori, cum vtrumque sit non humanæ, sed diuinæ potestatis. Vtitur autem interrogatione, vt ex eorum tacito consensu (non enim negare id poterunt) efficacior sit contra eos probatio.

ANNOTATIO XLIII.

In his Christi verbis quomodo intelligenda collatio.

Quidam recentiores illud (dicere) antecedentibus adnectunt, nempe, quid est facilius dicere? quorum sententiæ aduersatur (dicere) quod secundo loco positum est; esset enim superfluum, vt vniciq; consideranti facile erit intelligere; debet ergo sequentibus in hunc modum adiungi: Quid facilius est, dicere remittuntur tibi peccata, an dicere, surge, & ambula. Collatio enim fit inter vtrumque (dicere) non autem sermo est quo ad voces tantum; sic enim tam facile est dicere vnum, quam alterum; sed etiam quo ad res ipsas significatas, nempe vt fiat, quod dicitur. Est autem controuersia, qua ratione ista cõparatio intelligatur. Primo enim loco Chryl. hom. 30. in Matt. vnum alteri sic conferri dicit, vt difficilius sit remittere peccata, quam paralyticum corpore sanare, quia difficilius est conferre animo, quam corpori sanitatem. sensus ergo est negatiuus, nepe non est facilius dicere, Remittuntur tibi peccata, quã dicere, Surge, & ambula. Quod si obiicias, quia ergo ratione probat Christus difficilius per id, quod facilius est: respondet ideo fieri, quia notius est hoc, quam illud. Hæc sententia difficilis est creditur, licet enim aliquid sit notius, si tamen facilius est, notius ideo probat difficilius, sic vt qui illud efficere possit, valeat etiam hoc. Secundo loco Victor Antiochenus Mar. 2. asserit vnum quidem alteri cõferri sic, vt vnum altero sit facilius, tamen dicere, Remittuntur peccata, esse facilius quam dicere, Surge, & ambula; non quidẽ re ipsa, sed probatione, sicut dicimus, difficilius esse loqui de rebus præsentibus, etiã si faciliores in se sint, quam de absentibus: nõ in his nõn tã facile deprehenditur error, aut mendacium dicentis, quã in illis. verba Victoris sunt hæc. Neque enim his falsitatis redargui potest, qui dicit, Dimittuntur tibi peccata; quippe cū hic effectus sub sensum nõ veniat, si quidẽ vulnus non patet, vt virtus medici iudicari possit: dicit ergo, vtrum est facilius dicere, an facere: haud dubio, dicere, quandoquidẽ opus, quod promittitur sensibus nõ obiicitur, quia ergo verbo fidẽ nõ habetis, en-

Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam.

COMMENTARIA.

Supposito solius diuinæ virtutis esse, & hoc, & illud facere, inquit Christus, in testimoniũ, & vt sciatis, me posse primũ, habere nempe potestatem remittendi peccata, etiã si homo sim, præcipio paralytico, vt surgat, & tollat lectum suũ, & in domũ vadat; idque opere perficio; si igitur negare nõ potestis me diuina virtute hoc, quod videtis, facere, talemque potestatem nõ valetis inficiari in me, igitur necesse est fateamini me habere etiam potestatem remittendi peccata: nam opus vtrumque; Dei est, & hoc fit in probationem illius. Vis argumenti consistit in hoc, quod miraculũ visibile, & quod ante conspectum illorum erat, nec alia virtute, quã diuina fieri poterat; assumebatur in probationem, & testimonium remittendi peccata, quam nisi Christus habuisset, vti que non potuisset sanare paralyticum in testimonium illius; Deus enim non testificatur falsum. Aut ergo negare debebant paralyticum sanatum esse diuina virtute, quod facere non poterant; aut si confitebantur diuina virtute esse factum, compellebantur fateri Christũ, etiam si homo esset, habere potestatem primum faciendi, scilicet remittendi peccata; opus enim diuina virtute effici non potuit in testimonium, & confirmationem illius, quod verũ non esset; propter hoc enim præmisit vtrumque opus esse solius diuinæ potestatis; quid, inquit, est facilius dicere, &c. Hoc argumento, non solum eos docet veritatem, sed etiã notam blasphemiam repellit, quasi diceret, scitote igitur me vtrumque posse, & discite ex eo, quod videtis, credere, quod non videtis; cū non sit maioris, sed eiusdem virtutis, scilicet tã hoc, quã illud facere; & sicut nõ dicetis me blasphemare, cū dico, surge, & tolle lectum tuũ, etiã si homo loquar id, quod Dei est, quia ipsa res visa vos compellit, ne blasphemare me dicatis; igitur nec me blasphemum cogitetis, cum dixi, remittuntur tibi peccata, etiã si hoc non videatis. Nota illud (Filius hominis in terra

terra)opponi illorum cogitationi, solus Deus remittit peccata, quasi diceret, potestas remittendi peccata in solis caelis est apud Deum: Christus autem dicit, etiam est in terra; ego enim, qui filius sum hominis, habeo etiam potestatem remittendi, nec blasphemo, si dico, remittuntur peccata tua, sicut etiam homo habeo potestatem sanandi paralyticum. Attende adhuc, quod ut perfectius miraculum esset, magisque illos conuinceret, non solum sanauit, sed tantas etiam vires, corporisque robur, simul in momento contulit, ut posset lectum suum, in quo a quatuor portabatur; solus ipse portare, & non ad unum, aut alterum passum, sed usque in domum suam; quod verbum etiam adiectum est, ut magis etiam confirmaretur; mittitur enim in domum suam, in qua testes erant perpetui infirmitatis illius, atque ut in hoc diuinam virtutem suam exereret, qui ostendebat se nosse paralyticum domum habere. & considera uim uerbi (Dico) ut exprimat se verbo sanare, uerbumque suum efficax esse, sicut & primum, quando remisit peccata: dixit autem (tibi) ut magis potestatem ostenderet, quasi diceret, non praecipio aliis, ut te iuuent, & lectum portent, sed tibi soli.

ANNO TATIO XLIIII.

Quidam recentiores existimant hanc sententiam non esse Christi, sed Euangelista referentis; quae Euangelista nobis omnibus diceret: ut vos sciares Christum habuisse potestatem remittendi, refero dixisse paralytico, surge, & tolle lectum tuum. Haec tamen expositio est contraria communi sensui antiquorum Patrum, & ipsiusmet contextus ueritatis; Euangelista enim haec narrat tamquam a Christo prolata, aliter argumentum diminutum esset, cum tota uis consistat in hac sententia. Illud quidem (ait paralytico) Euangelista est, causa maioris explicationis positum, ut significet totam etiam hanc sententiam a Christo pronunciatam esse illis, ita tamen, ut ad paralyticum sanandum uerbo se conuerterit. Duae autem grauiiores se difficultates offerunt. Prior est, quid sit, quod argumento hoc probetur. Posterior, in quo efficaciam argumenti consistat. Ad utramque quantum ex Chryso. hom. 30. in Matth. & Hiero. ibidem c. 9. Ambrosio in praesenti, & Victore Mar. 2. colligere possumus, responsio haec est, Christum probare se Deum esse qui remittat peccata, utrumque illos dixisse, Dei solius esse peccata dimittere; ipse enim etiam si homo, Deus tamen erat, argumenti autem efficaciam, & uis in hoc posita est, quia solius Dei est etiam paralyticum illum uerbo sanare, si igitur sanitate illi contulit, quod Dei erat tantum, igitur potuit peccata remittere, quia unius, & eiusdem potestatis utrumque est; sicut si solus homo disciplinabilis est simul, & risibilis, si probo esse risibilem aliquem, probo etiam esse disciplinabilem. Vfus autem est Christus posteriori ad probandum primum, quia illud erat notius & conspectui illorum omnium manifestum, quod eorum nemo negare poterat. Quod si quis obieciat huic sententiae, nonne homo non humana, sed diuina accepta potestate potuit etiam uerbo sanare paralyticum? Propheta enim multa fecerit, quae Dei sunt, diuina quidem uirtute, non tamen Deus erant: similiter etiam Apostoli, & Christi multi fideles fecerunt, quae Dei erant, de quibus dictum est Ioan. 14. Qui credit in me, opera, quae ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. & tamen non propterea Deum esse inde deducebatur. Ad hoc tacite respondent eos omnes fecisse quidem ea, quae solius potestatis diuinae erant, tamen non propria auctoritate, & praecipio, sicut nunc Christus utrumque fecit; hoc enim solius est Dei. Haec omnia dixi in declarationem sententiae Patrum horum. Huic tamen responsioni obieci potest, ex uerbis Christi non posse certo deduci hanc auctoritatem propriam & Prophetam, & fideles similibus loquendi formis utebantur, nam Iohes cap. 10. dixit: Sol contra Gabaonem ne moueare, & Luna contra uallem Atalon. Quae uerba non auctoritatem propriam, sed a Deo acceptam significant, etiam si modo praecipienda sunt pronuntiata. Grego. etiam lib. 2. Dialog. cap. 30.

Recentiorum quorundam opinio reuicetur.

An Christus hoc miraculo uoluerit probare se Deum esse.

asserit sanctos aliquando ex prece, aliquando ex potestate miracula fecisse. Non igitur ex ipsis uerbis certo consequitur, Christum propria auctoritate, quasi Deum haec fecisse. Adde uerba ipsa Christi; ait enim: ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem: non autem dixit: Ego habeo potestatem, quasi uolens significare se, ut hominem sanasse, non quidem humanis uiribus, sed diuina uirtute. Adde etiam, quod eadem locutionis forma dicunt nunc confessarij: Ego te absoluo a peccatis tuis. Adiuge etiam, quia illi uidentes miraculum, & uerba omnia audientes non dixerunt, se glorificasse Deum, quia filius hominis erat Deus, sed quia Deus talem potestatem dedit hominibus. Postremo si Scribae, & Pharisei ex uerbis Christi intellexissent eum se Deum esse significare, utique in eum inuecti fuissent etiam post miraculum, sicut Ioan. 5. fecerunt etiam post sanatum illum paralyticum, quod opus non fuit inferius hoc praesenti.

Propterea licet non careat probabilitate Patrum expositio, quam etiam in commentarijs in Ioannem secutus sumus, tamen in ea sum sententiam, nimirum in hoc contextu Christum probasse se, etiam si homo esset, habere potestatem remittendi peccata, sicut habebat potestatem sanandi paralyticum, non distinguendo quo modo hanc potestatem haberet, an scilicet ex unione diuinitatis, quia Deus erat, an ex communicatione, & concessionem diuinam factam homini. Argumenti autem uis posita est in eo, quod sanatio leprosi, quae non poterat fieri, nisi per solam diuinam uirtutem, assumebatur in probationem, & argumentum potestatis remittendi peccata. quod argumentum erat efficacissimum illis, quibus certum omnino erat opera diuinae uirtutis non posse fieri in confirmationem mendacij, & falsitatis alicuius; sic omnia miracula Christi argumentum erant suae diuinitatis, quia fiebant in testimonium eum esse Messiam, & filium Dei; propterea enim supposuit, & petiuit ab illis, utrum esset facilius remittere peccata, an sanare uerbo, ut constaret utrumque esse opus diuinae potentiae. Ad efficaciam igitur argumenti nihil refert utrum maius, aut minus, dummodo utrumque opus sit diuinae uirtutis, & fiat unum in alterius confirmationem. Hac ratione Prophetam utebantur miraculis ad confirmandas aliquas uirtutes, & erat argumeta efficacia: nam 4. Reg. 1. Elias dixit: Si homo Dei sum, ignis descendat de caelo, & deuoret te. hoc opus testimonium, & argumentum erat illum esse hominem Dei, & 3. Reg. 18. idem Elias facturus miraculum dixit: Exaudi me Deus, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & cecidit ignis, & vorauit holocaustum. Exod. 4. etiam dedit Deus Moysi signa, & miracula, quibus probaret se a Deo missum esse. Diximus de hac re copiose in commentarijs in Ioan. cap. 3. ita etiam nunc dictum est, ut sciatis me habere potestatem remittendi peccata:

Auctoris sententia.

4. Reg. 1.

ta:

ra: Ecce ego facio opus hoc, quod sola uirtute Dei fieri potest, igitur certum est me habere talem potestatem dimittendi peccata. Quamuis ergo Christus Deus esset, & remitteret peccata etiam, ut Deus; hoc tamen in loco solum ostendere uoluit, se etiam, si homo esset,

ANNO TATIO XLV.

Quod dicitur, & haec uerba refertur, falli de Christo sententiam, eo quod filius hominis dicitur.

In illud uerbum (filius hominis) quo saepe Christus de se loquens uirtur, gentes olim impegit, ut enim refert Iusti. mar. in q. genti q. 66. opponebat hoc Christianis, eo probantes Christum esse de viro genitum, cum non feminae, sed hominis, qui generis est masculini, filius dicitur sit. Quibus Iustinus respondet, primo quidem ostendens, non fuisse de viro genitum, sed de sola Virgine; secundo explicans modum, quo dici potuit filius hominis etiam generis masculini, quamuis non fuerit de viro genitus; si enim inquit Ioseph filius dicitur Eli, etiam non sit ab eo genitus, quia lege ei datus est, cum praecipit esset frater suscitare filios fratri mortuo sine liberis; multo magis Christus, licet ex sola femina natus, & genitus sit, dici potuit filius Ioseph, indeque filius hominis, quia a Spiritu sancto datus est viro illi, qui matrimonium celebrauerat cum Beata Virgine. diximus de hac re supra. Idem Iustinus in Dialogo cum Tryphone, alias duas adfert responsiones, prior est, ideo dici filium hominis, quia natus est ex femina, quae oriunda erat a Dauide, Iacob, & Abrahamo, qui homines fuere. posterior est, quia patres filiarum dicitur etiam patres filiorum, quas illae pariunt. Tertull. lib. 4. contra Marcionem. alia adfert responsio, nepe etiam B. Virgine dici hominem, nam nomen est commune utriusque sexui; qui igitur natus est de Virgine, filius hominis est.

Non solum gentes in hoc uerbum impegit, sed & haeretici delirarunt, quorum deliria refert Irenaeus lib. 1. c. 7. fingebat enim quandam substantiam, & uirtutem, quae dicebatur Anthropos, quod Graece idem significat, ac Latine homo, dicebaturque Christum ab hac progenitum; idcirco appellatum filium hominis, id est, illius, qui homo, seu Anthropos uocatur. Hoc autem delirium impugnare superfluum est, cum eius uanitas, & signum sint manifesta, & ipse Irenaeus lib. 1. c. 21. & multis sequentibus, conuincit eos erroris, ostendens de Virgine sola sine patre natum Christum.

Contra uero, Catholicas partes tuentes usi sunt hoc eodem uerbo ad alios haereticos conuincendos. fuere enim multi, qui ueritate carnis in Christo negarunt, fingentes eam apparentem fuisse, aut caelestem, contra quos hoc uerbum pugnat, non enim filius hominis esset, nisi ueram carnem accepisset. hoc argumento utitur Irenaeus lib. 3. cap. 32. & Tertullianus lib. de carne Christi, & lib. 4. contra Marcionem. Ad hanc ueritatem probandam Epiphanius haer. 57. notat hoc nomine appellatum esse Christum per Prophetas, etiam ante carnem assumptam, propter eam tamen carnem, quam suscepturus erat: dicitur enim Daniel.

ANNO TATIO XLVI.

Mystica superioris sententiae capitulo.

Notanda sunt quaedam ex uerbis praecedentis sententiae, quae in comentario praetermissa sunt. Primo, his tribus uerbis, surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam, Hilarius can. 8. in Matth. significari dicit totam redemptionem per Christum factam. Surge. indicat peccatorum remissionem, & reconciliationem per gratiam. Tolle lectum tuum, indicat corporum resurrectionem. Illud autem, uade in domum tuam, introitum in caeleste Regnum, ad quod creati sumus, & ubi nostra est patria, a qua nunc peregrinamur. Secundo Gregorius lib. 4. morali, c. 28. illud (domum tuam) spiritaliter propria conscientia

ANNO TATIO XLVII.

Utrum miraculum maius, peccata remittere an paralyticum sanare reddere.

Occasione illius sententiae, quid est facilius dicere; Remittuntur tibi peccata, an dicere: surge, & ambula, posset quispiam interrogare, utrum sit difficilius horum, utrumue sit maius miraculum. Vbi attende, ad efficaciam argumenti facti a Christo nihil facere, quod unum sit altero difficilius, & maius; satis enim est, si utrumque hominibus impossibile, solumque diuinae potestati sit reueruatum: nam etiam si minus esset sanare paralyticum, tamen cum sit opus diuinae uirtutis, factum in testimonium, & probationem

habere potestatem remittendi, non declarando nec distinguendo, qualiter haberet; sicut etiam habebat potestatem sanandi. Voluit enim Christus indicare noui testamenti gratiam, per quam hominibus erat potestas remittendi peccata donanda.

TIO XLV.

7. Ecce in nubibus caeli quasi filius hominis ueniebat. Omnes hi Doctores, quo modo Christus filius hominis dici possit, etiam si de viro genitus non sit, exponunt, non tamen causam adferunt, cur Christus sic se appellauerit. Gregorius igitur Nazian. orat. 4. Theologica uia causa profert, quia uidelicet generatio eius eo uerbo manifestatur, nepe fuisse de sola uirgine, dicitur enim filius hominis, id est, Adami, quo significatur non habuisse patrem hominem, fuisse tamen de uirgine, quae erat ex Adamo, unde generatio eius, & supra legem, & secundum legem fuit. Supra legem quidem, quia de uirgine sine uiro; secundum legem uero, quia de femina, quae orta erat ex Adamo, sicut caeteri homines, quantum ad naturam: haec est Gregorij causa, paucis uerbis additis explicata.


Quare Christus se ipsum filium hominis nuncupauerit.

August. uero li. 2. de consens. Euang. c. 1. causam adfert alteram, nimirum Christum se toties appellasse filium hominis ad commendandam nobis, quid dignatus sit misericorditer esse pro nobis, nimirum generationem carnis assumere, ut qui aeterno genitus est ex Patre, in tempore nasceretur ex matre; nomen filij generationem indicat.

Haec ex Patribus notanda hoc loco duxim: nam cur sic Christus appellatus sit, multas causas explicui in commentarijs in Ioan. c. 3. annot. 19. illic uidere potest lector, si quispiam desiderauerit. quibus hoc unum addendum existimaui, in scriptura ueteri Angelos in humana forma loquentes hominibus, eos hoc nomine saepe appellasse, filij hominis, ut constat saepe apud Ezech. & semel Dan 8. quo uerbo se illis superiores natura esse significabatur, etiam si homines uideretur, qui non erant filij hominum, etiam si homines apparerent. haec igitur de causa Christus filius Dei, & uerus Deus, de se, ut homine loquens, utitur hoc uerbo, ut suam in semet existentem diuinam naturam indicet, qui, ut Deus, maior erat se ipso ut homine, & qui licet in persona hominis appareret, non erat persona hominis, sed persona filij Dei in natura humana uere subsistens. Illud postremo notandum est, Hierony. Matth. 16. docuisse uerbum, in ueteri testamento habetur filius hominis, loco (hominis) in Hebraeo esse Adam, quod Hieronymi documentum licet in plurimum ita sit, non tamen est perpetuum, nam Daniel. 2. dicitur, omnia, in quibus habitant filij hominum, dedit in manu tua, ubi non habetur Adam, sed Enos in plurali numero. & Psal. 4. filij hominum usquequo, graui corde. Non est Adama id est, filij uiri & ipsummet Hieronymus in suo psalterio ita uertit, licet forsam oblitus Matth. 16. asserat eo loco haberi Adam.

interpretatur, eius uerba sunt haec. Quid per domos, nisi conscientiae designatur? Unde sanato cuidam dicitur: uade in domum tuam, ac si aperte audiat, post exterius miraculum, ad conscientiam reuertere, & quale te intrinsecus debeat exhibere, perpende. Haec ille. Tertio. Hieronymus etiam spiritaliter haec interpretans, inquit, anima paralytica si resurrexerit, si pristinum robur recuperauerit, portat lectum suum, in quo iacebat dissoluta, & portat illum in domum uirtutum suarum. Haec ille. Per gratiam enim, & passionem, quibus uincebatur prius, vincit, & opera bona, quae non ualebat facere, efficit.

illius, quod difficilius est, sufficiens, & efficax conuincitur argumentum, uti iam explicatum est. At quia nonnulli, uti diximus, unum esse altero difficilius contendunt, ideo hoc breuiter discutendum est. Chryso. hom. 30. in Matth. affirmat facilius fuisse sanasse paralyticum a morbo corporis, quam remisisse peccata, redditque rationem: Quato, inquit, anima praestantior est corpore, tanto maius est peccata dimittere sanatione. qua sententiam secutus Gregor. lib. 3. dialog. c. 17. affirmat, maius fuisse miraculum



culum conuersionis Pauli, quā suscitacionis Lazari; & simpliciter maius esse miraculū iustificacionis, quā resurrectionis. Augustinus autē tract. 7. in Ioan. auget sententiam, inquit enim maius esse miraculum iustificacionis, quam creationis, quod etiam recepit Leo ser. 3. de Passione Domini. at vero Ambrosius in hoc loco contrarium docet, inquit enim sic, quamuis magnū sit hominibus peccata dimittere (quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittedi tribuit potestatem) tamē multo diuinius est resurrectionem donare corporibus, quandoquidem ipse Dominus resurrectio est. Hæc Ambros.

Auctor proposita quaestione resoluitur.

In huius difficultatis resolutione illud est notandū, si miracula conferantur diuinæ virtuti, per quæ sunt, nullum est maius aut difficilius altero, sed omnia sunt minima, nec proportionem habent cū infinita Dei potentia, nec hoc in controuersia est; quando ergo vnum altero maius, aut difficilius dicimus, conferimus potestati creaturæ, illudque maius, aut difficilius vocamus, quod magis superat virtutem creaturæ. sunt autē in triplici differentia miracula. Quædam sunt, per quæ fiunt ea, quæ creaturæ virtus non potest facere, vt quædo Christus ianuis clausis intrauit, & lapide non amoto egressus est de sepulcro, corporū facta penetratione, quā nulla creata virtus efficere potest, & hæc in primo gradu

Et confestim consurgens coram illis tulit lectum in quo iacebat, & abiit in domum suam.

COMMENTARIA.

VERBA sūt Euāgelistæ, narrātis effectū admirandæ virtutis Christi; ita enim factū est, sicut præcepit, nā sanatus est paralyticus ita perfecte, vt cōtinuo faceret, quæ Christus iussit, & nota verba Euāgelistæ (confestim) vt virtutis magnitudo exprimat, nulla enim mora intercedēte cōualuit paralyticus, tantūque roboris accepit, vt solus lectū portaret. Addit (corā illis) in conspectu enim eorū, qui suis cogitationibus detraxerāt Christum, factū est opus visibile, cōuincens eos erroris, & iniquitatis. Præterea (lectū in quo iacebat) quod magis cōmendat, & indicat vires, & sanitatē paralytici, lectum enim illū, in quo prius iacebat, & in quo ab alijs gestabatur, ipse iā solus portat, & nō solū portat, sed vsq. ad domū suam.

Magnificans Deum.

COMMENTARIA.

CVm non solum corporis, sed animæ etiam sanitatem receperit, sicut corpore lectum gestabat, ita anima Deum magnificabat, id est, virtutis diuinæ magnitudinē in hac eius sanatione ostensam confitebatur, & publice per medias vias omnibus accurrentibus proclamabat; hoc enim est Deum magnificare, quod ille corde, & vocibus effecit, vt non tantū ipso opere, sed etiam sermone testimoniū admirandæ potestatis diuinę perhiberet.

ANNOTATIO XLVIII.

Locus Isaiæ cap. 35

Tertull. lib. 4. contra Marcion. huius meminit miraculis, affirmatque fuisse ab Isaiā prænunciatum, qui c. 35. sic habet: Ipsi videbunt gloriam Dei, & decorem Dei nostri, confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate, confortamini, & nolite timere. Licet Tertull. alia interpretatione vtatur, verba ipsius sunt hæc. Curatur paralyticus, & quidem in cætu, spectante populo. Videbit (inquit Isaias) populus sublimitatem Domini, & gloriam Dei. Quam sublimitatem? & quam gloriam? conualescite manus dimissæ, & genua dissoluta, hoc est paralytici. Conualescite, nec timete. Non otiose iterans (conualescite) nec vane subiungens (nec timete) quoniam iā reintegracione membrorum, virium quoque repræsentacionem pollicebatur (exurge, & tolle grabatū tuū) simul & animi vigorem ad non timendos, qui disturi erant, quis dimittit peccata nisi solus Deus? Habes iam & specialis medicinæ dispunctam

prophetiā, & eorū quæ medicinā sunt secuta. Hæc ille. August. li. 2. q. Euang. c. 4. spiritualiter hanc historiā interpretans ait: De paralytico potest intelligi anima dissoluta mēbris, hoc est, bonis operationibus Christum querere, id est, voluntatē verbi Dei, impediri autē tūm bis, nisi tecta, id est, ope scripturarū aperiat, vt per hæc ad notitiā Christi perueniat, hoc est, ad eius humilitatem fidei pietate descēdat. Hi autē, à quibus deponitur, bonos in Ecclesia Doctores possunt significare. Quod autē cum lecto deponitur, significat ab homine in ista carne adhuc cōstituto Christū debere cognosci, quē tamē lectū sanus postea iubetur portare, & ire in domū suā, vt remissione peccatorū conualescentibus per spē bonā, mēbris animæ hoc corpus restaurare intelligatur, vt iā nō in carnalibus gaudijs tamquā in lecto requiescat infirmitas animi; sed magis ipsa cōtineat affectiones carnales, & tēdat ad requiē secretorū cordis sui. Hæc Aug.

Et stupor apprehendit omnes.

COMMENTARIA.

TRIA cōsecuta sunt tam insigne factū in ijs, qui viderant, primū est stupor, id est, vehemens quædam admiratio, quæ rei factæ rationē inueniēdi viā præcludit, in solaque magnitudinis cōsideracione animū detinet; maximū enim, & præter omnium notitiā & expectacionē opus erat, vnde Marcus ait, mirabatur omnes dicētes, quia nunquā sic vidimus.

Et magni-

Et magnificabant Deum.

COMMENTARIA.

Hoc est secundum, admirandæ enim Dei virtutis opus confitebantur, qui tantā potestatem homini Christo concessit, vt & paralyticum talem sanare, & peccata condonare potuerit; sic enim Matthæus hoc verbum interpretatur: glorificabant, inquit, Deum, qui potestatem talem dedit hominibus: plane enim Christum diuinā potestate, & virtute præditum agnoscebant, & fatebantur.

Et repleti sunt timore, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie.

COMMENTARIA.

Hoc est tertium, magno sunt timore correpti, seu multum timuerunt, cuius timoris causam explicant, dicentes, quia vidimus hodie mirabilia; quid hæc portentant nescimus. Admiranda quippe solent peccatoribus timorem incutere, ne forte patiantur aliquid mali propter peccata sua, de qua re supra diximus.

ANNOTATIO XLIX.

Euangelistarum concordia.

Mirabilia Græce *μεγάλεια*, quidam vertunt inopinata; quidam, incredibilia; vulgatus vero, mirabilia, sensus idē est. Appellātur autē mirabilia hoc loco ea, quæ si narretur ijs, qui non viderunt, mirabūtur, & difficiles se exhibebūt ad credendū præ-

rū magnitudine; superat enim humanam fidē sicut illud Haba. 1. opus fiet in diebus vestris, quod nemo credit, cū narrabitur; eorū autē, qui viderūt, sciētiā & expectacionē superat. talia sūt hæc, quæ nūc fecit Dominus remittēdo peccata, & sanādo verbo paralyticū.

Et post hæc exiit, & vidit Publicanum nomine Leui.

COMMENTARIA.

Post miraculum sanati paralytici, Capharnaum, & domi factum, egressus est Christus, & abiit secus mare seu stagnum Genesareth.

ANNOTATIO L.

Matthæus c. 9. & Mar. c. 2. post historiā paralytici, Matthæi vocationē narrat, sicut, & Lucas nolter. Marcus autem distinctius scripsit, dicēs: Egressus est rursus secus mare, prius enim trās fretauerat e regione Gerasenorū, & venerat Capharnaū, vbi paralyticū domi curauit, inde egressus iterum secus mare abiit, quo omnis turba veniebat ad eū, eosque docebat, vt dicit Marcus Chryso. hom. 3. in Matth. causā explicat,

cur Dominus miraculo illo facto statim domo exiit, sic enim inquit: cum ingens signum mirabili curatione paralytici fecisset, nullam ibi moram traxit, ne Scribæ videntes ipsum maiori arderent inuidia, sed recessit, vt affectum eorum mitigaret. Quod nobis quoque faciendum est. Non enim debemus cominus in aduersarios insurgere, sed vlcibus eorum mederi, cedentes, & relaxantes eorum intentionē. Hæc ille.

Et vidit Publicanum.

COMMENTARIA.

CVm versus mare exiret, vidit hominum quendam, officio publicanum, id est, vectigalium publicorum exactorē. Publicanorū studia, & exercitatio, avaritiæ, fraudis, impudetiæ, & crudelitatis plena sunt, sed qui venerat peccata dissoluere, cur mirū est si publicanū fecit discipulū? Cum autē paralytico peccata dimisit, tūc ad Matthæū accessit, ne turbarentur videntes, si peccatorem in Discipulorum consortium vocauit.

ANNOTATIO LI.

Credibile est Matthæum non tunc domi suæ, sed in loco publico iuxta mare fuisse, vt facilius mercium, quæ mari aduehebantur, tributa colligeret; nā statim refert Euāgelista Christum se in Matthæi domicilio contulisse, vbi Matthæus illi conuiuuiū magnū apparauit. Inuehebatur Celsus Iudæus, vt Origenes lib. 1. cōtra eundem refert, aduersus religionē nostrā, obiciēns Christū peccatores homines in consortiū

Discipulorū vocasse; inter eos autē publicanū hunc nobis improperabat; cui recte respondet Origenes, dicens, quid absurdi, si Christus ostendere volens humano generi, quātū eius medicina contra pestes animarum polleret, infames, & nequissimos elegit, eosque eo prouexit, vt morū purissimorū exēplū fierēt, amplectētibus ipsius Euāgelii? Idē dixit Chry. hom. 3. in Matth. cuius sententiā in cōmētario profecuti sumus.

Nomine Leui.

COMMENTARIA.

Nomé eius Leui erat, quē Marcus appellat Leui Alphæi, id est, filiū Alphæi, quem autē Marcus, & Lucas Leui vocāt, ipsemet Matthæus vulgari nomine Matthæū nominat binomius enim erat, vt Hieronymus apud Matthæum notat, erat fortasse Leui nomen honoratius, vulgatius tamen Matthæi; idcirco ipse humilitatis causa se semper eo nomine significauit.

ANNOTATIO LII.

Deceptus Origenes celsus Leui non fuisse Matthæū.

Origenes lib. 1. cōtra Celsum, hūc Leui, cuius Lucas meminit, aliū celsus fuisse à Matthæo, nec inter Apostolos cōputat; eius tamen sententia omnino repellitur ab omnibus, qui eadē esse historiā hanc à tribus Euāgelistis descriptam affirmant, nec obstat

vnum duo sortitum esse nomina, quod in Scriptura factum esse nemo dubitat. Idem ergo est Leui, qui & Matthæus, Domini Apostolus, vt affirmant Hieronymus Matth. 9. & August. lib. 2. de consens. Euang. cap. 26-

Sedentem ad telonium.

COMMENTARIA.

CVM publicanus esset, suo muneri, & exercitationi incumbens, sedebat ad telonium, id est, mensam illam, in qua pecuniae, quae ex vestigalibus soluebantur, numerari solebant. ab ipsa autem opera euocatur ad Christi disciplinam, quo virtus vocantis maior ostenditur, qui ex ipso studio, cui ille intentus erat, eum abstraxit.

ANNOTATIO LIII.

Telonid quid. T Elas Graece vestigal est Latine, inde telonium, vel locum illum significat, in quem pecuniae vestigalium reponebantur; vel mensam in qua numerabatur, hoc in loco potius modo posteriori accipitur; non enim dicitur sedens in telonio, sed ad telonium. Quod si apud Matthaeum dicitur, sedens in telonio; Graece habetur ad telonium, sicut apud Marcum, &

Lucam. Chrysof. hom. 31. in Matth. recte verbum hoc ponderat, quod dum sederet in telonio, vocatus est: Virtutem, inquit, vocantis voluit ostendere, qui non imposto adhuc sine publicanorum paruo questui, e medio malorum ipsum abstraxit. Sicut Beatum Paulum quoque furentem, atque omni rabie ardentem, & ignem Ecclesiae inferentem reduxit. Hae ille.

Et ait illi, sequere me.

COMMENTARIA.

Verbum vocationis est, quasi diceret, relinque officium, cui incumbis, & ad meam disciplinam sine mora te conuertere, ex publicano esto meus Discipulus, & qui ad mensam vestigalium sedes, surge, & a saecularibus negotiis te eripe, ac mea vestigia sequere.

ANNOTATIO LIIII.

Mathaeus cum non simul cum aliis Apostolis a Christo vocatus sit. CHrysof. hom. 31. in Matth. de Matthaei vocatione quaestionem excitat, eaque dissoluit: Cuius, inquit, rei gratia non cum Petro simul ac Ioanne, & alijs Discipulis Matthaeum vocauit? certe quemadmodum tunc ad illos accessit, vocauitque quando obtemperaturos sciebat; sic Matthaeum quoque nunc vocauit, quando miraculorum fama perdomitum minime reluctaturum videbat. Qua de causa etiam Paulum post resurrectionem piscatus est, nam qui corda scrutatur, & occulta mentium perspicit, is etiam, quando vnusquisque ad obediendum paratus erat; non ignorauit; propterea non continuo, quando durior ferit, sed post mille miracula, & insignem, atque peruulgatam de se famam aptiorem iam ad obtemperandum vocauit. Hae Chrysof. Huic Doctrinae aduersari videtur id, quod ipsemet Paulus de sua vocatione Gala. 1. scripsit, cum placuit, inquit, ei, qui me segregauit ab utero matris meae, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret in me filium suum, vt euangelizarem illum in gentibus continuo non acquieui carni, & sanguini. Non dicit Paulus, quando nouit me obediturum, sed quando illi placuit, qui per gratiam me vocauit. Non expectat Deus semper arbitrium nostrum, quia sua gratia ipsum excitat ipsique dat velle, & perficere, & qui etiam rebelles conuertit, & compellit voluntates, tunc ergo vocauit, quando illi placuit, & si ante vocasset, vtique respondisset,

& obtemperasset. non ergo ratio, aut tempus vocationis huius, & similitum referri debet in hominis arbitrium, sed in Dei beneplacitum, cui sic visum est; sicque disposuit. Potest autem intelligi Chrysofomus sic, tunc vocasse Discipulos, quando sciebat illos obtemperaturos, nimirum per ipsius gratiam; sciebat enim quando ipse operaturus erat in eis, vt obtemperarent vocanti, & tunc vocauit. nisi sic intelligas, doctrinam non probo. Nec solum doctrinam huic Chrysofomi in hac parte non consentio, sed contrariam omnino veram existimo, nimirum tunc vocasse discipulos multos, & praesertim Matthaeum, quando plus erant impediti, magisque detinebantur, vt venirent, sic Petrum, & Andream vocauit, quando retia mittebant in mare, nec expectauit, vt iam essent missa, nec praue nit, antequam mitterentur, sed dum mittebant, hoc enim maius adferebat impedimentum: sic Paulum vocauit, quando in via erat, nec praue nit professionem eius; priusquam accepisset litteras a summo Sacerdote, & vocauit, dum opus seruebat, minusque ad obsequendum paratus erat; sic nunc Matthaeum vocat, non antequam sederet, sed dum ad ipsum telonium sedebat, & ipsi operam incubebat; in hoc enim virtus vocantis magis clarescit, & magnitudo gratiae reuelatur, minusque homo de sua virtute meritisve potest praesumere. Totus est Augustinus in hac doctrina, quam in hac parte probo.

Et relictis omnibus surgens secutus est eum.

COMMENTARIA.

Magna vocantis virtus haec est, quae in admirabilem obedientiam arbitrium peccatoris, & publicani ita pertrahit, vt continuo officij, & negotiorum impedimenta omnia dissolueret, & abiectis iis omnibus, quibus tunc inhiabat, a telonio surgens, Christum sequeretur. Nec caret laude, & eximia commendatione Matthaeus, qui etiam si vocatis potest virtute sit motus, libere tamen vocati ita consensit, vt nec consilio habito prius cum suis, nec negotiorum cura alijs demandata, nec ad quid vocaretur, considerato, & pecuniarum sollicitudine abiecta, confestim Christo obtemperauerit.

ANNOTATIO LV.

Contra Iulianum, & Porphyrium Matthei vocationem irridentes. Iulianus Apostata, similiter, & Porphyrius referent Hieronymum. Matth. 9. arguebat, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Saluatorem, quasi irrationabiliter quelibet hominem vocantem, sunt secuti. Duas Hieronymus huic obiectioni adfert responsiones; sic enim inquit: Tanta virtutes, tantaque signa praecesserunt, quae Apostolos antequam crederent, vidisse non dubium est. Hae est prior responsio, sequitur posterior: Certe fulgor ipse, & maiestas diuinitatis oc-

culata, quae etiam in humana specie relucebat, ex primo aspectu poterat videtur ad se attrahere; si enim in magnete, & succino haec esse vis dicitur, vt anulos, & stipulas, & festucas sibi copulet, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat haec ille. Prima responsio in nonnullis discipulis locum habet, & praesertim in Matthaeo, quos post miracula aliquot edita vocauit, non tamen in omnibus: nam Andreas, Petrus & Philippus, quando ad Dominum primo venerunt, nodum miracula

racula eius viderant. Posterior solutio, qua parte in facie Christi illius diuinitatis splendorem fuisse dicit, quo potuerunt videntes etiam sine miraculis vocatem sequi, non est necessaria, nec eorum opus erat. Qua vero parte virtute diuinitatis Christi affirmat, qua omnium poterat mouere, & trahere voluntates, doctrina verissima est, & responsio ad impietates illorum auertenda sufficientissima. Si enim verbum Christi tantum esset significatiuum rerum, vtique non poterat ad se homines trahere, cum simplex verbum esset nullo argumento fultum; at verbum hoc non fuit tale, sed efficacissimum, vt pote instrumentum ab homine Deo, cuius tanta erat virtus, vt verbo simplici sanaret infirmos, mundaret leprosos, & mortuos suscitaret. Respondeant Iulianus, & Porphyrius, an esset arguendus Lazarus leuitatis, quia re-

furrexit ad simplicem vocem, Veni foras; an essent arguendi paralytici, qui surgebant, & lectos suos gestabant ad vocem Christi; quis id affirmabit, etiam si delirerent nec igitur sunt leues, aut irrationabiles, qui verbo Christi tracti, ipsum sunt secuti; non enim minus potens, aut efficax erat verbum illud, quo vocauit Apostolos, & Discipulos, quae quod sanabat, & mirabilia opera exteriora faciebat; si enim mare, & venti obediunt iuuenti, quid mirum si homines sequerentur vocantem, etiam sine alio miraculo praecedente? immo sine exteriori voce potuit sola interiori virtute pertrahere; sic enim Magdalenam vocauit, & ad se conuertit, de qua recte dicit Gregorius homil. 33. in Euangel. Christus per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris. diximus de hac re alibi plura.

Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua.

COMMENTARIA.

Secutus Matthaeus Christum, ipsum inuitauit, & ei domi suae parauit conuiuium magnum; non solum quod ibi multi fuerint, sed etiam, quod opulentum, & pretiosum fuerit; honoris enim causa splendidissime eum apud se excepit, sicque suis valedixit, vt omnibus omni ex parte abiectis, discipulus Magistrum sequeretur, comesque eius indiuiduus fieret.

ANNOTATIO LVI.

Quare Matthaeus conuiuium fecerit Christo.

Meminit ipse Matthaeus conuiuii huius, sed a quo sit factum, nec cuius esset domus, expressit; solum enim refert Christo discubente in domo, peccatores discubuisse simul: Marcus distinctius rem narrans domum hanc ipsius Leui, seu Matthaei fuisse dicit, a quo vero conuiuium sit paratum, silet. Lucas vero omnia explicat, nempe in domo Leui, & ab ipsomet conuiuium fuisse factum; tum propter laetitiam accepti beneficij, vt dicit Chrysof. hom. 31. in Matth. vt Magistrum honoraret; & vt dicit Victor Antiochenus Mar. 2. ob vocationis beneficium gratum se declarauit; tum etiam vt vulgarem sequens modum, amicis ac familiaribus valediceret. cuius rei exemplum in Helisaeo legimus 3. Reg. 19. qui adscitus in consortium Eliae, eiusque comes futurus, reuersus est in domum, vt suos oscularetur, & postea sequeretur Eliam; venit ergo, & par boum maceravit, coxitque carnes, & dedit populo, & comederunt; post haec confurgens secutus est Eliam. Hoc videtur nunc noster Matthaeus fecisse; conuiuium enim opulentum domi suae Christo fecit, ad quod multos ex amicis, & familiaribus conuocauit, eoque completo Christum secutus est. forsitan etiam Christus ea de causa, ad Patrem reuersurus ex hoc mundo, apud Simonem leprosum diuertit, a quo opulento conuiuium exceptus est, vbi Magdalena precioso unguento effuso caput eius unxit. Quaedam vero occurrit difficultas, quomodo fieri poterit, vt Matthaeus domi suae magnum conuiuium apparasse dicatur, si quando vocatus est, Euangelista dicit, relictis omnibus secutus esse Christum? non enim omnia reliquisse videtur, qui domum retinebat, & conuiuium opulentum apparere poterat. Quidam recentiores respondet, quando secutus est Dominum, non reliquisse omnia,

sed illa tantum negotia telonij, quibus tunc erat intentus. Huic tamen opinioni aduersatur verbum (relictis omnibus) quod Euangelista commune fecit ceteris Apostolis, de quibus idem etiam verbum scripsit. Sicut igitur illi reliquerunt, ita & iste. Quidam alij, illud (relictis omnibus) per quandam anticipationem ab Euangelista dictum censent: nam quando vocatus est, secutus est Christum: non tamen statim Discipulus factus est, sed in familiaritate receptus, postea vero reliquit omnia, & in discipulum est acceptatus. Hae autem sine auctoritate dicuntur; idcirco videtur dicendum, tunc cum vocatus est, omnia quantum in se est, reliquisse, & de facto deseruisse telonium, & officium; Christi tamen ordinatione, sua disposuisse, quia diues erat, & multis negotiis implicatus; idcirco domum rediit; ibique Christum habuit hospitem, fecitque illi conuiuium, reliquerat quidem iam domum, & omnia, nec reuersus est, sed vt disponderet omnia, vt ratio honesta postulabat: sic etiam Helisaeus rediit ad parentes Eliae permisso; non enim Christus ea, quae ad honestatem quandam pertinebant, abstulit, omnia ergo tunc, quando vocatus est, reliquit, quantum in se fuit, non tamen vsum omnem abiect, quousque, vt par erat, omnia disposuit, sic Christo volente. Hanc sententiam Euthymius secutus videtur, cuius verba sunt: Admirare eius, qui vocatus est, perfectam obedientiam, quomodo neque consuluit apud se, quomodo super ea re nullum consuluit amicum, quomodo non disposuit, quae domus atque substantiae suae erant, sed confestim surgens secutus est, relicto vniuerso mundo; solam autem adduxit mentem ad omnia paratam, quae iussisset is, qui eum vocauerat, sicut & qui antea vocati fuerant. Hae ille.

3. Reg. 19.

Si Matthaeus omnia reliquit, quomodo potuit in domo sua conuiuium facere.

Et erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes.

COMMENTARIA.

VT ex Marco constat, multi erant secuti Matthaeum, quando a Christo vocatus post eum abiit, tum publicani, sicut ipse erat, tum de eorum numero, qui hisce ministrabant, & huiusmodi negotiis incumberebant, quos Matthaeus, & Marcus peccatores appellat, alios etiam notos, & amicos fama rei commotos ad domum eius accurrisse, alios etiam ab eodem Matthaeo conuocatos esse, credibile est. Hi omnes conuiuium interfuerunt, & in eadem cum Christo mensa discubuerunt, quantum existimo, Matthaeo Christi voluntati, qui eos discumbere simul voluit, obtemperante.

ANNOTATIO LVII.

Quomodo tot publicani ad conuiuium conuenerint.

Chrysofomus hom. 31. in Matthaeum asserit, multos Publicanos, quasi ad consortem artificij con-

currisset, quos Matthaeus letitia non parua propter accessum Christi inuitauit, Domino ita disponente, qui

omne genus curationis animarum exhibuit, nec disputando solū, aut ægrotos curando, aut inimicos redarguendo, verū etiā comedendo, atq; bibendo, multos à vitijis ad virtutem reduxit, vt nos per hæc doceret non esse tempus, neque opus, ex quo non possimus utilitatem percipere. Hæc ille & recte quidem. A te-ru autē subiungit dicēs; Et quamuis quæ tūc apposita erant iniuste, atq; rapaciter fuerūt acquisita, nō repellit tamen ea Dominus, sed assumpsit ex illis; magnū enim lucrū oriebatur, quinimmo eodē recto, eadēq; mensa cum peccatoribus vitur. Hæc certe bonū medicum decet, qui nisi laborantium putredinem ferat, non potest eos morbis liberare, sed Dominus malam multorum de se existimationem, ad quam deuenērūt, quia cum publicanis in domo publicani comederet; non timuit. Hæc ille. Quæ quidem moderatione indigent; non enim omnia, quæ publicani cōgregauerant, ex rapina erant; nam vectigalia iuste exigi poterant à prin-

cipibus, vt diximus supra; Ioānes enim exhortabatur publicanos, nō quidē ne exigerēt sed ne amplius, quā illis constitutū erat, extorquerēt. & Dominus Matth. 22. iussit Cæsari tributa dari, quod etiam comprobatur argumento manifesto Luc. 19. Zachæus enim publicanus erat, & dicit se dimidium bonorum dare pauperibus, & quos defraudauit, reddere quadruplū, quæ fieri non possent, si omnia essent ex rapina. Non enim Christus reprehendit ea, sed potius probauit. Hoc autem verum est, officium esse periculosum, & cuius exercitium fraudibus, & extorsionibus expositum est, propter quod publicani male audiebāt apud Phariseos, & Scribas; non tamē iniquum est, nec merces, & lacrum, quæ inde proueniunt, iniusta reputari debent, sensus igitur Chrysostrōmi est, sæpe contingere, conuiuia, quæ ab istis celebrantur, ex male acquisitis fieri, id tamen non semper euenit.

Et murmurabant Pharisei, & Scriba eorum.

C O M M E N T A R I A.

Pharisei, qui de vitæ sanctitate, & Scribae, qui de Scripturarum sciētia gloriabantur, & inter Iudæos insigniores reputabantur, cum Christum, & discipulos eius discumbentes cum publicanis viderent, murmurabant, & tamquam rem illicitam facientibus Christo, & Discipulis detrahebant. Pollui enim iustos peccatoribus conu-
scentes existimabant.

A N N O T A T I O L V I I I.

Matthæus refert Phariseos murmurasse, Marcus, & Lucas adiungunt, etiam Scribas. Illud autem (eorum) apud solum Lucam habetur, quod quidā referunt ad Iudæos, quasi dictum sit, Scribae, & Pharisei Iudæorum, quæ interpretatio parum est accommodata, cum nulli sint alij Scribae, & Pharisei, quam Iudæorum, nec in Scriptura talis locutio reperitur. Quidam autem non cōnectunt cum Phariseis, & Scribis, sed cum relatiuo, quod in Græco sermone habetur: nam sic dicitur, (qui Pharisei, & Scribae eorum) sicq; interpretantur, qui eorum, seu ex eis erant Scribae, & Pharisei murmurabant, qui sensus stare non potest, nam illud (ex eis) referri debet ad præcedētes turbas, & publicanos, qui discubuisse dicuntur, & sic hi Scribae, & Pharisei cōuiuio interfuisse, & accubuisse dicuntur, quod esse non potest; tūc enim nō murmurassent contra Discipulos Domini, cum & ipsi in eadem causa essent. Verior igitur interpretatio erit, si cum vulgato connectamus, cum (Pharisei, & Scribae) non quidem iuxta sensum primæ opinionis, sed alium se-

quentes, nimirum, vt referatur ad præcedentia, scilicet turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum ipsis venerant.) Scribae autem, & Pharisei eorum, id est, qui inter eos erant, non quidem accumbentes, sed præsentēs murmurabant; erat enim publicum conuiuiū, quod patebat omnibus, qui videre volebant. Huic expositioni fauet participium, quod omisit Lucas, sed Matthæus, & Marcus posuerunt, nepe (videntes) aderant enim Pharisei, & Scribae, & videbant, quod agebatur, non igitur est admittenda interpretatio quorundam recentiorum violenta, qui existimant non tunc adfuisse, nec vidisse conuiuium Scribas, sed postea, & murmurasse non eo tempore, sed post celebratum cōuiuium; quæ interpretatio verbis Euangelistarum non potest accommodari, quæ aperte indicant eodem tempore omnia esse facta, Verius igitur, & accommodatus Victor Antiochenus Mar. 2. Afferit venisse eō Scribas, & Phariseos, non quo aliquid dicerent, verum quo ea, quæ fiebant, curiose inquirant.

Dicentes ad Discipulos eius.

C O M M E N T A R I A.

Non audent Pharisei, & Scribae Christum coram monere, sed ei apud Discipulos detrahunt, siue suæ propriæ malevolentiae conscij, siue metuentes audire, quæ nollent, cum in calumnijs refellendis illius experti essent sapientiam; siue quia putabant Discipulos esse rudiores, nec ad respondendum paratos, vt sic eos à Magistro auerterent, & subducerent.

A N N O T A T I O L I X.

Chris. hom. 31. in Mat. notat qualiter isti Magistrū apud Discipulos accusant, alibi vero, cū discipuli in aliquo deliquisse vidētur, apud magistrū eos deferunt; quæ rebāt enim dissidia seminare inter Magistrū,

& discipulos. Hac arte vsus est diabolus, nā Deo detrahit apud homines, vt fecit in principio cū Adā; & homines apud Deū desert, vt fecit cū Iob; idēo calūniator dicitur; hoc enim nomen Diaboli, Græcis significat.

Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis?

C O M M E N T A R I A.

Hoc est murmur, & querela Phariseorum, & Scribarū, non licet vobis, nec magistro vestro cū his publicanis, & peccatoribus assidere in mensa. Hæc enim interrogatio (quare) vim habet accusationis cuiusdā, quasi rē agerent illicitā. Illa autem enumeratio (manducatis, & bibitis) auget accusationem, & amplificat id, quod quasi crimen opponunt; verba vero præsentis temporis indicant in ipso conuiuio reprehensionem esse factam, non enim erubescabant ipsis conuiuis præsentibus detrahere

quia

Particula (eorum) exacte perpenditur.

Seminare dissidia, diaboli sum est.

quia publici peccatores reputabantur. Distinguunt autem peccatores à publicanis, non quod publicani tales non reputarentur; sed quod alij, cum publicani non essent, communi vocabulo significabantur; erant autem peccatores, vel socij, vel ministri ipsorum publicanorum, qui in eorum officio illis ministrabant; aut ij, qui dissolutioris erant vitæ; aut ij forsā, qui ob scelera aliquot è Synagoga à Iudæis eiekti erant.

A N N O T A T I O L X.

Pharisei & Magistrum, & Discipulos arguere conantur.

Matthæus, & Marcus habent, quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester? Lucas vero discipulorū tantū meminit; vtrumq; autē consonat: nā illi in omnes dixerunt accusationē, nempe Magistrum, & Discipulos, quasi dicerent: Quare Magister vester, & vos manducatis? Duo autem priores Euangelistæ expresserūt solum Christum, quia in-

tentio accusantium præcipue erat cōtra eum, vt dicit Aug. lib. 2. de cōf. Euan. c. 27. & nota eos vsos esse nomine Magistris; quare manducat Magister vester, quasi eius sugillantes, & reprehendētes doctrinā, qui factō doceret cū publicanis, & peccatoribus māducandum esse. idcirco addunt (vester) quasi ipsi talem abominarentur disciplinam, qualem ipsi à Christo discēbant.

Et respondens Iesus dixit illis.

C O M M E N T A R I A.

Non ita submisisse oblocuti sunt reprehensores, quin ad aures Domini murmuratio peruenerit. Audiens ergo Dominus respondit accusationi, adducens rationes & causas, ob quas cum publicanis, & peccatoribus comederet, quibus rationibus, & causis, & defendit, & illorum accusationem ignorantiae, & iniquitatis plenam esse ostendit.

A N N O T A T I O L X I.

Matthæus addidit (audiens) audiens, inquit, Iesus ait; Marcus vero dicit (Iesus hoc audito, ait illis) præsentē igitur Domino, Pharisei Discipulos reprehenderunt: præ animorum autem commotione, & exardescētia, nō ita potuerunt sermonem comprimere, quin voces, & clamor eorum ad aures Domi-

ni peruenerint. Vnde Dominus statim respondit eis; suscepit enim defendendam causam propriam Discipulorum, & eorundem publicanorum, ac peccatorum, quorum etiam aures murmuratio impudens, & importuna Phariseorum, & Scribarum pulsauerat.

Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent.

C O M M E N T A R I A.

Argumento primo Christus causam suam defendit, quod à rerum similitudine accipitur. medicus corporum non tam cum sanis, quam cum infirmis conuersatur, & his mederi curat, quia plus indigent, quā sani, quibus sola præseruatiua medicina sufficit. multo igitur conuenientius, qui animabus medetur, cum publicanis, & peccatoribus conuersari debet; hi enim indigēt, quia infirmi sunt spiritu propter peccata. si igitur irrationabile esset arguere medicum corporum, visitantem magis infirmos, quam sanos, irrationabilius est reprehendere me, qui cum publicanis, & peccatoribus manduco, & frequenter conuersor, vt hac via eos à peccatis reuocem, & spiritualem illis conferam sanitatem. Hoc argumento se Christus medicum animarū profitetur, quod iam paulo ante probauerat paralytici sanatione miranda; simul etiam taxat Scribas, & Phariseos, quasi immites, & sine misericordia, qui potius peccatores in suis peccatis permanere volunt, quā cum eis conuersari, & conuesci, vt eos à peccatis reuocent; sicut qui infirmos corpore potius perire eligeret, quā dum eos visitat, sanare. Tacite etiam commendat publicanos, & peccatores, qui ad medicum salutis accurrebant. Est autem Hebraismus, quo absoluta negatio ponitur loco comparatiuæ, vt annotatione 63. dicemus.

A N N O T A T I O L X I I.

Communicatio cum peccatoribus, quomodo, & quādo licita.

Communicatio cum peccatoribus duplex est, vna quæ fit in ipsorum peccatis, nepe consentiendo, auxilium præstando, aut consilium dando, vt sua mala opera perficiāt; & hæc communicatio omnino est prohibita, neque hanc Christo obiciebant Pharisei, quem nouerant hominum peccata acriter reprehendere. Altera est communicatio in iis, quæ peccata non sunt, sed indifferentia, qualia colloquia, commensatio, & alia huiusmodi. Hæc autem comunicatio aliquādo non licet, sed prohibita est, nempe aut quando ex huiusmodi communicatione peccatores in suis prauis operibus audaciores fiunt, aut quādo eorum peccata & iniqua facta ab ijs, qui cōuersantur, approbari alij putant; aut quando periculum est, ne qui cōuersatur, illorum contagio inficiatur. his de causis Paulus 1.

Cor. 5. prohibuit cōmunicationem, dicens: Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere; quando vero nihil horum interuenit, prohibitū non est conuersari in huiusmodi indifferentibus. At vero quando comunicatio in id tendit, vt à peccatis illi reuocentur, & ad meliorem vitam conuertantur, non solum non prohibetur, sed maxime laudatur, & aliquādo præcipitur; qui enim aliorum curam ex officio, & munere habet, tenetur hæc præstare, quando ad salutem peccatorum id oportere cognouerit. Christus igitur manducabat cum publicanis, vt ea occasione, & familiaritate vtens, eos ad penitentiam peccatorum protraheret; non enim eorum contagio infici poterat, qui

peccatum non fecit, nec dolus in ore eius inuentus erat, nec eos audacioris faciebat, qui vitia reprehendebat, & peccantibus medicinam offerebat; nec approbare eorum mala opera videri poterat, qui sanctissimus ab hominibus agnoscebatur, & qui Matthaeum ab ipso telonio auocauerat, Chrysof. hom. 3. 1. in Matth. locum Pauli allegatum adfert, & respondet ibi Paulum loqui cum fratribus, non cum Magistris, & de his, qui peccare non desinebant, sed in suis peccatis perseuerare volebant: accommodatus autem videtur dici posse, id quid fratres vultis, tamen propter sciam

Non veni uocare iustos, sed peccatores ad penitentiam.

COMMENTARIA.

Adhibet secundum argumentum ad eandem defensionem, quod a quodam fine aduentus sui accipitur, quasi diceret: veni vocare homines ad salutem non tam iustos, quam peccatores, hosque ad penitentiam; igitur oportet me non abhorreere ab eorum commercio, sed eos recipere, & cum eis conuersari, ut sic illos pertraham ad peccatorum suorum penitentiam, & vitae commutationem, ac resipiscantiam. Dicit autem se venisse vocare, non tam iustos, quam peccatores, quia hi plus indigebant Christi praedicatione, & numero plures multo erant: idcirco Christus suae praedicationis exordium fecit a penitentia; sic enim Matth. c. 3. scripsit: Coepit, inquit, Iesus praedicare, & dicere: penitentiam agite. Hebraismus autem est sicut praecedens, quo negatio absoluta ponitur loco comparatiuae, ut sequenti Annotatione explicabitur. Non autem hic agitur de redemptione, quam passione, & morte sua perfecit, sed de sua praedicatione loquitur.

ANNOTATIO LXIII.

Matthaeus, & Marcus non habent illud (ad penitentiam) quamuis in multis exemplaribus Graecis etiam apud utrumque id legatur, & Chrysof. hom. 31. in Matth. legit, & interpretatur, similiter, & Euthym. Matth. 9. August. vero lib. 2. de consen. Euang. cap. 27. asserit a solo Lucae esse adiectum explanationis causa, quamuis apud illos duos Euangelistas id sit significatum, seu potius indicatum in illis verbis (non est opus valentibus medico, sed male habentibus) haec enim indicant, ad quid vocauerit peccatores, nempe, quasi aegrotos ad recipiendam medicinam. Hilarius etiam, & Hiero. Matth. 9. non legunt (ad penitentiam) siue ergo illud (ad penitentiam) expressum sit, siue non, intelligi debet, tum ex Luca, qui illud expressit, tum ex verbis illis praedictis, ut dicit Augustinus. Occurrit autem difficultas, qui sint iusti hi, quos vocare Christus non venit. in primis Chrysof. hom. 31. in Matth. affirmat hanc partem esse per ironiam dictam, iustosque Christus appellat illos Phariseos, qui se iustos iactabant, cum non essent, hos dicit Christus se non venisse vocare, non quod ipse non venerit quantum ex se, est etiam hos vocare, sed quod ipsi de sua praesumetes iustitia, Christo accedere contemnebant.

Quos iustos Christus vocare non venit.

Secundo loco Hilari. can. 9. in Matth. & ibidem Hieron, hos iustos non fuisse interpretantur, unde sensus est, non veni vocare iustos, quia non erant, sed peccatores, omnes enim peccauerunt. quibus verbis, ut dicit Hilarius, ostendit legis imperfectionem, quae iustificandi vim non habuit, taxat etiam, ut dicit Hiero. iustitiam Phariseorum, quam ex lege se habere putabant. Haec est sententia Hilarij, & Hiero. explicata. In cuius etiam maiorem explanationem aduerte, non negare hos Doctores, quando Christus venit, multos inuenisse iustos; Simo enim, & Nathanael, & alij, quorum Scriptura meminit, iusti erant, sed hi non habebat ex lege iustitiam, sed ex fide aduentus Christi: unde si Christus non esset venturus, nemo iustus inuentus esset; omnes enim peccauerunt, omnes declinauerunt, non est iustus vique; ad vnum, qui igitur iusti fuerunt, per Christum venturum affectui sunt iustitiam; veniens ergo Christus inuenit aliquos iustos, qui fide, & spe aduentus eius iusti erant, tamen neminem inue-

dalum aliorum, ne probari viderentur illorum malefacta; & propter periculum fratrum conuersantium; & propter illorum, qui peccabant, emendationem, ut confunderentur, bonorum priuati consortio, & confusi resipiscerent, iuxta illud Pauli 2. Thessalo. 3. Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur. Basiliius in moralibus reg. 70. cap. 20. hoc loco vitur ad probandum, eos, qui alios docendi munere funguntur, debere esse misericordes, ac mites, maxime erga eos, quorum animae morbo graui sunt affectae.

nit iustum, qui iustitiam, aut ex se, aut ex lege haberet, propterea dicit, non veni vocare iustos, quia nemo erat; si enim sunt, mei aduentus fide iusti sunt Christus enim sua passione, & morte omnibus etiam secundum carnem tempore prioribus a mundi initio iustitiam, & remissionem peccati obtinuit, omnesque ad Adam redemptione eius indiguerunt.

Tertio loco Euthymius sic interpretatur: non veni, ut cum iustis conuerser; nam sibi ipsi ad salutem sufficient, sed fateor propter solos peccatores me venisse, qui penitentiam indigent. Haec Euthymius. cuius sententia magna declaratione indiget, ut rectum, & fidelem habeat sensum, cum contraria videatur ijs, quae in explanatione secundae sententiae diximus, quae vera, & Catholice dicta sunt; nemo enim iustus fuit, qui sibi sufficeret, nec propter solos peccatores venit, sed etiam propter iustos, qui fide aduentus eius significati erant, omnes ad se suumque; Euangelium vocauit: idcirco dicit se non venisse, ut vocaret iustos ad penitentiam, sed peccatores. Haec interpretatio antiqua est, eamque secutus est Cyrillus Alexan. lib. 2. de adoratione in Spiritu, ubi sic habet: Equum est iuxta Saluatoris vocem curari, quod infirmum sit, vocari ad penitentiam, non eos, qui sanctificati sunt, sed qui propter peccata sunt inuisi. Quae interpretatio etiam si facilem sensum faciat, non tamen accommodata, nec perfectum: nam videbatur Christus significare se non venisse vocare homines, nisi ad penitentiam, & consequenter non venisse vocare iustos; hi enim non indigebant penitentia, ut dicitur Luc. 15. Gaudium est super vno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta noue iustis, qui non indigent penitentia, & tamen certum est venisse ad vocandum iustos, qui fide veteri iustificati erant, & legis opera faciebant, ad fidem praesentis, iam aduentus, & ad Euangelij doctrinam, & obedientiam amplectendam. Praeterea, quia sufficiebat dicere, veni vocare peccatores ad penitentiam, nec erat opus addere quicquam de iustis; non ergo illud (ad penitentiam) debet connecti cum utroque verbo, sed cum sola vocatione peccatorum; hos enim vocauit ad penitentiam, sine qua non poterant fructum sui aduentus percipere, & unde recte Patres omnes citati illam primam partem absolute

Christi locutio comparatiua est, non absoluta.

solute intellexerunt; (non veni vocare iustos.) sensus autem facillimus est; est enim Hebraeorum idioma, quando vnum alteri praefertur, ut absoluta negatione, ut videre est Rom. 9. non est volentis, neque currentis, sed Dei misericordis, id est, non tam volentis, & currentis, quam Dei misericordis. Reg. 8. non te abiecerunt, sed me, id est, non tam te, quam me. Matth. 10. non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, id est, non tam vos estis, qui loquimini, quam Spiritus Patris vestri. sunt multae huiusmodi locutiones; ita nunc dictum est, non tam veni vocare iustos, quam peccatores ad penitentiam; omnes quidem veni vocare, iustos, & peccatores, sed magis indigebant, peccatores, idcirco dico magis venisse propter hos; sicut medicus magis propter aegros

venit, quam propter sanos, etiam si hi medico indigeant. hanc praedicationem, & sensum alijs verbis indicauit Dominus Luc. 15. Gaudium est in caelo super vno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent penitentia. gaudium quidem est super omnibus iustis, & peccatoribus, sed super his in hoc maius, qui maiori in periculo versabantur; sic nunc Christus dicit se venisse vocare omnes iustos, & peccatores, Ioan. 10. Veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. illud propter peccatores, hoc propter iustos dictum est; idcirco nunc dicit, non tam venisse vocare iustos, quam peccatores, ut resipiscerent, & penitentiam agerent. Hic est sensus legitimus, ut existimo.

Luc. 15.

Ioan. 10.

Sensus verborum, quae ex c. 6. Osee Christus protulit.

ANNOTATIO LXIII.

Quid sit misericordiam volo non sacrificium.

Inter has duas sententias (non egent, qui sani sunt medico) & (non veni vocare iustos) quarum etiam Marcus meminit, Matthaeus solus interposuit testimonium Scripturae; dicens: (euntes discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium) quo argumento etiam Dominus illorum accusationem repulit, suamque causam defendit. in cuius explanationem nonnulla sunt notanda.

Primo, frequenter Christum, vsum esse testimonio Scripturarum contra Phariseos, & Scribas, quo tacite illos ignorantibus arguebat, qui cum maxime Scripturarum studium & intelligentiam profiterentur, de hisque gloriarentur, multa ignorabant, quae scire deberent. Huius rei plurima sunt exempla. Matth. 12. Non legistis quid fecerit Dauid, quando esurii, & qui cum eo erat ibidem. Non legistis in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant? Matth. 19. Non legistis, quia qui fecit ab initio, masculum, & feminam fecit eos? Matth. 20. Numquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? Mar. 12. Nec Scripturam hanc legistis: Lapidem, quem reprobaerunt aedificantes, factus est in caput anguli? Sunt alia multa huiusmodi testimonia. ita nunc dicit, euntes discite, quid est misericordiam volo, & non sacrificium. Illud (euntes) verbum est cuiusdam reprehensionis, ex phrasi Hebraea positum; sicut illud Iosue 10. Ite, & inuocate deos vestros, quos elegistis, ipsi vos liberent in tempore angustiae.

tempus pertinet, parum refert, siue in praesenti, siue in praeterito sit sermo; saepe enim vnum pro alio usurpatur. quod vero ad negationem absolutam spectat, repetendum in memoriam est, quod annotatione praecedenti notauimus, Hebraeorum esse idioma, quando vnum alteri praefertur, non hoc magis, illud minus affirmare, sed hoc omnino affirmare, illud omnino negare, & praeter exempla ibi posita, illud etiam est 1. Corinth. 15. Abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum, id est, non tam ego, quam gratia Dei mecum. Sic hoc in loco dictum est, misericordiam volo, non sacrificium, id est, non tam volo sacrificium, quam misericordiam, seu hanc volo magis, quam sacrificium. Esse autem in hunc sensum accipiendam hanc sententiam ostendunt ea, quae sequuntur apud eundem Oseam; subdit enim (et scientia Dei plus, quam holocaustum.) huiusmodi ergo interpretatio est accommodatior, cui Chrysof. etiam hom. 3. 1. in Matth. consentit.

Secundo notandum est hoc testimonium sumptum esse ex Osea cap. 6. Varie autem legitur, & explicatur a Patribus; Ambrosius enim lib. 1. de penitentia, cap. 11. legit: Misericordiam malo, quam sacrificium. Irenaeus vero lib. 4. cap. 32. ut in antiquis exemplaribus habetur, & Augustinus lib. 20. contra Faustum, cap. 16. & lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 27. legunt: Misericordiam volo, quam sacrificium, phrasi minus Latina, ex Hebraeo idioma sumpta; sicut illud Luc. 15. Gaudium est super vno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis. & Psal. 117. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Suppleta enim est comparatiua particula, misericordiam volo magis, quam sacrificium. Vnde idem August. lib. 10. ciuit. c. 5. Latinam phrasim vltiorem sequens habet: misericordiam volo magis quam sacrificium. quo etiam modo citatur a Cypriano lib. 3. ad Quirina. c. 1. Omnes hi Doctores comparatiue legunt, & explicant hanc sententiam. Non quod Deus noluerit tunc sacrificium ab hominibus, quod ipse praeeperat, sed quod maluerit misericordiam erga proximos. Hieronymus vero Matth. 9. & Hilarius ibidem can. 9. negatiue legunt, & interpretantur, misericordiam volo, & non sacrificium. quasi Deus a ratione iustificationis excluderet illa sacrificia vetera. In Hebraeo autem apud Oseam sic legitur: Misericordiam volui, & non sacrificium. Quod autem ad praeteritum

Tertio notandum est, per sacrificium in hoc loco intelligi illa Iudaica sacrificia animalium, quae Deo offerebantur: per misericordiam autem proximorum dilectionem, qua eorum necessitatibus subuenimus; misericordia enim ex dilectione proximi procedit, & ad opem ferendam ijs, qui indigent, inducit; talia enim opera misericordiae, ut recte Augustinus lib. 10. ciuit. cap. 5. dicit, etiam sacrificia appellantur, iuxta illud Hebr. 13. Talibus hostiis promeretur Deus, non quidem corporale, sed spirituale. vnde ipse Augustinus ait, haece verbis non repellere sacrificium illud corporale, quod Iudei tunc ex diuina institutione, & praeepto offerebant, sed praeponi spirituale corporali. cuius praedicationis causam ipse Augustinus adiungit, dicens: Finem praepceptorum esse dilectionem, misericordia igitur, quae ex dilectione procedit, praeponitur sacrificio exteriori, quod in dilectionem ordinatur. Ipse autem met Dominus eadem praedicationem significauit Mat. 5. Si offers, inquit, munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc venies offerre munus tuum. & Matth. 15. acriter arguit Iudeorum maiores, quod praeferebant docerent sacrificia, & oblationes dilectioni, & misericordiae erga parentes. Irritum, inquit, fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras, mandatum appellat praeeptum de dilectione, & misericordia erga parentes. Ex his testimonij manifestus est, malo, inquit, Deus, ut misereamini proximorum vestrorum, & subueniatis eis, quam ut dum sacrificium mihi offerretis, propterea cessetis ab opem ferendo proximis, atque perire sinatis eos; acceptior enim est mihi misericordia, quam tale sacrificium. Ex his etiam manifestum est argumentum Christi contra Phariseorum, & Scribarum accusationem; misericordiam enim

appellat, qua cum Publicanis, & peccatoribus conuersabatur, ut ad penitentiam eos pertraheret, & ad viam salutis reuocaret; Iudæi autem pluris faciebant quasdam mundities exteriores, & quidem ab ipsis inuentas. contra eos ergo argumentatur Christus testimonio Scripturæ: Nonne, inquit, legistis Deum præferre misericordiam sacrificio? si igitur sacrificio, quod maximi habetur in lege, præponitur misericordia, etiam in rebus ad corpus pertinentibus, in quibus proximo subueniendum est, quanto magis misericordia in spiritualibus, & in iis, quæ ad animam spectant, præferri debet, non dico, sacrificio, sed vestris istis obseruationibus, & cæremoniis exterioribus? ego enim cum peccatoribus manduco, ut hac familiaritate erga illos, salutem animabus eorum conferam.

Quare Deus misericordiam præferat sacrificio.

Quarto notandum est, causas esse dignas considerationibus, ob quas Deus misericordiam prætulit illis antiquis sacrificiis, præter eam, quam paulo ante ex Augustino adduximus. vna est, quia mandata illa de sacrificiis exterioribus, etiam si diuina positua erant, at mandatum dilectionis, & misericordiae erga proximos naturale est, quod est fortius positiuo. Secunda, quia illa sacrificia cum lege ipsa sine habitura erant, sicut etiam cum lege inceperant à Deo esse præcepta, & in illo Populo instituta; at mandatum dilectionis, & misericordiae fuit ab initio, & permanet in Euangelio usque ad sæculi finem. Tertia, ut ea ratione ostenderet Deus illis Iudæis, eos non virtute sacrificiorum iustificari, sed fide, & dilectione, ex qua misericordia emanat, vnde Oseas postquam dixit, misericordiam volo, & non sacrificium, ad iunxit (& scientiam, id est, fidem, plusquam holocaustum. Quarta est, ut significaret Deus se non propter sacrificia illa omnia, mundi peccatum deleuisse, hominibusque pepercisse, sed propter suam misericordiam, qua filium suum mittere dignatus est in redemptionem nostram, psal. 39. sacrificium, & oblationem noluiisti, aures autem perfecisti mihi; holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio: ea igitur de causa tantopere misericordiam erga proximos commendauit, ut sacrificio eam præferret, ut dictum est.

Psal. 39.

Si Deus sacrificijs honoratur, cur ipsis misericordia proximis impensa præferatur.

Occurrit autem dubium quoddam, quo res hæc magis explicatur. Posset enim quispiam opponere, Deus magis est honorandus, quam proximus, & mandatum de honorando, & colendo Deo maius est, quàm de diligendis proximis, illisque subueniendo, cum sit

A N N O T A T I O L X V.

Quare quorundam Apostolorum vocatio scripta sit, aliorum vero nulla mentio facta.

IN hac Matthæi vocatione vnum dubiolum examinandum superest, nempe cur Euangelistæ cæterorum Apostolorum vocationis mentionem non fecerunt, præter eas, quæ sunt Petri, & Andreae, Iacobi, & Ioannis, ac Philippi; reliqui enim quando, & quomodo vocati fuerint, ignotum reliquerunt. Chryso-stomus hom. 31. in Matth. hoc excitat dubium, & Euthymius Matth. 9. ipsum Chryso-stomum sequens, respondet autem Chryso-stomus ea de causa factum esse, quia isti maxime, aut in humili artificio, qualis est piscatio, aut in turpi lucro, qualis est telonatus, versabantur, eoque modo Euangelistæ se dignos fidei populis ostendebant; eos enim, qui nihil eorum, quæ sibi vitio dari poterant, narrare prætermittent, nemo iure suspectos habere poterat, etiam cum laudabilia referrebant. Eandem causam Origenes lib. 2. contra Celsum attulit ad eam questionem, cur Euangelistæ condiscipulorum peccata describerent. Huic responsioni posset opponi, non solos Petrum, & Andreae, Iacobum, & Ioannem fuisse piscatores; nam ex Ioan. 21. habemus Thomam piscatorem etiam fuisse, & cum Petro, & filiis Zebedæi piscatum iuisse post Resurrectionem Domini, immo ibi duos ex

mandatum naturale primæ, ut vocant, tabulæ; at illa sacrificia erant in honorem, & cultum Dei instituta: igitur præferenda erant misericordiae erga proximos. Respondeo, quando ommissio sacrificii cederet in Dei, & religionis contemptum, tunc potius erat sacrificium, quam proximo subueniendum, si vtrumque fieri non poterat: ut si infidelis, aut gentilis impediret Iudæos sacrificare in religionis eorum irrisionem, non deberent cessare a sacrificando, etiam si omnia bona temporalia auferrentur ab eis, quibus aliorum necessitatibus subueniebant; quia honor Dei præferendus est. Ea de causa Eleazarus ille Machabæus vitæ propriæ non pepercit, ne carnibus porcinis vesceretur, quia cogebatur eas manducare in contemptum religionis Iudaicæ, & veri Dei Israel, quo casu ille tenebatur potius mori, quam vesci. sicut etiam apud nos, si quis hæreticus fidelem impelleret ad vescendum carnibus in die Veneris, teneretur mori potius, quam vesci, quia ille in contemptum Ecclesiæ id facere tætat; at vero si non esset talis contemptus, præponenda esset vita propria, & aliorum, ut si nocet sanitati vesci piscibus, & vitæ conseruandæ necessariæ sunt carnes, eis vesci licet in diebus prohibitis; & apud illos licebat intermittere sacrificium, quando pecuniæ, quibus animal emendum erat, necessaria erat propria, aut proximi sustentationi. Obseruandum enim maxime est, quando contemptus religionis miscetur his mandatis, tunc non solum mandatum positiuum esse, sed simul mandatum naturale diuinum de honorando, Deoque colendo, ideo cum sit fortius, præponendum est mandatis erga proximos etiam naturalibus; at vero quando non est contemptus talis, nec res cedit contra Dei honorem, tunc debemus potius seruari mandatum naturale erga nos, & proximos, quàm illa, quia tantum positua sunt; quo casu per Oseam Dominus locutus est, se malle misericordiam erga proximum, quam quod offerat homo sacrificium à Moyse præceptum, quando non agebatur de aliquo perpetrando contra Dei honorem: non enim si aliquando intermittitur sacrificium, agitur contra honorem Dei, cum etiam Deus honoretur in subuentione proximorum; & quamuis etiam intermittatur sacrificium negligentia aliqua, non propterea est contra Dei honorem, nisi ex contemptu fiat, aut proprio ipsius, qui intermittit, aut alterius, qui intermitti compellit. His omnibus, qualiter sententia proposita sit intelligenda, manifestum est.

Discipulis Domini legimus simili piscationi indulgisse, & verisimile est de numero fuisse cæterorum Apostolorum, quorum vocatio descripta non est. De Philippo etiã nescimus, quo artificio sit vsus. Quod si dicas cum Chryso-stomo, insignem eum non fuisse, argumentoque esse, quod de humili patria fuerit, licet argumentum hoc non sit efficax, tamen omnes Apostolos humilis conditionis extitisse constat ex illo Pauli. 1. Cor. 1. Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, vbi Apostolos appellat stulta mundi, infirma mundi, ignobilia, & contemptibilia mundi. Eadem ergo ratione omnium vocatio erat narranda. Existimo ergo sicut Euangelistæ multa prætermiserunt narrare, quæ Christus gessit, ut dicitur Ioan. vlt. eaq; scripsisse, quæ ad veritatem Christi explicandam, & confirmandam sufficiebant, ita etiam fecisse in Apostolorum vocatione; quibusdam enim descripsisse facile intelligi poterat, qua ratione, & modo cæteri vocati fuerint; retulerunt autem horum vocationes, quia præcipuæ, & insignes fuerunt, in quibus virtus vocantis maxime manifestata est. Philippi autem vocatio insignis fuit propter historiam Nathanael, quæ refertur Ioan. 1.

At illi

At illi dixerunt ad Eum.

C O M M E N T A R I A.

Alteram calumniam occasione præcedentis responsionis Christi illatam Euangelista describit, scientes enim Pharisei, & præcipue scribæ, qui de Scripturæ intelligentia maxime præsumebant, se Christi rationibus esse conuictos, nouum quid quod obicerent, excogitarunt, quod verbis sequentibus explicatur; illud autem relatiuum (illi) ad omnes quidem, qui murmurabant refertur, non sic quasi Pharisei per se ipsos locuti fuerint, sed per Scribas, qui peritiores reputabantur. hi enim locuti sunt.

A N N O T A T I O L X V I.

Quomodo Euangelistæ conueniant in subsequenti narratione.

VIDetur quidem dissonantia inter Euangelistas in referendis iis, qui sequentem calumniam Domino obiecerunt, nam Matthæus cap. 9. ad discipulos Ioannis refert; sic enim inquit, (tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes) Marcus autem cap. 2. Phariseis simul & discipulis Ioannis tribuere videtur dicens (& erant discipuli Ioannis, & Pharisei ieiunantes, & veniunt, & dicunt illi) Lucas vero Phariseis, & Scribis adscribit; cum enim dixisset Phariseos, & Scribas murmurasse dicentes, quare cum publicanis manducatis? narrassetque Domini responsionem, statim subiunxit, (At illi dixerunt.) ex connexionione ergo sententiæ illud relatiuum (illi) ad Phariseos, & Scribas refertur videtur. Chryso-stomus hom. 31. in Matth. locum hunc Lucæ adducens, affirmat Lucam hanc calumniam tribuisse Phariseis: secundum igitur mentem Chryso-stomi illud relatiuum (illi) non ad omnes præcedentes, sed ad Phariseos refertur. quod si Matthæus adscripsit discipulis Ioannis, non est contrarius Lucæ: nam tam hi, quam illi id fecerunt, sicque concordat Chryso-stomus has sententias; probabile, inquit, est Phariseos confusionem suam intelligentes, Ioannis discipulos, veluti in Herodianis postea fecerunt, secum accepisse. Euthymius vero Matth. 9. asserit secundum Lucam, & Marcum calumniam hanc à Phariseis, & Scribis profectam esse. iuxta hanc igitur sententiam illud relatiuum (illi) ad præcedentes refertur, tam Scribas, quam Phariseos; concordat autem Euthymius Euangelistas hoc modo, nempe primum Phariseos, & Scribas obiecisse calumniam, postea vero Ioannis discipulos. At vero Augustini sententia legitima, & accommodatissima est lib. 2. de consen. Euang. cap. 27. vbi affirmat hanc calumniam, quam Lucas describit, quæ eadem est cum descripta à Marco, non esse prolatam à Phariseis, nec à disci-

pulis Ioannis, sed ab aliis; ut enim ex forma dicendi constat, nempe (quare discipuli Ioannis, & Phariseorum ieiunant) ab aliis, qui non erant Ioannis discipuli, nec Phariseorum, dicta esse videntur, sicque verba illa interpretatur. Erant discipuli Ioannis, & Pharisei ieiunantes, & veniunt, & dicunt illi, quare discipuli Ioannis, & Pharisei ieiunant) illud (veniunt, & dicunt) refert Augustinus non ad discipulos Ioannis, & Phariseorum, sed ad alios, qui de illis id dixerunt. iuxta hanc Augustini expositionem illud relatiuum (illi) non ad discipulos Ioannis, nec ad Phariseos refertur, sed ad alios, qui de discipulis Ioannis, & Phariseis causam calumniandi acceperunt.

Nos vero, ut contextui Lucæ hoc accommodemus, dicimus illud relatiuum (illi) non ad omnes præcedentes referri, quasi omnes locuti fuerint, sed ad Scribas; hi enim Phariseis consentientibus videntes discipulos Ioannis, & Phariseorum, qui ibi aderant, dixerunt Christo, quare discipuli Ioannis, & Phariseorum ieiunant, tui autem non ieiunant? calumnia ergo à Phariseis, & Scribis emanabat, tamen à Scribis solis prolata est. Nec hoc est idem cum eo, quod refert Matthæus: nam hic narrat, discipulos Ioannis dixisse, quare nos, & Pharisei ieiunamus; hoc enim non à Scribis, sed à Ioannis discipulis dictum est: nam tam hi, quam illi Christo hanc calumniam obiecerunt simul, & quasi certatim, ut vult Augustinus: aut hi post illos, quod probabilius est, ut dicit Euthymius; quod enim Scriba de discipulis Ioannis, & Phariseorum obiecerunt, ut dicit Lucas, ipsi reposito verbo de seipsis loquentes iterum obiecerunt, quod refert Matthæus, sicque omnia accommodata, & consona sunt, ut etiam sequenti Annotatione magis apparebit.

Auctoris sententia de Euangelistarum concordia.

Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obseruationes faciunt, similiter, & Pharisei: tui autem edunt, & bibunt.

C O M M E N T A R I A.

NON accusant Dominum expresse, quia eos iam conuicerat, ostendens se ex misericordia, & ut peccatores in meliorem frugem reuocaret, manducare cum illis. in discipulos ergo conuertunt calumniam, in quibus ea ratio minus videbatur militare, & in eis Magistrum tacite reprehendunt, qui suis Discipulis ieiunia non iniungat, sicut fecerant Ioannes, & Pharisei discipulis suis. Est autem accusatio hæc, & calumnia Scribarum dicentium, quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & præter legis ieiunia, multis aliis ieiuniis voluntarie se macerant, & obsecrationes, ac orationes faciunt, sicut etiam Pharisei; tui vero edunt, & bibunt? non dicitur, (tui non ieiunant) aut (tui non edunt) sed (tui edunt, & bibunt;) notare enim eos voluerunt immoderati vsus cibi, & potus, eosque non solum non ieiunare frequenter, sed nec ieiunare. Auctoritatem autem Ioannis Baptistæ, qui magnus Propheta ab omnibus habebatur, opponunt Christo, & disciplina illius Christi disciplinæ detrudere tentant, quasi contrariæ disciplinæ Ioannis. Phariseos etiam adiungunt,

gunt, tum, vt plurium auctoritate Christum magis impugnent, tum, vt Phariseorum commendent doctrinam, quæ Ioannis Baptistæ doctrinæ consentiat.

A N N O T A T I O L X V I I .

Superior sententia uberior explicatio.

HÆC calumnia, vt in præcedenti Annotatione diximus, licet à Phariseis etiam processerit, prolata tamen à Scribis solis fuit, quam etiam refert Marcus, eo solo differens, quod asserit sic dictum (quare discipuli Ioannis, & Phariseorum) Lucas vero Phariseos solos narrat; vtrumque enim illi dixerunt, nempe (quare discipuli tui, & Phariseorum, & ipsimet Pharisei ieiunant) Lucas addidit (frequenter & obseruationes faciunt) multa est dissonantia, sed quæ vnus prætermisit, alter expressit. Vnum autem prætermisit Marcus. quod horum calumniæ addidit occasionem; ait enim (erant discipuli Ioannis, & Pharisei ieiunantes) quod significat non solum illos deditos esse ieiuniis frequentibus, sed illo etiam die, quando conuiuio interfuit Christus, ieiunasse, quod facile omnibus erat manifestum iuxta illud Matth. 6. cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ, tristes, ex-

terminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Ex præsentibus igitur illorum ieiunio ansam sumperunt discipulos Domini accusandi, qui tunc aderant conuiuio, & discumbebant; Ioannis autem discipulos, qui præsentibus erant, in exemplum adducunt, quia sciebant eos male affectos erga Christi discipulos; his enim illi æmulabantur, vt constat Ioan. 3. quando accesserunt Magistro suo Ioanni conquerentes, quod Christus baptizaret, & omnes ad eum venirent. Experientia ipsa id declarauit, nam audita querela Scribarum, statim ipsi discipuli Ioannis eam confirmarunt, dicentes, quare nos, & Pharisei ieiunamus frequenter, tui autem discipuli non ieiunant, quod refert Mattheus; hæc enim calumnia bis fuit Christo illata, primum à Scribis, Phariseis consentientibus, secundo à Ioannis discipulis, vt dictum est.

Quibus ipse ait.

C O M M E N T A R I A .

CVM calumnia bis Christo, tum à Scribis, tum à Ioannis discipulis fuerit illata, vtrisque respondet, & prius Ioannis discipulis; quamuis enim omnibus simul responderit, tamen hæc, quæ sequitur sententia, præcipue propter Ioannis discipulos dicta est. Non autem eos acriter increpat, tamquam inanem quærentes gloriam, & sua ieiunia vane ostentantes, sed maxima cum clementia respondet, quia non eorum damnare ieiunia, sed suos, cur non ieiunarent, defendere volebat.

A N N O T A T I O L X V I I .

Christus discipulos suos defendit discipulos vero Ioannis non damnat.

ADuerte Christum non damnasse ieiunium Ioannis, nec Phariseorum; sanctum enim erat ieiunium in se, sed solum voluisse suos defendere, & excusare, cur non ieiunarent, idque facit multis adductis rationibus, quibus ostendit conuenienter factum esse, vt eo tempore non ieiunarent, quo illum secum haberent, & quandiu lex illa duraret; prænunciat tamen, & promittit postea eos ieiunaturos, idcirco clementer respondet, quia de re iusto, & sancta erat quæstio, quamuis illi non æquo animo quererentur. vnde non habent Marcionistæ ex hoc loco, quod in sua hæresis defensionem producant, Christum nempe Ioannis spreuisse ieiunia, quasi non fuerit ab eodem ille Deo, à quo Christus missus est; cum idem sit, & vnus Deus auctor veteris, & noui testamenti, à quo Ioannes missus est, & qui pater est Christi, qui-

que eum misit omnium Redemptorem. hæc habet Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cuius inter alia hæc sunt verba: sed & Christus reiecit Ioannis disciplinam, vt Dei alterius, & discipulos defendisset, vt merito aliter incidentes, aliam scilicet, & contrariam initiatos diuinitatem. At nunc humiliter reddens rationem, quod non possent ieiunare filij sponsi, quandiu cum illis esset sponsus, postea vero ieiunaturos promittens, cum ablati ei sponsus esset. Nec discipulos defendit, sed potius excusauit, quasi non sine ratione reprehensos. Nec Ioannis reiecit disciplinam, sed magis concessit temporis Ioannis, eam præstans, vt tempore suo eam desinans, reiecturus alioquin, & defensus æmulos eius, si non ipsius fuisset. Hæc Tertullianus.

Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare?

C O M M E N T A R I A .

Respondet Christus, non quidem illorum reprehendendo ieiunia, sed cur suis discipulis, non ea iniungat, rationes, & causas explicando. Hæc autem responsio maxime propter discipulos Ioannis data est, sumiturque à similitudine sponsalitorum; qui enim celebrant sponsalitia, conuiuio indulgent, & argumenta lætitiæ ostendunt; non enim decet eo tempore ieiunare: sic nunc inquit Christus, mea sponsalitia celebrantur, sponsus Ecclesiæ sum, meoque aduentu eam per fidem mihi sponsondi, nunc autem, cum præsens sum, tempus nuptiarum est; non igitur conuenit discipulos meos, qui mecum hæc celebrant sponsalitia, ieiunare. prius se medicum, nunc sponsum vocat; medicum quidem, qui ægrotas animas venerat sanare; sponsum vero, qui per viuam fidem sanatas, sibi venerat spondere. Interrogatio illa (Nunquid potestis?) vim habet negandi, & verbum (potestis) vsurpatur pro eo, quod decenter, & conuenienter fit, quasi diceret; Non decet, nec debetis inducere meos discipulos, vt hoc tempore, quo cum illis verfor, ieiunent: non ergo ventris causa, vt vos accusatis,

satis, sed ex dispensatione mysterij discipuli mei non ieiunant hoc tempore præsentiam. filios sponsi phrasi Hebræa appellat familiares sponsi, qui nuptias eius celebrant, & cum ipso congaudent. Hæc responsio Domini efficacior erat contra discipulos Ioannis, qui à suo magistro iam erant edocti, Christum sponsum esse, & sponsalitia celebrare; nam Ioan. 3. dixerat illis; Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum, qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.

A N N O T A T I O L X I X .

Filij sponsi nuptiarum, vel thalami qui.

Hanc primam responsionem ad discipulos Ioannis præcipue factam esse notauit Hilarus can. 9. in Matth. & ipsa metaphora à sponso sumpta did probat, quam iam Ioannis discipuli à magistro didicerant, eoque magis illi conuicti sunt. Vnde refert Chrysostomus hom. 31. in Matth. considerauit, his verbis Christum in memoriam illis reduxisse testimonium Ioannis, dicentis, qui sponsam habet, sponsus est, illud (sponsi) Græce *υμψωσος*, habetur apud Mattheum, Marcum, & Lucam; interpres vero in Mattheo, & Luca vertit (sponsi) in Marco vero (nuptiarum.) nomen autem Græcum significat, & sponsum, & thalamum sponsalem, vnde quidam legunt filios thalami: nam Enangelista in sequenti verbo (dum sponsus cum illis est) alio nomine vsus est, nempe *υμψωσος*. siue ergo dicamus filios nuptiarum, aut filios thalami, aut filios sponsi, Hebraicum est idioma: solent enim Hebræi frequenter filios appellare, qui alicui rei indulgent, aut addicti sunt, aut ea re abundant, vt filios diuitiarum, filios mortis, filios tenebrarum, & cætera. Appellatur autem hoc loco filij sponsi, qui celebrant sponsalitia cum sponso, & argumenta lætitiæ cum eo præbent; solebant enim tunc conuiuio indulgere, & vestibus lætitiæ vt; vt constat Ioan. 2. de nuptiis factis in Cana Galilææ, in quibus conuiuium factum est, & Matth. 22. in parabola de rege, qui fecit nuptias filio suo, & parauit prandium, vbi inuentus est ille, qui intrauerat sine veste nuptiali, cum cæteri omnes veste nuptiali induti essent, Hi dicuntur filij thalami & sponsi, qui veste nuptiali induebantur. Appellat autem Christus aduentus sui tempus, quando carne indutus visibiliter cum homi-

Matthæi 22.

Patrum sententia de filiis sponsi.

nibus conuersatus est, tempus sponsalitiij; per carnis enim assumptionem sibi Ecclesiam desponsauit, de qua re diximus c. 1. & in commentariis in Ioan. c. 3. in illa verba in commentario allegata (qui habet sponsam sponsus est.) Aduerte autem Mattheum vsus esse verbo lugendi: Nunquid, inquit, filij sponsi possunt lugere? quo verbo non solum significauit ieiunium, sed efficaciam dedit argumento; lucus enim, & tristitia repugnant nuptiis, & sponsalitiis, quando vestes lætitiæ assumuntur, & conuiuia festiua celebrantur. ieiunium autem ad luctum pertinet quandam; non enim verbum lugere semper significat lacrymas emittere, sed etiam tristem esse, lugubresque vestes indui, sicut dicebantur mortui per multos dies lugeri; vnde temporibus ieiuniorum vestes luctui conuenientes assumebantur, sicut in nostra Ecclesia fit temporibus ieiunii: tempus ergo ieiunii contrarium est nuptiarum temporibus. Mattheus autem vsus est tertia persona. Non possunt, inquit, filij sponsi lugere. Lucas vero secunda cum interrogatione: Nunquid, ait, potestis filios sponsi facere ieiunare? Marcus vero vsus est interrogatione, in tertia tamen persona, & simul responsione; dicit enim: Nunquid possunt filij nuptiarum, quandiu sponsus cum illis est, ieiunare? quanto tempore habent secum sponsum non possunt ieiunare. Hæc non sunt contraria, nam idem sensus est, quem Euangelistæ sequuntur, licet non semper eisdem exprimant verbis; Christus enim interrogando, & negando hæc protulit, vt illos magis conuinceret, vt Marcus retulit, siue per tertiam, siue per secundam personam locutus sit, sensus non mutatur.

A N N O T A T I O L X X .

à principio, priusquam filios procreent.

Quid sacri Doctores in huius explicatione sententiæ dixerint explicadū est, ad perfectā enim illius intelligentiā hæc cōsideratio cōducit: in primis Ambrosius in presenti, qui filij sponsi dicuntur, interpretatur, nimirū eos esse, qui regenerati sunt in Christo, quos filios cōubij appellat; in eademque sententiā est Hieronymus dicens, qui ex cōubio Christi cū Ecclesia nati sunt, dici filios sponsi. Euthymius vero Mat. 9. dici filios sponsi asserit, qui erant sponsæ familiares. cuius opinio accommodatior est; cum enim Christus vtatur similitudine, necesse est explicare, qui in metaphora dicerentur filij sponsi, vt postea discipulis id nomen aptari possit, vt autem diximus, Hebraismus est; dicuntur enim filij sponsi, familiares, & noti, ac domestici, qui nuptiarum festiuitati interfunt, & sponso congaudent, non solum sponsæ, vt putat Euthymius, sed etiam sponsi, vt affirmat August. lib. 2. de consen. Euang. c. 27. Vtriusque enim familiares, & noti festiuitati interesse solent; eaque ratione Apostoli dicti sunt filij sponsi, quia Christo Ecclesiam suam conuocant, & velut spondenti primæ fide, & sequela adhæserunt, velut eius festiuitatem celebrantes. ratio ipsa hanc probat interpretationem. Non enim qui ex sponso, & sponsa nati sunt, filij sponsi hoc loco dici potuerunt; eo enim tempore, quando filios habent, non celebrantur sponsalia; sed

Secundo. idem Ambrosius in præsentibus ieiunium hoc interpretatur priuationem mensæ Domini, nempe, cibi corporis, & sanguinis Christi in Sacramento, à quo ieiunant, qui in Christo non sunt regenerati, quique vitii se dedunt: at regenerati, qui filij sponsi sunt, & à vitii abstinent, non ieiunant, quia corpore, & sanguine Christi pascuntur. Ita vero interpretatio non historica, sed spiritalis est; nam Christus satisfaciebat obiectioni illorum, qui reprehenderant discipulos eius, quod non ieiunarent, non autem hi loquebantur de illo ieiunio Ambrosij; nondum enim tunc institutum erat Sacramentum Eucharestiæ, sed sermo illorum erat de ieiunio corporali, quale illi obseruabant: quibus Christus respondet, discipulos suos non ieiunare illo ieiunio, & causam adfert, cur non ieiunent, Præterea ex subiunctis verbis, cum, inquit, ablati fuerit ab eis scilicet discipulis, sponsus, tunc ieiunabunt. non hic de priuatione corporis, & sanguinis sermo est, sed de corporali ieiunio; ieiunium igitur hoc corporale est, sicut ipsemet Ambrosius interpretatus est lib. 4. Epist. 13. & Hieronymus in presenti, cum cæteris patribus. Hilar. can. 9. in Matth. vtriusque ieiunii meminit, vnius ad sensum spirituales, alterius ad sensum historicum spectantis. Verba ipsius sunt: Quod præ sente sponso ieiunandi

Ieiunandi ne cessitatem discipulis suis no esse respon-

Ieiunij tepus nullum ia veteri lege inditum, quauis fuerit in caie iunandi fre-

tertio aduertendum est in huius ieiunij declar-

Leuit. 23.

Ioannes Ba-

D Vbitatio quaedam oritur de Ioanne Baptista,

A N N O T A T I O L X X I.

Euangelij existentes : Ioannes autem venit, vt legis

Venient autem dies, & cum ablatu fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.

C O M M E N T A R I A.

P Rofequitur Dominus responfionem, sensus est, non sic erit semper; modo enim

A N N O T A T I O L X X I I.

Montani qua-

E X huius sententia occasione, vt narrat Hiero-

& Maximilla, quandam aliam introduxerunt quadra-

tempore ascensus Christi in caelos celebratus est, qua-

gestima, quia in his diebus nobiscum Dominus com-

Dicebat autem similitudinem ad illos.

C O M M E N T A R I A.

P H arifaeis nunc maxime, & Scribis respondet reddens rationes, & causas, cur suis

Quia nemo commissuram a vestimento nouo immittit in vestimentum uetus:

C O M M E N T A R I A.

P Rimum argumentum sumitur a similitudine artis sartoriae, quo probat se non

A N N O T A T I O L X X I I I.

Euangelistae

Q V od ad verba spectat, illud (commissuram) Gra-

plexum, impositum, illud vero p'anos, vertunt pan-

vestimento nouo accipit fragmentum, vt insuatur ve-
stimento veteri, verba sequentia hunc sensum osten-
dunt, & rei propositae maxime quadrat: Euangelium
senim velut nouum est vestimentum; lex vero, vt ve-

ANNOTATIO LXXIIII.

Quod vero ad sensum pertinet, varia dicunt Do-
ctores, in primis Chrysostomus hom. 3. in
Matth. cui consentit Euthymius, vestimentum vetus
interpretatur discipulos, qui adhuc infirmi erant;
commisuram vero intelligunt austeritatem praece-
ptorum ieiunij, vt sit sensus, nondum discipuli mei
facti sunt firmi, nondum per Spiritum renouati sunt,
sed opus adhuc habent magna condescensione: non
conuenit pondus praeceptorum eis nunc imponere.
Hac expositio id difficultatis patitur, quod multum
detrahit discipulis Christi; si enim discipuli Ioannis
& Phariseorum ieiunabant, qua ratione poterat
Christus se excusare, quod non faceret ieiunare suos
discipulos? ob infirmitatem, & animi debilitatem;
non enim erant illi Ioannis discipuli perfectiores, qui
assidue ieiunabant, nec Ioannes Christo maior; ille
enim ieiunabat, Christus vero non.

Secundo loco Hieronymus Matth. 9. per vetus ve-
stimentum, Scribas, & Phariseos significari dicit; per
assumentum vero vestimenti noui, praecepta Euan-
gelica, quae illi, maiorum traditionibus deprauati, cu-
stodire non poterant: oportebat ergo ab illa vetusta-
te separari, veteremque hominem deponere, vt ieiunij,
& continentiae sustinerent praecepta. Huic senten-
tiae illud aduersatur, quod Dominus non excusa-
bat Phariseos, aut Scribas, cur non ieiunarent, sed
discipulos, immo illis frequenter ieiunantibus hi non
ieiunabant, non ergo accommodari huic potest, quod
Hieronymus dicit, nimirum praecepta ieiunij non
dari Scribis, aut Phariseis propter vetustatem eorum.

Tertio loco Hilarius can. 9. in Matt. longe diuer-
sum sensum adfert, qui talis est: cum Christus in
praecedenti sententia mysterium insinuasset, (vt ipse
putat) de cibo sancto, nempe corpore suo, a quo non
erant ieiunaturi fideles, excusat se hac sequenti sen-
tentia, quod non id manifestet illis Phariseis, & Scri-
bis, quia propter vetustatem eorum, & vitia capa-
ces non erant veritatis. quem sensum secutus est Isi-
dorus Pelusiotus lib. 1. epist. 57. Durus tamen est.

Quarto loco Victor Antiochenus Mar. 2. per assu-
mentum seu commissuram panni noui, & per vinum
nouum discipulos Christi interpretatur, per vesti-
mentum vero vetus, & vtres veteres, legis obserua-
tiones, vt sit sensus: cum mei discipuli sint noui tes-
tamenti praecones, sunt vt vinum nouum, & vt pan-
nus nouus; non debent ergo veterum caerimoniarum,
& obseruationum legibus obstringi, quae sunt, vt ve-
stimentum vetus, & vtres veteres. Huic expositio-
ni illud aduersatur, quia ieiunium, de quo ageba-
tur, non erat de numero obseruationum illarum, &
caerimoniarum, quae reuocandae erant; si enim tale
esset ieiunium, non diceret Christus postea illos ieiun-
aturos, sed omnino, & absolute, negaret ieiunare
debere.

Quinto loco Tertullianus lib. 4. contra Marcione
per vetus vestimentum, & vtres veteres legem illam
Moyse significatam dicit; per nouum vero vestimen-
tum, & vinum nouum, Euangelium, eiusque prae-
cepta: voluit ergo Dominus separare vetus a nouo
testamento, docens non esse vnum cum altero con-
iungendum. hanc Tertulliani interpretationem pos-
sumus accommodare huic sententiae, vt discipuli,
quamdiu sub illa lege erant, vestimenti veteris simili-
tudinem gerant, quibus praecepta ieiunij, quae ad Ec-
clesiam, & Euangelium spectabant, non erant dan-
da, donec ab illa vetustate renouarentur lege il-

lus, non ergo conuenit, partem Euangelicae disci-
plinae miscere cum lege illa Moesaica. In sequenti-
bus haec notiora fient.

la reiecta.

Sexto loco Augustinus lib. 2. de consensu Euang. Ieiunium
cap. 27. & fufius, & lucidius lib. 2. quaest. Euang. Ieiunium
cap. 18. duplex distinguit ieiunium, vnum, quod
ad humilitatem tribulationis pertinet, & ad Deum
pro peccatis propitium faciendum ordinatur; alte-
rum, quod in gaudio est, cum tanto minus delectant
carnalia, quanto spiritualium maior est sagina, cum-
que mens in spiritualia suspensa quodam modo a ci-
bis alienatur corporalibus. De vtroque dicit Augu-
stinus Dominum respondisse, quando interrogatus
est, cur discipuli non ieiunarent. Nam ad illud, quod
in tribulatione fit, pertinet, quod dicitur, cum abla-
tus fuerit sponfus, tunc ieiunabunt, quasi desolari,
& morientes, & lugentes, donec eis per Spiritum san-
ctum gaudia consolatoria tribuantur: Quo dono per-
cepto, etiam alterum ieiunii genus, quod fit per laci-
tiam, iam renouati in vita spiritualem, conuenientissi-
me celebrabunt. Hoc ieiunium tam tribulationis
quam gaudij Christi est, & hoc discipulis traditurus
erat, sed excusat se, quod tunc temporis non tradat:
nam si traderet solum ieiunium tribulationis, & cor-
porale, doctrina temperantiae esset imperfecta, sicut,
qui partem a vestimento nouo scinderet, vt veteri in-
sueret, nouum imperfectum remaneret. Sensus ergo
secundum Augustinum est: Discipulis non iniun-
go ieiunium hoc vestrum corporale, quod tribula-
tionis est, & quod postea mei discipuli obseruabunt,
quando ablati ego ab eis fuero, non inquam trado,
quia doctrina mea ieiunii imperfecta manebit, sicut
qui vestimenti noui partem insuat veteri, quia perfe-
ctum ieiunium meum est coniunctum cum ieiunio
gaudij, quod non nunc dico, quia adhuc discipuli
sunt infirmi, & similes vtribus veteribus. Similitudo
igitur de vestimento spectat ad probandum non de-
bere tradi ieiunium tribulationis, ne doctrina scin-
datur. Similitudo secunda deseruit ad probandum,
integram ieiunii doctrinam non esse tradendam pro-
pter infirmitatem discipulorum, eo maxime, quia
ieiunium gaudij non a ciborum tantum concupiscen-
tia, sed etiam ab omni laetitia rerum temporalium
abstinentiam complectitur. Hac est sententia Augu-
stini explicata: quae in hoc probanda est omnino, quod
hanc similitudinem primam inductam dicit, vt osten-
dat Christus partem doctrinae suae non esse traden-
dam illis in lege adhuc viuentibus, ne doctrina scin-
datur, quod sequenti sententia explicatur. Quod ve-
ro totam hanc sententiam de solo ieiunio interpreta-
tur, non admodum probo, sed existimo loqui de Euan-
gelica doctrina, & institutione, cuius pars est do-
ctrina ieiunii, tam tribulationis, quam gaudij, quam
non tradit discipulis in lege positam, ne pars scinda-
tur a tota, videaturque imperfecta. nec tamen totum
trahit Euangelium, quia sunt vtres veteres discipu-
li, dum sub lege sunt, nondum per Spiritum sanctum
renouati perfecte. Similitudo ergo vestimenti indu-
citur, vt ostendat se non tradere illis disciplinam ie-
iuniorum, ne scindat doctrinam suam, quae plurima
alia continet, sitque similis homini rumpenti nou-
um vestimentum, vt partem insuat veteri, quo si-
gnificat Christus se habere nouum, & perfectum in-
stitutum mundo manifestandum.

Dicit quispiam: Ieiunium erat in lege veteri: nam
ieiunabant Pharisei, & Ioannis discipuli, ac ipse
Ioannes, & multi alii, vt ex Scriptura constat, cur
ad Euangelium dicitur pertinere? Respondeo, legis
ieiunia

ieiunia multum a ieiunijs Euangelij distaret, illa enim
non erant lege praescripta, haec vero Ecclesiae praece-
pto stabilita sunt: illa incerta, nec temporibus deter-
minata, nostra vero distincta per quadragenas, vigi-
lias, & statuta tempora: in illis ciborum qualitas
non discernebatur, in nostris delectus est ciborum:
illa ad carnis concupiscenciam frenandam, & corpo-
ris macerationem magis spectabant; nostra ad mentis
potius eleuationem, & a sensibus corporeis, rebusque
carnalibus abstractionem. Praeterea illud Iudaicum
ieiunium in abstinentia a corporalibus cibis maxime

positum erat; at nostrum praeter hoc, etiam spiritua-
le est, & positum in abstinentia, quae est in sermoni-
bus, in genere conuersandi, in familiari congressu,
cum iis, qui vsui esse possunt, ita vt affectatio disci-
plinae, quae fit per abstinentiam a cibis, transeat in
spiritualem mentis exercitationem; in hunc enim fi-
nem ieiunamus. Haec sunt Basilii in commentarijs in
Isaiam c. 1. propter haec ieiunium suum quasi Euan-
gelicum noluit Christus cum lege veteri miscere,
nec discipulis iniungere, suo tempore reseruans.

Alioquin & nonum rumpit.

COMMENTARIA.

Prosequitur similitudinem, adfertque duo inconuenientia, quae sequuntur eum,
qui tollit de vestimento nouo fragmentum, vt insuat veteri. vnum est, scinde-
re vestimentum nouum, quod erat preciosius veteri, quod est imprudentiae, & stul-
ticiae; maius enim detrimentum sibi facit, cum destruat melius, vt iuueniat dete-
riori. Hoc inconueniens esset, si partem disciplinae Euangelicae traderet vna cum
lege, ad supplendam veteris instrumenti imperfectionem: nam Euangelica perfectio
occultaretur, & diminuta videretur, cum non tota appareret, & traderetur, sed
particula eius.

ANNOTATIO LXXV.

Expositio in
commentario
tradita confir-
matur.

Euthymius Matth. 9. multo aliter interpretatur
hanc sententiam, nempe quod nouum rumpat ve-
tus; fragmentum enim panni insutum veteri, fortitu-
dine sua partes veteris trahit ad se, & maiorem facit
scissuram, vnde intelligendum putat nomen (vetus)
vt nouum rumpat id, quod vetus est. Hac interpre-
tatio multorum est, tamen ei non acquiesco, sed con-
trarium existimo esse sensum; verbum enim illud
(rumpit) construitur cum eo, qui immittit commi-
suram de nouo vestimento in vetus; is enim rumpit
nouum. Et aperte id verba Lucae indicant; nihil enim
de veteri dicit, sed absolute inquit, (nouum rum-
pit) verba etiam sequentia hoc ipsum ostendunt: nam
cum de fragmento vellet loqui, adiunxit (& non con-
uenit commissura a nouo veteri) si autem illud (rum-
pit) ad commissuram referretur, quasi commissura
nouum rumperet vetus, satis erat dicere, nouum rum-
pit, & non conuenit veteri: at non sic loquitur, vt
significat illud (rumpit) connecti cum eo, qui im-
mittit commissuram. Hunc sensum sequutus est
Chrysostomus, si verus est interpretus eius: nam hom.
3. in Matth. citans hunc locum Lucae, habet (nouum
scinditur) & eundem sensum expresse adfert Augu-
stinus lib. 2. quaest. Euang. cap. 18. vt supra notau-
imus. Huic etiam sensui fauent verba Matthaei; habent
enim sic: Nemo immittit commissuram panni rudis in

vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius a ve-
stimento, & peior fit scissura. Illud (tollit), coniu-
gitur cum eo, qui immittit: is enim tollit plenitudi-
nem vestimenti, quae est autem ista plenitudo, nisi ve-
stimenti noui, a quo fragmentum scinditur? nam ve-
tus cui insuitur, plenitudinem non habet, alias non
erat opus supplemento: plenitudo igitur est vesti-
menti noui, cuius pars scinditur, vt suppleatur ve-
tus, sitque peior scissura. nam peior est scissura noui
quam veteris vestimenti, cum illud sit pretiosius. At-
que hic sensus maxime accommodatur, nam in Euan-
gelio peior fit scissura, si particula vna tradatur, &
copuletur legi; plenitudo enim, & perfectio Euan-
gelij diminuta, & imperfecta iudicabitur, & appare-
bit, quod est maius inconueniens, quam eras, si lex
ipsa vetus sola maneret, & sine additamento, quauis
imperfecta. Hieronymus autem, qui priorem
sensem sequitur, & communem, sic interpretatur,
si praecepta Euangelica traderentur iis, qui in lege
erant, fieret peior scissura, & rumperetur vetus ve-
stimentum, quia illi, qui in lege erant, non valentes
custodire simul Euangelium, totum proicerent, &
credulitatem, quam habere videbantur, amitterent.
Mihitamen, vt dixi, accommodatior videtur expo-
sitiio altera, quae in commentario habetur, & magis
conuenit cum verbis Euangelistarum.

Et veteri non conuenit commissura a nouo.

COMMENTARIA.

HOC est alterum inconueniens, quod sequitur cum, qui de nouo vestimento
resarcit vetus; deforme enim efficit vestimentum: nam cum nouum forma, &
colore sit diuersum a veteri, non conueniunt inter se, sed dissimilitudinem habent,
quod oculis aspicientium deformitatem, & turpitudinem quandam efficit. tale quid
accideret, si cum legis obseruantia pars dogmatum, & disciplinae Euangelicae trade-
retur, & cum illa vetustate, & imperfectione sacrificiorum, & sacramentorum, ac
vibrarum legis particula perfectionis, & veritatis Euangelij procederet. Vnde
Dominus in figura loquens, praecipit Deuteron. 22. dicens: Non arabis in boue,
& asino simul, neque indueris vestimento, quod ex lana, linoque contex-
tum est.

Deuteron. 22.

Reicitur Marcionis error.

Tertullianus lib. 4. contra Marcionem hac sententia vitur contra eundem, qui alterius Dei vetus, alterius nouum testamentum asserbat; contra quem ille argumetur, nam ex hac sententia constat eundem esse Dominum noui & veteris vestimenti; qui enim fragmentum noui insuit veteri, habere conuincitur nouum, & vetus; vnus igitur est Deus, & noui, & veteris testamenti. quod si vnum separavit ab altero, noluitque vtrumque simul coniungere, non id fecit, quia vnum est contrarium alteri, sed quia diuersum, & vnum altero est perfectius; cessat enim

etas imperfecta, cum aduenit matura.

Obiicere autem quispiam posset, quod Apostoli circumcisionem, & legis multas obseruantias cum Evangelica doctrina seruabant. Respondeo id factum esse ad breue tempus, vt Synagoga cum honore sepe- lleretur, vt ostenderent illam legem a Deo fuisse, nec eam obseruabant, aut obseruari faciebant, tamquam obligatoriam, aut vim habentem, sed vt eam, quae prius sancta erat, & iusta, ne fidelibus contemptui esset, quasi prius bona non esset.

Cur Apostoli obseruantias legis multae cum doctrina Evangelii seruauerint.

Et nemo mittit uinum nouum in utres ueteres.

COMMENTARIA.

Secundum argumentum ab altera sumit similitudine, quo probat, non conuenire, se totum suum institutum docere discipulos, quamdiu sub lege illa erant; priori quidem similitudine probauit non expedire partem instituti, ad quam ieiunium pertinebat, tradi cum legis obseruantia, ne & institutum Euangelij diminutum uideretur, & ne indecorum quid, & deforme appareret legi diuersae pars Euangelij insuta. Nunc autem ostendit non etiam expedire totum Euangelij institutum vna cum legis obseruantia docere; esset enim perinde ac si quis uinum nouum in utres ueteres mitteret.

ANNOTATIO LXXVII.

Non est haec similitudo eadem cum superiori.

Communis sententia est, eundem sensum vtriusque esse similitudinis, & vestimenti, & vini; mihi tamen diuersa vtrumque significare videtur, vt in commentario expositum est. fateor per vestimentum vetus, & utres ueteres significari aut vetus testamentum, aut (quod idem est) eos, qui sub lege, & veteri testamento erant; vestimento vero nouo, & uino nouo Euangelium: at uero in illa similitudine non accipitur totum vestimentum nouum, sed fragmen-

tum, quo refarcitur vetus; in hac uero non pars uini sed totum mittitur in utres ueteres, quo significatur non solum non partem Euangelij tradi cum legis illius obseruantia, sed nec totum ipsum; unde alia inconuenientia ex priori sequuntur, quae iam explicata sunt, alia ex posteriori proueniunt, quae sequenti commentario explicabuntur. Sunt autem uariae interpretationes vtriusque, sicut & uestimentorum, quae iam recitatae fuerunt in priori similitudinis expositione.

Alioquin rumpet uinum nouum utres, & uinum effundetur, & utres peribunt.

COMMENTARIA.

DVO mala sequentur, si quis uinum nouum in utres ueteres miserit; uinum enim nouum praevigore, & potentia sua rumpet utres, & sic uinum effundetur, quod vnum malum est; & utres peribunt, quod malum alterum est. similia haec euenissent, si Euangelium cum lege illa obseruandum traderetur; qui enim sub illa lege fuissent, nimio pondere pressi, nec legem obseruassent, nec Euangelium; onus enim efficeretur insupportabile, quod Petrus Act. 15. optime intelligens, iis, qui Euangelium vna cum lege obseruandum praedicabant, sic locutus est: Quid tentatis Deum? imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus? Nota uerbum (tentatis Deum) quia Euangelium vna cum lege onus fit supra modum graue, & asperum, cum & sola illa lex onus graue esset.

Sed uinum nouum in utres novos mittendum est, & utraque conseruantur.

COMMENTARIA.

Perficit similitudinem, uinum nouum infundi debet in novos utres, tuncque tam uinum quam utres conseruantur. sic Euangelium tradendum est hominibus nouis, ab illius legis iugo, & obseruantia liberatis, vt, toti se dedant Euangelio, iuxta illud Galat. 2. per legem legi mortuus sum, vt Deo uiuam, quasi diceret: per Euangelium, quod lex spiritualis est, mortuus sum veteri legi, quia eius obseruantias reliqui, vt Deo uiuam, eius Euangelium obseruans. Euangelium ergo lege veteri abiecta hominem conseruat, & saluat, ea uero non abiecta, sed retenta rumpit, & damnat, Gala. 5. Si circuncidamini, Christus uobis nihil proderit.

ANNOTATIO LXXVIII.

Iusti cur utriusque comparantur.

Iustus utriusque comparatur, qui sub lege erat, utri ueteri; qui autem sub Euangelio, utri nouo. In-

primis iustus conseruetur utri, qua autem ratione id fiat, docet Ambrosius ser. 11. in psal. 118. vers. 3. ubi sic habet:

habere. Vter dicitur iustus, uter namque de exuijs sic animantis mortuigitur & nos moriamur peccato, vt uiuamus Deo, atque repleti Spiritus iucunditate, & suauitate laetitiae, erimus exuijs spirituales, carentes infirmitate corporea, & integro mentis sinu infusam nobis diuinorum mysteriorum gratiam referuantes. Haec ille. Similitudo igitur in duobus consistit. vnum est, sicut uter ex animantis carne ablata fit; sic iustus licet in carne sit, non secundum carnem uiuit, & quasi corium est a carne separatum, quia corpus habens non uiuit secundum corporis passiones. Alterum est, uter loco carnis, uento, seu aereo spiritu repletur: sic iustus Spiritus sancti donis plenus est, & secundum Spiritum uiuit. Haec ex Ambrosio habemus, ubi hunc locum Lucae allegat. Erant autem iusti in veteri etiam lege, sicut & nunciat illi erant, quasi utres in pruina.

Phil.

& gelu, qui nimio frigore contracti non capiunt tantam quantitatem, nec aeris, nec liquoris infusi: iusti uero in Euangelio similes sunt utribus aestiuo tempore, qui caloris copia extenti accipiunt multum liquoris; abundantior enim copia donorum Spiritus, & gratiae, & virtutum facta est in Euangelio, quam in lege. Praeterea illi erant utres ueteres; nam lex illa imperfecta erat; nihil enim ad perfectum adduxit lex, & tempore ipso inueterascebat, quia properabat ad finem, quem habitatura erat per Euangelium. At lex Euangelica perpetua, & perfecta cum sit, homines facit utres novos. Adde, illi non habebant Sacramentum renouationis Spiritus, quale nos habemus; idcirco per utres ueteres significantur; nos uero per novos. de qua nouitate illud est Rom. 7. Seruiamus in nouitate Spiritus, & non uetustate litterarum.

Et nemo bibens uetus, statim uult nouum; dicit enim: Uetus melius est.

COMMENTARIA.

Tertium argumentum sumitur etiam a similitudine, quae significat seruantibus legem non debere Euangelium tradi, nisi prius illa cessauerit, quia assuetus illis obseruantijs, & in eis nutritus, dum illa vigent, non habet rectum iudicium, sed praefert uetera nouis etiam melioribus; multum enim in hominibus consuetudo etiam praua potest, & difficillimum est assuetis noua quasi meliora ostendere. Hoc significat Dominus similitudine hac; qui uetus, inquit, bibit uinum, non uult statim nouum bibere, quia praefert uetus nouo: at si deficiat uetus, facilius recipit nouum. sic non est tradendum Euangelium dum lex est, & obseruatur; nam qui legem custodiunt, dicent, melior est lex uetus. Expectanda igitur est temporis opportunitas, quando illa cessabit, tuncque Euangelium manifestabitur. Attende comparationem, & similitudinem inter Euangelium in eo positam, non quod melius sit uetus uinum nouo, sed quod qui uetus bibit, iudicat illud melius, etiam si non sit, praesens consuetudine, quia assuetus est illud bibere, non autem nouum.

ANNOTATIO LXXIX.

Magis confirmatur expositio non tradita.

VIS argumenti consistit in illo aduerbio (statim); dum enim uetus bibitur, & illius copia est, uinum nouum reijcitur; ueteri uero deficiente, nouum recipitur: sic dum lex illa uetus uigebat, nec completa erat, Euangelicum institutum tradi non debuit, non quod melius, & perfectius non esset, sed quod a Iudaeis suo illo ueteri testamento assuetis postponeretur. Multae sunt rationes, ob quas adueniente Euangelio cessare debuit lex illa, quas tradit Paulus in epist. ad Galatas, ex quibus duas nunc producam. vna est, quae habetur cap. 3. Lex, inquit, praedagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificaremur; at ubi uenit fides, iam non sumus sub praedagogo. Altera est c. 4. Quato, inquit, tempore paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre; ita & nos cum essemus paruuli sub elementis mundi eramus seruientes; at ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Haec Paulus. Quia igitur lex illa erat praedagogia paruulo-

Cur adueniente Euangelio lex uetus cessauerit. Galat. 3. & 4.

rum ad introducendam fidem Christi, per quam est salus, & quia qui sub lege erant, statim seruorum habebant, cum filij essent per fidem futuri, cessare oportuit adueniente Euangelio, quod fidem habet expressam, & in filiorum statu iustos collocat, adoptionemque tribuit filiationis Dei.

Euangelium quomodo lege antiquius.

Notandum est praeterea, Euangelium, si quantum ad efficaciam, & principium suum consideretur, lege antiquius fuisse; a mundi enim initio post peccatum nemo iustificatus est, nisi per fidem uenturi Christi, cuius passio, & mors credita, vt oportebat, etiam antequam fieret, remissionem peccatorum, & gratiam fidelibus penitentibus donabat, sicque ante legem, & in lege Euangelium erat; nemo enim etiam in lege per legem, sed per fidem uenturi Christi iustificatus est a peccatis, & Deo acceptus factus est; vt enim dicit Paulus Galat. 2. Si per legem esset iustitia; ergo Christus gratis mortuus est. At si Euangelium consideretur, quantum ad perfectionem, & promissionum complementum, posterius est lege illa, uinoque nouo comparatur.

Galat. 2.

FINIS CAPITIS QUINTI.

FRANCISCI
CARDINALIS TOLETI
IN SACROSANCTVM
LUCAE EVANGELIVM
COMMENTARIJ.



CAPVT SEXTVM.

FACTVM est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sarta, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus. Quidam autem Phariseorum, dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis? Et respondens Iesus, ad eos dixit: Nec hoc legistis quod fecit David, cum esurisset ipse, & qui cum illo erant? quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpserit, & manducauit, & dedit his, qui cum ipso erant, quos non licet manducare, nisi tantum sacerdotibus? & dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis etiam sabbati. Factum est autem & in alio sabbato, ut intraret in Synagogam, & doceret, & erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida. Obseruabant autem Scribae, & Pharisei, si in sabbato curaret: ut inuenirent unde accusarent eum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens, stetit. Ait autem ad eos Iesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere an male: animam saluam facere, an perdere? Et circumspexit omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus eius. Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent Iesu. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominauit,) Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, Philippum, & Bartholomaeum, Mattheum, & Thomam, Iacobum Alphaei, & Simonem, qui vocatur zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudaea, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant, ut audirent eum, & sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba querebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati, qui nunc flebitis, quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate; ecce enim merces vestra multa est in calo. secundum hac enim faciebant prophetis patres eorum. Verumtamen va vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Va vobis qui saturati estis: quia esurietis. Va vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis. Va cum benedixerint vobis homines: secundum hac enim faciebant pseudoprophetae patres eorum: sed vobis dico, qui auditis. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. benedicite maledicentibus vobis, & orate pro caluniantibus vos. Et qui te percutit in maxillam, praebe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert, quae tua sunt, ne repetas. Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quae vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis

dederitis his, à quibus speratis recipere, quae gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fuerant, ut recipiant aequalia. Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittimini. Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis & similitudinem: Numquid potest cecus caecum ducere? nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater sine eijciam festucam de oculo tuo. ipse in oculo tuo trabem non uidens? Hypocrita ecce primum trabem de oculo tuo: & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui. Non est enim arbor bona, quae facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructum bonum. Vnaquaque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo uindemiant uuam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui proferi bonum: & malus homo de malo thesauro proferi malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Quid autem uocatis me Domine, Domine: & non facitis, quae dico? Omnis qui uenit ad me, & audit sermones meos, & facit eos: ostendam uobis, cui similis sit: similis est homini adificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram. inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat super firmam petram. Qui autem audit, & non facit, similis est homini adificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluuius, & continuo cecidit: & facta est ruina domus illius magna.

CAPVT SEXTVM.

Factum est autem in sabbato secundo primo.



Deremissis multis, quae post ea, quae in fine capitis narrantur, proxime gesta sunt, quaeque Matthaeus cap. 9. refert, Euangelista noster quandam aliam calumniam à Phariseis contra Discipulos Domini factam describit, tempusque notat, ut occasionem calumniae explicet; erat enim Sabbatum secundoprimum, quando quae statim dicentur, euenerunt. Quid autem sit Sabbatum secundo primum, in annotatione sequenti expositum habes.

ANNOTATIO I.

Sabbatum secundoprimum quid.



Sabbatum secundoprimum unicum est nomen ex utroque compositum, tam Graece, quam Latine. Quod enim Latine dicimus secundoprimum, Graece δευτεροπρωτον vocant. Quid autem id sit, difficile est determinare, cum huius uocis in Scriptura mentio nulla facta sit; solum enim apud Lucam illud legimus. Quod quidem in causa fuisse existimo, ut Gregorius ille Nazianzenus interrogatus à Hieronymo, quid illud esset, non responderet, sed potius eluderet, ut ipsemet Hieronymus in Epist. ad Nepotianum refert, dicens: Gregorius Nazianzenus rogatus à me, ut exponeret, quid sibi uellet in Luca Sabbatum δευτεροπρωτον, eleganter lustrit: docebo te, inquiens, super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante, cogaris inuitus scire, quod nescis; aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiae condemnaberis. Eadem etiam de causa Ambrosium in Lucam ad sensum allegoricum confugisse

existimo; Sabbatum enim secundoprimum tempus Euangelij interpretatur, secundum, quia post legale, primum vero quia dignius est. Quod vero ad sensum litteralem spectat, proferam in medium, quae Patres antiqui de hac difficultate descriperunt.

Primo igitur loco idem Ambrosius in Psal. 47. in principio, Sabbatum secundoprimum, ipsum Sabbatum intelligit, dictum secundum, quia post Resurrectionem praeterlatus est ei die Dominicus; primum autem, quia olim erat primum. Huic expositioni obstat, quod omne Sabbatum eadem ratione dici potuit secundoprimum: at non legimus alicubi sic dictum, nisi in hoc loco, cum saepe Sabbati fiat mentio; igitur aliquid praeter commune Sabbatum significat.

Secundo Epiphanius haere. 51. Sabbatum secundoprimum illud dictum censet, quod erat ultimus dies in celebrata maxima, quae per dies aliquot celebrabatur; festum enim azymorum erat septem dierum, primus, & ultimus erat solemnissimus, utriusque Sabbatum dicebatur; nam hoc nomine non solus dies septimus

mus hebdomadæ, sed etiam omnes festiuitates vocabantur, erat ergo dies septimus Sabbatum secundoprimum, primum enim erat primus dies azymorum, vltimus vero, quia celebris vt primus erat, quasi secundoprimum Sabbatum dicebatur. similiter in festo Tabernaculorum, quod per septem dies colebatur, & octauus erat celeberrimus, sicut & primus, idcirco appellabatur Sabbatum secundoprimum. Apud Lucam vero Sabbatum secundo primum intelligit vltimum azymorum, tunc enim spicarum colligendarum tempus erat. Hæc est Epiphanijs sententia, quæ nonnullis recentioribus placet, licet ipsi eam inuenisse sibi videantur, cum tamen antiqua sit. Cui vnum maxime aduerfatur: nam si eo die Discipuli Domini spicas ad comedendum contriuisent, non habuissent occasionem Pharifæi dicendi eos facere, quod non liceret Sabbatis: nam diebus azymorum prohibebatur quidem omne opus feruile, sed non præparatio ciborum, vt constat Exod. 12. Hæc enim solo Sabbato, qui est dies vltimus septimanæ, prohibebatur.

Tertio igitur loco Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 110. quem citat, & sequitur Titus Bostrenus in hoc loco, eamque sententiam recipit Euthymius, primum ipsum diem azymorum affirmant dictum Sabbatum secundoprimum: nam est primus dies azymorum, & secundus Paschæ. Pascha enim incipiebat decima quarta die ad vespèram, & decima quinta erat prima azymorum, secundum ergo Sabbatū est, quia est post primum Paschæ, & primum etiam est, quia est primus dies azymorum, vtrumque autem Sabbatum generali vocabulo appellabatur, quia dies festi erant. Contra hanc tamen sententiam idem argumentum militat, quod contra secundam: nam die primò azymorum non prohibebatur præparatio ciborum, vnde non haberent Pharifæi de quo accusarent Discipulos, quod contererent spicas manibus ad comedendum, si Sabbatum proprie non esset, quod est vltimus hebdomadæ dies, quando nec præparare cibos ad comedendum licebat. Propter hoc igitur argumentum tenendum est, Sabbatum hoc secundoprimum fuisse Sabbatū septimum diem, quod proprie appellatur Sabbatum, quo die quiescisse Deus dicitur ab opere creationis, & quiescendum præcepisse Iudæis; quo die nec cibi præparabantur, sed præparatis pridie vescabantur, idcirco dies præcedens Parasceues, id est, præparatorius dicebatur: constat etiam ex Marc. 2. & Matth. 12. quæ eandem historiam scribentes asserunt, hæc Sabbato gesta fuisse; Sabbatum autem absolute positum illud proprie Sabbatum significat. quo argumento eueritur quorundam recentiorum opinio, asserentium in magnis festiuitatibus, quæ per multos dies celebrantur, primum, & vltimum fuisse solemniores, medios vero minus solemnem, primumque minus solemnium, qui erat post primum solemnem dictum Sabbatum secundoprimum; secundum quidem, quia

erat post primum solemnem, primum vero, quia primum erat non solemnium. Hæc tamen opinio argumento eodem fortius refutatur; non enim Pharifæis fuisse occasio murmurandi contra Discipulos, quod Sabbatis spicas euellerent, & confricarent, talibus enim diebus id opus non erat prohibitum, idemque argumentum militat contra quosdam alios recentiores, dicentes, Sabbatum secundoprimum esse secundum diem azymorum, qui erat decimus sextus Lunæ Martij, quando manipulus offerebatur, quod etiam eadem de causa stare non potest. Sabbatum ergo secundoprimum non erat quilibet dies, etiam si festus esset, sed septimus hebdomadæ. inquirendum ergo est, quid secundo primum diceretur, si tamen prius aduertamus vnum, quod Athanasius dicit hom. de semine, loquens enim de hac spicarum euulsione, inquit, esum in Sabbato pro crimine obiciunt, ipsi vero eadem in Dominum in Sabbato molliuntur; scriptū enim est de die illa, qua Dominus passus est, erat dies illa magna Sabbati. Hæc ille. in quibus verbis probandum est vnum, scilicet in Sabbato spicas euulsas, sed non sunt acceptanda duo, nempe Christum in Sabbato crucifixum, cum id factum sit in die Veneris, vt probauimus in commentarijs in Ioan. Præterea illud, nempe quod hi Pharifæi reprehenderint esum; non enim esum, sed euulsionem, & confricationem arguebant.

Quarto loco Theophylactus sic interpretatur, dicit enim quando Sabbatum illud, quod proprie Sabbatum est, præcedebat dies solemnem aliquis, nimirum in parasceus, tunc tale Sabbatum sequens dicebatur secundoprimum, quia erat post diem aliquem festū, & quasi secundum post primum. Quidam hanc sententiam eo impugnant argumento, quod Iudæi à tempore captiuitatis Babylonicæ sic temperarunt annū, vt cauerent, ne festorum magnorum vlla festiuitas coniungeretur immediate Sabbato, quod est dies septimus hebdomadæ. At vero quam à veritate aberret ista doctrina, ostendimus in commentarijs in Ioannem cap. 13. annot. 5. Argumentum igitur contra sententiam Theophylacti nullius est ponderis.

Quinto loco Chrysofomus hom. 40. in Matth. Sabbatum secundoprimum illud dici asserit, in quo præter Sabbati commune festum aliud simul celebrabatur, & propter duplicem solemnitatem secundoprimum dicebatur. Hæc duæ vltimæ sententiæ veræ sunt in eo, quod dicunt hoc Sabbatum esse vnum ex septem diebus hebdomadæ, quod communiter Sabbatū appellamus; cui aliud etiam, quod certum est, adiungi potest, nimirum inter Pascha, & Pentecostem fuisse hoc Sabbatum, tunc enim messes erant, vt spicæ colligi possent; quod vero ad ditum est, quare scilicet secundo primum dicatur, probabile est, nihil tamen certi est, quod affirmari constanter possit, nec ad intelligentiam mysterii, & sensus Scripturæ, id scire necessarium est.

Cum transiret per sata, vellebant Discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus.

COMMENTARIA.

Consulto Lucas hanc historiam præcedenti coniunxit, narrauerat enim Discipulos Christi non ieiunare; ne quis autem ex eo opinionem conciperet illos ventri deditos, & escis abundare, adnexuit hanc, quæ sequitur, narrationem; paupertas enim, & fames illos compulerant, vt spicas vellerent ad manducandum, quæ à messoribus pro pauperibus relinquebantur iuxta Domini præceptum, confricabant autem manibus spicas, quasi tritantes, vt granis à palea separatis vescerentur, quod quidem Sabbato non fecissent, nisi malo inedia nimium vexarentur.

ANNOTATIO III.

Discipuli vel-
lentes spicas
immerito ar-

Matthæus cap. 12. addit: (esurientes coeperunt vellere spicas) Marcus autē cap. 2. Coeperunt, in-

quæ, progredi, id est, iter faciētes, seu inter viā, velluntur de legis transgressione. Quod autē ad sēsū spectat, aduerte Leuit. 19. &

19. &

19. & 23. Deū sic præcepisse: Postquā messueritis segetē terræ, non secabitis eā vsque ad solū; nec remanentes spicas colligētis, sed pauperibus, & peregrinis dimittētis eas. Ego sum Dominus Deus vester. Hæc ibi. Ex his erant spicæ illæ, quas colligebant Apostoli. Vnde recte notauit Irenæus lib. 4. cap. 20. hoc, quod nunc Apostoli fecisse dicuntur, non fuisse lege prohibitum. Hieron. Matth. 12. asserit præ nimia hominum importunitate aliquando nec vescendi locum Discipulos habuisse, ideoque quasi homines esuriuisse. Potest etiam non improbabiler dici, aliquando etiam citra importunitatem, ciborum copia caruisse; pauperes enim omnes erāt, & ex ijs quæ ministrabantur, vltimum comparabāt, vt constat Ioann. 12. Pöderat autem Chrysofomus hom. 40. in Matth. Discipulorum abstinentiam, sic inquit; Tu Discipulorum abstinentiam mecū admirare; admirare inquam, quomodo nullam corporis curam, nullum studium habeant; sed sine

præmeditatione aliqua, ac præparatione mensam sibi sic constituunt, vt continua fere cogantur inedia premi, neque tamen à Christo abscedant; nam nisi malo inedia nimium vexarentur, numquam certe illud in Sabbato fecissent. Hæc Chrysofomus. In eandem sententiam Hieronymus Matth. 12. sic scripsit: Quod spicas segetum manibus confricant, & inedia consolantur, vitæ austerioris indicium est, non præparatas epulas, sed simplices quærentium. Hæc ille. Athanasius hom. de semine, spiritualiter ponderat illud, quod per sata transibat: Transibat, inquit, Saluator per segetes, granum ipse nimirum frumenti per segetes, & spirituale illud granum, quod in certum locum aliquem cadens, cum multiplicibus spicis per orbem terrarum exurgit; ipse enim de se ipso dixit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Hæc ille.

Quidam autem Phariseorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet in Sabbatis?

COMMENTARIA.

NON accusant Discipulos, quod alienas spicas vellant; sciebant enim id illis ex præcepto Domini licuisse; sed quod Sabbato, quando cibos præparare non licebat, id facerent: non autem vehementi, in hoc loco (quamuis consequentia rerum id petere videbatur, cū de Sabbati obseruantia ageretur,) sed oratione quieta, & simplici criminantur, vt recte perpendit Chrysofomus. hom. 40. Cum enim nihil magnum, & sublime opus sit, quietiores sunt; cum vero solo verbo sanitatem hominibus conferri conspiciunt, quasi feroces bestię perturbati, vehementius in illum insiliunt; veneno enim inuidiæ, non religionis zelo agebantur.

ANNOTATIO III.

Concordia Evangelistarum.

Matthæus, & Marcus calumniam in Christum esse prolatam referunt, dixerunt enim: Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbatis; Lucas vero narrat ipsis Discipulis factam; Quid inquit, facitis, quod non licet in Sabbatis? Hæc autem non sunt contraria; vtrumque enim factum est: nam reprehensos prius Discipulos apud

Magistrum detulerunt. quo loco probatur diem, quādo hæc facta sunt, Sabbatum fuisse, septimum hebdomadæ diem. tunc enim non licebat cibos præparare, hoc enim opus eo solo die prohibitum erat, non autem in alijs festis, quantumuis solemnibus, vt supra notauimus, ostendentes Sabbatum secundoprimum fuisse proprie Sabbatum.

Et respondens ad eos Iesus dixit.

COMMENTARIA.

Communem calumniam tam contra se, quam contra Discipulos factam solus Christus suscipit refutandam, non solum quia cura Discipulorum, sicut & propria sui ipsius illi incumberebat; sed etiam quia calumniatorum intentio aduersus illum solum dirigebatur.

Nec hoc legistis, quod fecit Dauid, cum esurisset ipse, & qui cum illo erant? quo modo intravit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit eis, qui cum ipso erant; quos non licebat manducare, nisi tantum Sacerdotibus?

COMMENTARIA.

Testimonio Scripturæ repellit calumniam, tacite eos arguens negligentiam in Scripturis scrutandis, quod sæpe Christum fecisse supra notauimus: est autem testimonium sumptum ex 1. Reg. 21. Fugiens enim Dauid à Saul, venit in Nobæ ad Sacerdotem Achimelech, & cum esuriret Dauid cum sociis suis, nec haberet Sacerdos, quod ministraret, concessit, vt ille intraret in Tabernaculum, quod nunc dicitur domus Dei, & panes de mensis propositionis acciperet, & manducaret, quos solis sacerdotibus, vt constat Exo. 29. & Leu. 24. manducare licebat. Si igitur Dauid, qui Spiritu Dei ducebatur, & Propheta erat Domini, sacerdote ipso consentiente, prohibitis panibus vsus est in cibum, propter famem, quam patiebatur, nec haberet cibum alium, quo vesceretur, nec audebit quisquam hoc factum Dauid reprehendere, quod Scriptura vitio non dedit; cur accusatis meos Discipulos, quia die prohibito cibum præparant, & spicas vellunt, ac confricant, cum non minori fa-

me premantur, quam David tunc, & qui cum illo erant? quod enim ille fecit in cibo prohibito, hoc mei efficiunt tempore vetito; par enim est utraq; prohibitio. Docet Christus hoc exemplo diuinas hasce prohibitiones positivas non aduersari iuri naturali, quo homo suae vitae consulere tenetur, nec ita esse obseruandas, vt naturalibus necessitatibus praepoantur; nam & Sabbato licebat sanguinem emittre, venamq; scindere infirmi necessitate urgente. Attende, quo pacto amplifcet factum David: Intrauit, inquit, domum Dei, panes de mensis sumpsit, manducauit ipse, dedit alijs manducandos; quasi diceret, videte quanta fecit, quae non licebat ei facere; propter esuriam tamen ab his omnibus excusatur. Mei autem parum quid in Sabbato fecerunt, nempe spicas vellere, & manibus confricare. Quod si dicatis maiorem fuisse David meis Discipulis, ad causam nihil id facit: nam diuino praepcepto tam maiores, quam minores tenentur; immo quo maior est homo, arctius obsequi diuinis mandatis obligatur, eius enim factum maiori potest scandalo alijs esse.

ANNOTATIO IIII.

David quomodo dicatur ab Irenaeo Sacerdoti. Marcus cap. 2. addit verbum, quod sensum magis explicat, inquit enim: Numquam legistis, quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esuriit non satis ergo fuerat esurisse, sed necessitatem habuisse, scilicet, quia non habuerat cibum alium, quo pasceretur, vt diximus in commentario. Aduerte autem Irenaeum lib. 4. cap. 20. David Sacerdotem appellasse, quod huic sententiae Domini aduersari videtur, & Scripturae veteri, vbi Sacerdotes ex sola Aaron familia sumptos legimus; sed Irenaeus Sacerdotem appellauit, sequens aequiuocationem Hebraei vocabuli כהן quod & Sacerdotem, & Principem significat, sicut etiam ex 2. reg. 8. constat, vbi etiam filij David Sacerdotes appellantur, Quamuis ad me-

tem Irenaei potius dicemus, appellasse Sacerdotem non sacerdotio visibili, quo nunc vocamus Sacerdotes, qui visibile offerunt sacrificium: sed inuisibili sacerdotio, quo omnes iusti Sacerdotes sunt, & inuisibile honorum operum sacrificium offerunt; verba enim sequentia Irenaei hoc probant. nam statim adiunxit, post David etiam iustos esse Sacerdotes. Chrysostomus vero hom. 40. in Matth. negat David Sacerdotem fuisse, loquitur enim de proprio, & visibili sacerdotio. De praepceptorum autem differentia, & eorum obligatione diximus cap. 5. praecedenti, in Annot. 64. vbi illud explicuimus, Misericordiam volo & non sacrificium.

ANNOTATIO V.

Concordia Evangelij cum historia lib. 1. Regum. Marcus adiecit hoc Davidis factum contigisse sub Abiathar Principe Sacerdotum, quod multis difficultatem excitauit: nam 1. reg. 21. tempore Achimelech euenisse dicitur. Ad quam difficultatem multi sunt respondendi modi. Theophylactus Mar. 2. & ibidem Victor Antiochenus duos adferunt, vnus est, fuisse binomium: nam & Achimelech, & Abiathar dictus est: alter est, Achimelech non fuisse summum Sacerdotem, sed simplicem; Abiathar vero summus erat Sacerdos. Marcus ergo summi Sacerdotis meminit. Victor in hunc secundum modum inclinat, & videtur Ambrosius Lucae 6. eum sequi, Tertius modus est Euthymij Mar. 2. qui Abiathar cognomen fuisse affirmat eius, qui proprio nomine dicebatur Achimelech. Quartus modus est Bedae, qui Abiathar fuisse filium Achimelech dicit, qui occiso Patre, a David fuit summus Sacerdos factus, sicut erat & pater; re-

cessit enim cum David Patre relicto. Marcus ergo meminit filij, quia tunc, quando panes accepit David, aderat, & postea mansit summus sacerdos post patris occisum, regnante David. Probabilis est multum sententia illorum, qui affirmant fuisse binomium: nam haec duo Achimelech, & Abiathar, & patri occiso, & filio eius, quorum vterq; fuit summus Sacerdos, communia faciunt: nam 1. paral. 15. Sadoch, & Abiathar dicuntur fuisse summi Sacerdotes tempore David, & tamen 1. paral. 18. & 2. Reg. 8. dicitur, in diebus David fuisse Sacerdotes summos Sadoch filium Achitob, & Achimelech filium Abiathar. Necessario ergo est hoc loco Abiathar fuisse eum, qui 1. reg. 18. dictus est Achimelech, & occisus est a Saul, & Achimelech esse Abiathar filium eius, erant enim nomina vtriusque communia, & vterque binomius erat, & vterque summus Sacerdos fuit.

ANNOTATIO VI.

Num David solus, vel cum sociis fuerit, quando panes propositionis comedidit. Difficultas se offert: nam videtur locus hic non concordare cum ijs, quae narrantur. 1. Reg. 21. hic enim dicitur David dedisse panem iis, qui cum ipso erant; at vero in libris Regum dicitur solus David venisse ad Achimelech; hic enim interrogauit David, cur solus veniret; quare, inquit, tu solus, & nullus tecum? Varia dicunt recentiores in hac parte, primo quidam respondent non venisse solum, sed cum paucis, at solum dici, nullumque cum eo, non quod nulli essent, sed quod pauci, nec pro more, ac dignitate sua comitatus esset. Quidam alij dicunt solum accessisse ad Achimelech; tamen comites variis in locis reliquisse, vt eos iterum congregaret, quod verba historiae significare videntur. Nam dixit David: Pueris meis condixi in hunc, & illum locum; & a sacerdote iterum interrogatus, an pueri mundi essent, respondit; continuimus nos ab heri, & nudius tertius. Tertio loco quidam alij asserunt solum omnino venisse: Quod autem dixit de pueris, quibus indixerat in hunc, & illum locum, fuisse mendacium

officiosum, vt occultaret sacerdoti fugam suam a Saul. Haec sententia Rabbiorum est quorundam, mirandumque est eam placuisse quibusdam recentioribus Catholicis, cum plane verbis Christi sit contraria, qui affirmat David manducasse ex panibus, & dedisse iis, qui cum illo erant, manducandos. Quod si omnino solus fuit, solusque manducauit, Christi sermo efficitur falsus, immo detrahitur argumenti efficaciam: idcirco enim meminit eorum, qui cum David erant, ne Iudaei respondere possent, David vt Prophetae, & Principi id licuisse. quae responsio licet sufficiens non erat, quia nec illi licebat comedere de illis panibus, nisi urgente necessitate; tamen esset quaedam responsio apparens; quod vero ij, qui cum illo erant, manducassent, calumniantium ora obturauit. Adde Patres antiquos hanc sententiam interpretantes plane affirmasse eos, qui cum David erant, manducasse de panibus. Ita Hilarius, Ambrosius, Athanasius, alijque Doctores asseruerunt. Tenenda ergo est prima, aut secunda sententia, ex quibus prima probabilior videtur.

Et

Et dicebat illis, quia Dominus est filius hominis etiam Sabbati.

COMMENTARIA.

Post argumentum praecedens, & alia, quae Matthaeus, & Marcus referunt, concludit Dominus, se Sabbati etiam Dominum esse, cuius est tueri rem suam; Christus enim tuebatur Sabbatum a falsis doctrinis Pharisaeorum; nec solum ob id Dominum se Sabbati appellat; sed etiam quia Discipuli, si quid fecissent, quod Sabbato facere alijs non liceret, dum eum sequuntur, & comitantur, excusati essent a transgressione; sicut etiam Sacerdotes in templo opus facientes in Sabbato excusabantur. illud autem (etiam) indicat se legem habere instituendam, cuius Dominus erat, sicut & veteris, ad quam Sabbatum pertinebat. Se autem filium hominis vocat, vt moris erat, Deum autem se esse simul indicat, cum se Dominum dicit. Sumitur ex hac sententia argumentum alterum in defensionem Discipulorum, tale autem est: etiam si aliquid fecissent, quod tamen non fecerunt, quod contra Sabbatum esset, non erat, cur accusarentur; quia ego Dominus sum etiam Sabbati, & possum, vt volo, disponere de illo. Hoc verbo suam ostendit diuinitatem, sicut etiam Ioan. 5. fecit; accusatus enim de Sabbati transgressione, respondit: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, particula (quia) causalis est, & in sententia est hyperbaton, nempe verborum deordinatio, ordo enim est, filius hominis est Dominus etiam Sabbati.

ANNOTATIO VII.

Soluitur difficultas ex verbis Marci circa superioris sententiae expositionem. Hanc sententiam non generaliter de omni homine, sed de solo Christo intelligendam esse tradunt Doctores, inter quos sunt Tertullianus lib. 4. contra Marcionem: Hilarius can. 12. in Matthaeum, Chrysostomus hom. 40. in eundem Augustinus lib. Quaest. in Math. cap. 10. Victor Antiochenus Mar. 2. Druthmarus in Matth. cap. 12. & Euthymius in Matth. cap. 12. id ipsum probat verbum, filius hominis, quo Christus seipsum ita significat frequenter, vt nemo alius reperiatur a Christo sic appellatus. Hoc quidem confirmat veritas sententiae; homo enim quiuis praeter Christum non est Dominus Sabbati, sed legem potius Sabbati obligatus. Difficultatem tamen faciunt verba Mar. 2. qui hanc sententiam connectere videtur cuidam alteri a Luca praetermissae, sic enim habet: Sabbatum propter hominem factum est, non autem homo propter Sabbatum. itaque Dominus est filius hominis etiam Sabbati: nemo autem dubitat priorem sententiam de homine in generali dictam, cum igitur illa particula (itaque) sit causalis, seu illatiua, posita loco (quamobrem) aut (ergo) siue (igitur) videtur haec posterior quasi illata a priori, etiam ad hominem in generali pertinere, quod argumentum induxit Chrysostomus hom. 40. in Matth. vt diceret, secundum Marcum eam sententiam ad hominem generaliter pertinere, quod quidem inconsonum est, cum ipse Chrysostomus de Christo dictam interpreteretur. Euthymius ergo Matth. 9. hanc particulam sic interpretatur, & connectit, vt non referatur ad sequentia immediate, sed ad antecedentia, quae habentur apud Matth. dicitur enim apud Matth. Si sciretis quid est, misericordiam volo, & non sacrificium, numquam condemnasset innocentes; statim sequitur: Filius hominis est Dominus Sabbati, itaque, seu igitur male condemnatis eos, quia Domino praesente, & tolerante id faciunt. Haec est Euthymij expositio, quae quam violenta sit, nemo non videt. Quidam recentiores non minus violente sic interpretantur: Itaque permisi meos Discipulos hoc facere in Sabbato, vt ostenderem me, et si filius hominis sum, Dominum esse Sabbati. Haec autem interpretatio non solum violenta est, sed sensum ineptum facere videtur. Quidam alij recentiores supplendum asserunt quandam propositionem, ex qua fit deductio nimirum sic: Sabbatum est propter homines, ego autem sum Dominus etiam Sabbati. Quae etiam interpretatio violenta videtur, idque est potius componere Scripturas, quam interpretari: & adhuc deductio non est firma, non enim quia Dominus est hominum, consequitur, vt sit Dominus omnium, quae sunt propter homines; non enim ipse homo est dominus eorum omnium, quae propter eum facta sunt. Demum quidam alij recentiores connectunt particulam hanc non quidem sententiae proxime praecedenti, sed cuidam alteri, cuius meminit Matthaeus, licet eam Marcus praetermiserit, Christus enim suam diuinitatem ostendens, inquit: Sacerdotes in Templo Sabbatum violant; hic autem maior est templo. ex hoc dicitur ita Marcus intulisse, itaque; filius hominis Dominus est etiam Sabbati, haec autem interpretatio patitur difficultatem, nam, si Matthaeus ipse, qui illam sententiam retulit, non est vsus particula (itaque) multo minus Marcus, qui eam omisit, ex ipsa deduxit particulam talem. Praeterea, quia inter illam, & hanc aliam intercesserunt sententiae, unde durum est ad remotam recurrere. Haec sunt, quae expositores in interpretanda particula Marci (itaque) sentiunt, qui omnes in sensu sententiae conueniunt, nimirum voluisse Christum significare, se Dominum esse Sabbati, ideoque potuisse cum Discipulis dispensare, vt illud opus facerent non obstante lege Sabbati; legislator enim in sua lege dispensat. Hoc tamen non videtur probandum, cum quia non erat opus dispensatione vlla ad faciendum, quod Apostoli tunc fecerunt; quod enim ad tuendam vitam urgente necessitate sit, non erat Sabbato prohibitum, quod satis declarauit Dominus exemplo David; tum quia Christus id ostendere conabatur, scilicet Iudaeos non intelligere obseruantiam Sabbati, cum non omnia opera in eo prohibita essent, hoc autem non faceret, si opus, quod vere contra Sabbatum esset, Discipulis concessisset; tum demum quia Iudaeorum accusatio fieret multum apparens, si opus vere contra Sabbatum esset. non igitur opus id ex dispensatione Christi factum est, sed quia vere non erat contra Sabbatum, idque omnia argumenta a Christo in defensionem Discipulorum facta, manifeste probant.

Multo igitur verius Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. haec verba interpretatur, vbi affirmat Christum Dominum Sabbati se appellasse, non quod destruxerit, sed quia tuebatur Sabbatum, declarando eius obseruantiam, & quia etiam si destruxisset, quod Tertulliani interpretatio probatur Augustini.

quod vere non fecit, nullam inde transgressionem committebat. Ex hac Tertulliani interpretatione nos connexionem particulæ, & sententiæ deduximus; particula enim consecutionem indicat ex omnibus argumentis factis in defensionem Discipulorum, & obseruantia Sabbati declarationem, ex quibus Christus concludit, itaque filius hominis, id est, ego Dominus sum Sabbati: tum quia meum est declarare, & tueri ipsum à transgressionibus, & erroribus, falsisq; doctrinis in eius intelligentia; tum quia etiam si Discipuli mei aliquid opus facerent, quod vere esset contra Sabbatum, causa me sequendi, non essent transgressores, sicut nec transgressores sunt, licet in templo faciant, quod prohibitum est in Sab-

bato; ob hæc Dominum me Sabbati dico. Illud autem (etiam) insinuat Christum aliam habere legem, cuius etiam Dominus erat, sicut & veteris, ad quam Sabbatum spectabat. Hinc facile patet concordiam inter Euangelistas. Marcus hanc sententiam retulit cum particula, (itaque) quasi deductam ex omnibus argumentis antecedentibus. Matthæus vero cum particula causalis (enim) in eundem sensum, quasi diceret, hæc omnia dixi, quia Dominus Sabbati sum. Lucas etiam cum particula (quia) in eodem sensu cum Matthæo, licet quidam recentiores affirmant esse declaratiuam; referunt enim eam ad verbum (dicebat) quasi declaret, quid est, quod dicebat. Hæc omnia sibi inuicem consentiunt.

A N N O T A T I O V I I I.

Quinque argumenta repetuntur, quibus Christus Phariseorum calumniam rejicit.

Quinque argumentis vsus est Christus ad refutandam Phariseorum calumniam contra Discipulos suos, nemo quidem Euangelistarum per se omnia retulit, sed omnes simul: quæ enim vnus omisit, alter apposuit. Primum est sumptum ab exemplo David, quod omnes Euangelistæ tres descriperunt.

Alterum est, quod solus Matthæus narrat ex Scriptura etiam sumptum, Numer. 11. Sacerdotes, inquit, in templo Sabbatum violant, id est, opera faciunt, quæ Sabbatis prohibita sunt, tamen quia in templi cultum faciunt, non sunt transgressores Sabbati; lucernas enim accedunt, ligna sciindunt, & alia huiusmodi faciunt: hic autem maior est templo, id est, hoc in loco sum ego, qui maior sum templo. licebit igitur meis Discipulis, vt me sequi sustineant, Sabbatis facere opus prohibitum.

Tertium argumentum etiam Scripturæ testimonium est ex Osee 6. Misericordiam volo, & non sacrificium. quasi diceret: Achimelech elegit potius pascere esurientes, quam seruare legem de panibus, quia misericordia præponitur sacrificio, ita nunc præponitur Sabbato. Huius sententiæ sensum declarauimus cap. 5. Annotat. 64. nam eo testimonio vsus est etiam Dominus in sanatione paralytici. Hoc etiam argumentum

solus Matthæus habet. Sunt autem omnia hæc tria argumenta ex Scriptura sumpta, quod Dominus frequenter facit, vt qui legis transgressor ab aduersarijs reputabatur, legis testimoniis ostendat & legis obseruatorem.

Quartum argumentum est, cuius solus Marcus meminit, nempe Sabbatum est propter hominem, non homo propter Sabbatum, id est, ocium Sabbati Deus in utilitatem hominis instituit, non ergo debet cedere in perniciem hominis, quod esset, si vt ocium seruaret, vitæ propriæ noceret, damnumq; graue inferret corpori. hoc considerantes Machabæi, vt dicitur lib. 1. cap. 2. decreuerunt pugnare Sabbato contra aduersarios irruentes, ne dum ociarentur, ab illis occiderentur. Hoc argumentum indicat Apostolos grauiter fame vexatos tunc fuisse.

Quintum argumentum est, quod tres Euangelistæ referunt; scilicet, quia filius hominis Dominus est etiam Sabbati, quod in commentario explicauimus. Notat autem Augustinus lib. quæstion. in Matth. cap. 10. in duobus primis argumentis de David, & Sacerdotibus Christum insinuasse se vtramque habere potestatem, regiam nempe, & Sacerdotalem.

Factum est autem & in alio Sabbato, vt intraret Synagogam, & doceret.

C O M M E N T A R I A.

Altero Sabbato, nempe præcedenti proximo, intrauit Iesus, vt moris sui erat, Synagogam, ibiq; docebat, quando hæc, quæ statim narrantur, gesta sunt; Iudæi enim ægreferentes se Sabbato priori conuictos, nec habuisse quid responderent Christi argumentis, quibus suos discipulos à Sabbati transgressionem patrocinauit, iterum accedunt, vt de Sabbati obseruatione contendant, quæ Euangelista narrat, vt eorum ignorantia, & malitia innorescat, & doctrinæ veritas de Sabbato, quam Christus tradidit, propaleatur.

A N N O T A T I O I X.

Euangelistarum concordia in subsequenti facti narratio.

Matthæus cap. 12. & Marcus cap. 3. etiam huius miraculi mentionem fecerunt, connectentes cum præcedenti de spicis: hi autem duo Euangelistæ significarunt locum; referunt enim Christum Synagogam introisse, vbi quæ narrantur, facta sunt; Marcus vero etiam tempus, sed indistincte significauit, dicens, iterum introiuit, id est, non tunc quâdo spicas Discipuli confriuerunt, sed alio die. Solus vero Lucas non solum locum, sed etiam tempus distincte indicauit, nempe Sabbatum alterum ab illo, in quo discipuli spicas euulerunt, & confriuerunt manibus: addidit etiam alijs duobus Euangelistis, Christum docendi gratia Synagogam ingressum esse: notanda est autem particula (&) nempe (& in alio Sabbato, id est, etiam in alio

Sabbato) quæ non referri debet ad ingressum in Synagogam, quasi quod prius narratum est, in Synagoga euenerit, à quo egressus iterum intrauit; non enim sic facta sunt hæc: nam quod dictum est de spicis, extra Synagogam fuit, dum iter faceret per facta. referendum est ergo ad rem ipsam, & calumniæ de Sabbati obseruantia, vt sit sensus, post id, quod de Sabbato calumniati sunt Pharisei, etiam hoc idem fecerunt altero Sabbato, cum Christus Synagogam ingressus esset. Vnde particula hac insinuauit Euangelista, Phariseos quasi punctos præcedentibus argumentis Christi de Sabbati obseruantia, venisse animo iterum de eodem illum accusandi; occasionem enim non defuturam pro certo habebant.

Et erat

Et erat ibi homo: & manus eius dextera erat arida.

C O M M E N T A R I A.

A Derat in Synagoga homo habens manum dexteram aridam. Hoc Lucas præmittit, quia ex eo occasio omnium, quæ narranda sunt, sumpta est; Matthæus, & Marcus, hominem habentem manum aridam ibi fuisse retulerunt: Lucas vero manum dexteram & expressit, quia etiam si opus quantum ad miraculum idem fuit, nam eiusdem est virtutis manum dexteram, & sinistram sanaret; amen quantum ad beneficium, & misericordiam, maius opus est dexteram sanare, quam sinistram, quia homo magis indiget dextera, quam sinistra, plusque detrimenti patitur à dextera, quam à sinistra ariditate: cum autem calumnia Iudæorum maxime retundenda, & euertenda esset per misericordiæ opus, idcirco Lucas manum dexteram fuisse significauit. Dum autem absolute dicit (erat ibi homo) significat, non tantum ibi adfuisse, sed quasi in propatulo, vt facile à singulis videri posset. inde factum est, vt Iudæi obseruarent, an à Christo sanaretur, videbant enim eum, & nouerant etiam à Christo visum fuisse.

Obseruabant autem Scribae, & Pharisei, si in Sabbato curaret, ut inuenirent unde accusarent eum.

C O M M E N T A R I A.

Viderant Pharisei, & Scribae hominem, & intra se obseruabant, an illum, vt solebat, sanaret in Sabbato; non quidem, vt viso tanto miraculo, crederent, sed vt quod in Sabbato factum esset, accusarent. Magna dementia, & iniquitas hæc erat; minus enim poterat apud illos opus diuinum, vt crederent operantis diuinitatem, quam quod Sabbato fieret, vt de transgressionem eum accusarent; diligentioresque erant ad malum, quam ad bonum inquirendum.

A N N O T A T I O X.

Prætermisit Lucas, quod Matthæus narrauit, nempe Scribae & Phariseos videntes illum hominem, interrogasse Christum, an liceret Sabbato curare? Hoc autem malo animo, & sinistra intentione interrogarunt: nam & ipsum excitabant ad curandum, & ex altera parte obseruabant, an curaret, vt accusarent illum transgressionem Sabbati. Post hanc interroga-

tionem sequitur quod dicit Lucas, nempe Christum nouisse cogitationes eorum, & vt calumniatores confunderet, iussisse hominem in medium stare; ac interrogasse eos, an liceret in Sabbatis benefacere. Hunc ordinem tradidit Augustinus lib. 2. de consen. Euang. cap. 35.

Ipse vero sciebat cogitationes eorum.

C O M M E N T A R I A.

Nouit Christus Phariseorum, & Scribarum mentes, sciebatque illos iniqua intentione interrogasse, an curare liceret Sabbato, nempe vt accusarent eum, expectabant enim illum curaturum hominem illum.

Et ait homini, qui habebat manum aridam.

C O M M E N T A R I A.

NON ignarus ergo obseruationis iniquæ Scribarum, & Phariseorum, sed sciens, & prudens, hominem illum manum habentem aridam in medium stare iubet; in medium autem stare est inter illos omnes esse, ab omnibusque videri, vt verbis, & factis interrogationi stultæ, & iniquæ illorum respondeat, eosque confundat. surrexit ergo ille homo, & in medium stetit, Christi verbo obsequens, non quidem inique Christum, vt illi obseruans, sed sanitatem ab eo se recepturum sperans; non enim timebat Sabbato diuina virtute curari; surgere vero præcepit, quia ille homo prius ad audiendum verbum Christi sedebat, vt moris erat inter Iudæos, quod supra notauimus; Christus enim in Synagogam ingressus erat, vt doceret.

A N N O T A T I O L X X I I I.

Chrysostomus hom. 41. in Matth. asserit Christum iussisse hominem, vt in medium staret, eo fine,

vt Phariseos, & Scribas illius aspectu ad misericordiam prouocaret, quos calumniari paratos videbat, idque

idque probabile est, quamuis forsitan accommodatius dici possit illum in mediu[m] venire iussisse, vt opus, quod facturus erat in eo curando, manifestius fieret, etiamque vt è re ipsa presenti efficacius disputandi

contra illos sumeret argumentum: nam aspectus hominis illius ostendebat misericordiae, & diuinæ virtutis opus esse, quod erga illum fiebat in restituenda manu eius.

Ait autem ad illos Iesus: scilicet Sabbatis benefacere, an male, animam saluam facere, an perdere?

COMMENTARIA.

Mirabile est Saluatoris artificium; illorum enim calumniosæ quæstioni respondit altera quæstione, quæ illorum priorem comprehendit vocibus mutatis, qua conuincerentur veritatis, & calumnia eorum omnino euerteretur. Quæstio autem talis est, si licet Sabbatis benefacere, quasi diceret, vos interrogastis me an liceat Sabbatis curare; ego autem interrogo vos, an liceat Sabbatis benefacere, an malefacere, animam saluare an perdere, benefacere appellat miseros, & in necessitate, ac calamitate positos iuuare; malefacere vero, eos in calamitatibus, & miseriis deserere. Saluam autem animam facere, vocat hominem à morte: ueri, perdere vero mori sinere; per animam enim vita corporis intelligitur. Hac quæstione conuincebantur calumniatores; quis enim adeo rationis expers diceret, licere in Sabbatis sinere homines in calamitatibus potius, quam iuuare, cum possis, & mori eos permittere, quam eripere? Latet ergo argumentum efficax, cum curare esset benefacere, & animam saluare, non curare autem, malefacere, & animam proximi perdere, consequenter licere Sabbatis curare.

ANNOTATIO XII.

Efficax est argumentatio, quando aduersarius compellitur ex iis, quæ concessit dicere aliquid impossibile, aut absurdum. Hic est enim vnus ex elenchis Aristotelicis. Huius generis est argumentatio præfens; qui enim admitterebant, se Sabbatis non licere infirmos curare, cogebantur consequenter dice-

re, non licere in Sabbatis benefacere, nec vitam hominis saluam facere, sed sinendos esse homines in miseriis, & in periculo imminentis mortis potius, quam iuuandos, quod est dictum absurdissimum, & contra naturale lumen, & rationis dictamen, ac facere legem Domini irrationabilem.

Et circumspexit omnibus.

COMMENTARIA.

Sentientes Scribæ, & Pharisei sua responsione se esse conuincendos, elegerunt tacere, & vim argumenti silentio eludere, & veritatem taciturnitate occultare: at Christus id non permisit, sed vrget eos, vt omnes adstantes intelligerent illos omnino victos, nec habere, quid responderent, veritasque omnibus manifestaretur. Circumspexit ergo omnes circumcirca, oculos in eos conuertendo, quasi aspectu singulos inuitando, & prouocando, vt responderent; cumque illi in suo silentio perseverarent, prosecutus est argumentum suum, vt Matthæus narrat, & in annotatione explicatur.

ANNOTATIO XIII.

Praterrisit Lucas nonnulla, quæ Marcus narrauit; Marcus enim refert illos ad quæstionem à Christo factam tacuisse; cum autem tacerent, Christus circumspexit eos, vt etiam dicit Lucas. addit autem Marcus, circumspexisse illos cum ira, & contristatum esse super cæcitate cordis illorum. Nota duos animæ Christi affectus, iram, & tristitiam; iram quidem, & indignationem contra dolum, & malitiam eorum; quod malitiose slerent, ne voce veritatem faterentur: tristitiam autem super eorum cæcitate, quia adhuc in suo errore, & ignoratione permanerent, putantes non licere Sabbatis curare. idcirco auxit argumentum ab exemplo sumptum efficacissimum, & omnibus manifestum, quod refert Matthæus in hæc verba: Quis erit ex vobis homo, qui habens ouem vnâ, & si ceciderit hæc Sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? Quanto magis melior est homo oue? Itaque licet Sabbatis benefacere. Hæc Matthæus. Argumentum omnino obtu-

rabat ora eorum omnium, ideo concludit dicens: Itaque licet Sabbatis benefacere, & consequenter curare, hoc enim est benefacere. Post hæc omnia, cum iam aduersarij non haberent omnino, cuius eum accusarent, conuersus est ad hominem habentem manum aridam, & dixit, quæ sequuntur, quæque non solus Lucas, sed etiam Matthæus, & Marcus referunt. Aderat enim homo ille stans in medio omnium, dñs Christus hæc omnia loqueretur. In commentariis autem in Ioannem diximus multa de Sabbato, & eius obseruantia, id circo ab hac tractatione abstinemus. Quod vero ad verba præposita spectat, Chrysolomus hom. 41. in Matth. existimat Christum circumspexisse illos, vt aspectu suo ad misericordiam erga hominem illos prouocaret. Euthymius autem dicit circumspexisse, vt eos confunderet, accommodatius in commentario videtur dictum, vt ad respondendum excitaret, & prouocaret, vt fieri solet.

Dixit

Dixit homini, extende manum tuam.

COMMENTARIA.

Postquam eos veritatis conuicit, ostendens licere Sabbatis curare, diuinitatis suæ exeruit virtutem, & verbo manum aridam sanauit, Extende, inquit, manum tuam, quam ante præ ariditate extendere non poteras, dum extendi manum imperat, ipso imperio manui virtutem tribuit, eam sanans, vt extendi valeat, & simul sanitatem collaram ipsa extensione manifestari iubet; extensa enim manus argumentum erat omnibus videntibus sanitatis receptæ.

Et extendit.

COMMENTARIA.

Effectus virtutis verbi Christi ostenditur; ille enim extendit, ipsa extensione declarans, manum esse sanatam; nisi enim ab ariditate liberata esset, extendi non posset. simile factum est cum paralytico, qui surgere, & lectum portare iussus ipso imperio sanatus est; sanitate autem recepta surrexit, & lectum portauit, quæ sanitatis receptæ indicia, & argumenta manifesta erant. In nonnullis exemplaribus etiam Græcis legitur loco (extendit) sic (Ille autem fecit ita) sensus idem est in vtraque lectione.

Et restituta est manus eius.

COMMENTARIA.

Verbum est Euangelistæ, de miraculo testimonium reddentis: manus, inquit, restituta est, vt imperauit Christus. restituta autem manus dicitur, nõ quod prius manum ille homo non haberet; sed quod in sanitatem reuocata, ac sit effecta sana.

ANNOTATIO XIV.

In nonnullis Latinis, & Græcis exemplaribus additur verbum, nempe restituta est manus eius sana, sicut altera, & ita etiam habetur Græce apud Matthæum, & Marcum; vetus tamen interpret apud Matthæum vertit (restituta est manus sanitati, sicut altera) apud Marcum vero (restituta est ei manus) apud Lucam autem (restituta est manus eius.) Sensus in omnibus idem est. Euthymius Matth. 12. Spiritualiter interpretans, gestat, inquit, manum dexteram aridam, quisquis dexteram operationem non exercet, dico sane, virtutem. Ambrosius vero pluribus verbis eundem sensum prosequens, ait: Audisti

Domini verba dicentis: extende manum tuam, communis illa, generalisque illa medicina est, & tu qui putas te manum habere sanam, caue ne auaritia, caue ne sacrilegio contrahatur, Extende sæpius eam; extende ad illum pauperem, qui te obsecrat, extende, vt proximum iuues, vt viduæ præsidium feras; eripias iniuriæ, quem vides iniustæ contumeliæ subiaccere; extende ad Deum pro peccatis tuis; sic manus extenditur, sic sanatur, sic Hieroboam manum, cum idolis sacrificaret, contraxit, & rursus, cum Deum rogaret, extendit. Hæc Ambrosius.

Ipsi autem repleti sunt insipientia.

COMMENTARIA.

TOT ac tam manifestis veritatis argumentis miraculo confirmatis, non solum veritati ipsi non acquieuerunt, sed etiam in errore suo perseverantes peiora tentarunt contra Christum, veritatis ipsius Doctorem. idcirco dicuntur repleti insipientia, seu amentia; sine mente enim esse videntur, qui tam manifestam veritatem non perceperunt, immo cæciores effecti cæcitati iniquitatem verbi, & operis adiunxerunt; vt sequens sententia continet. insipientia Græce ἀνοία, id est, amentia, seu mentis, & intellectus priuatio.

Et colloquebantur ad inuicem, quid nam facerent Iesu.

COMMENTARIA.

NON intra solos interiores limites amentia, seu insipientia hæc se continuit, sed exterius etiam se prodidit; conspirarunt enim inter se contra Dominum, colloquentes, & studiose inuestigantes, quo modo ei nocerent, & quid mali ipsi inferrent; tanta est inuidiæ, & odij vis, vt non tantum mentem etiam veritate proposita, obscurer, sed etiam voluntatem in verba, & opera iniqua propellat.

ANNOTATIO XV.

Phariseorum
amentia ma-
nifestior fit.

Matthæus cap. 12. hanc sententiam magis explicat; sic enim habet; exeuntes Pharisei consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. Marcus autem cap. 3. explicatius inquit: Exeuntes Pharisei statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent, id est, consilium occidendi eum inierunt; sic enim interpretatur Athanasius in Apologia, de fuga sua. in his idem est sensus, nec vlla dissonantia cum verbis Lucae. Addit autem Marcus Iesum tunc secessisse ad ma-

re, & multam turbam cum eo, quæ erat à Galilæa, & Iudæa, & à Hierosolymis, & Idumæa. Matthæus autem dicit Iesum scientem illorum nequam consilium secessisse inde, multosque eum secutos esse, eosque curasse, & ipsis præcepisse, ne manifestum eum facerent. quo testimonio utitur Athanasius loco proxime citato, ut probet licere in persecutione fugere, & hostium furorem vitare. Lucas vero hæc alia prætermittens, vocationem discipulorum ad Apostolatū narrat, ut in sequentibus sententiis explicabitur.

Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare.

COMMENTARIA.

Consilium horum Christus sciens, secessit à loco illo, turba multa ex variis locis confluente, de qua multos infirmos curauit, ut refert Matthæus cap. 12. alios à dæmone obsessos liberauit, ut narrat Marcus cap. 3. Illis ergo tunc diebus factum est, ut semel iam nocte propinquante, relicta turba in montem se reciperet orandi causa. Diebus enim cum turbis erat prædicans, & miracula faciens, noctibus vero secretiora loca turbis relictis cum discipulis sepe solus adibat, ut orationi vacaret. Hoc nunc factum est. Vnde recte Gregorius lib. 28. mor. c. 6. hæc verba exponens, inquit: Cum in vrbe miracula faceret, & in monte orando continue pernoctaret, exemplum suis fidelibus præbuit, ut nec contemplationis studio proximorum curam negligant, nec rursus cura proximorum immoderatus obligati contemplationis studia derelinquant, quatenus nec amorem Dei præpediat amor proximi, nec amorem proximi, quia transcendit, abiiciat amor Dei. Hæc ille.

Et erat pernoctans in oratione Dei.

COMMENTARIA.

Non obiter Deum orat, sed in oratione Dei pernoctat, id est, tota nocte Deum deprecatur. Electurus enim mane Apostolos, integra nocte Christus homo Patrem orat pro eis, ut tales efficiantur, quales tanto muneri subeundo esse debebant, exemplumque præbeat iis, qui Ecclesiastica munera distribuunt, ut Deum prius oratione recurrant.

ANNOTATIO XVI.

Quibus de
causis Chris-
tus orauit.

Cyprianus de orat. Dominica, causam huius orationis vnam adfert, sic inquit: Non verbis tantum, sed & factis Dominus orare nos docuit; ipse orans frequenter, & deprecans, quid facere nos oporteret, exempli sui contestatione demonstrat, sicut scriptum est: Exiuit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei. Quod si ille orabat, qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem iugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus non pro se; quid enim pro se innocens precaretur? sed pro delictis nostris. Hæc ille. Ambrosius autem ser. 20. in psal. 118. vers. 4. hanc & aliam causam huius orationis profert. Verba Ambrosij sunt hæc: Inuenio in Euangelio, quod Dominus Iesus multorum affectus, & officia suscepit, ut doceret, quo modo nos in his cõuersari oporteret officij; suscepit personam pastoris, & ait: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis. Suscepit aduocati personam, & pernoctabat in oratione pro nobis, ut nos suo informaret exemplo, quemadmodum veniam nostris debeamus exorare peccatis. Non enim ideo pernoctauit, quasi qui aliter Patrem nobis conciliare non posset, sed vt qualis aduocatus esse debeat, demonstraret, qualis sacerdos, vt non solum diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat precator assistere. An impetrandi egebat auxi-

lio, qui facere ipse poterat, quod rogabat? Hæc, & alia Ambrosius. Hæc duæ causæ veræ sunt, tamen generales; huius autem orationis propria causa est, quam in commentario explicuimus, nempe pro Apostolis paulo post eligendis orasse. Sicut enim discersurus ad Patrem, & illos in mundo relicturus orauit pro eis; ita etiam nunc electurus eos, & ad Apostolatam vocaturus pro eis preces fudit, vt Patri essent accepti, & tanto munere digni fierent; maximum enim opus erat Apostolorum electio. Aduerte autem, quamuis Christus non quidem vt Deus, sed vt homo orasset, non tamen indignis oratione: quippe qui ex vnione hypostatica, quia filius Dei erat, perfectam impetrandi rationem, & meritum habuerit: vsus tamen est oratione, ieiuniis, aliisque actibus similibus, vt pluribus modis impetraret, quod sibi iure vnitate diuinitatis debebatur, omnibusque viis Patri placeret, nostramque salutem mereretur. quamuis ergo nunc sciret, qui electi erant à Patre in Apostolatam, & quales futuri, & sola voluntate impetrare eis posset omnem sufficientiam; orare tamen voluit, & oratione ipsa quasi nouo modo impetrare, quod iam antea meruerat incarnatione ipsa; quo facto dedit etiam nobis exemplum, vt iis, quæ in Dei obsequiū facturi sumus, orationem præmittamus, maxime autem hæc præmitti debet ab iis, quibus incumbit ministris Ecclesiis præficere, vt diximus in commentario; idque congruentibus rationibus. Primo quidem, quia cum

non

non eligentiū proprium, sed in Dei mysteriū ministri eligantur, consulendus est Deus ipse, & rogandus, vt suggerat eis, qui eligunt illos, qui sibi grati sunt, & digni iudicantur, ob id namque dicitur pernoctasse in oratione Dei, vt significaret in electionibus ministrorum Ecclesiæ nõ attendi debere placere hominibus, sed Deo, cuius ministri futuri sunt. Secundo,

quia cum ex ministris graue damnum, aut emolumentum magnum fidelibus proueniat, incertumque sit & fallax humanum iudiciū, orare oportet Deum, cui omnium corda sunt manifesta, & quæ futura, præsentia, vt sua inspiratione animos eligentium illustret ad digniores, & aptiores, vtilioresque ministros instituendos.

Et cum dies factus esset.

COMMENTARIA.

Dei tempus expectauit ad Apostolos eligendos, significans non legis illius, sed Euangelij ministros futuros; legis enim tempus nocti, Euangelij vero diei comparatur, vt Paulus Rom. 13. docet: Nox, inquit, præcessit; dies autem appropinquauit: nam quæ lege continebantur mysteria, vmbra erant eorum, quæ per Euangelium manifestantur.

ANNOTATIO XVII.

Qui sint in mi-
nistros Eccle-
siæ eligendi.

Praeter id, quod in commentario notauimus, est etiam alterum, quod Dominus significauit, nempe neminem esse eligendum in prælatum, aut ministrum Ecclesiæ, nisi probatum, & cognitum, sicut in die corpora, quæ nocte occultabantur, discernuntur. quod Leo epist. 85. ad Episcopos Africanos, tradit, explicans illud 1. Tim. 5. Nemini cito manus imposueris: Cito, inquit, manus imponere est ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem dignitatem conferre non probatis. Chrysostr. etiam lib. 4. de sacerdotio, verba habet notanda: Neque, inquit, eos, qui elegerint, subleuare quicumque poterit, si dixerint ignorasse se eum, quem elegere; verum vel hoc ipso crimen grauius efficitur, quod quem ignorauerit,

perduxerint; ac certe quæ illis videtur excusatio, accusationem auget. Nam quomodo id absurdum non sit, eos, qui mancipium aliquod empturi sunt, id tum medicis ostendere, tum emptoris sponsores postulare, tum vicinos interrogare; at ne tunc quidem adhuc confidere, quinimmo, & diuturnum aliquod tempus poscere, intra quod probare illud possint; eos vero, qui quempiam ad Episcopale munus huiusmodi coaptaturi sunt, sicut placitum sit, ad aliorum, vel gratiam, vel inuidiam, testimonium suum accommodare, ita eum temere, ac vt casus tulerit adlegere, nulla prorsus alia discussione facta? Hæc ille. Sunt multa huiusmodi Patrum testimonia, quæ in re manifesta non est necesse cumulare.

Vocauit Discipulos suos.

COMMENTARIA.

Discipulos vocat, significans neminem se ingerere debere in huiusmodi prælationes, & Ecclesiastica ministeria, dicente Paulo Hebr. 5. Nec quisquam sibi honorem assumit, nisi qui vocatur à Deo: qui enim hæc procurant, eo ipso se indignos ostendunt, ac ab eis repelli debent. Recte igitur Bernardus lib. 4. de consideratione dixit; Non volentes, neque currentes assumito, sed constantes, & reuertes. Hos etiam coge, & compelle intrare.

ANNOTATIO XVIII.

Reprehensi-
biles sunt qui
non vocati ad
Ecclesiasticas
dignitates.

Marcus cap. 3. Vocauit, inquit, ad se, quos voluit ipse. quibus verbis significat auctoritatem diuinam, qua Apostolos creauit. Vocauit autem ad montem, vt altitudinem ministerij, ad quod eligebantur, indicaret. Attende autem sacros Canones, & ciuiles leges eos, qui non vocati se propria voluntate in huiusmodi officia, Ecclesiasticaque dignitates ingerunt, maxime reprehendere, & indignos reputare. extat Canon. d. 61. ca. miratur. ex Leone Epist. 85. vbi sic habetur: Principatus, quem seditio extorsit, aut ambitio occupauit, quamuis moribus, & actibus non offendant, ipsius sui tamen initio est perniciosus exemplo; & difficile est bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Extat etiam cap. Per vestras. de iur. patron. ex Innocentio, vbi instituit, ne Patronus, etiam si Clericus possit se præsentare, quia valde indignum est in huiusmodi officij institui non vocatos. Præterea leg. Si quemquam. Cod. de Episc. & Clericis: Queratur, inquit, cogendus, qui rogatus recedat, inuitatus fugiat, profectio, inquit, indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus, quod etiam habetur can. Sicut is. 1. q. 6. His illud adiungendum est, non semper vo-

canti esse acquiesciendum, quando vocatus agnoscat se muneri, ad quod vocatur ineptum. Quod optime Chrysostr. lib. 4. de Sacerdotio docuit, dicens: Decere arbitror, vel si te eo sexcenti vocent, atque adeo cogant, non illos spectare; verum animi sui dotes prius examinare, viresque tuas omnes exacte perscrutari, atque ita demum cogentibus cedere. Nā domum aliquam ædificaturum polliceri se nemo audeat, qui idem Architectus non sit; neque ægrotantia contingere corpora quispiam aggreditur; qui medicinam non didicerit; quinimmo vel pluribus vim afferentibus deprecabitur, neque eum suæ pudebit ignorantia. cui autem tam multarum animarum cura credenda est, is non prius seipsum examinet, quin potius, vel imperitissimus omnium munus ipsum suscipiet, postquam vel ille iubet, vel ille cogit, atque adeo vt, ne illū offendat? Hæc Chrysostr. Gregorius etiam prima parte pastor. cap. 11. sic inquit; Solerter ergo se quisque metiatur, ne locum regiminis assumere audeat, si in se adhuc vitium dampnabiliter regat, ne is, quem crimen deprauat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum. Hæc ille. Sunt autem ista intelligenda, respectu vocantium

tantum hominibus; Deo enim vocanti acquiescendum est, qui quos vocat etiam ineptos, aptos potest facere, quibus prae humilitate Moyses, & Hieremias Deo vocanti resisterint, donec voluntatem eius absolutam agnoscerunt: licet Basil. serm. 2. de baptismo cap. 11. nec

Moysem, nec Ionam recusantes à culpa excuset. Ego, inquit, scio, quod neque Moyses sanctus ille, neque Ionas Propheta ratiocinationibus suis ad recusandam obedientiam vti inculpabiles manserunt apud Deum.

Et elegit duodecim ex ipsis.

COMMENTARIA,

NON omnes, quos vocavit discipulos, sed ex eis duodecim elegit, & Apostolos creavit. Maior enim erat numerus discipulorum, qui Christum insequerantur, & doctrinam eius accipiebant, quam Apostolorum, quos voluit primum, in diuiduos secum habere comites; quibus potestas predicandi Evangelium, miracula faciendi, daemones fugandi, & Ecclesiam gubernandi, post electionem data fuit. Duodecim autem eliguntur, quia sicut populus Dei etiam ex gentibus colligendi, per duodecim tribus designatus est; ita duodecim electi sunt, qui essent primi auctores congregandi verum Israel, id est, omnes Dei filios qui ubique erant.

ANNOTATIO XIX.

Marcus cap. 3. Fecit, inquit, ut essent duodecim cum illo, id est, quasi comites indiuidui sibi adhaerentes continuo. Nonnulla autem sunt advertenda. Primo quidem Apostoli de discipulorum numero assumuntur; non enim decebat magistrum fieri, qui non erant ante discipuli; nec Christi doctrinam aptus est docere, qui eam prius non didicerit; doctus enim esse debet is, qui in praetatum est eligendus. Vnde Hieron. Ephes. 4. Recte inquit, in Ecclesiis quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere nemo debet, nisi possit docere, quos pascit.

Secundo, non omnes discipuli ad Apostolatam vocantur, ut significetur, nec doctrinam sanctitati coniunctam sufficere, nisi sit prudentia, & aptitudo ad alios gubernandum; non enim omnis bonus, & doctus idoneus est ad aliorum gerendam curam: nec omnes contemplationi dediti, sunt actioni, quae in Praetato necessaria est, apti, Vnde Paulus 1. Thim. 3. praeter virtutes multas, & doctrinam, quibus praetatum esse debere Praetatum Ecclesiae censet, addidit prudentiam, & ut domui suae praesse sciret, de qua prudentia ipse Dominus Luc. 12. dicit: Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? De eadem etiam Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio, sic inquit: Nec solum purum, mundumque Sacerdotem esse oportet, ut qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam in primis prudentem, atque adeo multarum rerum experientia instructum, & ornatum, in tantum, ut saecularia, mundanaque omnia nihilo minus noscat, quam norunt ij, qui in media hominum turba versantur, rursus rerum omnium humanarum securior viuat, quam monachi ij, qui montes ipsos habitandos occuparunt. Nam cum illum necesse sit eorum hominum consuetu-

dine, & congressione uti, qui & uxores habent, & liberos alunt, & seruos possident; quique & diuites admodum sunt, & publica negotiantur, & potentia pollent, certe eum variis esse conuenit. Haec ille.

Tertio multos simul vocat, & quosdam ex eis eligit, significans non satis esse, si eligantur in Praetatos, qui digni, & idonei sunt, sed necesse esse, ut ij assumantur, qui inter caeteros digniores, & magis idonei gubernationi sunt. Quod Origenes hom. 6. in Leuiticum, recte verba capituli octauum ponderans notauit, dicens: Licet Dominus de constituendo principe praecipisset, & Dominus elegisset; tamen conuocatur etiam synagoga; requiritur enim in ordinando sacerdote, & praesentia populi, ut sciant omnes, & certi sint, quia qui praetantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Haec Origenes.

Quarto duodenarius Apostolorum numerus multis figuris veteris testamenti praesignatus est, nempe duodecim filiis Iacob; duodecim principibus Israel; duodecim fontibus inventis in Helim; duodecim adolescentibus offerentibus hostias pacificas, & holocausta post legem Domini lectam; duodecim lapidibus in rationali Aaron; duodecim panibus propositionis; duodecim exploratoribus missis à Moyse; duodecim lapidibus sublati à Iordane, ex quibus factum est altare 3. Reg. 18. duodecim bobus, qui sustinebant Mare aeneum; duodecim Iudicibus, qui post Iosue indicarunt populum. In nouo etiam testamento significati sunt duodecim stellis in corona sponsae; duodecim fundamentis, & duodecim portis nouae Hierusalem, quae in Spiritu vidit Ioannes.

Duodenarius Apostolorum numerus multis figuris praesignatus.

Quos, & Apostolos nominauit.

COMMENTARIA,

Quos inter discipulos ad peculiare munus elegit, eos etiam nomine distinxit, & ab officio vocabulo sumpto appellauit Apostolos, quasi nuncios missos ab eo per orbem, euulgaturos, & annuntiaturos Evangelium salutis, & redemptionis; ut enim mundus intelligeret illos non à se, nec propria auctoritate talia, ac tanta praedicare, sed tamquam à Deo missos, cuius testimonium mirandis operibus ferebant, idcirco Apostoli dicti sunt, quasi missi, iuxta illud Romanos 10. Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?

ANNOTATIO XX.

Apostolus, Graecum nomen est, idem significans, ut dicit August. tract. 54. in Ioann. quod La-

tine missus. Non autem omnis nuncius ab aliquo missus dicitur Graece Apostolus, sed qui ore negotium agit,

agit, quod accepit in mandatis, qualem Latini Oratorem, vel legatum vocant. Ex hac autem Domini impositione nomen Apostoli factum est nomen dignitatis, officij, & potestatis, sicut nomen Episcopi, quod

à speculando accipitur, nomen est dignitatis, vnde Apostoli non nuncij solum erant veritatis; sed & potestatem dirigendi, & gubernandi habebant.

Simonem, quem cognominauit Petrum.

COMMENTARIA,

Catalogum Apostolorum refert Euangelista, & à Petro incipit, quia omnium Apostolorum primus erat, non tempore, sed dignitate, quia Christi vicarius, & Ecclesiae caput, quem Christus non nunc, quando Apostolus effectus est, sed postea Petrum cognominauit, quando egressus in partes Caesareae interrogauit discipulos, quem dicerent homines esse filium hominis; respondenti autem Petro; Tu es Christus filius Dei viui, dixit: Tu es Petrus. Non ergo Euangelista significat nunc Petrum cognominatum, sed ad tempus, quando haec scribebat, respiciens scripsit, quem cognominauit Petrum. Recte autem cognominatum dicit, quia permansit nomen Simonis, & ei additum est cognomen: nam Simon Petrus vocatus est, ut habetur Ioann. 13.

Et Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem; Philippum, & Bartholomaeum: Mattheum, & Thomam, Iacobum Alphaei, & Simonem, qui vocatur Zelotes; Iudam Iacobi,

COMMENTARIA,

Quamuis Andreas prius Petro venerit ad Christum, simulque cum fratre ad Christi disciplinam è nauis sit vocatus, in enarratione tamen hac Petro postponitur, ut Petri primatus significetur: bini autem computantur media coniunctione, Petrus quidem, & Andreas simul vocati sunt, similiter Iacobus, Ioannes; caeteri vero, ut idem dicendi ordo seruetur.

ANNOTATIO XXI.

Cur in recensendis Apostolis Petrus primus semper ab Euangelistis nominetur, & in alijs varietur ordo.

Matthaeus cap. 10. & Marcus cap. 3. catalogum Apostolorum hunc describunt, & in descriptione quaedam varietas, quae veritati rei non aduersatur, reperitur. omnes quidem primo loco Petrum nominant, ut eius primatum ostendant, in caeteris vero narrandis varij sunt, nec eundem seruant ordinem, quod eo factum existimo, ut Petri primatum magis significant; cum enim in alijs narrandis quidam hos, quidam illos praeponent, solus ab omnibus Petrus praeponitur, ut inter caeteros nullam fuisse praereminentiam indicent, qui pares in Apostolatu fuerunt: Petrus autem inter omnes primatus dignitate eminuit. Matthaeus praeterea Iacobum Zebedaei, & Ioannem fratrem eius distinctius scripsit. Marcus ad iunxit (& imposuit illis nomina boanerges) quod est, (filij tonitruum.) Praeterea Matthaeus scripsit (Matthaeum publicanum) Thadaeum quem Lucas appellat Iudam Iacobi, Hieronymus Matth. 10. notat trinomium fuisse, vocatumque etiam Lebæum. Rursus

Matthaeus, & Marcus appellarunt Simonem Cananæum, quia à Cana Galilæae. Lucas autem addit, qui vocatur Zelotes, quod nomen est Graecum, idem significans, quod Hebraice Cananæus, Cana enim zelus interpretatur; sicut etiam Thomas dictus est Didymus; quod enim Graece Didymus idem Hebraice significat Thomas, id est gemellum, qui vna cum altero ex utero nascitur, ut diximus in commentariis in Ioan. cap. 20. Annot. 23. Quidam notant Iacobum Alphaei, Simonem Zelotem, & Iudam Iacobi fuisse fratres, quia non computantur bini, sicut caeteri; sed singulis apponitur coniunctio: Hoc tamen argumentum efficax non est: nam Graece etiam bini computantur, nec habetur coniunctio ante Iudam Iacobi, quod si haberetur, adhuc argumentum non procederet: nam inde sequeretur Iudam Iscariotem fuisse etiam illorum fratrem, quia illis media coniunctione adnumerantur.

Et Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.

COMMENTARIA,

Iudas vnde Iscariotes dicitur.

Omnes tres Euangelistae ultimo loco Iudam Iscariotem referunt, concordantque in Petro, ut illius primatum, & huius scelus, ac casum indicent.

ANNOTATIO XXIII.

Hieronymus Matth. 10. nomen Iscariotis interpretans, sic inquit: Vel à vico, vel ab vrbe, in qua natus est, vel à Tribu Issachar, vocabulum sumpsit, ut quodam vaticinio in condemnationem sui sit natus: nam Issachar interpretatur merces, ut significetur pretium proditoris. Haec ille. Matthaeus, & Marcus dixerunt Iudam, qui & tradidit illum. Actorum 1. dicitur Iudas, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum: nam vendidit Chri-

stum, & militibus comprehendere venientibus prodidit, & osculi signo tradidit. Ioan. 6. dicitur Iudas Simonis Iscariotes. Simonis quidem, quia filius Simonis, non quod vocaretur Simon, sicut Petrus vocatus est, sed Iudas Simonis, quia eius filius. Interrogant quidam, an Iudas hic, quo tempore electus est cum alijs in Apostolum, bonus, & iustus fuerit: cui interrogationi satisfacimus in commentariis in Ioan. c. 6. Anno. 3. Iterum autem quispiam interrogabit,

bit, cur saltem elegit eum, quem proditorem futurum certissime nouerat; cui etiam interrogationi respondimus in eisdem commentarijs cap. 13. Annot. 20.

Iudam Christum elegerit, quem futurum nouerat proditorem.

Huic autem responsioni adiungimus nunc, quae Ambrosius in praesenti loco scribit. Eligitur, inquit, & Iudas, non per imprudentiam, sed per prouidentiam. Quanta est veritas, quam nec aduersarius minister infirmat. Haec Ambrosius. Quibus uerbis quatuor causas significat. Prima est, ut Christus suae veritatis, & doctrinae firmitatem ostenderet, quae tanta est, ut etiam si vnus ex duodecim Apostolis defecerit, non propterea minus digna creditu effecta sit. Secunda, ut Charitatis suae amplitudinem indicaret, quae talis, ac tanta fuit erga homines, ut quem malum futurum nouerat, elegerit in Apostolum; & quod ex se erant, ut saluus ille fieret, non praetermitteret; & maluit iudicium suum periclitari, quam affectum, id est, elegit potius ab hominibus stultis reputari se nesciuisse lu-

dam futurum malum, quam se non dilexisse illum, eiusque salutem procurasse. Tertia est, ut qui infirmitatem nostram susceperat, ea etiam, quae maxime sunt infirmitatis, non respiceret, nempe deserere, prodi, ab ipso sibi coniunctissimo tradi. Quarta est, ut tali nos exemplo ad patientiam instrueret, ut si a socijs traditi fuerimus, patienter feramus tria haec, nepe, & quod errauimus in eligendis socijs; & quod beneficia, quae in eos contulimus, perdiderimus; & quod tradimur. Haec ex Ambrosii uerbis deducimus. Addimus etiam, quae August. lib. 18. Ciui. c. 49. scripsit: Elegit, inquit, Discipulos, quos & Apostolos nominauit, humiliter natos, in honoratos, illiteratos; ut quidquid magnum essent, & facerent, ipse in eis esset, & faceret. Habuit inter eos vnum, quo malo utens bene, & suae passioni dispositum impleteret, & Ecclesiae suae tolerandorum malorum praerberet exemplum. Haec ille. Quibus in uerbis duas habet causas, vna est, ut Christus Iudae malitia bene uteretur, implendo, quae passionis pro hominum salute erant a Deo disposita: altera est, ut exemplum praerberet Ecclesiae malos tolerandi in hoc saeculo, a quibus purgari omnino non potest, dum peregrinatur, donec iudicio ultimo sagena ad litus tracta separentur pisces boni a malis.

Et descendens cum illis, stetit in loco campestri.

COMMENTARIA.

Descendit Christus post electionem factam de monte, vna cum electis Apostolis, & Discipulis ceteris, ex quibus elegerat duodecim; cumque descendisset de monte, stetit in loco quodam campestri, id est, in planitie, quae ad pedem montis erat sita.

ANNOTATIO XIII.

Quomodo Mattheus & Lucas in proxima sententia conueniant.

Augustinus lib. 2. de consen. Euang. cap. 19. duobus modis interpretatur locum hunc campestre, vno modo pro planitie, quae est ad montis pedem, ad quam Christus monte relicto descendit: altero modo pro planitie, seu aequalitate quadam in latere montis, ad quam Christus est celsitudine, & cacumine montis descendit, adhuc tamen in ipso monte erat. Hac distinctione vitur Augustinus, ut concorderet Mattheum cum Luca, ille enim ait Christum cum suis Discipulis in montem ascendisse, ibique sedisse, & sedentem os aperuisse, & sermonem illum celebrem protulisse. Lucas vero sermonem habuisse refert, postquam de monte descendit cum Discipulis, & turbae ei stanti accesserunt. Hanc apparentem discordiam Augustinus soluit dupliciter. primo quidem asserendo distinctos fuisse sermones, licet uterque eodem modo concludatur, & in multis vnus alteri sit similis; iuxta quem modum sic gesta est historia. Christus cum Discipulis ascendit in montis cacumen, ibique ex illis duodecim elegit Apostolos, & sedens aperuit os suum, & docebat eos, habuitque sermonem, quem Mattheus scripsit, Lucas vero praetermisit, quo completo admiratas turbas refert Mattheus. vocat enim turbam, multitudinem Discipulorum, ex quibus electi sunt duodecim, quibus completis descendit e monte ad planitiem, quae est ad pedem, eoque accessit turba caetera eorum, qui venerant, ut audirent eum, & sanarentur, tuncque habuit sermonem, quem Lucas describit, & quem turbae haec etiam miratae sunt. Iuxta hanc historiam locum campestre interpretatur Augustinus planitiem, quae est ad pedem montis, sicque nulla discordia est. Secundo modo soluit difficultatem, asserendo vnum, & eundem sermonem fuisse, quem Mattheus, & Lucas describunt, licet Lucas nonnulla praetermisit, tuncque historia sic gesta est; Christus enim primo ascendit in montis cacumen, & in oratione pernoctans, die festo elegit duodecim Apostolos, deinde ad planitiem quandam eiusdem montis descendit cum Discipulis,

eoque accesserunt turbae, tuncque sedit, & aperuit os suum, habuitque sermonem, quem uterque Euangelista narrat. Mattheus ergo praetermittens Apostolorum electionem, & Christi orationem, narravit tantum ascendisse in montem, ibique sedisse, & docuisse; Lucas vero, quia huius orationis meminuit, & electionis factae in montis cacumine, retulit Christum descendisse in montis partem quandam planam, & campetrem, postque descendit omnino de monte, & venit Capharnaum, factaque sunt alia, quae Mattheus etiam narrat. Iuxta hanc historiam locum campestre interpretatur Augustinus non planitiem, quae est ad montis pedem, sed quae est in monte ipso ad latus eius. Haec sunt quae ibi Augustinus tradit, ut Mattheum cum Luca conciliet. Vtra autem harum concordia tenenda sit, Augustinus non determinauit, quia altera alteri probabilior ei visa non est. Chrysostomus hom. 15. in Matth. eundem esse sermonem hunc Lucae cum illo, quem Mattheus narrat, sentire videtur, in monte esse factum. Basiliius vero lib. de Baptismo distinctum esse utrumque sermonem, & hunc Lucae alio tempore, ac loco post illum fuisse factum censet. Irenaeus lib. 3. cap. 14. sensisse videtur, vnum hunc sermonem fuisse cum illo Matthei: nam asserit illam sententiam de diuitibus (Vae vobis diuitibus &c.) a solo Lucae descriptam: censet ergo caetera esse eadem cum ijs, quae a Mattheo narrantur. Quidam vero recentiores vnum, & eundem sermonem existimant ab utroque Euangelista relatum, factumque esse post descensum Christi a monte, ut Lucas refert, ita ut Christus in monte elegerit Apostolos, posteaque descendit cum eis, ceterisque Discipulis; turbis autem ascendentibus integrum habuerit sermonem. At quia hoc Matthei uerbis contradicere videbatur, sic enim habet (ascendit in montem, & cum sedisset, aperuit os suum, & docebat eos); respondent hunc ascensum, & sessionem fuisse ad eligendum Apostolos; Mattheum vero, quia eam omisit electionem narrare, continuauit sermo-

sermonem, qui factus est post descensum a monte, ad quem prius ascenderat.

Auctoris sententia de Lucae & Matthei concordia.

In hac parte mihi probabiliora videntur, quae sequuntur. primo quidem, Christum in monte habuisse sermonem, quem Mattheus refert, vlla probabilitate negari non potest. Hoc est contra recentiorum sententiam, qui existimant totum illum sermonem eundem esse cum eo, quem narrat Lucas, & habitum fuisse, postquam Christus a monte descendit ad Discipulos, & turbas simul. Huic sententiae uerba Matthei aduersantur: Ascendit, inquit, in montem, & cum sedisset, aperuit os suum, & docebat eos. Igitur in monte, & sedens sermonem illum habuit. Quod autem recentiores respondent, illud (aperuit os suum & docebat) referendum esse ad id, postquam electis Apostolis descendit de monte, nimis est violentum; non enim alijs uerbis potuit Euangelista significare ad Discipulos in monte sedentem habuisse sermonem, quam illis (ascendit in montem, & cum sedisset, aperuit os suum, & docebat.) tunc ergo cum sedit in monte, aperuit os, & docuit. Accedat communis patrum consensus. Basiliius lib. de Baptismo: Dominus inquit, cum ascendisset in montem, & doctrinae suae per beatitudinum catalogum initium faceret, primam beatitudinem eam esse praedicauit, quae regnum habet caelorum; dixit enim: Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum caelorum. Haec ille. Vides ergo in sublimiori loco, scilicet monte beatitudinum oracula Christum Discipulis tradidisse. Hilarius can. 4. in Mattheum in eadem est sententia; sic enim habet: Congregatis pluribus turbis montem conscendit, & docet, in Paternae scilicet Maiestatis positus celsitudine caelestis vitae praepcepta constituit. Haec ille. Vbi non solum in monte habitum sermonem docet, sed etiam quid per montem Christus significaret. Augustinus etiam duos inscripsit libros de sermone Domini in monte, & lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 19. quod in principio allegauimus, ita existimauit sermonem habitum fuisse in monte, ut aut distinctos esse sermones Matthei, & Lucae, aut locum campestre partem montis fuisse censuerit. In eadem sententia sunt Chrysostomus hom. 15. in Matth. & Gregorius lib. 14. Moralium cap. 20. & hom. 12. in Ezechiel. qui in monte sermonem habitum affirmat. Addunt etiam Hilarius, & Chrysostomus non solum sermonem a Mattheo relatum

ad Discipulos esse habitum, sed etiam ad turbas, quae cum Christo in montem ascenderunt, & quae completo sermone miratae dicuntur doctrinam Christi. firmum ergo esse debet in monte sermonem Matthei habitum esse.

Non vnus & idem est sermo qui ab utroque Euangelista censetur.

Secundo sermonem a Mattheo, & Luca relatum eundem non esse, sed alium, alioque tempore factum probabilis existimo cum Basilio, idque probant, tum sententiae ipsae, quarum multae sunt longe diuersae ab ijs, quas refert Mattheus, ut in earum explicatione ostendemus: tum locus, quia ille in monte, hic in loco campestri habitus est. Quae duo argumenta efficiunt hanc sententiam uerisimiliorem, ut pote, quae accommodatior est contextui. sic igitur rei series, & historia se habet. Primo quidem in montem ascendit, ubi sedens habuit sermonem, quem Mattheus refert: a monte autem descendens leprosum curauit, cuius Lucas cap. 5. meminit; nec statim intrauit in Capharnaum, sed aliquot post dies, in quibus facta sunt, quae Lucas narrat de electione Apostolorum, & de sermone in campestri loco; & tunc intrauit in Capharnaum, ubi Centurionis puerum sanauit. Mattheus autem haec praetermittens ingressum in Capharnaum retulit post mundatum leprosum. sicque omnia concordant, nec est opus fingere duos Centuriones, distinctasque facere historias, ut quidam volunt, de qua re inferius dicemus. Haec Mattheus ipse indicauit; narrato enim miraculo leprosi, non dixit statim ingressum Capharnaum, sed hisce uerbis est usus (cum autem introisset Capharnaum) ad sanandum centurionis puerum. Nec obstat utrumque sermonem turbas esse miratas, nam ut Hilarius, & Chrysostomus affirmant, utriusque sermoni turbae interfuerunt. De sermone quidem, apud Lucam certa res est, de sermone apud Mattheum idipsum probabilissimum est; nam in monte ascendit, turbaeque secutae sunt: omnibus autem ibi existentibus Discipuli accesserunt ei, quibus incepit praedicare bonam partem sermonis, de beatitudinibus, & collatione salis, & lucis; reliqua vero turbis communia fuere, nisi dicas turbas, apud Lucam significare turbas comunitate, apud Mattheum vero significare multitudinem discipulorum; sic enim appellatam esse in sequenti sententia constabit; haecque ratione conciliari possunt Doctores, qui negant turbas ascendisse in montem, loquuntur enim de ijs, qui Discipuli non erant.

Et turba discipulorum eius.

COMMENTARIA.

Quando in loco campestri stabat Dominus, aderat tunc ibi turba Discipulorum; iam enim Apostoli ab ea turba Discipulorum erant per electionem in Apostolatam segregati. Discipulos autem appellat Euangelista, qui eum sequebantur, & frequenter doctrinam eius excipiebant; quorum quia multi erant, turba dicitur. Dixit autem turbam Discipulorum, ne solos Apostolos quispiam intelligeret.

Et multitudo copiosa plebis ab omni Iudaea, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui uenerant, ut audirent eum, & sanarentur a languoribus suis.

COMMENTARIA.

Adfuit etiam in eodem loco campestri multitudo plebis variis ex locis confluentis, nempe a regione Iudaeae, & a ciuitate Hierusalem, & a regione maritima Ty-

ri, & Sidonis, id est, ab ea parte regionis maritimæ, quæ est versus Tyrum, & Sidonem, qui omnes conuenerant, tum ut doctrinam eius audirent, tum ut ab infirmitatibus sanarentur; non quod omnes essent infirmi, sed quod quidam venerint, ut sanitatem acciperent ab eo; quidam ut discerent, & audirent eum.

ANNOTATIO XXIII.

Posset quispiam interrogare, an hæc turba Discipulorum, & multitudo confluentium descendit cum Christo de monte; an vero illi soli cum Apostolis descendenti, & in loco campestri stanti occur-

rerit? probabiliter existimo dicendum, prius cum Discipulis montem ascendisse, è quibus duodecim elegit Apostolos, reliquam vero multitudinem descendenti occurrisse.

Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur.

COMMENTARIA.

Adæmonibus vexati liberabantur; turbas enim docturus Christus præmisit miracula plurima, quibus beneficium se illis exhibuit, ac omnipotentem declarauit; ut sic intellectum per fidem, & affectum per dilectionem ad se conuerteret. Non autem dicit (curabat eos, qui vexabantur) sed (curabantur,) ut sic magis exprimeret multitudinem eorum, qui tot erant, ut sine verbo vlllo, solo Christi tactu liberarentur, ut statim Euangelista declarat.

ANNOTATIO XXV.

Græce habetur particula, (&) nempe (& curabantur) quæ facit, ut prior sententia referatur, & connectatur superioribus, scilicet erant in loco campestri multitudo Discipulorum, & qui venerant ab omni Iudæa, Hierusalem, maritima, ut audirent, & sanarentur, atque qui vexabantur à

Spiritibus, hi omnes erant ibi. illud autem (curabantur) refertur ad omnes illos, qui venerant, ut sanarentur, & ad ipsos vexatos. Vulgatus interpres & Hieronymus non habent eam particulam, sicque in commentario exposuimus. sensus in vtraque lectione idem est.

Et omnis turba querebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

COMMENTARIA.

Tanta erat infirmantium multitudo, ut non expectarent verbum Christi, sed ipsum quouis modo poterant, tangerent, eoque tactu sanabantur; virtus enim de illo exibat, & sanabat omnes tangentes. Dicitur virtus exisse à Christo, non quod ipso non volente quispiam sanaretur; aut quod aliqua substantia à corpore Christi deflueret, sed per quandam metaphoram ad modum herbæ salutiferæ, quæ applicata corporibus ægris morbos depellit sine vlla distinctione tangentium: sic Christus omnes se tangentes virtute sua sanabat, tanta erat tangentium multitudo. Commendanda est fides infirmorum, qui tactu credebant sanitatem posse recipere, maxime eorum, qui primi accesserunt, nec alios tali tactu sanatos viderant; multo magis tamen commendanda est Christi clementia, & misericordia erga tot infirmos, & admiranda eius virtus, ac potentia, cui nulla erat ægritudo incurabilis.

Et ipse eleuatis oculis in Discipulos suos, dicebat.

COMMENTARIA.

DVM multitudo sanabatur, sermonem suum Christus exorditur, ad Discipulos conuertens oculos, tum quia maior turbæ pars miraculis intenta tunc erat; tum quia, quæ nunc dicebantur, ad discipulos maxime spectabant; tum quia sensus eorum, nempe qualis esset paupertas, esuries, & fletus, de quibus loquebatur, per illos explicabatur: tum etiam quia his sequentibus benedictionibus significabat viam, qua perueniendum erat ad ea, quæ prius docuerat eos in monte: Beati pauperes Spiritu: Beati qui esuriunt iustitiam. &c. Dicitur autem oculos eleuasse in Discipulos, quia ad turbas, quæ prope eum erant, ipsumque tangebant, prius habebat conuersos.

ANNOTATIO XXVI.

Quidam ex recetioribus, quia dictus est Christus oculos in Discipulos eleuasse, colligit eum solitum habere sermonem oculis demissis. Eius autem & sententia improbabilis, & collectio infirma est: nã Christus cõ-

munè loquedi modum ceterorum hominum seruauit, sicut & viuendi: nemo autem est, qui concionem habeat ad populum, & oculos habeat demissos in terram, & non potius eos, quibus loquitur, circumspiciat; cù oculorum aspectu

Opinio dicentium, Christum solitum demissis oculis concionari, confutatur.

aspectu sæpe multa explicentur, quæ verbis non significantur. Nec recte id colligitur: nam qui respicit eos, qui sibi proximi sunt, maxime quado reuenter, & cum humiliatione accedunt, oculos solet deprimere; si vero distantes aspicere velit, oculos attollere necesse est. hoc fecit Christus, qui turbis tangentibus circumdatus erat, volensque sermonem ordiri, & Discipulis distantibus loqui, oculos exulit ad eos. Attende autem Epiphanium, hæc. 42. in Scholijs ex Euangelio apud Marcionem, confut. 5. interpretari Christum nunc oculos sustulisse in cælum, & causam reddit. verba eius sunt hæc: Quomodo turba tangere poterat eum, qui tactum non

habere? aut quales oculos sustulit ad cælos, qui ex carne nõ erat compactus? Immo hæc dixit, quod mediator Dei, & hominum Christus Iesus habes. vtraque, ex hominibus quidem carnem, ex Deo vero patre inuisibilem essentiam. Hæc ille. Iuxta hanc sententiam interpretari oportet verba præposita sic, scilicet Christum eleuasse oculos in cælum, versus Discipulos suos se conuertendo: non autem quod aciem ad eos direxerit. At vero hæc phrasîs (eleuatis oculis in Discipulos) potius significat in eos direxisse. Vnde dicendum est, Epiphanium loco nominis (in Discipulos) legisse (cælos) quæ lectio, nec Græce, nec Latine reperitur.

Beati pauperes quia uestrum est Regnum Dei.

COMMENTARIA.

Com mendat paupertatem exteriorem, non qualemcumque, sed qualis erat Discipulorum suorum, nempe voluntariam, qui relictis omnibus secuti eum erant; ea enim de causa oculos in ipsos conuerterat, ut diximus. His promittitur Regnum Dei, ut qui propter Deum diuitias suas, & honores mundi contempserunt, ab ipso Deo regnum, in quo veræ, ac perpetuæ diuitiæ, & honores sunt, consequantur, idcirco beati pronunciantur, ob tantam spem, promissionem, ac iustitiam.

ANNOTATIO XXVII.

Multi recentiores existimant has beatitudines à Luca descriptas easdem esse cù his, quas refert Matthæus, licet Lucas nonnullas dimiserit; in qua sententia videtur fuisse Irenæus lib. 3. cap. 14. qui à solo Luca affirmat illam sententiam de diuitibus esse narratam, cætera vero huius sermonis communia esse cum Matthæo. Idem censuit Basilius lib. de Baptismo. vbi hanc Lucæ beatitudinem in eodem sensu interpretatur, cum illa Matthæi, dicitque Dominum alio loco, & tempore repetiuisse beatitudines, quas prius tradiderat, & Matthæus descripsit, immo Lucam citans legit: Beati pauperes spiritu, sicut habetur apud Matthæum.

Mihi tamen accommodatior verbis Euangelistæ, & veritati magis consentanea visa est sententia, nimirum has tres benedictiones longe esse diuersas ab illis Matthæi, immo hæc viã ostendunt, per quam ad illas peruenire facile possit: est enim mirum artificium Christi, postquam enim in monte docuit Discipulos paupertatem spiritus, esuriam iustitiæ, & reliqua; nunc viam tradit, qua illa facilius assequi possint. Incipiamus ergo à prima, & eam esse diuersam ab illa Matthæi ostendamus, idemque de reliquis duabus in eandem expositionem probabimus. In primis inter hanc benedictionem, & illam primam Matthæi manifesta est differentia verborum, illic enim beati dicuntur pauperes spiritu; hic vero, beati pauperes:

Præterea secundo, illæ beatitudines generaliter sunt prolatae, hæc vero ad Apostolos tantum.

Præterea tertio, sensus est longe diuersus, nam paupertas prior potest esse cum diuitijs; Pauperes enim spiritu sunt, qui affectum non habent in his terrenis diuitijs, & in honoribus positum, nihilque eorum desiderant, Dei voluntatem hauriunt, ac eam præponunt omnibus, ipsamque sequuntur. quæ paupertas in diuitijs esse potest, si illud psal. 61. obseruent: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere; hanc autem paupertatem spiritus esse posse cum diuitijs exterioribus, docet Gregorius lib. 26. moral. cap. 20. vbi locum Matthæi, beati pauperes spiritu, explicans, inquit: Quos diuitiæ visibiliter potentes ostendunt, apud semetipsos pauperes sunt, qui in suis conscientijs elati non sunt. Potest etiam deesse pauperibus, & inopibus; nam multi sunt, qui cum pauperissimi

sint exterius, diuites tamen sunt affectu, plaris facientes diuitias corporales, quam spirituales; illas inhiantes, & toto corde quærentes. hi tales pauperes sunt, & tamen paupertatem spiritus non habent de qua dictum est: Beati pauperes spiritu; at paupertas de qua Lucas scribit, non est cum diuitijs exterioribus, quod facile probatur ex ijs, quæ sequuntur, nam Christus postea in diuites inuehitur, qui talibus diuitijs affluunt.

Præterea quarto talis paupertas exterior habet peculiarem rationem beatitudinis & commendationis: nam plus est pauperem esse spiritu, & effectu, nempe non appetere diuitias, & eas propter Deum relinquere, quam paupertatem spiritu sola cum diuitijs ipsis exterioribus; propterea enim Dominus cum hæc pronunciaret, ad Discipulos conuertit oculos, ut significaret se nõ de qualicumque paupertate exteriori loqui, sed de ea, quæ Apostolorum erat, nempe, qui voluntarie dimiserant, quæ habebant, Christum sequentes, quamque ipsemet Christus consuluit illi adolescenti Matth. 19. si vis perfectus esse, vende quæ habes, & veni sequere me, ad quam etiam reducitur illa, quando quispiam nihil habet, idque libenter sustinet propter Christum, nec quærit habere.

Præterea quinto, quia hæc paupertas faciliorem viam facit ad paupertatem spiritus assequendam, in qua est perfectio, & hac etiam de causa ad Discipulos conuersus est Christus, dum hæc loqueretur; quasi viam faciliorem docens, per quam perueniret ad id, quod ante docuerat: Beati pauperes spiritu.

Præterea sexto; quia hæc paupertas promptiores efficit homines ad Euangelium suscipiendum, & ad accedendum Christo; vnum ex his, quæ plurimum retardabant animos hominum ad confitendum Christum, & in eum credendum diuitiæ erant, timuerunt enim diuites persecutionem, quæ inferebatur Christum confitentibus, & timore amissionis bonorum temporalium retinebantur, ne crederent in eum, quod Ioan. 11. satis aperte indicantur diuites illi, quando dixerunt: Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent gentem nostram, & locum. & Ioan. 12. Propter metum Iudæorum multi ex principibus nõ confitebantur, & dilexerunt magis gloriam hominum. Idcirco Matth. 19. dixit Christus: Diues difficile intrabit in Regnum cælorum. Multum ergo paupertas voluntaria

exterior facit ad regnum caeleste adipiscendum, nec solum ad suscipiendum Evangelium, sed etiam ad fructificandum in eo. optimo ergo consilio Christus pauperes commendat, & ad eam paupertatem, quae in suis Discipulis ostendebatur, exhortatur omnes, dicens: Beati pauperes, quia vestrum est Regnum Dei; non tantum quia facilius meum Evangelium suscipietis; sed etiam quia caeleste Regnum expeditius, & certius assequemini. Non quod diuitiae per se sint mala, aut paupertas bona, sed quod haec sit accommodatius instrumentum ad perfectionem assequendam; illae vero plurima adferant impedimenta. constat igitur non esse hanc sententiam eandem cum illa Matthaei, sed distinctam, uti explicatum est. Ne autem sine Patrum testimonio hanc expositionem introducere videamur; sciendum est, Basilium eam fuisse amplectum: nam in lib. moral. reg. 48. cap. 3. hanc sententiam Lucae de paupertate exteriori interpretatur, quae diuitiis corporalibus caret. Ambrosius etiam lib. 2. offic. c. 4. in eundem sensum eam adducit beatitudinem, immo duas etiam sequentes. verba ipsius sunt: Nullum adminiculum praestant diuitiae ad beatam vitam, quod euidenter Dominus in Evangelio demonstrauit, dicens: Beati pauperes, quoniam vestrum est Regnum Dei. Haec ille. Caetera inferius referemus. Est autem notandum testimonium ex Epiphano haeres. 66. in Catalogo haeresum Manichaei prope finem; opponere enim ille vetus testamentum commendare aurum, & argentum, id est, diuitias; nouum vero paupertatem Spiritus. Beati pauperes Spiritu, inde volens inferre diuersa principia. Respondet Epiphanius vetus, etiam commendare paupertatem natura, tanquam a Deo prouentem, & nouum consentire veteri: nam utrosque Dominus beatos censet, & pauperes Spiritu, quae paupertas esse sine diuitiis. Ex hac igitur responsione clare liquet Epiphanium distinxisse beatitudines has, illam scilicet beati pauperes Spiritu, & hanc, beati pauperes, quae Lucae est, eam de ex-

Patrum testimonio constat beati diues has ois ueritas esse ab illis quae a Matthaeo recensentur.

teriori paupertate intellexisse. His accedit Euthymius in hoc loco, qui hanc beatitudinem diuersam affirmat ab ea, quam refert Matthaeus. Commentarius ergo noster Patrum antiquorum sensui conformis est.

Attende autem quanto consilio Dominus praesentibus uerbis paupertatem commendauerit, nimirum quia inter illos plurimi pauperes erant, ipse studium, & desiderium, cupiditatemque diuitiarum acquirendarum dissuadebat; diuitiae enim si desint, non sunt inquirendae; praestant enim impedimenta multa ad Euangelicam vitam agendam, & multorum peccatorum occasionem praebent. unde Timoth. 6. scriptum est: Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes a fide naufragauerunt. Paupertas autem ad plurima bona conducit. unde Basil. Isa. 2. in illud (repleta est terra eorum argento, & auro,) inquit: Paupertas pädagogus est ad colendam pietatem; contra diuitiarum animum praebent ad contumeliam, & iniuriam irrogendam. & orat. 14. de diuitiis, & paupertate, multa dicit mala, quae occasione diuitiarum proueniunt. Sunt autem notanda uerba Theodoret. serm. 6. de prouidentia; sic enim habet: Diuitias simul, & paupertatem; tanquam materiam quandam, vel instrumenta a rerum opifice nobis proposita, & oblata esse dicimus, homines uero, ceu fabros quosdam per haec, aut uirtutis simulacrum effingere, aut malitiae statuam sculperet; caeterum per diuitias uix aliquis paucula uirtutis quaedam membra eleganter exsculpet; multi uero paupertate adiuti omnia simul fabricare possunt. Haec ille. Multa alia ibi eleganter tradit, quibus ostendit paupertatem diuitiis ad perfectionem consequendam esse instrumentum aptius. Merito igitur Christus paupertatem commendat, & eos, qui eam elegerunt, aut ex uoluntate amplectuntur, beatos praedicat, quibus aditus ad regnum, & militantis Ecclesiae, & caelestis patriae facilius patet.

Christus pluribus de causis paupertatem commendat.

Isa. 2.

Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.

COMMENTARIA.

Commendat secundo loco uoluntariam abstinentiam a cibo, & potu, quae esurire, & sitire facit, promittens perfectam saturitatem. Beati, inquit, qui nunc, id est, in hoc saeculo esuritis, quoniam in futuro saturabimini. Esuriebant tunc discipuli, quia tota nocte, & magna diei parte in monte a cibo Christum sequentes abstinerant; idcirco ad eos conuersus, beatos praedicat, ac promissione perfectae saturitatis laetificat, uiamque ostendit, per quam ad esuriam iustitiae, quam in monte eos docuerat, perueniant. Paupertatem esuries frequenter comitatur, idcirco post illam meminit huius, & nomine esurie etiam sitim significat, sicut nomine cibi potus etiam indicatur. Est autem abstinentia a cibo, & potu ad perfectionem maxime necessaria, sicut saturitas ualde nociua: idcirco Patres, uirique perfecti ieiuniis maxime dediti fuerunt. loquitur autem de esurie uoluntaria sicut de paupertate, ut dictum est.

ANNOTATIO XLVI.

NON esse hanc beatitudinem eandem cum illa Matthaei, uerba ipsa declarant: nam apud hunc esuritis, & sitis corporalis commendatur, qua homo uehementer, & incassum bona opera desiderat, eisque incubit: Beati, inquit, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: apud Lucam uero ipsa corporalis esuritis, quae in ciborum priuatione consistit, & ad prioris esurie spiritualem maxime est necessaria, laudatur: Beati, inquit, qui esuritis, id est, qui uoluntariam sustinetis inedia, & ci-

borum abstinentiam a quo animo patimini, quam quidem esuriam Dominus in se pro nobis suscepit: de quo Matth. 4. Scriptum est: Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurii. De hac esurie hunc locum interpretatur Ambrosius lib. 2. offic. cap. 4. ubi sic habet: Paupertatem, famem, dolorem, quae putantur mala, non solum impedimento non esse ad beatam vitam; sed etiam adiumento euidentissime pronuntiatum est. Haec ille.

Esuries corporalis hoc loco, spiritualis uero apud Matthaeum commendatur.

ille. Quamuis ibi pro sententia Lucae posita sint uerba Matthaei. in primis duabus benedictionibus. consentit Euthymius huic expositioni. Huius esurie optimam adfert causam Augustinus serm. 77. de tempore, ubi de ieiunio, & esurie ipsius Christi loquens, habet haec, quae nostro proposito accommodantur: Arbitror, inquit, hanc causam esse ieiunij, ut quia primus Adam in Paradiso constitutus, per intemperantiam gulae gloriam immortalitatis amiserat, eandem immortalitatem secundus Adam Christus per abstinentiam repararet. Et quia contra mandatum Dei gustans de interdita arbore, peccatum mortis inciderat; nunc secundum mandatum Domini ieiunans uitae iustitiam mereretur. Hoc enim egit Salua-

Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.

COMMENTARIA.

Letum, & lacrymas commendat, promissione risus, & laetitiae, quae in resurrectione fletibus, ut oportet, dabitur. lacrymarum nomine non solum lacrymae, quae oculis emittuntur, significantur, sed corporum etiam infirmitates, afflictiones, calamitates, caeteraque mala externa, quae ad hanc beatitudinem multum conferunt, si ut debet, unusquisque toleret, & sustineat; prosperitates enim huius saeculi minus conducunt ad aeternam uitam, quam aduersitates. Conuertit autem hanc etiam sententiam ad discipulos, quia etiam corporum incommoda sustinebant. Vide, quam sit contraria Christi doctrina mundo; hic enim paupertatem, esuriam, & lacrymas abhorret, & inter mala fugienda adnumerat: at uero Christus commendat, & sectandas monet, quibus uitae perfectio, quasi instrumento accommodatissimo comparatur; & quae uiam ad aeternam beatitudinem faciunt. propter haec Luc. 6. dictum est; Recepisti bona in uita tua, Lazarus uero mala; nunc autem hic consolatur, tu uero cruciaris. Fleuit Lazarus in hoc saeculo, ideo in altero ridet. De hoc risu dictum est prouer. 31. Ridebit in die nouissimo. & Iob. 8. Donec implent os suum risu, & labia sua iubilo.

Prouerb. 31. Iob. 8.

ANNOTATIO LIII.

Diuersus est luctus de quo Lucas, ab illo de quo loquitur Matthaeus.

Esse hanc sententiam distinctam ab illa relata a Matthaeo (Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur) ipsa uerba manifestant; apud Matthaeum enim est uerbum lugendi a uerbo Graeco *πενθω*, quod ad animae luctum magis pertinet, ut illi censeantur beati, qui moerore, animique tristitia secundum Deum afficiuntur. ob id uerbum respondet (consolabuntur) quod animorum potius est. At apud Lucam est uerbum Graecum *κλειω*, Latine fleo, quod significat lacrymas emittere, quod ille ethnicus indicat canens; Fleque meos casus, est quaedam flere uoluptas, expletur lacrymis, egeriturque dolor. Idcirco uerbum ridendi opponitur, quod magis ad corpus spectat. Aduerte autem duplicem luctum, unum qui ex causa spirituali procedit, & ad animam magis spectat, quamuis lacrymarum exteriorum causa sit, ut quando quis luget; aut moeret ob propria, aut aliena peccata, quatenus Dei offensa sunt, & de hoc luctu interpretati sunt sententiam Matthaei Basil. in regu. breu. resp. 194. & Leo de festo omn. Sanctor. Verba Basilij sunt haec: Cuiusmodi est ille luctus, quem suscipere debemus, si beatitudinem illam, quam lugentibus paratam Dominus ait, consequi uolumus? respondet: Continetur quaestio ista in ea quaestione, quae est de tristitia illa, quae est secundum Deum, quando uidelicet propter admissa delicta lugemus, aut quod Deus contemnitur, cum per transgressionem legis contumelia afficiatur Deus, vel quod eorum qui peccant, periculum uidemus; anima enim, quae peccauerit, ipsa morietur, imitantes illud 2 Corin. 12. Et lugam multos ex iis, qui ante peccauerunt. Haec Basilus. Verba autem Leonis sunt haec: Luctus, cui consolatio aeterna promittitur, non est cum mundi huius affectione communis, nec beatum faciunt

quemquam ista lamenta, quae totius humani generis deploratione funduntur. Alia ratio est Sanctorum gemituum, alia beatarum causa lacrymarum. religiosa tristitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium, nec de hoc dolet, quod diuina iustitia agitur, sed de eo moeret, quod humana iniquitate committitur, ubi magis est plangendus faciens maligna, quam patiens, quia iniustum malitia sua demergit ad poenam, iustum autem tolerantia ducit ad gloriam. Haec Leo. Vbi attende Leonem excludere a iustorum lacrymis, eas, quae funduntur super rebus huius saeculi, quando nude sunt, nec propter Deum patienter sustinentur, nec ut ab eo inflicta humiliter accipiuntur, de quibus etiam dicitur 2. Cor. 7. Tristitia huius saeculi mortem operatur. At quando patientia, & humilitate tolerantur, comedandae sunt, & sic lacrymantibus risus promittitur.

Alter est ex causa temporali, nempe malis hisce sensibilibus, & de hoc procedit praesens sententia, ut dictum est in commentario: sic interpretatur hanc sententiam Ambrosius lib. 2. offic. c. 4. cuius uerba praecedenti Annotatione retulimus. Quantum autem ad beatitudinem aduersitates temporales profint magis, quam prosperitates, docet Gregorius lib. 5. moral. c. 1. ubi sic habet: Plus in hoc mundo honor, quam despectio occupat, & magis prosperitatis sublimitas, quam necessitatis aduersitas grauat. Per hanc namque cum homo exterius premitur, ad concupiscenda, quae intus sunt, liberius relaxatur; per illam uero animus, dum multis parere cogitur, a desiderij sui cursu retinetur. Unde sit, ut sancti uiri magis in hoc mundo prospera, quam aduersa formident: sciunt namque, quia dum mens blanda occupatione premitur, aliquando libens ad exteriora deriuatur. Haec & alia

Gregorius. Sicut igitur apud Matthæum paupertas & esuries iustitiæ, & luctus animi commendantur; ita apud Lucam exterior paupertas, esuries corporum, & lacrymæ exteriores approbantur, quasi instrumenta, quibus ad illa facilius, & perfectius peruenitur.

Quare Dominus hoc loco reliquarum beatitudinum, quæ apud Matthæum numerantur non meminit. Hinc solui possunt duo, quæ inquisitione digna sunt, vnum est, quare Dominus prætermisit mites, misericordes, pacificos, mundos corde, quorum Matthæus meminit. Respondeo, non agi hic nisi de exterioribus, & quæ corporum sunt opera; illa vero quatuor ad animos potius pertinent. Ambrosius in præsentia aliter respondet, nempe in his quatuor esse illa octo, & in illis octo hæc quatuor. Et quidem primum verum est: nam qui exteriorem habet paupertatem voluntariam, facile assequitur paupertatem spiritus, & mitis est, ac pacificus; diuitiæ enim magis mansuetudini, & paci obsistunt; qui etiam flent, facile misericordes sunt; & qui esuriunt, ac ieiunant, ad cordis munditiem facilius perueniunt, sicut ad corporum puritatem magis dispositi sunt. Unde in

his illa quodammodo continentia, secundum etiam eadem ratione verum est, in illis octo hæc etiam contineri, tamen per hoc non efficitur, quin distincta sint hæc ab illis, vt dictum est.

Alterum est, cur tria hæc tantum Christus retulit, scilicet paupertatem, esuriam, & lacrymas. Respondeo, hæc opponi tribus illis, quæ in mundo sunt, de quibus Ioannes 1. epist. cap. 2. inquit: Quicquid est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ. Ecce epilogus, & summa peccatorum, quibus aduersantur tria hæc, paupertas enim vitæ superbiæ, esuries, quæ ex penuria rerum est, concupiscentiæ oculorum; lacrymæ concupiscentiæ carnis contrariæ sunt. Voluit enim Christus significare se mundo aduersari, iuxta illud Ioan. 15. Si mundus vos odit, scitote, quoniam me priorem vobis odio habuit. Si de mundo essetis, mundus, quod suum est, diligeret. &c. Mundus autem hæc tria maxime auersatur, idcirco doctrinam suam Christus in his, quæ contraria illis, quæ mundus amat, sunt, exposuit.

Beati eritis, cum vos oderint homines.

COMMENTARIA.

Commendauit ea, quæ à natura solent præcipue prouenire, nempe, paupertatem, esuriam, & fletum, seu aduersitatem; nunc ad ea mala, quæ ab hominibus erant Discipulis inferenda, ea ratione, & causa, quia Discipuli eius erant, se conuerit, Beati, inquit, eritis, cum vos oderint homines propter me, nempe quia me sequimini, meam profiteamini doctrinam, quasi diceret, erit tempus quando homines multi vos odio prosequantur propter me, nec vos tunc infelices reputeris, sed potius beatos, & felices. Illud (propter filium hominis) connectendum est cum singulis verbis, nempe (oderint) & ijs, quæ sequuntur. Merito autem coram turba hæc suis discipulis prænucciavit sententiam, vt & propriam ipsius, & Discipulorum innocentiam turba præmonita, persecutionis tempore agnosceret, nec hinc scandalum pateretur. Atque hoc est, cur sententiam hanc Discipulis solis dictam in monte, nunc repetiuit coram turba; in monte enim, vt eos confortaret, & præmuniret, eam protulit; coram turba vero ob causam dictam. Nomine hominum Iudæos persecutores significat, vt ex sequentibus patet.

Et cum separauerint vos, & exprobrauerint.

COMMENTARIA.

Prosequitur prænucciare, quæ inferenda erant Discipulis ab hominibus: non solum inquit vos odio habebunt, sed etiam separabunt vos, id est, à Synagogis suis eijcient quasi excommunicatos, iuxta illud Ioan. 16. Absque Synagogis facient vos. Adhuc etiam conuictijs, & maledictis, ac contumelijs afficient, & hoc mei causa, beati tunc eritis, cum hæc patienter sufferetis.

Et eiecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis.

COMMENTARIA.

Non tantum odio habebunt vos propter me, separabunt, & exprobabunt, sed nomina etiam vestra eijcient, tamquam mala, id est, de numero populi Dei, expungent, eaque proscribent, tanquam malorum, & perniciosorum hominum, à quibus oportet cauere. Hoc significat eijcere nomina tamquam mala, sicut inter nos fieri solet cum hæreticis, quorum nomina proscribuntur non solum in eorum damnationem, & infamiam, sed etiam vt fideles agnoscant, eosque fugiant tamquam pestiferos, quorum conuersatio inficit, quasi lues.

ANNOTATIO XXX.

Quid hoc Iogo nomen, significet.

Tertullianus lib. 4. contra Marcion. per nomen in hoc loco significari dicit Euangelium, cui expositioni fauet illud Mar. 8. Qui perdidit animam suam propter me, & propter Euangelium, saluam faciet eam. & cap. 10. Qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut agros propter me, & propter Euangelium. At vero accommodatior est expositio Commentarij: nam hic est sermo de eiectione ipsorum Apostolorum, non de Euangelio, aut doctrina eorum. Illud (malum) Græce habetur πονηρόν, quod de diabolo solet dici, Matth. 6. libera nos à malo, quia non solum in se malus est, sed etiam aliis nocet, eosque inficere conatur, quales sunt hæretici, quorum sermo, vt cancer serpit, quorumque conuersatio pestis est, quæ velocissime, ac perniciose in alios diffunditur. Aduer-

tendum autem est, Discipulos à Iudæis, & gentibus passos fuisse, immo grauiora à gentibus, à quibus plurimi eorum occisi sunt; vtriusque persecutionis meminit Dominus Ioan. 16. Absque synagogis, inquit, facient vos; sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare DEO. Illud ad Iudæos, hoc ad gentes pertinet, vt in commentarijs illius loci explicuimus. Nunc autem Dominus vnius persecutionis facit mentionem, quia magis erat proxima, & quia apud Iudæorum turbam loquebatur, verba sequentia hoc probant: nam subiungitur (hæc faciebant Prophetis Patres eorum). illud (eorum) ad homines, de quibus locutus erat, refertur; constat autem hos patres, à quibus prophetæ passi erant, fuisse Iudæos.

Ioan. 16.

Gaudete in illa die, & exultate.

COMMENTARIA.

Non solum beatos prædicat Discipulos, quia ab hominibus prædicta passuri erant, sed eodem tempore, quo ea inferentur, gaudendum, & exultandum eis esse monet. gaudium ad animam, exultatio ad corpus pertinet, & ex illo prouenit: nam quando animi gaudium vehemens est, intra illius terminos cohiberi non potest, sed ad corpus se diffundit, & illud motibus quibusdam, ac gesticulationibus velut signis excitat. Ad tale igitur, tantumque gaudium Christus exhortatur suos, cum propter eum ab hominibus maledicta, ceteraque mala sustinebunt.

Ecce enim merces vestra multa est in celo.

COMMENTARIA.

Tribus, quæ in malorum perceptione sunt, tria quæ in mercede recipiuntur, opponit.

VR in illa die gaudendum sit, & exultandum, exponit, quia, inquit, merces, quam pro patientia in his illatis malis accepturi estis, multa est in celo. Tria monuerat difficilia, nempe in illatis malis gaudendum, & adhuc, quod magis est, exultandum, & quod maximum est, in illa die, non solum post illata mala, sed tunc tunc, quando inferentur, vt etiam præsentibus malis gaudeant, & exultent. His igitur tribus tria opponit, quasi diceret, gaudete, quia merces est vobis proposita, exultate, quia magna, & multa est; & in illa eadem die, quia in celo est merces hæc magna; quæ enim in die fiunt, momentanea sunt, quæ vero in celo est merces, æterna est; æterna ergo bona cum multo maiora sint malis temporalibus, plus debent valere, etiam si futura sint, ad gaudium excitandum, quam hac mala etiam præsentia, ad tristitiam commouendam.

ANNOTATIO XXXI.

Beatitudo quæ in Euangelio appellata sit merces, brauium, corona, & hæreditas.

Perpendenda sunt singula verba, quibus Christus Discipulis iussit gaudere, & exultare eo tempore, quando maledicendi erant, & eiciendi ab hominibus. Quia enim rem difficilem præcipiebat, eam verbis efficacissimis facilem reddidit. Sunt autem hæc quatuor. primum est (merces) in cuius declarationem aduerte, beatitudinem promissam Euangelium Christi seruantibus, quatuor nominibus in nouo testamento appellatam esse, nempe mercedem Matth. 5. merces vestra copiosa est; coronam. 2. Tim. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ; brauium Philip. 3. Ad destinatum persequor, ad supernæ vocationis brauium; hæreditatem, 1. Petr. 1. regenerauit nos in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem. hæc quatuor nomina eandem rem significant, diuersis tamen causis, & rationibus. Primo in operibus ex parte iustorum reperiuntur labor, & defatigatio: nam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, dictum enim est Apocal. 14. vt requiescant à laboribus suis. Ex parte vero DEI promissio, & pactum quoddam de beatitudine red-

denda, Matth. 20. quod iustum fuerit, dabo vobis. Ratione horum beati tudo mercedis nomen habet. 1. Cor. 3. mercedem inquit, accipient secundum laborem suum. cap. 10. Reddidit iustis mercedem laboris. Secundo in eisdem operibus inuenitur pugna, & certamen; sunt enim inimici, & hostes interni, & externi, qui iustos à bonis operibus, ac laboribus remouere conantur. Rom. 7. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Ephesi. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, qui ergo bene operantur, vincunt, & ratione victor: beatitudo dicitur corona. 2. Tim. 2. Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Est etiam tertio in eisdem operibus quædam contentio, & emulatio, tum cum alijs, dum iusti mutuo se acuant, & excitant ad bona opera, nec sinunt se ab alijs vinci, & superari, sed sancto zelo, ac contentione in ijs, quæ ad DEI gloriam spectant, non sustinent esse posteriores. de hoc dictum est. 1. Cor. 14. 1. Cor. 14. Quoniam æmulatores estis spirituum ad edificationem

Ecclesie, quærite, ut abundetis; tum etiam secū, dum se ipsos superare continuo curant, maioresq; in dies progressus facere, nec satis sibi esse ducunt, si hodie sint boni, ut heri, sed perfectiores in dies esse conantur. de qua contentione Phil. 3. dicitur; quæ retro sunt obliuiscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens meipsum ad destinatum persequor. ratione huius beatitudo dicitur brauium 1. Cori. 9. Qui stadio currunt, omnes quidē currunt, sed vnus accipit brauiū. Quarto iusti sunt filij Dei, & in hanc dignitatem per gratiam Christi in Euangelio prouecti, & beatificandi eo ipso, quo Deus beatus in se est, nempe Dei visione, dilectione, & fruitione, idcirco beatitudo eorum dicitur hæreditas.

Quare Christus mercedis nomine vsus sit.

ad Tit. 1.

His sic expositis, perpende, quanto consilio Christus nomine mercedis vsus sit; nam merces nō solum significat retributionem, sed certitudinem, & infallibilitatem quandā eius, certissimeque esse reddendam; quasi Deus quodammodo sua promissione se obligauerit illam exhibere, Tit. 1. Secundum spem vitæ æternæ, quam promissit, qui non mētur, Deus. Nota verbum (promissit qui non mētur) quasi diceret, certissima est vita hæc, & præmium, quia promissum à Deo, qui mentiri non potest. Hæc certitudo retributionis accommodatissima est ad inducendū gaudium in malis præsentibus; cum enim certissima sint mala, quæ tolerantur, debuit opponi, & exprimi certitudo non minor in his bonis, quæ futura sperantur, idcirco non nomine mercedis vitur Christus, quasi diceret, gaudete tunc, quia etiam si mala certa sint, quæ sustinebitis, non minus erunt certa bona, quæ speratis, quia promissa vobis sunt à me, qui Deus sum, & mentiri non possum.

Iustorum opera quomodo alijs profint.

Alterum verbum est illud (vestra) quod etiam ad gaudium excitandū plurimum facit. Duo indicat, primo quidem eam dandā propter opera eorum, quasi diceret, hoc quod vobis dabitur, ob eam patientiam, & tolerantiam dandum est, quam in tolerandis malis vobis illatis exhibebitis, videte quantum utilitatis ea vobis reportent. Aduerte opera aliorum neminem beatum facere, præfunt quidem iustorum opera in hoc sæculo alijs, ad impetrandam gratiam à Deo, & auxilium, quo conuertantur, & bene operentur; at si non id faciant, nemo saluabitur propter aliorū beneficia, sed propter propria, nec vnus recipiet mercedem operam alterius. Rom. 3. Reddet vnique iuxta opera sua, 2. Cori. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat vnusquisque propria corporis prout gessit, quod Grego. Nazianz. orat. in plagam grandinis, comprobatur illa parabola

Matth. 25. quinque Virginum, quæ aliarum quinque oleum petierunt, nec habere potuerunt.

Secundo indicat hoc verbum eam mercedem nunquam ab eis auferendam, bona quidem huius sæculi nostra perfecte non sunt, sed commodata potius, aut mutua, cum auferri debeant, nec nobiscum perseuerent; at merces hæc vera nostra erit, quia semper permanebit in nobis, quod quidem ad gaudium multum facit.

Tertiū verbū est (multa) apud Matth. cap. 5. habetur (copiosa) idem tamen est verbū Græcum & hic apud Lucam, & illic apud Matthæum, nempe πολλός, quod apud Græcos, & magnitudinem, & multitudinem significat, quod Latine duobus verbis explicatur, nempe magnum, & multū: Vere autem merces illa vtrumque complectitur; magna est enim, & multa: magna quidē ob excellentiā eius, longe enim superat omnia, quæ in hoc sæculo habentur. 1. Cori. 2. Oculum non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligūt illum; multa vero, quia omnia desiderabilia complectitur, & quidquid est in homine, perficit, animam scilicet, & corpus cum omnibus potentijs, & partibus. Optime autem respōdet malis toleratis, propter quæ promittitur, ut spes tantæ mercedis gaudium excitet in sustinentibus mala.

Vltimum verbum est (in cælo) quo nō solum perpetuitas mercedis significatur, sed etiam securitas recipiētium mercedem; sibi enim nemo aduersarius est, qui timeatur. Matth. 6. Theaurizate vobis thesauros in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, & furantur. Est etiam in mercede sinceritas, & puritas; in terra enim sunt bona mista doloribus, & miserijs, ac malis poenæ: in cælo autem purum gaudium, ac bonum, nulla ibi miseria, nihil quod contristet. Vide ergo, quam efficaciter Christus his verbis promissionis moneat suos ad gaudium & exultationem in tribulationibus.

Vnum autem postremo notandum est, Christum Discipulos, ut minus perfectos ad gaudium in perfectionibus excitasse spe mercedis futuræ; at vero postquam Spiritus sanctus super eos venit, tanto dilectionis feruore, & affectu erga Christū repleti sunt, ut in persecutionibus gauderēt eo ipso, quia propter eum patiebantur; facit enim amor vehemens ea, quæ in se sunt amara, dulcia propter eum, qui diligitur. Legimus enim Act. 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quia digni habitū sunt pro nomine eius contumeliam pati.

Secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

COMMENTARIA.

Sententia hæc causam reddit eius, quod præcedentia verba indicauerāt, nimirum Discipulos propter Christum odio habendos, exprobandos, & separandos à Synagogis; Sic enim, inquit, patres eorum fecerunt prophetis, quos etiam odio habuerunt; & exprobarunt, & eiecerunt; cum igitur non sint meliores filij eorum ipsis, eadem facient contra vos. Verbum hoc consolationis est, significat enim Discipulos ea passuros non culpa sua, sed malitia Iudæorum, sicut etiam prophetæ talia passi fuerunt, cū innocentes essent. Matthæus clarius habet: Sic enim, inquit, persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Est enim magnum consolationis argumētum in persecutione sine propria culpa mala illata sustinere. merito autem coram turbis Discipulos prophetis comparat, ut quando eos postea multa pati viderent, de eorum innocentia, & doctrinæ veritate non dubitarent.

Verumta-

Veruntamen na vobis diuitibus, qui habetis consolationem uestram.

COMMENTARIA.

Postquam beatos prædicauit eos, qui paupertatem conseruantur, esuriunt, flent, & propter eius nomen odio habentur, exprobrantur, & eiiciuntur, conuertit nunc sermonem, & deplorat eos, qui contrariis studiis incumbunt, eisque cominatur, ac futuram prædicit damnationem. Væ, inquit, vobis diuitibus, id est, qui diuitiis congerendis inhiatis, in eoque studio præcipue vestrum affectum collocatis, væ inquam vobis, quia iam habetis in hoc sæculo consolationem uestram, nec in futuro vllam aliam recipietis. Antithetum est hoc primæ illius beatitudinis, beati pauperes, quia vestrum est Regnum DEI.

ANNOTATIO XXXII.

Varie lectio- nes notantur.

IN Latinis exemplaribus legitur (qui) sicque legit Ambrosius lib. 2. offic. c. 5. & Gregorius lib. 18. moral. c. 24. vbi legit, qui hic habetis consolationem uestram; cum tamen Græce habeatur ὅτι, id est (quia) sicut in sequentibus sententijs, væ qui ridetis, quia flebitis, &c. sicque legit Irenæus lib. 3. cap. 14. Væ, inquit, vobis diuites, quoniam percipitis, siue ut in alijs quibusdam exemplaribus habetur, quoniam percipistis consolationem uestram. Tertullianus etiam lib. 4. contra Marcion. sic legit: Væ diuitibus, quoniam recepistis aduocationem uestram. similiter Rabanus lib. 7. in Ecclesiasticum cap. 5. forsan ergo est impressoris mendum loco (quia) ponentis (qui) quod si non est, interpretari debemus in causali sensu relatiuum esse positum, quasi ea sit causa comminationis, quem sensum sequentes indicant sententiæ, in quibus redditur causa talis comminationis, eumq; Ambrosius sequitur sic interpretans: Quoniam, inquit, avaritiæ studia, & desideria congerendi inani quadam voluptate pascuntur, qui consolationem vitæ præsentis habuerunt, remunerationem perpetuam perdidit. Hæc ille. In eodem sensu interpretatur Titus Bostrenus: Diuites, inquit, in extremam calamitatem ruituros asserit, ut qui suam hic mercedem, & consolationem receperint. simile illud est Matth. 6. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, quasi dictum esset, non accipient in altero sæculo mercedem. ita nunc dictum est, habetis consolationem uestram. Verbum est præsentis temporis, Græce potius significat (accipitis) nec est alia vobis speranda. Iuxta hanc sententiam Luc. 16. dictum est diuiti illi epuloni: Recepisti bona in vita tua. Non autem hoc in loco damnantur diuites sim-

pliciter, sed ij, qui ut supra diximus, cor in diuitiis apponunt, & qui eis inquirendis præcipuo studio incumbunt, iuxta illud Pauli 1. Timoth. 6. qui volunt, inquit, diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & in desideria multa inuolunt, & nocua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Hæc Pauli verba sententiam hanc Christi explicant. Docemur etiam hac Christi comminatione, & deploratione, diuitias non quidem malas esse, immo vti eis bene hominem posse, esse tamen instrumentū valde periculosum. Vnde recte Ambrosius hoc in loco: Commendatio, inquit, est consolatio pauperis, quā diuitis liberalitas, tamen non eos, qui habent diuitias, sed eos, qui vti nesciūt, sententiæ cælestis auctoritate condemnat. Nam ut ille pauper laudabilior, qui prompto largitur affectu, nec repagulis independentis egestatis inhibetur; inopemque se non putat, qui habet, quod naturæ satis est; ita hic criminiosior diues, qui vel Deo referre gratiam de eo debuit, quod accepit, nec censum ad communem vsum datum sine viū abdere, de fossisque terræ incubare thesauros non census igitur, sed affectu in crimine est. Hæc ille. Vnde non videtur satis accommodata interpretatio Hieronymi c. 27. in Iob. vbi hunc locum intelligit de Iudæis, qui diuites dicti sunt propter innumera beneficia Dei, prophetarum quoque oracula, siue promissiones plurimas, & Dei ipsius frequens alloquium, at re vera probanda est magis communis intelligentia, Christum hic loqui de diuitiis corporalibus, & de hominibus, qui eas habent non quocunque modo, sed qui confidunt in eis, præcipuumque suum studium in eis collocant acquirendis, augendis, & conseruandis.

1. Timot. 6.

Diuitiæ periculose.

ANNOTATIO XXXIII.

Particula (væ) quatuor modis in Scriptura sumpta.

Particula (væ) interiectio quædam est, quæ in Scripturis quadrupliciter accipitur. Primo quidem posita absolute significat malum aliquod poenæ graue, & dignum luctu. Ezech. 2. Scripta, inquit, erant in eo lamentationes, & carmen, & væ Apocal. 12. væ secundum abiit, & venit væ tertium. Altero modo accipitur cum regimine per modū deplorantis. Ierem. 4. Væ nobis, quia vastati sumus. Iere. 22. Non plangent eum, væ frater, væ soror. Threnor. 5. Væ nobis, quia peccauimus. Tertio per modum prædicentis malum futurum, & imminens. Isa. 31. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium. Luc. 21. Væ homini illi, per quē filius hominis tradetur. Quarto per modum comminantis. Isa. 30. Væ filij desertores dicit Dominus. Ezech. 34. Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Matth. 11. Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaim. Gregorius hom. 9. in Ezech. de (væ) loquens sic scribit: Væ in Scriptura sacra

pius de æterno luctu, quam de præseti soler intelligi recte autem dicit (sæpius) quia non semper, id est, in præsentibus tamen sententijs verum fit, quod Gregorius dicit: at qua significatione ex prædictis accipitur in sententia ista, inquirimus. possumus autem esse per modum deplorantis asserit Chrysostomus hom. 44. ad populum Antiochenum: De fleamus, inquit, eos, Christum sequentes, dicentem: Væ qui diuites estis, quoniam recepistis mercedem uestram, & consolationem. eodem modo Euthymius in præseti interpretatur. Postquam, inquit, beatificauit pauperes esurientes, ac flentes, & odio habitos, deplorat deinceps eos, qui contrario modo se habent, ut per beatificationem ad illa exhortetur, per deplorationem vero ab his auertat. Titus autem Bostrenus interpretatur per modum prædicentis, & prænantantis æternam damnationem. Tertullianus vero libro 4. contra Marcion.

Quomodo particula væ sumatur hoc loco.

Marcion. per modum admonitionis, & comminationis dictam interpretatur, quæ omnia recte dicuntur, & consonant. Illud tamen non est silentio prætereundum, quod ibi notat Tertullianus, quosdam nempe Marcionistas affirmasse pronunciatum esse à Christo vix istud per modum maledicentis, non quidem ex sententia propria, sed quod vix hoc sit à Creatore, volueritque Christus illis asperitatem Creatoris opponere, qui suam supra in benedictionibus sufferentiam commendaret. Distinguebant enim hi hæretici duo principia, & vetus testamentum ad vnum, quem Creatorem appellabant, nouum vero ad alterum, quem bonum, à quo Christus erat, referebant: iuxta hoc dicebant Christum protulisse hanc maledictionem, tanquam Creatoris, vt ex collatione huius sententiæ, ad sententias præcedentes, quæ beatitudinem continent, ostenderet Creatoris rigiditatem, ac seueritatem; suam vero bonitatem, ac clementiam. Contra hos Tertullianus docte respondet, eosque conuincit:

in primis dicit vnus & eiusdem esse, & præcedentes beatitudines, & has maledictiones, seu comminationes; idem enim est Deus, qui se bonum exhibet, ac benignum in illis benedictionibus, & iustum, ac iudicem in comminationibus; vtrumque enim doctrinæ perfectio complectitur, illud ad sectandum, hoc ad præcauendum, quod quidem manifeste ostenditur: nam cum sint hæc contraria, cuius est vnum, probare, erit alterum reprobare; qui enim beatificat pauperes, idem comminabitur diuitibus. Docet deinde diuitias non esse malas, nec propter se reprobari, immo instrumenta, & materia sunt virtutum, elemosinæ, & liberalitatis; tamen reprobandur propter accidentia plurima, quæ inde proueniunt hominum vitio, & abusu, vt supra diximus, eaque de causa, multa in Scriptura contra diuites pronuntiata sunt, tam in veteri, quam in nouo testamento. vide plura ibi apud Tertullianum.

Va vobis qui saturati estis, quia esurietis.

COMMENTARIA.

Contraria est hæc sententia illi superiori (Beati, qui esuriunt, quoniam saturabuntur) damnat ciborum usum immoderatum, commestationes, & ebriitates, gulæque vitium, quod etiam radix est multorum peccatorum, & qui id sequuntur, ventrem pro Deo habere censentur à Paulo ad Philip. 3. hi autem in futuro sæculo famescunt in æternum, non quod grauioribus alias poenas non sint passuri, sed quod particulariter hac vexabuntur, ac torquebuntur, sicut hoc peccati genere maxime in præfenti delectati sunt.

ANNOTATIO XXXIII.

Basilus in reg. fufius disput. cap. 19. hanc Domini sententiam explicans inquit: Immodice ventrem distendere, & immoderatis se epulis onerare, præterquam quod detestabilis, ac execratione dignus est, cum Dominus dixerit: Vix, qui saturati estis nunc, corpus etiam ipsum ineptum profusus reddit ad labores, & procliue in somnis, & morbis magis expositum facit ac peruium. Neque vero iuuauitate metiendus, aut spectandus est finis cibi sumendi, sed necessario tantum vsu ad vitæ conseruationem expeti debet, rejecta voluptatis libidine, quando voluptatibus seruire, nihil est aliud, quam ventrem suum Deum efficere. Hæc, & alia huiusmodi Basilus. Ex quibus habes Basilium legisse aduerbium (nunc) vix, qui saturati estis nunc, id est, in hoc sæculo, quod etiam legitur in sequenti sententia. idem aduerbium legit Hieronymus Ezech. 18. panis; inquit, credentium, & esurientium danus non est his, qui manducauerunt, & biberunt, & saturati sunt, & in crastino calcitraverunt, de quibus dicitur, vix, qui saturati estis nunc, quia esurietis, ne euomant illum, dicente Salomone. Euoinet enim, & contaminabit sermones suos bonos, quod aliis verbis Saluator loquitur: Ne deris sanctum canibus. neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Hæc ille. Quæ recitauit, quia sententiam hanc videtur Hieronymus intellexit.

Va vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.

COMMENTARIA.

Proposita est hæc sententia illi superiori (Beati, qui nunc fietis, quia ridebitis.) sensus est, vix iis, qui delitiis, voluptatibus, ac prosperitatibus huius sæculi se dedunt, in ipsisque suam collocant felicitatem; in futuro enim sæculo sine fine lugebunt, & flebunt, id est, animæ, & corporis miseris replebuntur. lugere ad animæ, flere ad corporum dolorem spectant. Non damnat Dominus absolute risum, & gaudium, lætitiæque, etiam de huius sæculi bonis, sed tunc, quando de illicitis rebus assumuntur,

assumuntur, aut de licitis, ita tamen vt præcipuum studium in illis ponatur; quod faciunt ij, qui ea rebus spiritualibus præponunt, nullam peccati rationem habentes, dummodo suis delitijs, ac voluptatibus perfruantur.

ANNOTATIO XXXV.

Qui risus à Christo damnatur.

Augustinus ser. 46. de Sanctis, hunc locum explicans sic habet: Multi sunt, qui peruerso ordine, de voluptate, & delitijs, & luxuria sæculi huius gaudere se credunt, sed quod in gaudio videntur ferere, necesse erit illis cum luctu, & lacrymis recipere, quia non mentitur ille, qui in Euangelio dixit; vix vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Sic fecit & ille infelix diues, qui purpura induebatur, & bysso: gaudium quidem habuit in mundo, sed flamas meruit inuenire in inferno; Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, tristitiam habuit in via, sed verum gaudium recepit in patria. Hæc Augustinus. Est tamen hoc loco aduertendū, Basilium in regu. breui. respon. 31. videri risum exteriorem ex hoc loco in vniuersum damnare, sic enim habet: An in vniuersum ridere non liceat? Respondit sic: Cum Dominus eos damnat, qui in hac vita ridet, quemadmodum perspicuum est nullum omnino locum dari fideli, in quo ridere debeat, & maxime in tam magno numero eorum, qui per transgressionem legis Deum inhonorant, & in peccatis morti se dant, quorum vicem moerere, & gemere conuenit. Hæc Basilus. Quæ si in rigore verborum intelligantur, probanda non sunt, cum non omnis risus sit reprobandus, vt in commentario notatum est, idcirco idemmet Basilus rigorem hunc temperans, & se declarans, risum immoderatum reprobatum docuit in regu. fufius disput. interrogat. 17. vbi sic scripsit: Illud etiam, quod à plerisque negligitur, non mediocriter cauere ab ijs debet, qui colendæ pietati studet, ne in risum videlicet præter modum effusi sint, quandoquidem non abesse à se intemperantiam significat is, qui profuso nimis, petulanteque risu teneatur; seseque anippi sui motus nequaquam sedatos, eiusque mollitiem, ac veluti laxitatem nequaquam ratione seuera habere com-

pressam declarat. Verum enim modice risum diducere, eoque modo animi sui diffusionem leuiter significare, non est contra decorum, quatenus illud tantum indicetur, quod scriptum est proverb. 15. Cor gaudens exhilarat faciem; illud autem in immanes cachinnos prorumpere, & corpore contra animi voluntatem suffultare, nequaquam est eius, qui animo compositus sit, aut plane probo, & cōpote sui ipsius. Porro hoc ita esse vir sapientissimus Salomon Ecclesiastici 21. confirmat his verbis: Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit. Huiusmodi genus risus Ecclesiastes cap. 2. damnans, tamquam rem, animi constantiæ, & grauitati maxime contrariâ, sic dicit: Risum reputaui errorem, & Ecclesiastici 7. Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. Atque etiam ita esse Dominus ostendit, qui susceptis ceteris, quæ necessario corpus sequuntur, affectionibus, ijsque omnibus, quæcumque virtutis testificationem habent, veluti lassitudinem, & misericordiam aduersus calamitosos, risu, quantum ex Euangeliorum historia cognosci potest, vsus numquam sit, cōtraque omnes, quotquot à risu tenerentur, miseros appellauerit. Hæc, & alia huiusmodi Basilus. quod autem notat Christum non legi risisse, etiam aduertit Augustinus ser. 35. de Sanctis, quod argumentum est, risum ad virtutem non esse necessarium, vt dicit Basilus, intellige tamen de risu immoderato: nam risus moderatus, & cum corporis modestia indicat animi gaudium, quod de propria, & de proximorum prosperitate etiam temporali, licite assumitur. propterea Paulus Rom. 12. monet: Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. & Ecclesiastes 3. Tempus flendi, & tempus ridendi.

Ecclesiastici 21.

Christus risus se numquam legitur in Euangelio.

Va cum benedixerint vobis omnes homines.

COMMENTARIA.

Vltima hæc sententia illi vltimæ benedictioni superiori respondet, qua Dominus sectatores laudis humanæ incusat, qui non tam Deo, quam hominibus placere cupiunt: maxime hæc ad Discipulos Domini, & ad eos, qui in verbi prædicatione, & Euangelij administratione illis succedunt, diriguntur, vt postposito omni humanæ gloriæ appetitu veritati incumbant, scientes damnationem imminere ijs, qui veritate postposita grata prædicant hominibus, vt ab eis plaris fiant, ac magnificentur. Vnde Paulus recte Gala. 1. si hominibus, inquit, placerem, seruus Christi non essem. Extenditur etiam sententia hæc ad eos, qui magnifica de se audire cupiunt, omnemque reprehensionem, cum ea digni sint, abhorrent; tam hi, quam illi, etiam si omnes homines ipsis benedixerint, eorumque facta probauerint, miseri sunt censendi, & digni vix, & lamentatione: male enim viuere, & ab hominibus commendari summa est miseria: nam hominum reprehensio lux quædam est, manifestans male agentibus, quæ forsitan ignorant, ac frenum eos à vitijs fortiter reprimens.

ANNOTATIO XXXVI.

Que hominis laus, & benedictio improbetur.

Illud (omnes) in vetustis nonnullis codicibus non habetur, nec ab Euthymio legitur, nec à Tertulliano lib. 4. contra Marcionem. habetur tamen ab Irenæo li. 3. cap. 14. significat autem multitudinem, aut generalitatem, eo nempe sensu, cum benedixerint vobis homines, etiam si omnes sint, quod autem ad sensum pertinet, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem hanc sententiam interpretatur prolatam contra laudis humanæ sectatores. Titus etiam Bostrenus eandem explicans sic inquit: similem addit poenam eos adituros, qui ab hominibus laudari, magnique apud

omnes fieri volunt. Hæc ille. Studium enim laudis humanæ, auræque popularis captandæ, quando eo peruenit, vt propter humanam laudem mandati, seu præcepti alicuius obseruantia prætermittatur, aut veritatis necessariæ confessio, siue prædicatione negligatur, vel eo præcipue sine lex impleatur, vt humana laus capretur, aliter non implenda, nisi laus illa prætenderetur, vitium est æterna damnatione dignum: tales illi erant, de quibus Matth. 24. dictum est: Omnia opera sua faciunt, vt ab hominibus videantur. Similiter & illi, de quibus Ioan. 5. Dominus

Gastrimargia reprehenditur.

Que faturus hoc loco damnatur.

Obomnes

nus pronunciauit: Quomodo potest credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non queritis? illi etiam, de quibus Ioan. 12. habetur: Propter metum Iudæorum non confitebatur. dilexerunt enim magis gloriã hominũ, quã DEI. Fuerunt etiam pseudoprophetae multi, qui auram populi captantes, falsa, grata tamen illi annunciarunt, de quibus sequenti sententia fit sermo. Vt

tamen in commentario diximus, hæc præfensententia licet eos omnes complectatur, tamen præcipue prolata est propter Discipulos, & verbi prædicatores, vt ab humanæ laudis studio detererentur, quæ impedimento maximo est veritati prædicandæ, & annuncian-dæ, quæ in plurimum ijs, qui male viuunt, displicere solet. hunc enim sensum sequens sententia ostendit.

Prædicatores verbi Dei ab humana laude maxime abhorrent debeat.

Secundum hæc enim faciebant pseudoprophetae patres eorum.

COMMENTARIA.

Causam reddit sententiæ præcedentis: Nam patres, inquit, eorum, nempe Iudæorum, sic faciebant falsis Prophetis, benedicebant enim eis, laudabant, & magnificabant illos, qui tamen deplorandi potius erant, cum falsa narrarent, vt populi fauorem, & auram sibi conciliarent. Vtriusque igitur, tam huius, quam præcedentis sententiæ sensus hic est. vobis, cum vobis benedixerint homines, quia similes eritis pseudoprophetae, quibus Iudæorum patres olim benedicebant, in eandemque damnationem vos incidetis, in quam & illi, cum omnibus placere magis, quam Deo volueritis, quod illi fecerunt, de quibus scriptum est Ierem. 5. Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia.

Sed vobis dico, qui auditis.

COMMENTARIA.

Hactenus oculos in Discipulos attollens locutus est, nunc ad turbas circumstantes sermonem, & oculos conuertit; vt autem, quæ dicturus erat, eis dici significaret, adiunxit (qui auditis) nam prius dixerat (vobis diuitibus: vobis, qui saturati estis) &c. quæ absentibus potius conueniebant; at quæ sequuntur, illis etiam præsentibus prædicabantur, propterea dicit (vobis, qui auditis). Particula (sed) diuersitatem indicat, quasi dictum esset, quæ deplorando dixi, non tam propter vos præsentibus, quam propter illos, qui ad me venire volunt; pronunciaui; sed vobis: qui audire me venistis, quæ sequuntur, dico; eos enim, qui me sequuntur, dignum est me ea docere, quæ illos oportet facere.

Diligite inimicos vestros.

COMMENTARIA.

Præceptum dilectionis proximi, quod Deus in monte populo tradiderat, quodque sinistram à Iudæis interpretationem acceperat, nunc Christus explicat, & iniungit, diligite inimicos vestros; quasi diceret, præcepit vobis Deus olim diligere proximum; ego autem dico proximi nomine etiam inimicos intelligi; nec solum dico, & declaro, sed etiam eadem auctoritate præcipio. Non quod velim vos diligere inimicitiam, & malam voluntatem, quam contra vos gerit inimicus vester, sed quod propter inimicitiam, & malam illius voluntatem non desinat illi homini, qui proximus est, bene velle, sicut mater diligit filium infirmum, & ægrotum, non quod diligit, & optet morbum, sed quod propter infirmitatem, & ægritudinem non cessat amare filium suum, eique bene velle, sic & vos diligite inimicos vestros.

ANNOTATIO XXXVII.

Quæ bona inimicis optanda, & qua de causa idem sint diligendi.

Cum diligere aliquem non aliud sit, quam illi bonum velle, fit, vt in dilectione duo intercedant, nempe bonum ipsum, quod illi volumus, & optamus; ac causa siue ratio, propter quam illi tale bonum volumus, seu quæ nos inducit, vt bonum ei velimus. Si igitur quispiam interroget, quod est bonum, quod inimicis velle iubemur? Respondeo esse spirituale, & quod ad animæ salutem spectat; velle enim debemus inimicis, & proximis quibuscumque felicitatem æternam, & ea, quæ in hoc sæculo ad eam affequentiam illis necessaria sunt. Nec tantum bonum spirituale volendum, ac optandum illis est, sed etiam bona temporalia, quæ instrumentum, & adiutorio eis fuerint, ad spirituale obtinenda. Hæc enim nobis ipsis volumus, & velle debemus, si nos vere diligimus. Si vero quispiam interroget, quæ

fit causa, propter quam inimicis hæc bona velle debemus? Respondeo Deum ipsum esse, propter Deum enim diligendi sunt inimici, sunt enim ipsius creaturae, ad imaginem ipsius creati, & ad ipsummet ordinati, & Deus illos a nobis diligi voluit. Hoc ergo dilectionis inimicorum præceptum est, vt inimicis bona spiritualia, & quæ ad ea necessaria sunt temporalia, velimus, Dei ipsius intuitu. Hæc duo in dilectione concludi docet Gregorius hom. 27. in Euangelia interpretans illud Ioann. 15. (diligatis inuicem sicut dilexi vos) de priori enim sic inquit: Sicut dilexi vos, ac si aperte dicat, ad hoc amate, ad quod amaui vos. De posteriori sic habet: Ille veraciter charitatem habet, qui amicum diligit in Deo, & inimicum propter Deum; id etiam probari potest ex illo 1. Ioann. 4. Qui diligit fratrem, Deus in illo.

1. Ioan. 4.

illo manet; dicitur enim Deus manere in diligente fratrem, quando diligitur frater propter Deum.

Ex his facile est distinguere hanc dilectionem ab aliis dilectionum generibus, quæ ad hoc præceptum non pertinent; sunt enim quatuor dilectionum genera. quædam est primo loco dilectio vitiosa, & mala, quando vnus alterum diligit causa, & ratione aliqua inhonesta, & iniqua, quæ dilectio præterquam quod reprobanda est, est etiam falsa, & instabilis: falsa quidem, quia qui se ad malum diligunt, potius se odio habere dicendi sunt; etsi enim, qui sic alterum diligit, bonum aliquod temporale velit, tamen ex altera parte malum spirituale, quod verum malum est, desiderat. psal. 10. qui diligit iniquitatem, odit animam suam: qui ergo in altero diligit iniquitatem, odit animam eius. Ita deduxit Origenes tract. 23. in Matth. Instabilis etiam est hæc dilectio, quia cessante illo vitio, quod multis de causis cessare contingit, perit dilectio talis, immo aliquando conuertitur in odium, quo se mutuo prosequuntur, qui sibi prius inuicem bene volebant.

Alterum dilectionis genus est commune, quando diligendi ratio, accidens quoddam est temporale, vt qui se mutuo diligunt, quia eiusdem sunt patriæ, aut nationis, aut quia in studiis socij, aut propter mutuam conuersationem, aut propter beneficium receptum, aut expectatum, aut similibus de causis, quæ dilectio non est vitiosa, nec mala ex se, facile tamen solubilis est, quia vel minima æmulatio, aut indignatio, aut propria vtilitas, inter sic se diligentes subortæ soluunt dilectionem; non enim resistit multum iis, quæ dilectioni aduersantur.

Tertium dilectionis genus est naturale, quod carnis coniunctioni nititur, quando quidam se diligunt, quia affines, cognatiue sunt, ratioque diligendi est coniunctio talis, quæ dilectio bona quidem est, & laudabilis in se, tamen imperfecta est, quia hæc sola diligendi causa non efficit, vt dilectio actus sit virtutis. Vnde Gregorius hom. 27. in Euang. de ea loquens, sic inquit: Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, & carnis, quibus in hac dilectione sacra eloquia nõ contradicunt, sed aliud est, quod sponte naturæ impenditur, aliud, quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur, quia amorem suum non spiritualiter, sed carnaliter impendunt. Hæc ille. Angusta etiam est, nam ad paucos extenditur, cum pauci sint hoc vinculo coniuncti; quando enim ad quartum gradum, aut quintum cognatio peruenit, fere iam cessat vinculum hoc, & causa dilectionis; immo debilis etiam est dilectio talis: nam multa solent eam mutare, & in odium conuertere. Vt enim notat Ambrosius lib. de Noe, & arca cap. 26. sæpe hæreditatis diuidendæ

causa mutuo se odio prosequuntur, plusque potest amor pecuniæ, quam vinculum hoc naturale. Videmus etiam, vt dicit Chrysostomus hom. 1. in Epistola ad Colossem. filios mortem patriam optare, vt hæreditas ad eos perueniat. Est etiam dilectio hæc periculosa; ob carnem enim, & sanguinem multa compelluntur homines facere erga sibi coniunctos contra rationem, & legem Dei, quod experientia abunde nos docet.

Quartum dilectionis genus est morale, & honestum, quando quidam se mutuo diligit propter virtutem aliquam, & dilectio huiusmodi bona est, & perfectior præcedentibus; tamen fallax, & mutabilis. fallax quidem, quia sæpe decipimur, existimantes quempiam esse iustum, bonum, temperatum, &c. cum re vera non sit talis: mutabilis vero, quia dilectio huiusmodi cessat, quando qui se ea diligunt, desinunt esse tales, quales erant; ablata enim ratione, & causa diligendi, remouetur etiam dilectio.

Ab his omnibus dilectio, quam Dominus præcipit, differt, eisque superior est, vt pote, quæ maximam omnium diligendi causam habet, scilicet Deum ipsum, atque perfectius bonum vult, nempe spirituale, & æternum. Vnde hæc dilectio vera est, ac stabilis, ampla, fortis, verax, & perfecta. vera quidem, quia verum bonum iis, quos diligimus, cupimus, stabilis, quia causa diligendi immota manet, nempe Deus ipse, propter quem diligimus; quantumcunque enim mutentur homines quos diligimus, semper tamen perseuerat ratio propter quam diliguntur. Vnde recte Augustinus lib. 4. confession. cap. 9. Ille solus, inquit, nullum perdit amicum, cui omnes in eo chari sunt, qui non amittitur: ampla, quia ad omnes extenditur, non solum homines cuiuscunque nationis, ætatis, sexus, & conditionis, sed etiam ad Angelos; omnes enim hi propter Deum diligendi sunt: fortis etiam est, quia ratio amandi, & diligendi efficacis im a est, ac sufficiens ad superanda omnia, quæ dilectionem impediunt; propter Deum enim omnia, quæ aduersantur, superari debent; siue enim homo inimicus sit, siue onerosus, siue quodcumque aliud impedimentum habeat, quominus diligere in se debeant, plus debet momenti habere apud nos Deus ipse, propter quem diligimus; quod quidem paulo inferius magis dilucidabitur: verax est, quia quamuis falli possimus in hominum qualitate dignoscenda, in ratione tamen amandi falli non possumus; semper enim propter Deum diligendus est proximus, siue bonus, siue malus sit: perfecta, demum est, quia per hanc Deo maxime assimilamur, qui omnia diligit, & propter seipsum diligit: idcirco enim dicitur Matth. 5. estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. sermo ibi de dilectione est. Ex his omnibus facile est hanc Domini cam sententiam intelligere.

Dilectio a Deo præcepta omnibus excellentior.

ANNOTATIO XXXVIII.

Præcepti de diligendis inimicis, quomodo adimplendum.

Athuc sunt nonnulla consideranda pro maiori eiusdem sententiæ explicatione. Primo quidem ad implendam hanc inimicorum dilectionem multa spectare. vnum est non habere odio inimicum; qui enim odit eum, dilectioni maxime aduersatur; hoc tamen non sufficit, sed est alterum etiam necessarium, nempe vt bene velimus ei; hoc est enim diligere, quod Dominus Matth. 5. expressit, dicens: Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, quasi diceret: Non aliter erga inimicos, quam erga amicos vos exhibete, hos non solum non habetis odio, sed bene eis vultis; sic cum inimicis facite, vt non tantum non odio habeatis illos, sed etiam diligatis. Vnde

merito Hieronymus Matth. 5. reprehendit eos; qui dicebant sufficere, si non odio habeant inimicos, nam diligere impossibile est. Errarunt quidem in duobus; tum quia non satis est non odisse: tum quia diligere impossibile non est; nam præsto est semper auxilium gratiæ Dei, quo possit inimicus diligi, si homo, quod est sui arbitrij, simul Deo iuuantem exhibeat. Nec etiam hæc duo semper satis sunt ad hanc dilectionem præstandam, sed necessarium est exteriora signa dilectionis dare, vt salutare, resalutare, sicut antequam inimicitia intercessisset, fieri solebat inter illos. quod Dominus Matth. 5. significauit, dicens: Si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nõne & ethnici hoc faciunt? Hæc sunt, quæ ad dilectionem hæc exhibendam erga inimicos spectant.

Secun-

Inimicorum dilectio partim sub precepto, partim sub consilio cadit.

Secundo aduertendū est, hanc Domini sententiā partim esse precepti, partim consilij; si consideremus quidē primū, nempe non habere odio fratrem, aut inimicū, nec ei velle malum, preceptum est, quod probatur illo 1. Io. 2. Qui odit fratrem suum, in tenebris est & 1. Ioan. 3. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Nomine autem fratris, inimicos etiam intelligi, res est manifesta. Secundum vero, nempe diligere inimicum, & ei bene velle, non semper preceptum est: nam duobus modis contingit diligere quempiam; priori quidem in generali, seu vniuersali; qui enim omnes generaliter diligit, beneque eis vult, non excipiendo quemquam, diligit etiam inimicum; posteriori vero modo, in particulari, quando distincte huic homini bene volumus. Si igitur dilectio in generali accipiatur, in precepto est semper; tenemur enim sic omnes homines diligere, eisque bene velle. quod si forsā quispiam inimicus noster est inter eos, a generali dilectione nostra non debet excludi. Dilectio vero in particulari perfectior est, non tamen in precepto, sed in consilio est, nisi quando occasio se offert, in qua inimico ex precepto benefaciendum est; tunc enim particularis affectus erga inimicum in precepto est. Sicut etiam diligere proximum in generali, preceptum est, in particulari vero consilium, nisi occurrat occasio exhibendæ dilectionis in particulari.

Tertium autem, nempe signa dilectionis exhibere, aliquando preceptum, aliquando consilium est. Sunt enim signa duplicia, quædam communia, quæ nemini negantur; vt salutare salutantes, salutare maiores, respondere loquentibus, & cætera similia, quæ etiam erga non amicos præstamus, & hæc in precepto sunt, nec licet negare ea cuiquam eo titulo, quia inimicus est, nisi quando negantur ad correctionem, aut punitionem iustam; sicut pater filium delinquentem non vult admittere, nec salutantem resalutare, vt confundatur, & emendetur. sic David 2. Reg. 14. Abfalonem a suo conspectu eiecit. Particularia vero signa, qualia sunt conuersatio, conuictus, & quædam alia peculiaria amicorum signa, exhibere consilium

est, non autem preceptum, nisi aliquando scandalum graue sequatur, si non exhibeantur, aut inimici salutari spirituali nocet priuatio talium signorum, aut graue damnum temporale adfert; tunc enim preceptum esset exhibere signa particularia. Hæc autem longius prosequi non est instituti presentis.

Tertio considerandum est, Basilium reg. breuior. respon. 176. affirmasse preceptum diligendi inimicos esse naturale, quod ea ratione probat, quia naturale est benefactores diligere: at inimici benefactores maxime nostri sunt; per eos enim beatitudinem consequimur, dicente Domino: Beati vobis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, &c. Hæc ratio Basilij non videtur satis accommodata: nam in non censetur benefacere alteri, qui non habet intentionem bonam conferendi. inimicus autem non eo animo inimicus est, vt prosit, sed vt noceat; idcirco non est benefactor. Præterea, quia utilitas, quam inimicus adfert, est ex parte illius, cui inimicus est, quia ille bene vitur inimicitia eius; hoc autem non facit illum benefactorem, aliàs, infirmitates, & mors, cæteraque similia, inter bona computarentur. Ea igitur causa non est probanda. Quod autem dicit, esse preceptum naturale, cum distinctione recipiendum est; quantum enim ad actum dilectionis, naturale preceptum est; sunt enim inimici diligendi; at vero quantum ad rationem dilectionis, & bona, quæ ex charitate velle debemus, nempe propter Deum ipsum; & bona spiritualia, & ad beatitudinem ordinata, supernaturale est; hæc enim sola fides manifestat. Dico igitur actum ipsum, nempe amare, & quantum ad bona naturalia, & moralia, diligere inimicos, naturale esse preceptum, & obligans etiam gentes, & infideles; idque philosophi quidam docuerunt; ratio autem ea est, quia naturale est proximum diligere, quia proximus est: cum autem inimicitia non tollat hanc proximi rationem, diligi debet proximus, quamuis inimicus, sicut diligendus est pater, licet filio insensus, quia ratio paternitatis semper manet. Dicemus plura, quando de rationabilitate huius precepti paulo inferius tractabimus.

Preceptū diligendi inimicos partim naturale partim supernaturale.

Plus sunt diligendi amici, quam inimici.

Dilectio inimici, latior, purior, & perfectior est quam dilectio amici.

malum illius est, & ob damnum ipsius, ille est, qui huic dilectioni aduersatur.

Tertio considerandum est hoc dilectionis preceptum, non auferre ordinem charitatis; non enim præcipit Christus nobis aqualiter diligere amicos, & inimicos; plus enim diligendi illi, quam hi sunt, quod recte docet Origenes hom. 2. in cantic. & Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos, immo inter inimicos ipsos non est dilectio æqualis, vt idem Origenes hom. 3. in cantica notauit; plus enim diligendus est melior; præcipitur ergo dilectio, sed non æqualitas dilectionis, nec ordo ipsius erga diligendos auferatur. Quod etiam in benefaciendo intelligitur; plus enim indigenti inimico est benefaciendum, quam minus indigenti.

Quarto considerandum est, dilectionem amicorum, & inimicorum, si inuicem conferatur, esse latiore, puriore, & perfectiore eā, quæ erga inimicos est. latior quidem est, quia qui diligit inimicum, diligit etiam amicum, non autem contra, cum multi amicos diligant, non autem inimicos, vnde Ambrosius ferm. 12. in psal. 118. illud (latum mandatum tuum nimis) de dilectionis inimicorum precepto interpretatur. Purior etiam est, quia qui inimicum diligit, vere ob solum Deum diligit; non enim est alia ratio in inimico, propter quam diligatur: at qui amicum diligit, sepe non ob Deum tantum, sed etiam ob amicitiam, seu ob ea, quæ ad amicitiam inducunt, diligit. Perfectior vero est, non quidem ex parte obiecti, seu eius, qui diligitur; hac enim ratione perfectior est amici dilectio: sed ex parte subiecti, id est, eius, qui diligit: nam difficilius est inimicum diligere, maiorque conatus volūtatibus necessarius est ad eum

diligendum, quam ad amicum, cum in illo diligendo sint multa, quæ impediunt, & auertunt dilectionem. qua de causa perfectio in diligente maior est necessaria ad inimicum diligendum. quod quidem Scriptura testatur Matth. 5. ad hanc enim dilectionem Christus exhortans, inquit: Estote ergo perfecti, sicut Pater vester perfectus est, quasi opus perfectionis sit diligere inimicum. Paulus etiam Rom. 5. Commendat, inquit, Deus charitatem suam in nobis, quod cum inimici essemus, Christus secundum tempus pro nobis mortuus est. Idem Doctores sacri tradunt; Augustinus enim in Enchiridio c. 73. & 74. affirmat diligere amicos esse incipientium, & proficientium; diligere vero inimicos perfectorum, nec homines peruenire ad hunc gradum nisi post multas orationes. Gregor. etiam lib. 9. moral. c. 9. adducens illud Ierem. 15. (Si Moyses, & Elias steterint coram me, non exaudiam) dicit hos in exemplum fuisse adductos, quia inimicos dilexerant, quasi id sit perfectorum. Bernardus etiam ferm. feriæ 4. hebdomadæ sanctæ, interpretans illud Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis: Maiorem inquit, tu Domine habuisti, qui pro inimicis tuis animam posuisti. Constat igitur esse perfectiorem dilectionem inimicorum, & consequenter maioris meriti apud Deum, cæteris paribus, quam dilectionem amicorum. Dico autem cæteris paribus, quia potest fieri, vt dilectio amici sit multo vehementior, & a maiori gratia proueniens, quam dilectio inimici, sicque magis erit meritoria: tamen si pares sint in intentione, & ab æquali gratia procedentes, tunc dilectio inimici maius habet meritum.

Rom. 5.

Ephes. 5.

Benefacite his, qui oderunt uos.

COMMENTARIA.

NON solo affectu dilectio est exhibenda, sed etiam effectu: oportet ergo benefacere etiam iis, qui oderunt nos; debet enim plus posse apud nos bonitas, quam apud alios malitia; si qui enim odio nos habent, id est, male volunt nobis, his non solum velle bona, sed etiam facere oportet; non tantum temporalia, sed etiam spiritualia, si opus est, vt odientium corporibus, & animabus subueniamus. Hoc enim est opus perfectæ dilectionis, quando nos odientibus ea præstamus, cum indigent, quæ & diligentibus. Sicut igitur ad implendum Domini preceptum diligendi inimicos, oportet non tantum non odio habere, sed simul etiam diligere, ita etiam in hoc precepto, iis, qui nos oderunt, non solum non male facere, sed etiam benefacere debemus. Est autem preceptum vtilissimum, nam qui benefacit odio habenti, odium illius in amorem conuertit. Nam beneficia animos recipientium conuertunt, faciuntque, vt qui odio prius prosequerantur, postea summo diligant affectu, immo vt eos etiam peniteat aliquando odisse.

ANNOTATIO XXXIII.

Basilij regul. breuior respon. 176. hanc Domini sententiam non de bonis temporalibus tantum, sed etiam de spiritualibus intelligendam ceter, utroque enim modo est benefaciendum iis, qui nos oderunt; Verba ipsius sunt: Quoniam homo constat ex animo, & corpore, quod quidem ad animum attinet, eos, qui huiusmodi sunt, diligemus castigando, admonendo, & omnibus modis ad sanitatem reuocando: Quod vero ad corpus pertinet, beneficiis ipsos subleuando, cum aliqua re egeant earum, quæ

sunt ad vitam necessariæ. Hæc ille. Dilectionem autem non solo affectu, sed etiam effectu exhibendam exemplo Christi docet, & monet Paulus Ephes. 5. Estote, inquit, imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulat in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo, quasi diceret: Christus affectu, & effectu dilexit nos; hoc enim est benefacere. Quod etiam ipsemet Christus Mat. 5. Dei exemplo, Diligite, inquit, inimicos vestros, & benefacite iis, qui oderunt vos,

Dilectio non solo affectu, sed etiam effectu est exhibenda.

Quomodo liceat inimicis male optare.

hi, perficere autem non habeo, condelector tamen Dominico precepto secundum rationem spiritus mei, vt eos diligam, quamuis corruptibilitas carnis meæ repugnet; iam enim non operor ego illud, sed quod regnat in me peccatum; aliud enim est sentire, aliud consentire. Hæc Anselmus.

Secundo notandum est, non esse contra hoc dilectionis preceptum, si cui inimico velimus, & optemus aliquod malum temporale, non quidem, vt illi male sit, sed vt corrigatur, & emendetur a peccatis, & conuertat se ad spirituale bonum. Hoc docet Augustinus libro 1. de sermone Domini in monte cap. 37. & ratio ipsa confirmat; hoc enim non est odio habere, sed potius diligere; nam & medicus corpori infert malum cum venam incidit, & cibos prohibet; non tamen odio habet infirmum, sed diligit, quia propter sanitatem ea facit, malumque temporale ad spirituale bonum assequendum non mali, sed boni rationem habet. Non est etiam contra hanc dilectionem, si quis vni malum velit, & optet propter commune bonum conseruandum; licet enim desiderare perniciosos quosdam de medio auferri, ne noceant multis, ita docet Augustinus libro 1. de doctr. Christiana, cap. 25. vt enim recte inquit, hoc non est odio illos habere, sed plus diligere bonum commune, quam priuatum; quod ratio ipsa naturalis faciendum monet; totum enim parti præferendum est: qui ergo malum alteri vult, quia malum

Appetitus vinctus quomodo & quando non sit contra preceptū diligendi inimicos.

ANNOTATIO XXXIX.

Verba quædam pro perfectiori explicatione eiusdem sententiæ notanda, primo quidem ex Anselmo lib. de similitudinibus cap. 162. non esse contra preceptum diligendi inimicos, si quis appetitu carnis appetat damnum inimici, quando non est rationis consensus; sentiunt enim quidam quandam turbationem in se, & auersionem inuoluntariam aduersus eos, a quibus læsi sunt; non tamē ratione deliberata appetui tali adhærent, immo approbant Dominicum hoc preceptum, sed adimplere desiderant, ac procurant benefacere inimico, & bene de illo loqui, cum oportet. Verba Anselmi sunt hæc: Licet appetitus meus carnalis damnum inimici appetat, non tamen hoc ore profiteri debeo, sed potius damnum eius plangere, & contra appetitum carnis meæ illius prosperitati fauere, illius damnum solum verbo, si corde simul nequeo, demonstrare mihi displicere; nam si rationem consideramus, rectius agimus, quando Deo obedimus, quam faciamus, quando carnali voluptati consentimus; preceptum enim Domini est, vt inimicos diligamus. Si ergo eos affectuose diligere nequeo, quomodo carnaliter meam ad amorem eorum flexere valeo? Tamen velle debeo me posse eos amare, & donec valeam hoc agere, verbum, quod potestati meæ subiacet, bonum, & non malum de illis promulgare; cumque hoc ago, non mentior quando dico me illos diligere, quoniam velle adiacet mi-

vos, ut sitis filij Patris vestri, qui in caelis est, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.

An sit maius inimicum diligere quam ei benefacere.

Chrysolomus hom. 18. in Matthaeum affirmat superiorem hunc gradum esse priori, plusque esse benefacere inimico, quam ipsum diligere: quae quidem doctrina intelligenda est cum limitatione: nam benefacere aliquando ex dilectione procedit, cum benefacimus ei, quem diligimus, excitatque nos dilectio ad bona praestanda dilectis, sic autem difficilius est benecere, quam diligere, superiusque est illud, quam hoc, cum includat ipsum, & addat. Aliquando vero non ex caritate procedit, sed ex vana gloria, ut homo ostendet se, magnificentique ab alijs, quasi perfectus, & liberalis, quippe qui inimicis benefaciat; aliquando etiam ex timore, ne laedatur ab inimico, aut ne ab alijs reprehendatur, aliquando ex ambitione, quia praetendit aliquid ab eo, cui benefacit; immo aliquando procedit ex odio, ut si quis benefaciat inimico, ut eum confundat, aut ut eum peiore faciat apparere; quo modo refert Augustinus serm. 158. quosdam existi-

masse licere benefacere inimico ea intentione, ut si inimicitia perseveraret, grauioris aeternae poenae reus efficeretur, quod re vera est odio habere. Potest ergo beneficium exterius, non ex dilectione, sed etiam ex alijs causis provenire; tuncque minus est benefacere, quam diligere, faciliusque est illud quam hoc; immo etiam si bono animo fiat: facilius enim inducitur homo ad benefaciendum inimico, quam ad diligendum, ut patet ex Anselmo in annotatione superiori citato in lib. de similitu. cap. 162. Quod etiam in simili quodam docet Gregorius hom. 17. in Ezechielem affirmans, facilius esse tolerare iniuriam exterius tantum, quam interius. Hac de causa in veteri testamento legitimus beneficentiam erga inimicos expressam fuisse, non autem dilectionem, quia illa in se facilius erat. Exod. 23. Si videris, inquit, a finem inimici tui iacentem, ne praetereas, nisi prius alleues illum. & Prouer. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da ei aquam bibere. Dominus igitur in hac sententia benefaciendum ex dilectione docet iis, qui oderunt nos, in eoque sensu vera est Chrysolomus doctrina.

Exodi. 23.

ANNOTATIO XLI.

Rigenes dialog. 1. de recta fide, refert Marcione abusum fuisse hac sententia, ut suam haeresim confirmaret; assererat enim Deum veteris testamenti esse alium a Deo noui testamenti; & hunc locum proferebat, quia Deus in nouo testamento benefacere inimicis, & odio nos habentibus praecipit: at Deus in veteri testamento occidi iussit Amorrhaeos, Hethaeos, ceterosque habitatores terrae promissionis. Eodem argumento vsus est Adimantus, ut refert Augustinus cap. 17. contra eundem.

Praecepto diligendi inimicos, non solum eos non ledere, sed eisdem benefacere iubemur.

In elucidationem autem veritatis, explicanda sunt duo, quae in hoc Domini praecipio beneficiendi odientibus nos, continentur, nempe non facere malum, nec nocere illis, & rursus bene eis facere. Quod ad prius spectat, ille dicitur malum alteri facere, qui quod malum putat, illi facit, ut noceat; sunt enim duo necessaria. vnum est, ut putet esse malum, qui enim alteri facit malum, sed ignorabat esse malum, putabatque esse bonum, ac ideo illi fecit, non dicitur malefacere ei: contigit enim inquit Augustinus Epist. 48. ut qui sibi videtur bene alteri facere, ei noceat. quod etiam docuit Ambrosius ser. 4. & 20. in psal. 118. sit enim, ut pater congreget diuitias filio, arbitrans se illi benefacere, quae tamen plurimum ei nocent. Suntque exempla plurima huius rei, tam in bonis temporalibus, quam spiritualibus, ut re vera noceant, quae tamen bona esse putabantur. Is ergo dicitur malefacere alteri, qui quod putat malum, illi facit, nec hoc satis est, sed ut animo nocendi illi faciat; qui enim alteri malum aliquod facit, ut prosit, & maius adferat ei bonum, non malefacere dicitur, nec agit contra hoc praecipium. Vnde Paulus non dicitur fecisse malum illi Corinthio. 1. Corin. 5. quem tradidit satanae in interitum carnis, ut spiritus saluus fieret, similiterque qui correctionis, aut emendationis causa aliquod temporale malum infert ei, quem emendare tenetur, non agit contra praecipium hoc; sicque Augustinus Epist. 48. & Chrysolomus hom. 47. in Matth. tradiderunt. Rursus, qui in aliorum exemplum, & emendationem vni, aut alteri malum debitum infert, non aduersatur huic praecipio; quales sunt iudices, punientes fures, homicidas, ceterosque criminosos: hi non transgrediuntur praecipium hoc, quia non ut noceant, sed ut communitatibus, & rebus publicis profint, malaque auertant, ea faciunt. Sic excusat Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 79. Moysem, qui Exo. 32. plurimos morte affectit. Atque hoc pacto idem Augustinus respondet Adimanto, in loco superius citato; non enim in nouo testamento prohibetur per hoc Christi praecipium.

Exod. 32.

malos, & sceleratos in propriam, aut aliorum correctionem, & emendationem punire. Rursus, nec aduersatur huic praecipio, qui inuasorem vim vi repellendo occidit, non enim hic malum infert, ut noceat alteri, sed ut se tueatur, quando aliter id facere non potest. Quamuis in hac parte aliter videtur insinuare Augustinus lib. 1. de lib. arbitr. c. 5. & Epist. 154. ad Publicolam, vbi laudat leges impune id facere permittentes, tamquam minus malum. At re vera non minus malum, sed bonum est, licetque inuasores repellere non solum proprios, sed etiam proximorum, & si aliter non possunt repelli, occidere, ut vita propria, aut aliorum ab iniustis aggressoribus defendatur; quod docte tradit Ambrosius lib. 1. offici. cap. 36. vbi laudat Moysem occidentem Aegyptium illum in defensionem proximi, ne iniuste occideretur ab eo. His, & similibus exemplis constat, quid sit malefacere alteri, quique a ratione malefaciendi excludatur.

Vim vi repellere licitum.

Facile etiam est ex eisdem deducere, quid sit benefacere alteri: is enim benefacit, qui quod putat esse bonum, facit, idque animo, & intentione beneficiendi, saltem non nocendi voluntate: sunt enim duo necessaria. vnum est, ut existimet esse bonum: contingit enim quempiam alteri bonum facere, at ipse malum putabat: ideoque faciebat: nam multi arbitrantur se obesse alijs, cum tamen profint, sicut fratres Ioseph, qui existimantes damnum ei inferre, tradentes eum in Aegyptum, causam illi praestiterunt exaltationis, non tamen ob id benefecisse dicuntur, quia haec non ut bona fecerunt illi. Sicut enim male facit, qui alteri facit, quod putat esse malum, etiam si vere bonum illi sit; ita e contrario benefacit, qui quod bonum credit, alteri exhibet, licet malum sit. Praeterea opus est, ut animo benefaciendi faciat, aut saltem non nocendi. sunt enim, qui bona praestant alijs, non ut benefaciant, sed ut maiora bona illis impediunt, imitantes Daemonem, de quo Augustinus in psal. 40. refert, eum cum non potuisset Christum expugnare vituperando, ut fecit per idololatrias, tentasse id assequi laudando, quod per haereticos effecit, qui Christum confitendo eius Euangelio aduersantur. Sic quidam minora bona procurant alijs, inuidia aut odio, ut ea sint impedimento, quominus maiora consequantur, hi non bene, sed male facere dicendi sunt. Postremo notandum est pro rei huius intelligentia, non tantum eum malefacere, qui malum infert alteri, sed etiam qui bonum impedit. Nec etiam tantum benefacere, qui bonum facit alteri, sed etiam qui malum ab eo auertit. liquet ergo quid sit benefacere.

Quid sit al benefacere.

ANNOTATIO XLII.

Quid sit odio habere, & de quadruplici odientium differentia.

Explicandum consequenter est, qui sint hi, qui dicuntur odio habere aliquem, quibus benefacere praecipit Christus. odio autem habere, & diligere contraria sunt: sicut igitur diligere aliquem est bonum illi velle, ita odio habere non aliud est, quam malum alteri velle; illi ergo dicuntur odisse, qui maleuoli sunt, malumque alteri exoptant. Quorum multae sunt differentiae, Quidam odio habent alios ex causa; ij autem sunt, qui malum aliquod ab alijs receperunt, quo affecti, & excitati eos odio habent, ipsi quoque exoptant; non quod liceat illis odio habere suos malefactores, sed quod hi digni sint odio, quantum est ex parte ipsorum: contingit enim vnum iniuste agere altero iuste patiente, ut docte notauit Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 7. idque exemplo declarat illius, qui percutit illum, a quo prius percussus fuit; is enim, qui prius percussit, iuste patitur, tamen qui percutit, iniuste agit, quia non licet vindicare se. Quidam alij secundo loco odio habent sine causa, qui non prouocari ab alijs; aliquo malo, eos odio habent, hi dicuntur odio habere gratis. Ioan. 15. Odio habuerunt me gratis. vbi Cyrillus lib. 10. cap. 32. eos dicit odio habere aliquem gratis, qui sine causa, cum nihil

Ioan. 15.

ANNOTATIO XLIII.

Quo differant inimicus, & odio habens.

Vnt autem nonnulla dubia, quorum resolutio hac Dominicam sententiam perfectius elucidat. Primum est, quod sit discrimen inter inimicos, quos diligere praecipimur; & odio habentes, quibus benefaciendum est. Scriptura interdum haec duo distinguit, & copulat, psal. 105. Dominati, inquit, sunt eorum, qui oderunt eos; & tribulauerunt eos inimici eorum, & psal. 54. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is, qui oderat me, maligna locutus fuisset aduersus me, abscondissem me ab eo. Luc. 1. Salute ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Est autem differentia, inimici enim dicuntur, qui non tantum odio habent aliquem, sed exterius profitentur se odio habere; vt enim amicus dicitur, qui non tantum interius bene vult alteri, sed qui etiam signis exterioribus eam bonam voluntatem explicat; ita etiam inimicus. Nomina autem odio habentis is significatur, qui malum alteri exoptat, non tamen exterius profitetur hanc malam erga eum habere voluntatem; vel quia non audet; vel vt magis noceat; quamuis signis quibusdam, & effectibus saepe prodatur. Si vterque conferatur, peior est qui odio habet inimicum idque in multis: tum quia non solum nocet, sed etiam decipit, disimulat enim odium, nec vult agnosci, nocetque vt inimicus, sed non profitetur se velle nocere: tum quia difficilius est cauere ab ijs, qui odio habent, vt enim inquit Augustinus lib. 19. ciui. cap. 5. prius nocent, quam agnoscantur: tum etiam, quia huiusmodi solent magis odisse, grauiusque nocere, quam inimici; augetur enim odium simulatione, minuitur propalatione, maiusque infert detrimentum, qui sub specie amici, aut odio occulto nocet, quia alterum imprae paratum inuenit. Vterque igitur tam inimicus, quam qui odio habet, malum alteri vult, & exoptat, vterque etiam nocet, quando potest; sed discrimen est, quod ille exterius profitetur, quod habet in animo; hic vero non.

Quare Dominus praecipiat inimicos diligere, & odientibus benefacere.

Alterum dubium est, cur Dominus inimicos diligere, odio autem habentibus benefacere praecipit? Respondeo non sic esse haec duo separanda, quasi non

mali ab illo acceperint, eum odio habent. Quidam alij tercio loco sunt, qui odio habent non solum sine causa, sed etiam contra causam, qui nimirum oderunt illos, a quibus diliguntur, aut bona acceperunt, quod pessimum est, & maximae ingratitudinis argumentum. de quibus Ioan. 10. dixit Dominus, multa bona opera ostendi vobis a Patre meo, propter quod horum vultis me lapidare? de his etiam Augustinus psal. 7. interpretatur illud, si reddidi retribuentibus mihi mala, retribuentes intelligit eos, a quibus bona receperat; quibus David negat se mala reddidisse; de his etiam est illud psal. 37. qui tribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi. Quidam quarto loco sunt, qui oderunt sic alios, vt ex odio nullum sibi commodum querant, aut incommodum fugiant, quos Augustinus tract. 91. in Ioan. interpretatur dictos esse gratis odisse, similes demonibus, qui homines odio habent, nihil inde vtilitatis reportantes, nec quidquam mali proprii imminuentes. Omnibus his benefaciendum est, nec distinguere debemus, sed quouis modo odio nos habeant, eos diligere, & bonis prosequi, nullumque malum illis inferre tenemur.

An benefacere odientibus, sit praecipium vel consilium.

Benedicite maledicentibus vobis.

COMMENTARIA.

IS, qui nos verbo execrantur, seu maledicunt, contraria exhibere debemus, nempe eis benedicere, beneprecari, eos laudare, & commendare. Hac se adimpleuisse Paulus testatus est 1. Corinth. 4. Maledicimur, inquit, & benedicimus. Verbo autem maledicendi, non tantum maledictum, aut execratio, sed etiam conuitium, contumelia, caeteraque mala verbo illata significantur, sicut & verbo benedicendi, non solum beneprecari, sed etiam laudare, honorare, ac commendare indicatur. Sunt etiam & hi diligendi, eisque est benefaciendum, sicut & inimicis, & odio habentibus. est etiam benedicendum, sed peculiari quadam ratione benedictio est istis exhibenda, vt Spiritus Evangelij contrarius ostendatur spiritui huius saeculi, & vt verbo benedictionis omnis inimici maledictio auertatur, & superetur.

ANNOTATIO XLIV.

Qvod ad verba spectat, Tertullianus lib. 4. contra Marcion. hanc sententiam sic legit: (Benedicite iis, qui oderunt vos) in eoque sensu ipsam confirmat testimonio Isaia. eandem lectionem sequitur Augustinus lib. aduersus Adimantum, cap. 17. vbi sententiam praecedentem (benefacite iis, qui oderunt vos) legit, benefacite iis, qui vos maledicunt. At vero communis lectio, tam Graeca, quam Latina est, quam sumus interpretati. Quod autem ad rem pertinet; duo hae sententia complectitur. vnum est, ne maledicamus maledicentibus nobis, quod si his non est maledicendum, multo minus iis, qui non maledicunt nobis. Alterum est, vt ipsis benedicamus, & bona imprecetur. Hac duo Petrus explicuit. 1. epist. cap. 3. Non reddentes, inquit, maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes. Paulus etiam Rom. 12. Benedicite, inquit, & nolite maledicere. Non est autem aequa ratio horum duorum: nam prius scilicet non maledicere; praecipuum est, sicut etia non malefacere. Quod Hieronymus in Apologia aduersus Rufinum asserit, & probat illo 1. Corinth. 6. Maledici, & rapaces Regnum Dei non possidebunt. Eodem loco vritur Origenes hom. 14. in Leuit. ad idem probandum, vbi in hoc peccatum inuehitur multum. At vero posterius no praecipuum, sed consilium est, non semper obseruandum, vnde 1. Pet. 2. de Christo dixit: Qui cum malediceretur, non maledicebat.

Aduerte autem, sicut malefacere alicui est malum inferre opere; ita maledicere est malum inferre verbo; multis autem modis accipitur. Aliquando improprie, vt qui detrahunt alicui, aut conuitio, aut contumelia eum afficiunt, dicuntur maledicere, vnde tales homines vocantur maledici; hoc tamen proprie non est maledicere alteri, sed potius mala dicere de altero. proprie autem est, cum mala alicui verbo, siue interiori, siue exteriori imprecamur, quod dupliciter fit, aut sola voluntate, & desiderio, aut petitione, sicut saepe solent homines inuicem sibi maledicere; huiusque maledictionis Scriptura frequenter meminit. De qua maledictione, quae fit per imprecationem talem, pulchre Gregorius lib. 22. mor. c. 6. explicans illud Job: Non dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius, sic, inquit: Peccaret quippe, si hoc optaret a Deo fieri, quod ipse facere, vel omnino non posset, vel si posset, minime deceret: nam qui maledictionibus inimicum impetunt, quid aliud facere in illo Deum volunt, nisi quod ipsi facere aut nequeunt, aut erubescunt? Mortem namque aduersario exoptant, quam et si possunt inferre, metuunt, ne aut perpetrati homicidij rei, teneantur, aut iniqui appareant, etiam cum sint. Quid est ergo Deo dicere, Occide, quem odi, nisi apertis ei vocibus clamare? Hoc fac meo, Hoc

fac meo aduersario, quod me in illum facere, nec peccatorem decet. Hac Gregorius. Fit etiam hae imprecatio, non voluntate sola, sed etiam potestate, quando malum, quod verbo dicitur, opere inferitur. sic Deus maledicere solet, maledixitque terrae, & serpenti Gen. 3. solent etiam homines diuina potestate sic aliquando maledicere, quod Noe Gen. 9. fecit, cum dixit: Maledictus Chanaan, seruus seruorum eris. & 4. Reg. 1. fecit Elias: Si homo Dei, inquit, sum, ignis descendat de caelo, & deuoret te, ac quinquaginta, tuos. sic etiam Num. 22. Rex Balac petebat, vt Balaam malediceret populo, quando dixit, Veni, & maledic Iacob.

His suppositis notandum est, sicut non semper est prohibitum malefacere alteri (vt superius diximus: nam licet in utilitatem hominis aliquando malum inferre temporale, vt emendetur, & licet in punitionem eius ad aliorum emendationem malum illi facere, sicut faciunt Iudices punientes sceleratos) ita etiam licet maledicere; imprecari enim malum temporale in correctionem hominis, non est prohibitum, nec etiam in punitionem, quod fit zelo iustitiae. hac via existimo excusari quosdam in Scriptura maledictione vrentes in alios; legimus enim Act. 23. Paulum dixisse, Percutiet te Deus paries dealbate, cuque dictum esset ei, summum Sacerdotem Dei maledicis? Respondit Paulus, nesciebam esse eum summum Sacerdotem. Huic rationi posset quispiam opponere, sciebas o Paule esse Iudicem, & hominem, cui non licet maledicere, nec conuitiis afficere etiam si non esset summus Sacerdos. hac oppositio tollitur sic: Paulus enim zelo iustitiae tamquam Apostolus Christi, & auctoritate sibi data maledicebat illi, vt pote inique, & contra legem iudicanti, quod licebat illi facere, at non faceret contra summum Sacerdotem propter scandalum, idcirco se ignorantia excusauit. Hac etiam via excusatur Petrus act. 6. quando maledixit Simoni, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem. & Paulus etiam 2. Tim. 4. quando contra Alexandrum Aerarium dixit: Reddat illi Dominus secundum opera eius. & Elias 4. Reg. 1. quando protulit: Ignis descendat de caelo, & deuoret te, Omnes hae maledictiones zelo iustitiae, & potestate iudiciaria in delinquentes factae sunt, quibus etiam licebat malefacere. Illud ergo maledicere prohibitum est, quod non iudicio iustitiae, sed vindictae liuore, aut odio procedit, qua ratione nemini est maledicendum, nec etiam ipsimet, qui nobis odio, & liuore maledicunt. Hac distinctio, & doctrina pulchre, & docte traditur a Gregorio lib. 4. moral. c. 6. Quando autem prohibetur maledictio, generaliter accipitur, siue proprie, siue improprie, sicque maledicentibus est benedicendum. Vnde hoc verbo, vt in commentario dictum est, non tantum execratio, sed etiam contumelia,

quod meo aduersario, quod me in illum facere, nec peccatorem decet. Hac Gregorius. Fit etiam hae imprecatio, non voluntate sola, sed etiam potestate, quando malum, quod verbo dicitur, opere inferitur. sic Deus maledicere solet, maledixitque terrae, & serpenti Gen. 3. solent etiam homines diuina potestate sic aliquando maledicere, quod Noe Gen. 9. fecit, cum dixit: Maledictus Chanaan, seruus seruorum eris. & 4. Reg. 1. fecit Elias: Si homo Dei, inquit, sum, ignis descendat de caelo, & deuoret te, ac quinquaginta, tuos. sic etiam Num. 22. Rex Balac petebat, vt Balaam malediceret populo, quando dixit, Veni, & maledic Iacob.

His suppositis notandum est, sicut non semper est prohibitum malefacere alteri (vt superius diximus: nam licet in utilitatem hominis aliquando malum inferre temporale, vt emendetur, & licet in punitionem eius ad aliorum emendationem malum illi facere, sicut faciunt Iudices punientes sceleratos) ita etiam licet maledicere; imprecari enim malum temporale in correctionem hominis, non est prohibitum, nec etiam in punitionem, quod fit zelo iustitiae. hac via existimo excusari quosdam in Scriptura maledictione vrentes in alios; legimus enim Act. 23. Paulum dixisse, Percutiet te Deus paries dealbate, cuque dictum esset ei, summum Sacerdotem Dei maledicis? Respondit Paulus, nesciebam esse eum summum Sacerdotem. Huic rationi posset quispiam opponere, sciebas o Paule esse Iudicem, & hominem, cui non licet maledicere, nec conuitiis afficere etiam si non esset summus Sacerdos. hac oppositio tollitur sic: Paulus enim zelo iustitiae tamquam Apostolus Christi, & auctoritate sibi data maledicebat illi, vt pote inique, & contra legem iudicanti, quod licebat illi facere, at non faceret contra summum Sacerdotem propter scandalum, idcirco se ignorantia excusauit. Hac etiam via excusatur Petrus act. 6. quando maledixit Simoni, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem. & Paulus etiam 2. Tim. 4. quando contra Alexandrum Aerarium dixit: Reddat illi Dominus secundum opera eius. & Elias 4. Reg. 1. quando protulit: Ignis descendat de caelo, & deuoret te, Omnes hae maledictiones zelo iustitiae, & potestate iudiciaria in delinquentes factae sunt, quibus etiam licebat malefacere. Illud ergo maledicere prohibitum est, quod non iudicio iustitiae, sed vindictae liuore, aut odio procedit, qua ratione nemini est maledicendum, nec etiam ipsimet, qui nobis odio, & liuore maledicunt. Hac distinctio, & doctrina pulchre, & docte traditur a Gregorio lib. 4. moral. c. 6. Quando autem prohibetur maledictio, generaliter accipitur, siue proprie, siue improprie, sicque maledicentibus est benedicendum. Vnde hoc verbo, vt in commentario dictum est, non tantum execratio, sed etiam contumelia,

quod meo aduersario, quod me in illum facere, nec peccatorem decet. Hac Gregorius. Fit etiam hae imprecatio, non voluntate sola, sed etiam potestate, quando malum, quod verbo dicitur, opere inferitur. sic Deus maledicere solet, maledixitque terrae, & serpenti Gen. 3. solent etiam homines diuina potestate sic aliquando maledicere, quod Noe Gen. 9. fecit, cum dixit: Maledictus Chanaan, seruus seruorum eris. & 4. Reg. 1. fecit Elias: Si homo Dei, inquit, sum, ignis descendat de caelo, & deuoret te, ac quinquaginta, tuos. sic etiam Num. 22. Rex Balac petebat, vt Balaam malediceret populo, quando dixit, Veni, & maledic Iacob.

Non maledicere cupiam, praecipuum est, benedicere vero maledicentibus, consilium.

1. Petri. 3.

1. Corinth. 6.

Quid sit maledicere, & quot modis contingat.

Job. 23.

contumelia, conuitium, detractio, caeteraque similia comprehenduntur in qua significatione dictum est Exo. 28. Principem populi non maledices. Illud enim notandum est in Scriptura, quaedam esse sententias, quae videntur maledictiones, & non sunt, sed prophetiae malorum, quae ventura sunt iis, de quibus est sermo, tales sunt Psal. 68. obscurantur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua, similes in Psalms. & Prophetis leguntur plurimae.

Postremo notandum est vnum, quod docet Basilius Reg. breu. resp. 24. in maledictione animum, & intentionem loquentis obseruandum esse: nam contin-

Et orate pro calumniantibus vos.

COMMENTARIA.

Calumniatur ij, qui aliis falso crimina imponunt, quod verbis clarioribus Dominus expressit Matth. 5. dicens: Cum dixerint omne malum aduersus vos mentientes, hoc enim est calumniari; impendenda ergo sunt calumniantibus dilectio, & si opus eis est, etiam beneficia. Dominus tamen peculiare aliquid exhibendum consulit, & monet, vt scilicet preces ad Deum pro illis fundamus, vt omnem vindictae affectum a cordibus remoueamus; calumnia enim maxime ad vindictam contra calumniantem prouocat, quam oratio penitus repellit; qui enim orat pro calumniantibus, eorum debitum, & illatam iniuriam vere condonat; perfectio etiam Evangelica in his demonstratur; quo enim plus excrescit malum, eo magis charitas Christiana augenda, & exercenda est; inimicitiae enim multae sunt, peius est odium, pessima calumnia; e contrario bona est dilectio, melior beneficentia dilectioni coniuncta, optima vero oratio, quae impenditur iis, qui grauiori malo nos afficiunt, minusque digni dilectione sunt.

ANNOTATIO XXXIX.

Calumniator quantum ex se, grauius nocet, quam is, qui nocumentum temporale inferit. Primo quidem, quia malum culpa imponit, quod est peius malo temporali. Vnde Athanasius in Apologia ad Constantium Imperatorem affirmavit calumniam grauius ferire, quam lapides. Secundo, quia scandalum aliorum in illo, quae calumniatur, excitat, ac si vera crimine commisisset, qua de causa, vt docte notauit Gregorius lib. 8. epist. 45. ad Palladium; debet ille, qui calumnia affectus est, se defendere, & veritatem aperire, vt scandalum vitetur, quod & plurimi viri sancti fecerunt; nonnulli etiam Apologias conscripserunt, & Basilius magnus orat. de inuidia, calumniis resistendum esse docet. Tertio, quia eius, quem calumniatur, maxime, non solum corpus, sed etiam animam, quantum ex se est, perturbat, atque in progressu spiritali valde remorari facit, quod Ambrosius ser. 18. in psal. 118. affirmat versus illum Dauid interpretans, (redime me a calumniis hominum, vt custodiam mandata tua.) Verba Ambrosij sunt haec: Qui opprimitur calumnia, non facile potest custodire mandata diuina; tristitiae necesse est, plerumque, aut timori cedat, & affligatur, vel metu calumniae, vel dolore. Hac ille. Sunt etiam exempla multorum, qui etiam si sanctitate eminuerint, calumnia tamen conturbati sunt animo, ex quibus vnum proferam Basilius, qui cum calumniam pateretur impositae sibi haeresis, animo nimis perculsus est, vt ipse testatur in Epist. 82. cuius inter alia verba sunt haec: Ad hasce literas animatus, vt par erat, & ad tam inopinam, ac subitam immutationem animo perculsus, nec respondere quidem poteram; palpitabat enim mihi cor, lingua me destituebat. & plane patiebar, quod animo solet parum forti accidere. Dicendum enim quod verum est, & tamen venia dignum, deinde parum aberat, quin odium erga humanum genus exorbitassem, suspensique mihi fuissent omnes hominum mores, arbitrant: in natura humana no esse charitatis bonum, sed verba quaedam plausibilia ad orna-

tum, & cultum eorum, quibus vti velis conficta, affectum vero illorum secundum veritatem non inesse cordi humano. Hac, & alia Basilius. Id ipsum confirmat Salomon Ecclef. 7. Calumnia, inquit, conturbat sapientem, & perdet robor cordis illius. Ex quibus manifestum est, quantum malum sit calumnia. Hanc quidem, & multiplicem, & grauissimam passio sunt Christiani in primitiua Ecclesia, vt constat ex Tertulliano in Apolog. cap. 16. & Eusebio lib. 5. histor. c. 1. lib. 8. c. 6. lib. 9. c. 5. passi etiam sunt, & patiuntur multi viri iusti etiam nunc. Ideo merito Christus qualiter erga calumniatores nostros gerere nos debeamus, docuit dicens: Orate pro calumniantibus vos. Quam rationem prudentissime, ac sapientissime instituit faciendam propter multa praeter ea, quae in commentario dicta sunt.

git, vt malum, quod quis alteri imprecatur, sit bonum, at ipse malum reputat, & vt tale imprecatur, id circo maledictum reputabitur, sicut etiam e contrario, quod malum est, credi potest bonum, & tunc benedictio erit, quod etiam in superiori sententia notauimus. Verba Basilius sunt haec: Omne verbum, quod eo animo profertur, vt ex eo contumelia, aut ignominia alter afficiatur, maledictum est, licet verbum ipsum per se non videatur contumeliosum, atque hoc manifestum est ex Euangelio Ioan. 9. in iis, quae de Iudaeis loquens ait: Maledixerunt ei, tu ex discipulis illius sis.

Et orate pro calumniantibus vos.

Calumniatur ij, qui aliis falso crimina imponunt, quod verbis clarioribus Dominus expressit Matth. 5. dicens: Cum dixerint omne malum aduersus vos mentientes, hoc enim est calumniari; impendenda ergo sunt calumniantibus dilectio, & si opus eis est, etiam beneficia. Dominus tamen peculiare aliquid exhibendum consulit, & monet, vt scilicet preces ad Deum pro illis fundamus, vt omnem vindictae affectum a cordibus remoueamus; calumnia enim maxime ad vindictam contra calumniantem prouocat, quam oratio penitus repellit; qui enim orat pro calumniantibus, eorum debitum, & illatam iniuriam vere condonat; perfectio etiam Evangelica in his demonstratur; quo enim plus excrescit malum, eo magis charitas Christiana augenda, & exercenda est; inimicitiae enim multae sunt, peius est odium, pessima calumnia; e contrario bona est dilectio, melior beneficentia dilectioni coniuncta, optima vero oratio, quae impenditur iis, qui grauiori malo nos afficiunt, minusque digni dilectione sunt.

Calumniator quantum ex se, grauius nocet, quam is, qui nocumentum temporale inferit. Primo quidem, quia malum culpa imponit, quod est peius malo temporali. Vnde Athanasius in Apologia ad Constantium Imperatorem affirmavit calumniam grauius ferire, quam lapides. Secundo, quia scandalum aliorum in illo, quae calumniatur, excitat, ac si vera crimine commisisset, qua de causa, vt docte notauit Gregorius lib. 8. epist. 45. ad Palladium; debet ille, qui calumnia affectus est, se defendere, & veritatem aperire, vt scandalum vitetur, quod & plurimi viri sancti fecerunt; nonnulli etiam Apologias conscripserunt, & Basilius magnus orat. de inuidia, calumniis resistendum esse docet. Tertio, quia eius, quem calumniatur, maxime, non solum corpus, sed etiam animam, quantum ex se est, perturbat, atque in progressu spiritali valde remorari facit, quod Ambrosius ser. 18. in psal. 118. affirmat versus illum Dauid interpretans, (redime me a calumniis hominum, vt custodiam mandata tua.) Verba Ambrosij sunt haec: Qui opprimitur calumnia, non facile potest custodire mandata diuina; tristitiae necesse est, plerumque, aut timori cedat, & affligatur, vel metu calumniae, vel dolore. Hac ille. Sunt etiam exempla multorum, qui etiam si sanctitate eminuerint, calumnia tamen conturbati sunt animo, ex quibus vnum proferam Basilius, qui cum calumniam pateretur impositae sibi haeresis, animo nimis perculsus est, vt ipse testatur in Epist. 82. cuius inter alia verba sunt haec: Ad hasce literas animatus, vt par erat, & ad tam inopinam, ac subitam immutationem animo perculsus, nec respondere quidem poteram; palpitabat enim mihi cor, lingua me destituebat. & plane patiebar, quod animo solet parum forti accidere. Dicendum enim quod verum est, & tamen venia dignum, deinde parum aberat, quin odium erga humanum genus exorbitassem, suspensique mihi fuissent omnes hominum mores, arbitrant: in natura humana no esse charitatis bonum, sed verba quaedam plausibilia ad orna-

Calumniatur ij, qui aliis falso crimina imponunt, quod verbis clarioribus Dominus expressit Matth. 5. dicens: Cum dixerint omne malum aduersus vos mentientes, hoc enim est calumniari; impendenda ergo sunt calumniantibus dilectio, & si opus eis est, etiam beneficia. Dominus tamen peculiare aliquid exhibendum consulit, & monet, vt scilicet preces ad Deum pro illis fundamus, vt omnem vindictae affectum a cordibus remoueamus; calumnia enim maxime ad vindictam contra calumniantem prouocat, quam oratio penitus repellit; qui enim orat pro calumniantibus, eorum debitum, & illatam iniuriam vere condonat; perfectio etiam Evangelica in his demonstratur; quo enim plus excrescit malum, eo magis charitas Christiana augenda, & exercenda est; inimicitiae enim multae sunt, peius est odium, pessima calumnia; e contrario bona est dilectio, melior beneficentia dilectioni coniuncta, optima vero oratio, quae impenditur iis, qui grauiori malo nos afficiunt, minusque digni dilectione sunt.

Orate pro calumniantibus iubemur multis de causis.

corda conuerti, & eorum pœnitentiam ad salutem, sœpeq; euenit, vt hi diuina tacti virtute testimonium in se ipsos commutent, seque mendacij, & calumniæ arguant, quod oratio eorum, qui calumniam sustinuerunt, obtinuit. Vt enim apud Iudices huius sæculi multum prodest reo ad consequendam pœnæ remissionem, si pars læsa remittat, & oret pro eo, sic & multo magis prod est apud Deum ipsum.

Tertio iungitur oratio, vt insinuetur licere exterius aduersus calumniatores insurgere, non quidem illis malum inferendo, sed se purgando, ac veritatem, & innocentiam propriam tuendo in aliorum exemplum, vt paulo ante diximus.

Quarto, vt sic doceamus non solum non debere nos vindicare, sed nec desiderare à Deo vindicari, aut petere vindictam ab eo contra calumniatores, cum pro eis potius orandus sit Deus.

In cuius gratiam aduerte, quamuis vindicta sit relinquenda Deo; vt dicitur Rom. 12. non tamen licere petere eam à Deo, vt probat August. in enarrat. psalm. 78. immo si forsitan Deus infert malum calum-

niatori, aut ei, qui nos malo affecit, vindictamque sustinet de illo, non debemus gaudere, quod eodem loco tradit Augustinus, docens licere quidem gaudere de iustitia Dei, sed non de vindicta, & malo proximi, sicque interpretatur illud psalm. 57. Iustabitur iustus, cum viderit vindictam. Gregorius etiam lib. 22. moral. cap. 6. laudandum dicit de Dei iustitia, & de fructu aliorum, non tamen de malo proximi, quatenus illi malum est, nisi qua parte malum temporale proficit ad bonum spirituale consequendum. Sic enim est bonum velle illi, vt supra diximus. Nec hæc tantum satis sunt, sed etiam orandus est Deus, vt remittat calumnianti culpam, & cor eius conuertat, sicut fit pro illis, qui non sunt nos calumniati.

Quod si quis interroget, an sit hoc præceptum, an consilium? Respondemus eadem, quæ de dilectione dicta sunt, in generali esse præceptum; ab oratione enim nostra, qua pro omnibus oramus, non debemus excludere calumniatores, in particulari vero consilium est vtilissimum ob causas expositas.

An ad orandi pro calumniatoribus ex præcepto vel consilio tenentur.

Non licet à Deo vindicta contra calumniantes exorari.

Quid in orationibus pro calumniantibus sit petendum.

Quomodo etiam pro reprobis orandum dum viuunt.

Tria ex Scripturis obijciuntur contra superiorum Domini sententiam.

1. Ioan. 5.

ANNOTATIO XLVI.

Interrogabit quispiam, quid sit in oratione pro calumniantibus petendum? Cui respondeo, id esse petendum pro his, quod ex charitatis dilectione desiderandum est illis. quod quidem Augustinus serm. 59. de tempore, & Gregorius lib. 34. mor. c. 16. explicant, dicentes: Quid aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc, quod Apostolus ait, vt det illis Deus pœnitentiam, & respiciant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad ipsius voluntatem? Hinc infert Gregorius non esse orandum pro dæmonibus, nec pro hominibus damnatis, quia non possunt ad iustitiæ opera ab iniquitate commutari. Augustinus autem lib. 21. ciu. cap. 24. eandem orationem faciendam pro inimicis docet, infertque nec pro malis Angelis, nec pro damnatis orandum esse; adiungit tamen simili ratione non esse orandum pro iis, quos constaret in hoc sæculo esse reprobos, & igni æterno destinatos: nam Ecclesia orat nunc pro omnibus, quia non potest agnoscere, qui prædestinati, qui vero reprobi existant.

In hac parte mihi dicenda nonnulla videntur. primo non tantum illa petenda esse in oratione, sed etiam temporalia, vt necessaria sunt ad spiritualia, quæque nobis ipsis volumus. Secundo, etiam si con-

staret alicui calumniatores esse de numero eorum, qui reprobi sunt, & æterno igni deputandi, adhuc orandum esset pro eis, dum sunt in hoc sæculo, quod ratio manifesta probat: nam si pœnitere eos potest, & ad gratiam admitti, & sacramenta petentibus ministranda sunt illis, ergo orandum esset, quamuis non esset petenda æterna salus pro eis, quia hanc consequi non possunt, supposito, quod reprobi sint, sicut nec gratiam finalem, absolutione tamen gratiam habere possunt, & pœnitentiam, & multa bona facere, & a multis peccatis cauere; sunt enim multi ex damnandis pro tempore iuui, & Deo grati; hæc ergo habere cum possunt, orandum pro eis est, sicut etiam si indigerent temporaliter, subueniendum esset, & sacramenta ministranda. Longe ergo diuersa ratio est horum, & eorum, qui iam damnati sunt; hi enim non sunt capaces vilius ex prædictis bonis, hi vero sunt. Augustinus autem intelligendus est de ea oratione, qua vita æterna petitur pro proximis; hæc enim non esset petenda pro iis, qui reprobi sunt, si constaret eos esse tales, quia de lege ordinaria Dei eam consequi non possunt; hoc enim esset petere, vt etiam si in peccato morerentur, salutem æternam obtinerent, quod quidem peti non debet.

ANNOTATIO XLVII.

Augustinus serm. 59. de tempore, tria obijcit contra hanc Domini sententiam, quam suis responsionibus elucidat, primū est, in Scriptura multas imprecationes contra inimicos inueniri, quale illud est psal. 66. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & cætera, quæ ibi dicuntur. Huic respondet, Prophetas, quæ futura erant, prænunciare, non voto imprecationis, sed prophetiæ Spiritu. Hæc responsio vera est, quamuis, vt diximus in præcedenti Annotatione, sancti aliquando per modum correctionis, & reprehensionis in illorum, quos arguunt, aut aliorum vitiositatem vitantur malorum temporalium imprecatione, sicut & verbis, quæ conuicia videntur.

Alterum, quod Augustinus obijcit, illud est, quod 1. Ioan. 5. dicitur: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis. Igitur quando calumniatores peccatū ad mortē peccant, non est orandum pro illis. Respondet Augustinus peccatum dici ad mortem, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Iesu Christi, quisque oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitur. Hæc Augustinus. Quasi clarioribus verbis, diceremus, quando quispiam ad

Euangelium conuersus est, & per id iustificatus, postea retrocedit, & odio concepto ipsū impugnat, quale peccatum ceter Augustinus perpetrasse illum Alexandrum Aerarium, contra quē Paul. 2. Tim. 4. loquens ait: Multa mihi mala ostendit, reddet illi Dominus secundum opera illius. Tūc fatetur Augustinus pro talibus, etiam si calumniatores sint, orandum non esse; viturque testimonio Pauli, qui nec pro illo Alexandro orauit. Ad sententiā autem Domini, qua iubemur orare pro persequentibus, & calumniantibus nos, respondet esse intelligendam, quando non habeat peccatum grauius persecutione, & calumnia, quale est illud, quod ad mortem dicitur. Hæc Augustini responsio non videtur probanda; si enim homo potest per Dei gratiam etiā huius peccati pœnitentiam agere, & veniam impetrare, Christusq; pro omnibus latissimè, nō video, cur non debeat homo orare pro talibus hominibus; præsertim quia viatores sūt, & tenemur eos diligere. Nec Ioannis testimonium conuincit nos, Augustini sententiæ consentire; non enim dictum est: Dico, vt non roget quis; sic enim oratio prohiberetur pro peccante peccatum ad mortem, sed dicitur (non dico, vt roget quis) id est pro peccante non ad mortem, dixi vobis,

vt

vt rogetis cum fiducia, & quasi vos certos faciens de impetranda vita pro eo: at de peccante ad mortem, non sic dico, vt rogetis, quia impetrationem non promitto, nec de ea vos certos facio, non tamen propterea non est orandum pro eo, multa de huius loci intelligentia scripsi supra, cum de peccato in Spiritum sanctum egi; quid peccatum ad mortem, & quæ sit huius loci intelligentia diffuse explicui, idcirco nunc à pluribus scribendis abstineo.

Tertium quod Augustinus obijcit, est illud Apocalyp. 6. vbi martyres orare Deum dicuntur contra suos persecutores, & calumniatores vindictam: Vin-

dica, inquit, sanguinem nostrum Domine. huic respondet Augustinus eos, non orare vindictam contra homines, sed contra Regnum peccati, quod in ipsis est, vt scilicet idololatria euertatur, & tollatur scelera. Euertitur autem, & destruitur regnum peccati partim correctione hominum, vt caro Spiritui subiciatur, partim deprauatione hominum perseverantium in peccato. vt ita ordinetur, vt iustis regnantibus cum Christo molesti esse non possint. Hoc autem potius est orare pro hominibus. Diximus autem in præcedenti Annotatione nonnulla de hoc.

Et qui te percutit in maxillam unam, præbe illi & alteram.

COMMENTARIA.

Posita charitatis documenta nemo seruabit, qui humanæ patientiæ virtute non pollēt, idcirco eius etiam documenta proponit; quæ tanta esse debet, vt non solum illatas iniurias sufferamus, sed ad eas, quæ non inferuntur, sustinendas parati simus: Siquis, inquit, te in maxillam vnā percusserit, alapam dādo, non tantum eam patienter feras, sed etiam præbe ei & alteram maxillam, vt aliam alapam incutiat. Non quod semper actu corporis offerri maxillam alteram suos Christus velit, sed vt eo sint animo, quod si eam inferat eis quispiam, patienter illam sustineant, primamque se non inuitos tulisse demonstrent; & si ad percutientis spirituales salutem actu offerre fuerit necessarium, id faciant. Hoc enim est charitatis perfectæ argumentum, & opus.

ANNOTATIO XLVIII.

Opponebant Manichæi hanc Domini sententiam, vt probarent in Euangelio non licere bellum, referente Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 76. dicebant enim, Dominum dixisse non resistere malo: sed si quis percusserit te in vna maxilla, præbe ei alteram. Augustinus respondet non actu corporis, sed animi præparatione maxillam præbandam Dominum præcepisse, cum qua animi præparatione potest homo eum à quo patitur, corrigere, & bellū etiam contra hostes gerere, & cap. 79. probat multis rationibus eam sententiam sic intelligendam. Ipse etiam Augustinus lib. de mendacio, ad contentium cap. 15. eam intelligentiam exemplo Christi, & Pauli confirmat, vbi inter alia multa dicit sic; Exemplum patientiæ nullum, quam ipsius Domini potentius, & excellentius inuenimus, at ipse cum alapa percussus esset, non ait, ecce altera maxilla, sed ait, si maledixi, exprobra de malo; si autem bene, quid me cædis? Vbi ostendit illam præparationem alterius maxillæ in corde faciendam. Quæ etiam Apostolus Paulus vtrique nouerat: nam & ipse cum esset alapa percussus ante Pontificem, non ait: Percute maxillam alteram, sed: Percutiet te, inquit, Dominus, paries dealbare, & tu sedes iudicare me secundum legem, & contra legem iubes me percuti? altissima intuens Sacerdotium Iudæorum iam tale factum fuisse, vt nomine forissecus niteret, intrinsecus autem luteis concupiscentijs forderet. Quod transitorium esse vindicta Domini videbat in spiritu, cum illud diceret. Sed tamen cor paratum habebat non solum ad alias alapas accipiendas; sed etiam quælibet pro veritate patienda cum eorum dilectione, à quibus illa pateretur. Hæc Augustinus. Ambrosius etiam serm. 10. in Psal. 118. in eo sensu explicat hanc sententiā, cuius verba hæc sunt: In euangelio Dominus Iesus docens virtutem, atque insignem patientiæ ait: qui te percusserit in maxillam, præbe ei alteram. Vult enim Discipulos suos, & iniuriarum esse patientes, nec referre facile; ne dum potens ferire faceret iniuriam, iudicium humilitatis exhiberent. Patientia enim humilitatis indicium est. Hæc ille. His autem addendum existimo

Quomodo iuxta Patrū sententiam verba hæc Christi sint intelligenda.

non semper in sola præparatione cordis, & animi, sed etiam in præparatione corporis præbandam esse maxillam alteram, tum quidem, vt non nos defendamus contra percutere volentem, seu iniuriam inferentem, quod alijs verbis Rom. 12. Paulus monuit dicens; Rom. 12. Non vos defendentes, sed date locum iræ; tum etiam vt actu offeramus, si id ad proximi salutem, & conuersionem necessarium iudicauerimus. Hæc Christus, & Paulus fecerunt; quamuis enim persecutores suos reprehenderunt; non tamen se subdixerunt, quinimmo si illi adhuc alapas inferre voluissent, paratos animo & corpore eos inuenissent, quod est maximæ perfectionis argumentum. Hoc idem Ambrosius in eodē loco explicuit; subiunxit enim hæc: Dabit percutiēti se maxillā, vt nō se subducatur iniuriæ, nec declinet cædis dolorem, sed percutienti se maxillam offerat, vtrumque intelligi potest, siue ei qui percutere incipiat, siue ei, qui iam percusserit, vt illud Euangelicum impleatur, qui te percusserit in maxillam, præbe ei alteram. Hæc Ambro. Hoc idem Chrysostomus hom. 18. in Matth. tradit, inquit enim: Propterea eum, qui palmis cæditur, nō modo prohibuit irasci, sed etiam percutientis iram exsatiare præcepit, vt ne primam quidem iniuriam sustinuisse videretur inuitus. Hæc ille. Nota pulchram rationem, ne videretur primam alapam inuitus sustinuisse, voluit Dominus suos non se subducere cæteris. Addit etiam Chrysostomus; Non modo, inquit, percussum quiescere iubet, sed è contrario honorare cædentem aliamque ibi præbere maxillam. Hæc ille. Hoc idem Hilarius can. 4. in Matth. docet, vbi sic habet; Non solū ab iniquitatibus nos abesse Euangelia præcipiūt, verum etiā, vlciscendā iniuriæ exigunt dissimulationem: nam accepta alapam alterā iubemur offerre. Hæc ille. Nota verbum dissimulationem non enim perfecte dissimulat acceptam iniuriam, nisi qui alteram maxillam offert, immo idem August. Epist. 5. ad Marcellinum hoc idem fatetur, vbi explicat sensum huius Domini sententiæ, asserit enim semper debere animo non esse præparatos ad patienter sufferendam iniuriam quamcumque illatā, & qui vnā acceperit, quando iudicauerit utile esse ad conuersionem, & vtilitatem spiritualem

D d 3 percul-

percuſſoris, præbere ſiniſtrâ, id eſt ſe offerre paratum nouâ ſuſcipere iniuriam, tûc etiâ præbere ſiniſtram. Non igitur ſemper ſiniſtra eſt offerenda actu corporis, niſi quando ſaluti percuſſoris id expedire videbitur, quia ſic confundetur, & reſiſſet; ſemper tamen debet eſſe præparatus animus. Quod ergo animi eſt, ſemper eſt, quod corporis eſt, non ſemper, ſed quâdo expedire iudicabitur, & prodeſſe poteſt. quod Ambroſ. orat. de obitu Valentiniani docet; inquit enim ſic: Qui te percuſſerit in maxillâ, præbe ei & alteram, eo quod in dolore ſit patiens, vt pæniteat verberantē. de hoc etiam ſequenti Annotatione plura dicemus. Recte autem Iſidorus Peluſiotes lib. 1. Epist. 98. ponderat hanc ſententiã: Si verbis, inquit, vulneratus es, & in iracundiam prorupiſti, quonam modo percutienti vnam maxillam porriges alteram? Notat autem Chryſoſtomus hom. 18. in Matth. percuſſione maxillæ quamcunque iniuriã ſignificari: Verba ipſius ſunt: Hoc dicit, non ad hanc vnam tantummodo imperans paciētiam, ſed in omnibus quoque alijs ad tolerantiam malorum erudiens. Sicut enim cum dicit, qui fratrem ſuum fatuum vocat, reus erit gehennæ,

A N N O T A T I O X L I X.

Quare apud Marthæi dextera maxillæ mentio ſit, nō apud Lucam.
A pud Matthæum hanc Dominicam ſententiã aliter legimus, nempe: Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram; apud Lucam vero dextera nō ſit mentio. Quamuis Auguſtin. lib. 1. de ſermone Domini in monte c. 35. aſſerat multa exemplaria Latina ſe vidiffe, in quibus in Matthæo nō legebatur (dexteram) fateatur tamē in Græcis, quibus maior fides adhibenda eſt, legi (dexteram,) qui exiſtimant hunc ſermonem eūdem eſſe cū illo, quem Matthæus refert, facile reſpōdere poſſunt, Lucā omiſſiſſe illud (dexteram) quod ſupplendum eſt ex Matthæo; ſæpe enim vnus Euangelista prætermittit, quæ alius narrat, idque fateor, tamen non cenſeo, vt ſupra dixi, hanc ſententiã eſſe eādē cum illa Matthæi, ſed Chriſtum protuliſſe vtranque ſemel in monte, quod refert Lucas. in priori ſermone appoſitum eſt nomen (dexteram) in poſteriori vero non. Quod quidem qua de cauſa ſit factum, explicabitur, ſi prius vni dubio ſatiſfactum fuerit, hoc autem tale eſt: nam videbatur dicendum, qui te percuſſerit in maxillam ſiniſtram, præbe ei & dexteram: nam qui percutit, manu vtitur dextera, tamquam fortior; dextera autem manus percutientis reſpondet maxilla ſiniſtra percuſſi, vt facile eſt vnique intelligere; ſi enim alapa impingatur dextera, neceſſe eſt leuiorem eſſe, quam ſi ſiniſtra percuteretur, quia in ſiniſtram percuſſi facilior eſt, & fortior eſt ictus ſerientis. Origenes lib. 4. de principiis cap. 2. hoc argumento vtens, probat verba hæc Saluatoris non eſſe iuxta literã intelligenda, quia tunc oportebat dicere: ſi quis te percuſſerit in ſiniſtram, præbe ei dexteram. Idem etiam dicit Auguſtinus epist. 5. ad Marcellinum, vbi quid per dexteram ſignificetur interpretatur, nimirum, vt iſ ſit ſenſus: ſi quis in te meliora fuerit perſecutus, & inferiora ei præbe, ne vindictã potius, quam pænitentia ſtudentis contemnas æterna pro temporalibus, tamquam dextera pro ſiniſtris. Hæc ille.

Auſtoris ſententiã.
 Mihi tamen non improbabiler aliter dicendum videtur, nempe minorem iniuriam ſignificari percuſſione dextera, maiorem vero ſiniſtra. Voluit quippe Dominus ita ſuos ad iniurias ſuſcipiendas eſſe paratos, vt vna illata, non ſolum alteram ſimilē, ſed etiam

non de ſolo iſto pronunciat dicto, ſed de omni male dicto: ita hic quoque non vt tantummodo palmis caſi fortiter feramus, iubet; ſed vt quodcumque nobis fuerit illatum, abſque vlla conturbatione patiamur. Propterea ibi extremam elegit iniuriam, & hic faciei verberationem locauit, quod certe maxime exprobrabile, & præcipue eſſe iniurioſum ſolet. Hæc ille. Notat etiam ibidem Chryſoſtomus hoc Dominicum documentum nō ſolum ad vtilitatē eius, qui patitur iniuriam, ſed etiam eius, qui inferit, pertinere; nam qui patitur, nihil graue exiſtimabit ſuſtinere, cum ſit paratus adhuc nouam recipere iniuriam; percuſſor autē pudore ſuffundetur, nec ictum ſecundum inferet, etiam ſi omni fera prorſus immanior exiſtat, immo plurimum etiam prioris pænitebit, nihil enim ita lædentes coarctet, vt patientia modēſtiæque læſorum, nec ſecuturum modo coarctet impetum, ſed præcedentis exigit pænitentiam. Quinimmo, & familiares facit, & ex inimicis amicos; ſicut eſt cōtrario vltionis exactio deteriores facit, & iram ad maius inflammat incēdium, malo in vltiora progrediente. In ſequenti autem Annotatione perfectius Domini ſententiã explicatur.

maiores ſuſtinerent, idcirco prius meminit dextera, quia minor, ac leuior eſt alapa, quæ inferitur dextera, vt dictum eſt; poſterior vero ſiniſtra, quia alapa hæc grauior eſt, vt ſit ſenſus: Si quis tibi iniuriã intulerit, non ſolum eam ſeras, nec ſolum ad alteram ſimilem recipiendam ſis paratus, ſed etiam ad maiorem. Hæc etiam eſt cauſa, cur nō dictum eſt: Si quis te percuſſerit in dextera ſemel, præbe ei illi iterum, ſed dixit, præbe ei alteram, nempe ſiniſtram, in qua grauior eſt percuſſio; nec incēpit à ſiniſtra, dicendo: Si quis percuſſerit in ſiniſtram, quia ſic minus erat, quod ſuadebat, quam quod ille paſſus erat: ſed incēpit à dextera, quod minus eſt. Verba ſubiuncta à Matthæo eum indicant ſenſum; nam dicit: Si quis te angariauerit mille paſſus, vade & alia duo; tempore duo alia mille, quod maius eſt quam primum, vt Hieronimus, & Hieronymus interpretantur; ſic etiam in præſenti ſententiã, ſi percuſſus fueris in dextera, præbe ſiniſtram, quod grauius eſt: nam in percutiente dextera fortius agit, in patiente ſiniſtra grauius percutitur. iuxta hanc doctrinam, quam legitimam exiſtimo, dicendum, Chriſtum in priori ſententiã expreſſiſſe dextera, quia præcipue Apoſtoliſ, ac Diſcipulis loquebatur, quos ad perfectionis culmen inſtruebatur; at vero nunc apud Lucā nō meminiffe dextera, quia turbis loquebatur, quibus ſatis erat, quod perfectum erat tradere, licet, non eſſet perfectiſſimum. Quod ſi quis contendat etiam apud Lucam ſupplendum eſſe illud (dexteram) eadem doctrina accommodanda eſt etiam huic ſententiã, quæ & illi, quam refert Matthæus.

Super eſt autem vnum explicare, an hæc ſententiã ſit præceptum, an conſilium. Et quidem quoad illud, quod de illata iniuria nemo vindictam ſumat, præceptum eſt: quoad vero alterum, quod præbeamus nos paratos ſuſcipere nouas iniurias, nec nos defendamus, quâdo ſaluti ſpiritali percutientis, & iniuriam inferentis id neceſſarium eſt, etiam eſt præceptum; quando vero non eſt neceſſarium, ſed vtile, conſilium eſt, debet tamen quilibet paratus eſſe iniuriam potius nouam ſuſtinere, quam ſe de ſuſcepta vindicare; hoc enim præceptum eſt.

Sic ne præceptum, an conſilium hæc Chriſti ſententiã, de maxilla præbenda altera percutienti in vnam.

Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.

C O M M E N T A R I A.

NON tantum ad iniurias ſuſtinendas Euangelica paciētia ſe extēdit, ſi charitatis Chriſtianæ perfectio tenenda eſt, quod in præcedenti ſententiã explicatum eſt, ſed

eſt, ſed etiam ad damna rebus exterioribus illata: Si quis, inquit, tibi veſtimentum, ſeu pallium aufert, non ſolum non id prohibeas, ſed nec ſi ſimul tollat etiam tunicam, quæ ſub pallio eſt, eamque iacturam potius ſeras, quam contra propriam, aut proximi dilectionem, & charitatem debitam, aliquid committas, aut vindictam ſumendo, aut eius ſpiritualem ſalutem contemnendo, aut tibi ſpirituale detrimentum, & nocumentum efficiendo.

A N N O T A T I O L.

Diuerſa eſt hæc ſententiã ab illa, quam Matthæus tra-

A pud Matthæum habentur hæc duo verba, veſtimētum, quod ibi dicitur palliū, idē tamen eſt Græcum nomen hic, & illic; atq; tunica. illud veſtimētū exterius, hoc interius eſt; tamen duplex eſt diſcrimē, vnū, quod Matthæus prius meminit tunica, poſterius pallij: Lucas vero prius pallij, poſterius tunica. Alterum, quod apud Matthæum non eſt ſermo de quacumque ablatione, ſed de ea, quæ ſit per litē & iudiciū, dicitur enim: Si quis voluerit tecū iudicio contendere, et tollere tunicam, relinque & palliū; at Lucas de ablatione, quæ ſit per vim, loquitur. Vnde & verba Græca diuerſa ſunt. Hinc ſoluitur dubium, quod quidam excitant, quomodo Matthæus meminit prius tunica, quam pallij, cum hoc facilius tolli poſſet. legitima reſponſio ea eſt, ibi ſermonē eſſe de ablatione, quæ ſit lite, & iudicio, quæ fieri poteſt, & de tunica, & de pallio æquali facilitate: at Lucas de rapina loquens prius refert palliū, quod facilius rapitur. Hinc facile intelliges non eſſe eandem ſententiã hanc, & illam; vt enim diximus, hæc in montis deſcenſu, illa in monte ipſo pronuntiata fuit, vt recte notauit Euthymius Matth. 5. in explicacione illius ſententiã.

superioris ſententiã ſenſus magis expōnditur.

Quod autem ad ſenſum huius ſententiã ſpectat, notandum eſt, olim gentes præcedentem de percuſſione maxillæ, & hanc ſententiã de pallio, & tunica oppoſuiſſe Chriſtianiſ contra Euangelium, quaſi

ea doctrina reipublicæ moribus eſſet contraria: Nā quis, inquit, tolli ſibi ab hoſte aliquid patiat, vel Romanæ provinciæ deprædatoribus non mala velit iure belli reponere? Ita refert Auguſtinus Epist. 5. ad Marcellinum, qui multis verbis huic obiectioni ſatiſfacit, oſtēditque hiſ Dominicis documentis hoc ſignificari, potius eſſe maxillam alteram percutienti offerendam, & auferenti tunicam, & palliū relinquendum, quam vindictam ſumere de eis, qui hæc mala inferunt. Præterea, quando hæc neceſſaria ſunt, & ad eorum conuerſionem, vt boni fiant, & ad concordiam reuocentur, eſſe etiam præſtanda. Adde, quando ipſorum patientium vtilitati ſpiritali ſic conſulitur, eſſe etiam exhibenda. ſic interpretatur Gregorius lib. 3 r. mora. c. 8. de reliquendo enim pallio loquens, ait: Exteriora deſpicienda, vt valeant interna ſeruari; melius enim eſt pati incommoda temporalia, quam ſpiritalia nocumenta, vt ipſemet Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 3 r. docet. hæc enim documenta tendunt ad charitatis, & dilectionis, tam proximi, quam propriæ perfectionem. quando autem hæc non interueniunt, non ſunt actu exhibenda, ſed animi ſola præparatione. Vnde nec bella prohibentur, nec deſenſio rerum ab hoſtibus, & prædonibus, qui peiores fierent, quia ſic maior copia, & facultas eis fieret prædandi, & nocendi.

Omni autem petenti te tribue.

C O M M E N T A R I A.

Post dilectionem, ac patientiam, miſericordiæ documenta tradit: **O**mni petenti te tribue, id eſt, ne diſceptes, nec reſpicias, an petens ſit amicus, an inimicus, an dignus, an indignus, an gratus, an ingratus, aliaſue circumſtantias, ſed indigentiam illius ſolam reſpicio, quam petendo repræſentat. **O**mni igitur petenti da. **N**on iubet, vt omnibus, ſeu ſingulis petentibus demus, multi enim id præſtare non poſſunt, ſed vt petentium, & indigentium qualitates, & conditiones non diſcernamus, ſed quibus poſſumus, omnibus demus. **N**on tantum autem eleemoſynam, ſeu pecuniam hæc ſententiã complectitur, ſed etiam quodcumque officij genus, quo alter indiget, ſiue ſit auxilium, ſiue fauor, ſiue conſilium, petentibus enim ea, quibus opus eis eſt, tribuere debemus.

A N N O T A T I O L I.

Verba hæc: Omnia petenti te tribue, de omnibus ne abſolute, an ſolum de indigentibus intelligenda.

Tertullianus lib. 4. contra Marcion. hanc ſententiã etiam ad non indigentes extendit: **O**mni, inquit, petenti te dato, vtique indigenti, vel tanto magis indigenti, ſi etiam, & abundantia. Hæc ille. Verius tamen eſt de petentibus indigentibus, aut opus habentibus intelligendam eſſe. Vnde Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 1. hæc ſententiã eleemoſynæ generalitatem commendari dicit, vt nemini petenti eam negemus. Euthymius vero Matth. 5. ſimilem interpretans ſententiã, adiungit, iuberi etiam non diiudicare dignum ab indigno, eo enim quod petit, indignus eſt, qualiſcumque ſit: nam & Deus omnia

ad vitæ ſuſtentionem æqualiter contulit omnibus hominibus, bonis, ac malis, fidelibus, ac infidelibus. Pulchre etiã Gregorius Nazianzenus in oratione funebri in laudem patris, quæ eſt decima, hanc doctrinam tradit, verba illa Iſaiæ interpretans: Vinculum, inquit, & electionem tollens, hoc eſt, vt quidem interpreto r. tenacitatem, & explorationem eius, qui accepturus eſt, ſit ne videlicet dignus, nec ne; ac murmuris verbum cum largitione. Quod quidem plerique accidunt, qui tribuunt quidem, verum hoc non adiungunt, vt prompte, ac libenter tribuant, quod quidem maius, ac perfectius eſt, quam præbere; multo enim

anim fatius est ob eos, qui digni sunt, indignis quoque largiri: quam dum metuimus, ne de indignis benedicereamur, dignos etiam beneficio fraudare. Hæc ille. Augustinus autem in Psal. 102. huic sententiæ, Omni petenti te tribue, opponit illud Ecclesiast. 12. Da bono, & noli recipere peccatorē. Videtur enim contrarium. Cui obiectioni respondet, dandum esse hominibus etiam iniquis, non ut iniquis, sed ut hominibus, & indigentibus: illi autem dant, ut iniquis, qui ad iniqua dant opera, ut qui impendunt pecunias histrionibus, & meretricibus, & similibus in mala eorum opera, hoc enim est, quod in Ecclesiastico prohibetur. Eandem oppositionem refert Gregorius part. 3. pastor. admonit. 21. respondetque his verbis: Panem suum, & vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia pro eo, quod iniqui sunt, impendit. Vnde & nonnulli huius mundi diuites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitibus nutriunt histriones. Qui vero indigenti etiã peccatori panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, nimirum nõ peccatorem, sed iustum pauperem nutrit, quia in illo non culpam, sed naturam diligit. Hæc ille.

Marcion. contra Evangelium calumnia excluditur.

Tertullianus lib. 4. contra Marcion. refert blasphemiam huius hæretici, arguebat enim Christum, quod omni petenti dari iusserit, ipse vero Iudæis petentibus ab eo signum negauerit. Quam autem iste hæreticus errauerit, multipliciter possumus ostendere. primo quidem Christum loquitur de petentibus ob indigentiam, & Iudæi illi non indigebant: nam

ANNOTATIO LII.

Nõ Superior Christi sententia etiam Ecclesiasticarum rerum oconomos comprehendat.

DVO in hac sententia explicanda adhuc se offerunt. vnum est ex Basilio in Reg. breu. respon. 101. vbi interrogat sic: Cui delatum est munus dispensandi ea, quæ dedicata Domino sunt, nunquid necessè habet illud seruare: Omni petenti te tribue? Quasi diceret, qui bonis monasteriorum, aut Ecclesiarum administrandis præferti sunt, an debeant ex eis omni petenti dare? Respondet Basilius tria, vnum est hanc Domini sententiam locum obtinere, velut tentationis, sicut series eorum, quæ coniuncta sunt, declarat, quasi diceret, hæc nimirum: Si quis percussit te in vna maxilla, præbe ei alteram, & qui aufert tunicam, relinque & pallium, & omni petenti te tribue, posita sunt à Domino ad explorationem, & probationem quãdam patientiæ, & virtutis suorum, non ut omnino fierent, sicut Abrahæ iussit filium immolare, quod non iussit, ut ille faceret, sed ut obedientiam eius manifestaret, ac ipsum tentaret. Alterum est, hanc sententiam, quam Basilius præceptum, id est, Christi ordinationem appellat, propter improbos positam esse, nempe propter eos, qui iniuriarum sunt impatientes, & tenaces, qui vix alicui tribuunt, ut sic ad virtutem reuocaret. Tertium est, non semper id esse obseruandum, sed in casu quopiam, nimirum, quando petens indiget, & qui tribuit habet sua, vnde tribuat. Ex his respondet ad interrogationem, sicut quod aliis attributum est, id ad alios transferre tutum non est, nec liberum periculi, sic nec quod Deo dedicatum est, debet omni petenti dari. Hæc Basilius. Obscure quidem, & multis verbis dicta, cum sic dici potest: sicut non omni petenti dandum est, nisi indigenti, ita nec semper is, qui petitur, dare debet, nisi ex suis rebus, non ex alienis; quæ vero dedicata sunt Deo, non sunt eorum, qui ministrandis illis præfunt, ideo non cui libet petenti dare ea possunt. Quod autem dicit, tentationis causa hanc esse positam sententiam, sicut & illas alias narratas, non omnino probo, cum sint documenta ad opus ordinata.

Alterum in eadem sententia explicandum illud.

insignia, & plurima iam miracula acceperant, quibus potuissent, & debuissent credidisse Christo. Secundo non ad subleuandam indigentiam petebat, etiam si indigentes eos dicamus, sed ad incredulitatem suam confirmandam; tentantes enim petebant: non ergo illis dandum erat. Tertio, Christus non negauit miracula omnino, sed quæ illi male petebant; quæ vero conuenientia erant, promisit dicens: Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophætæ. Quarto plus dedit Christum, quam illi petebant: nam & illos male petentes correxit, & negauit miracula illa, petita ab eis, quibus efficerentur peiores, quia eorum infidelitas, & culpa grauior fieret nouis miraculis, sine eorum vtilitate editis, atque inde damnationem maiorem contraherent. Accommodata est huic proposito doctrina Augustini lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 40. vbi locum hunc explicans, sic inquit: Omni petenti da, non omnia petenti, ut id des, quod dare iuste, & honeste potes. Quid si enim pecuniam petat, quia innocentem conetur opprimere? quid si postremo stuprum petat? sed ne multa prosequar, quæ sunt innumerabilia, id profecto dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum sciri, aut credi ab homine potest, & cui recte negaueris quod petit, indicanda est ipsa iustitia, ut non eum inane dimittas: ita omni petenti te dabis, quamuis non semper id, quod petit, dabis, sed aliquando aliud melius dabis, cum petentem iniuste, correxeris: Hæc Augustinus. Mirum ergo in modum errauit Marcion, tam impie blasphemans.

Christus egrum seruat ordinem in illis que hoc loco nobis indicat.

est, quod Christus videtur post ea, quæ maiora sunt, tradidisse minora; maius enim est percipienti præbere maxillam alteram, & auferenti tunicam non prohibere pallium, quam petenti tribuere. Chrysol. hom. 18. in Matthæum hoc ipsum notans respondet, Dominum solitum esse maioribus miscere minora ac leuiora. Hæc autem responsio non plene satisfacit, cum nec rem, nec causam rei explicet, idcirco nonnulla sunt dicenda. Primo quidem non est leue omni petenti tribuere; auaritiã enim impedimentum est fortissimum, & misericordiæ viscera multum claudit. Secundo, prudentissime Christus post exhortationem ad sufferendas iniurias, & rapinas adiunxit, ut omni petenti tribuamus; sic enim significabat etiam iis, qui percusserunt maxillam nostram, & tunicam abstulerunt, si petierint, dandum eis esse, nec illis negandam elemosinam. Tertio, quia per patientiam multum disponitur animus ad largiendum; qui enim patienter tulerit sua auferri, facile dabit sponte, quæ sua sunt alteri, idcirco post documenta patientiæ datur documentum largitatis. Doctrina hæc est Gregorij 3. p. pastor. admonit. 21. vbi sic habet: Cum dantis mens ferre inopiam nescit, si multa sibi subtrahit, occasione contra se impatientiæ exquirat. Prius namque præparandus est patientiæ animus, & tunc, aut multa sunt, aut cuncta largienda, ne dum minus æquanimitè inopia irruens fertur, & præmissæ largitatis merces pereat, & adhuc mentem deterius murmuratio subsequens perdat. Hæc ille. Quarto, si absolute consideres hanc sententiam, omni petenti te tribue, facilius est, quam percipienti maxillam alteram præbere: at si eam spectes, ut præcedentes sequatur, nempe ut illis tribuamus, qui nos percusserunt & tunicam à nobis abstulerunt, difficilius est, quia supponit patientiam, qua illos tolerare debemus, & superaddit beneficentiam, & misericordiam, qua eisdem petentibus tribuere debemus, quod si quis interroget, an sit præceptum hoc, an consilium. Respondendum est, quamuis hoc documentum elemosinam, & quodcumque

Triples proximæ sententiæ sensus.

A pud Matthæum cap. 5. dicitur, qui petit à te da ei, & volenti mutuari à te, ne auertaris. prior pars conuenit cum sententia relata à Luca, posterior distincta est: non est autem vlla dissonantia: nam illa sententia, cuius meminit Matthæus, in monte, hæc vero in loco campestri pronuntiata est. Potest autem triplicem habere sensum. vnus est, ne repetas vi auferendo, si vi abstulit ille à te, & hoc verum est; non debemus enim vim inferre auctoritate priuata iis, qui abstulerunt nostra, ut ea recuperemus, nisi casu quodam, quando spes nulla est ea recipiendi nisi de manibus auferentis abstrahamus, idque tum absque damno, & nocumento alio illato facere possumus. Et cum his, qui abstulit, non indiget, licite fit. Alter sensus est, ne repetas in iudicio, seu coram iudice, qui auferentem compellat reddere ablata. quem sensum secutus est Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 78. vbi affirmat hac sententia Dominum prohibuisse suos de rebus secularibus cum aliis hominibus habere iudicium: at cum hac sententia sit coniuncta præcedenti, in qua nihil de iudicio dictum est, sed ut petenti indigenti tribuamus, videtur non ad iudicium, sed ad eandem materiam indigentium pertinere, maxime cum iudicium non sit prohibitum, quando non ex odio, & vindicta, aut auaritia, sed ex zelo iustitiæ, & desiderio hone-

Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.

COMMENTARIA.

NON solis petentibus, & indigentibus præstare ea debemus, quibus opus illis est, sed generaliter ea hominibus facienda sunt, quæ nobis ab eis fieri volumus; sic enim fiet, omnia, quæ tam ex charitate, quam ex iustitia proximis tribuere debemus, eis exhibeamus, impleamusque illud Rom. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Hæc enim omnia ab aliis fieri nobis cupimus.

ANNOTATIO LIIII.

Christus perfectissimam dilectionem superioribus sententiis declarat, & commendat.

Notandum est totus iste contextus ab illis verbis (Diligite inimicos vestros) Voluit enim Dominus præceptum dilectionis erga proximum, declarare, ac perficere: hoc autem duobus maxime efficit. vnum est remouendo impedimenta præcipua, quæ ab ea dilectione nos auertere possunt; alterum est explicando ea, quæ ex dilectione erga proximum fieri debent. Igitur quo ad primum, iussit proximum diligere, etiam si inimicus sit, etiam si odio nos habeat, etiam si maledixerit, siue detrahendo, siue contumelia & conuicio afficiendo, siue mala imprecando, etiam si calumniatus fuerit, etiam si percussit, & iniuria affecerit, etiam si nostra abstulerit, quæ omnia contra honorem, famam, vitam, & res nostras sunt; hæc cuncta postponenda sunt dilectioni, nec ea nos auertere debent ab impendenda dilectione erga proximum. Posterius est, hos omnes non solum diligere, sed si opus est, etiam eis benefa-

proximorum eroganda est ex præcepto; extra vero eos casus consilium est vtilissimum.

Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

COMMENTARIA.

Connexa hæc sententia præcedenti, nimirum petenti tua tribue, auferenti autem tua, nec expectanti, ut tu des ei, ne repetas ablata; genus enim quoddam est tribuendi sua, ab eo, qui abstulit, non repetere, quod intelligendum est, quando qui abstulit, ablatis indiget, sicut etiam petenti, si indiget, tribuendum est. Præcepit Dominus Deuteron. 24. ut si quis à fratre paupere pignus ablatum pro debito accepit, ei redderet ante Solis occasum: at hoc in loco maius, & perfectius præcipitur, ut si frater pauper à nobis abstulit aliquid, ne repetamus.

ANNOTATIO LIIII.

sto habendi sua sit. Tertius sensus est, ne repetas, non solum vi, aut in iudicio, sed nec verbo, aut alio quouis modo, & hoc etiam non est prohibitum: nam licet ea, quæ mutuauimus, aut commodauimus, aut quæ ablata à nobis sunt, amicabiliter repetere, sicut & Tobiam, quod mutuauerat, repetisse legimus. Hæc igitur sententia omnes tres hos sensus complectitur, sed non respectu cuiuscumque personæ, sed respectu indigentium, & eorum, qui reddere non possunt; conexa enim est illi superiori, nempe omni petenti da, cui additur, & auferenti tua ne repetas, nempe si indiget, nec potest ea reddere, quo casu, nec vi, nec iudicio, nec alio quouis modo repetas; si enim in ea necessitate ille petisset, tribuere deberes, profecto si abstulit, nec repetere licebit. Hoc explicuit Dominus illa parabola Matth. 18. vbi paterfamilias damnauit seruum illum, qui seruum debentem ei centum, nec habentem, vnde redderet, tenebat, & suffocabat, donec solueret debitum. Hoc etiam est, quod Deus per Prophetam. Isa. 58. reprehendit: Omnes, inquit, debitores vestros repetitis. notanda est generalis illa (omnes) licet enim repetere debitores, qui nostra retinent, sed non omnes, nimirum eos, qui indigent, nec habent unde restituant.

Matth. 18.

Isa. 58.

tibi

tibi alter facit, aut quod alter tibi fieri vult, sed quod tibi vis ab altero fieri, id facias illi. Ex his lex decalogi deriuatur, in iis maxime, quæ proximorum sunt, similiter & leges omnes morales iustitiæ, beneficentiæ, cæterarumque virtutum erga alios, vt, nõ furaberis, nõ moechaberis, & cætera etiã affirmatiua: talia enim nolumus ab aliis fieri nobis: at eleemosynam tribui in necessitate, diligi ab aliis, patienter nos ferri, & alia huiusmodi fieri nobis vellemus; ea igitur cæteris faciamus. vnde Matth. 7. post hoc principium adiecit Christus: Hæc est lex, & Prophetæ: quia summa quædam est præceptorum mo-

ralium, quæ lex tradit, & ad quæ Prophetæ exhortati sunt. Hoc autem documentum non est in se præceptum, sed continet multa præcepta, & consilia iuxta ea, quæ fieri debent erga proximum, quorum quædam charitatis, quædam simul iustitiæ sunt: quæ enim ex iustitiâ debentur proximo, ex dilectionis obligatione etiã sunt, quæ vero ex dilectione, non omnia sunt ex iustitiâ. Maxime autem ad dilectionem spectant, quæ hoc documento affirmatiuo continentur, idcirco eius præcipue meminit, quia de dilectionis perfectione hoc in loco agebatur.

Et si diligitis eos, qui nos diligunt, Quæ vobis est gratia?

COMMENTARIA.

Dilectionem inimicorum perfecte explicatam confirmat ostensa imperfectio- ne dilectionis, quæ ob solam aliorum dilectionem impenditur: si diligitis, inquit, eos, qui vos diligunt, nec impenditis dilectionem vestram, nisi ijs, à quibus diligimini, eorum dilectionem erga vos intuentes, quæ vobis est gratia? id est, nihil in eo facitis dignum, pro quò vobis gratiæ vllæ habendæ, agendæ, aut referendæ sint, quasi diceret, retributionem à Deo non habebitis. Gratiam appellat retributionem, quæ ex gratitudine etiã datur his, qui de Deo bene meruerunt, & propter eum opera fecerunt. Hanc non habet, qui solos diligentes se diligit, quia eos diligit, non ob Deum, sed ob eorum sibi impensam dilectionem. Particula (&) causalis est; loco (quia) quod in Scriptura sæpe fieri alijs in locis notaui- mus, quasi rationem reddat, cur inimici sint etiã diligendi. Est Hebraismus, solet enim exclusio non exprimi, sed subintelligi, ac si dictum esset, si tantum diligitis eos, qui vos diligunt, aut solos eos diligitis, qui vos diligunt, quod etiã supra notaui- mus, simileque est illud 1. Cori. 15. Non ego, sed gratia DEI mecum, id est, non solus ego.

1. Corint. 15.

ANNOTATIO LVI.

Gratia quid hoc loco significet.

Interrogabit quispiam, quid nomine gratiæ hoc in loco intelligendum sit. Ambrosius interpretatur opus gratuito factum, seu beneficium, vt sit sensus: Si diligitis tantum amicos, non facitis in hoc opus gratuitum, sed rependitis dilectionem, quia ab illis diligimini; idcirco non est, quod à Deo speretis retributionem. Quidam recentiores intelligunt meritum, vt sit sensus, nullum in hac dilectione meritum habetis apud Deum, nihil laudabile, & meritorium facitis, quæ sententia accommodatior est, quam prima. Mihi tamen accommodatissimum videtur, vt gratia intelligatur retributio, quæ refertur à Deo pro operibus recte gestis, quæ propter ipsum sunt: sic enim solemus dicere, referre, agere, seu habere gratiam alteri, quando nempe pro his, quæ ille propter nos gessit, aliquid recompenamus, aut opere, aut verbo, aut corde, quod quia à gratitudine profiscitur, dicitur gratia. Erit igitur sensus: si diligitis tantum amicos, quæ vobis est gratia? id est, quid retributionis, aut mercedis, aut præmij vobis à Deo propter eam dilectionem dabitur? Nihil profecto. Similis phrasis est 1. Pet. 2. vbi bis dicitur. Hæc est gratia, si propter DEI conscientiam sustinet quis tri-

stias, patiens iniuste, id est, hoc est apud Deum retributione, & recompensatione dignum. & iterum: Si beneficientes patienter sustineris, hæc est gratia apud Deum. & Luc. 17. Numquid gratiam habet seruo illi, quia facit, quæ ei imperauerat? id est, nõquid gratias agit, aut aliquid ei retribuit? eodem modo in præsentia accipitur gratia. Posset quispiam obijcere, quia ratione gratia dici potest retributio, cum sit ex iustitiâ: nam 2. Timo. 4. dicitur reposita est mihi corona iustitiæ? Respondeo primo, gratitudinẽ, quãdam habere rationem iustitiæ. Secundo licet iustitia sit quædam ipsius Dei erga nos, radix tamẽ huius est gratuita DEI volũtas, qua dedit, & fecit in nobis, quod iustitiam induceret apud eum; hinc est, vt etiã si retributio sit opus iustitiæ, sit etiã gratitudinis, & gratiæ, quibus Deus iustum, & simul gratum ac liberalem se exhibet in retribuendo mercedem ijs, qui propter ipsum operati sunt, idcirco retributio, non tantum iustitiâ dicitur. Ex his omnibus sequitur, eundem esse sensum huius sententiæ: Quæ vobis est gratia? & illius apud Matthæum, quam mercedem habebitis? merces enim, & gratia idem sunt.

2. Timoth. 4.

ANNOTATIO LVII.

Num amicum dilectio meritoria sit.

Gravior autem est difficultas in eadem sententia: nam ex ea deduci videtur, dilectionem amici, & eorum, qui nos diligunt, non esse meritoriam, cuius contrarium supra affirmauimus, & ipsa ratio comprobatur, cum ad dilectionem proximi, quæ meritoria est, spectet dilectio amicorũ, nec minus immo magis teneamur diligere amicos, quam inimicos. Chrysostrabus in imperfecto in Matth. hom. 13. dicit dilectionem amicorum, & eorum, qui nos dili-

gunt, non habere mercedem, quia qui diligit amicos, propter seipsum diligit, quia placet dilectio, quæ ab eis diligitur; non autem propter Deum; at qui diligit inimicum, eum diligit propter Deum, ideo à Deo mercedem habet. vnde concludit, qui diligit amicum, non facere peccatum, tamen non operari iustitiam, quasi diceret, dilectio amici sola nõ facit actũ virtutis. loquitur autem Chrysostrabus, vt ex ipsius verbis aperte apparet, de dilectione, qua diligitur amicus

Triplex dilectionis genus.

amicus eo solo titulo, & ratione, quia amicus est, & propter dilectionem, qua nos prosequitur, talis enim dilectio non eo peruenit, vt sit actus virtutis moralis, quæ est propter honestum, & virtutis bonum; nec caritatis, qua diligitur homo propter Deum, idcirco mercedem non habet. Est enim aduertendum, esse tria dilectionis genera. quædam enim est dilectio naturalis, quæ bonum aliquod naturale habet pro ratione, & fundamento dilectionis. hac dilectione amamus parentes, consanguineos, & carne coniunctos, quia tales sunt, similiter benefactores, à quibus bona accepimus, aut speramus, ac eos quorum conuersatione delectamur, aut sodales, & alios similes, ad quam dilectionem reducitur amicitia delectabilis, & utilis. Altera est dilectio moralis, quæ fundatur in virtute, qua diligimus alios propter honestum bonum, quia prudentes, quia casti, quia liberales sunt, aut ob aliud quid simile. Tertia est dilectio caritatis, & diuina, qua diligimus alios propter Deum: prima non est mala, tamen imperfecta, quia non est virtus, nec inter honesta bona computatur. Secunda virtus est moralis. Tertia vero perfecta est, & virtus diuina. Christus Dominus de prima loquitur, quia hæc est, qua in plurimum homines mundi se diligunt, & quæ etiã infidelibus, & peccatoribus communis est; & hæc nec meritum, nec mercedem habet, vt recte Chrysostrabus dicit, quia nec virtus, aut iustitia est, nec propter Deum fit, sed propter dilectionem alterius; vnde non est gratuita, sed mercenaria propter propriam utilitatem, quia ab ijs, quos amat, diligitur, ideoque apud Deum mercedem non habet. At qui inimicos diligit, cum non sit ratio in eis talis, ob quam diligantur, cum potius illi odio habeant, & quantum est in se, dilectionem aliorum auertant, necessario diligit propter Deum; & idcirco talis dilectio meri-

tum habet, & mercedem apud Deum. Ad difficultatem igitur respondeo, Christum loqui de dilectione, qua amicos diligimus tantum, quia nos diligunt; hæc enim est, quæ frequentissima est inter homines, & mercede digna non est. At de dilectione caritatis, qua amicus diligitur propter Deum, non est hic sermo, quia raro in peccatoribus, & hominibus sæculi inuenitur; hæc autem est, quam supra diximus meritoriam; Augustinus autem sermo 59. de tempore, hanc dilectionem amici interpretari videtur de ea, quæ est propter Deum, quam fatetur posse etiã esse in eo, qui odio habet inimicum, & affirmat esse quendam gradum iustitiæ, cum sint nonnulli, qui nec amicos diligant, sed odio habent; qui enim odit correctorem, amicum odit; dicit tamen esse tam paruum gradum iustitiæ, vt in peccatoribus esse possit: Christus autem perfecit dilectionem, & extendit etiã ad inimicos; sicque est perfectus gradus iustitiæ. At quantum ex contextu apparet, Christus non loquitur de hac dilectione, qua amicus propter Deum diligitur; hæc enim virtutis actus est, & ex se mercedem habet, quia propter Deum fit; licet non sit tantus iustitiæ gradus, quantum est inimicorum dilectio. Dixi (ex se) quia ex parte subiecti fieri potest, vt mercede careat, quando qui diligit, est in peccato mortali; tunc enim etiã dilectio inimici, & alia opera ex se bona, & meritoria, nec meritum, nec mercedem habent. hoc autem in loco agi de dilectione amici, non propter Deum, ipsa verba Christi probant: nam dicitur: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quasi ea sit ratio diligendi, eorum nempe dilectio, & quod sequitur id confirmat; si mutuum dederitis ijs, à quibus speratis recipere, quasi ea sit ratio mutuandi, vt recipiatis ex mutuo. Hoc ipsum etiã in sequenti annotatione magis elucet.

Nam & peccatores diligentes se diligunt.

COMMENTARIA.

Reddit causam, cur nulla sit gratia, nec merces ijs, qui diligunt tantum eos, à quibus ipsi diliguntur, quia peccatores, inquit, id est, qui suis vitiis indulgent, nec Dei, nec honesti rationem habent, nec suorum operum mercedem expectant à Deo, diligentes se diligunt; igitur dilectionis huius nulla est gratia, nec retributio apud Deum.

ANNOTATIO LVI.

Qui per peccatores hoc loco significatur, & quomodo difficultas huius sententiæ dissoluenda.

Basiliius regu. breuior. respon. 163. per peccatores hoc loco gentiles interpretatur; at accommodatius interpretabimur peccatores generaliter, siue gentiles, siue infideles; omnes enim diligentes se diligunt: & Matth. 5. legimus (publicani hoc faciunt.) constat autem multos publicanos fuisse Iudæos, sicque Beda interpretatur. Non paruam autem difficultatem hæc ratio à Domino assignata nobis ingerit: nam si ea de causa dilectio amicorum, qui nos diligunt, non habet gratiam, nec mercedem apud Deum, quia etiã peccatores diligunt diligentes se, consequitur nec eleemosynam habere meritum, nec retributionem, quia etiã peccatores eleemosynas faciunt; si enim peccatores non facerent eleemosynas, non consulisset Daniel Regi Nabuchodonosor, qui peccator erat, vt eas faceret; nec dixisset ei: Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: Forfan, inquit, ignoscet Deus delictis tuis, vt habetur cap. 4. Præterea, nec oratio

ad Deum haberet meritum, nec mercedem, quia hæc etiã peccatoribus est communis, quod publicanus ille Luc. 19. manifestauit; orabat enim, Deus propitius esto mihi peccatori; similiter nec fides haberet mercedem, quia etiã peccatores credunt; & quod ad rem magis facit, nec dilectio inimici mercedem haberet: nam & hæc potest esse in peccatore; vt enim homo in peccato potest diligere amicum propter Deum, ita etiã diligere inimicũ, quamuis hic actus difficilior sit illo: at non est necessaria gratia infusa, qua remittitur peccatum, ad diligendum inimicum propter Deum, sufficit auxilium Dei speciale, quod peccatoribus non negatur. Vnde doctrina illa Augustini serm. 59. de tempore allegata in annotatione præcedenti, nempe dilectionem amicorum esse actum quidem iustitiæ, sed paruam, qui communis est peccatoribus, ideoque perductam esse vsque ad inimicorum dilectionem, si velit dicere paruam esse actum iustitiæ, quia in peccatoribus inueniri potest, difficile

cile defendi potest, quia & dilectio inimici potest esse in eo, qui est in peccato: qua igitur ratione nunc Christus dicit, dilectionem amicorum non habere gratiam, nec mercedem, quia peccatores diligunt diligentes se.

Respondeo per peccatores non intelligi omnes, qui in peccato sunt; sunt enim multi, qui licet in peccato sint, tamen bona opera aliqua faciunt, quae si illi in gratia essent, talia fuissent meritoria, & mercede digna: nam & eleemosynas faciunt, & amicos diligunt propter Deum, & auxilio diuino etiam inimicos diligere possunt, antequam remissionem peccatorum obtineant: eos igitur peccatores appellat, qui peccatis incumbunt, & operibus malis student, nec

Dei, nec honesti rationem habent, hi rarissime opus faciunt, quod virtutis sit, sed omnia ob utilitatem, ac delectationem, & si quando eleemosynam faciunt, non propter Deum, sed ex quadam naturali compassione sola faciunt: hi tales apud quos nec meritum, apud Deum, nec virtutis actus inuenitur, amicos suos passim diligunt; non ergo argumentum accipit Christus simpliciter ab eo, quod aliqui peccatores aliquando id faciant, sed quod commune sit fere omnibus, idque in plurimum fiat, quod argumento est non esse opus, quod gratiam habeat apud Deum, nec mercede dignum. Hic videtur sensus huius Domini sententiae.

Et si benefeceritis his, qui vobis bene faciunt, quae vobis est gratia? siquidem & peccatores id faciunt.

COMMENTARIA.

Prosequitur alteram partem confirmare, nempe (bene facite ijs, qui oderunt vos.) nam si tantum bene facitis ijs, qui vobis benefaciunt, à quibus receptis, aut speratis bona, nulla vobis est apud Deum gratia, nec meritum; peccatores enim hoc faciunt. Similis est haec sententia praecedenti; loquitur enim de ijs, qui aliis benefaciunt ea de causa, quia bona ab eis receperunt, aut se recepturos sperant; hoc enim, etsi malum non sit, tamen virtutis rationem non habet, immo bonum quod ijs ea ratione confertur, non censetur beneficium proprie, quia non gratis confertur, sed quasi pretio, eo nimirum, quod acceptum est, aut accipiendum speratur. propria vero, ac perfecta beneficentia ea est, quae ex dilectione vera procedit, qua benefacimus alijs; nulla ratione habita ad bona, quae erga nos fiunt, aut facta sunt; quae vero ob ea fit, non solum perfecta non est, sed nec durabilis; cessante enim ratione tali benefaciendi, non erit beneficentia, sicut nec dilectio, qua diligimus eos, qui nos diligunt.

Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quae gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus foenerantur, ut recipiant aequalia.

COMMENTARIA.

Tertiam partem, nempe (omni petenti te da) confirmat; si enim, inquit, mutuum datis ijs solum, à quibus speratis, ut iterum ipsi vobis mutuum dent, nulla gratia, nec retributio vobis à Deo est, cum & peccatores etiam id faciant. Similis est sententia praecedentibus. benedictionis non meminit; dixerat enim: Benedicite maledicentibus vobis. non autem dicit: Si benedixeritis ijs, qui vobis benedicunt, quae vobis est gratia? tum quia forsitan dixit Christus; Evangelista autem non narravit; non enim omnia scripserunt Evangelistae, quae Christus dixit, & fecit: tum quia forsitan sub sententia benefaciendi conclusit. Nec etiam orationis, quam fieri pro calumniantibus iussit, quia nec peccatores, nec pro non calumniantibus eam faciunt. De mutuo autem locutus est, quia frequentissimae erant vsurae apud Iudaeos: est autem vsura mutuare ea conditione, ut is, cui mutuum fit, si opus fuerit sibi mutuanti, etiam mutuet.

ANNOTATIO LVII.

Quidam recentiores illud (aequalia) interpretantur, referunt ad damnum, quod patiuntur, qui mutant: seu ad lucrum, quod cessat eis, ut qui pecunias suas dare ad lucrum poruit, si mutuat alteri, recipere possit aequale pretium illi, quod lucraturus erat, aut damno, quod patitur, ut sit sensus; peccatores mutuam, recipientes ex mutuo tantumdem, quantum lucraturi erant pecunia illa, si non mutuassent; aut quantum damnum patiuntur, quia

eam mutuauerunt, sed quam sit violenta expositio haec, nemo non videt. Quidam alij referunt ad ipsam summam, quae mutuatur, videlicet qui mutuauit animo: ut tantumdem sibi postea restitueretur, ut si mutuauerunt centum, recipiant post aliquod tempus centum: voluntque mutuari debere animo subueniendi proximo, non autem recipiendi, quod mutuauerunt; sed haec expositio, nec accommodata est, nec veram continet doctrinam: nam qui dat pecunias animo

Beneficentia propria, & perfecta quae fit.

Vox illa, aequalia, quid hoc loco significet.

animo non recipiendi eas post tempus, is vere non mutuatur. Vera, & legitima expositio est, ut illud (aequalia) referatur ad similem actionem mutuandi, ut qui mutuatur alteri, eo pacto, & intentione, ut & ipse alio tempore sibi etiam mutuet, quod illiberalis est, debet enim esse mutuum gratiosum sine intentione recipiendi simile mutuum ab eo, cui fit. quod si non debet fieri mutuum ob paria, siue aequalia, id est, ut iterum mutuum fiat mutuanti, multo minus ob lucra

ultra sortem, quod est peior vsura, quam prior. Illud ergo (recipere) refertur ad mutuum, nempe sic, si mutuum dederitis ijs, à quibus vos speratis mutuum etiam recipere. Verbum autem foenerari hoc in loco accipitur pro eo, quod est mutuare, sic accipitur in Scriptura Ecclesi. 29. qui facit misericordiam foeneratur proximo suo. & ibidem, foenerare proximo tuo in tempore necessitatis, in his locis positum est pro simplici mutuo.

Ecclesi. 29.

Veruntamen diligite inimicos vestros.

COMMENTARIA.

Contraria his, quae dissuaserat, monet, ut sit sensus, si tantum amicos, & ea ratione, quod diligunt vos, diligitis, non erit vobis gratia, & merces apud Deum, veruntamen, si diligitis etiam inimicos, qui vos non diligunt, & benefacitis illis, ac mutuum datis, nihil inde sperantes, erit vobis merces magna, ut in sequentibus sententijs dicitur.

ANNOTATIO LVIII.

Offerunt se hoc in loco duo consideratione digna. Vnum est, quod Dominus à dilectione amicorum sola, quae fit ob dilectionem ab eis praestitam, & naturalis est, induxit ad diligendos inimicos, quia illa dilectio mercedem non habet, & peccatoribus est communis, debuisset potius exhortari ad diligendos amicos propter Deum, cum haec dilectio etiam si amicum sit, gratiam, & mercedem habeat apud Deum, & peccatores communiter non sic se diligunt; ac si diceret, si diligitis eos, qui vos diligunt, eo quod vos diligant, quae gratia est vobis? nam peccatores diligunt diligentes se, veruntamen diligite amicos propter Deum ipsum, sic enim gratia erit vobis, nec peccatores sic diligunt suos amicos. At non sic Christus locutus est, sed, diligit (inquit) inimicos vestros. Respondeo, licet ea amicorum dilectio, quae propter Deum est, grata sit Deo, multumque sit distincta ab ea, quae impenditur amicis propter dilectionem eorum, nisi ad inimicos etiam extendatur, imperfecta est, & si cum odio inimicorum sit coniuncta, nec mer-

cedem habet; ut enim sit Deo grata, & retributione digna, non debet inimicus excludi; idcirco recte Dominus non intulit, diligit amicos propter Deum, sed diligit inimicos, quia nisi haec fiat, nec illa mercedem habet apud Deum, & ut eam obtineat, coniungi debet cum hac. Qui autem diligit inimicos, abique dubio amicos diligit, idcirco Christus, quod perfectum est, expressit.

Alterum, quod hoc in loco considerandum se offert, illud est, Dominum repetisse hanc sententiam, non quidem in eodem prorsus sensu, in quo prius tradita fuit, sed superaddendo aliquid: quod deducitur ex praecedentibus, licet eadem sint verba, nimirum diligit inimicos, non respiciens ad eorum dilectionem; posset enim quispiam eos diligere, quia sperat se ab eis dilectum iri, etiam si de praesenti non diligitur, quod Dominus remouet, qui vult diligi inimicos, ut prius dixit, & adhuc sine vlla spe eorum futurae dilectionis, sed etiam si perpetui futuri sint inimici, & hoc est, quod nunc dicit.

Dilectio inimici proxime repetita superaddit iam tradita in initio capituli.

Quam sit rationi consona, quamque facile & vtile, inimicos diligere.

ANNOTATIO LVIII.

Superius diximus diligere inimicos, partim praecipit, partim consilium esse, modo quam rationabile, vtile, & facile sit, explicandum est. Rationabilitas ex multis apparet. primo quidem, in inimico est natura, sunt bona multa tum naturalia, tum acquisita, & saepe supernaturalia, quae amabilia sunt: est etiam inimicitia, quam erga nos gerit. maiora profecto, & plura sunt illa bona, quam hoc malum, illaque fecit Deus, hanc autem homo. Aequum igitur est, & rationabile, ut propter minus non habeamus odio quod maius est, sed vincat, quod est amoris, & dilectionis potius, quam quod est odij causa. Ut enim infirmitas corporis non efficit, ut mater desinat amare filium, ita nec debet vincere inimicitia, ut propter eam odio habeamus proximum, & saepe Christianum, & qui aliquando nos forsitan dilexit, & beneficio persecutus est, aut fieri aliquando potest, ut talia erga nos faciat. Secundo plus posse debet apud nos Deus, eiusque voluntas, ut diligamus inimicum, & amicum cum nobis faciamus, quam quaecunque alia causa inferior: sed saepe inimicos facimus amicos, & diligimus, propter aliquod beneficium, quo nos sunt persecuti, aut propter matrimonij vinculum superueniens, aut, quia veniam petit, aut propter preces alicuius amici. Si igitur haec inferiora tantum possunt apud nos, equissimum est, ut plus efficiat Deus, propter quem inimici diligendi sunt. Tertio, Deus dilexit

inimicos suos, à quibus grauiores, & plures recepit iniurias, & qui plures multo sunt, & qui creaturae sunt ipsius, & qui à Deo innumera bona receperunt; si igitur hos diligit Deus, ergo rationabilissimum est, ut homo diligit inimicum suum, à quo non est iniuria, tanta affectus, nec ipse ei tanta contulit beneficia, & vnus, aut alter est. Quarto quia, si vnusquisque interrogaretur, an vellet Deum odio habere inimicos suos, an potius diligere, utique responderet, omnino, ut diligeret; vix enim nobis, si Deus odio prosequeretur inimicos. Si igitur homo vult Deum diligere suos inimicos, omnis ratio postulat, ut ipse velit etiam diligere suos. Hoc igitur praecipit, & consilium rationabilissimum est.

Vtilitas autem eius ex multis constat. in primis dilectio inimici facilem exhibet legis diuinæ obedientiam; ut enim inquit Paulus Rom. 13. Qui diligit proximum, legem impleuit; magna fit enim transgressio ex odio inimicorum; si vero diligantur, tunc nec homicidia, nec rixae, nec furta, nec detractiones, nec alia similia fiunt, quae homo non perpetrat erga eos, quos diligit. 1. Cor. 13. Charitas benigna est, patiens est, non agit perperam, &c. Rursus, quia liberat hominem à magnis perturbationibus, & molestijs, quae secum fert odium: nam si in vindictam irrumpt, quis non videt, quanta pericula, quanta nocumenta lubeat, qui vindictam quaerit; si vero retinetur,

De utilitate dilectionis inimicorum. Rom. 13.

Et erit merces vestra multa.

COMMENTARIA.

SI sic diligitis, benefacitis, & mutuam datis, nihil inde sperantes, tunc non tantum mercedem habebitis, sed multam quidem, & copiosam à Deo. Oponitur hoc ei, quod superius dictum est: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis gratia? Si benefacitis iis, qui benefaciunt vobis, quæ vobis gratia? Si mutuam dederitis, ut recipiatis æqualia, quæ vobis gratia? At si feceritis hæc, nihil inde sperantes, sed liberali animo, ac gratis, tunc gratia, & merces, & quidem non modica, sed magna vobis erit. Argumento sumpto à magno præmio commendat dilectionem inimicorum, & beneficentiam, ac mutuam gratiosum. Merito autem promittitur merces magna, quia qui diligit inimicos, à quibus non diligitur; & benefacit iis, à quibus beneficia non sperat, gratisque hominibus inseruit propter Deum, is profecto ab ipso recompensationem, ac mercedem consequitur.

Et eritis filij Altissimi.

COMMENTARIA.

ALTERO argumento inducit ad eadem præstanda, nimirum, quia sic eritis filij Altissimi Dei. Magnum profecto emolumentum affert gratiosa inimicorum dilectio, ac beneficentia, quæ efficit homines Dei filios: habet autem energiam illud (Altissimi) quasi diligeret, cum sitis vos serui, & terreni, ad eam dignitatem euehemini, ut altissimi Dei filij efficiamini. Magna ergo merces, & dignitas filiorum Dei debet homines mouere, & prouocare ad inimicorum perfectam dilectionem, per quam ea assequuntur.

ANNOTATIO LXI.

Dilectio inimicorum quomodo est sub præcepto.

LEO serm. de martyribus, hanc sententiam ponderans, sic inquit: Qui dilexerit inimicos suos, illud in eo impletur, quod dixit Dominus, videlicet: Ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est. Elige modo, quod tibi placuerit, si inimicos dilexeris, non solum amicus, sed etiam filius Dei esse mereberis: si vero inimicos amare nolueris, propitium Deum habere non poteris. Hæc ille. Ex hoc loco

deducitur dilectionem inimicorum esse in præcepto: nam si qui diligit eos, filius efficitur Dei; ergo qui non diligit, filius Dei non est. vnde nec hæres vitæ æternæ. obligamur igitur ex præcepto, & sub pœna peccati mortalis, (quod vocant) diligere inimicos, & modo, quo supra diximus, idque Leo loco allegato probat, aliis etiam locis Scripturæ productis.

Quia ipse benignus est super ingratos, & malos.

COMMENTARIA.

Causam adnectit, cur qui diligunt inimicos, & benefaciunt sine spe retributionis ab illis, quibus hæc præstant, Altissimi filij sint, quia nimirum talis est ipse Altissimus: nam benignus est, diligens, & benefaciens malis, qui eius inimici sunt; & ingratis, qui acceptorum ab eo beneficiorum nullam recompensationem, nec recognitionem collatori suo Deo rependunt. Recte autem filij sunt, qui similes sunt, ipsumque Deum imitantur; hoc enim filiorum est, argumentum etiam hoc efficax est; si enim Deus sic amat, & benefacit ingratis, & inimicis suis, cur & nos nostris similia non præstabimus?

ANNOTATIO LXII.

Benignitas in quo consistat, & qui intelligatur ingrati.

CONuenienter duo vocabula posita sunt, nempe (ingratos, & malos) ut per malos ad inimicos diligendum, eisque benefaciendum nos exciteret; per ingratos, autem ad sic diligendum, & benefaciendum, ut nihil ab eis speremus. Est autem considerandum illud nomen (benignus) quod maxime Deo conuenit, Græce χρηστός. vnde benignitas deriuatur Græce χρηστότης: illud autem nomen aliquando rebus, aliquando personis accommodatur. Rebus accommodatum duas habet significationes. vna est, ut idem significet, ac facile, & quo minima molestia uti pos-

sumus. sic habetur Matth. 11. Onus meum suauis est, vbi Græce legitur χρηστός. Altera est, ut idem significet, quod vtile, & salubre. sic Luc. 5. dicitur vetus vinum melius, Græce χρηστότερον. Personis vero accommodatum non eodem modo à sacris Doctoribus explicatur. nam Hierony. ad Galat. 5. distinguit benignitatem à bonitate, eamque benignitatem secundum Stoicos dici interpretatur, qua quis sponte, non rugosa, sed suauis facie aliis benefacit, ad sui conuersationem ceteros multum attrahit. At vero Basil. in regu. breui. respon. 214. aliter explicat, nempe eam dici

beat, & reprimatur in animo, eum perpetuo vexat. Vnde Chrysostr. in imperfecto opere in Mat. hom. 13. inquit sic: Puto quod non tantum pro inimicis nostris Christus illud mandauit, quantum pro nobis, non quia illi digni sint, ut diligantur ab aliquo, sed quia nos non sumus digni, ut aliquem odio habeamus; odium enim Spiritus est tenebrarum, & vbi que in se derit, sordidat pulchritudinem sanctitatis. Hæc ille. Præterea, quia dilectio amicorum deperditur, si inimicos non diligamus, quod ibidem Chrysostr. affirmans inquit; cum sit mundus iste scandalis plenus, si amicos tantum voluerimus diligere, non poterimus inuenire, quos diligamus. Hodie enim iste illud offendit in re tali, cras iste illum offendit in re altera, & ita fit, ut si decreuerit homo inimicos suos odire, necesse sit, ut odiat omnes, & odiatur ab omnibus. Sicut ergo homicidium ex ira nascitur, & ex concupiscencia adulterium; sic ex odio inimicorum prægitur etiam dilectio amicorum. Hæc ille. Rursus dilectio inimicorum efficacius vincit, & superat inimicitias, quam odium, & quam vindicta, quibus potius augentur, & peiores fiunt, vnde ibidem Chrysostr. mus: Si ad tempus, inquit, sustines inimicum, postmodum tuam benevolentiam victum amabis, quasi amicum. Adde etiam, quia dilectio inimicorum maximam habet mercedem apud Deum, ut paulo inferius Chrysostr. testatur, odium vero nocentia infert grauissima; quia qui odio habet inimicum, incidit in odium Dei, plusque sibi ipsi nocet, quam ei inimicus noceat, & dum inimicum hominem habere volumus, Deum nobis inimicum facimus, accumulamusque inimicos, & augemus inimicitias. Postremo quia ita iubemur diligere inimicos nostros, ut omnes etiam inimici nostri iubeantur diligere nos; hoc autem vtilissimum est unicuique, his igitur sex de causis vtilitas huius præcepti manifesta est.

Facilitas autem perspicitur ex nonnullis, tum ex Dei auxilio; ipse enim est, qui nos adiuuat, ut diligamus inimicos, plusque ipse virtutis tribuit, quam nos

Benefacite, & mutuam date, nihil inde sperantes.

COMMENTARIA.

PROsequitur eandem sententiam. diligit inimicos, non ut vos diligant, & benefacite, ac mutuam date, non sperantes pro beneficio, aut pro mutuo aliquam recompensationem; sed benefacite etiam iis, à quibus nulla referenda gratia expectatur; & mutuam date etiam illis, qui vobis mutuare non poterunt, sitque vestra in benefaciendo, & mutuando liberalis beneficentia, sicut & dilectio. Illud (nihil inde sperantes) ad duo verba refertur, nimirum benefacite, & mutuam date, ut sicut dilectio impendenda est, non ut diligamur, sic beneficia, non ut recompensentur.

ANNOTATIO LX.

Non benefaciendum, ut nobis beneficiant.

HÆC sententia explicat, præcedentis eum esse sensum, quem diximus nempe, diligit inimicos, non ut vos diligant, sicut benefacite hominibus, ac mutuam date, non ut similibus vos beneficijs prosequantur; beneficium enim, quod intuitu beneficij fit, non est beneficium, sed officium, quod pro accepto beneficio exhibetur, aut pretium, quod pro recipiendo præstatur. mutuam autem, quod alteri datur, spe lucri, aut similis mutui ab eo, cui mutuatur futuri, illiberale est, nec beneficium censendum.

An spes aliquid recipiendi in mutuo in ducatur vsuram.

Aduerte solam spem aliquid recipiendi in mutuo non inducere vsuram, sicut nec in rebus spiritualibus conferendis, simoniam; sed necessaria est intentio accipiendi aliquid pro mutuo, tunc vsura est, sicut esset simonia; si quis intenderet aliquid accipere pro re spirituali, quam alteri contulit; at qui mutuaret non ea intentione, ut pro mutuo aliquid acciperet, sed

ipsi ex nobis ipsis afferamus: tum etiam quia non iubemur diligere inimicos propter ipsos, sed propter Deum ipsum; & si propter sanitate amatissima potio, & remedia ingratis sensibus, diligitur, & prompte assumuntur, cur non propter Deum diligitur inimicus etiam prompte, & facile? tum quia inimicus nobis non est, nisi ex Dei permissione, qui in vtilitatem nostram eum permittit; si igitur non in se considerandus est, sed ut à Deo permissus in bonum nostrum, non debet esse difficile diligere. 2. Reg. 16. Cum David malediceretur à Semei: Sinite, inquit, illum, Dominus enim præcepit illi, ut malediceret David. Nos in hac parte considerationem detorqueamus, similes, ut dicit Basil. hom. de ira, canibus, qui conuertunt se ad mordendum lapides, qui in illos à viatoribus proijciuntur. At si conuerteremus nos ad Deum corrigentem, & nostram salutem per inimicos procurantem, & aliquando per eos castigantem, non ita difficile eos diligeremus. præterea, quia sæpe inimicos nostra culpa nos ipsi facimus nobis. Adde quod Basil. reg. breui. respon. 176. dicit nempe ab amico non proficisci tantum beneficium, quantum ab inimico, cum hic beatitudinis occasionem magnam nobis præbeat. Multam etiam aliarum virtutum materiam ministrat, quorum consideratio facilem efficit dilectionem talem. idem dicit in respon. 136. Deum est illud, quod Leo serm. de Martyribus, dicit, quod etiam est Augustini ser. 59. de tempore. De diligendis, inquit, inimicis, nullus vnquam in veritate se poterit excusare. Potest enim aliquis mihi dicere, non possum ieiunare, non possum vigilare, nunquid potest dicere, non possum diligere? potest dicere non possum res meas totas pauperibus erogare, & in monasterio Deo seruire, numquid potest dicere, non credimus tibi; si autem dixeris, quod non possis peccatum diligere? Si dixeris, non possum à vino & in caribus abstinere, cantibus in te indulgere, omnino non credimus. Hæc Leo.

cum spe eum, cui mutuatur, futurum sibi gratum, & si quando opus sibi aliquo esset, illud similiter sibi mutuaturum, non esset vsurarius, tamen mutuam non esset perfectæ liberalitatis, idcirco Dominus non solum intentionem remouet accipiendi aliquid pro beneficio, aut pro mutuo, sed etiam quod minus est, nempe spem; sic enim opus perfectum est, & tanto magis dignum mercede apud Deum, quanto minus merces speratur ab hominibus, quibus beneficium, & mutuam præstantur. Quidam recentiores interpretantur, referentes ad mutuam solum, sic: mutuam date non sperantes capitalis, seu sortis mutuatæ restitutionem; mutuandum enim putant; etiam si nulla sit spes sortis recuperandæ; hanc tamen expositionem supra annot. 57. reiecit. hoc enim donare est, non mutuare.

Et erit

dici benignitatem, qua quis alijs benefacit, quacun- que ratione eo indigeant, nec titulum, aut rationem, aut meritum considerat vllam in ijs, quibus benefa- cit, sed id solum, quod ipso opus habent; & hæc videtur propria significatio, quæque maxime Deo congruit; ipse enim est, qui benefacit omnibus, nec considerat demerita eorum, nec ingratitude, sed pro sua bonitate bona præstat ijs, qui indigent; respicit enim bonum, quod facit, nec retrahitur ob indignitatem recipientium. Hanc significationem secutus Gregorius hom. 5. in Ezechielem, Samuelem benignum interpretatur, qui repulsus à principatu, ro-

gatusque à Iudæis repellentibus, vt oraret Deum, pro eis, respondit; Absit peccatum hoc à me, vt cessem orare pro vobis. Idem habet lib. 27. moral. cap. 5. Illud autem (ingratos) latam habet signifi- cationem, qui nempe pro beneficijs acceptis gra- tiam non solum non referunt, sed nec agunt, nec ha- bent. Tales enim multi se exhibent Deo, & ex- tremum extremo opponitur; Deus enim ex vna parte benignus est, qui liberalissime beneficia confert; at homines ex altera parte beneficia, nec opere, nec ver- bo, nec animo recognoscunt.

Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

COMMENTARIA.

Infert ex præcedenti si talis est Deus, qui Pater vester est; vos igitur si filij eius esse cupitis, debetis esse tales; Deus autem misericors est, ac beneficus in omnes etiam peccatores, & ingratos, nec recompensationem vllam sibi experit, sed nostræ vtilitati consulit, in benefaciendo benignus; sic & nos imitari oportet, iuxta illud Ephes. 5. Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos. hoc in loco misericordia dilectionem, ac beneficentiam complectitur.

ANNOTATIO LXIII.

Libera bene- ficiorum col- latio nos vsq; ad Dei simili- tudinem ex- tollit.

Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum legit, (si- cut Pater vester misertus est vestri) potius ta- men secutus est sensum, quam verba; legendum enim est, sicut Pater vester misericors est. Chrysostomus hom. 3. in Matth. Hunc locum perpendens ait: Cum pleraque alia dixit, de nullo id præterquam de mi- sericordia dicit; Estote misericordes, sicut & pa- ter vester. Nihil enim certe nos vsque ad similitu- dinem Dei sic affert, atque extollit, quemadmodum libera, & benefica, & copiosa collatio. Hæc ille. Particula (sicut) non æqualitatis, sed similitudinis

est, vt Athanasius ser. 4. contra Arianos, & Am- brosius lib. de incarnationis Dominicæ sacramento cap. 10. notarunt super illam sententiam Matthæi 5. Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est; quam Dominus in monte protulit: non enim misericordia hominis potest æqualis esse misericor- diæ diuinæ, sicut nec homo Deo; quædam tamen similitudo esse potest, vt si homo inimicis, & om- nibus quantum sibi concessum est, iubueniat animo liberali, & sine spe retributionis ab eis recipiendæ, diximus supra plura de misericordia.

Nolite iudicare.

COMMENTARIA.

Connexa est hæc sententia cum præcedenti; cum enim intulisset debere nos, qui filij sumus, imitari Deum Patrem, qui misericors est, exponit ea, quæ Deus ex misericordia fecerit; hic enim mundum non iudicauit, si enim iudicasset, statim, ac peccauit, omnes perissemus; non ergo nos iudicemus proximos. Ultra connexionem autem, intentum suum prosequitur, cum enim hæcenus optimis documentis remouerit duo impedimenta, quæ dilectioni erga fratres, & maxime inimicos aduersabantur, nempe impatientiam, & avaritiam; nunc tertium remouet, quod non minus nocet, quam illa duo, nempe iudicium temerarium aduersus proximum. Hoc enim sæpe causa est, vt inimicos multos nobis faciamus, qui vere non sunt, dum dubia eorum verba, & facta, quæ in bonam, & in malam partem accipi possunt, sinistre interpretamur, sæpeque decepti opinamur tales esse homines, quales non sunt, fitque vt benefactores nostros, qui nobis non nocuerunt, aduersarios reputemus. multarum etiam perturbationum, & in ijs, qui iudicant, & in iis, qui iudicantur huiusmodi iudicia sunt causa, vt tradit Chrysost. hom. 11. in 1. Epist. Corinth. ob id Dominus hoc dilectionis venenum, quod amicitias interimit, & inimicias multiplicat, fouet, & auget, de medio tollit, dicens: Nolite iudicare, quasi diceret aliorum facta, actiones, verba, personarum qualitates, quæ dubia sunt, nec vobis constant, nolite temere inuestigare, & iudicium de obscuris proferre, in malam partem interpretates.

ANNOTATIO LXIII.

Notanda est connexio harum sententiarum, cum enim deduxisset eos, qui filij Dei sunt,

debere misericordes esse, sicut ille est, explicat ea, quæ Deus ex misericordia fecit, quæque si nos faci-

mus

EX ijs que misericors Deus nobis præstat, doce- mur eadem proximis nobis præstare.

loc. 1.

mus, dilectionem perfectam erga proximos habebimus, & impedimeta præcipua de medio tollemus. Deus autem hominem peccantem non statim iudicauit, nec vsus est sua iniustitia aduersus eum, sicut fecerat contra Angelos peccantes, quos statim iudicauit, & damnauit: at vero hominum misertus est, & ad penitentiam expectauit, & remedia salutis obtulit; filium etiam suum in mundum, non ad iudicandum, nec ad damnandum. sed ad saluandum misit. Ioan. 3. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per eum. Non solum autem non iudicauit, nec damnauit, sed dimisit peccata, veniamque obtulit penitentibus, & beneficijs innumeris cum- lauit. Hæc quatuor, nempe nolle iudicare, nec damnare, sed dimittere, & donare, ex summa misericordia, ac beneficentia Dei pronenerunt, argu- menta profecto immensi amoris eius erga nos. Ex

ANNOTATIO LXV.

His Verbis Christi, Nolite iudicare, quid prohibe- atur.

Similis sententia habetur Matth. 7. cuius apud doctores multiplex est interpretatio. Primò quidem Irenæus lib. 4. c. 49. hac sententia dicit prohiberi iudiciū, non quodcumque sed iniustum, nec de quacunque materia, sed de diuinis dispositionibus: nolite inquit iudicare, non vtique vt peccantes non corripiamus; nec vt ijs, quæ malefuit consentiamus; sed vt Dei dispositiones non iudicemus iniuste, cum ille iuste omnia profutura prouiderit. Hæc ille

Secundo Hilarius can. 5. in Matth. iudicium illud hac sententia prohiberi asserit, quod fit de diuinis promissionibus, ex quadam incredulitate procedens.

Tertio Ambrosius in præsentī, & serm. 20. in psal. 118. generalius loquitur, affirmatque hac sententia iudicium temerarium prohiberi; quod autem hoc sit, explicat, nempe quando, qui peccati proprii conscius est, iudicat de alterius peccato.

Quarto loco Basilius regu: breui resp. 164. prohiberi dicit id, quod ex Ambrosio retulimus, nempe quando is, qui iudicat, eisdem tenetur criminibus, quibus is, quem iudicat. Adit autem non hoc tantum vetari iudicium, sed etiam id, quod fit de rebus, quæ male, & bene fieri possunt. quo casu non debemus iudicare tanquam malum, quod bene fieri potuit. Illud etiam vetatur, quando etiam si sint ea, quæ non nisi male fieri possunt, tamen incertum est, an is, qui iudicatur, commiserit ea.

Quinto loco Hieronymus Matth. 7. docet hac Dominica sententia non prohiberi iudicium, sed modum doceri, quo fieri debeat, qui modus est, vt is, qui in crimine est, non iudicet alium, nisi prius se à proprio purget, iudicetque se ipsum, quæ expositio eadem videtur cum illa Ambrosij.

Sexto loco Chrysostomus hom. 24. in Matth. dicit iudicium non prohiberi hac sententia, sed modum, quis autem sit modus hic, qui vetatur, explicat, nempe, vt is, qui pluribus flagitijs detinetur, non iudicet acriter, & amare, ac tanquam hostis alterum, & præcipue de leuioribus; neque id faciat, nisi prius se ipsum purget, & emendet.

Augustinus vero multa dicit, quæ in huius difficultatis elucidatione referam. Pro qua illud, in quo omnes conueniunt, supponendum est, scilicet non hic agi de iudicio factorum, aut sermonum, prout in se ipsis considerantur, quod ad scientiam potius pertinet, sed sermo est de iudicio dictorum, aut factorum in ordine ad personas, prout hæc ex illis dictis, aut factis bonæ, aut malæ iudicantur. Præ- terea iudicium in præsentī in malâ accipitur partem, bene enim sentire de proximo, & in bonam partem dubia facta, aut dicta eius interpretari non vetatur, sed agitur de iudicio in malam partem.

hac igitur Patris imitatione, cum filij eius simus, miro artificio connectit sententias sequentes, quibus ad diligendum proximos, etiam inimicos nos exhortatur, & impedimenta diligendi radicibus tollit; Nolite, inquit, iudicare, nolite condemnare, dimittite, & date. Vt autem magis ad hæc præstanda nos excitet, vltra imitationem, & similitudinem, quas filij Dei cum simus, debemus Patri referre, peculiaribus promissionibus, & comminationibus vtitur; Nolite, inquit, iudicare & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini; dignus enim est iudicari à Deo, & dam- nari, qui cum ipse non esset prius iudicatus, nec damnatus, cum iudicari, & damnari posset, vult iudicare, & damnare fratres suos; similiter dimittite, inquit, & dimitemini; date, & dabitur vobis: hic est contextus harum sententiarum, quas in commentarijs sigillatim explanabimus.

Quibus suppositis nonnullis dictis sententia hæc Dominica explicatur. Primo cum duplex iudicium sit, vnum publicum, alterum priuatum, illud que in ijs, qui præsumt, & qui potestatem habent in alios, residet, hoc autem in singulis; Christus non loquitur hoc in loco de publico, sed de priuato, vt recte notauit Euthymius Matth. 7. similem interpretans sen- tentiam, publicum enim iudicium Paulus exercitit. Cori. 5. cum dixit: Ego quidem absens corpore, præ- sens autem spiritu iam iudicavi vt præfens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI tradere huiusmodi hominem Satanæ. hoc etiam iudicio vsus est Petrus act. 5. in Ananiam, & vxorem eius; ac idem iudicium exercent terrenæ potestates, tam Ecclesiasticæ, quam sæculares, sine quo omnia essent perturbata, & confusa.

Secundo, non tollitur omne iudicium priuatum: nam quod homo in seipsum exercet, laudabile est, de quo scribit Paulus. 1. Cori. 11. Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur; cum enim vnusquisque habeat in se conscientiam testem non tantum factorum, & verborum, sed & cogitationum, & intentionum, iudicium sui ipsius verum proferre potest.

Tertio non etiam prohibetur omne iudicium priuatum de alijs, licet enim iudicare quando signa & opera non dubia, sed manifesta sunt. ita Augustinus lib. 2. de serm. Domin. monte cap. 28. docet, probatque illo Matth. 7. A fructibus eorum cognoscetis eos; quod, inquit, scriptum est, ex fructibus eorum cognoscetis eos. de manifestis dictum est, quæ nõ possunt bono animo fieri, sicut sunt stupra, blasphemix, vel furta, vel ebrietas, & si qua sunt alia, de quibus iudicare permittitur. Hæc ille. Ad hoc pertinet fraternæ correctio, atque reprehensio, qua iudicatur de proximo facto, vel dicto in vtilitatem ipsius. Vnde Irenæus lib. 4. c. 49. recte dixit hac sententia non prohiberi correctionem proximi, quæ non potest esse sine iudicio.

Quarto, iudicium priuatum, quod hic prohibetur, de his est rebus, quæ in nostra potestate sunt, possuntque bene, vel male fieri, per hæc non debemus iudicare proximum, præsertim in malam partem interpretantes. ita Basilius reg. breui. respon. 164. notauit, hunc locum explicans, & Augustinus loco allegato, vbi sic inquit: Sunt quædam facta, media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & bono, & malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maxime, vt condemnemus. adfert exemplum: Si quispiam, inquit, conquestus de stomacho, ieiunare noluit, & tu id non credens edacitatis vitio tribueris, temere iudicabis. de talibus est illud Rom. 14. qui non manducat, E e mandu-

1. Corint. 11.

manducantem non iudicet. prohibetur etiam iudicium in manifestis, quando ita iudicamus proximum, quasi eum amplius non p[re]nitebit, & inemendabilem reputamus; hoc enim temere iudicatur, quod Augustinus loco citato docet, ita scribens: Si manifestam, inquit edacitatem, ebriositatemque cognoveris, & ita reprehenderis, quasi illa nunquam possit mutari, temere iudicabis. Ad hoc etiam pertinet iudicium priuatum, quo proximum, quia aliquando peccata manifesta commisit, in eodem animo permanere reputamus, & emendatum non esse iudicamus. Tum demum prohibetur iudicium in manifestis, quando etiam si certum sit opera esse mala, incertum tamen est, quis ea perpetravit; eo enim casu temerarie iudicatur persona, ita Basilus docet. Dubia igitur siue in actionibus, siue in verbis, siue in personis iudicanda non sunt, & de ijs omnibus est illud 1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat dies Domini; & hoc est, quod Dominus nunc prohibet omnibus, nolite, inquit, iudicare.

Postremo notandum est, non prohiberi iudicia, quae per prudentiam sunt de alijs ad sibimet cauendum, aut ad aliorum vtilitati consulendum, etiam si non sint signa, & argumenta manifesta; illud enim iudicium hoc loco prohibetur, quod ex curiositate, aut inuidia, aut odio, aut inutiliter fit contra proximum in dubijs rebus.

Et non iudicabimini.

COMMENTARIA.

NON sola imitatione Patris Dei, iudicium aduersus fratres dissuadet, sed etiam vitur promissione, & comminatione simul, vt spe, ac timore ab hoc iudicio nos amoueat: Si, inquit, non iudicaueritis fratres, nec vos a Deo iudicabimini; contra vero, qui eos iudicauerit, & ipse a Deo iudicabitur. Hoc non significat eos, qui non iudicauerint, nullo modo esse a Deo iudicandos, cum sit certum omnes ante tribunal Christi manifestari oportere, & prout in corpore vnusquisque gessit, rationem reddituros: sed quod nunc dicitur, illud est, qui aliena facta, aut dicta iudicat, propria sua, si similia faciat, aut dicat, eo ipso iudicatur; a Deoque suo proprio iudicio iudicabitur. quod Paulus Roman. 2. alijs verbis expressit: In quo, inquit, alium iudicas, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quae iudicas. inexcusabilem ergo se reddit, qui alium iudicat, cum contra seipsum sententiam ipsemet ferat. Nec hoc tantum euenit, sed etiam, qui iudicat alium, & id ipsum quod ipse similiter committit, habet quandam additionem, & grauitatis maioris circumstantiam, quam non haberet, si non iudicaret; sicut enim, qui alios docet, & instruit, si ipsemet perpetraret, quae ipse docendo dissuadet, grauius in iis delinquit, quam is, qui docetur, ita fit in eo, qui alios iudicat, & aliorum censorem se constituit. vnde grauius, ac seuerius a Deo de talibus iudicatur.

ANNOTATIO LXVI.

Primo loco quidam recentiores hanc sententiam de iudicio hominum interpretantur, vt sit sensus, qui ceteros non iudicat, nec ab alijs hominibus ipse iudicabitur. Euenit enim, vt qui aliorum facta, vel dicta diligenter scrutatur, & curiose inquirat, ac seuerie iudicat, eius etiam facta, & dicta ab alijs inquirantur, & seuerius iudicentur. Hae expositio, quamuis verum sit id euenire frequenter, tamen non videtur satis accommodata, tum quia vera doctrinam non continet; saepe enim fit, vt qui non iudicat alios; is a multis iudicetur; contra vero, qui iudicat, non iudicetur: tum, quia talis promissio leuis est, dicente Paulo 1. Corin. 4. Mihi pro minimo est, vt a vobis iudicer, aut ab humano die. Gregorius etiam lib. 8. Epist. 45. ad Palladium die. Gregorius etiam lib. 8. Epist. 45. ad Palladium die. Gregorius etiam lib. 8. Epist. 45. ad Palladium die. Gregorius etiam lib. 8. Epist. 45. ad Palladium die. Gregorius etiam lib. 8. Epist. 45. ad Palladium die.

Secundo loco Augustinus lib. 2. de sermone Domini in Monte cap. 29. de iudicio Dei explicat,

nempe eum, qui temere iudicat, iudicandum esse a Deo, de illo nempe iudicio temerario, quod aduersus fratrem protulit, quod iudicium vitat, qui alium temere non iudicat. Hae expositio non videtur adhuc satisfacere, cum hoc sit commune iudicio temerario cum ceteris peccatis; de omnibus enim iudicandi sumus, & qui a peccato abstinere, de eo non iudicabitur; oportet ergo aliquid peculiare assignare, cur qui non iudicat, dicatur non iudicandus: non autem hoc dicitur de eo, qui non furatur, non occidit, ab alijsque se continet peccatis.

Tertio loco Chrysostomus hom. 24. in Matth. de iudicio quidem diuino, sicut & Augustinus interpretatur, tamen aliter, nempe non solum, qui iudicat alium, cum esse iudicandum, sed acriter iudicandum, iuxta regulam, qua ipse acriter alios iudicauit. hanc sententiam dilucidius idem Chrysostomus expressit hom. 3. ad Populum Antiochenum, cuius hae sunt verba: Nolite iudicare, ne iudicemini; non enim quale fuit peccatum, tale illic in futurum apparebit, sed quandam magnam, & inevitabilem additionem a iudicio in conseruum facto accipiet; sicut enim humanus, & clemens, ac mitis maiorum peccatorum grauitatem, ita acerbus, & crudelis, & implacabilis magnum proprijs pondus peccatis apponit. Hae ille. Cuius sententiam secuti sumus in commentario, paruum aliquid ex loco Pauli addentes in explicationem, & confirmationem.

Nolite

Nolite condemnare, & non condemnabimini.

COMMENTARIA.

HOC etiam est, quod ad imitationem misericordiae Dei Patris spectat, quodque ad dilectionem proximi necessarium est. Nolite, inquit, non solum culpae adscribere aliena facta, aut dicta iudicando; sed nec etiam poena digna censere, quod est condemnare, ne eadem poena vos ipsos propter eadem dignos esse faciatis; qui enim alterius facta digna morte censet, sua profecto eadem damnat poena, & apud Deum sic damnabitur, immo aliquando se grauioris poenae reum facit; si enim minora proximi graui poena punienda iudicat, quanto grauiori ipse damnabitur, si peiora committat? Nolite ergo iudicare proximos quantum ad culpam, nec damnare, quantum ad poenam, ne vestro iudicio apud Deum iudicemini, & damnemini.

ANNOTATIO LXVII.

Proxima hae sententia non est superioris declaratio, sed ab illa diuersa.

Evthymius Matth. 7. hanc sententiam praecedentis explicationem esse existimat, quasi idem sit iudicare, quod & damnare, idque nonnullis recentioribus placet. Quod quidem non probamus; cum enim distinctum sensum accommodatum verbis inuenimus, non est admittenda in Scriptura multiplicatio sententiarum idem significantium. fateor quidem aliquando verbum iudicandi positum esse pro verbo condemnandi, quale illud est Rom. 2. in quo alium iudicas, te ipsum condemnas: at vero in hoc loco, vbi vtrumque reperitur coniunctum, diuersa significat; iudicare enim ad culpam, damnare ad poenam spectat, sicut in iudicijs publicis fit; iudex enim prius iudicat aliquem esse homicidam, postea morti adiudicat, quod est damnare: & Christus in vltimo die iudicabit malos culpae, conuincendo, & postea damnabit poenis; disputando; ita in priuatis iudicijs temerarijs fit; nam iudicamus alios, & culpam notantes, & poena dignos censentes, quorum vtrumque Dominus prohibet, quasi dilectioni proximi multum cotarium, & dilectionis inimicorum graue impedimentum, imo odiorum, & inimicitiarum efficacis fomentum.

Dimittite.

COMMENTARIA.

HOC est tertium, quod ad imitationem misericordiae Patris Dei pertinet, non solum enim Deus non iudicauit, nec condemnauit mundum peccantem; sed etiam dimisit peccatum, veniamque praebuit, mittens suum filium ad saluandum, debemus ergo & nos dimittere. Simul etiam hoc verbo dilectionis impedimentum, & quidem non paruum, tollit, nempe querelas, quas inuicem inter se homines habent; sunt enim extorsiones, vexationes, molestiae, detractiones, murmurationes, iniuriae, praua officia, iniquae persecutiones, aliaque huiusmodi, quibus mutuo se homines laedunt, vixque vnus conuersatio sine offensa aliqua aliorum transigitur. vnde plurimae oriuntur querelae vnus aduersus alterum, quae non solum dilectionem impediunt, sed etiam odia, & inimitias multiplicant. iubet ergo Dominus has querelas ex mutuis offensis ortas deponere, & dimittere proximis, si quid in nos deliquerunt, iuxta illud Coloss. 3. Supportantes inuicem, & condonantes vobismetipsis, si quis aduersus alterum habet querelam, sicut Dominus donauit vobis, ita & vos.

Coloss. 3.

ANNOTATIO LXVIII.

Gregorius lib. 22. Moral. cap. 8. in eundem sensum, quem in commentario explicuimus, hoc verbum interpretatur, paulo tamen differentius, inquit enim sic: Dimittite, & dimittetur vobis. dare ad res pertinet, quas exterius habemus; dimittere autem ad relaxandum dolorem, quem interius ex aliena culpa contrahimus. Hae ille. vbi verbum dimittendi refert ad dolorem, quem animo concipimus ex culpis proximorum contra nos factis, vt idem sit dimittere, ac deponere dolorem animi, qui excitare solet ad odium, & vindictam aduersus eos, qui in nos deliquerunt; quod quidem verum est; nemo enim dimittere dicitur, nisi hunc dolorem, & animi amaritudinem remoueat. At non ad hanc refertur verbum dimittendi, sed ad debitum, quod proximus peccans in nos, contraxit; qui enim in alterum pec-

cavit detractione, vexatione, prauoque alio officio, quasi debitor remanet illius, recompensare obligatus damna, quae intulit. dimittere ergo est condonare huiusmodi debita, non solum non repetendo aliquid ex proximis, sed nec reddendo malum pro malo, deponendoque animi perturbationem voluntariam aduersus eum. hunc sensum nobis indicant verba Saluatoris similia Matth. 6. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. & Matth. 18. Si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Non immerito autem quispiam dubitabit, cum tot documenta patientiae, & tolerantiae sint tradita, vt etiam percutientibus vnam maxillam, alteram praebere debeamus, quid est, quod nunc monemur, vt dimittamus. Huic dubitationi satisfacere possumus, si ea,

fi ea, quæ Gregorius docuit, proponamus; is enim 3. p. pastor. c. 10. sic inquit: Euenire plerumque patientibus solet, vt eo quidem tempore, quo vel aduersa patiuntur, vel contumelias audiunt, nullo dolore pulsantur, & sic patientiam exhibeant, aut custodire etiam cordis innocentiam non omittant, sed cum post paululum hæc ipsa, quæ pertulerunt, ad memoriam reuocant, igne se doloris inflammant, & argumenta vltionis inquirunt, & mansuetudinem, quam tolerantibus habuerunt, retractantes in malitiam vertunt. Hæc ille. Non ergo post illa documenta iniquiter adiecit Dominus, vt dimittamus. Quid autem sit, quod dimittere debeamus, explicat Gregorius Nazianz. orat. 4. quæ est secunda contra Iulianum. Verba eius sunt hæc: Eos, à quibus tyrannide oppressi sumus, mansuetudine vincamus, ac maxime quidem nos benignitas ad ignoscendum adducat, visque mandati diuini eandem benignitatem nobis in iis rebus, in quibus ea opus habemus, remittens. Qua enim mensura metimur, eadem quoque nobis remensum iri perispectum habemus. Quod si quis animo admodum acerbo, atque importuno est, Deo, ac futuro tribunali eos, qui nos læserunt, relinquamus. Nihil de futura pœna per nostram manum detrahimus, neque bonorum proscriptionem cogitemus, nec ad iudicium subfellia trahamus, nec patriis sedibus pellamus, nec flagris cruciemus, nec denique, vt breui complectar, quicquam eorum, quæ perpassi sumus, faciamus; eos queque si modo id possint, exemplo nostro faciliores, ac benigniores reddamus. Si cui filius passus est, si cui Pater, si cui vxor, aut cognatus, aut amicus, aut alius quispiam nobis charus, demus operam, vt cuique eorum mercedem cruciatu afferat, ipsis nimirum persuadentes, forti animo ferant, quæ passi sunt. Hoc beneficium nullum maius ipsis dare possumus. Hæc ille.

Quid condonandum, & quid a debito ribus sit repetendum.

Rom. 13.

In cuius rei declarationem aduertendum est, eorum, quæ aduersus proximum committuntur, quædam esse contra charitatem ei debitam, vt quando non subuenitur illi in necessitate eius, quod multipliciter sit secundum modum multiplicem, quo vnus altero indiget. Vnde qui sic deliquit, debitum contraxit, quasi non præstitit operæ, quam debebat, iuxta illud Rom. 13. nemini quequam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. talia debita, si qua proximus contraxit, debemus remittere, & condonare, non par pari referendo, nec odio habendo, nec à dile-

Ecclesiast. 28.

Et dimittimini.

C O M M E N T A R I A.

Dimittentibus debita proximis, vltra imitationem, & similitudinem Dei Patris promittitur dimissio priorum peccatorum à Deo; contra vero non dimittentibus, nec Deus dimittet, iuxta illud Matth. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. prædicta est sententia hæc à Salomone Eccl. 28. Relinque inquit proximo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Hoc non significat, peccatores, qui dimittunt proximis debita, ob eam solam dimissionem, suorum eos peccatorum veniam obtinere, sed si eos pœniteat, facile veniam impetrare; & vt ad pœnitentiam conuertantur, auxilium à Deo ipso facilius obtinere.

Patres diuersimode superiora verba interpretantur.

Annotatio LXIIII.

Chrysostronus hom. 33. in Ioannem, hanc promissionem sic explicat: Si dimittitis, inquit, dimittetur vobis, & sicut in Baptismate absoluta peccata non amplius apparent, ita, & dimittendo abluuntur, si pœnitere voluerimus. Ea demum est pœnitentia, ne am-

Etione cessando, & omnem querelam, & amaritudinem aduersus eum ex animo deponendo: Quædã alia aduersum proximum committuntur, quæ non solum contra solitam charitatem, sed etiam contra iustitiam sunt, qualia sunt iniuriæ, extorsiones iniquæ, vexationes, detractiones, nocumenta, & alia huiusmodi, quibus auferimus ea, quæ proximi sunt, nocentes famæ, honori, rebus, sanitati, & vitæ eius, in quibus duo sunt consideranda, nempe damnum proximi, quod ille patitur, nempe priuatio eorum bonorum, quæ numerauimus, & contemptus, ac iniuria, quibus afficitur proximus; præter damnum enim, quod infert raptor, fur, detractor, percussor, & quiuis alius, est etiam iniuria, & contemptus; qui enim proximum offendit, eo ipso parui facit eum. Sunt ergo duo debita, & illati damni, & iniuriæ irrogatæ. debitum iniuriæ condonandum est, & dimittendum, quod solent homines mundi vindictam exigere, at nos omnino condonare debemus, nullam vindictam inferendo, re, & animo; debitum vero damni illati non semper est dimittendum; si enim quispiam nobis nocuit famam obscurando, honorem minuendo, res nostras auferendo, non obligamur semper remittere, sed licite exigere possumus, vt reddat res ablatas, resarciat famam, & honorem, & ad hæc compellere possumus coram iudice animo solo nostra recuperandi. At vero si soluendi facultas, & spes non est, etiam hæc remittenda sunt debita, iuxta præceptum Domini in parabola Matth. 18. de seruo non habente, vnde redderet debitum. Ea igitur, quæ reparabilia non sunt, vt si occisus est filius, ablatum est membrum, percussa maxilla, & alia similia, quæ reparari non possunt, & vt dicit Augustinus lib. 1. de sermo Dom. in monte cap. 37. & 39. apud homines mundi vindicta resarciuntur, hæc condonanda sunt sic, vt nulla priuata vindicta reparentur. Quod si quis apud Iudices flagitet vindictam publicam contra hos, si quod id fiat, malum est; si vero solo zelo iustitiæ, omni odio deposito prohibitum non est; id tamen difficillime efficitur: ob id Gregorius Nazianz loco citato monet, ne trahamus ad iudicium subfellia huiusmodi debitores, quod securius, & perfectius est. Ex his liquet, quid sit dimittendum, & quomodo, & quando. Hoc autem in loco præcipue agit de dimissione peccati, & offensæ, non de damno, vt recte, inquit Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 13. explicans illud (sicut & nos dimittimus.)

plius peccemus. Hæc ille. Sicut autem ista duo Chrysostroni dicta limitanda, & declaranda. Primū quidē, non debet sic intelligi, quasi dimissio remittat peccata, tanquam quoddam Sacramentum ex opere operato, sicut remittit Baptismus, nec etiam quod sine contritione, sed

sed cum sola attritione remittat mortalia, sicut fit per Baptismum. in his enim multum est discriminis inter Baptismum, & hanc dimissionem; sed collatio sic est intelligenda, quomodo etiam dicimus eleemosynam esse quandam Baptismum, & per eam remitti peccata, nimirum, quod eleemosyna pœnitentibus impetrat à Deo facile remissionem, & disponit ad ea obtinenda, quæ necessaria sunt ad peccati veniam, & ad gratiam consequendam. Alterum dictum Chrysostroni non sic debet intelligi, vt velit dicere pœnitentiam non esse aliud, quam cessare a peccatis, cum sit etiam dolor de commissis; neminem enim pœnitere peccasse, nisi doleat, eique displiceat peccasse, non tamen est perfecta pœnitentia, nisi adsit propositum non amplius peccandi, & hoc dicit Chrysostronus.

Augustinus autem aliter loquitur de hac dimissione. Primo quidem promissionem dimittendi peccata ei, qui peccata suo proximo dimittit, intelligendam asserit de venialibus peccatis; hæc enim remittuntur hominibus, si dimittant proximis peccata, & debita. hoc docet lib. 2. contra Epist. Parmeni: cap. 10. & lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 4. & lib. 2. contra Cresconium grammata. cap. 28. alijque plurimis in locis. Secundo affirmat per hanc dimissionem remitti hæc peccata, sicut per eleemosynam: nam dimittere peccata proximis, etiam eleemosyna quædam est. hoc tradit in Enchirid. ad Lau-

Tria ex parte Dei sunt quibus ad dimittendum mouemur.

Annotatio LXX.

Multa sunt, quæ præceptum dimittendi proximis, rationabilissimum, & æquissimum esse demonstrant, eaque tum ex parte Dei, tum ex parte præcepti ipsius, tum ex parte proximi peccantis, tum ex parte ipsius, contra quem peccatur, desumuntur. Ex parte quidem Dei tria sunt, primo quidem, quia plura, & grauiora remittit nobis Deus. si igitur volumus nobis hæc dimitti à Deo, quis non videt quam æquum sit, vt nos minima remittamus proximis. Gregorius Nazianzenus in suis sententijs tetrarchis sen. 40. hac vtitur ratione: Si tu, inquit, non affecisti iniuria Deum, nec tu remittas proximo: at quis est iste, qui non affecerit Deum iniuria, & velique remitti sibi? Chrysostronus hom. 62. in Matth. eadem ratione vtitur, explicans illam parabolam debentis decem millia talenta, cui totum debitum remissum est à Domino, ille vero postea noluit conferuo dimittere censum, vbi recte poterat, quantum decem millia talenta superant centum, tantum, quod debemus nos Deo, petimusque dimitti, excedit, quod proximus in nos peccauit. Leo etiã ser. de Martyribus in fine eadē ratione vtens inquit sic: Sed dicit aliquis: Tanta mala me inimicus meus compulit sustinere, vt eum nulla ratione possim diligere; attende quid tibi fecerit homo, & tu non attendis, quid fecerit Deo? Si conscientiam tuā diligenter discutis, & inquiris, sine vlla compensatione maiora tu commisisti in Deum peccata, quam in te commiserit homo: & qua fronte vis, vt tibi Deus dignetur dimittere multum, cum tu non acquiescis dimittere parum? Hæc ille. Ante autem omnes hos Salomon Ecclesi. 28. hac vsus ratione inquit: homo homini referuat iram, & à Deo querit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam; & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit, referuat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius? memorare nouissimorum, & desine inimicari. Hæc ille.

Ecclesiast. 78.

Secundo quando frater peccat in nos, maiori iniuria afficit Deum, quam nos ipsos; legem enim illius transgreditur, & ipsius creaturam lædit; si igitur

rentium cap. 72. multa, inquit, sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus, adiuuamur, vt dimittantur nobis nostra peccata; sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit. Hæc Augustinus. Tertio dicit hanc promissionem remissionis peccatorum factam esse dimittenti peccata proximo roganti, & petenti veniam. Hoc affirmat in Enchirid. cap. 73. Hæc sunt quæ Augustinus docet de hac dimissione. cum autem inferius, quando oratio Dominica explicabitur, hæc sint fusius tractanda, id nunc tantum dicam, generalem esse promissionem, sicut enim generaliter omnia peccata proximis dimittere debemus, quæcumque in nos commiserint, ita & generalem promittit Deus dimissionem quoruncumque peccatorum, vt recte tradunt Leo serm. de Martyribus prope finem, & Chrysostr. hom. 20. in Matth. & Irenæus lib. 5. cap. 17. Nec solis petentibus dimittere debemus, sed etiam omnibus, dictum enim est: quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei. Absolute dictum est (peccabit in me) & non restringitur (si petierit veniam). Siue ergo petat siue non, dimittendum est ei; dimissio autem hæc remissionis peccatorum à Deo habet, non quod sola sufficiat, sed quod à Deo impetrat, quæ necessaria sunt ad peccatorum remissionem obtinendam, nisi homo ipse suo arbitrio resistat, & obstaculum præbeat cooperanti Deo.

Deus illi dimittit, quod maius est, & gratiorem iniuriam condonat ei, ergo & tu debes dimittere, quod tuum est, & multo minus, ac leuius. Quod si obijcias, Deus remittit petenti veniam, ac pœnitenti; at inimicus meus non petit à me veniam illatæ mihi iniuriæ; hæc excusatio nullius est momenti, immo auget vim argumenti: nam si ille non petit, rogat Deus ipse pro eo, præcipit etiam Christus: pluris igitur facienda est petitio, & præceptum Dei pro illo, quam ipsius preces, ac petitio veniæ.

Tertio, est Christi exemplum, qui grauiora, & acerbiora passus est ab inimicis, quam quilibet homo pati potuit ab homine, & tamen dimisit, & preces pro eis fudit, & quod maximum est, dum ea pateretur: in cruce enim dimittebat, & orabat. Hoc argumento vsus est idem Gregorius Nazianzenus in sententijs tetrarchis, sen. 40. & sumptum est à Petro. 1. epist. cap. 2. Christus, inquit, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Hæc sunt ea, quæ ex parte Dei præceptum hoc dimittendi proximis ostendunt esse æquissimum.

Sunt alia ex parte ipsius præcepti, primo quidem quia generale est. Non enim tibi soli præcepit dimittere, sed omnibus etiam, in quos tu peccasti, præceptum est, vt tibi dimittant. Si igitur consideretur præceptum hoc, qua parte omnes complectitur, vt singulis remittant, profecto æquissimum, & suauē videbitur. quis enim non demittat vni, aut alteri, cum omnes, quos ipse offenderit, dimittere debeant ei? hanc rationem notauit Gregorius lib. 22. mora. cap. 7. quæ contra nos, inquit, illata sunt, citius dimittimus, si nos circa proximos errata cognoscimus.

Secundo quia non iubemur dimittere proximo propter ipsummet, qui nos offendit, sed propter Deum. Quis est ita rationis, & sensus expertus, cui si Deus visibiliter diceret, remitte huic propter me, & meigratia, non remitteret? cum sæpe hominum precibus amicorum, aut Principum id fiat? at Deus id dicit, exhortatur, & præcipit per suas Scripturas. Chrysostr. hom. 78. in Ioan. exemplo eorum hoc poterat, qui mulierum amore capti multas iniurias ab

Quatuor alia proponuntur ex parte ipsius præcepti, quæ illius equitatem commendant.

eis patiuntur, quas remittunt, & condonant; cur igitur amor Dei hoc non efficiat?

Tertio, quia præmium magnū promissum est remittentibus, remissio nēpe peccatorū, & vita æterna, maius est multo quod datur, quā quod exigitur.

Quarto quia sic Deus voluit, cuius voluntas ipsa est æquitas, immo cum ipse nos vehementissime amet, quidquid præcipit, certissime in nostram utilitatem maxime cedit. sufficere autem deberet homini scire præceptum Dei esse, quod David recte agnoscens. 2. reg. 16. cum malediceret ut Semei, dixit: Sinite eum, Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David, quis scit si pro hac maledictione dabit benedictionem? Et tamen illud non erat præceptum, sed voluntas Dei permittens, & puniens; at proximo remittere, præceptum Domini est. Hoc ipsum Salomon Eccles. 28. docuit, dicens: memorare testamenti Altissimi, & despice ignorantiam proximi. Hæc ille. Et nota verbum (ignorantiam proximi) quia, qui lædit proximum, cæcus est, & ignorat quid faciat, idcirco facilius dimittendum illi est. Hæc sunt ex parte ipsius præcepti.

3. Reg. 16.

Ecclesi. 28.

Tria alia ex parte proximi, nos ad dimittendum suadent.

Sunt alia ex parte afficientis iniuria seu peccantis. Primo quidem, quia qui peccat in proximum, magis sibi nocet, quam proximo, miserabiliorque est, lædit enim animam suam, ut proximi lædat corpus. ita affirmat Augustinus serm. 10. de sanctis. Leo etiam serm. omnium sanctorum: Magis, inquit, plangendus est faciens maligna, quam patiens, quia iniustum culpa sua demergit ad poenam; iustum tolerantia sua ducit ad gloriam. Hæc ille. Unde recte Boetius lib. 4. profa. 4. tradit sapientem non debere vili odio habere: Si enim is bonus est, amandus est; si vero malus, illi est compatiendum.

Secundo ex Augustino in psal. 54. quia ignoramus, an is, qui in nos peccavit, futurus est consors in gloria, & nobiscum conregnaturus: non igitur æquum est exponere se periculo, ut nolimus dimittere ei, quem summa, & æterna charitate diligemus in cælo; & in terra adhuc existens frater noster est. hoc

idem Hieronymus Isa. 66. notat, & Chrysostomus etiam hom. 78. in Ioan.

Tertio, quia si quis nos offendit, sæpe nocere intendat tamē reuera offensa ipsa in nostrā utilitatē spiritualē cedit, si volumus; nō ergo difficile videri debet remittere illud, quod vtile est nobis ipsis. Unde Gregorius ho. 14. in Evangelia. Ferrū, inquit, animæ nostræ nequaquam ad acumen subtilitatis perducitur, si hoc non eraserit alienæ lima prauitatis. Hæc sunt ex parte proximi peccantis.

Quatuor ex parte nostra adducuntur, que admittendum proximo nos inducunt.

Alia demum sunt ex parte eius, in quem peccatur. Primo quidem ex Chrysostomo hom. 78. in Ioā. quia qui non remittit, non potest vindictam sumere de eo, qui in ipsum peccavit, nisi sibi grauius noceat, maiusque inferat malum, quam intulit inimicus; peccatum enim malum est peius, quam damnū corporale. qui ergo non remittit, potius iuuat eum, qui in ipsum peccavit; hic enim minus, ille vero maius sibi damnū infert, quod est vinci à malo, ut dicitur Rom. 12.

Secundo, è contrario, si remittimus vincimus inimicum, seu eum, qui nos offendit, tum quia nobis ipsis benefacimus, tum quia confundimus eum, qui in nos peccavit, dum ei benefacimus, condonantes offensam. Rom. 12. Vince in bono malum, hoc enim faciens carbones congeres super caput eius.

Tertio, quia ut dicit idem Chrysostomus ho. 62. in Matthæi, qui remittit, à maximis afflictionibus, anxietatibus, & periculis se liberat, quibus torquentur, & in quibus versantur ij, qui alios odio habent, vindicareque se de illis procurant.

Quarto ex Gregorio lib. 22. mora. cap. 7. quia sæpe nos in alios etiam peccamus. dignique sumus, ut alij etiam in nos peccent. Verba Gregorij sunt hæc: Dum pensamus, quales erga alios fuimus, esse circa nos tales alios minus dolemus: quia aliena iniustitia in nobis vindicat, quod in se iuste nostra conscientia accusat. Hæc ille. Hæc igitur omnia, & alia multa ostendunt, æquissimum esse præceptum Domini de dimittendo proximis.

Date.

COMMENTARIA.

HOc est quartum, quod ad imitationem, & similitudinem Dei Patris spectat, qui non solum non iudicauit, nec damnauit mundum peccantem, sed dimisit per misericordiam, & adhuc beneficentia inexhausta bona ei contulit, immensaque largitate subuenit. vos ergo utimini hac beneficentia, & misericordia erga proximos, quæ dilectionem multum promouet. date, inquit, id est, non solum proximorum offensas dimittite, sed etiam ex vestris rebus date illis, & omne officij genus, quantum in vobis fuerit, exhibete. Hoc non ad eleemosynas solas, nec ad illos, qui petunt, spectat, de quibus superius dictum est, sed omne officium dilectionis, & misericordiæ complectitur, exhibendum etiam non petentibus iuxta illud Domini verbum Act. 20. Beatius est dare, magis quam accipere. Verbum autem hoc (date) absolute positum significat copiose, & liberaliter dandum, quantum homo potuerit.

ANNOTATIO LXXI.

Patrum testimonijs confirmatum expositione in commentariis tradita.

Primo loco quidam recentiores verbum hoc restringunt, & ad præcedentem sententiam referunt, ut sit sensus, dimittite proximis iniurias, & offensas ab eis acceptas, & date, id est, condonate eas absque iudicio, & condemnatione, & absque exactione emendæ. Hæc tamen interpretatio non videtur probabilis: nam verbum (dimittite) ea omnia complectitur, non enim dimittit, nisi qui gratis condonat iniuriam acceptam.

Secundo loco Gregorius lib. 22. mora. cap. 8. ad res ipsas refert, limitat autem ad misericordiæ opus,

notatque maius esse misericordiæ opus, dimittere, quam dare. Verba ipsius sunt hæc: dimittite, & dimittimini; date, & dabitur vobis, date namque ad res pertinet, quas exterius habemus; dimittere autem ad relaxandum dolorem, quem interius ex aliena culpa contrahimus. Sed sciendum, quia qui omnino dimittit, & non dat, etsi non plene operatus est, meliorem tamen partem misericordiæ tenuit. Qui autem dat, & non dimittit, omnino nullam misericordiam facit, quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde

corde obligato in malitia profertur. Mundari enim prius debet animus, qui eleemosynam præbet, quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur. Hæc ille. In eadem sententia est Augustinus ser. 15. de verb. Dom. vbi sic scripsit: Duo sunt opera misericordiæ, quæ nos liberant, quæ breuiter posuit Dominus in Evangelio: Dimittite, & dimittimini; date, & dabitur vobis. Dimittite, ad ignoscendum pertinet; date, ad præstandum beneficium. Et lib. 2. de pecc. meri. & remis. cap. 3. sic inquit: Quædam salu-

bria remedia contra reatum, & vincula peccatorum etiam post baptismum dare, & valere dignatus est, opera scilicet misericordiæ, cum ait: Dimittite, & dimittimini; date, & dabitur vobis. & lib. 2. contra epist. Parmeni. cap. 10. Dimittere proximo peccata, appellat magnum misericordiæ opus. Huic sententiæ nos adhæsimus in commentario, tamquam probabiliori, & quæ illi generali magis accommodatur: Estote misericordes.

Et dabitur vobis.

COMMENTARIA.

Promissio fit dantibus; qui enim misericordes, & benefici erga alios sunt propter Deum, (hæc est enim misericordia, & beneficentia perfecta, quæque similes facit Patri Deo) his Deus misericordem, ac beneficum se exhibet. Sic enim Deus homines diligit, ac mutuo seipso diligere cupit, ut omnibus, qui alijs ipsius gratia beneficia impendunt, ipse rependat, tantaque promissione ad dandum inuicem excitet, & alliciat.

Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.

COMMENTARIA.

Quatuor promissiones factas, nempe non iudicabimini, non condemnabimini, dimittetur vobis, dabitur vobis; certas ac perfectas fere promittit, ne quis forte dubitaret aut implendas non esse, aut magnum aliquid non continere. Utitur autem metaphora sumpta ab illis, qui res aridas, frumentum, & legumina, vel alia huiusmodi metiuntur, & pro accepto pretio perfectam reddunt mensuram, quæ quidem perfectio quatuor qualitatibus mensuræ, seu modij explicatur; solent enim, qui perfectam mensuram exhibent, uti modio, seu pondere bono, id est, veraci non diminuto, & minus capaci, quam lex postulat, iuxta illud Deuter. 25. pondus habebis iustum, & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi. rursus implent modium, manibusque comprimunt immisum frumentum. ut plus capiat, quæ dicitur mensura conferta; insuper concutiunt modium, ut adhuc abundantius impleatur ipsa coagitatione, & concussione frumenti partibus ad ima descendentibus. Postremò superaddunt modio pleno ita, ut cumulo latera modij excedente frumentum superfundatur. Hæc mensura plena & perfecta est. talem Deus certissime reddet, nam perfectissima mercede cumulabit non iudicantes, non condemnantes, dimittentes, & dantes. tacite autem ab ea accipienda excluduntur iudicantes, condemnantes, non dimittentes, ac non donantes. Illud autem (dabunt) absolute positum est pro (dabitur) ac si dictum esset, mensura bona, conferta, & coagitata dabitur. Illud autem (in sinum vestrum) phrasia est Hebræa, quasi dictum esset, dabitur vobismet ipsis; non alijs pro vobis, idque in recompensationem vestrorum operum, Hæc enim duo ea locutio significat, iuxta illud psal. 79. Redde inimicis nostris septuplum in sinu eorum.

ANNOTATIO LXXII.

Traditur alia expositione proxima sententiæ.

HÆC sententia varie exponitur. Primo quidem Augustinus lib. 2. quæst. Euangel. cap. 8. & Euthymius in præsentia, ad præcedentem referunt, nempe (dabitur vobis) ut sit sensus, dantibus dabitur mensura bona, conferta, & coagitata, & superfluens; id est, iis, qui beneficia alijs conferunt, copiosam Deus reddet mercedem. Est autem discrimen inter Augustinum, & Euthymium in explicatione illius verbi, (dabunt); Augustinus enim refert ad eos, qui beneficia acceperunt, qui dicti sunt dari mensuram, & mercedem, sicut Luc. 16. dictum est de pauperibus, recipientes vos in æterna tabernaculā, nimirum, quia propter merita eorum illi, qui eis bene-

ficia contulerunt, saluantur; impetrant enim pauperes, & beneficijs affecti suis benefactoribus ea bona, quibus digni fiunt, mensura, & mercede tali. Euthymius vero illud (dabunt) etiam refert ad eosdem, qui beneficia acceperunt, sed alia de causa; dicuntur enim dare mensuram bonam suis benefactoribus, quia Deus pro ipsis rependit: quod autem pro ipsis Deus dat, ipsi dare dicuntur: conuenit autem cum Augustino Euthymius, hanc sententiam ad illam referri, dabitur vobis. Et verbum (dabunt) ad eos, qui beneficijs affecti sunt; ij enim daturi dicuntur, quamuis discrepet ab Augustino, in causa, & ratione, cur daturi dicantur.

Be 4 Secun.

Secundo loco quidam recentiores ad omnes sententias quatuor praecedentes hanc referunt sententiam, ita tamen ut mensura haec, & in bonam, & in malam accipiatur partem in hunc sensum; mensura bona, conferta, & coagitata, & superflua dabitur iudicantibus, & non iudicantibus condemnantibus, & non condemnantibus, dimittentibus, & non dimittentibus, dantibus, & non dantibus: his quidem premium, & merces illis vero poena, & punitio; utraque tamen mensura integra, & perfecta. Illud autem verbum (dabunt) hi recentiores referunt ad ipsa opera, & merita, vel demerita, ut sit sensus: Ipsa vestra opera iudicandi, aut non iudicandi, dimittendi, aut non dimittendi, dandi, aut non dandi, dabunt vobis perfectam mercedem, aut poenam.

Inter has expositiones duas mediam elegi, existimaui enim ad omnes sententias quatuor referendam esse hanc, eo motu argumento, quia quae sequitur, & huic est connexa, refertur etiam ad illas quatuor, ut in eius interpretatione ostenditur, atque etiam, quia

Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remerietur vobis.

COMMENTARIA.

Causam reddit praecedentium, ac si diceret, ideo mensura bona, & perfecta dabitur, non iudicantibus, non condemnantibus, dimittentibus, & dantibus, quia qua mensura quisque usus fuerit erga alios, eadem Deus vretur erga eum. qui igitur non iudicabit, nec condemnabit alios, nec ipse iudicabitur nec condemnabitur, qui dimittet dimittetur, qui dabit dabitur ei; contra vero, iudicans iudicabitur, & damnans damnabitur, & ei, qui non dimittit, nec dimittetur, & non danti, nec dabitur. Talem ergo se exhibebit Deus in retribuendo malum aut bonum, qualem homo homini se exhibuerit. Illud (eadem) similitudinem indicat, non qualitatem, maiora enim Deus homini, aut bona, aut mala confert, cum punit, aut remunerat, quam homo homini. refertur autem hac sententia generaliter ad omnes sententias tam in bonam, quam in malam partem.

ANNOTATIO LXXIII.

Haec sententia mihi persuasit praecedentem referendam esse ad illas quatuor promissiones, cum enim sint istae duae connexae, haec autem ad omnes quatuor referatur, consequitur etiam praecedentem referri similiter debere. hanc autem ad illas referri, & non tantum ad eam (date & dabitur vobis) constat ex Matthaeo cap. 7. ubi de iis, qui iudicant, & condemnant, aut ab his abstinent, dictum est, in qua mensura mensi fueritis, remerietur vobis. Quod si ad praecedentem referatur, nempe (date, & dabitur vobis) tunc sensus esset iuxta illud Pauli 2. Cor. 9. Qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus metet, id est, qui parum dat, parum accipiet, qui vero multum tribuit, multum etiam

Dicebat autem illis & similitudinem.

COMMENTARIA.

Multa haecenus Christus docuit ad sinceram recte, perfecteque viuendi formam, & ad legis legitimam intelligentiam pertinentiam, quae Scribarum, & Pharisaorum doctrinis non erant consona; idcirco nunc ostendit eam formam non ab eis, utpote nec legitimam scientiam, nec vitae debitos mores habentibus, esse petendam; sed ab ipso Christo, quasi tacitae audientium obiectioni respondens: dicere enim poterant; Multa doces, quae nemo Pharisaorum, aut Scribarum tradidit, numquam talia a quocumque audivimus, nescimus an illis potius, an tibi sit adhibenda fides. Huic tacitae obiectioni sermone peracto respondet. quo vero magis & rem explicet, & audientium animis eum infigat, similitudinibus e vulgo petitis utitur. Illud autem verbum imperfecti temporis (dicebat) insinuat Christum multa alia praedicasse, quae Euangelista praetermisit, nec enim omnia, quae Christus dixit, scripta sunt, & multa velut in summa quadam narrantur.

si ad illam tantum (dabitur vobis) referretur, potius dicendum erat, date, & dabitur vobis mensura bona, & conferta &c. cum autem fiat diuisio, & noua addatur sententia, videtur referenda, non ad illam sola, sed simul ad alias. Non autem consentio recentioribus in eo, quod in malam partem interpretantur, referentes ad demerita: nam poena damnatorum non dicitur mensura bona; potius igitur promissionibus conuenit, quae complebuntur optima, & copiosa mercede. Verbum autem (dabunt) non videtur referendum nec ad beneficijs affectos, nec ad opera ipsa, sed positiu est absolute pro (dabitur) aut etiam pro (dabit) nempe Deus; frequens enim est in Scriptura numerum pro numero poni. Quod autem quidam recentiores hanc mensuram referunt ad beneficia, quibus solent suos benefactores recompensare, quibus datum est, parum accommodatum est: tum quia parum est, quod ab hominibus confertur; tum quia agitur de misericordiae operibus, quae ab hominibus non habent recompensationem, sed a Deo.

Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remerietur vobis.

COMMENTARIA.

Causam reddit praecedentium, ac si diceret, ideo mensura bona, & perfecta dabitur, non iudicantibus, non condemnantibus, dimittentibus, & dantibus, quia qua mensura quisque usus fuerit erga alios, eadem Deus vretur erga eum. qui igitur non iudicabit, nec condemnabit alios, nec ipse iudicabitur nec condemnabitur, qui dimittet dimittetur, qui dabit dabitur ei; contra vero, iudicans iudicabitur, & damnans damnabitur, & ei, qui non dimittit, nec dimittetur, & non danti, nec dabitur. Talem ergo se exhibebit Deus in retribuendo malum aut bonum, qualem homo homini se exhibuerit. Illud (eadem) similitudinem indicat, non qualitatem, maiora enim Deus homini, aut bona, aut mala confert, cum punit, aut remunerat, quam homo homini. refertur autem hac sententia generaliter ad omnes sententias tam in bonam, quam in malam partem.

ANNOTATIO LXXIII.

tribuetur ei. prior tamen expositio accommodatio mihi visa est. Hanc sententiam sic intellectam opponebant pagani, quasi contrariam sententiae alteri Evangelicae, per quam non credentibus supplicia aeterna Christus comminatur. dicebant ergo, si aeterna est, quomodo mensurari potest? Refert haec Augustinus Epist. 49. ad Deogratias. quae sit. 4. multaque dicit, responsio autem breuis est, licet quantum ad durationem aeterna sit nec mensuram habeat; tamen quantum ad intentionem finita est, vnaque est acrior, aut mitior altera, & hac ratione mensurari potest, & pro demeritorum quantitate maior, aut minor infligi; idem de premio, seu gloria dicendum est, licet enim omnis sit aeterna, non tamen in gradu aequalis, nec infinita.

Dicebat autem illis & similitudinem.

COMMENTARIA.

Multa haecenus Christus docuit ad sinceram recte, perfecteque viuendi formam, & ad legis legitimam intelligentiam pertinentiam, quae Scribarum, & Pharisaorum doctrinis non erant consona; idcirco nunc ostendit eam formam non ab eis, utpote nec legitimam scientiam, nec vitae debitos mores habentibus, esse petendam; sed ab ipso Christo, quasi tacitae audientium obiectioni respondens: dicere enim poterant; Multa doces, quae nemo Pharisaorum, aut Scribarum tradidit, numquam talia a quocumque audivimus, nescimus an illis potius, an tibi sit adhibenda fides. Huic tacitae obiectioni sermone peracto respondet. quo vero magis & rem explicet, & audientium animis eum infigat, similitudinibus e vulgo petitis utitur. Illud autem verbum imperfecti temporis (dicebat) insinuat Christum multa alia praedicasse, quae Euangelista praetermisit, nec enim omnia, quae Christus dixit, scripta sunt, & multa velut in summa quadam narrantur.

ANNOTATIO LXXIIII.

Illud (&) non habetur in exemplaribus Graecis, si tamen legatur, sensum accommodatum facit, nimirum praeter multa alia, quae Christus dixerat, haec etiam, quae sequuntur, similitudines protulisse. Est autem numerus pro numero positus; non enim vnica similitudo, sed plures sunt, similitudinem enim appel-

lat prouerbia, seu adagia, quibus vulgus solet vti frequenter. Haec enim vim habent rem explicandi, confirmandi, ac memoriae audientium infigendi. de connexionione autem harum sententiarum cum praecedentibus paulo inferius dicemus.

Numquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in foueam cadunt?

COMMENTARIA.

Haec est prima ratio, sumpta ex prima similitudine, qua probat ab illis Scribis, & Pharisaeis formam perfecte viuendi non esse petendam, quia illi erroribus multis excacatum habent intellectum. Est autem similitudo, seu prouerbum, si caecus caecum ducat, ambo cadent in foueam; caecus enim caecum non potest ducere, quod si ducat, in foueam vterque cadet. Erant illi Scribae, & Pharisaei caeci mente, errantes in mandatorum Dei intelligentia, & contraria potius ipsis mandatis sentientes; non ergo poterant docere, nec instruere vere populum caecum, & ignorantem, quin in errores eum detruderent, quibus se & illum perderent, illum quidem propter errorem, se vero quia causa erant, ut illi errarent.

ANNOTATIO LXXV.

Confirmatur expositio in commentario tradita & proxima sententia cum praecedentibus conexio declaratur.

Haec sententia elucidatur ex iis, quae Matth. 15. narrantur; arguebant enim Pharisaei, & Scribae, Doctoresque Iudaeorum, Discipulos Domini, quod non lotis manibus manducarent, quasi immundities corporis animam coinquinaret, in quo maxime errabant, ideo arguuntur a Domino, quod diuinum mandatum de patre, & matre honorandis peruersim intellexerent, ac docerent, in quo etiam maxime errabant, ob quae Christus eadem similitudine in eos inuectus dixit: Caeci sunt, & duces caecorum. & rursus: omnis plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur, quomodo ergo forma recte, & secundum Deum viuendi a caecis periri potuit? Errabant etiam in praeecepto de proximo diligendo, excludentes inimicum; & in praeecepto, oculum pro oculo, dentem pro dente, probantes vindicandi voluntatem licitam esse. Similiter in aliis etiam multis, propter quae Dominus eos caecos appellat, & ineptos ad populum caecum, & ignorantem instruendum. Haec autem caecitas multo magis declaratur Matth. 23. ubi Dominus hos Scribas, & Pharisaeos sapienter caecos appellat, & multiplicem eorum caecitatem explicat, ac ineptos ad alios ducendos comprobatur, & hoc est, quod nunc prima similitudine Christus ostendit, quamuis enim expresse eos non nominauit, eos tamen significare voluit, idque audientes satis intelligebant. Haec mihi visa est recta, & accommodata conexio huius, & sequen-

tium sententiarum cum praecedentibus.

Quidam vero recentiores aliter connectunt, nimirum, cum supra dixisset: Nolite iudicare, declarat nunc qualiter sit iudicandum, nempe non prius, quam qui iudicat, emundet se ab iis vitiis, quae in alio iudicat; caecus enim caecum non ducit. Haec conexio non videtur accommodata, tum quia praecedenti illa sententia iudicium non omne, sed temerarium prohibitum est; hoc autem nec iis, qui vitia alia habent, nec iis, qui carent vitiis, licitum est: non ergo erat, cur talis sententia limitaretur; tum etiam quia illa sententia remota est, multaque aliae sunt interpositae, ad quam non videtur haec referenda.

Euthymius hanc sententiam de omnibus iis dictam censet, qui obscuratos habent animae oculos, & alios docere conantur, in hocque asserit differre ab illa, quae Matth. 15. prolata est, quae ad solos Pharisaeos refertur, non tamen explicat Euthymius rationem connexionis. Mihi visum est, quamuis haec sententia ad eos referatur, qui cum obscuratam habeant mentem, alios docent; tamen solos illos Pharisaeos, & Scribas taxatos esse, quod factum est, ut tacitae audientium obiectioni Christus responderet, nequis nouae, & inaudita suae doctrinae, ac sermoni opponeret Pharisaeos, & Scribas aliter docentes, & praedicantes, eaque est ratio connexionis, ut in commentario dictum est.

Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.

COMMENTARIA.

Altera similitudine, seu prouerbio confirmat, quod dixerat, ostendens, qui tales habent praecipitantes, non posse rectius, ac verius sentire, quam illos. Si igitur errant Doctores, ac falso sentiunt, necesse est etiam errare discipulos; nam discipulus scientiam haurit a magistro, tuncque perfectus censetur, cum magistrum fuerit affectus, & ad absolutam magistri sui sapientiam accesserit. Hac sententia Christus docet, auditores non posse veram viuendi normam, ac doctrinam assequi a Pharisaeis, & Scribis errantibus, & praecacitate mentis veram, ac perfectam legis intelligentiam non habentibus.

ANNOTATIO LXXVI.

Matthaei cap. 10. alio sensu hoc prouerbio visus est Christus.

Vsus est Dominus hoc eodem prouerbio Matth. 10. sed longe diuerso sensu; exhortans enim Christus discipulos suos ad tolerandas aequanimiter persecutiones, & odia hominum, & ne propterea a veritate praedicanda desisterent, seipsum imitandum proposuit, suiue imitatione, ac exemplo excita-

uit dicens: Non est Discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. sufficit Discipulo si sit sicut magister eius, & seruo, sicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Veritas huius prouerbij est, non quod Discipulus non possit doctior magistro suo

suo effici, si aliunde etiam doctrinam habeat, nempe studio proprio, & inuentione, sed in ea scientia, quam a magistro solo recipit, eo doctior esse non potest. Hæc similitudo confirmat Christum loqui de Pharisæis, & Scribis, qui se magistros, & doctores aliorum profitebantur. Euthymius asserit hanc similitudinem

de Discipulis Christum dixisse, quos præceptores constituit, ea de causa, ut nullus super eos efferretur, putans supergredi virtutem illorum. Hæc autem interpretatio non videtur accommodata, cum similitudo ista priori sit connexa, quæ Discipulis Christi aptari non potest.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui; trabem autem, qua in oculo tuo est, non consideras?

COMMENTARIA.

DVabus similitudinibus ineptum magisterium Scribarum, & Phariseorum, ad docendum ostensum est ob ignorantiam, & eorum cæcitatem. hac nunc tertia similitudine demonstrat, ad aliorum mores componendos ineptos etiam esse ob prauitatem, & vitia eorum; erant enim multo peiores cæteris, vnde nec doctrinæ, nec morum forma ab illis petenda erat. Loquitur autem de aliorum vitijs comprimendis, quod ad morum instructionem maxime est necessarium, docetque illos in hoc officio potius indigere instructore. Est autem quædam expositio: quid autem, inquit, id est, quare tu leuia vitia proximi perspicis, cum tua grauissima scelera non animaduertas, similisque es ei, qui trabem in oculo proprio cum habeat, non eam considerat, & festucam in oculo alterius intuetur? quod profecto reprehensibile est. Verba Græca magis sermonis energiam explicant quam Latina. Illud vides) Græce βλέπεις, id est, intueris, quasi diceret, oculis lynceis inspicis leuissima delicta proximi, & tua non consideras. Græce verbum est κατανόω, id est, animaduerto, quod minus est, quam intueri, quasi diceret, non intueris, sed nec animaduertis. Est enim aduertendum hanc expositulationem (quid autem) non tantum reprehensionem significare eorum, qui vident festucam in alio, in se autem non animaduertunt trabem, sed etiam inutilitatem indicare, quasi diceret, absque villo fructu, & utilitate vides festucam proximi, cum trabem tuam non animaduertas; parum enim prodest proximo, qui sibi non consulit; quod paulo inferius explicatur, particula (&) Græca π significat etiam idem, quod Latine quorsum.

ANNOTATIO LXXVII.

Declaratur nonnulla proximæ sententiæ particula.

Augustinus ferm. 16. de verb. Domi. quid sit festuca explicans, inquit: Festuca initium arboris est, nam trabes, quando nascitur, festuca est, rigando festucam perducis ad trabem. Hæc ille. At vero vocabulum Græcum κέρας potius significat ligni particulam breuissimam, seu minimam, si que respondet optime trabi, vt qui videt particulam trabis in alieno oculo, non videat totam trabem in suo existentem. Particula autem illa (quid) Græce (π) eadem est cum ea, quæ paulo inferius posita est. Quid autem vocatis me Domine? Hoc tamen in loco idem significat, quod Latine, quare, seu quorsum, vt dictum est. Quæ interrogatio, non tantum est reprehendentis factum hoc, vt qui videt festucam, trabem non videat, quasi digni sint maxime reprehensione, qui in alienis culpis etiam minimis oculos lynceos habeant, in proprijs autem, & quidem grauibus cæci omnino sint; sed etiam indicantes inutilitatem, quasi diceret, sine villo fructu id facitis, ope-

ram perditis. In priori sensu interpretantur Doctores hanc sententiam, quæ etiam habetur Matth. 7. Hilarius nempe can. 7. & Hieronymus Matth. 7. Augustinus sermone 16. de verb. Domini: Chrysof. homil. 24. in Matth. & Gregorius p. 3. Pastor. cap. 10. at se vera non tantum reprehendit illos, quasi male agant, sed etiam sine fructu villo id fieri significat, & arguit. Hanc autem sententiam ad Doctores, Scribas nempe, & Phariseos, præcipue referri in commentario diximus; illi enim non tantum omnium erant censores seueri, cum grauiora ipsi committerent, nec sui emendationem procurarent; sed etiam inutiles, quia nullam populo utilitatem asserbant, quod insinuat Hilarius loco allegato sic scribens: Ex natura rerum est non prius aliquem purgandæ de oculo fratris idoneum effici posse doctorem, quam de mentis suæ lumine crimen grauantis perfidiæ eiecerit. Hæc ille.

Aut quomodo potes dicere fratri tuo; frater sine, eijciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns?

COMMENTARIA.

Illam visionem festucæ in oculo proximi inutilem, & sine villo fructu esse, ostendit; poterant enim illi dicere, videmus festucam, vt eam de oculo proximi eijciamus; hoc repellens Dominus, inquit: Quomodo potes dicere, sine eijciam festucam? quasi diceret, tantum abest, vt eijciatis, quod nec poteritis dicere, sine eijciam festucam; qui enim trabem suam non considerat, difficillime curabit alterius festucam

Math. 12.

festucam eicere. Simile est illud Matth. 12. Quomodo potestis loqui bona, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur, non quod non absolute non possit fieri, sed quod difficillimum est, vt fiat, nempe recte, & bona intentione.

ANNOTATIO LXXVIII.

Comprobatur magis proximæ sententiæ interpretatio.

Quidam recentiores hanc sententiam sic interpretantur, quo modo potes dicere? id est, quare potes dicere; non enim sine rubore dices fratri, sine festucam eijciam, cum tu trabem habeas. accommodatior tamen est expositio, quam in commentario explicuimus, vt sit sensus, quomodo potes? id est, non potes, seu non poteris, non quod absolute nequeat id fieri, sed quod difficillimum sit id dicere bene, & animo corrigendi fratrem, quem sensum probant verba Matthæi allegata: Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Hæc enim dicta sunt contra eos, qui blasphemias in Christum iactauerant, quibus respondet, quales intus erant, talia loqui; bona enim loqui non poterant, cum essent mali, & qui spiritum blasphemie habebant, verba blasphemie proferebant. Huic etiam sensui fauet, quod postea sequitur, ex abundantia cordis os loqui-

tur. His igitur duabus sententijs de non vidente trabem in proprio oculo existentem significat Christus eos, qui grauibus criminibus, ac peccatis tenentur, dignos esse reprehensione, quod aliena etiam minima considerent, & scrutentur, proprijs suis non animaduertis, nec etiam idoneos esse ad alios reprehendendos, aut iuuandos, cum nullius sint fidei, & auctoritatis apud eos, quos a peccatis liberare tentant. Vtrumque etiam absque fructu, & utilitate proximi frequenter fieri; quod enim verbo ædificant, vitæ exemplo pernicioso destruant, & vitia mala plurimum detrahit verbis etiam bonis, & ex se frugiferis. His conuicit, & demonstrat Dominus ad mores aliorum non esse idoneos ministros Scribarum, & Phariseos, non minus quam ad doctrinam propter errores, & peruersam legis intelligentiam.

Hypocrita eijce primam trabem de oculo tuo: & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.

COMMENTARIA.

Modum reprehendendi, ac corrigendi laudabilem, & vtilem docet. Eijce, inquit, trabem de tuo oculo prius, & tunc perspicies, vt educas, non dicit tantum perspicies, quia hoc iam illi cum trabe faciebant, sed eiecta trabe perspicies, vt educas, non vt dicas tantum, sed vt cum effectu educas festucam, id est, tunc erit vtilissimum, & fructiferum perspicere festucam, & dicere fratri, vt eijciat festucam; plus enim fit exemplo, quam verbo, & verbum vires habet ab exemplo. Hæc illi Scribæ, & Pharisei non faciebant, idcirco hypocritas appellat, qui iustos se simulabant, alios arguendo, cum re vera iustitiam in se non haberent, atque hoc est secundum, quod probat non esse idoneos ad instruendum populum, cum ignoratione enim, seu errore pessimos mores coniungebant. Aduerte quamuis ergo Doctor, ac Prælati non debeat subditorum peccata reprehendere, cum ipse peiora, aut similia committat, non propterea excusatur a graui culpa, si alios non arguat, quia debet se ipsum prius purgare, & corrigere, vt aliorum peccata corrigat, & emendet, idoneumque ad id minus peragendum se facere, licet prius non esset.

ANNOTATIO LXXIX.

Hypocrita qui significat.

Hypocrita nomen Græcum est, Latine simulador, trahitur a verbo Græco ὑποκρίνω, id est, simulo, inde deriuatur hypocritis, id est simulatio, & hypocrita simulador. Vnde mimi, & histriones in comœdijs, qui aliorum personas representant, dicuntur hypocritæ, a qua similitudine, qui sanctitatem simulant, quam non habent, dicuntur hypocritæ, vt notant Ambrosius, lib. de Elia, & ieiunio c. 10. & Augustinus ser. 19. de tempore, & lib. 2. de ferm. Dom. in mont. cap. 30. quam etiam etymologiam probat Basil. hom. de laudibus ieiunij. Accipitur enim in Scriptura in malam partem. Augustinus etymologiam huius nominis duplicem assignat, vnam nempe a ὑποκρίνω, id est, auro vnde hypocrita dicitur, quasi deauratus; vt enim lignæ figuræ deauratæ apparent exterius aurum, cum lignum sint, sic hypocrita apparet iustus foris, cum intus sit iniquus. hæc tamen etymologia non est probanda: nam nomen hypocritæ scribitur Græce cum cappa, & iota, nomen vero ὑποκρίνω cum chi, & ypsilon. Alteram ponit idem Augustinus serm. 59. de tempore, ab ὑποκρίνω, quod est falsum, & κρύπτω, quod est iudicium, quasi falsum iudicium, quia hypocrita homines decipit, ac falso de se iudicare facit, existimatur enim bonus cum sit malus. At vero etymologia legitima, & accommodata est a verbo, vt

diximus, ὑποκρίνω, seu ὑποκρίνομαι, quod idem est, ac simulo. inde hypocrita, id est simulador. Quod autem ad rem attinet, aduertendum est, eum, qui, cum vitiosus sit, alios reprehendit, non dici nec esse hypocritam ea sola causa, quia cum sit peccator, corrigat alium; si enim id esset, tunc omnis, qui est in peccato, cum facit opus bonum exterius hypocrita esset: nam eo opere ostendit se iustum, cum non sit, sed is dicitur hypocrita proprie, qui cum malus sit, alium corrigit, aut opus bonum facit, vt iustus videatur, & appareat, quales erant illi Scribæ, & Pharisei, de quibus dictum est Matth. 23: omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, qui etiam alios acriter de minimis reprehendebant, vt se iustos ostenderent, cum non essent. ita hunc locum interpretatur Augustinus ser. 59. allegato, vbi sic habet: Quicumque vult se videri, quod non est, hypocrita est, & post multa exempla subdit. Ex quibus omnibus intelligitur hypocritas esse, qui faciunt, quodlibet, vt ab omnibus glorificentur. Mihi videtur, & ille hypocrita esse, qui dicit fratri suo, dimittes, vt tollam festucam de oculo tuo, propter gloriam hoc faciens, vt ipse esse iustus videatur. Vnde ei a Domino dicitur: Hypocrita, eijce prius trabem de oculo tuo, non itaque virtus, sed causa virtutis mercedem apud Deum habet. Hæc ille. & lib. 2. de ferm.

Math. 23.

serm. Dom. in monte cap. 30. hunc etiam locum explicans, inquit: Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & bene ait de hypocrita; accusare enim vitia officium est bonorum virorum, & beneuolentium, quod cum malefici agunt, alienas partes agunt, sicut hypocrita, qui tegunt sub persona, quod sunt, & ostendunt in persona, quod non sunt. Hypocritarum ergo nomine simulatores acceperis, & est vere multum cauendum, & molestum simulatorum genus, qui cum omnium vitiorum accusatione odio, & liuore suscipiant, consultores videri se volunt. Hæc ille. Si quis ergo ob humanam laudem bonum opus facit, ambitiosus est; si vero ut iustus appareat, & occultet, quod vere est, hypocrita censetur.

Patrum dicta de hypocritis.

De hoc vitio multa Patres dixerunt, in primis Basiliius. Isa. 1. in illa verba (erunt ut terebinthus decidens foliis) comparat hypocritam quercui, quæ ramus habet tortos, & corticem rugosum, & turpem; folia vero cooperientia pulchra. Gregorius autem Nazianz. orat. de funere patris confert mulierculis, quæ cum naturali pulchritudine careant, fucis se colorant, & ornant. Dominus autem Matth. 23. assimilat sepulchris dealbatis, quæ foris appareant hominibus speciosa; intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.

Secundo hypocrita, ut Gregorius lib. 8. moral. cap. 9. dicit, bona opera, quæ facit, se perdere existimat, quando nemo ea videt; ob humanam enim gloriam, ac opinionem ea facit.

Hinc consequitur tertio, quod res pretiosas vilissimo vendit pretio, nam opera virtutum, & bona, vera commutat vana, & caduca gloria humana, idcirco Gregorius loco citato hypocritas similes esse asserit vitibus fructiferis à terra non eleuatis, nec cultis, quarum fructus à bestiis, & vermiculis terræ vastantur.

Quarto, ut dicit idem Gregorius lib. 5. moral. c. 24. Hypocrita, quando non sperat laudem humanam cessat à bene operando, vnde Gregorius Nazianzen. orat. de funere patris hypocritam in bono opere durare non posse dicit.

Quinto Hypocrita ægerrime fert ab aliis corrigi, ut notat Gregorius lib. 8. moral. c. 24. affirmans illum paratiorem esse mori, quam corrigi, optatque reprehensorem suum existimari iniquum, ut minus ei credatur, causa autem est, quia hypocritis est ex superbia, ut dicit Augustinus Epist. 64. cui humilitas, cuius est patienter ferre correctionem, aduersatur.

Sexto, ut loco eodem dicit Gregorius, odio habet eos omnes, quos de se non bene sentire putat.

Septimo fur est laudis, quæ debetur vere bonis, & iustis. Vnde Gregorius lib. 5. moral. cap. 16. hypocritam appellat prædam. Multa alia de huiusmodi vitio Sacri Doctores docent, & in medium proferri possunt; instituto autem nostro sufficere videntur, quæ dicta sunt.

A N N O T A T I O L V I.

Nam qui in peccato est debeat peccate in corrigere.

Difficultas se offert, an is, qui in peccato est, aut grauiori, aut æquali debeat corrigere, & reprehendere alterum, quando occurrit necessitas correctionis, aut ex officio, aut ex utilitate corrigendi, Augustinus lib. de serm. Dom. in monte cap. 30. hanc sententiam connectens cum illa: Nolite iudicare: in ea est sententia, ut talis eo casu non reprehendat, aut obiurgat alterum, sed congemiscat cum eo, & non ad sibi obtemperandum, sed ad simul cauendum inuitet. Verba Augustini sunt hæc: Pie cauteque vigilandum est, ut cum aliquem reprehendere, vel obiurgare nos necessitas coegerit, primum cogitemus, vtrum tale sit vitium, quod numquam habuimus, vel quo iam caruimus, & si numquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse. Si vero habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitatis, ut illam reprehensionem, aut obiurgationem non odium, sed misericordia præcedat, ut siue ad correctionem eius, propter quem id facimus, siue ad peruersionem, valuerit; nam incertus est exitus; nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & non illum ad temperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus. Hæc ille.

Chryostomus autem hom. 24. in Matth. aliter sentire videtur; habet enim hæc verba: Eiice primum trabem de oculo tuo, vides quod non vetuerit iudicare, sed iniecit eiicere primum trabem de oculo proprio, & tunc aliorum errata corrigere: nam & sua vnusquisque melius cognoscit, quam cæterorum, & maiora citius prospicit, & se ipsum magis amat, quam proximum: itaque si alterius curam agens id facis, temetipsum ante curas, in quo & manifestius inuenitur peccatum, & grauius. Sin autem temetipsum contemnis, & despicias, liquet omnino, quia fratrem tuum ipse odio iudices, non studio disciplina, nec emendare illum cupias, sed notare. Quod

& si oporteat illum iudicari, non tamen hoc à te fieri debet, verum ab eo, qui nihil tale commisit. Hæc ille. Videtur autem primis verbis vltima dissona; in illis enim dicit Christum non vetuisse iudicare, sed eiicere primum trabem de oculo proprio, eaque eiecta corrigere habentem festucam; in his vero dicit eum, qui peccat, non debere iudicari ab illo, qui est in eodem crimine. At re vera non sunt dissona, sed valde consona, inquit enim, non debere, qui est in simili peccato, iudicare alterum, dum est in eo peccato, tamen is debet se emendare, & tunc corrigere. paulo inferius idem Chryostomus addit non prohiberi correctionem absolute hisce verbis, sed ne qui maioribus inuenitur obnoxius vitiis, acrius reprehendat alium, præcipue si minoribus criminibus grauetur, hoc igitur casu eiicienda est trabes prius de oculo proprio. Basiliius etiam consentire videtur; nam Reg. breu. respons. 164. casum excipit, in quo vnus alium corrigere, aut iudicare non debet, nimirum, quando qui correcturus, aut iudicaturus est, simili crimine detinetur. meminimus huius in Annotatione superiori explicantes illam sententiam: Nolite iudicare.

Quid autem in hac difficultate sentiam, paucis aperiam. Primo quidem, fieri potest, ut qui est in peccato etiam grauiori, bono animo, & intentione corrigat alterum. Hoc manifesto argumento probatur: Si enim qui est in peccato, potest bono animo facere eleemosinam pauperi, aut ieiunare, aut opus aliquod bonum facere, nempe, ut impleat præceptum, ut benefaciat alteri, aut alia causa honesta, poterit igitur eadem ratione corrigere, & admonere alterum de peccato: fit enim, ut qui in vno est peccato, nolit alterum peccatum committere, idque bono animo, quamuis, ut supra diximus, rarum, & difficile id sit, quod forsitan Chryostomus dicere voluit. Hinc consequitur, ut qui alterum corrigat, etiam si in eodem sit crimine, non propterea ex odio corrigat, ut Chryostomus affirmat, nisi velit forsitan dicere, præsumi ab aliis, eum ex odio corrigere. Secundo

Auctoris sententia.

Secundo, qui est in crimine noto, & manifesto, & alterum corrigit, peccat etiam si bono animo faciat, non quidem propter actum corrigendi, qui bonus ex se est, sed ex circumstantia, quia actum correctionis inutilem, & contemptibilem facit; correctio enim quæ fit ab eo, qui eodem aut grauiori peccato noscitur detineri, sine fructu est, & despicitur.

Tertio etiam si vtiliter fieret talis correctio, nimirum, aut quia peccatum corrigentis est occultum, aut non ob id à correcto despicitur correctio, etiam si noscat correctionis crimen; tamen qui corrigat alterum sui peccati conscius, peccat, non quidem in eo, quod corrigit alterum, sed in eo quod omittit se emendare, quando debet: nam qui infirmo medetur, sui negligens curam, cum etiam infirmus sit, grauius peccat, non quia infirmo medetur, sed quia magis tunc curam sui negligat. contingit enim vnum bonum opus alteram culpam grauiorem facere, bonum enim est credere, at si credens quispiam peccat, quia cum credat, peccat.

Quarto, si quando correctio ab huiusmodi fit, hu-

militer fiat, seque simul corrigat, & penitentiam errati proprii agnoscens, & congemiscens accedat, nullum est peccatum, quia iam trabem de proprio oculo abiicit.

Quinto, Dominus his sententijs arguit eos, qui cum se noscant eodem crimine, aut grauiori laborare, alios corrigunt. Eos etiam, qui etsi tales se non agnoscant, corrigunt, siue bono animo, siue malo, nempe ex odio, inuidia, aut ut iusti appareant, quos hypocritas appellat; hosque omnes iubet primum se emendare, & postea ad corrigendum accedere, nec excusantur à peccato, quando necessitas corrigendi urget, si non corrigant. nam tenentur deponere animum iustitiam simulandi, & eiicere crimen, quod efficit eorum correctionem inutilem, & contemptibilem, aliaque propria peccata, quibus potius debebant mederi, quam alienis; præcipue autem, quando propria grauiora sunt: id enim significauit Dominus per trabem, quæ maior est, quam festuca.

Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: nec arbor mala faciens fructum bonum.

C O M M E N T A R I A.

Particula (enim) indicat hanc sententiam causam præcedentis exprimere, nempe cur sit prius trabes de proprio oculo eiicienda, quam festuca de oculo proximi educatur, quia nimirum sicut bona arbor non facit malos, ita nec mala bonos fructus; cum ergo educere festucam de proximi oculo bonus fructus sit, utique non fiet ab habente trabem in oculo proprio. qui enim eam habet, malæ arbori similis est, sensus igitur est; Depone malitiam, & esto prius bonus, si vis bonum opus facere, nempe proximum emendare, & à peccato retrahere. Hic est sensus per hanc similitudinem significatus.

A N N O T A T I O L X X I.

Christus ter in Evangelio vult esse hanc similitudine.

TER Dominum hac similitudine, ac proverbio vsum esse historia Evangelica docet. primo quidem in priore sermone habito ad Discipulos in monte, quem refert Mattheus cap. 7. Secundo in hoc sermone facto ad turbas, quem Lucas noster describit: non autem esse eundem hunc, & illum, recte Euthymius dicit, supraque ostendimus distinctos hos esse sermones, diuersis locis, temporibus, & auditoribus factos; quamuis in vtroque sermone multa sententiæ sint eadem; quod quidem, vel hoc vnus confirmat, nam hanc sententiam connecti præcedenti, in qua contra hypocritas dictum est, ut eiecta primum trabes de oculo proprio, festucam de oculo proximi educant, manifesto probat particula causalis (enim). Apud Mattheum autem longe diuersa sententiæ, & proposito connectitur, nimirum, ut falsos prophetas, & seductores ex eorum operibus, & fructibus discernamus. Tertio eadem similitudo repetita est Matth. 12. contra illos, qui peccantes contra Spiritum sanctum, Christi miracula virtuti dæmonis adscribebant. In his tribus igitur locis eadem similitudo habetur, non tamen eodem proposito accommodatur. In primo enim loco ea similitudo proponitur, tamquam regula discernendi, & agnoscendi pseudopphetas, & seductores; ea autem est à fructibus, & operibus eorum; arbor enim mala fructus malos facit, sic seductorum, & pseudopphetarum mala sunt opera, non quod non

possint aliquod bonum opus facere, sed quod in plurimum opera eorum vitiosa sunt, quibus licebit eorum agnoscere malitiam; contra vero, bona arbor bonos facit fructus, non quod vir bonus, & verus Propheta non possit aliquod malum opus saltem leue facere, cum non sit homo, qui non peccet, sed quod opera in plurimum eius bona sunt, & laudabilia. In hoc autem loco Luca, eadem similitudo assumitur, contra hypocritas, & grauius oratoratos peccatis, qui proximos emendare tentant, quod non efficiunt, quia non prius se ipsos componunt, suosque prauos mores deferunt. vnde arbores malæ cum sint, non producant bonum fructum emendationis proximi. Tertio autem loco apud Mattheum eadem similitudo accommodatur Christo; impij enim illi Iudæi miracula Christi dæmonis virtuti tribuebant, quasi Christus pactum haberet cum dæmone, contra quos Christus vitur argumento; si opera ipsa bona sunt, & diuina, quomodo possunt dæmoni adscribi? si enim opera bona sunt, ergo qui ea operatur bonus est; non enim arbor mala bonos producit fructus. Malam autem arborem, & malos fructus appellat, non quod mala sint natura; omnis enim creatura bona est, sed quod vltibus hominum non sunt accommodata. sic enim vulgus solet malos appellare fructus, & malas arbores. Huius autem similitudinis perfectiorem declarationem in sequenti Annotatione require.

A N N O T A T I O L X X I I.

Manichæi hac abutebantur similitudine, affirmantes esse quasdam animas natura malas à malo principio factas, quæ non possunt esse bo-

næ; alias esse natura bonas, à bono factas principio. quæ duo principia significata dicuntur per arborem malam, & bonam. Referunt hæc Hieronymus

non vnus Isa. 56. & Augustin. lib. 2. de serm. Dom. in Monte cap. 36. & aliis multis in locis, & Epiphanius hares. 66. in catalogo dogmatum Manichæi.

Primo quidem hic non de principiis, sed de hominibus esse sermonem, verba sequentia ostendunt: de thesauro, inquit bono, homo bonus profert bonum, & homo malus de suo malo profert malum. Præterea non dicitur arbor mala non potest fieri bona; sed non potest facere bonos fructus; nec dictum est, arbor bona non potest fieri mala; sed non potest facere malos fructus, vt significetur, hominem, dum vitio incumbit, mala opera efficere, dum autem virtuti intendit, bene operari, quia ille mala arbor, hic bona est, at si commutet, studia, & abiecto vitio, virtutem amplectatur, tunc bonos producit fructus, qui iam ex arbore mala factus est bona. Nec similitudo accipienda est in natura, quod vna arbor non transt in aliam, sed in hoc, quod mala malos, bona bonos profert fructus. hoc ipsum, quod Augustinus contra istos notauit, etiam Isidorus Pelusiora lib. 2. epist. 72. in Matth. Hieronymus etiam obiicit illud Act. 9. quod Paulus ex persecutore factus est Doctor orbis, etiam illud Matth. 21. quod meretrices præcedunt Pharisæos in Regno Dei, & latro de cruce transit in paradysum. multa alia exempla Epiphanius adfert, non igitur ad naturam, sed ad arbitrium hæc distinctio hominum spectat.

Quid hoc loco per fructus intelligendū sit.

Sunt autem duæ difficultates, vna est quid per fructus intelligere debeamus? Sunt enim varij in hac parte Doctores. Quidam enim opera bona, aut mala interpretantur; illa bonos, hæc malos fructus. In hac sententia sunt Chrysostomus hom. 24. in Matth. Hieronymus Matth. 7. & Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 36. Quidam alij bona opera interpretantur bonos fructus, vt tamen opus a verbo distinguitur; qui enim dicunt bona, & non faciunt, inter arbores malos fructus facientes computantur, quales erant Pharisæi, & Scribæ, de quibus dictum est: Quæcumque dixerint, facite, secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt. hanc interpretationem sequitur Euthymius, qui bona verba inter folia numerat, & videtur Hilarius hanc amplexus intelligentiam in Matth. can. 6. at vero iuxta priorem sententiam bonus sermo, seu recte loqui; etiam si non faciat homo, quæ prædicat, inter bona opera censetur, vt re vera censeretur. Quidam alij fructum non opus, aut verbum, sed id, quod resultat, interpretantur, vnde quando quispiam suo opere, aut sermone alios ad bene viuendum conuertit, bonum fructum facere dicitur. sic exponit Ambrrosius lib. 2. de penitentia cap. 4. bonam enim arborem dicit esse congregationem bonam, quæ Ecclesia est, fructus autem, Ecclesie filios. Inter has sententias prima huic loco est accommodatissima, quam verba sequentia, quæ similitudinem hanc explicant, veram esse ostendunt; Bonus inquit, homo de bono

suo thesauro profert bonum; & malus de malo thesauro malum; ex abundantia enim cordis os loquitur. quæ verba non solum bona opera, vel mala fructus esse arboris declarant, sed etiam verba, & sermone ipsum inter fructus computari debere demonstrant.

Quomodo enim sit nec arborem bonam malos fructus, nec malam bonos facere.

Mator est autem altera difficultas in sensu, quomodo homo malus non possit bonos fructus facere, & bonus non possit facere malos, cum homo malus possit orare, ieiunare, facere elemosynam, & alia bona operari, etiam si in peccato existat: contra vero bonus homo etiam si bonus sit, mala operatur; non enim est iustus, qui non peccet. Respondet Augustinus ad hæc lib. 2. de serm. Dom. cap. 38. hæc bona opera, cum bono animo fiunt, esse fructus bonorum hominum; cum vero malo, & ex vana gloria, esse prauorum. tamen hæc responsio non satisfacit, nam bono animo, & intentione potest peccator etiam peccato nondum ablato aliqua bona facere, atque homo bonus aliqua bona ex vana gloria operari. Aliter igitur respondet lib. 1. de gratia Christi contra Cælestium, cap. 18. & 19. aliisque in locis, nimirum malam arborem esse voluntatem malam, seu cupiditatem, quidquid autem ex cupiditate procedit, malus fructus est. bonam autem arborem esse bonam voluntatem, à qua nihil nisi bonum procedit. quando ergo peccator aliqua bona facit, ea non ex radice mala, nempe cupiditate, malaue voluntate facit, sed ex bona: similiter homo bonus, cum aliqua mala facit, ea non ex bona voluntate procedunt, sed ex radice cupiditatis, quæ non est omnino exincta, nec semper bonus homo bonam exercet voluntatem, sed mutat; quamdiu enim in bonitatis studio perseverat, bona operatur, malus autem contra, quamdiu in sua mala voluntate, & peccandi studio, mala facit. Hæc doctrina vera est, tamè difficile accommodari potest; nam Dominus loquitur absolute de homine bono, & malo, illumque bonos fructus, hunc malos producere docet, sicque Hieronymus Matth. 7. & Chrysostomus hom. 24. in Matth. interpretantur, dicentes, malum hominem quamdiu in malitia, & in impietate perseverat, non facere bonos fructus. Idcirco accommodatius dicemus Christum non quoscunque peccatores; aut iustos arboribus his comparasse, sed eos, qui vitis, & peccatis dediti sunt, & eos, qui virtutis studio incumbunt, rursus non vnum, aut alterum opus considerasse, sed quod frequentius, & principalius sit, nec similitudo in omnibus est querenda. Hoc autem verum est in talibus malis hominibus, etiam si vnum, aut alterum bonum faciant, tamè eorum opera in plurimum talia sunt, quales ipsi: contra vero in bonis, etiam si vnum, aut alterum male operentur, eorum tamen opera in plurimum laudabilia sunt, & bona; sequitur enim homo frequentius appetitum in eo dominantem. Hoc etiam in sequentibus magis elucidabitur.

Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur.

COMMENTARIA.

Similitudinem arboris bonæ, & malæ producentis fructus iuxta earum naturam, probat ab effectu. Vnaquæque, inquit, ex suo fructu cognoscitur, quod esse non potest, nisi bona bonos, mala malos produceret; aliter enim error fieret in iudicio earum: nam bona pro mala, & mala pro bona reciperetur, quibus verbis significat Dominus viam, & modum discernendi hos hypocritas, ac malos Doctores esse ex operibus, quibus frequentius incumbunt, iuxta illud Matth. 7. A fructibus eorum cognoscetis eos.

Enim, particula quomodo accipitur in hoc loco,

ANNOTATIO LXXXIII.

Particula (enim) non causam rei indicat, nam cognosci arborem ex fructu suo, consequitur ex

eo, quod vna quæque iuxta naturam suam facit fructus, sed significat cognitionis causam, sicut dicimus, illic

illic est ignis; fumus enim videtur, & apparet; vbi particula (enim) non causam rei indicat, cum ignis sit potius causa fumi, sed causam consequentiæ, seu notitiæ, vel cognitionis; effectus enim rei solet cau-

sa esse cognitionis, seu probationis; sæpe namque damus causam non rei, sed dicti, & sententiæ, qua aliquid affirmauimus, aut negauimus.

Neque de spinis colligunt ficus, nec de rubo vindemiant vuam.

COMMENTARIA.

Perseuerat in eodem proverbio, & probatio est præcedentis sententiæ; non enim homines colligunt de spinis ficus, neque de rubo vuam, nam noscunt illas arbores esse malas, nec tales fructus facere posse, idcirco non quærunt eos ab illis. Significat à fructibus, & operibus discerni posse Pharisæos, & Scribas, nec eos esse tales, vt fructus bonorum operum ab ipsis colligantur. recte autem spinis, & rubis comparat, quia eorum conuersatio nocet ob exemplum, & vitam eorum prauam, sicut spinæ, & rubi contrectantes pungunt. Vnde Matth. 23. dictum est: Secundum opera eorum nolite facere.

ANNOTATIO LXXXIII.

Proxima similitudo declaratur.

Recte per rubum, & spinam peccatis deditos significauit; hæc enim arbuta à maledicta propter peccatum terra orta sunt Gen. 3. Maledicta in opere tuo tribulos, & spinas germinabit tibi. Per ficum autem, & vuam egregia opera significantur; sunt enim fructus dulcissimi, & in Scriptura celebrati ficus, & vua, quorum vnus sinceram doctrinam, alter recta, & iusta opera repræsentat, quæ non colliguntur perfecte, nisi ex pijs, & doctis viris. Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 37. illud (colligunt) refert non ad ipsos malos homines; sed

ad illos, qui eos audiunt, quique cum eis conuersantur, quasi dictum esset, à malis hominibus nemo fructum accipit bonum; sunt enim inutiles; addit autem si quando vtilitatem adferunt, nimirum, quia sua prædicatione profunt alijs, id inquit, non illis imputandum est, sed diuinæ prouidentie, quæ sic disposit, vt à vite scilicet per spinas, vua colligeretur, sicut, qui mitteret manum per spinas, & à vite colligeret vuas, vitis autem est verbum Dei, quod ab illis prædicatur.

Bonus homo de bono thesauro, cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum.

COMMENTARIA.

Applicat nunc similitudines arboris bonæ, & malæ. arbor bona, bonus homo est, mala vero malus homo est, sicut illa bonos fructus facit, sic homo bonus de bonitate cordis sui opera bona producit, malus vero de malitia sua interiori mala; iuxta cordis enim qualitatem vnusquisque opera exteriora profert. Nota verbum thesauri, quo duo significantur, vnum est abscondita, & latens cordis bonitas, aut malitia; thesaurus enim diuitiæ sunt latentes, & absconditæ, sic in cordium abditis sunt bonitas iusti, & malitia iniqui. Alterum est bonitatis, aut malitiæ abundantia; thesaurus enim copiam significat, quod indicat, non de quouis viro bono, aut malo hanc sententiam, & similitudinem procedere, sed de his, qui præcipuum studium in bono, aut malo collocant, & qui rebus huius sæculi, aut alterius totos se dedunt; hi enim thesaurum bonum, aut malum habere dicuntur in cordibus, à quibus opera procedunt iuxta thesauri sui qualitatem; tales enim erant illi Pharisæi, & Scribæ, diuitiis huius sæculi, & gloriæ hominum toti incumbentes, de quibus dictum est Ioan. 5. Qui gloriam ab inuicem accipitis; & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis; quorum vitia malumque thesaurum ipse Dominus Matth. 23. magna ex parte manifestauit, inter multa alia dicens: Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia; sic & vos à foris quidem parent hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate,

Thesauri verbo duo significantur.

March. 23.

ANNOTATIO LVII.

Quid hoc loco thesauri nomine intelligatur à Basilio.

Basilius Regu. breu. respon. 239. hos thesauros sic interpretatur. Prudentia, inquit, omnis, quæ est in Christo, virtutis ad gloriam Dei, thesaurus bonus est, contraque prudentia malitiæ eorum,

quæ interdicta sunt à Domino, thesaurus est malus. Ex quibus, vt Dominus ait, in suis vtriusque factis, dictiue, vel mala proferunt, vel bona. Hæc ille.

Ex abundantia enim cordis os loquitur.

COMMENTARIA.

Proverbio quodam comprobatur præcedentem sententiam, ex abundantia cordis os loquitur, abundantia cordis thesaurus est bonus, vel malus, & sicut verba proferuntur iuxta id, quod dominatur in corde, ita iuxta thesaurum bonitatis, vel malitiæ

malitiæ opera exteriora procedunt. hæc omnia eo tendunt, non quod bonus homo non proferat aliquando aliquid mali, aut malus boni: nam aliquando passioni in corde dominantis non respondet verbum, aut factum; sed quod raro id fiat, frequentissimum enim est, ut qualis thesaurus sit intus, talia foris sint opera, & verba, tam in bonum, quam in malum. in hunc sensum dictum est à Domino Matth. 12. Quomodo potestis loqui bona, cum sitis mali? id est, rarissimum, & difficilimum est eum bona loqui, cuius cor plenum est malitia.

Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?

C O M M E N T A R I A.

Reprobatis Scribis, & Phariseis per similitudines præcedentes, se ipsum, suamque doctrinam comendat, ipsorummet audientium testimonio, eosque arguit, quasi sibi contrarios; vtrumque autem eadem similitudine efficit, sicque hæc sententia connectitur præcedentibus, quasi diceret, cum arbor bona bonos ferat fructus, nec possit malos facere, & cum bonus homo de thesauro bono proferat bonum, quare vos vocatis me Domine Domine, id est, confitemini me arborem bonam, & fructus meos non comeditis, id est, non facitis, quæ dico? quia si arbor bona sum, igitur mea doctrina bona est, non enim arbor bona malum facit fructum, nec bonus homo de bono thesauro profert malum; quid igitur est, quod non obeditis mandatis meis? proprio vestro iudicio, & confessione vos ipsos reprehensione dignos iudicatis. Geminatio illa (Domine Domine) significat frequentem commendationem, quasi sæpe eum Dominum confessi fuerint. Potest etiam Hebraismus esse; solent enim Hebræi geminatione verbi augmentum, multitudinem, aut vehementiam indicare, psal. 8. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum, id est, maxime, & supreme Domine. psal. 86. Homo, & homo natus est in ea, id est plurimi homines nati sunt in Sion.

A N N O T A T I O L X X V I.

Ex simili apud Matt. sententia, declaratur hæc quæ a Luca traditur.

Ad explicationem, quam in commentario exposuimus, facit illa Domini sententia Matth. 12. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum; siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Illi enim Pharisei, & Scribæ videbant opera Christi bona, & talia confitebantur, liberare enim obsessos à dæmone bonum esse negare nemo poterat, & tamen opus boni dæmonis virtuti tribuebant, sibi que ipsis aduerfabatur, idcirco reprehenduntur à Domino, quasi inexcusabiles; & sensus est, aut fatemini me bonum, si opera bona esse cognoscitis; aut si me non bonum iudicatis, opera etiam ipsa mala dicite: nam hoc, quod vos blasphematis, cum opera bona sint, dæmonis esse, peccatum est contra Spiritum Sanctum, & pessimos vos esse demonstrat, cum ex operibus bonis debuissetis colligere, me esse bonum: nam ex fructu arbor agnoscitur. Hic est sensus illius sententiæ. At præfens sententia conuerso modo procedit.

illi agnoscetes fructum bonum, non confitebantur arborem bonam; at hi confitentes arborem bonam, nempe Christum, & clamantes Domine Domine, non probabant fructum doctrinæ, obediens mandatis eius. Non est autem hæc sententia eadem cum illa, quæ habetur Matth. 7. (non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum) nam prior illa, quæ habetur apud Lucam, quædam est expositio, & reprehensio, quod agnoscetes Christum, & confitentes bonum, doctrinam eius non amplecterentur, quasi qui arborem diceret bonam, & fructum eius malum: At posterior sententia, quæ habetur à Matthæo, comminatio quædam est, & instructio, nempe non sufficere ad salutem assequendam confiteri Christum, & in ipsum credere, nisi accedat mandatorum eius obedientia.

Omnis, qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos; ostendam vobis, cui similis sit.

C O M M E N T A R I A.

Dvabus similitudinibus declarat, quantum emolumentum prouenturum esset ijs, qui audiebant, & confitebantur Christum, dictisque eius parebant: quantumque è contrario detrimenti ijs, qui audiebant quidem tantum exterius, & dicebant: Domine Domine, quæ verò docebat, non faciebant. A priori igitur similitudine exorsus, ostendam, inquit, cui sit similis is, qui venit ad me, auditque sermones meos, fidem eis præstando; & simul facit, eis obediendo.

Similis est homini ædificanti domum.

C O M M E N T A R I A.

AÆdificatio domus similitudo trahitur, recte autem operatio secundum virtutem & diuinorum mandatorum obedientiam ædificio comparatur: tum propter laborem,

rem, non enim sine sudore ad perfectionem virtutis peruenitur; tum propter incrementum, ut enim qui ædificat domum, ad fastigium semper studet perducere opus, ita continuis virtutum augmentis incumbendum est, tum etiam propter varietatem, domus enim multiplicibus constat partibus, sic & virtutum multiplici generi studendum est; tum præterea propter ordinem, innituntur enim omnes ædificij partes fundamento: sic etiam omnia opera bona in Christo Deo fundari debent; tum demum, quia sicut prius ædificatur domus, & postea habitatur, sic post operum complementum retributio accipitur, qua homo in æternum fruatur. sunt multæ aliæ similitudines, hæc tamen ad rei intelligentiam sufficere videntur,

A N N O T A T I O L X X V I I.

Quidam recentiores hunc hominem, qui domum ædificans dicitur, Christum interpretantur; quam autem sit violenta, & parum accommodata expositio, facile est unicuique cernere; verba enim quæ sequuntur, cuilibet sapienter ædificanti communia sunt, & ab hoc similitudo sumpta est. Matthæus cap. 7. eandem similitudinem refert, addit

autem, (sapienter) assimilabitur inquit, viro sapienti; bene enim ædificare sapientis, ac prudentis hominis est, qui ijs, quæ futura sunt, conuenienter consulit. Studium autem bonorum operum ædificatio Paulus etiam confert 1. Cor. 3. Si quis, inquit, superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum lapides pretiosos.

Qui fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram.

C O M M E N T A R I A.

Hæc duo ad firmitatem ædificij necessaria sunt, ut scilicet fundamentum profundum iaciatur; & ut supra petram ponatur fundamentum. Qui firmam, ac stabilem ædificare vult domum, hæc duo prudenter obseruat. Non refert Dominus multa alia, quæ ad domus perfectionem, pulchritudinem, ac amplitudinem spectant, ad quæ assequenda illa duo satis non sunt. Quia vero intendebat stabilitatem, ac constantiam eorum, qui fidem eius, ac mandata amplectuntur, explicare, idcirco hæc duo tantum retulit, quibus præcipue domus firma conficitur.

Inundatione autem facta illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere; fundata enim erat supra petram.

C O M M E N T A R I A.

Prosequitur similitudinem, ædificio, inquit, tali completo, inundauit flumen, & impetu magno partes domus illius, nec tamen eam diruere potuit, quia profunde supra petram posita erat, seu quia fundamentum in petra habebat. talis est homo, qui fidei Christi, & mandatorum eius obedientiæ inhæret, ac alte in eis fundatus est; inundatione enim facta tentationum, persecutionum, calamitatum, calumniarum, ingruentium periculorum, cæterorumque aduersantium, fortis, & inuictus permanet, iunctisque omnibus superior persistit, ac inter tumentes sæculi fluctus, plurima tranquillitate perfruitur, quod intelligere vnusquisque potest, si consideret virtutem mirabilem præcedentium Christi mandatorum de dilectione inimicorum, de maxilla præbenda percutienti, aliisque supra iam explicatis.

A N N O T A T I O L X X V I I I.

Matthæus cap. 7. huius inundationis vim magis expressit: Descendit, inquit, pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Causa autem est, quia fundatus est homo supra petram, nimirum, ut recte explicat Chrysostomus hom. 25. in Matth. supra firmitatem, & certitudinem doctrinæ, & præceptorum eius: quicumque enim hæc custodit, non modo hominibus nocere cupientibus, verum etiam ipsis dæmonibus insidiari cupientibus superior eminebit; illud

enim fide, hoc charitate efficitur, aut etiam, ut dicit Hieronymus supra petram, id est, Christum, cuius virtute ita roboratur iustus, & qui mandata eius exequitur, ut inuictus contra omnia aduersantia permanere valeat. Significat Christus hac similitudine eos, qui ipsum sequebantur, ac confitebantur, passuros esse multas persecutiones, quibus nisi bene in eius fide, ac mandatorum obseruantia fundati essent, deturbandi, ac remouendi erant ab eo: quod rei euentus comprobauit, & adhuc comprobabit.

Qui autem audit, & non facit, similis est homini ædificanti domum suam supra terram sine fundamento,

C O M M E N T A R I A.

Altera similitudine explicat, qualis sit is, qui audit sermones eius, fidemque eis adhibet: tamen non facit, nec obedientem se præbet, similis, inquit est illi,

Hi, qui domum ædificat suam, sed super terram sine fundamento, quæ stabilitate caret, nec firma est, ut valeat inruentibus vndis, ac ventis obsistere.

A N N O T A T I O L X X I X .

Ædificator
bonus quomodo
differat à
malo.

Matthæus cap. 7. addit (similes est, inquit, viro stulto;) opponit enim stultum sapienti, de quo supra dixerat (assimilatur viro sapienti;) imprudentia enim magna est sic ædificare domum. Aduerte, tam bonus quam malus ædificat domum, & quidem supra petram, nempe Christum, uterque enim audit

sermones eius, & fide credit; tamen bonum fundamentum habet, quod est obedientia mandatorum Christi, ac virtutum opera: malus vero fundamento caret, quia fidei non superaddit opera, nec obedientiam mandatorum, idcirco facile tentationibus cedit, & ab ipsa etiam fide aliquando deturbatur.

In quam illisus est fluvius, & continuo cecidit.

C O M M E N T A R I A .

QVI non supra Christi fidem, aut supra eam solam, non autem super obedientiam mandatorum eius fundatus, ac ædificatus est, superuenientibus tentationibus cedit, ac succumbit, facileque persecutione superueniente ab ipsa fide remouetur. Iacobus in sua Epist. cap. 1. quadam alia similitudine auditores verbi, & non factores explicuit; sic enim inquit: Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo; considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis sit.

Et facta est ruina domus illius magna.

C O M M E N T A R I A .


Eadentis domus magna fit ruina; tota enim dissoluitur: pereunte enim fide totum ædificium corrui, & qui fidem habet, si tentationi succumbat, etiam in fide perseveret, domus eius spiritualis maxime dissoluitur, dum gratia deperditur, & charitas, sine quibus nullum opus, vitæ æternæ meritum habet; multum ergo refert audire sermones Christi, & eos facere, ac fidem obedientia mandatorum eius perficere.

F I N I S C A P I T I S S E X T I .



FRAN-

F R A N C I S C I
C A R D I N A L I S T O L E T I
I N S A C R O S A N C T V M
L V C A E E V A N G E L I V M
C O M M E N T A R I I .



C A P V T S E P T I M V M .



VM autem impleset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiusdam seruum male habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus. Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudaorum, rogans eum ut veniret, & saluaret seruum eius. At illi cum venissent ad Iesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei: Quia dignus est ut hoc illi praestes. diligit enim gentem nostram: & synagogam ipsa adificauit nobis, Iesus autem ibat cum illis. Et cum iam non longe esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari; Non enim sum dignus ut sub tectum meum intres. propter quod & te me ipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te. sed dic verbo, & sanabitur puer meus. nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit, & alij veni. & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Quo audito Iesus miratus est: & conuersus sequentibus se turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni. & reuersi, qui missi fuerant domum, inuenerunt seruum, qui languerat sanum. Et factum est: deinceps ibat in ciuitatem, qua vocatur Naim: & ibant cum eo Discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret porta ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius viduae matris suae: & hac vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant steterunt.) Et ait, Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit, qui erat mortuus, & cepit loqui. Et dedit illum matri suae. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam, & exijt hic sermo in uniuersam Iudaam de eo, & in omnem circa regionem. Et nunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum, dicens. Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? (in ipsa autem hora multos curauit, à languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & caecis multis donauit visum.) Et respondens dixit illis: Euntes renunciate Ioanni quae audistis, & vidistis. Quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Euangelizantur: Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me. Et cum discendissent nuntij Ioannis, cepit de Ioanne dicere ad turbas; Quid existis in desertum uidere? arundinem uento agitatam? Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestimentis indutum? Ecce qui in ueste pretiosa sunt, & delicijs, in domibus regum sunt. Sed quid existis uidere? prophetam? Vtique dico vobis, & plus quam Prophetam. hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit uiam tuam ante te: Dico enim uobis: Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est: qui autem minor est in regno Dei. maior est illo. Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisei autem, & legis periti consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo. Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines gene-

rationis huius? & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus uobis tibis, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis. Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens uinum, & dicitis: demonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens uinum, amicus publicanorum, & peccatorum. Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis. Rogabat autem illum quidam de Phariseis, ut manducaret cum illo, & ingressus domum Pharisei discubuit. Et ecce mulier, qua erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit, quod accubisset in domo Pharisei, attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes eius, lacrymis cepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Videns autem Phariseus, qui uocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utique, qua, & qualis est mulier, qua tangit eum: quia peccatrix est, & respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duos debitores erant cuidam feneneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donauit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Aestimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hac autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hac autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hac autem unguento unxit pedes meos. propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur minus diligit. Dixit autem ad illam, remittuntur tibi peccata. Et ceperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: uade in pace.

CAPVT SEPTIMVM.

Cum autem impleisset omnia uerba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum.

COMMENTARIA.

CVM impleisset omnia uerba sua in aures plebis, id est, absolutis omnibus, qua plebi tunc temporis praedicare disposuit, intrauit ciuitatem Capharnaum; iam enim de monte descenderat, ubi Apostolos elegerat, & post descensum in planitie sermonem habuerat, quo peracto ingreditur urbem, ibique, qua verbo docuit, confirmauit miraculo.

Puero enim Centurionis morti proximo sanitatem restituit.

Centurionis autem cuiusdam seruus male habens erat moriturus.

COMMENTARIA.

Describitur persona, qua mirabiliter sanata est, & status in quo se habebat: Erat, inquit, Centurionis cuiusdam seruus. Multi quidem erant Centuriones; ideo cuiusdam dicitur, hic male habens moriturus erat, id est, cum infirmus esset, eo iam peruenerat infirmitas, ut in ultimis esset, seu animam ageret, ab omni medicorum auxilio, ac naturae remedio destitutus. Infirmitatis huius speciem explicat Matthaeus cap. 8. Iacet, inquit, paralyticus, & male torquetur.

ANNOTATIO I.

Centurio nomen est militiae; qui enim praeficiantur centum militibus, dicebantur Centuriones, sicut Decani, qui praerant decem, & quinquagenarij, qui quinquaginta, de quibus fit mentio Exod. 18. & 2. Regum 18. Hilarius can. 8. Matthaei loco Centurionis legit Tribunum, scriptoris vitio, ut credo. praetermittendum est autem Gnosticorum delirium, qui Centurionem hunc affirmarunt esse Christum, ut referunt Irenaeus lib. 1. & Epiphanius haere. 31. distinguebant enim hi Christum a Saluatore. Tam manifestam autem haeresim, & insaniam impugnare superfluum est. Dubitatio uero inter Catholicos ueratur, quisnam

hic Centurio fuerit, Gentilis, an Iudaeus? In qua non sunt concordantes Doctores; nam Hilarius can. 7. in Matth. Iudaeum fuisse existimauit. communis tamen sententia est eum fuisse Gentilem; erant enim Iudaei tunc temporis sub Romanorum Imperio, & custodia. Talem hunc esse affirmant Hieronymus Matth. 7. Ambrosius in praesenti, Augustinus ser. 6. de uerb. Dom. & Chrysostomus hom. 27. in Matth. idque uerba Euangelistae indicant; dicitur enim de illo: Diligit gentem nostram, & ipse Synagogam aedificauit nobis: & Non inueni tantam fidem in Israel, quae omnia ostendunt non fuisse natione Israelitam, aut Iudaeum.

Alte-

Altera autem occurrit dubitatio, an iste Centurio, cuius meminit Lucas, sit ille idem, quem refert Matthaeus cap. 8. Chrysostomus hom. 27. in Matthaeum, refert quosdam sensisse diuersos fuisse Centuriones, distinctamque historiam. quam sententiam receperunt quidam ex recentioribus, quorum in capite praecedenti meminimus, hi eo argumento inducti sunt, quia multa sunt, quae hos Centuriones distinctos esse significare uidentur. nam illius, qui est apud Matthaeum, filius infirmabatur; huius uero seruus: ille uenit ad IESVM, hic misit seniores, deinde amicos. Praeterea iste non solum non uocauit in domum suam Christum, sed etiam uolentem uenire prohibuit: ille autem primum per seniores uocauit, postea per amicos prohibuit. At uero Patrum opinio communis est, eandem esse historiam, unumque Euangelistam supplere, que alter praetermisit, ut fieri solet. Matthaeus enim succincte rem narrauit, ita tenent Augustinus lib. 2. de consen. Euang. cap. 20. & lib. 33. contra Faustum cap. 7. & 8. etiam Chrysostomus hom. 27. in Matth. Tius Bostrenus in hoc loco, qui etiam allegat Chrysostomum, contextusque historiae id ipsum confirmat, qui idem est

Qui illi erat pretiosus.

COMMENTARIA.

Pretiosus erat puer Centurioni, id est, plurimi illum faciebat, non quidem ex auaritia, sed ex dilectione, & charitate. quod ideo dictum est, ut ostenderet Euangelista, quid Centurionem tam sollicitum effecerit in illius quaerenda salute. hoc enim fuit Centurionis charitas, qua effecerat, ut seruum in pretio haberet; qui autem ea praeditus est, aliorum saluti non minus, quam propriae inuigilat; nec in hoc seruum distinguit a libero, nec famulum a Domino, cum in Christo non sit distinctio, dicente Paulo Gala. 3. Non est Iudaeus, neque Graecus; non est seruus, neque liber; non est masculus, neque femina; omnes enim uos unum estis in Christo IESV.

ANNOTATIO II.

Pretiosus Graece ἐπτιμος, id est, in pretio habitus, quod quidam uertendum censent charum, seu dilectum, quia pretiosus potius rebus, quam personis accommodatur. At uero nec interpretatio, nec interpretationis ratio mihi probandae uidentur. non quidem interpretatio, quia Graeca uox non significat dilectionem, sed aestimationem, & pretium consequitur enim, ut quod diligitur, habeatur in pretio, non tamen id significatur. ratio uero parum efficax est: nam & famuli, ac serui inter res Domini computantur, unde dici possunt pretiosa. Quod autem ad rem attinet, puer hic multis de causis potuit plurimi fieri a Centurione, scilicet, aut quia magno pretio emptus erat, seu uendi poterat; aut quia diligenter, & fideliter seruiebat, resque Do-

mini curabat, qua duo ad utilitatem spectabant Centurionis; aut etiam ex caritate ipsa, qua non propter utilitatem propriam, sed propter bonum ipsius pueri Centurio eum diligebat, plurimique faciebat. Hoc ultimo modo pretiosum fuisse puerum Centurioni docet Chrysostomus hom. 22. in Matth. in imperfecto. commendans bonitatem Centurionis, quia pro salute serui sic sollicitus festinabat, quasi non tantum pecuniae, sed salutis passurus in morte illius; inter seruum enim, & dominum nullam differentiam existimabat, sciens, quoniam etsi dignitas in hoc saeculo diuersa est inter illos, una est tamen natura illis, ideo magis Dei imaginem honorabat in homine, quam opus captiuitatis contemnebat in seruo. Hac ille.

Et cum audisset de IESV, misit ad eum Seniores Iudaeorum rogans eum.

COMMENTARIA.

Centurio igitur audiens Christum uenisse Capharnaum, nec se dignum arbitrat, cum natione Gentilis esset, qui ueniret ad eum, precesque per se ipsum funderet; misit Seniores quosdam Iudaeorum, tanquam se digniores, qui pro ipso rogarent Christum; quod quidem Centurionis humilitatem maxime indicat, & comendat.

ANNOTATIO III.

Haec sententia uidetur non consonare ijs, quae refert Matthaeus, hic enim ait Centurionem accessisse, & rogasse Christum, Lucas autem narrat eum misisse, qui rogarent. Haec apparet dissonantia coegit quosdam, ut supra diximus, affirmare diuersam historiam esse huius, & illius Centurionis. Augustinus uero lib. 2. de consen. Euang. cap. 20. conciliat utrumque sic, ut Centurio accessisse sit dictus, non quidem per se, sed per alios; compari enim loquendi modo, quod per alios

facimus, nos ipsi facere dicimus, Non igitur discordes sunt Euangelistae, sed quod Matthaeus non ita explicite dixit, hoc Lucas distincte narrauit. Addit autem Augustinus non absque mysterio Matthaeum affirmasse de Centurione, quod accesserit, id enim fecit, ut fidem eius indicaret, qui etsi non corpore, animo tamen accessit, hic enim est uerus accessus ad Christum, in eum scilicet credere, psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Hoc autem ad secundam solutionem spectat, quam

sequitur Beda, vt Matthæus loquatur de accessu per fidem. Prima tamen est accommodatior, nempe de accessu exteriori, qui per alios factus est, sicque Chrysostomus hom. 27. in Matth. concordat Evangelistas in hac parte, vbi adiungit aliam, quæ tertia est, concordandi ratione, nempe si dicamus vtrumque esse factum, vt prius miserit quosdam, postea vero per seipsum accesserit, & eadem dixerit. hanc sequitur Euthymius Matth 8. quæ quidem, etsi probabiliter possit sustineri, tamen multo accommodatior est prima concordia, vt ex sequentibus apparebit. Vnum autem Chrysostomus affirmat, quod mihi difficile creditu videtur, nimirum Centurionem voluisse venire ad Christum, seniores tamen Iudæorum eum detinuisse, illi enim assentantes, & adulantes dixerunt: Nos ibimus, & adducemus eum tibi. Hoc inquam difficile est creditu, cum videatur contrarium ijs, quæ ipsemet Centurio, mittens alios ad Christum, dixit. cum enim vellet Christus venire ad eum, sic inquit; Noli vexari, non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres. Propter quod & meipsum non sum dignus arbitratus, vt venirem ad

te. Hæc ille. Si igitur quia non est arbitratus se dignum, qui accederet per se Christo, ideo non venit, consequitur. vt nec prius venire voluerit, neque id facere omiserit, quia detentus fuit à Iudæis. Adde quod si illi Iudæi detinuisent illum, seque ipsos sponte obtulissent ad Christum venire, non posset sane Centurio dici misisse Seniores ad Christum; dicendum enim erat, Seniores venisse ad Christum rogantes, vt ad illum proficisceretur. Ex hoc sic consequens, vt illud etiam alterum, quod Chrysostomus adiungit, non sic probandum, nempe hos Seniores præ inuidia non retulisse Christo, Centurionem venire voluisse, ab eis tamen detentum esse, id enim factum affirmat Chrysostomus, vt fidem Centurionis magnam occultarent, ne Christi celsitudo Centurionis testimonio comprobaretur. Hæc accommodari contextui non possunt, non solum, quia vt diximus, Iudæi non detinuerunt venire volentem; sed etiam sic magis fidem illius commendabant, qui credit per alios impetrare posse, quæ desiderabat. Præterea, si Christi celsitudinem tegere voluissent, potius suasissent, vt à Christo talia non expectaret.

Vt veniret, & sanaret seruum eius.

COMMENTARIA.

Hoc est quod Seniores Iudæorum rogant, vt veniat in domum Centurionis, & salutem conferat puero illius, & eum saluet, id est, ab imminentis mortis periculo eripiat.

ANNOTATIO IIII.

Non modicam difficultatem sententia hæc mihi videtur adferre, si ijs, quæ sequuntur, eam conferamus. cum enim Centurio audiret Christum in domum eius venire, aduentum recusauit, dicens: noli vexari, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, dic tantum verbo, & sanabitur puer, non sum arbitratus me dignum, vt venirem ad te: quo modo igitur nunc rogare Christum dicitur, vt veniat. Albertus Magnus dicit Centurionem prius rogasse, vt veniret Christus, quia nondum in fide profecerat, sed eius fides imperfecta fuit à principio, postea vero profecit, & aduentum recusauit. Hæc autem non videntur stare posse: nam inquit: Non sum me dignum arbitratus, vt venirem ad te: si ergo à principio, quando misit Seniores indignum se indicauit, qui ad Christum veniret, multo magis, vt Christus ipse ad eum proficisceretur; nec enim fuit minor fides illa, quam ista. Præterea, quia modicum spatium fuit temporis, nec vlla causa noua occurrit, propter quam fides eius augetur, immo potius dubitandi causa videbatur, audiuit enim Christum venire, poteratque dicere, forsan venit, quia aliter sanare non valet, non igitur dici potest à principio imperfecte credidisse, & ideo rogasse, vt veniret. Respondendum igitur cenfeo, Seniores misos fuisse à Centu-

rione tantum, vt à Christo imperarent pueri salutem; hos vero addidisse ex suo nonnulla, nempe, vt veniret, quia existimabant aliter eum non posse sanitatem conferre. Similiter causas impetrandi apposuerunt; dignus, inquit, est, vt hoc ei præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ædificauit nobis. Quia igitur Centurio misit illos vt rogarent, quidquid hi petierunt, Centurioni tribuitur, quamuis ille modum non præscripserit, sed solum sanitatem rogauerit. Chrysostomus vt in Annotatione præcedenti diximus affirmat, hos Seniores adulantes Centurioni obtulisse se curaturos, vt Christus veniret, id tamen non videtur probabile; si enim audisset Centurio offerentes aduentum, vtique prohibuisset: nam audiens Christum venire, misit alios, qui reculerent; potius dicendum est, Centurionem misisse, vt rogarent pro pueri sanitate, misos vero modum expressisse, & causas impetrandi apposuisse, idque ex fidei imperfectione, meritoque Euangelista refert hos rogasse, vt veniret, vt cum postea Centurionem aduentum recusare narraret, quanto perfectior Centurionis fides Seniorum fide esset, ostenderet, sicque sententiæ Christi veritas manifestaretur, quam protulit dicens. Non inueni tantam fidem in Israel.

At illi cum venissent, rogabant eum solícite, dicentes ei.

COMMENTARIA.

Missi seniores Christum rogant solícite, id est, studiose, & ex magno animi affectu, ac conatu, desiderabant enim maxime Centurionis votis satisfieri, in quo officio præstando fideles se exhibuerunt, ad fidelitatem enim spectat, opus, quod quispiam pro alio suscipit agendum, diligenter, ac studiose perficere.

ANNOTATIO V.

Aduerbiū, solícite, Græce est σπουδαίως à σπουδή, quod Latine dicitur studium; studium autē est vehemens animi applicatio ad aliquid agendum. indicat hoc aduerbium Centurionem de pueri sui fa-

lute perquirenda maxime anxium, ac sollicitum fuisse, ipsosque Seniores enixe rogasse, vt Christo accederent, idcirco, & ipsi missi solícite rogarunt dicentes, quæ sequuntur.

Quia dignus est, vt hoc ei præstes.

COMMENTARIA.

Hermano more Seniores Christum rogant, nondum fidem Christi diuinitatis habentes, merita igitur Centurionis proponunt, dignus, inquit, est, vt hoc, quod petit, & rogat, concedas, puerumque eius sanes: fatentur ergo Iudæi diuinam Christi virtutem ad miracula facienda, induciti fide Gentilis Centurionis; non enim sustinuerunt negare, quod ille confitebatur. Particula (quia) causalis est; reddunt enim causam, cur quod rogabant, Christus facere deberet: rogabant enim, vt veniret, & sanaret puerum, quia, inquit, Centurio dignus videbatur, qui hoc beneficium ab illo reciperet.

ANNOTATIO VI.

Particula, quia, causalis est.

Articulam (quia) quidam declaratiuam interpretatur, vt hoc sit, quod Seniores dixerunt, nempe dignum esse Centurionem, cui Christus tale beneficium præstaret; mihi tamē accommodatior interpretatio visa est, vt sensum causalem faciat: nam Euangelista supplenda reliquit verba, quibus Seniores explicarunt, quod rogabant, nempe id, quod iam dictum est, vt veniret, & sanaret puerum Centurionis; ad hoc enim refertur illud relatiuum (hoc)

quando dicitur (vt hoc ei præstes) nimirum venire, & sanare puerum eius. Phrasim enim Hebræa est, quando narratur quispiam missus ad aliquid dicendum, si id significatum est, quando missio scribitur, non repeti postea, sed suppleri debet: supplendum ergo est in illo relatiuo (hoc) id, ad quod seniores missi dicti sunt, nimirum rogare, vt veniret, & saluaret puerum; huius ergo causam impulsiuam adiungunt, quia scilicet dignus est tali beneficio.

Diligit enim gentem nostram.

COMMENTARIA.

Vna est, quia diligit, inquit, gentem nostram, id est, bene affectus est erga nationem Iudaicam, Iudæosque dilectionis signis, & operibus profecit: nam id verbum, diligit, significat, nempe, non solum animi internam propensionem, sed etiam exteriora signa, & effectus, non enim aliter Senioris testimonium dilectionis reddere potuissent, nisi esset ex rebus externis agnita. Hoc verbum (gentem nostram) & Centurionem Gentilem, ac Christum secundum carnem Iudæum fuisse significat.

ANNOTATIO VII.

Seniorum ratio expeditur.

Hoc argumentum à Senioribus factum, non solum probat dignum esse Centurionem, cui Christus, quod rogabat ille, præstaret; sed etiam cur Seniores ipsi tam studiose pro eo preces fundarent, causam iustam continet, quasi dicerent, dignus est, vt tu puerum eius sanes, & nos negotium hoc libenter, & solícite apud te tractandum suscipimus; diligit enim nostram nationem, &

Iudæorum est amicus, quod in Gentili, & Romano plurimi faciendum est. Est autem efficax argumentum, ad inducendum quempiam ad dilectionem, si alter etiam diligit; vt enim inquit Augustinus lib. de catechizandis rudibus cap. 4. nimis est rudis animus, qui dilectionem, quam nolit impendere, nolit rependere.

Et Synagogam ipse ædificauit nobis.

COMMENTARIA.

Altera causa, cur dignus sit Centurio tali beneficio, hæc est, quia nobis, inquit, Synagogam ædificauit, quo opere non solum dilectionem erga Iudæos indicauit, sed religionem erga verum Deum Israel ostendit: cum igitur diligit nos, & sit religiosus erga Deum nostrum, nostræque religionis amator, dignus est, vt tu ei hoc beneficium præstes. verbum (ipse ædificauit) non significat propriis manibus ædificasse, sed suis sumptibus ædificari fecisse.

ANNOTATIO VIII.

Quod Ambrosius de Centurione scribit sane intelligendum est.

Ambrosius serm. 89. de ædificatione ecclesiæ cuiusdam, & de Centurionis commendatione à Senioribus facta, sic inquit: Si commendatur Domino, qui ædificauit Synagogam, quanto est commendatior, qui ædificauit Ecclesiam? Et si is meretur gratiam, qui impietatis receptaculum præstitit, quanto maiorem meretur gratiam, qui Religionis domicilium præparauit? & si ille cælesti misericordia visitatur, qui contriuxit locum, vbi Christus

semper negatur, quanto magis visitandus est, qui fabricari fecit tabernaculum, vbi Christus quotidie prædicatur? In Centurione enim Dominus, non quid operis fecerit, sed qua mente operatus sit, comprobauit: nam qui tempore, quo nondum Christiani erant, solícite synagogam fecit; si fuissent vtique Christiani, intelligitur, quod multo solícitius fecisset Ecclesiam. Hæc, & alia Ambrosius, quæ temperanda sunt; illo enim tempore nondum

Qua ratione Centurio rogat Christum vt veniat, si iam venientem precatur vt non accedat.

Particula, solícite, & eplisanur.

Euangelio publicato, nec lege adhuc illa soluta Synagoga non erat receptaculum impietatis, sed domus Deo dicata, in qua & Deo preces fundebantur, & legis doctrina, ac prophetarum miracula manifestabantur, idcirco Synagoga Christus frequentabat; tunc ergo temporis Centurio Synagogam edificauit, unde non solum qua mente, sed etiam quid operis Centurio fecerit, Dominus comprobauit. Hæc, quæ Ambrosius dicit, intelligenda sunt, quod edificauit Synagogam; quæ postea facta est receptaculum impietatis, quando Euangelio prædicato Iudæi in sua perfidia perseverantes Synagoga frequentabant, sicut à principio fecerant, in quibus postea multa contra Christum agebantur; hoc vero ad aliud tempus spectat, sicut Circumcisionis, & legis obseruatio, quæ prius bona erat, iam vero impietas est.

Aduertendum est autem, argumenta hæc duo Seniorum robur habere ex gratitudine, cuius est amantem redamare, & eum, à quo beneficio affecti sumus, eodem vicissim prosequi, & gratiam gratiæ referre. Seniores enim hi agunt cum Christo more humano, quasi homo purus esset vnus ex illis, id-

circo argumentis huiusmodi vtuntur, cum potuissent, & debuissent alia argumenta sublimiora proponere, nempe fidem eximiam Cæturionis in Christum, qua credidit morientem seruum à Christo etiam absente posse sanari; misericordiam etiam Christi, ipsiusque benignitatem, qua & corporibus hominum, & animabus sanandis studiosissime incumberebat. Recte Chrysostomus hom. 27. in Matth. de his, sic inquit. Vides singularem Iudæorum dementiam; dicunt enim dignum esse, cui gratiam tribuat: nam cum magis ad humilitatem, facilitatemque Iesu confugere deberent; dignitatem Centurionis proferunt, nec ipsa tamen, unde obtinenda esset, scientes; dignum esse dicentes, nec quare dignus esset, prospicientes. Hæc ille. Nec mirum, cum enim isti Seniores modicæ fidei essent, & humana sapientes; ad argumenta inferiora se conuertunt. Quamuis autem Christi diuinitatem non sint confessi, tamen compulsi sunt, vt Centurionis petitioni, satisfacerent, confiteri diuina virtute ad miracula faciendâ pollere.

Iesus autem ibat cum illis.

COMMENTARIA.

Christus non tam argumentis, ac precibus Seniorum motus, quam fidem admirandam Centurionis respiciens annuit petitioni, profectusque est cum illis in domum Centurionis, & vt puerum morientem sanaret, & vt Centurioni occasionem fidei suæ magnitudinem exercendi, & manifestandi in Iudæorum confusionem, & reprehensionem daret.

ANNOTATIO IX.

Prætermisit Lucas verbum, quod Matthæus refert, audita enim petitione Centurionis, quam Lucas per medios Seniores factam docet, Christus respondit ego veniam, & curabo eum, faciam quod petitis: petistis enim, vt venirem, & saluarem puerum Centurionis, vtrumque præstabo, veniam, & cura-

bo, & cum hoc diceret, profectus est cum illis, vt narrat Lucas; sic enim ista connectenda sunt iuxta communem sententiam Augustini, qui tenet vnam esse vtramque historiam Centurionemque Christo non accessisse per se ipsum, sed per seniores, aut amicos.

Et cum iam non longe esset à domo; misit ad eum Centurio amicos, dicens.

COMMENTARIA.

Prætermisit Euangelista narrare, eunte Christo in Centurionis domum cum Senioribus, aliquos præcurrisse, siue missos à Senioribus, siue ex se ipsis motos vt rem gratissimam Centurioni prænucciarent; siue ab ipso Centurione constitutos, vt citissime de Christi responso intelligeret. hi ergo de aduentu Christi Centurionem ipsum certiores fecerunt; quo audito, cum Christus iam non esset longe à domo, Centurio misit amicos, & familiares, qui illius aduentum prohiberent, imponens eis, vt verba sequentia eius nomine, dicerent: amicos autem hos ex Iudæis esse, sicut & Seniores credendum est: nam ipse non accedebat eo maxime, quia Gentilis erat.

Domine, Noli vexari.

COMMENTARIA.

Noli defatigari, noli hunc ad me veniendi laborem suscipere. illud (Domine) nomen est reuerentiæ; & honoris, quibus Centurio Christum prosequitur; ac fidei, qua Dominum omnium confitebatur; credebatur enim eum esse Deum, vt paulo inferius dicitur. & eum, quem Deum verum esse non dubitabat, mortalem, ac passibilem, & defatigabilem secundum carnem non ignorabat. Eximia profecto fides, nec enim passibilitas, & defatigatio illum à diuinitate credenda retraheret, nec diuinitas credita à passibilitate agnoscenda remouebat.

ANNOTATIO X.

Ambrosius lib. 1. de fide cap. 1. vocem hanc (Domine) aliquando potestatis, aliquando ma-

gnificentis, & honoris esse dicit; qui enim super alios potestatem habet, dominum appellamus, quem etiam

etiam honorare volumus, dominum vocamus. in Deo hæc duo coniuncta sunt, Dominum enim, & propter potestatem, & propter honorem dicimus; at in hominibus hæc sæpe separata sunt, multos enim honoris causa sola dominos nuncupamus, quod Theodoretus orat. 10. in Daniel. probat Scriptura: nam Gen. 14. Rebecca seruum Abraham vocauit dominum. Bibe, inquit, domine. id etiam Ioan. 20. habetur, hortulano enim dictum est: Domine si tu sustulisti eum. Vt igitur proposito accommodemus hæc, ad-

uertendum est, in Euangelio quosdam Christum Dominum appellasse, solius honoris causa, eos scilicet, qui diuinitatem eius non agnoscebant, talis fuit Regulus ille Ioan. 4. Domine descende, inquit, priusquam moriatur filius meus. Ioan. 6. Paralyticus dixit: Domine hominem non habeo; quidam alij diuinitatem confitentes Dominum etiam potestate appellarunt. Ioan. 20. Dominus meus, & Deus meus. talis est hæc confessio. hic enim, vt paulo inferius dicemus, diuinitatem Christi agnouit, & confessus est.

ANNOTATIO XI.

Vexare quid significet.

Verbum Græcum ἐκνήλω, significat multa, nempe vexo, molesto, diltraho, negotium faceo, & fatigo, seu defatigo, in qua significatione vsurpatum in præsentem existimo. Vulgatusque interpres vsus est verbo vexandi loco fatigandi. est autem Græce imperatiuus passiuæ vocis, ne vexeris, seu defatigeris. Habetur hoc idem verbum Græcum inferius Luca 8. Noli vexare illum, quod in eadem etiam potest intelligi significatione, nimirum, noli imponere illi hunc laborem, veniendi domum, vt sanet filiam tuam, quia mortua iam est. potest etiam aliter exponi, vt in eius interpretatione dicitur. In præsentem autem loco, de quo agimus, vsurpatum existimo præ ver-

bo defatigandi: Christum autem itineribus fatigari testatur Ioan. cap. 4. Iesus, inquit, fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Vnum est hoc loco adnotandum, licet idem sit verbum hoc cum illo Luca 8. Noli vexare illum; tamen non ex eodem principio procedit; illi enim ex incredulitate, quia non Christum posse paellam mortuam suscitare, dixerunt, noli vexare illum: Centurio vero ex fide perfecta, qua credidit Christum absentem etiam sanare posse, dixit: Noli vexari, nec in domum meam venire, cum possis solo verbo, absque corporali aduentu, quod peto efficere.

Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres.

COMMENTARIA.

Causam, cur Christum in domum suam venire reueret Centurio, per amicos suos significauit: Non enim dignus sum, inquit, verbum hoc fidei, & humilitatis est. fidei quidem, quia latentem diuinitatis maiestatem in Christo agnoscebat; ideo enim Dominum appellauit, humilitatem, quia tantæ maiestati se ita submitit, vt præsentia eius indignum iudicaret, quasi diceret, cum sis Dominus verus omnium, non sum ego seruus tuus dignus te in domum recipere. Dumque cum tanta fide, & humilitate præditus esset, se indignum censet, vt Christum domi circumcipiat, eo magis recipit mente, & ad sanitatem, quam efflagitabat obtinendam, se efficit digniorem; immo & citius obtinet, quam si corporalem præsentiam ipsam Christi requireret: nam statim puer eius sanatus est, celeriusque virtus peruolat, quam corporis præsentia peruenisset, commendandæ etiam sunt fides, & humilitas in hoc, quod non serui indignitatem opposuit, dicendo, seruus meus non est dignus, sed propriam, quia vere vtraque maior erat is, qui venire prohibebatur, seque ac seruo eum superiorem confitebatur.

ANNOTATIO XII.

Centurionis virtutes à sanctis patribus commendatæ.

Quæ in commentario diximus, Patrum sententiæ confirmant. Gregorius enim Nazianz. in Apologetico, ad patrem suum, fidem, & humilitatem Centurionis hisce verbis commendat. In Euangelio Centurionem audio, Christi quidem potentiam requirentem, præsentiam aut deprecantem, vt potest, cuius tectum angustius esset, quam vt diuinam magnitudinem ac dignitatem capere posset. Hæc ille. Hieronymus autem Matth. 8. vltra duas virtutes dictas, prudentiam etiam extollit, qua corporali præsentia, quæ etiam incredulis communis erat, prætulit, quod intus latebat in Christo, hocque sibi plus profuturum, quam illud, agnouit. Verba Hieronymi sunt: Vidit Centurionis fidem, & humilitatem, & prudentiam. fidem in eo, quod credidit ex gentibus, paralyticum à Salvatore posse sanari; humilitatem, quod se iudicauit indignum, cuius tectum Dominus intraret: Prudentiam, quod intra corporis tegmen diuinitatem latentem videret: sciens non id sibi profuturum, quod etiam ab incredulis videbatur, sed id, quod

latebat intrinsecus. Hæc ille. Quod autem diximus in commentario, nempe dum se Centurio iudicat indignum corporali præsentia Christi, digniorem se fecisse ad obtinendam sanitatem, vt docet Ambrosius. serm. 89. vbi sic, inquit: Ait Centurio: Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, ò fides Christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consueuisti: ecce religiosus Centurio ad accipiendam salutem fit dignior, dum se proficitur indignum, & dum res suas iniurias putat, magis eas honorificas fecit & gratas. Magnæ enim, & perfectæ fidei vir, qui intelligeret Christum cælorum esse, dum verebatur, ne hospitij sui eum angusta non acciperent, ergo contradicente Centurione non pergit ad domum Dominus, non pergit Dominus, sed pergit Domini medicina, non visitat agrum Saluator, sed visitat sanitas Saluatoris. Hæc Ambrosius. Quod autem diximus de receptione Christi in mente, tradit Augustinus serm. 6. de verbo Domini sic scribens. Dicendo se indignum præstitit dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret. neque hoc diceret, cum

cum tanta fide, & humilitate, nisi iam illum, quem timebat intrare domum suam, corde gestaret: nam non erat magna felicitas, si Dominus intraret in parietes eius, & non esset in pectore eius. Hæc & alia Augustinus. Notandum autem est hic, quam contrariam de se opinionem Centurio habuerit, ab ea quam Seniores prædicauerant; hi enim dignum beneficio affirmarunt, ille vero se confitetur indignum, maiorem enim de Christo fidem habebat Centurio, quam Iudæi. Præterea, quia de alijs præclaram aliquando opinionem habere, de se vero depresso sentire humilitas postulat, humilis enim ea considerat in se, quæ imperfectionis sunt, ceteri vero ea in illo contemplantur, quæ eminent, & laudabilia sunt.

ANNOTATIO XIII.

Debitio occurrit: nam hæc verbis, probante Ecclesia, Sacerdotes in Missa, & fideles in Eucharistiæ Sacramento vtuntur, ante communionem enim dicunt: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Possent autem quispiam duo opponere. Vnum est, quia non videtur accommodate dictum: nam Centurio hæc dicens Christum non recepit, at nos accipimus. Alterum est, quia nos dignos non esse fatemur, quomodo ergo eum recipimus? cum Paulus. 1. Cor. 11. dixit: Qui manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & Sanguinis Domini. & iterum. Qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ad primum respondeo, Ecclesiam his verbis vti in Sacramenti sumptione propter fidei confessionem, & humilitatis exhibitionem; fidei quidem, qua illum quem recipimus, eundem esse Christum Deum, & hominem confitemur, quem Centurio similibus verbis visibiliter veneratus est: humilitatis vero, quia quantum in nobis, & ex nobis est, tanto hospite dignos non esse protestamur, gratia ipsius est, quod velit nobis accedere; & in his

Possent quispiam interrogare, qua ratione zachæus Christum gaudens recepit, Centurio vero recusauit? Respondeo Christum ministerio Zachæi vti voluisse, nempe apud eum diuertere ad manducandum, idcirco zachæus gaudens excepit, ne hospitem recusare videretur: at vero Centurioni obtulit aduentum suum, non vt sibi ministraret, sed eius gratia, vt puerum sanaret: propterea Centurio prohibuit, ne minus fidelis reputaretur, quasi non crederet aliter sanare Christum posse, nisi corporali præsentia, commendatur igitur charitas in zachæo Christum excipiente, qui Christi humanitati cibum ministravit: & fides in Centurione contradicente, quia diuinitatis Christi potentiam confessus est.

Quare zachæus gaudens recepit, Centurio vero Christi ingrefsum recusat.

duobus Centurioni assimilamur. non est autem similitudo querenda in causa, propter quam hæc dicta sunt; Centurio enim ea de causa protulit, vt aduentum Christi in domum eius recusaret, cuius aduentus causa salus spiritualis ipsius non expectabatur; at vero nos proferimus, vt ad eum recipiendum disponamur, in cuius receptione salus spiritualis, animarum nostrarum posita est, panis enim est vitæ accipientibus eum, vt par est.

Ad secundum respondeo dignitatem esse duplicem, vna est dignitas rei, altera est dignitas præparationis. dignitate rei nemo potest digne suscipere Christum, cum inferior sit quicumque homo etiam Sanctissimus ipso Christo; nos enim creatura, ipse creator est; dignitate vero præparationis potest homo digne eum suscipere, si ea faciat, quæ fieri ipsemet, qui suscipi voluit, mandauit, quod si quis ea non exhibet, indigne suscipit, & hoc est, quod docet Paulus. non ergo qui non suscipit digne dignitate rei, indigne suscipit: sed is, qui præparatione, ac dispositione debita caret.

Duplex dignitas considerari potest in suscipiente Eucharistiam.

Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus ut uenirem ad te.

COMMENTARIA.

Eandem causam, exhibet excusans se, cur ipse non ueniret, sed per alios rogauerit. sensus est, qua ratione, & causa dignus non sum vt intres sub tectum meum, nempe quia tu Dominus verus, & perfectus es, eadem etiam de causa me iudicauit indignum per memet ipsum venire ad te, non quod dedignarer, quasi me plurimi facerem, sed quod tuam maiestatem sic ueritus sum, vt tecum loqui, tuaque frui præsentia me dignum non esse iudicarem.

ANNOTATIO XIII.

Particula (propter quod) Græce ὅτι non potest referri ad præcedentem, sic enim dicendum erat, propter quod etiam non ueni ad te, quia non sum me dignum arbitratus, sed necessario referenda est ad illud idem, propter quod indignum se dixerat, vt sub eius tectum intraret. Hoc autem est illud, quod illa uoce expresserat, nempe (Domine noli vexari) nomine enim Domini diuinam maiestatem Christi indicauit, propter quam se confessus est indignum, vt Christus domum eius ingrederetur, & propter eandem etiam arbitratus est se indignum venire, & Christo per semetipsum accedere. Particula autem (&) loco (etiam) posita est, nempe non solum, vt Christus intraret domum eius, sed etiam vt ipse accederet Christo, indignum se iudicauit, uerebatur enim Centurio, cum Gentilis esset, Christo accedere, quem etiam si Deum credebat, carnem tamen ex Iudæis assumpsisse, Iudæorumque legem obseruasse,

& cum illis conuersatum esse nouerat; idcirco per Seniores, & per amicos ex Iudæis cum Christo egit. Notandum est in his sententijs Hebraismus; cum enim hæc omnia non per se ipsum, sed per alios locutus sit, non uerbo infinito vtuntur personæ missæ, sed eodem, quo Centurio locutus erat: non enim dicunt, non est Centurio arbitratus se dignum esse, vt sub eius tectum intres, nec etiam vt per se ipsum accederet: nam & homo est, & sub potestate constitutus, & dicit huic uade &c. sed eodem modo, & in eadem persona loquuntur, sicut & ipse Centurio, cum tamen hæc omnia per amicos dicta esse certo sciamus; hoc effecit, vt apud Matthæum, qui nihil refert de ijs, qui missi sunt, sed uerba sola Centurionis describit, appareat Centurionem per se ipsum hæc omnia locutum fuisse, quod re uera non sic factum esse Lucas explicuit, dum eadem omnino uerba ab amicis dicta recenser.

Qua ratione Ecclesia superiori sententia in Eucharistiæ distributione utatur.

Superiora uerba magis declarantur.

Sed dic uerbo, & sanabitur puer meus.

COMMENTARIA.

Opposita est hæc sententia illi (Noli vexari) reddita enim à Centurione causa, Cur aduentum Christi in domum recusaret, quia dignus non erat, prosequitur, quod petit. sensus est, noli, inquit, vexari, & fatigari aduentu in domum meam, quo dignus non sum, sed dic uerbo, & sanabitur puer meus. non est tibi opus venire ad me, ideo recuso aduentum, quod dignus non sum, non enim est necessarius, cum satis sit, si solo uerbo iubeas: si quidem aliter sanare non posses, nisi uenires, non recusassem aduentum, necessitas enim meam indignitatem excusasset; at cum sine aduentu, sed solo uerbo id possis efficere, non est, cur te defatiges, vt in domum indigni hominis intres. Non, inquit, ora, deprecare, supplica, sed dic, id est, iube, impera, quod Dei solius est; fidei singularis hoc est argumentum. uerbum, dic, deprecantis est, quasi diceret, deprecor, vt dicas, & iubeas.

ANNOTATIO XV.

Quo sensu Centurio dixit, Christum solo uerbo sanare posse.

Bartholomæum potuit Centurio uerbum Christi ad sanandum puerum requirere, vno modo quasi necessarium, sine quo sanare non posset. Hic autem modus fidei Centurioni non accommodatur, qui enim credebatur Christum Deum esse, vt paulo inferius ostendimus, utique nouerat, nec aduentu, nec uerbo indigere, sed sola uoluntate sanare posse; non ergo uerbum requisit, quasi sine aduentu, non tamen sine exteriori uerbo, puero sanitatem non ualere conferre. Altero modo potuit requirere uerbum, non quidem, vt necessarium, sed ad exprimendam facilitatem, qua poterat Christus sanare, ostenderetque non esse illi necessarium, vt in domum eius ueniret, sed uim uerbi eius solius esse tantam, vt eo solo sanaret absentes. Hic autem modus uerus est, & qui Centurionis fidei responderet. Cuiusmodi sunt exempla etiam in Scriptura Tobi. 10. Dixit Raguel Tobie, Angelus Domini Sanctus sit in itinere uestro, perducaturque uos incolumes. & 2. Machab. 11. Machabæus, & qui cum ipso erant, rogabant Deum, vt bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. sic etiam in Ecclesia rogamus Deum, vt Angelos mittat in nostrum adiutorium.

Hæc omnia non sic petuntur, quasi Deus sine Angelis nequeat saluare, sed vt explicemus modum unum, quo Deus saluare potest. sic Centurio uerbum Christi requisit, quia potuit etiam uerbo Christus saluare.

Comendanda est autem Centurionis prudentia, ac modestia; quamuis enim puerum suum ardentissime diligebat, & infirmitatis eius dolore ualde premebatur, nihil tamen admisit, quod inhonestum, aut indecens iudicauit, idcirco nec Christo accessit per se ipsum, nec uenientem ad se acceptauit, ueritus, ne tanto munere esset indignus. Quod Chrysostomus hoc 27. in Matth. recte nouit, sic scribit: Nec doloris magnitudo adeo animum eius confudit, vt tantacalamitate pressus non philosopharetur. Non enim salutem solum pueri respiciebat; sed etiam nequid ipse impie faceret, aut diceret, animaduvertebat; & quamuis non ipse perierit, ut iret, sed Christus se obtulerit iturum, ueritus tamen sic fuerat, ne uideretur maiora, quam dignitas sua pateretur, accipere, ac rem grandem prorsus, ac suis uiribus imparem subire. Hæc ille.

Centurionis prudentia & modestia.

ANNOTATIO XVI.

Centurio credidit Christum Deum esse.

Interrogabit quispiam, an hæc sententia (dic uerbo, & sanabitur puer meus) ostendat Centurionem credidisse Christi diuinitatem. In primis hoc est in confesso apud omnes Patres antiquos, nempe Centurionem credidisse Christum, non solum hominem, sed simul etiam Deum esse uerum. ita affirmarunt Gregorius Nazianzenus in Apologet. ad patrem suum; Chrysostomus hom. 7. in Matth. Hieronymus Matth. 8. & Augustinus serm. 6. de uerbo Dom. idque uerba præsertim sequentia ipsius Centurionis, & uerba etiam Christi fidem illius commendantis comprobant: vt in eorum expositione declarabimus. Quod autem ad dubitationem attinet, Chrysostomus loco citato ex his uerbis Centurionem diuinam Christi maiestatem credidisse asserit; eo quod non dixerit, roga, supplica, aut pete, sed impera, & iube, quod solius est Dei. Hæc autem Chrysostomi sententia uera est, declaratione tamen indiget. Aduertendum igitur est absolute loquendo non ex eo solo, quod quispiam uerbo, & imperando miraculum facit, inde consequi eum esse Deum: nam homo purus potestate à Deo tradita id facere potest, quia imperare non solius est Domini, sed etiam eius, qui à Domino habet potestatem. hoc satis aperte demonstratur Luc. 17. Si habueritis, inquit, fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare, & obediet uobis. At uero uerbo imperandi tanquam Dominum & ex potestate propria

miraculum facere, id argumentum est, eum, qui sic facit, esse Deum. talem autem Centurio confessus est Christum; petijt enim, vt cum Dominus esset, ex propria sua potestate imperio uteretur ad sanandum puerum. Hoc tribus signis præcipue indicauit. Primo uerbo illo (Domine noli vexari) loquebatur enim ei, vt Domino, ideoque se indignum iudicauit, vt eum in domum reciperet, aut vt ad illum per se ipsum ueniret, præ reuerentia illa, quæ non exhibetur, nisi soli Deo. Secundo, quod maxime ad rem facit, quia quamuis possit purus homo potestate accepta uerbo imperandi miraculum facere, non tamen à puro homine licet petere indifferenter, ut sic miraculum faciat, neque de eo affirmare; quod si iusserit, illud fiet: quia quamuis potestate accepta homines miracula effecerint, non tamen situm erat in eorum uoluntate, vt quoties uoluissent, ea efficerent; hoc enim Dei est solius. qui autem petit, & rogat alterum, ut imperet, & iubeat aliquod miraculum fieri, certusque est, si ille imperet, id futurum, confitetur habere potestatem pro uoluntate sua, & consequenter eum esse Deum. Tertio, uerba sequentia hoc ipsum probant: nam potestatem supremam in Christo confessus est, quod solius Dei est, vt in sequenti commentario explanabitur. uere igitur hæc sententia Centurionem diuinam Christi maiestatem credidisse indicat.

Nam & ego sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic, vade, & vadit; & alij, veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit.

COMMENTARIA

Probat Centurio, si solo verbo Christus iusserit, puerum suum sanitatem recepturum, estque argumentum à minori, vt logici vocant, affirmatiue. sensus est: inam ego, qui homo sum, & sub potestate alterius constitutus, nempe Cæsaris; aut Tribuni, habeoque milites, verbo, & iussu solo apud subditos meos efficio, vt vnus abeat, alter veniat, & seruus hoc aut illud faciat, mihi que obedientia præstatur ab ijs, qui sub me sunt. Multo profecto magis ac perfectius tu, qui Deus es, & nullius subiaces potestati, poteris iussu tuo in cunctis rebus, quod volueris, efficere. Si ergo iusseris puero meo, Surge, sanus esto, sanabitur; quia tuo subiacet dominio, & imperio, qui omnium es Dominus. Nam si milites meo verbo obediunt, quos nec feci, nec in eos plenam habeo potestatem, sed subalternatam, quanto plus tu quodcumque volueris præstabis, ac tibi obedient creaturæ tuæ, quas tu fecisti? particula (Nam &) posita est loco vnus, scilicet (etenim).

ANNOTATIO XVII.

Confirmatur interpretatio in commentario tradita.

Actor imperfecti in Matth. hom. 22. sic interpretatur hac sententiam, vt illa particula (&) posita sit loco (etiam) in hunc sensum: ego etiam sum sub potestate alterius, sicut tu, qui homo subditus es Patri, & tamen dico huic vade, & vadit, sic etiam tu verbo, & iussu tuo potes facere, quæ volueris. Verior tamen, & accommodatior sensus est, quem Chrysostomus hom. 27. in Matthæum, & ibidem Theophylactus sequuntur, nimirum. si ego, qui sum sub potestate alterius, possum meo iussu, & verbo hæc facere erga meos subditos, tu qui sub nullius es potestate, cum Deus sis, multo plus efficies omnia iussu, & verbo tuo. Verba Chrysostomi sunt hæc: Ego homo sum sub potestate, hoc est, tu Deus; ego sub imperio, & ditione; tu sub nullius potestate, si ergo ego, qui homo, & sub potestate aliena sum, tanta facile possum efficere, quid est, quod facere ipse non possis, qui Deus es, & sub aliena potestate

non es? ipsa enim excellentia conatur ei persuadere: non enim exemplum tamquam simile hoc dicit sed multo excellentius. Quod si ego, qui similis sum quibus impero, & sub alterius potestate, tamen propter paruam excellentiam præfecturæ tantum possum nemine repugnante, sed quæ impero sunt, etiam si diuersa sint iussa; quanto magis ipse ad finem perducere poteris, quæ iusseris? Hæc ille. Quem sensum verba Græca facile indicant: nam particula illæ (Nam &) Vnius virtutem habent, dicitur enim καὶ γὰρ Latine (etenim) quod si cum Vulgato Interprete diuidas, tunc particula (&) non facit similitudinem in eo, quod sub alterius est potestate, sed in hoc, quod verbo suo efficiat multa, vt sit sensus: nam etiam ego, qui sub potestate alterius sum, iussu meo quæ volo apud mihi subditos facio: tu igitur, qui sub nullius es potestate, poteris etiam verbo, & iussu, quæ volueris in cunctis rebus facere.

ANNOTATIO XVIII.

Qua ratione intelligenda sit Centurionis comparatio, & quare ea sit visus.

Vo examinanda in præcedenti sententia se offerunt. Vnum est, quæ sint ista, quibus Christus imperare poterat, quæque Centurio militibus sibi subiectis comparauit. ad quod Origenes hom. 5. in diuersos, & Hieronymus Matth. 8. respondet esse Angelos, per quos poterat Christus sanare, quique velut milites eius sunt, ipsius verbo, & imperio obediunt. quæ doctrina vera est, parum tamen accommodata; non enim Christus in operibus mirandis, quæ faciebat, Angelorum ministerio vsus est, sed per se ipsum operabatur: nam diuinitas humanitati vnita per ipsam humanitatem, siue tactu, siue verbo, siue sola voluntate miracula edebat absque Angelorum interuentu, vt ille homo, qui operabatur, Deus agnosceretur, Ioan. 10. Operibus credite, vt agnoscat, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. Chrysostomus hom. 27. in Matthæum, accommodatius, & verius respondet, milites, ac ministros Christi esse mortem, vitam, sanitatem, infirmitatem, & cetera huiusmodi quasi Centurio diceret, impera morbo, ac paralyti pueri mei, & recedet, quia omnia hæc tibi subdita sunt. Fauet huic sensui illud Lucae. 4. imperauit febrim, & dimisit eam. Nos in commentario generalius sententiam interpretati sumus, vt cuncta creata sint Christo subdita, quibus imperat, quæ vult, & sunt

iuxta illud Matthæi 8. qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei? Sic lazaro mortuo iussit, vt surgeret, & surrexit: sic Paralytico, vt tolleret grabatum, & tulit: sic habenti manum aridam, vt eam extenderet, & extendit: sic surdo, vt aperiret aures, & aperta sunt. sic igitur potuit iubere, vt puer sanaretur, & sanatus est; quia morbi, vita, mors, & cuncta eius obediunt verbo, immo quod plus est, quæ non sunt, sub eius sunt potestate, ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt, & vocat ea, quæ non sunt tamquam ea, quæ sunt. Alterum quod examinandum occurrit, illud est, nempe cur Centurio tam multiplici vsus sit exemplo, nempe huic vade, & vadit, & alij veni, & venit; seruo fac hoc, & facit? Respondeo Duabus de causis id factum, vna est, vt significaret Christi prouidentiam, ac prudentem dispensationem, qui varijs vtitur causis ad effectus diuersos, nec vni omnia, sed singulis pro ipsorum ratione singula imponit. Altera est, vt per hæc magis exprimeret potestatis amplitudinem, & voluntatis propriæ libertatem; quæ enim volebat, prout volebat, verbo efficiebat, sicque constabatur Christi diuinam gubernationem, & amplissimam potestatem, & liberissimam voluntatem, vt in cunctis faceret rationabiliter, prout vellent, quæ omnia Deo soli conueniunt,

Quo audito IESVS miratus est.

COMMENTARIA

Auditus Centurionis verbis, fidei eius magnitudinem testantibus, Christus miratus est Gentilis fidem, vt pote raram, & insignem, qualem, ac quantam in Israel,

Israel, id est, inter Iudæos non erat expertus. Miratus autem dicitur, vt homo, quauis autem scientia infusa, & beata, iam antequam loqueretur Centurio, fidem eius in corde latentem inspexerat, tamen eius fidei manifestationem nondum expertus erat, donec ipsius verba per amicos prolata auribus corporeis percepit. Cætera in Annotatione require.

ANNOTATIO XIX.

Qua ratione Christus fuerit admiratus.

Um admiratio ex raris, ac inopinatis, quorum causas ignoramus, procedat, dubium est, quare ratione Christus, qui non solum fidem Centurionis prius nouerat, sed etiam in eo effecerat, admirari dictus sit. Augustinus Epist. 101. ad Euodium, admirationem dupliciter effici affirmat, aliquando quidem cum ratio, & causa rei latet, ac ignoratur; aliquando vero, quando res vsitata non est, quod singularis, aut rara sit, respodet ergo Christum admiratum fuisse Centurionis fidem, non quod causa, & ratio ipsum latuisset, sed quod in populo Israel par fides non apparuisset. Ex quibus concludit, hanc admirationem Christi laudem quandam fuisse, qua Centurionis fidem commendauit. At vero idem Augustinus lib. contra Aduersarium legis cap. 7. hanc admirationem à laude distinguit, inquit enim sic: IESVS, qui omnia præsciebat, quod mirandum alijs commendabat, mirando laudabat. Hæc ille. Si igitur mirando laudabat, admiratio non erat laus, sed laudi coniuncta. Idem etiam Augustinus lib. de Genesi contra Manichæos, cap. 8. Christum motum admirationis habuisse dicit sine animi perturbatione, eum-

que, vt mirandam esse Centurionis fidem significaret. Verba eius sunt hæc: Quod mirabatur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus opus est adhuc sic moueri: omnes ergo tales motus eius non perturbati animi sunt signa, sed docentis Magistri. Hæc ille. Distinguit igitur admirationem à laude. Huic posteriori sententiæ adhaerendum existimo, Christum nempe miratum esse fidem Centurionis, non quod eum ante latuerit, nec tantum quod rara, & insignis esset, sed etiam, quod talem non erat expertus, quamuis enim Christus vt homo scientia infusa, & beata nouerit omnia, nec in eis scientijs profecerit, augmentumve receperit; habuit tamen experimentalem scientiam, qua quæ prius sciebat, de nouo experiebatur, & in hac, vt diximus c. 2. proficiebat, & ex hac admiratio processit, vt docte notauit S. Thomas. 3. p. q. 15. idque in Commentario secuti sumus, consonatque verbis Euangelistæ dicentis (quo audito miratus est) quasi ex cognitione, quæ à sensibus proficisceretur, admiratio hæc prouenerit. Diximus plura de admiratione supra in cap. 2. Annot. 50.

Et conuersus, sequentibus se turbis dixit.

COMMENTARIA

Christus sequentibus turbis, miraculum videre cupientibus domum Centurionis proficisceretur, quando amici Centurionis ab eo missi ante faciem ei occurrerunt, ac illius nomine nuntiarunt ea, quæ supra interpretati sumus; idcirco eorum auditis verbis, Centurionis fidem testantibus, conuersus dicitur ad turbas, vt ipsis loqueretur. Vultum enim corporis, quem versus Centurionis amicos sibi obuiantes habebat, ad turbas, quæ post se erant, vt eas alloqueretur, conuertit. Non enim prætermittebat occasionem vllam, qua eas ad fidem, eiusque agnitionem, in qua illarum salus spiritualis posita erat, attraheret.

Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni.

COMMENTARIA

Non inter gentes solum, ad quas Centurio ille pertinebat; sed etiam, nec inter Iudæos ipsos tantam erga se fidem inuenisse Christus testatur, quantam in Centurione experiebatur. Quæ verba, & Centurionis insigne encomium; & Iudæorum non credentium acris reprehensio, ac exprobratio, turbarum autem sequentiū ad eandem fidem vehemens exhortatio, sunt. Assertionem autem hanc, vt pote arduam & creditu difficilem asseuerans, ait: Amen ideo vobis. Cum vero tam magnam fidem se non inuenisse in Israel dicit, non de Patriarchis, ac præcedentibus Patribus loquitur, sed de præsentibus Iudæis, & quidem non de omnibus, sed de ijs, quos prædicatione, ac miraculis ad fidem sibi præstandam alliciebat, in quibus tantam fidem non inuenit, qui ei credere magis, quam Gentilis Centurio tenebantur.

ANNOTATIO XX.

Diuersæ lectiones huius loci ab Ambrosio notatæ.

Quod ad literam spectat, Ambrosius duas adfert lectiones, vna est, in nullo tantam inueni fidem in Israel. & huius simplicem, & facilem intellectum esse asserit. Altera est, nec in Israel tantam inueni fidem; hancque secundum Græcos esse dicit, iuxta quæ affirmat Centurionis fidem præponi electioribus, & videntibus Deum, id est, fidelibus anteferri. Habet autem hæc lectio aliud, nempe dum dicitur, nec in Israel inuenisse, significat etiam in gentibus non fuisse inuentam, quasi diceret, non inueni tantam fidem, non solum in gentibus, sed nec etiam, quod

magis est, in ipso Israel, populo fidei, & Dei religionem proficenti, & ad quem missus est Christus prædicare, & Euangelizare. Hanc sententiam in sequentibus tribus Annotationibus expositam inuenies. In ea autem illud est notandum, quod recte aduertit Chrysostomus hom. 27. in Matth. scilicet, Christum se Deum esse significasse, eo ipso, quo confessionem Centurionis, qua eius diuinitatem professus est, non solum refutauit, sed acceptauit, ac magnificauit.

Quatuor mo-
dis magna fu-
it fides Cen-
turionis.

Nonnulla pro sententia huius intelligentia, examinare, & explicare oportet, quorum primum est, quanta fuerit Centurionis fides, ut enim Augustinus serm. 74. de tempore interpretatur, idem est dicere, Non inueni tantam fidem, ac non inueni tam magnam fidem. Aduertendum igitur est, fidem magnam, aut paruam quatuor modis dici posse. primo quidem ex parte eorum, quae creduntur, qui enim plura credit, quam alter, maiorem fidem, quam ille habere dicitur, 2. Cor. 8. Abundatis fide, sermone, & scientia. 2. Thessalo. 1. Supercreuit fides vestra; & abundat charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem.

Altero modo ex parte difficultatis eorum, quae creduntur, qui enim difficiliora creditu, ac quae magis rationem, humanumque caput superant, credit, is maiorem fidem habet. exempla multa huius rei in Scriptura sunt. Matth. 8. Discipuli suscitauerunt Christum, dicentes: salua nos perimus. quibus dictum est: quid timidi estis modicae fidei? Modica fides dicitur, quia crediderunt vigilantem potuisse saluare eos: maior autem esset fides si crederent, etiam dormientem, quod difficilior creditu erat. Praeterea Luc. 8. Serui Archisynagogi dixerunt: Noli vexare magistrum, mortua est puella, hi crediderunt Christum posse sanare infirmam, sed non suscitare mortuam, quod difficilior erat, quod etiam accidit Regulo Ioan. 4. Descende priusquam moriatur filius meus. Qui ergo faciliora credit minoris fidei; qui vero difficiliora, maioris est.

Tertio modo ex parte signorum, & argumentorum credendi, fides enim contrario se habet modo, ac scientia; haec enim quanto fortioribus, ac pluribus demonstrationibus nititur, maior ac perfectior est: at vero fides aliter se habet, quanto enim minus argumentis, ac signis nititur, minusque probationibus vitur, ac magis auctoritate dicentis fundatur, tanto maior est; sunt enim signa, argumenta, & probationes, velut pignus in mutuo, quanto enim qui mutuatur, plura pignora petit, tanto minorem fidem habet mutuatorio, exempla huius rei sunt Ioan. 4. Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis, arguebat enim Christum modicam fidem Iudaicam, quae postulabat signa, & prodigia, nec aliter illi credere volebant, & Ioan. 10. Si mihi non creditis, operibus credite, ac si diceret, si non adhibetis fidem dictis meis propter meam auctoritatem, quod magnae fidei est, adhibete propter opera, quod minoris est fidei.

Quarto, ex parte firmitatis, ac constantiae in credendo, qui enim tentatus persecutione, contradictione, aliisque modis, ut a credendo se auertat, ad huc in fide perseverat, magnae fidei dicitur, sic Matth. 15. dictum est: O mulier magna est fides tua, repulsam enim toties passa, vnde potuisset occasione accipere non credendi, constans in fide permansit; qui vero credit, & tentatione accedente recedit, modicam habuisse fidem conuincitur. tales erant illi, de quibus dicitur Luc. 8. ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt. Hos appellat Paulus Rom. 14. infirmos in fide.

Si igitur haec omnia Centurioni accommodamus, profecto fidem eius omnibus hisce modis magnam fuisse comperimus. In primis multa credidit, quae ex Iudaeis multi non crediderant; credidit namque Christum sanare potuisse puerum paralyticum, ani-

mam agentem, non ut ille Mar. 9. qui de filio à daemone vexato dubius dixit: Si quid potes, adiuua nos. Credidit rursus Christum verbo solo sanare posse, non ut ille Archisynagogus Matth. 9. qui dixit: Impone manum super illam. Credidit praeterea, absentem sanare posse, non ut ille Ioan. 4. qui rogauit Christum, ut descenderet, priusquam moreretur filius eius, & Ioan. 11. Domine, si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus. Postremo credidit Christum non solum hominem, sed Deum, sub cuius imperio, & potestate cuncta erant posita, qui vitae, & morti imperare posset; non ut illi, qui Ioan. 5. dixerunt Christo: Homo cum sis, facis te ipsum Deum. Constat igitur magnam fuisse Centurionis fidem, quia multa credidit de Christo. Notat autem Hieronymus lib. aduersus Luciferianos, Centurionem Trinitatis nondum tunc fidem habuisse, quod probabile est; diuinitatem tamen veram Christi credidisse, non dubium est, ut ex sacris doctoribus, & ex ipsius Euangelij verbis paulo ante ostendimus. Fuit etiam Centurionis fides magna ex parte credendorum difficultatis, quod ex ijs, quae iam dicta sunt, satis est manifestum, difficile enim creditu erat verbo sanare posse, & quidem absentem, at multo difficilius fuit illum, quem foris hominem similem ceteris agnouerat, in passibili, ac mortali carne existentem esse verum Deum, omnipotentem, ac omnium Dominum. Hoc certe credidisse non tantum magnum, sed maximum fuit. Fuit etiam eadem fides magna, quia minus signis, ac probationibus nitetur; nec enim lectioni Scripturarum, nec legis, ac Prophetarum studio, ut pote gentilis, & miles, incubuerat, nec Christum nisi ex fama nouerat, nec multa illius miracula audierat: Christus enim tunc temporis, ut notauit Chrysostomus in imperfecto hom. 22. nondum multa ediderat, & tamen admiranda de Christo credidit, ut re vera in hoc fides eius magna, & insignis sit censenda. Demum fides Centurionis magna fuit constantia, & firmitate, ut enim docte aduertit Origenes hom. 5. in diuersos locos, Christus tentauit Centurionis fidem: nam obtulit se venire in domum eius, ut sanaret puerum, quasi absentem sanare non posset. at Centurio firmus in fide permanens non dubitauit eum, & absentem sanare posse conferre, quod factum est, ut Centurionis fidem exerce- ret, & cum alijs in Iudaeorum opprobrium manifestaret. sic Abraham fidem tentauit Deus, cum ei filium, in quo promissa erat hereditas, occidere iussit, at ille in fide confortatus est, ut dicitur Rom. 4. Sic etiam Roma. 4. Matth. 16. tentauit Cananensem renuendo filiam eius sanare, sic Luc. 18. tentauit caecum differendo eum audire. Nouerat enim cordium scrutator, quorum fides tentatione exercenda, & promouenda erat, ac in aliorum exemplum manifestanda. Hinc est ut supra diximus, quod Regulo petenti, ut in domum eius veniret, negauit aduentum. non enim ille credebatur potuisse Christum absentem sanare, vnde fidem illius negato aduentu promouit. sic enim credidit aduentum non esse Christo necessarium, ad sanandos absentes. Ecce quibus modis Centurionis fides magna fuerit. Accesserunt autem fidei, deuotio, humilitas, charitas in seruum, prudentia, multaque aliae virtutes, quae fidem magnam ornauerunt, ac Deo gratissimam effecerunt, ut & Deo placeret, & à Christo sanitatem puero suo impetraret.

si enim hoc esset, profecto videretur Centurio Apostolis Discipulisque Domini in fide praefendus. In primis notandum est, quod Tertullianus lib. 4. contra Marcionem,

rum Israelita-
rum fidei pre-
lata sit.

Marcion. docte contra illum haereticum ponderauit, nempe non est dictum, tantam fidem non fuisse, sed se non inuenisse in Israel, quod verbum indicat ac probat fidem etiam Israel ad Christum pertinuisse, eumque & Euangelij, & legis auctorem extitisse, ideo enim non inuenisse dicitur, quasi eius esset inquirere, ac postulare fidem à Iudaeis, quasi à suis, ipse Deus erat, & ei prius legem, ac Prophetas dederat, eorum fidem postea adueniens requisiturus. Ex eodem verbo constat, quod Origenes hom. 5. in diuersos, & Hieronymus Matth. 8. adnotauerunt, nempe non conferri Centurionem Patriarchis illis, aduentum Christi praedicatoribus, addit Origenes, nec illis, qui ex Iudaeis postea erant credituri; sed ijs, quibus Christus adueniens praedicauit. hoc inquam, verbum illud (inueni) significat; Christus enim adueniens Iudaeos ad fidem sibi praestandam excitauit, ac exhortatus est, quasi quaerens eorum fidem. Idem etiam verbum ostendit de Israel praesente loqui, quae praedicatione, & miraculis ad fidem alliciebat; vnde in hac collatione sermo non est de Beata virgine, quae prius credidit, non tantum quando ille praedicauit, sed etiam antequam conceperit eum in ventre, licet postea in fide profecerit: nec etiam de Ioanne Baptista, qui fidem non ex Christi praedicatione habuit.

His suppositis difficultas est, qua ratione Centurionis fides praefatur ceteris fidelibus, qui verbo, aut miraculis Christi ad eius fidem peruenerat, in hac parte Doctores varia dicunt. Primo loco Hilarius in Matth. can. 7. & Hieronymus Matth. 8. comparationem figuralem interpretantur, nimirum ut in Centurione fides futura tunc Gentium significetur, quam constat multo maiorem esse, quam Iudaeorum, quorum maxima pars incredula perseverat. Haec tamen interpretatio non videtur satis accommodata: nam illam fidem dicit se non inuenisse in Israel, quam prius admiratus erat: constat autem Christum admiratum esse fidem Centurionis particularem, quo, inquit, audito, id est, auditis verbis Centurionis singularem fidem testantibus miratus est, & dixit: Non inueni tantam fidem in Israel. Praeterea, quia in Iudaeorum opprobrium, & confusionem, ut confusi resipiscerent, haec verba protulit Christus, quod fieri non poterat, nisi de praesenti fide Centurionis intelligeret, haec enim turbis, quibuscum loquebatur, erat manifesta.

Secundo igitur loco Origenes hom. 5. in diuersos, fidem Centurionis praeponi affirmat fidei Israel, illamque maiorem esse dicit, quia credidit Christum Dominum, & omnipotentem Deum, qualem, ac quantum Iudaeorum populus non est confessus: Verba Origenes sunt haec: Nec in Israel tantam fidem inueni, sicut in gentibus barbaris, atque alienigenis. Gentes filium Dei me inuocant omnipotentem, vni genitum confitentur, Dominum asserunt, diligunt, & sicut bene omnia dispensantem adorant, & Israel me non cognouit, & Populus hic me non intellexit, ideoque me Beelzebub, & Samaritanum appellat, & peccatorem existimant. Iairus in Israel Princeps pro filia sua me petens, non dicit, dic verbo, sed, Veni velociter antequam moriatur filia mea; Nicodemus Doctor in Israel de fidei Sacramento audiens, ait: quomodo potest hoc fieri? Maria, & Martha me nimium diligentes dicunt: Domine si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus, tamquam dubitantes, quod vbi que velox non posset esse mea potentia, propterea non inueni tantam fidem in Israel, sicut in isto alienigena. Haec Origenes.

Tertio loco Chrysostomus hom. 27. in Mat. hunc fidei excessum non ex parte eorum, quae creduntur, quasi melius, ac maius de Christo senserit Centurio, quam omnes ex Israel, sed proportionaliter, & respectu personae, interpretatur; nam leprosum censer ma-

ius de Christo sensisse, quam Centurionem, cum ille (si uis) hic (Dic verbo) pronuntiauerit, at maius fuit Gentili hoc credere, quam illud Iudaeis; possumus exemplo Scripturae hoc explicare, ac comprobare Mar. 12. vbi vidua illa duo minuta offerens dicta est plus omnibus obrulisse, quam ceteri maiorem obrulerint summam: quia, inquit, omnes miserunt in gazophylacium ex eo, quod abundabat illis, haec vero ex penuria sua omnia, quae habuit, misit: sic Centurionis fides praepo- nitur, non quod plura, ac maiora credidit de Christo, quam omnes de Israel, sed quod plus fuit illi Gentili, & in Scripturis sacris, & in vera religione non educto credere, quae credidit, quam Iudaeis omnibus, etiam si melius quidam de Christo senserint, ac crediderint.

Quarto loco Auctor imperfecti, in Matth. siue idem Chrysostomus, ut quidam existimant, hom. 22. recitatae praecedenti expositioni alteram adhibet, nempe maiorem fidem Centurionis fuisse, quam fuit tunc etiam Apostolorum, ac Discipulorum fides, non quod maiora, ac plura crediderit, sed quod minoribus argumentis, ac motiuis, quam illi, quod, ut diximus Annotatione praecedenti, causa una est inter alias, ut fides magna, vel maior dicatur. Verba eius sunt: Credidit Andreas, sed praesignante sibi Ioanne, ac dicente: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; credidit autem & Petrus, sed Euangelizante sibi de illo Andrea; Inuenimus Messiam; credidit & Philippus, sed legendo Scripturas, sicut ipse ad Nathanael dixit: quem scripsit Moyses in lege, & Prophetae, inuenimus. IESVM a Nazareth. Ipse quoque Nathanael, nisi audisset à Christo, cum esses sub arbore ficul, vidi te, namquam respondisset: Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel: prius signum diuinitatis accepit, & sic confessionem fidei obtulit: aut si non sumus ausi fideliores illi putare, quam Apostolos, ita testimonium Christi intelligendum est, quod vnumquodque bonum hominis secundum qualitatem personae illius laudatur: puta si rusticus aliquod verbum sapienter loquatur, Philosophus multo amplius sapienter, in modico sermone sapientiae rusticus plus laudatur, quam in magno Philosophus. Haec, & alia ille.

Quinto loco Augustinus ser. 74. de tempore ad humilitatem refert hanc comparationem, sic enim interpretatur: non inueni tantam fidem, id est, tantam cum fide humilitatem. Rursus non inueni, inquit, tantam, tantam quid est? tam magnam. Vnde magnam? de minimo, id est, de humilitate grandem. Haec ille: Hoc tamen non facile accommodatur; collatio enim non in humilitate, sed in fide facta est: quod etiam Augustinus in alijs locis docuit. Haec sunt, quae Doctores senserunt in explicanda praecedenti sententia.

Mihi autem dicendum videtur, Centurionem praepo- ni omnibus qui erant ex Israel, ad quos Christus est missus praedicare, eosque sua praedicatione, ac operibus ad fidem sui attrahere, etiam Apostolis, ac Discipulis. sicque generaliter interpretatur sententiam hanc Ambrosij, in praesenti, & Aug. serm. 6. de verbo Domini. non tamen eodem modo excessus hic accipiendus est. quosdam enim superauit Centurio ex parte eorum, quae credidit, maiora enim, ac excellentiora sensit de Christo, quam plurimi Iudaeorum, ut ex exemplis positis constat; quosdam vero ex parte argumentorum, & motiuorum ad credendum: etiam enim quidam eadem de Christo crediderant; tamen maioribus attrahendi probationibus. Demum etiam omnes eos excelluit proportione, quia cum Gentilis esset, tam mira credidit de Christo: non igitur mirum est, si Apostolis praelatus est, nam eo tempore non omnes forsitan diuinitatem Christi nouerant, sicut Centurio, quod si nouerunt, adhuc laudabilior est Centurionis fides in hoc, quod Gentilis erat, & minora argumenta habuerat credendi,

Sententia
Auctoris.

Qua ratione
fides Centu-
rionis caetero-

Secundo loco in eadem sententia occurrit aliud etiam explicandum, nempe quomodo verum sit, Christum non inuenisse tantam fidem in Israel;

A N N O T A T I O X X I I I .

Num Centurio fide superauerit leprosum de quo Cap. 5. adum est.

Tertio in eadem sententia vnum aliud inquirendū est, an maior fuerit fides Centurionis ex parte credendorum, quam leprosi illius, de quo supra diximus cap. 5. & habetur Matt. 8. dico ex parte credendorum: nam ex parte subiecti superatus est à Centurione, ille enim Iudæus erat, hic vero Gētilis, idcirco etiā si minus iste crederet, laudabilior esset illo. Hoc proponimus propter Chrysostr., qui ho. 27. in Matth. vt in Annotatione præcedenti meminimus, asserit leprosum maius quid de Christo sensisse, quam Centurionem; ille enim dixit: Si uis potes me mundare; hic vero, dic verbo; maioris est autem potentia sola voluntate sanare, quam etiam verbo adiuncto. At vero non videtur hoc probandum: nam Centurio non sic petiit Christum verbo sanare, quasi non posset etiam sola voluntate, vt supra notauimus, sed vt exprimeret imperium Christi super omnia, quibus quæcumque vellet imperare posset, & imperio cuncta efficere. Vnde sicut non dicimus Christum non ostendisse se Deum, quando verbo suscitauit Lazarium, ac filiam Archifsynagogi, aliaque miracula multa

Et reuersi, qui missi fuerant domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum.

C O M M E N T A R I A .

Fide Centurionis commendata puerum eius statim verbo, vt ille petierat, sanauit; Vade, inquit, & sicut credidisti, fiat tibi. quo significauit Centurionis fidem suo puero impetrasse à Christo sanitatem; vt enim docte notat Ambrosius, potest meritum domini etiam famulis suffragari, non solum fidei merito, sed etiam studio disciplinae.

A N N O T A T I O X X I I I I .

Matthæus nonnulla in hac Centurionis historia refert, quæ Lucas prætermisit.

Matthæus nonnulla narrat, quæ Lucas prætermisit, Dominus enim post commendationem illam (Nec in Israel tantam fidem inueni) adiecit prophetiam vocationis, & electionis gentium, ac populi Iudaici reprobationem: Multi, inquit, venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum; filij autem regni euicientur in tenebras exteriores. Post hæc dixit Centurioni. Vade, & sicut credidisti fiat tibi, quod verbum significare videtur, Centurionem etiam per se ad Christum venisse, vt supra ex quorundam sententia reculimus. At vero ex Luca discimus, verbum hoc non ipsimet Centurioni, sed per amicos dictum esse, nam per eosdem dictum legimus: Non sum dignus, vt intres sub testum meum, propter quod non sum me ipsum dignum arbitratus, vt venirem ad te, quæ verba videntur ab ipso Centurione per se dicta, & tamen per amicos pronunciata Lucas refert; est enim phrasis Hebræa, illa eadem verba referri à nun-

Et factum est deinceps, ibat IESVS in ciuitatem, quæ vocatur Naim.

C O M M E N T A R I A .

Post miraculum pueri Centurionis, in Capharnaum facti, proficiscitur Dominus in ciuitatem non longe distantem, quæ Naim appellabatur, non casu, sed consilio, vt ibi mortuum adolescentem suscitaret, sicque incredulorum ora obturet, qui negare possent Centurionis puerum animam agere, moriturumque esse, nisi à Christo sanaretur, vt cum mortuum ad vitam reuocatum viderent, facile crederent etiam puerum animam agentem sanari potuisse, quo facto credentium fides confirmabatur. Circuibat enim Dominus ciuitates, & loca, vt prædicaret, mentesque hominum sermone, & operibus miris ad sui fidem, in qua salus posita erat, attraheret, idcirco ab vno in alterum locum progrediebatur. Notat autem Euangelista ciuitatem, vt historiae fidem faciat,

A N N O T A T I O X X V I .

Miraculum hoc factum esse post sanitatem collatam puero Centurionis, indicat aduerbium illud

ta fecit, quia verbo non utebatur, quasi necessario instrumento, sed ad exprimentam virtutem, & potestatem suam: ita nec debemus existimare Centurionem minus de Christo sensisse, quia petiit, vt verbo sanaret seruum. Adde leprosum non sic petiisse voluntate Christi sanari, quasi ea sola sanitatem sibi conferri voluisset, sed hoc tantum confessus est, in voluntate Christi positum id esse, siue verbo, siue tactu, siue quouis modo sanaret; vnde quando verbo illo (mundare) sanatus est, non ideo minus de Christo credit, quia Christus verbo vsus est; ita nunc de Centurione dicimus, quod facile indicant verba confessionis eius admiranda, quibus confessus est Christum sub nullius potestate esse, omniumque Dominum, ac dispensare posse omnia pro arbitrio; non ergo minus de Christo sensit Centurio, quam leprosus; immo in hoc superior, ac laudabilior, vt idem Chrysostr. asserit, quod gentilis erat, & in religione, ac fide Dei non educatus, & tamen de Christo non minus, quam ille confessus est.

ciis, quæ pronunciantur ab eo, qui misit, sic etiam nunc dictum est: Vade, & sicut credidisti fiat tibi; hæc enim Christus dixit per eosdem amicos, qui missi erant, quasi dictum esset, referte Centurioni, medicare illi, vade, & sicut credidisti fiat tibi. Obiicit quispiam, cur dicit (vade) quo enim iturus erat Centurio? Respondeo illum à domo egressum fuisse, vt amicos conuocaret, & ad Christum mitteret, quos destinato quodam loco expectasse existimandum est, idcirco Christus dicit, vade, id est, reuertere in domum, & sanum inuenies puerum, sicut credidisti. Nec Christus distulit sanitatem, nam hoc prolato sanum effectum fuisse puerum Matthæus ostendit; cum enim retulisset verba Christi, sicut credidisti fiat tibi, adiunxit, & sanatus est puer ex illa hora. reuersi igitur Centurio à via, & amici ab ipso Christo, & domum peruenientes inuenerunt puerum iam sanum, atque hæc est connexio historiae huius Lucæ cum Matthæo.

(deinceps) & in quibusdam Græcis exemplaribus legitur ἐν τῇ ἐξῆς, id est, in sequenti sub intelligitur ἡμερῶν

ἡμέρα, hoc est die. At vulgatus legit ἐν τῷ καιρῷ, id est, sequenti tempore, vel postea, vel deinceps. Solus Lucas miraculi huius meminit. Est autem Naim ciuitas Galilææ non longe à Capharnaum, refertque Hieronymus lib. de locis Hebraicis in Epitaphio Paulæ ad Eustochiū, duobus milliariibus à monte Thabor distasse contra Meridiem, ad radicem montis Hermon, suoque sæculo adhuc persistisse. Quæ autem in commentario diximus, sumpta partim sunt ex Tico Bostreno, qui verba proposita interpretans sic ait;

Factum est hoc non casu, sed summo iudicio, suamque sapientia, ne videlicet nonnulli quandoquæ in medium prodirent, qui dicerent Centurionis seruum omnino moriturum non fuisse, & quauis Euangelista oppositum scribat, dicere tamen poterant, magis illum spectasse ad gratiam, quam ad veri narrationem, Christus itaque infrenem, petulantem que illorum linguam compescere instituens, desun eto, qui iam efferebatur, obuiam prodiit, adolescente magis excitauit. Hæc ille.

Et ibant cum eo Discipuli eius, & turba copiosa,

C O M M E N T A R I A .

Comitabantur Discipuli, qui illi continuo adhærebant; multa etiam sequebatur turba, quæ partim, vt doctrinam eius audiret, partim, vt mira opera, quæ per eum frequentissime efficiebantur, videret, post eum ibat. Luc. 18. Cum audiret turbam prætereuntem. Luc. 19. Non poterat præ turba, quia statuta pusillus erat.

A N N O T A T I O X X V I .

Græce discipuli multi ἰκανοί, id est, sufficientes, seu multi, quo significat Euangelista non solos Apostolos, sed etiam ex discipulis cæteris multos

tunc adfuisse; tanti enim miraculi multos oportebat testes esse. eaque de causa id etiam Euangelista notauit.

Cum autem appropinquaret porta ciuitatis.

C O M M E N T A R I A .

Christus eorum, quæ facturus erat, quæque futura erant, præsciens, opportunè accessit loco, in quo miraculum operari decreuerat; erat enim prope Ciuitatis portam; nondum tamen ingressus erat, quando mortuus factus est ei obuius; apud Iudæos enim mortui non in ciuitatibus, sed in agris, aut montibus sepeliebantur, vt ex multis Scripturæ testimoniis constat.

Ecce defunctus efferebatur.

C O M M E N T A R I A .

Indicium manifestum mortis erat, quod ad sepeliendum efferebatur, hoc enim expectauit Christus, vt cum viuus appareret, miraculi veritatem, ac magnitudinem nemo negare posset. particula (Ecce) temporis vnitatem, ac loci propinquitatem signat, quasi dictum esset, Christo ad portam appropinquante, vt ingrederetur, tunc tunc defunctus prope eandem portam aderat, vt è ciuitate exportaretur.

A N N O T A T I O X X V I I .

Quid tres mortui à Christo suscitati mystice significant.

Augustinus serm. 44. de verb. Domini notat, quamuis Christus multos suscitauerit mortuos, trium tamen in Euangelio mentionem esse factam, nempe filia Archifsynagogi, Matth. 8. adolescentis cuius nunc historia narratur, & Lazari Ioan. 11. Primus domi, secundus extra domum, tertius in sepulchro, ad vitam reuocantur, quod quidem significat tria mortuorum spiritualiter genera, qui suscitantur à Christo; quidam enim solo consensu cordis peccant & spiritualiter moriuntur; quidam etiam opere; quidam demum mali operis repetiti consuetudine; quorum nemini salutis aditus negatur, sed per penitentiam Christi virtute, & gratia resurgunt. Hoc

idem lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 23. confirmat, vbi sic scribit; Sicut tribus gradibus ad peccatum peruenitur, Suggestione, delectatione, consensione; ita ipsius peccati tres sunt differentia, in corde, in facto, & consuetudine, tamquam tres mortes, vna quasi in domo, id est, cum in corde consentitur libidini; altera iam prolata, quasi extra portam, cum in factum procedit assensus; tertia cum vi consuetudinis malæ, tamquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulchro iam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Euangelium legit, agnoscat. Hæc ille.

Filius vnicus matris suæ.

C O M M E N T A R I A .

Circumstantias defuncti Euangelista describit, vt causas ob quas Dominus misericordia commotus dicatur, explicet: filius erat vnicus matris suæ. tria hic notantur, primo, quod filius erat, non filia; solent enim filij chariores esse, quam feminae, vnde eorum mors parentibus est acerbior. secundo, quod vnicus erat, non solum, quia alios non habebat mater, sed etiam quod alium neminem

pepererat; unde vnicus, id est, vnigenitus dicitur, vt Græcum significat vocabulum, quod sicut dilectionem auget, ita amissionem efficit miserabilem. Tertio, quod mater erat, quæ eum amiserat; maiori enim, ac vehementiori dolore afficiuntur matres, quam patres, filiorum amissione. Huic etiam addendum est, quod paulo inferius dicitur, nempe adolescentem fuisse, non qui computaretur in paruulis; sed qui ex pueritia in iuuentutem profecerat, florentique ætate à vita abscissus est, quando nuptiarum tempus appropinquabat, stirpsque generis videbatur; quod matrem facit omni commiseratione dignam.

ANNOTATIO XXVIII.

Quo differant vnicus & vnigenitus.

Vnicus Græce *μονογενής*, quod idem significat, ac vnigenitus: non autem idem esse vnicum, & vnigenitum, nemo ignorat, potest enim esse vnicus filius, qui plures habuit fratres, quorum ipse solus sit superstes; at vnigenitus, non solum vnicum significat, sed etiam quod nullos habuit fratres, aut alios, qui de eodem sint progeniti ventre: omnis quidem vnigenitus vnicus est, non tamen contra, omnis vnicus, est vnigenitus, & hanc significatione secuti sunt

Athanasius lib. de Synodis Arimini celebratis, & Gregorius Nyssenus lib. de creatione cap. 26. vbi hunc locum interpretans: Partus, inquit extiterat viduæ singularis, solum hunc in doloribus nouerat, solum suis lactauerat vberibus. Hæc ille. Vbi etiam ponderat, quod non paruulus erat, sed iuuenis, vt in commentario notauimus, horum enim mors parentibus est acerbissima.

Et hæc vidua erat.

COMMENTARIA.

Avgentur causæ commiserationis: Vidua, inquit, erat, quod multa comprehendit. Primo, quia non erat ei spes filios recreandi, tantæque leuamæ orbitatis assumendi, vt Gregorius Nyssenus loco citato notat: secundo, vnigenito mortuo nomen viro non supererat super terram: tertio, hæreditas ab eius stirpe transibat; quarto, reliquiæ carnis eius peribant. Quæ tria vidua illa exposuit Davidi, vt eum ad commiserandum excitaret 2. reg. 14. Deleamus, inquit, hæredem, & quærunt scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen, & reliquiæ super terram.

Et turba Ciuitatis multa cum illa.

COMMENTARIA.

Hoc etiam commiserationis præbet argumentum, indicat enim nobilem, ac diuitem fuisse, quam copiosa ciuitatis turba comitabatur; unde hæreditas pinguis ad alienos deuoluebatur vnico hærede defuncto. His miraculum comprobatur, & clarescit, dum in persona celebri sit, Discipulis omnibus præsentibus, ac concurrente turba, quæ venerat cum Christo; & ea etiam, quæ viduam comitabatur.

ANNOTATIO XXIX.

Plura reperiebantur in hac vidua, & eius filio, quæ Christum ad miserandum inuocarunt.

Gregorius Nyssenus lib. de creatione cap. 26. has commiserationis causas eleganter explicat scribens: Ciuitatem Naim nomine in Iudæa esse Sacra Scriptura commemorat: in hac fuit viduæ cuiusdam vnicus filius puer, non puer talis, qui computaretur in paruulis, sed ex pueritia in iuuentutem iamque profecerat, unde & iuuenem illum sermo caelestis appellat, plura paucis insinuans, lamentatio magna est ipsa relatio; Erat, inquit, mater defuncti. perspicis pondus calamitatis, quomodo passionem breuiter extulit? Quid enim est, quod dicitur? Quia non erat etiam spes vlla, qua posset filios recreare, tantæque leuamæ orbitatis assumere. Vidua quippe erat, nec habebat alterum, quem pro defuncto conspiceret: nam partus ei extiterat singularis. Quantum vero hoc malum sit, facile omnes intelligunt, qui naturæ iura cognoscunt. Solum hunc in doloribus nouerat, solum suis lactauerat vberibus, solum illustrabat eius conuiuium, totiusque do-

loris solus erat causa lætitiæ, cum luderet, aut aliquid ageret, cum institueretur, aut ornaretur cum cœuis in processionibus, in palæstris, in conuentibus iungeretur; omne quidquid matris oculis dulce, pretiosumque suberat, solus vnicus efferebat, iamque nuptiale tēpus aduenerat, stirps videbatur generis, ramusculus successionis, baculus senectutis, & ætatis incrementum. Erat & altera lamentationis occasio; qui enim iuuenem retulit, florem simul, qui marcuerat, indicauit, cuius adhuc vultus lanugine vestiretur, & genarum decor grato fulgore mitesceret. Quid igitur super eius obitu mater per tulit? quanto viscera eius igne peruista sunt? quam copiosissimas, & amarissimas super eum lacrymas fudit? Tabescens quodammodo, & cadauer eius amplectens, ne properetur sepultura eius, tantoque casu satiari desiderās, diu longas in fletu voces emitte cupiebat, ita vt omnes audientes moueret ad luctum. Hæc ille.

Quam cum uidiſſet Dominus, misericordia motus super eam.

COMMENTARIA.

Compassus est Christus ratione humanæ naturæ, viduæ lacrymis, ac calamitatis, non filij, qui ab huius sæculi calamitatibus ereptus erat, sed ipsius matris,

tris, quæ eis premebatur, Christus miserrus est. Illud (Quam) non solum refert personam, sed etiam personæ qualitatem, scilicet viduam lacrymantem, cæterisque miseris afflictam. Hæc enim ad compatiendum mouerunt Christum. Dicitur autem motus misericordia, quia in misericordia duo sunt, nempe & voluntas subueniendi calamitati alterius, quæ ad partem animæ superiorem spectat; & dolor, quo de ea afficimur, qui residet in parte sensitua, quique nos inducit, & impellit vt subuenire velimus. Hunc Christus sicut & reliquos affectus pro sua voluntate assumebat, quod nobis commune non est, quibus affectus frequenter in nostra potestate aut voluntate non sunt. Dicitur igitur misericordia commotus, quia non solum voluit subuenire, sed etiam dolorem, ac compassionem in se excitauit de viduæ passione, ac miseria. lacrymæ ergo matris filio impetrarunt vitam, vt inquit Ambrosius.

Dixit illi: Noli flere.

COMMENTARIA.

NON solum interioris animi compassionem affectus est Christus, sed etiam verbis est consolatoris vsus, quod ad misericordiam etiam spectat. Qui autem fletum prohibebat, causam lætitiæ adesse significabat. Non enim vetuit lacrymas viduæ, quasi malum esset filij sui mortem deslere. Hoc namque non sic est: nam licet contristari, & lacrymas in morte filiorum, ac eorum, qui nobis chari sunt, moderate tamen effundere. Eccl. 2.2. Super mortuum plora; defecit enim lux eius, & 38. In mortuum produca lacrymas, sed quod causa fletu iam cessaret; suscitandus enim illico erat à Christo; Flere, inquit, Ambrosius, prohibetur eum, cui resurrectio debebatur: non ergo sic Christus dixit, Noli flere, sicut nos dicere solemus, quibusdam rationibus consolatoris vtentes, quæ causam doloris non auferunt; Christus vero omnino ipsam causam abstulit, filium restituendo viuum.

Et accessit, & tetigit loculum.

COMMENTARIA.

NON solo verbo, sed factò etiam, ac opere viduam consolatur; hæc enim est misericordia perfecta, quæ non tantum cordis compassionem, nec solis verbis continetur, sed effectu simul, ac opere auxiliatur. Christus autem hæc tria voluit exhibere, vt nemo imitatione careret; qui enim nec verbo, nec opere misereri potest, habet, quod imitetur in Christo, vt solo corde compatiatur; & qui potest etiam verbo, id si faciat, Christo similior erit; simillimus tamen si etiam effectu. accessit ergo defuncto, & feretrum, in quo portabatur, tetigit, tactu ipso portitoribus vt sisterent, significans. Magna profecto clementia hæc est, quæ afflictis, & oppressis non expectatis eorum precibus auxilium confert.

ANNOTATIO XXX.

Tribus de causis Dominus tetigit loculum.

Tres adducuntur causæ, ob quas Dominus feretrum tetigit. vna est, quam tradit sanctus Bonauentura, nempe, vt significaret se velle illud tenere, ne portitores procederent vltra, defunctum in sepulturæ locum portantes; quam causam in commentario exposuimus. Nec tactus huiusmodi erat ex iis, qui tangentem reddebant immundum; hic enim erat, quando mortuus ipse tangebatur. Non autem, qui loculum tangit, defunctum, seu mortuum dicitur tangere; quamuis si Christus tetigisset, non tamen propterea legis immunditiam contraxisset, vt supra diximus. Altera causa, cur loculum tetigit, est aliorum, nempe, vt ostenderet Christum carnem suam esse viuificam; vnita enim verbo virtutem habebat viuificandi mortuos. hæc causa est Titi Boitreni, & Euthymij, verba illius sunt hæc: Ob id locu-

lum tetigit, quia voluit vt hinc disceremus corpus Christi Dei nostri corpus esse vitæ, eiusdemque carnem esse voigeniti filij Dei Verbi cunctipotentis carnem; nam cum caro eius illi effecta sit propria, qui viuificat omnia, fit vt ipsa quoque sit viuifica, mortemque, & corruptionem interimere idonea. Hæc ille. Huiusmodi autem causa non videtur accommodata: nam Christus verbo, non autem tactu hunc mortuum suscitauit. Tertia causa est, quam Ambrosius in præsentibus adducit, nempe vt significaretur lignum, quod prius erat ad mortem, per Christum futurum ad vitam, vtque vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret. verba Ambrosij sunt: Mortuus, inquit, in loculo materialibus quatuor ad sepulchrum ferebatur elementis, sed spem resurrectionis habebat, quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis ante non prode-

rat, tamen postquam Iesus tetigit, proficere cepit ad vitam, ut esset iudicio, salutem populo per cru-

cis patibulum refundendam: Hæc ille. Hæc autem causa potius est spiritualis, quam literalis.

Hi autem, qui portabant steterunt.

COMMENTARIA,

Avdito verbo Christi, quo viduam consolatus est, Noli flere, & viso tactus signo, portitores steterunt; iam enim Christus multa ediderat miracula, eiusque fama per Galilæam percubuerat, quapropter miraculum aliquod sperantes ij, qui portabant, gressum suum continuerunt.

Et ait, Adolescens, tibi dico, surge.

COMMENTARIA.

Diuinam potestatem, qua mortuum suscitabat, verbi, ac vocis imperio explicuit; mortuis enim imperare, ac vocis imperio ad vitam reuocare, solius est Dei. Ioan. 5. Veniet hora, in qua mortui audient vocem filij, & qui audierint uiuent: ut igitur tactu virtutem carnis suæ, ita imperio diuinitatem, cui caro illa unita erat, Christus significauit; vox autem diuinitatis latentis, & per illam operantis iudicium erat. Idcirco autem non tantum (surge) sed etiam (tibi dico, id est, præcipio) pronunciauit, ut imperium eius in mortuos manifestius ostenderet.

Et resedit, qui erat mortuus, & cepit loqui.

COMMENTARIA.

Illico ad Christi imperium mortuus in vitam reuocatus est: resedit autem, & cepit loqui, ne cui secundum externam tantum faciem, & non vere resuscitatus videretur. Siquidem sedere, & loqui exsuscitationis argumenta sunt. Corpus enim examine neque sedere, neque loqui potest.

Et dedit illum matri suæ.

COMMENTARIA.

HOC etiam veræ exsuscitationis argumentum est; tradidit enim matri suæ, tamquam vere viuum, vereque exsuscitatum, viuebat enim sicut priusquam mortuus esset, quo quidem facto mater perfectam consolationem est consecuta, & quod filius eius viueret, & quod ei sit restitutus, ut ante; eius enim intuitu illum ad vitam reuocauerat. Multa ad allegoriam pertinentia de huius miraculi historia, Ambrosius in præsentibus, & Augustinus serm. 44. de verb. Domini, & Theophilus Alexandrinus lib. 3. de allegoriis dicunt.

Acceptit autem omnes timor.

COMMENTARIA.

TAM insigne, & inexpectatum miraculum tria effecit. primo quidem hominum adstantium corda ad reuerentiam quandam erga Deum, à quo illud proficisceretur, impulit, quæ reuerentia timor sæpe dici in Scriptura solet. Isa. 59. Timebunt, qui ab Occidente, nomen Domini, & qui ab ortu Solis, gloriam eius. Ecclesiast. 6. Deum time, & mandata eius custodi. Solent enim homines, quando euenit insolitum, quod ad solam Dei potentiam referri potest, excitari ad quandam reuerentiam erga Deum ipsum, qua eius maiestatem supra se ipsos recognoscentes, ei se subdunt, ac submitunt. Et attende illud (omnes) nemo enim ex tanta multitudine circumstante ausus est vel corde ipso contradicere, aut negare opus illud esse diuinum.

Et magnificabant Deum, dicentes.

COMMENTARIA.

HOC est, quod secundo consecutum est ex miraculo, quod quidem ex primo emanauit: nam ex reuerentia cordis prouenit laus oris, & quidem non qualicumque sed præclara. Deum enim magnificabant, Græce glorificabant, id est, opera Dei magna, & præclara prædicabant; glorificabant enim est de magnis, ac præcla-

præclaris virtutibus, ac gestis, aliquem laudare; quibus autem verbis magnificabant, sequentibus sententijs explicat Euangelista.

Quia Propheta magnus surrexit in nobis.

COMMENTARIA.

HOC est vnum quo Deum magnificabant, scilicet confitentes Deum ad eos misisse magnum Prophetam. Hoc enim illi omnes tamquam præclare Dei opus pronuntiabant, sicut re vera erat, idcirco id confitentes dicuntur Deum glorificasse, seu magnificasse. Particula (quia) declaratiua est non causalis, declarat enim Euangelista, quibus verbis illi Deum magnificabant. Quis autem sit hic magnus Propheta, in annotatione require.

ANNOTATIO XXXI.

Hunc locum ea, quæ in Commentarijs in Ioan. cap. 1. annor. 60. diximus, illustrant. decepti enim erant Iudæi, existimantes per illa verba Deuteronomij 18. (Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester) venturum quendam insignem Prophetam ante Christum ipsum, non intelligentes hunc promissum Prophetam esse eundem Christum. hac de causa Ioann. 1. cum Ioannes interrogatus negasset, se esse Messiam, dixerunt, Propheta es tu? nempe ille, quem promissum Christo adueniente expectamus? & Ioann. 6. clamauerunt turbæ: Hic est Propheta, qui venturus est in mundum. & Ioan. 7. Hic est vere Propheta. ubi articulus emphaticus positus est: Hic est vere ille Propheta. Iuxta hunc sensum nunc etiam, viso tanto miraculo, confessi sunt Christum esse magnum Prophetam, nempe illum, qui in aduentu Christi suscitandus erat, nec obstat non haberi articulum Græce, nempe hic est ille Propheta magnus: nam illo epitheto (magnum) significatum est idem, quod per articulum emphaticum. Hesychius homil. 1. de laudi-

bus Beatæ Virginis, sentire videtur hisce verbis significatum esse, quasi illi confiterentur Christum Messiam esse. hoc tamen non videtur satis accommodare dici posse, tum propter ea, quæ dicta sunt; distinguebant enim Iudæi errantes Prophetam illum à Messia: tum etiam, quia si id sensissent, dixissent utique, Messiam aduenisse; hoc enim nomine eum significare erant soliti. Quidam recentiores simpliciter de quouis Propheta magno interpretantur, quasi confiterentur Christum esse aliquem virum, sicut fuit Isaias, aut Ieremias, aut alius similis. Nec hoc etiam videtur accommodare dictum, propter allegata loca, ideo mihi visa est probabilior sententia prima per quam soluitur vnum, quod obijcere quispiam posset, nempe cum propheta sit, qui futura prædicit, aut occulta nouit, cur propheta nunc dicitur, quia mortuum suscitauit; hoc enim non est Propheta. Respondeo ex hoc opere insigni collegisse Christum eum esse, quem Moyses Prophetam venturum promissit, eo maxime, quia iam tempus Christi aduentus imminere non dubitabant.

Et quia Deus visitauit plebem suam.

COMMENTARIA.

HOC est alterum, quo Deum magnificabant, & laudibus efferebant, nempe Deum visitasse plebem suam: illa enim particula (quia) declaratiua etiam est. Dicitur autem Deus visitasse in bonam partem, nempe populum beneficio affecisse, tanto Propheta misso: ex miraculi enim qualitate nouerunt Prophetam hunc magnum in salutem populi à Deo excitatum esse.

ANNOTATIO XXXII.

Beda hanc visitationem interpretatur, verbi incarnationem in salutem hominum factam: de qua visitatione dixit Zacharias: Visitauit nos oriens ex alto: sed non videtur probabile plebem tunc diuinitatem Christi agnouisse: nam etiam si credidissent esse Messiam, non propterea consequeretur eos nouisse illum esse Deum. Quidam visitationem hanc intelligunt aduentum Christi, quem Messiam confi-

tebantur, de qua visitatione etiam supradictum est, visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ: sed nec visitationem, ut diximus, illi tunc nouerant. Idcirco probabilius est visitationem hanc illos intellexisse insigne Dei beneficium, Propheta illo magno, quem Christo adueniente venturum credebant, & expectabant, cuius aduentum populo salutiferum esse experiebantur mortuo suscitato.

Et exijt hic sermo in uniuersam Iudaam de eo, & in omnem circa regionem.

COMMENTARIA.

HOC est tertium, quod ex miraculo consecutum fuit, nimirum rumor, seu fama tanti miraculi, & quod Propheta magnus surrexisset, quæ fama peruagata est non solam Galilæam, in qua gestum fuit miraculum, sed etiam totam Iudæam, immo & regiones, quæ circumcirca sitæ erant, quasque habitabant populæ gentium scilicet, Sidoniorum, aliarumque proximarum nationum, ad quas etiam fama hæc peruolauit. His omnibus veritatem miraculi Euangelista confirmat, ut negari nequeat, quod testimonijs confirmatur.

ANNOTATIO XXXIII.

Iudæa genera-
tim ne an spe-
cium hoc lo-
co capiatur.

Q Vidam hoc in loco Iudæam generaliter inter-
pretantur, nempe totam terram promissionis,
quæ etiam complectitur Galilæam, & Iudæam pro-
prie dictam, idque probabiliter dicitur. Mihi tamen
id probabilius videtur, si dicamus Iudæam hic acci-
pi particulariter pro parte illa, quæ à Galilæa distin-
guitur, duarumque Tribuum Iuda, & Benjamin.

habitaculum erat: cum enim iam dictum sit in Ga-
lilæa gestum fuisse miraculum, addidit Euangelista
non in ea regione sola, ubi hoc euenit, sed etiam
vsque ad Iudæam vniuersam famam fuisse dilata-
tam, & in regiones etiam gentium proximas Iudææ,
& Galilææ.

Et nunciarunt Ioanni discipuli eius de omnibus his.

COMMENTARIA.

E Rat tunc Ioannes in carcere, quando hæc gesta sunt, vnde Discipuli eius au-
dientes sermonem, & famam, quæ cicumferebatur vndiquaque Magistro nun-
tiarunt omnia, nempe & miraculum, & vulgi opinionem, ac vocem aduentus
magni Prophetæ. Narrat hoc de Ioanne Matthæus cap. 11. sed non seruato ordine,
multa enim narrauit prius, quæ postea gesta sunt; Lucas vero ordinem historiæ
secutus est.

Et conuocauit duos de discipulis suis, & misit ad Iesum dicens.

COMMENTARIA.

C VM ea omnia audisset Ioannes ex multis suis discipulis duos conuocauit, eos-
que ad Christum misit; qui eius nomine nuncium deferrent; non quidem
ille venit, quia carcere detinebatur, erat enim in castello dicto Machærus de ditione
Herodis, vt refert Iosephus lib. 18. Antiquitat. cap. 10. Quale autem nuncium
fuerit, sequentia verba indicant.

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

COMMENTARIA.

H OC est, quod Ioannes mittit nuntium; interrogare nempe Christum, an
ipse sit Messias, qui venturus est, an non, sed alius expectetur adhuc, qui sit
Messias, non autem dicit, Tu es, an non, sed tu es, nempe Christus, & Messias,
an alium à te expectamus? quasi diceret, adest iam temous Messia, idque populi
omnes clamant, & iam iam expectant, es ne ergo tu an alius à te expectandus est?
Hoc non interrogat Ioannes pro se, qui nouerat illum esse Messiam, sed pro populo,
& pro suis etiam Discipulis, vt ea occasione Christus ipse magis omnibus innotescat.
Est autem articulus Græce: Es tu venturus ille, per emphasim aduentus Messia si-
gnificatur. Huius explicationem perfectiorem in Annotatione require.

ANNOTATIO XXXIIII.

Quosum Ba-
pista quasi
dubius quærat
quod nouerat
de Christo.

N ON parum difficultatis est in sententia hæc
explicanda, cum enim Ioannes iam nouerat
Christum esse Messiam venturum, quid est quod in-
terrogat per discipulos, an ipse sit, qui venturus erat;
quasi dubitaret, an ille esset. Ioannem autem tunc
temporis nouisse Christum absque controuersia est,
iam enim reddiderat testimonium de eo, iam viden-
tat signum datum sibi à Deo agnoscendi Christum,
Ioannis 1. Super quem videris Spiritum descen-
dentem, & manentem, hic est, qui baptizat in
Spiritu sancto; iam audierat patris testimonium in
Iordane; cum igitur hæc ita sint, quare nunc mit-
tit Discipulos dicentes: Es tu qui venturus es? Op-
ponebant hoc Christianis Gentiles in Ecclesiæ exor-
dio, vt refert Iustinus Martyr. in quæstionib. Gen-
tium. resp. 38. ad quam difficultatem varia respon-
dent sacri Doctores.

Primo ipse Iustinus loco citato, vbi dicit Ioan-
nem nouisse quidem Christum esse Messiam, ignoras-
se tamen, an ille, qui referebatur miracula fecisse,
esset ille idem, quem ipse signauerat, & de quo te-
stimonium perhibuerat: cum enim in carcere esset,
id assequi non poterat, ideo misit Discipulos. Hæc
responsio non videtur accommodata, nam ex Disci-

pulorum relatione nouerat illum eundem miracula
facere, mortuumque suscitasse, quem ipse baptizau-
erat, & de quo ipse testimonium perhibuerat. Præ-
terea, quia non erat dicendum, an alium expecta-
mus, non enim expectabat, quem venisse nouerat,
sed potius dicendum erat, Es tu Christus, de quo
ego testimonium perhibui? præterea, quia non vi-
detur digna Ioanne, posset enim id à discipulis in-
telligere. Demum quia nec id Ioannes ignorabat,
cui notum erat neminem alium adesse tunc, qui talia
faceret, nisi Christum, cuius ipse præcursor erat.

Secundo loco Tertullianus lib. 4. contra Marcionem
& lib. de Baptismo aliter respondet, nempe Ioan-
nem, quamdiu officium exercuit, habuisse lumen
prophetiæ, quo agnouit Christum, & indicauit, ces-
sante vero officio lumen illud extinctum fuisse, & du-
bitasse, sicut cæteros Iudæos. Hæc responsio non
est digna homine docto, nec verbis Euangelij apta-
tur, immo contradicit, nam recedentibus Discipu-
lis Ioannis, Christus ipsum Ioannem appellauit Pro-
phetam, & plusquam Prophetam, negauitque esse
arundinem vento agitatam, significans constantem
esse in suo testimonio, quod profecto non esset,
si quod prius affirmauerat assuerant, postea
in du-

in dubium reuocasset. Sunt multa contra hanc senten-
tiam, quæ facile vnusquisque videre potest.

Tertio loco Hieronymus in Epist. ad Algasiam q. 1.
& Gregorius hom. 1. in Ezechielem, asserunt Ioan-
nem nouisse Christum esse Messiam in lege promissum
qui in humani generis redemptionem venturus erat,
ignorasse tamen, an ipse per se ipsum venturus esset,
post mortem in limbum liberare patres, ac iustos ibi
detentos, an alius venturus esset ad hoc exhibendum,
hocque esse, quod interrogat: Es tu, qui venturus es
nempe in limbum, dicunt autem causam inter-
rogationis eam fuisse, quia scire volebat, an ipse,
qui morti proximus erat, esset prænunciaturus illum
in limbo, sicut prænunciauerat in hoc sæculo. Sic
etiam interpretatus est Cyprianus in expositione sym-
boli in articulo (Descendit ad inferos.) Huic expo-
sitioni aduersantur duo. Vnum est ipsa responsio Chri-
sti, per quam, vt statim declarabitur, ostendit se esse
verum Messiam, nec ad sensum illum facit, quid-
quid Christus respondet. Alterum est, quia testimo-
nio Scripturæ iam id prædictum fuerat. Ose. 13. Tu
quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinculos
tuos de lacu. & Psal. 15. Non derelinques animam
meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre
corruptionem, nec est credibile id nõ esse reuelatum
plusquam Prophetæ, quod Prophetis manifestum est.

Ose. 13.

Psal. 15.

Quomodo in-
telligendi sint
Patres qui af-
firmant Ioan-
nem etiam in
limbo sanctum
munere Præ-
cursoris.

Est autem hoc loco aduertendum, multos Patres
sensisse Ioannem præcurrisse Christum in limbo, vbi
prænunciauit eum cito venturum, & liberaturum
omnes, qui ibi expectabant, & præter allegatos Hie-
ronymum, & Gregorium, id etiam senserunt Ori-
genes tom. 5. in Ioannis Evangelium, & Gregorius
Nazianz. orat. ad sancta lumina, & orat. in laudem
Basiliij, vbi tradit reuelatum fuisse Ioanni se per He-
rodem occidendum esse, Christum postea per Pila-
tum, seque iturum ad limbum Patrum, ibique præ-
nunciaturum Christi aduentum imminetent. Quæ
doctrina sic est intelligenda, non quod Ioannes præ-
iret, vt diserneret animas iustorum ad credendum
Christo venienti, sicut fecerat in hoc mundo cum
Iudæis: nam qui ibi erant, viderunt distincte Chri-
stum, quando venit illuc, & diuinitatem eius, nec
opus fuit illis tunc fide, sed id prænunciauit in gau-
dium, & exultationem illorum iustorum, & in fidei
ac spei illorum contractionem, vt nempe crederent,
& sperarent citissime venturum liberatorem Chri-
stum. Quamuis autem hoc ita sit, non tamen pro-
pterea consequitur, nunc Ioannem huiusmodi inter-
rogatione id voluisse intelligere à Christo, cum iam
ei reuelatum esset, vti diximus.

Quarto loco Chrysostomus hom. 37. in Matth.
refert quorundam sententiam, dicentium Ioannem
nouisse Christum esse Messiam, ignorasse tamen, an
per mortem suam liberaturus esset genus humanum,
idcirco id nunc interrogauit, in qua sententia viden-
tur fuisse Hieronymus Matth. 11. & Gregorius hom.
6. in Euangelia, vbi asserunt Ioannem interrogas-
se duo, nimirum an Christus mortem subditurus esset,
& an descensus in limbum. Hæc tamen responsio
non videtur accommodata: nam vt recte Chrysosto-
mus dicit, prius id nouerat Ioannes; ea enim de
causa agnum appellauit tollentem peccatum mundi,

quia futurus erat sacrificium, & holocaustum pro
mundi redemptione, & salute; quod quidem Ioan-
ni manifestum fuisse asseruit etiam Gregorius Nazia.
proxime citatus, nec etiam is sensus verbis conuenit.
Es tu qui venturus es, an alium expectamus? Nihil
enim de morte hic dicitur.

Quinto loco Ambrosius in præfati, aduertit, sim-
plicem verborum intellectum indicare, Ioannem du-
bitasse an esset Christus, idque pugnare cum veritate
præcedentium, nempe Ioannem testimonium sæpe
perhibuisse de Christo. Ideo censet relinquendum
hunc sensum verborum, & recurrendum ad spiritua-
lem, in quo interrogationem hanc interpretandam
affirmat, is autem sensus est, vt per Ioannem legem
ipfam intelligamus, quæ in cordibus perfidorum vel-
ut in carcere detinebatur. Hæc quidem nouit Chri-
stum, quia ipsum in multis præfigurauit, tamen non
aperte indicauit aliis: nec noscuntur mysteria ibi
conclusa, nisi adueniente Euangelij reuelatione, vn-
de legis testimonium de Christo perficitur Euange-
lio, id nunc Ioannes significauit, mittens duos disci-
pulos, quibus duo populi significabantur Iudæorum,
& gentium, vt à Christo, per quem Euangelium
ostenditur, instruantur. Hæc Ambrosius. difficile
autem est literalem omnino excludere sensum, & so-
lum spiritualem admittere, cum præsertim ille exhi-
beri satis accommodatus possit.

Vera senten-
tia, & dubita-
tionis propo-
sita solutio.

Sexto igitur loco Hilarius can. 11. in Matth. Au-
gustinus lib. quæst. ex vtroque mistarum 2. p. cap. 10.
vbi etiam probat Ioannem non dubitasse de Christo:
similiter etiam Gregorius lib. 4. in lib. Reg. cap. 4.
interpretantur Ioannem misisse discipulos ad Chri-
stum, vt interrogarent, an ipse esset Messias, qui ab
omnibus venturus credebatur, an non, sed alius ab
eo esset adhuc expectandus. hoc autem non interro-
gauit pro se, qui eum nouerat, sed pro discipulis ip-
sius, vt ipsa Christi responsione confirmarentur in fi-
de eius; non enim credebant omnes discipuli Ioan-
nis in Christum, sed contentione potius quadam, &
invidia premebantur, vt constat Ioan. 3. idcirco
Ioannes ipse morti proximus, eis consulens ad Chri-
stum remittit, vt ab eo viso, & audito, ea occasio-
ne in eius fidem, & veram notitiam traherentur. Non
igitur dubitauit Ioannes, sed dubitantes discipulos,
vt à Christo instruerentur, legauit. Hæc sententia
est etiam inter Græcos Doctores, Chrysost. hom. 37.
in Matth. & Cyrilli lib. 2. thesauri cap. 4. immo ante
eos Orig. in præfatione commentarij. in Ioan. qui
hoc solo differt, quod affirmat nomine totius populi
Ioannem hanc misisse legationem, & non tantum pro
discipulis. Et quidem id valde probabile est: popu-
lo enim iam fama tanti miraculi commoto, & exulti-
mante Messia aduentum adesse, misso magno Prophe-
tâ, optime, & opportuno consilio Ioannes misit le-
gatos ad Christum, vt legatio occasione daret Chri-
sto veritatem lucidius manifestandi, huic sententiæ
vltimæ responsio Christi, & ea omnia, quæ sequun-
tur valde accommodantur, ac fauent; Christus enim
se verum Messiam ostendit; Ioannisque constantiam
tuetur, ne à testimonio mutatus videretur, vt in
eorum interpretatione declarabitur. Hæc igitur
sententia legitima est.

Cum autem uenissent ad eum uiri, dixerunt. Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens:

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

COMMENTARIA.

P Rofecti discipuli Ioannis ad Christum, qui à loco, in quo Ioannes erat, procul
distabat, uenerunt, legationemque suam fideliter exposuerunt, uerbis magi-
stri nihil detrahentes, aut adicientes.

In ipsa autem hora multos curauit à languoribus suis, & plagis, & Spiritibus malis, & cæcis multis donauit uisum.

C O M M E N T A R I A.

Avdita Ioannis legatione Christus, antequam quicquam verbo responderet, legatis presentibus, & uidentibus, multa, ac varia miracula fecit erga turbas, nam infirmos curauit, & leproforum, aliorumque apostematibus diuersis laborantium plagas sanauit, ac vexatos à dæmonibus liberauit, atque cæcis multis, id est, variis, ac multiplicibus modis visu priuatis visum restituit.

Et respondens dixit illis.

C O M M E N T A R I A.

Post miracula edita, & à legatis Ioannis perspecta respondit eis Christus; apud illos enim maiorem fidem opera quam sola uerba faciebant; ea præsertim opera, quæ tamquam signa, quibus Christus ueniens agnosceretur, Prophetæ prædixerant, ut paulo inferius dicitur.

Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & uidiistis.

C O M M E N T A R I A.

NON dixit, renunciate Ioanni, me esse eum, qui uenturus sperabatur, sed renunciate miracula, quæ audistis, & uidiistis à me facta. Quod ea causa factum est, ne turbis presentibus palam enunciaret se Christum esse, occasioque daretur Iudæis persecutionis immaturæ, & ante tempus. Atque etiam ut Ioannes suo officio fungeretur, nempe testimonium redderet de Christo: nam miraculis à discipulis relatis, uti poterat tamquam validissimo, & irrefragabili argumento, quo probaret Christum uerum esse, qui talia edebat. Illud (audistis) refertur ad miraculum de filio uiduæ suscitato, quod discipuli Ioannis audierant factum, sed non uiderant; similiter ad alia, quæ Christus gesserat absentibus illis, sed facta esse illis non ignorabant.

A N N O T A T I O XXXV.

Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 4. uerba illa (audistis, & uidiistis, sic interpretatur: audistis hæc miracula à Prophetis, & modo uidiistis consummata per me, quasi diceret, renunciate Ioanni uos uidisse me ea fecisse, quæ Prophetas me facturum prænucciassent uos audistis. Obstat huic expositioni, quod discipuli Ioannis non uiderant omnia, quæ Christus narrat in sequenti sententia se fecisse, nec Christus illis presentibus omnia ea fecit; non enim tunc mortuos suscitauit, nec claudos ambulare fecit, sed aliquam fecerat, quorum discipuli illi notitiam habuerunt,

ut dictum est de filio uiduæ suscitato. Præterea, quia illud (audistis) dure refertur ad Prophetas; nec enim discipuli Ioannis audierunt ab illis, cum multo tempore ante mortui essent. Quod si quis dixerit, audisse dici, quia eorum scripta legerant, adhuc non tollitur durities locutionis; dictum enim esset, audistis à Prophetis. Accommodatius ergo illud (Audistis) refertur ad illa miracula, quæ Christus fecerat absentibus illis legatis, quorum ex auditu illi notitiam habuerant, uti in commentario dictum est.

Quia cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt.

C O M M E N T A R I A.

E Numerat Christus opera, quorum partem discipuli illi Ioannis factam tunc uiderant, partem autem factam audierant, quæ omnia Christus legatis iniungit Ioanni referenda, ut ille his auditis eisdem discipulos conuincat, Christum esse eum, qui uenturus expectabarur, quod facile poterat efficere testimonio adiuncto Prophetarum: nam Prophetæ talia miracula Christum facturum prænucciarent, & per ea illum dignoscendum esse docuerunt. Particula (Quia) non causam, sed declarationem significat.

A N N O T A T I O LXXIX.

Sapienter Dominus respondet per ea miracula, quæ Deus per Prophetas à Messia facienda reuelauerat, & tamquam signa Messiam agnoscendi prædixerat. nam Isa. 35. Scriptum est: Ecce Dominus ueniet, & saluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet claudus, sicut ceruus, & aperta erit lingua mutorum. Hac enim de causa Christum respondisse testatur Ambrosius serm. 17. in Psal. 118. vers. 2. Respondit, inquit, Iesus cæcos uidere, claudos ambulare, audire surdos; hoc enim aduentus sui testimonium fore

per Esaiam Prophetam significauerat. Hæc ille. Quo Esaiæ loco Iustinus in Dialogo cum Tryphone uirtur ad probandum Christi aduentum contra Iudæos, quasi ea fecerit, quæ eum effecturum Prophetæ prænucciauerant. Dominus ergo referri Ioanni iubet miracula hæc, ut Ioannes discipulos suos instruat, & doceat illum esse uerum Christum ostendendo per eum facta signa, & miracula, quæ Prophetæ in eius aduentu futura prædixerunt: eaque ratione iussit Christum discipulis, ut magistro suo referrent non propter magistrum, sed propter ipsosmet discipulos,

ut

ut Ioannes adiungens propheticum testimonium iis, quæ se audisse, & uidisse de Christo narrabant, eos omnino conuinceret, de ueritate ipsius Christi. Diceret quispiam, Esaiam prædixisse mutos locuturos, at Christus non hoc narrauit. Respondeo Euangelistas non semper omnia uerba Christi retulisse, aut si Christus id non retulit, tacite tamen significauit, quando

dixit: Dicite, quæ uidiistis; erendum enim est tunc temporis etiam aliquot mutos loquelam recepisse, idque indicauit Euangelista illis uerbis (curauit multos à spiritibus immundis) solent autem aliquando dæmones mutos efficere, quos vexant, iuxta illud: Luc. 11. Cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus.

Mortui resurgunt.

C O M M E N T A R I A.

HOC etiam est, quod per prophetas prænucciatum erat, ut ex hoc etiam signo Christus adueniens agnosci posset. Cum autem Christus hoc pronunciauit, iam filium uiduæ à mortuis suscitauerat, idque Ioannis discipuli ex publica fama nouerant.

A N N O T A T I O XXXVII.

Mortuorum suscitatio quo modo signum fuerit aduentus Messie.

Aduerte mortuorum excitationem solam non fuisse signum Christi: nam & Prophetæ etiam id fecerunt, quamuis non in testimonium, quod ipsi essent Christus, nec propria auctoritate, ac imperio, ut fecit Christus, sicut in Ioannis commentario explicatum est: mortuorum tamen excitatio sola non fuit data in signum, sed simul cum aliis; quamuis enim Prophetæ mortuos excitauerint; at nemo eorum hæc omnia fecit, cæcis nempe uisum, surdis auditum, claudis gressum præstare; hæc enim omnia solus Christus fecit, eaque futuri Christi signa prænotata fuerunt, ipsa etiam mortuorum suscitatio in se quodammodo notio, & signum Christi non fuit; non enim de uo mortuo, quod Prophetæ quidam fecerunt, sermo est, sed de multis, quod solus Christus effecit, qui multos reuocauit ad uitam, unde dictum est: Mortui resurgunt, quod pluraliter dicitur, quasi dictum esset, iam incipiunt resurgere mortui; non enim in solo uiduæ filio terminabitur hoc opus, sed adhuc alij suscitabuntur, licet probabilitate non careat alios etiam tunc temporis fuisse suscitatos à Christo; non enim Euangelistæ omnia Christi miracula retulerunt. Hoc autem in loco interrogabit quispiam, ubi in Prophetis legatur hoc signum, nempe Christum in suo aduentu priori mortuos suscitaturum? Iustinus in dialogo cum Tryphone, affirmat hoc signum, & notionem agnoscendi Christum prænucciatum per Prophetas, non tamen allegat aliquod testimonium, nisi illud Esaiæ 35. cuius in Annotatione

præcedenti meminimus, ubi nihil dictum est de mortuis suscitandis. Existimo igitur alio loco Esaiæ id esse prænucciatum, nimirum cap. 26. Viuent, inquit, mortui tui, & interfecti mei resurgent, quæ uerba Septuaginta sic legunt: Resurgent mortui tui, & resurgent de sepulchris. Quæ propheta de priori aduentu prænucciata est, quamuis Augustinus lib. 20. Ciu. cap. 21. & alij antiqui Doctores de generali resurrectione interpretati eam fuerint. Si tamen uerba Hebraica considerantur, ad priorem aduentum magis pertinere uidebuntur; sic enim ad uerbum transferri possunt: Resurgent mortui tui, & cadauere meo, id est, cum cadauere meo resurgent. Illi autem prædicuntur cum cadauere Dei surrecturi, qui Christo secundum carnem mortuo, resurgente de sepulchris surrexerunt, quos Vulgatus Interpres significauit uertens: Interfecti mei resurgent, nempe multi ex Prophetis, qui pro ueritate occisi fuerunt, sicut & Christus, tunc cum eo surgent; hos enim præcipue tunc resurrexisse dictos esse puto. Prius autem uerbum: Mortui tui uiuent propter eos, qui à Christo adueniente suscitati sunt, dictum est, ad quod Christus nunc alludens, inquit: Mortui resurgunt: quasi diceret: Ego sum ille, cuius aduentu, & uirtute prædictum est futurum, ut multi ex mortuis resurgant, & uiuant. Nec est facile inuenire locum alium præter hunc Esaiæ, quo prænucciatum sit hoc signum aduentus Christi, nempe mortuorum suscitatio.

Is. 26.

Pauperes euangelizantur.

C O M M E N T A R I A.

Signum etiam hoc est Christi aduentus à Prophetis prænucciatum, nempe pauperes suscepturos, & complexuros prædicationem, & fidem eius; hoc enim dicitur Euangelium, quo aduentus, & doctrina eius annunciat.

A N N O T A T I O XXXVIII.

Tria personarum genera in Scriptura commendantur, pauperes, mitis, & humiles corde.

Prænucciatum hoc est Isa. 61. ad annunciandum, inquit mansuetis, misit me, iuxta Septuaginta dicitur: Euangelizare pauperibus misit me, sicque habetur Luc. 4. ubi hanc prophetiam Christus ipse de se ipso interpretatur. Quia uero ibidem Annotat. 32. explicuimus, qui sint hi pauperes, quidque sit, pauperes Euangelizatos esse, nihil aliud de hac re nunc dicendum existimauimus. His tamen quædam alia adiungemus, quæ illic promissimus. Aduerte igitur in Scriptura tam noua, quam ueteri, tria maxime personarum genera commendari, tamquam Deo grata, & Euangelicæ ueritati recipiendæ apta. Primum est pauperum. Luc. 6: Beati pauperes, quoniam uerum est regnum Dei. Matth. 11. pauperes Euange-

lizantur. Isa. 61. Euangelizare pauperibus misit me. Secundum genus est mansuetorum. Matth. 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Psal. 25. dirigit mansuetos in iudicio, & docebit mites uias suas. Iaco. 1. Suscipite uerbum in mansuetudine. Tertium est humilium corde, seu spiritu. Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Psal. 17. Populum humilem saluum facies. Isa. 17. Viuificat spiritum humilium. Sunt enim tria in Euangelio, quæ audientibus difficultatem non paruam ingerere possunt, quam quidem difficultatem maxime diminuunt paupertas, mansuetudo, & humilitas; sicque ad suscipiendum Euangelium animos audientium disponunt.

Primo

Primo quidem Euangelica prædicatio, ac doctrina tradit, præponendum esse mandatum Domini, & veritatem Euangelicam omnibus diuitiis, honoribus, ac dignitatibus, adeo, vt si opus fuerit Euangelium, aut hæc omnia dimittere, potius ea postponantur, & abiiciantur: quod difficile videtur. hæc tamen difficultas multo minor est in paupere, quam in diuite, quia facilius est contemnere, quæ non habentur, quàm quæ habentur, ac possidentur; & paupertati spiritus vicinior est pauper effectus, quam diues, de qua rediximus supra Lucæ 6. in illius expositione sententiæ: Beati pauperes, scriptum est enim, quam difficile, qui pecunias habent, regnum Dei possidebunt.

Secundo Euangelica prædicatio manifestat peccata omnia, quorum multa ignorabantur prius, reprehendit, arguit, ac peccantibus grauissimas comminatur poenas, vnde in audientibus maxime necessaria est mansuetudo, quæ iram temperat, correctus enim, & reprehensus, ad iram excitari solet; est enim

verbum Dei sal, qui vulneratis dolorem incutit, & ad iracundiam commouet. Hinc factum est, vt Euangelica prædicatione multi furore perciti in prædicatores, ac contra prædicationem Christi exarserint. Mansuetudine igitur maxime disponitur homo ad Euangelium suscipiendum.

Tertio prædicatio Euangelica humanum captum excedit, ac naturalem rationem, & captum superat, quod etiam difficile ipsum facit. vnde humilitas necessaria est in auditore, qua se veritati submittat, in captiuitatem proprium redigens intellectum. Cum autem hæc ita se habeant, paupertas in Euangelio recipiendo plurimum commendatur, quam in plurimum reliqua duo consequuntur. pauperes enim mansueti, ac humiles facilius inueniuntur, quam diuites; ac diuitiæ frequenter à mansuetudine, & humilitate homines auertunt, inde est, quod pauperes magis Euangelio suscipiendo dispositi sunt.

Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

COMMENTARIA.

Sicut opera mira, quæ narrata sunt, Christum verum esse Messiam demonstrabant, ac eius latentem in carne diuinitatem indicabant, ita ex altera parte, quæ carnis erant propria, ac cū cæteris hominibus communia, maximeque passio, & mors eius tunc futura, impedimento erant, ne talis esse crederetur. cui quidem impedimento obuians Dominus, & Ioannis discipulos, cæterosque periculi eius admonens post miracula relata adiungit: Beatus est, qui sic est cautus, ac prudens, vt propter ea, quæ in me communia hominis, & quæ passurus sum, viderit, non retrahatur à credendo id, quod vere sum, nempe Messias, ac Dei filius, sed in fide constans permanferit; hoc enim est non scandalizari in Christo, id est, non cadere per incredulitatem, occasione sumpta ab iis, quæ videt in Christo cæteris hominibus communia.

ANNOTATIO XXXIX.

Verba hæc Christi quorum dicta, declaratur. Chrysostr. homil. 37. in Matthæum duo notat in his Dominici verbis. vnum est, tacite Christum reprehendisse Ioannis discipulos incredulitatis, quia visis tot miraculis nondum in eum crediderint. Alterum est Christum suam etiam in hoc ostendisse diuinitatem, qui eorum corda intuebatur. His adiungendum est, verba hæc etiam esse cuiusdam cautelæ, quam Christus adhibuit, ne quæ futu-

ra erant, nempe passio, & mors eius, retraherent quemquam ab ea fide illi præstanda, quæ tantis, ac tam efficacibus diuinitatis eius signis, quodque ipse esset verus Christus, indicantibus, debebatur. Eorum igitur, qui scandalizati in eo fuerunt, non actiuum, sed passiuum, vt vocant, scandalum fuit; habuerunt enim argumenta sufficientia, quibus si voluissent, in infidelitatis præcipitium non incidissent.

Et cum discessissent nuncij Ioannis.

COMMENTARIA.

Expectauit Christus, vt Ioannis nuncij discederent, tuncque Ioannem ipsum apud turbas commendat; ne si hoc præsentibus illis faceret, in Ioannis gratiam id potius facere videretur; indeque veritatis fides minueretur.

ANNOTATIO XL.

Quare Christus absentibus discipulis Ioannem laudauerit. Chrysostr. hom. 38. in Matthæum, cui consentit Eucherius Matth. 17. affirmant, Christum commendasse Ioannem absentibus discipulis, ne si illis præsentibus laudaret, illi assentari turbis visus esset, vt in commentario dictum est. Huic rationi adiungimus discipulos Ioannis non indignis com-

mendatione illa Christi erga Ioannem, qui eum tanti faciebant, vt & ipsi Christo prætulerint, nec propter vincula eius opinio præclara apud eos diminuta erat. Turbis vero necessaria erat hæc commendatio ob ea, quæ in sequentibus notabimus, ideo post eorum discessum Ioannem commendauit.

Cæpit de Ioanne dicere ad turbas.

COMMENTARIA.

Plurimum referebat turbas optimam de Ioanne Baptista habere opinionem; cum enim de Christo testimonium illis perhibuerit, fides Christi non parum periclitabatur, si bonum nomen Ioannis aliqua ex parte obscuratum esset. Quod quidem facile euenire ob duo poterat. Vnum est, quia illum in vincula ab Herode coniectum fuisse, omnibus manifestum erat, quod alicuius criminis suspicionem potuit inducere,

inducere. Alterum est, quia turbis præsentibus nomine Ioannis interrogatus est Christus an esset is, qui venturus erat, ex quo Ioannes à testimonio perhibito de Christo mutatus esse quodammodo videbatur, idcirco Christus apud turbas Ioannem prædicat, multisque encomiis commendat ab omni qua sinistra contra eum opinione tuetur; sic enim firmum permanebat testimonium, quod de Christo perhibuerat.

Quid existis in desertum videre?

COMMENTARIA.

Commendaturus Christus Ioannem apud turbas, sapienter vitatur earundem turbarum testimonio, vt nullam in Ioannem vitij labem admittere possent, quin eo ipso seipsas reprehensione dignas iudicarent. Quid, inquit, existis videre in desertum? quasi diceret, vos in desertum locum inamœnum, & incommodum relictis habitationibus vestris existis, vt Ioannem videretis, & ipsum audiretis, profecto id non fecistis, nisi optima de eo opinione concepta excitati, aliter vane, & imprudenter egistis, vos igitur vestro communi facto præclarum de eo testimonium perhibuistis. Vnde non est, cur modo aliquid de eo sinistram opinemini.

ANNOTATIO XLI.

Verba sunt hæc suauiter turbas increpantis.

Quod ad verba spectat, Hilarius can. 11. in Mat. legit (in deserto) copulatque cum verbo (videre) Græcus autem sermo tam apud Lucam, quam apud Matthæum habet (in desertum) connectiturque verbo (existis) eaque lectio communis est, & amplectenda, quam sequitur Gregorius homil. 9. in Ezechielem, quamuis vtraque in eundem sensum recidat. Quod vero ad sensum attinet, Hilarius ibidem existimat hæc cum sequentibus dicta esse à Christo affectu increpantis, quasi turba non existimauerit Ioannem talem qualis erat existimandus. temperate tamen id egit, vt affirmat Chrysostr. hom. 30. in Matthæum, vbi inquit: Quia turbæ, quidquid illud sit quod tunc de Ioanne cogitabant, non ex malitia,

sed ex ignorantia eorum, quæ dicta erant, agitabantur, ideo Christus non acriter locutus est illis, nec dixit, sicut Iudæis, vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? sed suauiter eos ab omni falsa suspitione remouit, quam concipere poterant ex interrogatione facta per discipulos, qua videbatur dubitasse de Christo, & a priore testimonio mutatus: in hoc autem, nempe Christum commendasse Ioannem, ne propter interrogationem factam videretur mutatus à testimonio, quod prius de Christo dederat, consentit Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 4. Adde etiam, vt dicemus inferius, hanc suspensionem non ex interrogatione solum, sed etiam ex vinculis eius subortam esse, aut suboriri potuisse.

Arundinem vento agitatum.

COMMENTARIA.

Constantia, & stabilitate Ioannem commendat, vt omnem suspensionem mutati testimonij à turbis remoueat. Est autem interrogatio vim habens negandi, nimirum: non existis videre arundinem vento agitatum, id est, hominem inconstantem, & instabilem, qui variis affectibus ductus, aut laudibus, aut metu hominum impulsus modo vnum, modo alterum dicit, similis arundini leui, quæ contrariis ventorum motibus agitata, huc, illucque fertur; Ioannes vero non sic, sed Spiritus sancti gratia plenus, ac solidus in eodem perstat consilio, nec ab eo, quod docuit semel, recessit. Huius enim soliditatis testimonium vos perhibuistis, quando ad eum magno concursu, & applausu in desertum conuenistis; non enim exiuissetis, si instabilem hominem, & sine soliditate Spiritus, ac doctrinæ eum reputauissetis. Ecce quomodo Christus turbas admonet, ne ex interrogatione facta Ioannem mutasse consilium existimarent.

ANNOTATIO XLII.

Christus Ioannis constantiam stabilitatem, que commendat.

Chrysostr. hom. 38. in Matth. huic Domini verbis Ioannis constantiam, & stabilitatem in verbis, & doctrina significari affirmat: Similes inquit, arundini agitatae ventis sunt illi, qui nunquam idem dicunt, sed huc, atque illuc pulsati modo hæc, modo illa soliti sunt asserere. Hæc ille, idem dicit Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 4. Gregorius autem lib. 33. moral. cap. 3. stabilitatem significari dicit, tamen non ad dicta, & doctrinam refert, sed ad mentis rectitudinem; ventos enim hominum laudes, seu vituperationes interpretatur, quibus Ioannes non cessat, nec illis elatus, neque his depressus. Verba

Gregorij sunt hæc: Per arundinem mentis mobilitas designatur, sicut Iudæorum turbis in Ioannis laude à Domino dicitur: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatum? vt sub intelligatur (Non) Ioannes quippe arundo à vento agitata non erat, quia eius mentem Spiritu sancto solidam per diuersas partes nullus linguarum flatus inclinabat. Hæc ille. Quem sensum distinctius prosequitur idem Gregorius hom. 9. in Ezech. & lib. 9. Epist. 39. cuius interpretatio in hoc omnino probanda est, quod mentis stabilitas in Ioanne laudetur, tamen non in ea sistendum est, sed procedendum est ad doctrinæ, & præ-

& prædicationis stabilitatem, quæ ex illa procedit; nec enim stabilis esset in hac, nisi illa præcederet; utraque autem ex soliditate Spiritus, & gratia emanabat, quia nisi esset Spiritu sancto plenus, nec mente, nec prædicatione stabilis esset. Unde arundini similis esse negatur, quæ vacua cum sit, instabilis est moribus exterioribus. ratio autem, quæ ad sentiendum cum Chrysostomo in hac parte nos inducit, ea est, quia Christus hisce verbis omnem suspicionem mutationis testimonij, quod de eo prohibuerat prius Ioannes apud turbas, depellere intendebat. ventorum

autem moribus comparat etiam persecutionem, quam ab Herode tunc patiebatur, eamque forsanturba cogitare poterant propter Christum illi fuisse illatam, & idcirco eum timore impulsus, consilium mutasse. Hilarius can. 11. in Matth. per motus ventorum intelligit dæmonum suggestiones, quibus huc, illucque vagatur, qui Spiritus sancti soliditate caret, quod non est reiciendum, dummodo dicamus ex hac soliditate Christum voluisse significare Ioannis constantiam in sua prædicatione, & doctrina.

Sed quid existis videre? hominem mollibus uestimentis indutum?

COMMENTARIA.

Vitam Ioannis commendat, ut Ioannis opinionem defendat ab omni mali suspitione, quæ propter eius vincula apud turbas aut suborta, aut suboriri poterat, sensus est: Non existis videre tunc hominem delitiis huius sæculi, ac voluptatibus deditum, quales sunt, qui mollibus indumentis studiose vtuntur; sed hominem admirandæ abstinentiæ, continentiæ, & vitæ austeritatis, qualem neminem vidistis vnquam, aut audistis. Habebat enim vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos. Esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre, ut habetur Matth. 3. Qui hanc exteriorem vitam agebat, profecto immaculatis erat moribus, & propter eam vos ipsi talem eum iudicastis, quando ad eum existis; cum igitur in eodem semper viuendi modo perseverauerit, ab omni vitio alienus, nec mali vlla suspicio propter vincula excitari in vobis debet.

ANNOTATIO XLIII.

Christus vitæ puritate in Ioannem commendat.

Chrystostomus hom. 38, in Matth. hanc sententiam sic connectit, & interpretatur, ut Christus ostendat Ioannem constantem, & stabilem esse vitæ institutione; distinguit enim dicens: Quidam natura leues, ac inconstantes sunt: quidam vero vitæ institutione, qui delitiis effeminati enerues, & instabiles facti sunt: nam hominum alij natura proclives ad aliquid sunt, alij consuetudine, & casu fiunt: quemadmodum multi sunt iracundi natura, nonnulli longa ægrotatione ad huiusmodi vitium lapsi fuerunt. Priori igitur sententia, nimirum Ioannem non esse arundini vento agitæ similem, docet Christus eum non esse natura instabilem; hac vero posteriori, nec esse instabilem vitæ institutione. Cyrillus etiam lib. 2. thesauri cap. 4. hac sententia Ioannis constantiam probari affirmat, aliter tamen interpretatur, & connectit, nempe, ut sit probatio, quod Ioannes non sit, ut arundo inconstans: Qui mollibus

inquit, induuntur, ita & animo leniori sunt: Ioannes vero, qui robore animi carnem subiecit, qua ratione ut arundo erit? Si ergo mirati estis Ioannem propter asperrimam vitam, quam constantissime egit, concedere etiam ipsi deberis firmitatem animi vitæ convenientem. Hac ille. Quæ quamvis probabilia sint, mihi tamen accommodatior videtur sensus, ut in priori sententia stabilitas in verbis doctrinæ, & prædicationis commendetur; in hac vero posteriori vitæ puritas à crimine alienæ: Ioannis enim fama bona periclitabatur, tum ex eo, quod tamquam reus in vinculis detinebatur, idcirco Christus ipse famam ruetur docendo, nec propter factam interrogationem illum mutasse consilium, quia non est, ut arundo agitata, nec propter vincula mali aliquid perpessus, quia eodem modo vixit semper, quo in deserto, quando turbæ exierunt.

Ecce qui in veste pretiosa sunt, & delicijs, in domibus regum sunt.

COMMENTARIA.

Miro artificio Ioannis criminatores reprehendit, ut etiam ex hoc eius innocentiam ostendat, sensus est: Si vitam delicijs, ac voluptatibus deditam Ioannes elegisset, non ad eremum confugisset, nec talem sibi habitationem à teneris annis accepisset, sed ad curias, & domos, Regum, ac Principum iuisset, ibi enim sunt, qui in veste pretiosa, & delicijs sunt. Tales erant Ioannis persecutores; Herodes enim Rex propter Herodiadem coniecerat Ioannem in vincula, multis impijs delatoribus interuenientibus, qui omnes delicijs, & voluptatibus sæculi dediti erant, à quorum moribus Ioannes abhorrebat vita, & prædicatione. A talibus ergo Ioannes cum pateretur, non erat, cur vllius culpæ nota ei inureretur, immo inculcata illius vita hoc ipso comprobatur; ab impijs enim, & malis hominibus pati, argumentum est innocentia patientis. Particula (Ecce) indicat culpam vinculorum Ioannis in comprehensores reiciendam, quorum mores peruersi contrarij erant vitæ Ioannis.

Sed

Sed quid existis videre? Prophetam?

COMMENTARIA.

Rieictis causis falsis, veram ponit: quid, inquit, existis videre? Prophetam ne? Hoc quidem verum est, existimatus enim fuerat Ioannes Propheta vitæ sanctissimæ, & eximia doctrinæ ad populum instruendum à Deo missus, ad talem enim, ut eum audirent turbæ, venerant, & ut à tali Baptismum eius plurimi susceperant.

Utique dico vobis, & plusquam Prophetam.

COMMENTARIA.

NE interrogatio visa esset negatio, quales duæ præcedentes, adiunxit affirmationem cum augmento, utique, inquit vere existis tamquam ad prophetam, talem enim existimastis eum, quando exiistis ad illum. Christus autem non solum confirmat opinionem illorum; sed adiungit dicens, dico vobis eum esse non solum Prophetam sed etiam plusquam Prophetam: Non tantum enim venturum Christum annuntiauit, ut ceteri Prophetæ, sed etiam vidit, digitoque demonstravit, præcursorque illius fuit, in quo maxime illos omnes superavit. Hisce verbis docet Christus testimonium, quod à Ioanne acceperat, non ab homine, sed à Deo ipso emanasse, sicut Prophetarum verba non hominum, sed Dei erant, à quo mittebantur, ut ex hoc turbæ intelligerent, & veritatem testimonij, & stabilitatem hominis, per quem testimonium perhibitum est, simulque verum agnoscerent Christum.

ANNOTATIO XLIII.

Qua ratione Ioannes Prophetæ & plusquam Prophetæ dicitur sit.

Multorum Patrum sententia est, Ioannem dictum Prophetam, & plusquam Prophetam; Prophetam quidem quatenus Christum absentem, priusquam manifestaretur, prænucciavit: plusquam Prophetam vero, quia præsentem vidit, quod nullus Propheta consecutus est. Sic interpretantur Hilarius can. 11. in Matth. Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. Gregorius Nazian: orat. in sancta Lumina. Cyrillus lib. 2. thesauri. cap. 4. & Chrysostomus hom. 38. in Matth: huic addendum puto, quia non solum vidit, sed præsentem nondum à populo agnitioni indicavit, & testimonio suo manifestavit, ob hoc quidem præcipue plusquam Propheta dicitur: nam ut sit plusquam Propheta, aliquid debet habere, quod sit supra prophetiam hoc autem est præsentem nondum manifestum, alijs ostendere, & notificare. quod docte Irenæus lib. 3. cap. 11. notavit dicens: propter hoc Dominus plusquam Prophetam dixit eum, reliqui enim omnes Prophetæ annuuciaverunt aduentum Paterni luminis, cupierunt autem digni esse videre eum, quem prædicabant; Ioannes autem, & prænucciavit similiter sicut alij, & aduentum vidit, & demonstravit, & credens in eum suavit multis, ita ut ipse & Prophetæ, & Apostoli locum habuerit, hic est enim plusquam Propheta, quia primo Apostoli, secundo Pro-

phetæ. Hæc ille. Dicit quispiam, Ioannes non prænucciavit Christum venturum: nam quando Ioannes novit Christum, iam Christus venerat, carnemque sumperat, à ventre enim matris ille inceptit nosse Christum etiam in ventre matris existentem; ext. ventrem autem, quando egressus à deserto prædicavit, iam Christus aderat, qua igitur ratione dicitur Propheta, & venturum prænucciasset? Respondet Ioannem dictum esse prædicasse Christum venturum, sic enim ipse Matth. 3. dixit: qui post me venit, fortior me est. & Ioann. 1. Ipse est, qui post me venturus est. Non quod Christus tunc in carne non adesset, sed quod nondum se prædicatione, & miraculis manifestasset: unde prædicavit venturum, non tamen ut ceteri Prophetæ, qui prædixerunt ante carnem assumptam; Ioannes vero carne sumpta, sed nondum hominibus sua prædicatione, & operibus manifestus. Non est autem Propheta tantum de futuris, sed etiam de præsentibus occultis, & nondum apparentibus, ut notat Gregorius hom. 1. in Ezech: & in hoc etiam ceteros Prophetas superavit, quia de proximo prænucciavit Christum. Ultra hoc etiam indicavit populis illum eundem, propter quod maxime, ut diximus, plusquam Propheta dicitur est.

Quomodo Ioannes Christum venturum prænucciavit.

Hic est, de quo scriptum est; Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

COMMENTARIA.

Declarat, & simul probat Ioannem esse & Prophetam, & plusquam Prophetam, testimonio Malachiæ Prophetæ cap. 3. Hic, inquit, est, de quo pronunciatum est per Prophetam; Ecce mitto Angelum meum. verba sunt Dei loquentis ad filium suum, qui carnem tunc suscepturus erat. Ecce, inquit Deus pater, mitto Angelum meum ante faciem tuam, id est, nuncium quendam. Ioan. 1. Fuit homo missus à Deo. ante faciem tuam, id est, qui tibi sit proximus, te tamen secundum carnem antecedit, priorque mundo manifestetur, hoc enim est, ante faciem, qui nempe proximus est alteri, tamen anteit, & præcedit. Hic præparabit viam tuam ante te, id est, disponet populos, ut quando tu te mundo manifestes, te agnoscant, tibi credant, tuæ obediant prædicationi, te ut verum recipiant Christum in lege promissum, hoc est Christo præparare viam, idque ante te, id est, te præsentem, & in mundo iam existente per carnem sumptam; te enim ipsum signabit, ac de te testimonium perhibebit, quod Ioannes fecit.

Idcirco

idcirco non tantum Propheta, sed etiam plusquam Propheta fuit. Dum Christus Ioannem commendat, & veritatem testimonij eius confirmat, suum aduentum ostendit, seque Christum esse probat, idcirco hanc Ioannis causam Christus tam efficaciter tuetur, & defendit.

ANNOTATIO XLV.

Matthæus cap. 11. apposuit huic sententiæ particulam causalem (enim) Hic enim, inquit, est de quo scriptum est, significans hanc sententiam ex Propheta sumptam, causam, ac probationem esse, cur dictus esset Ioannes non solum Propheta, sed etiam plusquam Propheta, cum omnes Prophetas in hoc superauerit, quod ante faciē Christi missus esset,

qui viam Christo ante eum præparauerit. De hoc autem testimonio Malachiae plura dici possent; at vero, quia in Ioannis commentario cap. 1. multa diximus ad hoc pertinentia, & quia ad commentarium in Malachiam magis ea spectant, idcirco superfedemus, contenti ijs, quæ ad Euangelistæ explicationem satis esse visa sunt.

Dico enim vobis, maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est; qui autem minor est in Regno Dei, maior est illo.

COMMENTARIA.

Probat Ioannem esse eum, de quo Malachias prænuñciauit, quæ dicta sunt, idque particula (enim) indicat. sensus autem hic est: Dico vobis, & constanter affirmo, ante Ioannem neminem Prophetam extitisse eo maiorem: at vero post eum, quando iam aduenit Regnum Cælorum, & Euangelium meum prædicatur, qui minor est, illum antecellit; dignius enim, & excellentius est esse Christianum, quam fuisse Prophetam, & plusquam prophetam. quod si maior est Christianus Ioanne, & Ioanne nemo Propheta maior, efficitur vt Christianus sit conditione, ac dignitate maior quocumque Propheta, & status Euangelij statu legis. Illud autem (inter natos mulierum) insinuat causam, cur qui minor est in Ecclesia Christi, maior sit Ioanne, ac Prophetis, nimirum quia illi in statu seruorum Dei erant nondum affecuti statum, in quo renascimur per baptismum filij adoptionis Dei. cum igitur nobilius, & altius sit esse filium quam seruum, consequitur nobilioris conditionis, ac status esse, vel minimum inter Christianos, quam magnum inter seruos. Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate viri, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt; id est, qui non solum inter mulierum natos, vt in lege, sed etiam inter natos ex Deo iam sunt. Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Cum igitur iam Regnū Dei aduenerit, profecto Ioannes est, qui præparaturus erat viam. cum autem hæc non essent tunc manifesta, ideo asseueratione confirmat. dico, inquit vobis. Non fit collatio hic de maiori, vel minori gratia, aut sanctitate; sed de dignitate, & excellentia officij, in hoc enim omnes Prophetas superauit Ioannes, quod in sequenti Annotatione explicatur.

ANNOTATIO XLVI.

Nonnullæ occurrunt difficultates, Vna est in connexionem, cætera sunt in sensus explicatione. quod ad connexionem spectat, particula illa (enim) quæ à Matthæo prætermissa est, compellit nos fateri hanc sententiam esse causam, seu probationem præcedentis, in qua affirmauerat Christus, Ioannem eum esse, quem Malachias prophetauit venturum ad præparandum viam Messiae aduenientis. Hoc autem probat, ostendendo eum esse excellentiorem cæteris Prophetis, minorem tamen ijs, qui in Ecclesia Christi

minimum habent locum. Non est autem sermo de gratia, & sanctitate; sed de conditionis, & status dignitate, quod magis explicabitur, quando illa pars (qui minor est in Regno Dei, maior est illo) declarabitur. Est autem vtraque pars simul connectenda, quasi dictum esset: dico vobis Ioanne neminem extitisse maiorem, eo tamen maiorem esse illum, qui vel minimus est in Ecclesia Euangelica. Quamuis multi separent hanc posteriorem partem à priori, sed vix id accommodari potest sensui.

ANNOTATIO XLVII.

Altera difficultas est in sensu, nempe quomodo Ioannes maior sit dictus. in cuius explicatione variz sunt Doctorum sententiæ. Primo quidam ita maiorem cæteris Ioannem prædicatum censent, vt non excludatur, quin alios potuerit habere æquales: nō enim dictus est maior omnibus, sed nemo maior illo. sic interpretatur Hieronymus Matth. 11. & Augustinus lib. 2. contra Aduersarium legis. cap. 5. Quidam alij absolutam prælationem affirmant, vt ipse sit inter

natos mulierum summus, & maximus; sic intelligunt Chrysostomus hom. 38. in Matt. & Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 4. & Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 68. Hæc autem posterior sententiā accommodatior videtur; nā in verbis præcedentibus, cæteris est Prophetis prælatus in hoc, quod nō Propheta tantū, sed etiā plusquā Propheta dictus est. huic consonū est, vt quando eo nemo Propheta maior dicitur, intelligi debeat summus & cæteris excellentior res. etiā ipsa id cōprobat, nā quæ adducun-

Sententiæ hæc superioris cōfirmatio est.

Quo modo Ioannes maior cæteris dicatur.

adducuntur, vt nemo illo sit maior, ostendunt etiam eum esse omnibus maiorem. negatiua igitur locutio, et collatio vim habet affirmatiuæ: illa tamen vsus est Dominus, tum ne apud vulgus prioribus illis, et antiquis Prophetis derogare visus esset; tum

etiam, quia sequenti sententiæ magis correspondebat, nempe Ioanne Baptista ex prioribus neminem fuisse maiorem: tamen ex posterioribus ad Regnum cælorum pertinentibus, vel vnum ex minoribus, illo maiorem esse.

ANNOTATIO XLVIII.

Quibus rebus Ioannes ceteros superauerit, ita vt ijs maior dici meruerit. **G**ranior est tertia difficultas, nempe quid sit id, in quo vel ceteris prælatus est, vel nemo illum antecellit. in hac difficultate enodanda plures sunt sententiæ Doctorum.

Primo loco quidam de sanctitate vitæ hanc collationem intelligunt, vt nemo Ioanne Sanctior fuerit, quamuis æquales habere potuerit. Sic Hieronymus Matth. 11. et Augustinus lib. 2. contra Aduersarium legis cap. 5. ienisse videntur.

Secundo loco quidam non in sola sanctitate vitæ, sed etiam in prærogatiuis, Dei que beneficijs Ioannē præpositum dicunt; habuit enim multa, in quibus excelluit omnes, vt quod in vtero sanctificatus, quod in eo existens prophetauit, quod Baptismo vsus est, quod multos conuertit, quod Christum baptizauit, et alia huiusmodi, propter quæ omnia summus omnium dictus est. Sic Chrysostomus hom. 38. in Matth. et ibi Euthymius exponunt.

Tertio loco quidam non de gratiæ dono, aut sanctificatione Spiritus, sed de virtute humana interpretantur, vt sit sensus, Ioannes peruenit ad summum humanæ virtutis, ad quod nemo ante illum ascendit. ad hoc autem non pertinet donum Spiritus: nam de hoc dicitur, qui minor est in Regno cælorum, maior est illo, ita Cyrillus explicat lib. 2. thesauri. cap. 4. Videtur autem intelligere de virtutibus, et donis naturalibus, in quibus omnium summum Ioannem dicit.

Quarto loco quidam alij de prophetandi functione interpretantur, nimirum, vt nemo Propheta sit illo maior: non enim dictum est, neminem illo maiorem, sed neminem maiorem Prophetam fuisse: longe enim aliud est dicere quempiam esse maiorem

absolute ceteris, aut dicere, esse maiorem Prophetā, ista sententiā est Ambrosij in præsentī, et Augustini lib. 2. contra literas Petiliani cap. 37. vbi pro eodem accipit esse plusquam Prophetam, & neminem illo esse maiorem. cui fauent verba Luca; dicitur enim: Nemo maior Propheta Ioanne est, & quamuis apud Matthæum absolute dictum sit, non surrexisse maiorem Ioanne, suppleendum est verbum ex Luca, nimirum non surrexisse maiorem illo Prophetam, & ex præcedentibus ibidem id constat: nam hæc sententiā sequitur illam, vtique & plusquam Prophetam; Vnde cum de Prophetis esset sermo, intelligi debuit, dictum neminem maiorem illo Prophetam extitisse, sicque Hilarius ibi can. 11. interpretatur: Nemo, inquit, Propheta maior illo. Quæ sententiā omnium accommodatissima mihi visa est ob ea, quæ diximus, non enim existimo de sanctitate vitæ Christum loqui, quamuis fieri potest illum fuisse, aut sanctiorē, aut neminem illo iustiorē: at sermo est de Prophetiæ munere; ad quam collationem etiam pertinet, quod in vtero prophetauit, & natus est Propheta, quod nemini fuerat concessum; similiter quod baptizauit, quod alias eiusmodi prærogatiuas habuit, quæ illum Prophetam insignem fecerunt; illud autem fuit maximum, quod Christum præsentem nouit, & populis manifestauit. Simile quid legimus Deutero. vlt. vbi dicitur, neminem post Moysē similem Prophetam surrexisse, quod non ad iustitiam, & sanctitatem vitæ spectat, sed ad prophetiæ functionem. Fauent verba subiuncta, qui minor est in Regno Dei, maior est illo, quod non de sanctitate intelligitur, vt diximus, & adhuc paulo inferius plura dicemus.

ANNOTATIO XLVIII.

Postremo est quarta difficultas, cur scilicet dictū sit, (inter natos mulierum) Hieronymus Matth. 11. & Ambrosius in præsentī affirmant id positum, ne Christus Ioannem sibi præferre videretur, ob id enim dicit, inter natos mulierum, nempe, quæ concubitu viri conceperunt; at Christus non de muliere per viri concubitu, sed de Spiritu Sancto conceptus est. Hæc expositio non videtur mihi multum accommodata. Primo quidem in Scriptura nomen mulieris etiam virgini tribuitur, vt supra notauimus, & maxime etiam in commentarijs in Ioannē cap. 2. vnde vere Christus de muliere natus dici potuit. Præterea quia qui audiebant tunc hæc verba, nesciebant Christum natum de Virgine, & opera Spiritus Sancti, ex quo sit, vt non propter id verbum Christum exciperent ab illa comparatione. Præterea, quia verba illa subiuncta plane declarant Christum non prætulisse sibi Ioannem, immo multum postposuisse, quandoquidem illos, qui in eum credi-

turi erant, & eius Euangelium amplexuri, affirmauerit maiores esse Ioanne. Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 4. insinuat expositionem, quam apertius in commentario prosecuti sumus, nimirum vt aliam natiuitatem indicaret diuinam, propter quam credentes in eum futuri erant maiores Ioanne, & Prophetis; per Baptismum enim renascimur in Christo, & filij Dei efficitur. dicit ergo inter natos mulierum, quia Prophetæ illi non habuerunt hanc natiuitatem secundam, quam nos habemus; sed solam. qua de matribus nati sunt, licet per gratiam Dei efficerentur iusti, & Sancti, tamen nondum statum filiorum adoptionis consecuti erant. Dicit etiam posset, Christum voluisse commendare Ioannis natiuitatem admirabilem, & omnibus manifestam, propter quam nemo ex Prophetis illo maior, & illustrior. At vero quod à Cyrillo insinuatam diximus, est multo verius, & accommodatius.

Qui autem minor est in Regno DEI, maior est illo.

COMMENTARIA.

Connexa est hæc priori illi sententiæ, vt diximus, qua significat Christus aduenisse iam Ecclesiam Euangelicam, nomine Regni Dei, seu Regni cælorum appellatam, quam Ioannes aduentantem prædicauerat, & Christus ipse annuntiauerat, dicens: Appropinquauit Regnum cælorum; in quo Regno, vel qui minor est, excellit statum, & conditionem Ioannis, & Prophetarum, qui omnes cum sub lege essent, Spiritum seruitutis acceperunt; at credentes in Christum, & in ipso per Baptismum

Deuteron. 34.

primum renati, spiritum adoptionis filiorum recipiunt. maior autem est vel minimus filius quolibet seruo etiam maximo. Hac sententia animos audientium ad se trahit, & eximio dono ad credendum in eum inducit.

ANNOTATIO L.

Quomodo minor in Regno celorum maior Ioanne dicitur.

NON est, cur repetamus ea, quæ de connexionem huius sententiæ præcedenti in commentario, & annotatione diximus, ad eandem enim Christi asseruentionem spectat, nimirum: Dico vobis, neminẽ Prophetarum maiorem fuisse Ioanne: at vero eum, vel qui minor est in Ecclesia, illo esse maiorem. Nunc autem sensus huius sententiæ aperiendus est. Augustinus lib. 2. cõtra Aduersarium legis cap. 5. duas proponit expositiones, vna est, vt per Regnum celorum intelligamus patriam cælestem, per minorem autem aliquem ex beatis Angelis, aut iustis hominibus, vt sit sensus, quilibet ex beatis, vel inter eos minor est quolibet portante corpus, quod corrumpitur, & aggrauat animam. Altera est, vt per Regnum celorum intelligatur Ecclesia hæc militans; tunc autem hic minor Christus est, qui nascendi tempore minor erat Ioanne, maior autem æternitate, & Dominica potestate. Hæc Augustinus refert, & vtramque probat interpretationem. Priorem expositionem secutus est Hieronymus Matth. 11. vbi etiã recitat posteriorem, sed hanc postponit illi. In qua aduertendum est, quo tempore locutus est hoc Christus, solos Angelos fuisse in cælis, iustis enim hominibus nondum erat aperta porta Regni celorum, sed post purgationem detinebatur in limbo, donec Christus sua morte eos liberaret, & introduceret in cælum, idcirco quidam, vt refert Hieronymus, hunc minorem ad Angelos referebant. Posteriori vero expositioni adhæsit Chrysostomus hom. 38. in Matt. adiungens Christum dictum minorem Ioanne, tum ætate secundum carnem, vt dicit Augustinus, tum etiam opinione hominum multorum, qui minoris habebant eum, quam Ioannem, immo Christum edacem, ac vini potatorem appellabant. Idem sensit Ambrosius in præsentem, qui hanc sententiam de se Christum protulisse dicit, qui Ioanne maior erat, vt pote Deus. Est autem tertia expositio, quam sequitur Cyrillus lib. 2. thesauri. cap. 4. qui per minorem interpretatur quemlibet ex fidelibus Christi, qui in eo renati sunt, & donum spiritus acceperunt, hi multo maiores sunt Ioanne, & Prophetis, qui in lege fuerunt, & natiuitatem solam humanam habuerunt. quam expositionem adhibuit Isidorus Pelusiota lib. 1. in Epist. 68. cuius verba, quia rem ipsam declarant, referre libuit. Qui minor, inquit, est in Regno celorum, maior est Ioanne, id est, qui in lege perfectus est, vt erat Ioannes, omnino inferior eo est, qui in Christi morte baptizatus est; hoc enim celorum Regnum est, nimirum, cum Christo, qui spoliandæ mortis causa descendit, & sepultum esse, atque vna cum ipso victoriam aduersus eam præbente, resurrexisset. Quoniam igitur maior quidem omnibus, qui ex mulieribus nati fuerant, erat Ioannes, caput autem ipsi ante donatum Regnum celorum præcisum fuit, ipse quidem si legis iustitia spectetur, nihil habebat, quod reprehendi posset: at ijs, qui vitæ in Christi

sto positæ spiritu perfecti fuerunt, inferior extitit, quod scilicet prius à vita discessisset. Quisquis igitur minor est in Regno celorum, hoc est, in Christiana regeneratione, maior eo est, qui in lege laudem iustitiæ consecutus est, quoniam lex nihil omnibus suis partibus perfecit. Hæc ille. Hanc expositionem amplexi sumus, vno mutato: Cyrillus enim & Isidorus per Regnum Dei seu celorum, donum Spiritus Sancti interpretantur; Ego autem accommodatius existimaui illud significari hoc in loco Regnum celorum, quod in prædicatione Ioannis, & Christi dictum est, nempe appropinquauit Regnum celorum, hoc autem est Ecclesia Christi, & Evangelica, in qua renascuntur fideles per Baptismum, & accipiunt adoptionem filiorum Dei. Est autem aduertendum, quando dicuntur ijs, qui in Euangelio viuunt, & renascuntur, maiores Prophetis, & ijs, qui in lege fuerunt, nolimus significare eos esse sanctiores, seu iustiores, Deoque gratiores, sed esse nobilioris status, & conditionis: nam & inter nos quidam sunt perfectiores statu, nempe Episcopi, & religiosi, quam laici, cum tamen quidam ex his sint meliores vita multis ex illis: sic quamuis qui in lege erant, continebantur in statu imperfectiori, quia seruorum erat, potuerunt tamen (& re vera fuerunt) ex ijs multi meliores esse nonnullis ex Christianis, qui sunt in statu filiorum, qui nobilior, & excellentior est.

Dubitatio autem cuiuspiam suboriri posset, quomodo, qui minor est in Regno celorum (non enim in Ecclesia omnes sunt æquales) sit maior Ioanne, etiam conditione, cum hic à Christo sit baptizatus, & consequenter in eo renatus, & adscritus in statum filiorum Dei? Respondeo, ante Christi passionem, & mortem Euangelium non habuisse statum integrum, & perfectum, vnde nec baptismus tunc collatus suos omnes habuit effectus; non enim aperiēbat ianuam Regni cælestis, nec adoptionem filiorum perfectam dabat, cum nondum lex illa cessasset, ideo nec Ioannes etiam baptizatus cõsecutus est ea, quæ post Christi mortem, & Euangelij prædicationem donata sunt, nec plene ad statum Euangelij pertinebat, cum ante Christi mortem occisus sit, nec in cælum statim receptus, sed in limbo cum ceteris iustis, qui purgati ibi detinebantur, expectantes Christi mortem, & descensum ad inferos. fuit ergo Ioannes, vt recte dicit Gregorius Nazian. orat. in sancta lumina, interiectus inter vetus, & nouum testamentum, siue quidam medius inter legem, & Euangelium. comparat igitur Christus eos, qui credituri erant in eum, & post passionem eius, ac mortem de Ecclesia ipsius futuri, in qua diuersi sunt gradus, & status credentium, sed vel qui minor est, excellentiorem habet conditionem, quam Ioannes habuit, ceterique Prophetæ, vt pote, qui adoptionem filiorum perfectam habet, & apertum est ei Regnum celorum, & hoc est, quod Dominus præsentem sententia indicauit.

ANNOTATIO LI.

Eunomij error relicitur.

CAuenda est omnino impia, et blasphemata expositio, quam Eunomius in hæc verba protulit, vt refert Cyrillus lib. 2. thesauri, cap. 4. dicebat enim Christum dictum minorem propter tempus, quoniam natus est de Virgine; maiorem autem, quia peruenturus erat ad maiora, quando adueniente Regno celorum accepturus erat mercedem à Deo propter reatam administrationem salutis humanæ. Hinc inferebat

ille Hæreticus Christum non esse Patri æqualem, nec similem, etiam vt verbum erat, cum progressum, & augmentum perfectionis fecerit. Quantum autem errauerit iste, facile est videre ex ijs, quæ dicta sunt. Primo quidem non sunt hæc verba de Christo dicta. Secundo etiam si dicta essent, nihil inde Hæreticus pro se habet, non enim dictum est, maior erit illo, sed maior est illo, quia etiam si minor ætate carnis, diu-

diuinitate cæssien, et donis communicatis humanitati maior erat. Hoc etiam loco abutebantur alij hæretici, vt meminit Augustinus lib. 2. contra

Aduersarium legis cap. 5. quibus respondet adhibitis duabus expositionibus, quas retulimus in præcedenti Annotatione.

Et omnis populus audiens, & publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis.

COMMENTARIA.

VERBA sunt Euangelistæ, narrantis, quid gestum sit post ea, quæ Christus de Ioanne protulit; atque explicantis causam, ob quam Christus adiunxit verba, quæ paulo post referuntur. Populus ergo, id est, plebs, & simplex, ac indoctum vulgus, similiter & publicani, cum audissent ea, quæ Christus de Ioanne pronunciauit, iustificauerunt Deum, id est, Deum fidelem, & iustum prædicarunt, credentes Ioannem missum ab eo, sicut per Malachiam promiserat; ij autem erant, qui baptismum eius iam receperant, ab eoque baptizati erant: sicut enim Deus iustum, ac fidelẽ se exhibuit in Ioanne, eo quod fecit quod promiserat: ita qui acceptarunt Ioannem, vt à Deo missum, eo ipso Deum iustificauerunt, id est, fidelem esse confessi sunt. Hoc autem illi auditores fecerunt, non solum credendo Ioannem à Deo missum, sed confirmando verbo ipso dicta Christi, quibus Ioannem commendabat. atque hoc modo dicuntur nunc iustificasse Deum, qui iam ante iustificauerant, quando sua peccata confessi baptismum eius receperunt. Dicitur autem omnis populus, non quod omnes de populo crediderint, sed quod multi.

ANNOTATIO LII.

Num verba hæc Christi fuerint, an Euangelistæ.

PRætermisit Lucas multa, quæ Matthæus cap. 11. retulit: nam post verba narrata à Luca, adiunxit etiam Christus hæc: A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum celorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt; & si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est: qui habet aures audiendi, audiat. Hæc Matthæus scripsit cum his, quæ Lucas retulit. Post hæc vero interponit verba Lucas, quæ Matthæus prætermisit, nimirum: Omnis populus & publicani, cum hæc audirent, iustificauerunt Deum, confirmando verba Christi, & confitendo Ioannem esse, qui venturus erat, & qui promissus fuerat à Deo; hæcque connectuntur hæc sententiæ. Est autem controuersia, an hæc, & sequens sententia, nempe (Pharisæi spreuerunt consilium Dei) sint verba Euangelistæ, quæ ex se ipso dicit, vt quid gestum sit narret, & quæ sequuntur, cum præcedentibus connectat; an sint verba ipsius Christi, Iudæis cū ceteris sententijs iam relatis, dicta. Euthymius existimat esse verba Christi, cui consentiunt nonnulli ex posterioribus: quidam alij verba esse Euangelistæ existimant, quorum opinioni adhæsi. Ex Ambrosio autem in præsentem nihil certi colligi potest, insinuat tamen verba esse Euangelistæ; nam ab his verbis initium facit libri sui sexti;

quod si Christi essent verba, non vtique diuississet à reliquis, quibus erant connexa. Hanc opinionem duo maxime mihi persuadent. Vnum est, illud participium (Audiens,) quod si verbum esset Christi, referri debebat ad Ioannem, nimirum, omnis populus audiens Ioannem; at talis relatio non potest fieri, quia nihil Christus dixerat de Ioannis prædicatione, vt postea dicere potuisset: Omnis populus audiens Ioannem; debet ergo referri ad ea, quæ Christus de Ioanne dixerat, omnis nempe populus audiens, quæ Christus locutus est de Ioanne, iustificauit Deum; sic constat sententiam hanc esse Euangelistæ. Alterum est illud, quod post hæc verba, & sequentia istis connexa, sequitur, nimirum (ait autem Dominus) quod non esset dictum, nisi præcedentia verba Euangelistæ fuissent: si enim omnia essent Christi, nõ erat, cur illud (Dixit ergo) positum esset. Scio hoc (dixit ergo IESVS.) non legi ab Ambrosio, nec ab Euthymio, quosdam autem legere ante verba hæc, quæ explicamus; at nos cõmunem amplectimur lectionem, tam Græcam, quam Latinam. Propterea igitur existimo esse hanc, & sequentem sententiam verba Euangelistæ, vt in commentario expositum est.

ANNOTATIO LIII.

Homo qua ratione Deum iustificare dicitur.

EXPLICANDUM autem superest illud verbum (iustificauerunt Deum.) Ambrosius in præsentem duos modos adfert, quibus iustificari dicitur Deus. vnus est, quando homo sua peccata confitetur; tunc enim dum homo se reum agnoscit, Deum iustum esse, ipsa sua confessione, suiq; accusatione confirmat. Alter est, quando post confessionem veniam recipit; eo enim facto Deus iustus ostenditur, qui non contumacibus, sed humilibus, & sua peccata confitentibus veniam præbet, eosq; iustificat: in ipsa igitur confessione, & venia Deus iustificatur, id est, iustus declaratur. Cum igitur populus, & publicani à Ioanne baptizati sua peccata confessi essent, ac veniam à Deo penitentes accepissent, ideo dicti sunt Deum iustificasse. Hæc expositio veram continet doctrinam: nam baptizati à Ioanne confitentibus peccata sua, & veniam à Deo per penitentiam obtinentes, Deum ipsa confes-

sione, & venia iustificauerunt; non tamen hæc interpretatio accommodatur loco præsentem: nam tunc, quando hoc, quod nunc narratur, gestum est, non baptizabatur populus, nec sua peccata confitebatur; erant enim iam prius baptizati Ioannis baptismo, quando confitentibus peccata baptizati sunt. Aliter igitur nunc iustificasse Deum dicti sunt. Idem Ambrosius serm. 3. in psal. 118. vers. vlti. interpretatur hunc locum, dicitque Deum iustificare, idem esse, ac eius mandata facere. quod etiam verum est, non tamen huic loco accommodatum; vbi agitur de eo, quod tunc audientes Christi sermonem fecerunt, quod peculiariter aliquid est, quam generaliter facere, quæ præcipit.

Secundo loco Euthymius sic explicat, iustificauerunt Deum, id est, gratias egerunt Deo, qui Ioannem miserat, prouidens ipsorum salutem. Hæc autem expositio

violenta est; non enim verbum iustificandi accom-
modatur significationi tali, vt idem sit, quod gratias
agere, nec in ea significatione alibi legimus vlur-
patum.

Mihi igitur aliter interpretandum videtur, nimi-
rum, cum Christus multa de Ioanne prædicasset, con-
stanterque asseruisset eum esse, quem Malachias ante
Christum venturum prædixerat. & iterum, illum esse
Eliam, qui venturus erat, tunc populus, & publi-
cani, qui ea audierunt, & iam erant à Ioanne bap-
tizati, confirmantes verba Christi, & ipsi consentien-
tes, confessi sunt Ioannem vere missum esse à Deo,
Deumque impleuisse, quod promiserat, & in illo

*Pharisæi autem, & legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsos,
non baptizati ab eo.*

C O M M E N T A R I A.

Verba sunt etiam Euangelistæ connexa præcedentibus, eisque opposita. Duo-
bus enim generibus hominum prioribus opponit alia duo, nempe plebem,
ac publicanos; hi enim auditis Christi verbis, Deum iustificarunt, consentientes Ioan-
nem à Deo missum, in eoque impletam fuisse Dei ipsius promissionem per Malachiam
factam. At vero Pharisæi illi, & Scribæ, seu legis Doctores, qui & pietatem magnam,
ac scientiam profitebantur, nullatenus consenserunt Christi verbis, non credentes
Ioannem à Deo missum, eumque esse, qui venturus ante Christum promissus erat,
nec hoc tantum fecerunt, sed etiam contra eum obmurmurauerunt, ipsique detraxerunt,
sicque consilium Dei contempserunt. Summa enim, ac diuina prouidentia, & con-
silio Deus Ioannem præmiserat, vt per eum omnes Christum agnoscerent, & in eum
crederent; illi vero non recipientes Ioannem, eique detrahentes, ipsa sua incredu-
litate consilium Dei spreuerunt in semetipsos, id est, in suam ipsorum ruinam, & per-
niciem, sicut qui medicinam oblatam, cum infirmus sit, non recipit, quin potius
parui facit, & inutilem iudicat, scientiam medici suo damno spernere dicitur. Hi au-
tem erant, qui nec à Ioanne prius baptizari voluerunt, & qui adhuc contumaces, &
increduli, quando Christum de Ioanne talia prædicantem audierunt, in sua contu-
macia, ac nequitia permanserunt.

A N N O T A T I O L I V.

Notat Chrysostomus hom. 38. in Matth. priora
verba Lucæ allegans, Pharisæos, ac legisperi-
tos eo magis accusandos significari, quo qui inferio-
res, & qui nec scientiæ, nec pietati dediti videbantur,
quales erant plebei, & publicani, Deum iustificarunt,
& Baptistam receperunt. At vero non solum in hoc
se reos fecerunt, ac accusatione graui dignos; sed
etiam in eo, quod postea viderunt illos plebeos præ-
nitentiam egerisse, & Ioannem recepisse, & nunc etiam
Deum iustificasse Christo consentientes; at illi adhuc
in sua incredulitate, & cordis duritie perdurarunt.
quod Dominus illismet obiecit Matth. 21. Venit, in-
quit, ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidi-
stis ei: Publicani autem, & meretrices crediderunt
ei. Vos autem videntes, nec pænitentiam habuistis
postea, vt crederetis ei. Hæc Dominus. Vbi nota duo.
Prius est, quod non crediderunt, cum tamen publi-
cani crederent. Posterius, quod videntes publicanos
credidisse, non pænituit illos suæ incredulitatis, nec
adhuc credere voluerunt, quod quidem nunc dicitur:
nam prius non credentes à principio spreuerunt
consilium Dei, at nunc auditis verbis Christi, & vi-
so populo iustificante Deum, in sua incredulitate
insistentes multo magis spreuerunt consilium DEI,
quod in eorum ruinam animæ, & corporis cecidit.

Duo verba in hac sententia declaratione indigent.
Vnum est illud (consilium Dei: alterum illud (in
semetipsos.) Quod ad prius spectat, Euthymius Ba-
ptistam Ioannis interpretatur Dei consilium, qua-
tenus à Deo erat præceptum: idem Ambrosius sentit:
at accommodatius videtur, si totum Ioannis myste-

completam esse prophetiam; sicque Deum iustifica-
runt, id est, Deum fidelem, & implentem verba,
ac promissa sua in Ioanne prædicarunt. hanc eandem
significationem secutus est Paulus in allegando testi-
monio Dauid ex Psal. 50. (vt iustificeris in sermoni-
bus tuis) nam ad Rom. 3. Est, inquit Deus verax,
sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis,
id est, fidelis agnoscaris, ac verax, qui implet quod
promissisti, etiam si Dauid propter peccati indignum
se exhibuerit, cui tu, quod ei promissisti, exhiberes,
vt in commentariis illius Epistolæ latius ostendimus;
huius enim verbi multiplex est significatio, quod
paulo inferius declarabimus.

*Psal. 50.
Roma. 3.*

*Pharisæorum,
& Scribarum
incredulitas
omnino dam-
nanda.*

Matth. 21.

*Duo superio-
ris sententiæ
verba decla-
rantur.*

Act. 20.

biliter dicuntur. Quidam alij postremo interpretan-
tur, quantum in se ipsis fuit, quod ad temperandam
significationem verbi (spreuerunt) positum est; hic ta-
mè loquendi modus in ea significatione inuicatus est.

Nos tertiæ expositioni adhæsimus, quippe qui ac-
commodatior visa est, quam etiam Beda retulit, simul
cum secunda.

Ait autem Dominus:

C O M M E N T A R I A.

Verba hæc ostendunt præmissam sententiam fuisse Euangelistæ, narrantis id,
quod gestum est; ex quo occasionem accepit Christus dicendi, quæ sequun-
tur; cum enim videret præcipuos Iudæorum, qui speciem scientiæ, ac pietatis præ
omnibus habebant, nempe Pharisæos; ac legis Doctores Ioannem non recepisse, nec
ipsis Christi verbis de Ioanne loquentis credidisse, pronunciauit contra eos sequen-
tes sententias.

Cui ergo similes dicam homines generationis huius? & cui similes sunt?

C O M M E N T A R I A.

Partacula ergo consecutionem indicat; cum enim Christus vidisset Pharisæos il-
los, legisque Doctores, nec Ioanni, nec sibi fidem adhibuisse, idcirco hæc
protulit, dicens: Cui similibo generationis huius homines, id est, huius sæculi; seu tem-
poris homines? Vtitur interrogatione, vt significet ita eos esse omnium rerum ordini
contrarios, vt vix reperiri valeat, cui similari, & comparari possint. Adiecit autem:
aut cui similes sunt? vt excuset se, quod pueris, quibus nec scientia, nec grauitas
inest, eos conferat, quasi diceret, similes ergo dicam eos pueris, quia tales ipsi sunt.

A N N O T A T I O L V.

*Quid per ge-
nerationem
hoc loco in-
telligatur.*

A pud Matthæum 11. legitur: Cui similem æstima-
bo generationem istam? idem autem est sensus;
homines enim illius tunc sæculi, seu ætatis, vocat
generationem istam, seu homines generationis huius.
quo dicendi genere vsus est Christus Matth. 12. sic
erit generationi huic pessimæ. Quidam recentiores
nomine generationis non solos Iudæos, sed etiam
Christum ipsum, ac Ioannem comprehendunt, quasi
*Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Canta-
uimus vobis tibijs, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis.*

omnes hi pueris comparetur; sed ea interpretatio
improbabilis est: nam generatio hæc à Christo vehe-
menter accusatur, & reprehenditur: accusatio au-
tem, & reprehensio, nec Christo, nec Ioanni con-
uenit. vnde per generationem Iudæos incredulos, ni-
mirum Pharisæos illos, & legisperitos intelligere
debemus, quod in sequentibus magis declarabitur.

C O M M E N T A R I A.

Significat hæc similitudo, nihil ad illorum salutem spectasse, quod non fuerit à Deo
diligenter adhibitum, vt illud Isa. 5. vere nunc dici potuerit: Quid est, quod de-
bui facere vineæ meæ, & non feci? at illos nulla ratione ad resipiscentiam potuif-
se flecti, sed in sua incredulitate, ac malitia pertinaciter permansisse. Ad quæ duo
declaranda vtitur similitudine sumpta à vulgari puerorum cantione, & omnibus no-
ta; sic enim audientium fragilitati se accommodabat, ac eorum menti rem infigebat,
similes dicens Iudæos illos pueris morosis, quibus nulla cantilena placet, nec ad læ-
ta, nec ad lugubria à sodalibus adduci possunt, sed dum tibijs cantatur, id est, læta,
proponunt, se lugubria velle significant; si vero lugubria, contra læta se malle indicat,
in sua contumacia persistentes. Cantilena hæc illius erat temporis. Forum autem
locus est rerum venalium, quo propter amplitudinem solent pueri ludi causa
conuenire.

Itaq. 5.

A N N O T A T I O X X V I I I.

*Proximè sen-
tentie sensus
magis declara-
tur.*

Quod ad verba spectat, loco illius (ad inuicem)
apud Matthæum cap. 11. habetur (cœquali-
bus suis) quod etiam Græce legitur, nam apud Lu-
cam dicitur ἀλλήλοις, id est, alij alijs dicunt, apud
Matthæum vero ἐπιμοις, id est, suis sodalibus, seu
cœtaneis. idem est in vtroque sensus. Illud autem
(Foro) Græce est in singulari numero, in Matthæo
vero in plurali, quod quidem nec sensum mutat.
Quod vero ad intelligentiam attinet, Theophylactus
refert tale fuisse apud Iudæos ludi genus, vt in duas
partes pueri multi diuiderentur, qui huius sæculi re-
pentinam rerum mutationem deridentes, hi tristitia,
illi læta canerent, apud quos nec qui tristitia canebant,
gaudentibus congaudebant, nec læta concin-
centes conformabant se morientibus, vnde deinde

se inuicem impropertantes arguebant. At vero hæc
interpretatio literæ non accommodatur: nam non
hi dicebant: Cantauimus tibijs, illi autem: Lamen-
tauimus vobis, sed vtroque eidem pueris tribui-
tur. Nec Theophylactus illud suum ludi genus mo-
ris esse illius tunc temporis probat, sed ex hac sen-
tentia id extraxisse videtur, quæ profecto longe sen-
sum diuersum facit, quem in commentario explicui-
mus. Nec ex eo, quod dicitur (similes sunt pueris
cantantibus) existimes Iudæos illos contumaces con-
ferri pueris cantantibus, cum potius similes fuerint
illis, quibus decantatum est, nec vlla eis cantilena
placuit; potius Christus, & Ioannes comparantur
illis, qui canebant modo tristitia, modo lugubria.
sensus igitur hic est: Iudæis istis euenit quid simile,
quod,

quod in puerorum cantione videmus, vbi quidam inuitati varie siue ad lata, siue ad lugubria, nec ad vnam, nec ad alterum adduci possunt. Athanasius hom. in psal. 29. in illud. Conueristi planctum meum in gaudium, Hilarius in Matth. can. 11. & Ambrosius, hanc similitudinem applicant etiam Iudæis antiquis, qui nec minis, nec promissionibus Prophetarum, nec prosperitate affecti, nec pœnis afflicti, correcti fuerunt. Hoc quidem verum est,

sed Christus prouerbum, siue similitudinem hanc ex vna parte illis Phariseis, & legisperitis, ex altera Ioannis ac suæ prædicationi conferebat, vt ipsemet Dominus sequenti sententia explicat. Sicque interpretantur Augustinus lib. 2. Quæst. Euang. cap. 11. & Hieronymus Matth. 11. Vide multa spiritua- lia documenta ex hac sententia apud Ambro. lib. de pœnitentia cap. 6. & ferm. 80.

Venit autem Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet.

COMMENTARIA.

Applicat similitudinis partem posteriorem; Ioannes enim modum viuendi difficilem, & asperum seruauit, abstinencia vtens plusquam humana; non bibens vinum, nec manducans panem, id est, cibus ac potibus communibus se abstinens, vt sic homines ad pœnitentiam, ac ad peccatorum resipiscentiam prouocaret. Pharisei vero, & legisperiti modum hunc reprobarunt, & Ioannem tamquam virtute dæmonis illa facientem arguerunt, similes effecti pueris, qui sodalibus lamentantibus non planxerunt; & lugubria canentibus non condoluerunt. similem sententiam obiecit Christus eisdem Phariseis, & Doctoribus Matth. 21. Venit, inquit, ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei. viam iustitiæ appellat pœnitentiam, & vitæ austeritatem. quam Ioannes & seruabat in se, & alijs prædicabat.

ANNOTATIO LVII.

Augustinus lib. 2. quæst. Euang. cap. 11. notat Christum præposito ordine respondisse, seu prouerbum applicuisse; Ioannes enim similis erat lamentantibus, Christus vero ipse canentibus tibi; non tamen reddit causam Augustinus huius mutationis. ea autem est, quia in prouerbio seruauit Christus ordinem ipsorum puerorum, qui eo modo cantilenam pronuntiabant; in applicatione autem tenuit ordinem temporis: nam Ioannis prædicatio præcessit, posterior vero fuit Christi; erat enim ille præcursor. illud vero est in hac sententia notandum, nempe non reperiri in Euangelio locum, in quo referatur, Phariseos, & legisperitos contra

Ioannem obmurmurasse, quod dæmonium haberet sicut reperitur locus, vbi Christum ea blasphemia affecerunt. Ioann. 8. Samaritanus es, & dæmonium habes. Ex hoc loco tamen habemus, iam hos Iudæos id ipsum contra Ioannem fecisse. Notandum etiam est, Matthæum cap. 11. absolute sententiam potuisse: Venit, inquit, Ioannes neque manducans, nec bibens, quæ in eodem sensu accipienda est, non quod nihil manducaret, & biberet, sed quod communi cibo, & potu hominum non vteretur, tamquam eius esset abstinencia, vt fere nihil cibi, & potus caperet.

Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis; Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.

COMMENTARIA.

Priorem partem similitudinis sibi Christus applicat, cuius viuendi forma lenis, & suavis erat, nec eam vitæ austeritatem prædicabat; cibus enim communibus hominum utebatur. At nec hoc placuit Iudæis illis, sed repulerunt eum, dicentes: Ecce homo vorax, qui amicus est publicanorum, & peccatorum; nempe cum eis manducans, & bibens. similes in hoc effecti sunt Iudæi pueris, qui sodalibus tibiis cantantibus non saltarunt, nec gaudentibus gaudere voluerunt, ac increduli, & contumaces, nec Ioanni, nec Christo consenserunt, quibus nec illius durior viuendi regula, nec huius mollior vitæ norma probatæ sunt.

Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

COMMENTARIA.

Culpam omnem in ipsos Iudæos incredulos ac contumaces reijcit; ne quis enim diceret, non mirum si isti non crediderunt; non enim Deus vltus est conuenienti arte, & modo, quibus Iudæi hi in fidem erat trahendi, vnde non est culpa eis impûtanda. huic obiectioni obuians Christus, inquit: Omnes filij sapientiæ, id est, multitudo credentium sua fide Dei sapientiam iustificat, omnemque reprehensionem, ac culpam ab ea auccat, ac in ipsos incredulos conuertit; si enim nemo credidisset, quodammodo dici posset, Deum non adhibuisse ex parte sua, quod necessarium erat, sicque nec eius iustitia appareret: at dum multi crediderunt Ioanni, & Christo, sapientia Dei iusta ostenditur, quippe quæ fecerit totum, quod in se erat, vt hi

vt hi Pharisei, & legisperiti credere possent, si voluissent, sicut & alij multi crediderunt, & resipuerunt ad Ioannis, & Christi prædicationem.

ANNOTATIO LVIII.

Patres diuersi modo locum hunc exponunt.

Quod ad verba spectat, Hieronymus Matth. 11. vbi eadem sententia refertur, asserit in quibusdam exemplaribus sic scribi. Iustificata est sapientia ab operibus suis, fitque sensus valde accommodatus. At vero quia communis lectio est, iustificata est sapientia à filiis suis, ea sequenda est. Lucas autem addit (ab omnibus filiis suis). Varia est autem Doctorum huius sententiæ interpretatio.

Primo loco Hilarius can. 11. in Matth. Sapientiam Christum ipsum, qui sapientia est Patris, intelligit, & iustificatam sapientiam dicit in hoc, quod reiectis incredulis recepit credentes, & obedientes sibi; iuste enim illos repulit, quia nec Ioanni, nec Christo credere voluerunt: per filios autem interpretatur fideles, & credentes, de quibus dixerat; Regnû cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; à quibus iustificata dicitur sapientia Dei, quia confessi sunt iustum esse opus Dei, quod illis reiectis hos receperit.

Secundo loco Hieronymus Matth. 11. explicat iustificatam sapientiam in hoc, quod abscondit hæc, id est, diuina mysteria à sapientibus, & prudentibus, & reuelauit ea paruulis, iuste enim hoc fecit, cum illi Ioanni, & Christo noluerint credere. quæ expositio fere eadem est cum ea, quæ est Hilarij, nisi quod Hieronymus per filios sapientiæ interpretatur Apostolos, à quibus iustificatam sapientiam Dei dicit, quia ab eis comprobatus est Christus iuste fecisse in eo, quod absconderit mysteria illis, & reuelauerit paruulis.

Tertio loco Chrysostomus hom. 38. in Matth. sapientiam Dei exponit, & in hoc iustificatam dicit, quod fecerit, quod ex se est, vt illi crederent, vnde reprehendi, aut inculpari non poterit, quod defecerit in ministrandis medijs necessarijs, ad illorum incredulorum salutem, & fidem. Illud autem (à filiis suis) non interpretatur.

Quarto loco Euthymius duas adfert expositiones. vna est, iustificatam sapientiam à filiis suis esse, quia filij sapientiæ, id est, fideles, & qui diuina mysteria intelligunt, admirati sunt sapientiam Dei, qui diuersis vijs, nempe Ioanne, & Christo saluti, & vtilitati hominum consuluit. Altera est, vt iustificata dicatur sapientia Dei, quia à fidelibus, & intelligentibus habita est irreprehensibilis, vt pote qui fecit, quidquid debuit, & omni modo vta est ad illorum salutem. atque hec posterior expositio videtur Chrysostomi.

Differunt hi Doctores in hoc, quod primi duo sapientiam Christum interpretantur, & iustificationem in hoc ponunt, quod hos repulerit, illos receperit, quia illi culpa sua noluerunt credere, ac

Rogabat autem illum quidam de Phariseis, vt manducaret cum illo.

COMMENTARIA.

Admirandam cuiusdam mulieris peccatricis conuersionem describit Euangelista, vt eo exemplo verificet, publicanos, & peccatores credidisse Christo, quem illi doctores, & Pharisei spreuerunt, quo diuina sapientia iusta comprobatur. vt autem hanc explicet conuersionem, totius facti texit historiam. Quidam igitur ex Phariseis precibus obtinuit à Christo, vt pranderet domi eius cum illo. Illud autem verbum imperfecti temporis (rogabat) non qualescumque preces significat, sed instanter, & perseueranter rogabat. Non enim facilem se exhibebat Christus inuitantibus, quibus se parum profuturum sciebat. Quando autem salutem alicuius futuram nouerat, seipsum etiam hospitem offerebat, vti cum Zachæo publicano factum est.

Superior sententia magis explicatur.

Matth. 11.

Auoris sententia.

Luc. 18. Ezechi. 16.

ANNOTATIO LIX.

AN illo loco, & tempore, in quibus Dominus sermonem præcedentem habuit, inuitatus sit, incertum est. Lucas enim solus huius meminit historiae, quod etiam Irenæus notauit lib. 3. cap. 14. unde quis fuerat hic Phariseus, ignoratur; probabile autem est illo tunc temporis, aut paulo post hoc facta esse. Quod autem ad verba spectat, illud (rogabat) Græce ἰσώρα, dicitur: notat autem Euthymius, non esse

Et ingressus domum Pharisei, discubuit.

COMMENTARIA.

ANNuit Christus precibus Pharisei, non propter eum, de quo nullus fructus sperabatur, sed ut occasio mulieri suæ conuersionis daretur, ac quanto studio Christus peccatorum saluti incumberet, ostenderetur. Ingredditur ergo domum rogantis Pharisei, & discumbit cum illo ad manducandum, eoque facto illorum Phariseorum iniquam, ac contumeliosam damnat accusationem, qua paulo ante dicebant: Ecce homo deuorator, amicus publicanorum, & peccatorum. Si talem Christum ò Pharisei dicitis, ecce vnus ex vestris deuorator etiam est, publicanus, & peccator. At vero impietas, & nequitia non sibi consonat, utpote non veritati, sed mendacijs ac falsitatibus innixa.

ANNOTATIO LX.

Euthymius asserit Christum non deuitasse hunc Phariseum, ne daret occasionem dicendi, quod cum publicanis, & peccatoribus cibum caperet; Phariseos autem fastidiret. At vero cum iam hoc il-

Et ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix.

COMMENTARIA.

ILLis discumbentibus, ecce mulier peccatrix, id est, quæ impudice, ac inhoneste vixerat, quæ quidem mulier erat in illa ciuitate eadem, in qua Phariseus, qui Christum inuitauerat, ibique turpiter se gesserat, maleque apud conciujs audiebat. Particula (ecce) attentionem excitat, ecce inquit, conuiuij tempore mulier penitentia lacrymas miscet, quia peccanti omne tempus est ad penitentiam aptum: ecce in domum Pharisei, qui mundiciem, & sanctitatem profitebatur, peccatrix ingreditur, quia quem vere penitet, præsentiam iustorum non refugit, apud quos peccata grauiora apparent; ut enim inquit Gregorius hom. 33. in Euangel. Quia semetipsam grauius erubescere intus, nihil esse credit, quod erubesceretur foris.

ANNOTATIO LXI.

Quæ fuerit ciuitas in qua hæc contigit historia.

QVod ad literam spectat, illud (Peccatrix) coniecti debet, non cum verbo sic: Quæ erat peccatrix, sed cum nomine sic: Ecce mulier peccatrix, quæ erat in ciuitate, Græce additur articulus, quæ erat in ciuitate illa, nempe in qua Christus inuitatus fuerat à Phariseo. quæ autem sit ciuitas hæc, incertum est, videtur non improbabiler esse ciuitas Naim, in qua ingrediens Dominus suscitauerat filium viduæ propter portam ciuitatis, ad quam Ioannes refertur misisse Discipulos, & Christus locutus ad turbas: hæc enim omnia à Luca consequenter narratur. ibi ergo inuitatus est à Phariseo, nisi enim Euangelista hæc omnia eodem cõtextu narraffet, vti que expressisset, quæ esset ciuitas, in qua tam mira gesta sunt; voluit ergo ad antecedentia se remittere. Quidam ex recentioribus existimat hanc ciuitatem esse Hierusalem, quæ emphatice dicebatur ciuitas iuxta illud Luc. 22. Euntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo; hæc tamen sententia improbabilis est, ut enim ex contextu hoc constat, Christus erat in Galilæa: at Hierusalem est in Iudæa, nec apud Lucam citatum ponitur emphatice, sed ex circumstantijs ibi positis apparebat illam ciuitatem esse Hierusalem. articulus autem Græcus hoc loco positus potius relatiuus est, referturque ad illam ciuitatem, de qua prius Euangelista locutus erat, nempe Naim. Quo autem modo mulier hæc peccatrix dicatur,

accipiendum in ea significatione, quam etiam habet, nimirum (interrogabat) hæc enim significatio accommodari non potest contextui, sed significare idem, quod (vocabat seu inuitabat) quod quidem accommodate dici potest: tamen accommodatior multo est significatio, quam communis lectio habet, nempe rogabat, non enim verbis simplicibus, Sed deprecatorijs illi Pharisei vsu esse credibile est.

li dixissent, potius hoc fecit Christus, ut illos impietatis, & mendacij conuinceret, ut in commentario dictum est.

in controuersia est. quidam recentiores eo more peccatricem vocatam existimant, quo omnes, qui virute aliqua insigni non pollent, peccatores appellamus. Quidam alij plus aliquid comprehendere hoc nomine affirmant, nempe eam fuisse noti exempli, non tam impudicitia, quam licentia, quæ honesta femina dedecori, & probro esse debet, tamen nulla accedit impudicitia. Vtramque tamen opinionem verba Euangelica repellunt: non enim ob ea solum Phariseus opponeret Christo tactum illius, dicens: Si sciret, quæ mulier tangit illum, quia peccatrix est, quæ verba non conueniunt, nisi femina impudicæ, & prostituta vitæ, non enim aliter eius tactus reprehensus esset; nec Euangelista peccatricem appellasset, nisi vera fuisset inhonesta conuersationis, non solum ob infamiam, sed ob opera impudica, & quidem frequentia, & iam ab aliquo tempore; nomen enim peccatricis consuetudinem indicat. quam sententiam Patres antiqui amplexi sunt, eam appellantes meretricem, hoc enim nomine vsi sunt Sacri Doctores, inter quos sunt Chrysostramus hom. 62. ad Populum Antiochenum, & hom. 15. in Acta, ac propter eam dictum esse à Domino censet illud: Meretrices, & Publicani præcedent vos in Regno Dei. eodem nomine vocauit Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 142. Hieronymus Matth. 26. & Augustinus serm. 58. de tempore, cui consonat Ecclesiæ hymnus, quæ tot inquit

com-

commisit crimina, ab ipsa fauce tartari, redit ad vitæ limina, post fluxu carnis scandala sit ex lebetæ phiala, ex vase contumeliæ in vas translata gloriæ. Recentiores autem isti, dum se pietati indulgere putant, honori Mariæ consulentes, pietatem potius minuunt,

Christi, nempe gratiæ detrahentes; virtus enim medici minus laudatur, dum infirmi morbus minor censetur. Existimo igitur eam si non vulgo prostitutam, saltem impudicæ, & inhonestæ vitæ fuisse.

ANNOTATIO LXII.

Difficilis est quaestio, an hæc mulier sit eadem in illa, cuius meminit Matthæus cap. 26. & cum illa, cuius meminit etiam Marcus cap. 14. quæ Iesum in domo Simonis leprosi vnguento illo vnxit, ob cuius effusionem Discipuli indignati fuerunt, similiter cum illa, quæ habetur apud Ioannem cap. 12. quæ soror erat Lazari, quæ etiam Dominum vnxit; illis enim tribus locis Euangelistarum sit mentio vnctionis Christi à muliere factæ.

Quidam primo loco tres mulieres distinctas fuisse affirmant, tresque vnctiones diuersis temporibus factas. Prima fuit multo ante Passionem, circa prædicationis Christi medium, aut paulo ante, cuius nunc meminit Lucas, & dicitur peccatrix. Secunda soror Lazari, quando ante sex dies Paschæ in domo Simonis leprosi Domini etiam pedes vnxit, cuius meminit Ioannes cap. 12. Tertia fuit, quæ ante biduum Paschæ in eadē domo Simonis vnxit Domini caput, & huius meminere Matthæus cap. 26. & Marcus cap. 14. A diuersitate igitur temporum, & ab eo, quod duæ pedes, vna caput vnixerunt, eas distinctas esse isti dicunt. Hanc sententiam tenere nonnulli ex antiquis Patribus, inter quos sunt Titus Bostrenus in hoc commentario Lucæ, & ante ipsum Origenes tract. 23. in Matth. cui opinioni adhæserunt Theophylactus, & Euthymius Matth. 26.

Secundo loco Chrysostramus hom. 81. in Matth. duas mulieres sic distinguit, ut vna, & eadem sit hæc, cuius meminit Lucas, & ea, quam retulerunt Matthæus, & Marcus, cuius nomen à tribus Euangelistis tacetur. Altera est Soror Marthæ, & Lazari, quæ habetur apud Ioannem dicta Maria. An autem eadem sit vnctio hæc cum ea, quam Matthæus, & Marcus narrarunt, non explicat Chrysostramus, indicat tamen eandem esse: nam dicit, (dum de ea, quam Matthæus scribit, loquitur, (illam turpis vitæ consciam non publice, sed in domo, ac priuatim, atque ad animæ incolumitatem acquirendam accessisse; Christumque meretricem suscepisse, dum mentem, ac animum eius considerauit. Chrysostramus ergo eadem mulierem, & vnctionem esse hanc existimauit cum ea, quam Matthæus, & Marcus retulerunt, affirmatque non solos pedes, sed etiam caput post illos vnxisse.

Tertio loco Hieronymus Matt. 26. duas quidem mulieres distinguit, totidemque vnctiones, sed multo aliter: vnica enim existimat, quam Matthæus, & Marcus descripserunt; alteram quæ nunc à Luca refertur, sic enim inquit: nemo eandem esse putet, quæ super caput effudit vnguentum, & quæ super pedes; illa enim & lacrymis lauat, & crine tergit, & manifeste meretrix appellatur; de hac autem nihil tale scriptum est, nec enim poterat statim capite Domini meretrix digna fieri. Hæc Hieronymus, de ea autem, cuius meminit Ioannes, quæ etiam pedes vnxit, sed non lauisse lacrymis, nec capillis terfisse legitur, nec meretrix appellatur, nihil dicit Hieronymus, unde incertum est, an coniunxerit historiam Ioannis cum ea, quæ est Marthæ, & Marci; an vero distinxerit sententijs cum Origene; non enim loquitur, nisi de hac peccatrice, & de ea, quæ caput vnxit; quam vero narrat Ioannes, meretrix non erat, pedes autem vnxit, non autem caput, Vnde forsitan ea ab alijs duabus sensit esse diuersam cum Origene.

Quarto loco Ambrosius nihil de ea, cuius Ioannes

meminit, sororque Marthæ erat, loquens de ijs, quas Lucas, Matthæus, & Marcus scripsere, tractat, incertumque relinquit, an vna sit mulier, quæ prius peccatrix pedes, & postea perfecta, atque emendata caput vnxit, an diuersæ: certum enim existimat duas vnctiones factas fuisse, hanc priorem, posteriorem vero illam, cuius mentionem Matthæus, & Marcus fecerunt; an vero vna, an duæ mulieres fuerint, Ambrosius dubitat, de sorore autem Marthæ, quæ Ioan. 12. legitur, nihil ille expressit.

Quinto loco Augustinus lib. 2. de cõsen. Euag. cap. 79. vniam, & eandem esse mulierem, cuius quatuor Euangelistæ meminerunt, existimat, ita tamen ut bis vnxit Dominum; primo quidem nunc apud Lucam, quando conuersa est per penitentiam; secundo, paulo ante Passionem Domini, quod Matthæus, Marcus, & Ioannes referunt. Hoc recipit Gregorius hom. 33. in Euang. eandem enim putat hanc peccatricem, & eam, quæ soror erat Lazari, & quamuis nihil de ea dicat, quam Matthæus, & Marcus retulerunt, nõ tamen ad dubitasse existimo eandem esse historiam, quam Ioannes Matthæus, & Marcus narrarunt, quod & August. fessit.

In hac difficultate nonnulla dicenda cõseo. Primo quidem hanc vnctionem, cuius Lucas meminit, distinctam esse ab vnctione, quam cæteri tres Euangelistæ referunt, adeo certum est, ut vix negari possit. Hoc quidem argumeto manifesto probatur: nã hæc facta fuit in Galilæa, ea vero, quæ à cæteris quibus narratur, in Bethania castello Marthæ, quæ erat in Iudæa prope Hierusalem: non igitur eadē esse potest, ut omitram tempus, multasque circumstantias, quibus discrimen inter has facile cõperitur: in hocque dicto fere omnes cõsentunt. Vnde docte Irenæus lib. 3. cap. 14. inter multa, quæ solum Lucam inter cæteros Euangelistas scripsisse refert, hoc vnum scribit, nepe historiam mulieris peccatricis lauatis, & vngentis pedes Domini. Hinc patet, non esse eundem Simonem hunc, & illum, qui dicitur leprosus, in cuius domo iterum vnctus est Dominus in Bethania. Secundo vnã, & eandem esse vnctionem, quã Matthæus, Marcus, & Ioannes describunt, probabilius est, ac verius. Hoc dictum verum esse loci vnitas, nempe in Bethania, & apud Simonem leprosum, & Paschæ vicinitas, multasque similes circumstantias ostendunt; nec obstant ea, quæ, qui contrariam tenent sententiam, opponunt, nempe diuersitas temporum: nam vna ante biduum Paschæ, altera ante sex dies facta est: rursus apud Ioannem pedes, apud Matthæum, & Marcum caput Christi abluitur; rursus apud Ioannem Maria vocatur, apud reliquos duos sine nomine est. Ad hæc autem, & nonnulla alia respondimus in commentarijs Ioannis cap. 12. Annot. 2. Ex quibus constat duas tantum fuisse vnctiones, bisque Christum à muliere vnctum. Tertio, probabilissimè est, & omnino tenendum, vnica fuisse mulierem, & hanc, quæ dicitur peccatrix, ac Mariam sororem Marthæ, & Lazari. quod non solum ob auctoritatem Augustini, & Gregorij, multorumque aliorum recipi debet, sed etiam quia tota Latina Ecclesia id cõsuetur, & ut vnã veneratur eam, quæ peccatrix nunc dicitur, & quæ soror fuit Lazari; canit enim in hymno: Maria soror Lazari, quæ tot commisit crimina &c. Huic sententiæ multa obijci possunt, & nonnulli recentiores, plusquã par est, audaces opponunt, tamen soluuntur facile, & Ecclesiæ sententia firmioribus argumetis comprobatur, quod fecerunt alij, perdocti, & pij recentiores, idcirco non

Hh 4 immor-

immorandum amplius in hac re centuimus. An autem hæc sit eadem cum ea, quam capite sequenti refert Lucas, quæque dicta est Maria Magdale-

ne, à qua etiam Dominus septem dæmonia eiicisse scribitur, ibi accommodatius discutiemus.

Vt cognouit, quod Iesus accubuit in domo Pharisei.

COMMENTARIA.

Fama Christi mulier iam ante commota, ac desiderio ad eum veniendi, ut peccatorum suorum remissionem impetraret flagrans occasionem quærebat, quam nacta, simul atque nouit in domo Pharisei illum accubuisse, accurrit, tempus, & locum accommodata iudicans, ut officium suum, quod expetiuerat, exhiberet. sentiebat peccatorum suorum aculeos, agnoscebat Dei gratiam in Christo, ideo nihil eam retardauit, quin ægra ad medicum conuolaret.

Attulit alabastrum unguenti.

COMMENTARIA.

Desiderabat Christo hoc officij genus exhibere, ideo conuiuij tempus obseruabat, quando huiusmodi vnctiones fieri solebant; vas ergo ex alabastrite lapide confectum, unguento pretioso plenum attulit, ut Christum ungeret; ingentis huius mulieris erga Christum amoris indicium, & argumentum.

ANNOTATIO LXIII.

Alabastrum vas erat ex alabastrite lapide confectum, conseruandis unguentis aptum, quo olim antiqui utebantur, quem lapidem Onichem multi putant. Hæc ex Plinio lib. 36. cap. 8. habemus, qui cum in proximo capite meminisset Onichis, ita profequitur: Hunc lapidem alabastritem vocant, quem cauant ad vasa unguentaria, quoniam optime ea incorrupta seruari dicitur. Hæc ille. Apparet hinc, consuetudinis fuisse Iudæorum in lauis conuiuiis amicos singulares hoc velut recreationis gene-

re excipere, & honorare. Huc respicere videtur illud David psal. 22. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me: impinguaui in oleo caput meum: & illud quod scribitur 1. Reg. 12. vbi Samuel Iudæis prædixit fore, ut si Regem sibi constituerent, Rex eorum filius unguentarias faceret. ex quo loco deduci videtur munus hoc fuisse femininarum; quibus magis, quam viris ars hæc quasi delicatis manibus tractanda conueniebat, eaque de causa hæc mulier accessit, ut Christum ungeret.

Et stans retro secus pedes eius.

COMMENTARIA.

QVI antiquo more ad mensam super thoros accumbebant, ita iacebant, ut caput versus mensam, pedes versus exteriorem partem haberent, quam ministri ferentes fercula mensam obibant; idcirco mulier hæc Christi pedes vnctura retro accessit: cum autem thoros altus esset, stetit dicitur, ut sic osculari pedes, lacrymis rigare, ac capillis tergere posset. Merito peccatorum veniam petitura, præ humilitate, & confusione ad pedes accessit, ut supplicantis affectum exprimeret, ad quos utique procubuisset, nisi thori altitudo prohibuisset.

Et lacrymis caput rigare pedes eius.

COMMENTARIA.

Recte, ac prudenter peccatrix à lacrymis sumit exordium; multum enim ad flectendum Deum fletus efficax est. nouerat Dauidem lacrymis adulterij, & homicidij culpam deleuisse, sperabat etiam illa suæ impudicitiae veniam lacrymis impetraturam à Christo, quem Deum esse credebat.

ANNOTATIO LXIIII.

Notanda, & admiranda sunt multa in hac muliere. Primo quidem lacrymarum copia, quæ ad lauandos Domini pedes abundauit, & aquæ defectum, quam Phariseus ministrare debuit, suppleuit, nam idcirco mulier hæc pedes lacrymis lauit, quia nouit ab inuitante non esse ablutos; diuino enim consilio factum est, ne Phariseus aquis pedes ablueret Christi, ut lacrymis mulieris huius locus relinqueretur. Secundo, deuotio; & religio eiusdem mulieris; ut enim notauit Chrysostr. homil. 8. in Matth. legimus multos ad Christum sanitatis corporum obtinendæ causa concurrisse; neminem tamen ex illis scimus ad veniam peccatorum conueniam, & impetrandam venisse, cum multi pec-

catores extiterint, præter mulierem hanc. Tertio, fides eius, quæ Christum esse eum credidit, & qui remittere peccata posset: à qua fide longe illi Pharisei aberant, qui murmurantes intra se dicebant: Quis est, qui etiam peccata dimittit? erat enim hoc solius Dei. Quarto sapientia; nullam enim exteriorem vocem emisit, nec quid vellet, aut peteret, verbo expressit, sciebat cordis vehemens desiderium magnas voces esse apud Deum, nouerat lacrymas efficaciam esse argumenta impetrandi, audierat Moysen à strepitu verborum abstinuisse, & tamen silentem aure diuinæ pietatis auditum fuisse, cum ei dicitur: Quid clamas ad me? Audierat Annam ad templum pergentem ore quidem tacuisse, & tamen desiderij sui voces

emississe, lacrymisque frequentibus, quod optauerat, impetrasse. Vnde scripsit Gregorius lib. 22. mor. c. 13. Vera, inquit, postulatio, non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei, non faciunt verba nostra, sed desideria. Aeternam etenim vitam, si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus, si vero desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus tacentes clamamus. Hæc ille. De lacrymis autem Ambrosius serm. 18. in Psal. 118. sic inquit: Lacrymis crimen abluitur, ut est illud Psal. 6. Discidite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Hæc ille. Et lib. 2. de penitentia cap. 8. de huius mulieris lacrymis loquens, inquit: Peccatum mulier illa in Euangelio; factoremque sui erroris absterfit, sic culpam diluit, dum Iesu pedes lacrymis lauit. Hæc ille.

Psal. 6.

Quanta sit lacrymarum virtus.

De lacrymarum autem virtute multa Chrysostr. scripsit in sermone de penitentia, qui habetur 5. tom. vbi sic inquit inter alia: Magnus profectus est lacrymarum, ut plorando seruus propicietur dominum, filius lacrymis mitiget patrem, & asperam matrem filius paruulus mulceat: ita ergo & peccator profusus fletibus remouet iram Dei, reformatur in ipso. Cupit videre Timotheum Paulus propter fletum 2. Timoth. 1. Cupio, inquit, te videre memor lacrymarum tuarum. & David dicit: Venite adoremus, & ploremus coram Domino, qui fecit nos. Et iterum: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: & potum meum cum fletu miscebam: & stratum meum per singulas noctes cum lacrymis rigabam. Et iterum: Deus vitam meam annunciauit tibi, posuisti lacrymas in conspectu tuo, tamquam si diceret: Suscipe Domine lacrymas meas, quoniam lacrymæ

sunt, quæ penitentiam armant, & indulgentiam prouocant; lacrymæ sunt, quæ cælum pullantes crimina delent, & conscientiam degrauant, sonant orationis verba, & mouent in pectore pietatis veniam; impletur caput aqua, tumescunt oculi, rigantur genæ, decurrunt riui, & Deus indulgentiam mentem exhilarat. lacrymæ sunt, quæ reconciliant Deo, à peccatis redimunt animam, & sanant languores eius. Sordentem animæ vestem lacrymæ lauant, & dant illi remissionis candorem. Hæc Chrysostr. Quinto demum, magnitudo penitentiam, & contritionis cordis eius, quæ in lacrymas effusa etiam aliorum corda ad penitentiam possent reuocare, de qua Gregorius ille Magnus hom. 33. in Euang. sic scribit: Cogitanti mihi de Mariæ Magdalene penitentia, fieri magis libet, quam aliquid dicere; cuius enim vel faxeum peccatus illa huius peccatrix lacrymæ ad exemplum penitentiam non emolliant? considerauit namque quid fecit, & noluit moderari, quid faceret; super conuiuantes ingressa est, non iussa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Discite, quod dolore ardet, quæ flere inter epulas non erubescit. Hæc ille. Non minus Chrysostr. hanc penitentiam magnificans ait hom. 6. in Matth. Sic illa meretricis virgines quoque ipsas castitate superauit, cum hoc igne correpta fuisset. Quia enim perfecte incaluerat penitentia, percita est furore, ceu Bacchico, in posterum amore erga Christum. Siquidem continuo, & crines resoluit, & sanctos pedes vberius diluens lacrymis, ac proprijs extrinsecus capillis unguentum exhausit. Et hæc quidem extrinsecus cuncta fiebant, ea vero, quæ in secreto mentis agitabat, multo his feruentiora erant, quæ tantummodo Deus ipse cernebat. Hæc ille.

Et capillis capitis sui tergebat.

COMMENTARIA.

NON dubium, quin habuerit mulier hæc linteam, quo pedes Christi tergeret, sed eo non est vsa, ut significaret, se pedes Christi abluere, non tam quod habitatione indigerent, quam quod illa eo facto declararet, quanti Christum faciebat, quantumque eam vitæ præteritæ penitebat, quando concinnatis capillis ambulabat. Illud (capitis) adiectum est, cum satis esset dicere (capillis suis) tum ut oratio emphasim haberet, tum ut Euangelista pedibus caput opponeret.

Et osculabatur pedes eius.

COMMENTARIA.

Humilitatis, ac singularis erga Christum amoris argumentum est, quo etiam significabat se pacem, ac reconciliationem cum eo, quem peccando offenderat, vehementer optare, ac petere; osculum enim pacis symbolum est, utque eorum, quæ male olim amassis dederat, osculorum iam penitere indicaret.

Et unguento ungebatur.

COMMENTARIA.

Lotos, ac exteros pedes, post oscula unguento perfundit, & quidem pretioso, ut res ipsa indicat, & Titus Bostrenus affirmat, non autem caput unxit, ut moris erat; quodque postea fecit in domo Simonis leprosi, quia ut inquit Ambrosius. Peccatrix non capiti, sed pedibus accessit unguentis; hoc enim maioris est humilitatis; siue ut eum plusquam humano more honoraret, qui plusquam homo erat, ut inquit Chrysostr. hom. 81. in Matth. & Euthymius apud Lucam: siue, ut unguenta, quæ prius deliciarum suarum erant instrumenta, ad Domini pedes, quasi conculcanda effunderet: aut forsan ne Phariseum iniuriæ taxare videretur, qui caput Christi pro consuetudine ungerere neglexisset.

Quid he mulieris actiones spiritualiter significant.

Gregorius hom. 33. in Euang. horum omnium significationem interpretatur optime, sic scribit: Liqueat fratres, quod illicitis actibus prius mulier intenta sibi vnguentum pro odore suae carnis adhibuit. Quod ergo turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat; sed hoc iam per penitentiam conterens flebat: capillos ad compositionem vultus exhibuerat; sed iam capillis lacrymas tergebat: ore superba dixerat; sed pedes Domini osculans hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot in se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum

Videns autem Phariseus, qui inuitauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret quae, & qualis est mulier, quae tangit eum, quia peccatrix est.

C O M M E N T A R I A.

Christi clementia, qua à muliere illa se tangi passus est, Phariseus offenditur, & scandalizatur, idque ignorantiae potius, quam malitiae adscribit, temere intra se iudicans Christum ignorare mulieris illius conditionem; existimabat enim Christum, si eam nouisset, se ab illa tangi non permissurum; ex eaque ignorantia suo iudicio reputata colligit, Christum non esse Prophetam. Quantum autem in hoc errauerit, sequens annotatio declarat. Dicitur autem Phariseus, qui inuitauerat, quia alij Pharisei etiam aderant; ille autem fuit, qui hoc protulit iudicium. forsan etiam id adiectum est, vt significaret Euangelista, illum motum esse quadam indignatione, quasi aegre tulisset se ab illa muliere tacite accusatum, quod officio suo defuerit, non lauando, nec vngendo Christum, cum inuitantis haec essent officia. Illud (quae) ad personam, illud (qualis) ad qualitatem refertur, illud (quia) causam reddit cuiusdam, quod subintelligitur, nempe si sciret, Prophetaque esset, non sineret se tangi ab illa, quia peccatrix est.

A N N O T A T I O LXVI.

Phariseus multis modis erat dum Christum & peccatricem temere iudicauit.

Phariseus hic in multis deliquit. Primo quidem iudicauit temere Christum nesciuisse, quae, & qualis esset mulier illa: nam argumentum hoc: Hic permittit se tangi ab illa muliere, ergo nescit eam, infirmisimum est; cum alijs de causis id permittere potuerit, etiam si eam nouerit. Quare recte Augustinus lib. 50. homiliarum hom. 23. Vnde, inquit, Phariseae scis Christum non nouisse illam mulierem? Quasi diceret, non habuisti aliquid, ex quo id recte deducere potuisti.

Secundo, dato, quod Christus nesciuisset illam mulierem, adhuc temere Phariseus iudicauit eum non esse Prophetam: nam ex Scriptura sacra potuit Phariseus nosse Prophetas non omnia sciuisse, cum Gen. 27. Isaac ille Patriarcha, qui multa nouit futura, filium suum Iacob non nouerit etiam tangendo, quem putauit Esau. dicat nunc Phariseus de Patriarcha illo si esset Propheta, sciret quis esset, quem tetigit, quia Iacob erat. Similiter Gen. 37. Iacob, qui admiranda praedixit de filijs suis, deceptus credidit Ioseph occisum, quem tamen illius fratres superstitem vendiderant. & 4. Reg. 4. Ille insignis Elisaeus, in quo duplex Spiritus Eliae erat, videns Sunamitidem plorantem, filium illius mortuum esse non nouit, donec ab ipsamet intellexit. Dominus, inquit, caelauit à me. Sunt innumera exempla Scripturae de hac re; temere ergo Phariseus Scripturarum peritus deducebat Christum non esse Prophetam; quia ignorasse putabat mulierem illam esse peccatricem.

Tertio temere etiam iudicauit mulierem esse adhuc peccatricem, quam videbat Christi pedes profusis lacrymis lauante, & proprijs capillis tergentem, osculante, ac vngente, haec non erant officia peccatricis, nec in peccato perseverantis, sed

numerum, numerum criminum, vt totum seruiret Deo in penitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. Haec ille. Euthymius similia. fere considerans, inquit: Ab his, vnde prius ipsa suam venabatur perditionem, ab eisdem nunc venata est saltem. Lacrymis enim amatorijs, & capillis curiosius concinnatis, ac vnguento lasciuos iuuenes dementabat: quae vero primum fuerunt instrumenta peccati, ea nunc fecit instrumenta virtutis. Multa in his spiritualia considerauit Ambrosius in praesenti, ibi licet unicuique legere.

Videns autem Phariseus, qui inuitauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret quae, & qualis est mulier, quae tangit eum, quia peccatrix est.

C O M M E N T A R I A.

Christi clementia, qua à muliere illa se tangi passus est, Phariseus offenditur, & scandalizatur, idque ignorantiae potius, quam malitiae adscribit, temere intra se iudicans Christum ignorare mulieris illius conditionem; existimabat enim Christum, si eam nouisset, se ab illa tangi non permissurum; ex eaque ignorantia suo iudicio reputata colligit, Christum non esse Prophetam. Quantum autem in hoc errauerit, sequens annotatio declarat. Dicitur autem Phariseus, qui inuitauerat, quia alij Pharisei etiam aderant; ille autem fuit, qui hoc protulit iudicium. forsan etiam id adiectum est, vt significaret Euangelista, illum motum esse quadam indignatione, quasi aegre tulisset se ab illa muliere tacite accusatum, quod officio suo defuerit, non lauando, nec vngendo Christum, cum inuitantis haec essent officia. Illud (quae) ad personam, illud (qualis) ad qualitatem refertur, illud (quia) causam reddit cuiusdam, quod subintelligitur, nempe si sciret, Prophetaque esset, non sineret se tangi ab illa, quia peccatrix est.

A N N O T A T I O LXVI.

valde penitentis, & vitam in melius commutantis. deducere potius debuerat: Haec mulier respicit, & à vijs malis suis antiquis recessit, quae talia facit, qualia ab amatoribus saeculi fieri non sunt solita.

Quarto, suomet iudicio seipsum reum facit: nam si talem existimabat esse mulierem illam, cur in domum suam intrare passus est, cur diu immorari permisit, cur Christum non fecit certiore, ne ab immunda tangi se permetteret? Haec profecto efficere debuit, qui talem de illa, & de Christo opinionem habuit: nam & illam immundam, & hunc ignorantem reputauit.

Quinto, ex suo sensu, ac ingenio Christum metuebat, quodque ipse superbe egisset, si illa ei accessisset, utique Christum debere facere censuit, vnde Augustinus lib. 50. homi. hom. 23. Ad illius, inquit, ergo Pharisei pedes, si talis mulier accessisset, dicitur erat, quod Esaias de talibus dixit cap. 52. Recede à me, noli me tangere, quia mundus sum. Haec ille.

Sexto, propriam ignorantiam, & caecitatem mentis non contemplanus Christo ipsi, qui omnia nouerat, eam tribuit: nam quod Ioannes de Christo non semel testificatus fuerat: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, nec credidit, nec mente retinuit: agram ad Medicum salutis accurrisse non animaduertit, clementiam recipientis non est contemplanus, quam ipse temere, & de Christo, & de muliere iudicasset, non intellexit.

Septimo, errauit in legis intelligentia: nam immunditiam legis, quae cotrahebatur ex tactu alicuius immundi, extendebat ad animae immunditiam, quasi non liceret tangere peccatores, ac fornicarios, seu adulteros, quod nulla ratione lex prohibuit, quis enim

id poterat seruire, cum nemo immundos tales cognoscere valeret: immo Pharisei ipsi sanctitatem super omnes superbe profitentes, peccatores tangebant; quomodo enim adulteram ad Christum adducere poterunt, nisi tangendo?

Demum notanda est in Phariseo animi durities, ex superbia nimia proueniens, quae tanto mulieris huius spectaculo adduci non potuit, vt pro suis erratis, vel vnam lacrymam effunderet, saltem in animo suo; cum vel ex illius lectione sanctus ille Gregorius hom. 33. dixerit: Cogitanti mihi de Mariae Magdalene penitentia flere magis libet, quam aliquid dicere. Cuius enim vel faxeam peccus illa huius peccatricis lacrymae ad exemplum penitentiae non emolliant? Haec ille. Quid si vidisset eam, fecisset? sed à Gregori, ecce Phariseus vidit, nec eius cor emollicum est. plus ergo, quam faxeam erat; tantam enim fuisse superbiam illius opinor, vt nulla se penitentia indigere putaret. Ex his constat, quam multa hic Phariseus simul peccauerit.

Christi clementia ac benignitas.

Ex aduerso admiranda est Christi clementia, ac benignitas, qua non solum ab ea, quae peccatrix reputabatur, ac fuerat, tam patienter se tangi passus est, sustinuitque propter illam ignorans reputari: sed etiam eam ad se diuinitatis suae occulta virtute attraxit; non enim illa aliter venire poterat. Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit

A N N O T A T I O LXVII.

Quare Iudas et reliqui discipuli non sunt propter hanc vntionem indignati sicut ob alia ab Euangelistis refertur fuisse indignati.

Poterit quispiam interrogare, cur non murmurauit Iudas nunc, nec indignati sunt Discipuli, sicut fecerunt in posteriori vntione, vt Ioannes, ceterique duo Euangelistae referunt: adiuisset autem Discipulos nunc, testatur Cyprianus lib. ad Nouatianum haereticum de lapsis, Euthymius hoc in loco respondet Iudam eo tempore nondum auaritia morbo captum fuisse, nec Discipulos sermonem Christi de pauperum cura admodum penetrasse, nec infixum habuisse. Non est improbabilis responsio, eo maxime, quod Iudas à principio suae vocationis, & electionis bonus fuit, & bene se gessit erga Christi disciplinam, vt ostendimus in commentarijs in Ioannem cap. 6. annot. 36. ex Cyrillo lib. 4. in Ioannem cap. 30. Hieronymo lib. 3. contra Pelagian. Tertullianus autem lib. de anima affirmat bonum fuisse Iudam non solum electionis suae tempore, sed etiam perseverasse in bonitate vsque ad loculorum officium. Potest etiam huic Euthymij responsioni altera adiungi, nempe non fuisse vnguentum hoc ita pretiosum, ac illud, quod non super solos pedes, sed etiam super caput effusum fuit, proptereaque Euangelistas dixisse illam attulisse alabastrum nardi pistici pretio-

eum. Quod quidem & Gregorius homil. 33. in Euang. notauit, dicens: Quid miramur fratres? Mariam venientem, an Dominum suscipientem? Suscipientem dicam an trahentem? sed melius dicam, trahentem & suscipientem; quia nimirum ipse per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris. Haec ille. Sunt etiam verba Cypriani notanda libro de ablutione pedum, vbi loquens cum Christo, sic inquit: Hoc in muliere peccatrice aliquando passus es, nec dedignatus es in mensa solemni multis conuescentibus infamis personae suscipere famulatum, cuius deuotio vsa est ibi capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro Baptismo, tetigit, lauit, & vnxit vnguento. Macerata intrinsecus anima proprium in sancta sanguinem intulit; singula suum praebere ministerium, cor confritum erupit in lacrymas, fides lauit, charitas vnxit. Haec multa in conspectu tuo congerens holocausta, de fonte cordis fletus hausit, quos protulit; de penitentiae pixide vnguenta, quae obrulit, caputque pro suppedaneo stravit, crinibus circumfusus pedes sacros inuoluit, & terxit. Nihil sibi de se retinens totam se sibi deuouit: & tu affectum potius, quam factum attendens vngebas vngentem, abluebas lauante, tergebas intrinsecus penitentem. Superbo oculo Simon leprosus hanc clementiae tuae diligentiam non poterat intueri. Haec Cyprianus.

si; licet enim hoc pretiosum fuerit, vt supra diximus ex Tito Bostreno, erat tamen commune, quo in conuiujs vti solitum erat. quod si perfectius fuit, non aequae tamen vt posterius, quod rarum, & insolitum erat. Addi etiam potest, non solum vnguentum posterius fuisse pretiosius, & inconsumtum, quippe quo caput Christi erat vngendum, sed totum effusum esse, etiam vase fracto, vt habetur Mar. 14. nunc autem nec vas dicitur fractum, nec totum effusum vnguentum, sed tantum vnxisse pedes, idcirco non est accepta occasio conquerendi, nec à Discipulis, nec ab vilo circumstantium, qui conuiuio aderant. Demum responderi etiam potest, Christum sua interrogatione, ac responsione ad Phariseum facta non dedisse locum murmurationi; ita enim celeriter Christus pro muliere respondit, vt cogitationi Pharisei occurreret, priusquam vllum proferret verbum. cui responsioni omnes intenti de vnguento parum curarunt, eo maxime quod Christus suae diuinitatis radium quendam emisit remittendo peccata, propter quem illi, qui aderant, admirati dixerunt, quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

Et respondens Iesus dixit ad illum.

C O M M E N T A R I A.

NON ad verba Pharisei, cum is nihil locutus fuerit; intra se enim illa, quae relata sunt, dicebat, sed ad cogitationes, quas in animo illius prospexit, Christus respondisse dicitur; qua re & se plusquam Prophetam, immo & Prophetarum Dominum esse ostendit, & falsi, ac temerarij iudicij Phariseum damnauit; qui enim arcana cordis eius detegebat; nouerat utique, quae, & qualis esset mulier illa, à qua tangebatur, eoque demonstrat se eam diuino consilio, non ignoranter admisisse.

Simon habeo tibi aliquid dicere: at ille ait: Magister dic.

C O M M E N T A R I A.

Mirabilis haec Christi in reprehendendo prudentia suauitati coniuncta facit, vt Phariseus sese suo iudicio condemneret, & vt dicit Gregor. hom. 33. in Euang. Dum

Dum sua sententia Phariseus conuincitur, quasi phreneticus funem portat, quo ligetur, ideo ergo consensum illius ad dicendum Christus requirit: quod autem nomine proprio eum appellat, familiaritatis, & amoris cuiusdam est argumentum.

Duo debitores erant cuidam foeneratori; Vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis, unde redderent, donauit utrisque.

C O M M E N T A R I A.

Parabolæ plurimum habent efficaciam ad conuincendum; trahitur enim homo ad consentiendum non solum euidencia exempli, sed etiam priusquam ille intelligat, quo virtus parabolæ tendat; duorum igitur debitorum similitudine, & Phariseum inciuitatis arguit, & mulierem à falsa imputatione tuetur, ac eam illi præponendam esse demonstrat, vt in explicatione ipsa manifestabitur.

A N N O T A T I O L X V I I I.

Ambrosius lib. de Tobia cap. 22. per hos debitores, populos gentium, ac Iudæorum intelligit, qui plura debebat, natio erat gentium, quæ idolatrijs, ac peccatis innumerabilibus ac grauissimis tenebatur, à quibus gratia Christi liberata est. plus autem dilexit: nam ab illis erepta, & ad Ecclesiam vocata mira obsequia præstitit Saluatori. Populus autem Iudaicus minus peccatis obligabatur, quippe qui fidem, ac religionem veri Dei seruabat; à suis autem liberatus delictis, & ad Ecclesiam vocatus,

minus præstitit, quia pauci ex eis crediderunt. Gregorius hom. 33. in Euang. etiam ad vtrumque populum refert similitudinem. Hæc autem existimo dicta esse ab his Patribus spiritualiter, nam ad literam Christus ni hil de vtroque populo loquebatur, sed de muliere illa, ac Phariseo, quos per parabolam significare voluit, ostendens mulierem maiora gratitudinis, & dilectionis opera, & argumenta præstitisse, quam Phariseum, quia maiorem illa quam hic acceperat remissionem peccatorum.

Quis ergo plus diligit?

C O M M E N T A R I A.

Exposita parabola, interrogat Phariseum, vt ex eius responsione conuincatur. Sensus est, vter horum magis diligit foeneratorem? vtrumque diligere dubium non est, cum vterque sit beneficio affectus; sed vter magis diligere videretur, interrogat. Particula (ergo) quæ consecutionem significat, magis illustrat sensum, quasi diceret: ex accepto beneficio, ac debiti donatione, sequitur vtrumque horum diligere foeneratorem, sed vter horum magis diligere iudicandus erit?

A N N O T A T I O L X I X.

Gratæ legitur in futuro (diliget) vulgatus vero in præsentis (diliget) quam lectionem sequuntur Cyprianus lib. ad Nouatianum hæreticum, etiam Ambrosius, & est communis. Sensus in vtraque idem est, nempe vter diligit magis foeneratorem, aut vter diligit, nempe condonatione facta, foeneratorem? Augustinus vero lib. 50. hom. hom. 23. legit in præterito (dilexit) eaque lectio singularis est, & sensum mutat; nam dupliciter possumus de dilectione hac loqui. Vno modo antecedenter quidem in hunc sensum, ei, qui plus diligebat, plus donatum est, quasi magis diligenti: consequenter autem sic: Cui plus donatum est, plus diligit, quasi maiori affectus beneficio. duplex ergo est interrogatio, ac responsionis sensus, scilicet, vter horum plus diligebat foeneratorem, priusquam condonatio facta esset? aut vter ea facta magis diligit, siue diligere existimandus est? Augustinus priori adhæret sensui, quasi qui plus debebat, magis diligeret eum, à quo sperabat maioris debiti condonationem. Quam interpretationem clarioribus verbis amplexus est Euthymius: Tu, inquit, tamquam is, qui paucis es obnoxius supplicij, parum me dilexisti: hæc vero vt quæ multis erat obnoxia, vehementer me dilexisti, vt multum sibi remitteretur. Hæc ille. At huiusmodi interpretatio difficile accommodari potest. Primo quidem quantum ad parabolam, debitores illi non

sperabant sibi condonanda debita, ob dilectionem erga foeneratorem, vnde vnus minus alter plus non diligebant illum, quasi remissorem suorum debitorum. Secundo, quantum ad iudicium Pharisei à Christo laudatum; non enim ex maioris debiti remissione poterat iudicare maiorem antecedentem dilectionem, cum id fieri potuit, non quia plus diligebat, sed quia plus debebat; cui vero minus remissum est, id eo factum est, quia minus debebat. Si enim dictum esset, vni remissum est totum, alteri non, sed pars debiti, tunc locum haberet iudicium Simonis de dilectione antecedenti: at cum vtrique totum remissum sit, non recte iudicabat per hoc de dilectione antecedenti, sed de consequenti: nam is, cui remissum est maius, maioris dilectionis debitor remanet, cui vero minus, etiam si totum, minoris. Tertio, quia verbum præsentis aut futuri indicat consequentem dilectionem. Scio iuxta phrasim Hebræam futurum pro præterito siue perfecto accipi, cuius rei sunt multa exempla. Gen. 1. Ascendebat fons de terra, in Hebræo futurum est. Psal. 122. Propter proximos meos loquebar pacem de te. 1. Reg. 1. Sicque faciebat per singulos annos. suntque multa alia huiusmodi testimonia: tamen hoc in loco, non est, cur ad eam phrasim recurramus, vt ex duobus argumentis primis constat; quod etiam paulo inferius Patrum testimonijs confirmabitur.

Respondens

Respondens Simon dixit: Aestimo quia is cui plus donauit.

C O M M E N T A R I A.

Sensus est, quantum licet ex hac donatione, & beneficio coniecturam facere, profecto is mihi videtur plus diligere foeneratorem, cui plus est condonatum; maiori enim ab illo est affectus beneficio. Recte iudicauit Phariseus, qui male cogitauerat Christum potius ignorasse peccata mulieris, quam donasse, vt inquit Ambrosius lib. de Tobia cap. 22. Particula autem (quia) declaratiua est.

At ille dixit ei: recte iudicasti.

C O M M E N T A R I A.

Laudatur sententia Pharisei, vt excusatio omnis ei adimatur; non enim facile recidimus ab eo, quod proprio iudicio ante iudicauimus, quando aliorum etiam iudicio, ac laude confirmatum est. Hac etiam laude temperat Christus reprehensionem sequentem, qua Phariseum, quod inofficose se gesserit, arguere parabat. suauior namque ac gratiosior efficitur correctio, quæ à beneuolo animo proficisci dignoscitur.

Et conuersus ad mulierem dixit Simoni.

C O M M E N T A R I A.

Christus applicaturus parabolam, & mulierem valde commendaturus, ad eam, quæ retro ad pedes erat, conuertitur, & quam susceperat ad tactum, dignatur aspicere, quamque intus ad se traxerat diuina virtute, ad illam corporaliter conuertitur. mansuetudinis, & misericordiam exhibendam magnum indicium, & argumentum hoc fuit.

Vides hanc mulierem?

C O M M E N T A R I A.

HAEC & sequentia verba magnam habent emphasim, continentque acrem reprehensionem contra phariseum, & efficacem defensionem, ac commendationem mulieris. Sensus autem est, prius o Simon vidisti hanc mulierem, vt eam peccatricem, & me ignorantem iudicares: at nunc iterum vide eam, & alia longe diuersa, immo contraria iudicabis. Præterea, vides hanc mulierem? Profecto hæc, id est, quam peccatricem arbitraris, & mulier cum sit, officiosius se gessit erga me, quam tu, cum sis vir, & cum te iustum arbitraris, & professione es Phariseus, & me rogans inuitasti.

Intraui in domum tuam, & aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis terxit.

C O M M E N T A R I A.

Mulieris officia maiora, ac præstantiora iis, quæ Phariseus exhibuerat, enumerat, & eadem emphasis in verbis singulis est; refert enim ea, quæ Pharisei erant, & est sensus: intraui in domum tuam, quod debuit te obligare, vt officia, quæ inuitatis, & hospitibus exhiberi sunt solita, non negares; tu vero aquam, rem facilem, & quæ vilis, ac nullius est pretij, non dedisti pedibus, non solum tu non lauasti pedes, sed nec aquam ipsam ministrasti, vt lauarentur: at in huius domum ego non intraui, sed ipsa ad me in tuam venit; & non aqua, sed lacrymis, quod difficilius est, rigauit pedes meos; & non linteo, sed quod charius habetur, capillis proprijs terxit. Perpende quæ, & quanta mulier hæc, quam peccatricem iudicasti, erga me officiosius, quam tu, fecerit.

A N N O T A T I O L X X.

Vetus consuetudo lauandi hospitum pedes.

Peregrinis & hospitibus olim lauati solitos esse pedes multa Scripturæ loca significant. Gen. 18. Abraham trium Angelorum, quos specie peregrinorum susceperat, pedes lauare voluit. sic etiam Loth Angelis illis Gen. 19. sic etiam cum duobus Ga baonitis factum legitur Iudic. 19. sic etiam 1. Tim. 5. Paulus viduis præcipit peregrinorum lauare pedes. Hac de causa debuit Phariseus lauare pedes Christi: nam peregrinus venerat, qui eo die ciuita-

tem Naim intrauerat, quando ad portam filium viduæ suscitauerat, & ingressus missos à Ioanne susceperat, & sermonem ea occasione ad populum habuerat; tunc enim inuitatus fuit à Phariseo. An autem inuitatorum pedes lauati soliti fuerint, etiam si peregrini non fuerint, non omnino constat, verisimile id est, eo maxime, quia decumbebant thoris, & vestes deponabant.

Osculum

Osculum mihi non dedisti: hac autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos.

COMMENTARIA.

Prosequitur narrare officia mulieris, collatione facta ad Pharisaum. sensus est: Tu nec vnum osculum, quod hospitibus in pacis symbolum, & in facie datur, praebuisti, at hac non vnum osculum mihi dedit, sed ex quo intraui, non cessauit, non quidem faciem, sed pedes meos osculari, quod & vementissimae eius erga me dilectionis, ac venerationis est argumentum.

ANNOTATIO LXXI.

Osculum dari solitum erat venientibus, aut recedentibus in signum pacis, ac dilectionis. plena est Scriptura huiusmodi testimonijs Gen. 31. Ruth. 1. & 1. Reg. 20. & in alijs multis locis. Hac consuetudine abusus Iudas osculo tradidit Christum, quod autem Iudaei tunc osculo, id nos nunc amplexu, aut manus porrectione significamus.

Oleo caput meum non unxisti: hac autem unguento unxit pedes meos.

COMMENTARIA.

Tu nec oleo, quod minoris est, vel caput meum non unxisti: at hac mulier repretiosa, nimirum unguento pedes ipsos, quae capite sunt inferiora membra, unxit. Christus oleo, quo utebantur pauperes, unguentum, capiti vero pedes opponit, vt officium mulieris, collatione Pharisei, magis commendet, ac illustret; eamque non solum plus, quam Pharisaum, sed etiam vehementer diligere eum ostendat.

Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

COMMENTARIA.

Propter haec omnia, quae narraui, o Simon; dico tibi vnum, nempe ei remissa esse multa peccata; quod est totum debitum, & multum, quale erat illud quingentorum denariorum, quod eo signo, & argumento manifestum esse potest, quia signa multa dilectionis erga me ostendit; tu enim iudicasti, & quidem recte, cui multum dimissum est, multum diligere, ac magis gratum esse erga creditorem debere: vbi ergo ista multa dilectionis signa apparent, iudicandum est magnam praecessisse peccatorum, ac debitorum remissionem. Perpende igitur, quam temere iudicaueris hanc mulierem esse peccatricem, & ab eius tactu tamquam pollutae cauendum, cum ex mira eius gratitudine, ac dilectionis magnae argumentis debuisses colligere, multa eius peccata ei esse remissa. Illud (remittuntur) per enallagen positum est pro praeterito. Illud (quoniam) causam significat, non rei, sed probationis; est enim argumentum ab effectibus, & signis. Hac sententia Christus significat se esse remissorem peccatorum, & condonasse peccata mulieri: nam ex signis dilectionis erga ipsum, quasi creditorem, & cuius erat debita condonare, exhibitis, deducit, mulieri esse peccata remissa.

ANNOTATIO LXXII.

Quod ad verba spectat, illud (remittuntur) Graece est ἀφαιρῶνται, seu ἀφαιρῶνται, non est praesens, sed praeteritum Atticum, nempe (remissa sunt) sic antiqui Patres legerunt, inter quos sunt Ambrosius lib. de Tobia cap. 22. & lib. 2. de penitentia cap. 8. & Gregorius lib. 6. Epist. 22. Quamuis etiam alij antiqui Patres praesens legerint, sicut & Vulgatus, scilicet Cyprianus lib. ad Nouatianum, quod lapsus non est neganda spes veniae, & Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum. Gregorius homil. 33. in Euangel. & Bernardus serm. 10. qui est de compunctione: legunt enim (remittuntur) solent enim Graeci frequenter vti praeterito pro praesenti: at vero, cum hoc in loco sensus id non postulet, sed accommodatio fiat, si retineamus ipsam praeteriti significationem, non est, cur ad eum vsum recurramus, quin potius dicimus, praesens pro praeterito apud Vulgatum positum esse, cum Graece sit praeteritum, & sensui id magis accommodetur, faueatque aucto-

Præsens tempus pro praeterito positum.

ritas Doctorum citatorum, qui praeteritum legerunt, nec etiam inusitatum sit praesens pro praeterito usurpari. Ioan. 8. Loquor vobis & non creditis, id est, locutus, & non credidistis. Et iterum: Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. sunt haec verba praesentia posita pro praeteritis; iam enim Christus locutus erat, & multa miracula fecerat. Quo autem modo, & quando huic mulieri fuerint remissa peccata, dicemus paulo inferius, quando Dominus hoc ipsum verbum repetit, mulieri loquens. Illud autem (multa) non significat non omnia esse dimissa, sed potius indicat omnia illius peccata fuisse multa; fieri enim potest, vt sint omnia, & pauca; si enim quispiam haberet tria peccata, quorum acciperet remissionem, vtique omnia illi dimissa dicerentur; tamē re vera pauca erant: at huius mulieris peccata omnia multa erant, idcirco magis explicuit remissionem, dicendo multa, quam si dixisset omnia, sicque parabola accommodabatur, vt is plus diliger

tigeret cui plura remitterentur, & multum diligeret, cui multa essent remissa. Similis phrasis a Paulo & eadem de causa obseruata est. Roman. 5. Delictum, inquit, ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem, dixit

(multis) non quod gratia Christi non esset in satisfactionem pro omnibus peccatis, sed quod ea omnia erant multa, sicque, notauit Augustinus, verbum Pauli explicans.

ANNOTATIO LXXIII.

Num peccatorum remissio ex dilectione, vel dilectio ex remissione prouocetur.

Obscura sententia est, quam praecedenti commentario exposuimus, multaue dicuntur a Doctoribus, quorum nonnulla referemus, eo maxime, quia non est facile mentem Antiquorum Patrum in hac parte assequi. Primo igitur loco Augustinus lib. 50. homil. hom. 23. particulam (quoniam) causam rei indicare sensit, ita vt propter nimiam dilectionem mulieris remissa sint ei peccata multa, in hunc sensum: mulier hac habens peccata multa, multum dilexit eum, quem credebatur posse ei peccata remittere, & a quo sperabat peccatorum multorum remissionem. Christus autem videns multam eius dilectionem, multa ei, id est, omnia eius peccata dimisit: remissio ergo secuta est mulieris dilectionem, quasi effectus ex causa. Verba Augustini sunt haec: Dicer aliquis, si cui modicum dimittitur, modicum diligit, & cui plus dimittitur, plus diligit, expedit plus diligere, quam minus diligere, oportet vt multum peccemus, & multum debeamus, quod nobis dimitti cupiamus, vt dimissorem magnorum debitorum amplius diligamus. Peccatrix enim illa mulier quanto plus debebat, tanto dimissorem debitorum suorum amplius diligebat, dicente Domino: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hac Augustinus. quibus verbis aperte indicat sententiam dictam. Quamuis enim ea verba sint proposita nomine aliquorum, tamen non reprobatur Augustinus sensum, & intelligentiam eorum, sed tantum ostendit non propterea nos debere multum peccare, vt ea de causa plus diligamus eum, a quo speramus multorum peccatorum remissionem. Huic sententiae consentit Euthymius.

ba Paulo, inquit: Multum peccauit Paulus, qui etiam persecutor fuit, sed multum dilexit, qui vsque ad martyrium perseuerauerit: remissa sunt ei peccata multa, quia & ipse multum dilexit, qui sanguini proprio pro Dei nomine non pepercit. Hac ille. Quae verba de dilectione consequenti remissionem peccatorum intelligenda esse nemo potest dubitare.

Tertio loco Gregorius lib. 6. Epist. 22. ad Gregoriam de dilectione, quae sequitur remissionem, interpretatur, illudque (quoniam) probationem indicare sentit, quasi argumentum sit ab effectu, vt in hoc demonstratum sit ei remissa peccata multa, ex dilectione multa, quam ostendit. Verba Gregorij sunt haec: Vos de multitudine peccatorum studuistis accusare, sed scio, quia omnipotentem Dominum feruenter diligitis, atque in eius misericordia confido, quia illa de vobis. Sententia ex ore veritatis procedit, quae de quadam sancta muliere dicta est: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quomodo autem fuerint dimissa, in hoc etiam monstratum est, quod postmodum est secutum, quia ad pedes Domini sedebat, & verbum ex ore illius audiebat. Hec Gregorius. Pondera pro intelligentia verborum Gregorij, illam feminam ad quam scribebat, desiderasse scire, an remissa fuissent illius peccata: Gregorius autem respondet ex feruente dilectione, quam in ea agnoscebat, se confidere illi fuisse remissa peccata, quasi ex quodam signo. Rursum pondera illud (etiam) loquens enim de muliere Euangelica, de qua dictum est, remissa esse peccata multa; inquit, in hoc etiam monstratum est, scilicet quia postea sedebat ad pedes Domini. quid est (etiam) in hoc monstratum est? Nimirum, sicut semel monstratum fuit, quando lacrymis rigauit pedes, & capillis terxit, eosque unxit; propter haec enim dictum est remissa esse peccata, quia multum dilexit, id est, signa magnae dilectionis, gratissimamque se exhibuit, id est, in his probatur remissa esse ei peccata. Haec dicta sint in explicationem Gregorij, vt constet, quae fuerit eius intelligentia erga hanc praesentem sententiam.

Quarto loco quidam posteriores tempore Doctores, distinguunt remissionem duplicem peccatorum, vnam quantum ad culpam, alteram quantum ad poenam; illam sequitur dilectio, hanc vero praecedit, nimirum quia remissa sunt peccata, quantum ad culpam, ideo dilexit; at vero, quia dilexit, ideo sunt remissa peccata quantum ad poenam, siue sit dilectio quoad affectum, siue quoad effectum. cu igitur in hac sententia dilectio dicta sit causa remissionis peccatorum, intelligere debemus, quoad poenam. Attamen haec interpretatio meo iudicio caret probabilitate; no enim sermo hic est de poenis tantum, sed de culpis, quae vere peccata dicuntur, quaeque illam mulierem fecerant peccatricem, & quae ille Phariseus obieciat; haec enim, & illa mulier flebat, & eorum veniam optabat, & Dominus remissa esse affirmavit, vt non iam sit ab ea, tanquam a peccatrice fugiendum.

Quinto loco recentiores de remissione culpa, seu peccatorum interpretantur, dicunt autem dilectionem, & remissionem peccatorum esse simul; nec enim vna est sine altera, sunt autem inuicem sibi causae, genere tam diuerso: nam remissio est velut causa materialis, dilectio vero formalis. Vnde quia remissio fit ideo

500

ideo dilectio est. & iterum, quia dilectio est, ideo remissio est, couertunturq; ista duo, quia remissa sunt ei peccata multa, dilexit multum, & quia dilexit multum, remissa sunt ei peccata multa, eaque est causa, cur Dominus, cum secundum similitudinem parabole debuisset inferre, dilexit multum, quia remissa sunt ei peccata multa, intulit couerso modo, remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum; nec hoc fecit sine consilio, vt nimirum significaret, non esse omnimodam similitudinem in remissione debiti, & in remissione peccati: nam in illa tempore posterior est dilectio, in hac vero simul; nec vna est sine altera. Hac sentiunt quidam ex recentioribus. alij vero alia dicunt, quæ referre inutile est.

Auctoris sententia.

Pro huius difficultatis resolutione aduertendum est, præcipuum Christi intentum in hoc sermone ad Phariseum habito, fuisse opponere se illius temerario iudicio, quo mulierem peccatorem esse iudicauit, Christumque ignorantis arguit, quasi qui ignarus permiserit se ab illa tangi. Christus ergo ostendit illam non iam peccatricem esse, sed suorum quauis multorum peccatorum obtinuisse remissionem; seq; permisisse eam ad se accedere, vt eam à peccatis mundaret, eaque illi remitteret: vt autem hoc indicaret, argumentum sumit ab effectu gratitudinis, & à dilectionis magnæ signis; ea enim de causa tot ac tanta dilectionis opera mulier exhibuit, seq; valde gratam præstitit, quia beneficium magnum receperat ab eo, erga quem illa omnia præstabat. Vt autem argumenti efficacia perciperetur, proposita est similitudo duorum debitorum, quorum vni plus, alteri minus donatum est; factoque iudicio illum cui plus dimissum est, ætiori vinculo dilectionis erga

donantem teneri, sumit Christus argumentum ab effectu ad causam sic: si ergo plus dilexit, ergo plus ei dimissum est, & si multum etiam dilexit, multum dimissum est. Quo sensu & interpretatione parabola, seu similitudo optime accommodatur rei ipsi, cuius causa posita est, sicque in commentario interpretati sumus cum Gregorio Magno, quem tertio loco citauimus. Sequens sententia hanc expositionem comprobat. At vero vt veritas doctrinæ magis eluceat, aduertendum etiam est, non hic agi de dilectione illa prima interiori, quæ vna cum fide ad iustificationem concurrat; peccator enim credens in Christum, & diligens, vereq; pænitens, gratiam iustificationis, qua peccata dimittuntur, consequitur, non inquam de hac sermo est, non enim hæc à Phariseo videbatur, vt argumeto conuinci potuisset, remissa illi fuisse peccata, quia dilexit; sed agitur de ea, quæ post iustificationem permanet, & signis ac operibus exhibetur: nam iustificatus homo, etiam post iustificationem diligit Deum, ac Christum ob beneficium remissionis, quod probabiliter cognoscit sibi diuinæ misericordiam impensum, exhibereque se nititur valde obsequentem bonis, ac religiosis operibus. hæc dilectio consequitur posterior etiam tempore, remissionem, & tanquam effectus ipsius, & ab ea accipitur argumentum remissionis præcedentis. Vnde recte Gregorius Epist. allegata, remissionem peccatorum mulieri factam, ostensam, & demonstratam etiam esse dicit in eo, quod post dies non paucos sedebat ad pedes Christi, audiens verba eius, quando Martha fatagebat circa frequens ministerium. Hæc sunt, quæ in huius sententiæ explanatione probabiliora mihi sunt visa.

ANNOTATIO LXXIIII.

Quomodo hæc mulier multum dilexit antequam sciret condonata sibi esse peccata.

AD maiorem huius interpretationis declarationem satisfaciendum est cuidam dubitationi, quam posset quispiam opponere, nempe mulier hæc quando Christus huiusmodi de ea protulit verba, nondum sciebat sibi esse peccata remissa: quomodo ergo potuit diligere Christum tamquam benefactorem, & debitorum remissorem? vt enim parabola accommodetur, id fieri oportebat: nam debitores illi non dilexerunt sceleratorem, vnus plus, alter minus, nisi post condonationem agnitam. Respondeo non esse necessarium, vt in omnibus similitudo procedat, sed in eo, quod præcipue intenditur: fateor quidem mulierem non sciuisse sibi esse remissa peccata, quando ita feruenter diligebat, ac signa dilectionis suæ exterius exhibebat; tamen re ipsa illa dilectio ex remissione, & post remissionem erat, ac remissio iam

facta in eam dilectionem impellebat, quamuis tunc ipsa ignara esset de remissione peccatorum sibi facta. Sciebat autem Christus, idcirco ipse affirmauit, atque ex dilectione illa tam mira exhibitâ, argumtum sumpsit ad hominem, nempe ad conuicendum Simonem, ex eius prolato iudicio, nempe mulieri illi condonata esse multa eius peccata, nec deberi peccatricem existimari, vt ille falso iudicio, ac temerario fecerat. Contingit autem sæpe, vt anima in aliquos prorumpat actus, aut diligendi, aut timendi, aut compungendi se, ex aliquo dono, ac beneficio, sibi à Deo collato, quod tamen ipsa nondum agnouit, ita vt liceat homini in spiritualibus versato ex talibus actibus sibi narratis probabiliter nosse causam, à qua procedunt. Sic similitudo, & parabola accommodatur, seruitque optime proposito.

Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

COMMENTARIA.

Perficit similitudinem: nam in muliere priorem partem ostendit, nempe debiti quingentorum donationem, ideoque conclusit eam multum diligere, supererat pars altera debentis quinquaginta, hic enim cum minus ei sit donatum, minus diligit creditorem. qua tacite notat Phariseum, qui minora dilectionis signa ostendit, vt pote cui minus condonatum sit. præponitur igitur mulier Phariseo, quæ plus illo dilexit; & iustior insinuat ipso, quippe quæ omnium remissionem peccatorum acceperit. Phariseo autem parum condonatum est, ideo minus dilexit, non quod ei aliqua peccata fuerint donata, cum eum non pænituerit, nec remissionem acceperit, sed quod ab aliquo peccato committendo fuerit præseruatus Christi gratia: nam qui Christum inuitauerat, non prosequeretur eum eo odio, quo cæteri Pharisei.

ANNOTATIO LXXV.

Verba hæc de dilectione consequente re-

Recte notauit Euthymius hanc sententiam prolata esse à Domino, vt Phariseum illum repre-

henderet. Eam autem de dilectione consequente intelligendam esse vix dubitari potest, nempe eum, in remissione sua cui

cui minus donatum est, vt pote minori affectum beneficio, minori dilectione, aut gratitudine obligatum remanens, ac propterea minus diligere, quam illum, cui plus donatum est; sicque intellexit eam Iræneus lib. 3. cap. 22. nimirum de dilectione, quæ ex gratitudine, ob acceptum beneficium procedit. de eadem etiam consequente dilectione interpretatus est Cyprianus lib. 3. ad Quirinum num: 11. Similiter etiam Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum. Hæc profecto satis aperte probant præcedentem sententiam, quæ huic est connexa, eique respondet, esse intelligendam de eadem consequente dilectione, quæ effectus est remissionis, & donationis, & per quam veluti per effectum probatur, & ostenditur causa, nempe remissio, & donatio, vt iam explicatum est.

Quomodo verum sit minus diligere cui minus dimittitur, & magis, cui maiora sunt dimissa peccata.

Dubitabit quispiam, quomodo verum sit eum, cui minus dimittitur, minus diligere; cui plus dimittitur, plus diligere, cum constet multos, qui minus peccarunt, vehementius amare Deum, ac perfectiorem habere charitatem, quam multos, qui plus peccarunt & maiorem remissionem receperunt. Respondeo Christum loqui de ea dilectione, quæ oritur ex hoc beneficio remissionis accepto, quasi ex quadam gratitudine, hæc enim minus diligit, qui minorem accepit remissionem quantum ex parte ipsius remissionis; nam sunt homines aliquando grati, vt pro minimis beneficijs plura rependant, quam ij, qui maiora receperunt beneficia, etiam si hi grati existant. Augustinus homil. 23. lib. 5c. homil. obiectionem facit talem, cuius paulo superius fecimus mentionem, ea autem talis est; Si is cui minus dimittitur, minus diligit, & cui magis dimittitur, magis diligit; igitur expedit multum peccare, vt plus remittatur nobis, ac consequenter magis diligamus. Huic multa potuisset Augustinus respondere, inter quæ vnum illud est, neminem sibi, vel instans futuri temporis certum habere, sit enim vt dum peccata multiplicat spe maioris dilectionis, morte præueniatur antequam diligit, & damnetur, cui periculo se exponere demeritæ est. At vero ipse Augustinus sic respondit, nimirum neminem esse, cui pauca dimittantur, vt minus diligit, sed omnes plus diligere debere: nam is, qui commisit multa peccata, beneficium magnum accepit, remissionis, scilicet eorum; qui vero non commisit, etiam beneficium recepit, ne ea committeret; & quo minora, ac pauciora commisit, eo maiori beneficio affectus est: vnde non minus diligere debet, quam is, qui commisit. vt enim recte dicit, nullum est peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Rector, à quo factus est homo. Ad gratiam igitur eandem Dei spectat, & remittere commissa; & impedire, ne committantur. Sic Augustinus soluit difficultatem. Hoc tamen non est satis accommodatum parabole; sic enim nemo esset, qui minus diligeret, loquitur enim Christus de dilectione, quæ eo titulo procedit, nempe ex remissione peccati; nam multis alijs titulis diligere possumus, & debemus, sitque sæpe vt qui minus peccarunt, Deum maxime diligant, etiam sine villo respectu ad peccata commissa, aut præuenta ne fierent. Doctrina tamen Augustini vera est, gratiam scilicet

esse DEI, ne committamus peccata, ob quam diligendus est Deus, sed tamen distinctum est beneficium ab eo, quod est commissorum remissio: non enim homo ob peccata, quæ committeret, nisi gratia adiutus esset, dicitur debitor eorum, sed is, qui commisit.

Verum sit maius Dei donum peccata dimittere, an præferuare ne committantur.

Possent autem quispiam interrogare, cum vtrumque sit Dei gratia, ac beneficium, nempe peccata commissa remittere, ac impedire, ne ea committantur, vtrum est maius altero? Augustinus lib. 2. confess. cap. 7. maius censet præferuari à peccato, quam post commissum, eius assequi remissionem. verba ipsius sunt hæc. Gratia deputo, & misericordia tua, quod peccata mea tamquam glaciem soluisi; gratia tua deputo, & quæcunque non feci mala.

Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amaui? Et omnia dimissa esse mihi fateor, & quæ mea sponte mala feci, & quæ te duce non feci. Quis est hominum, qui suam cogitans infirmitatem audeat viribus suis tribuere castitatem, atque innocentiam suam, vt minus amet te, quasi minus ei necessaria fuerit misericordia tua, qua donas peccata conuersis ad te? qui enim vocatus à te secutus est vocem tuam, & vitauit ea, quæ de me ipso recordantur, & fatentur legit, non me derideat me ab eo medico ægrum sanari, à quo sibi præstitit vt non ægrotaret; vel potius vt minus ægrotaret; & ideo te tantum, imo amplius diligit, quia per quem me videt tatis peccatorum languoribus exui, per eum se videt tatis peccatorum languoribus, non implicari. Hæc ille. Nota amplius eum debere diligere Deum, qui præseruatus est, ne peccata committeret, quam illum, qui in ea incidit, & liberatus est. Theologi scholastici, inter quos est doctissimus S. Thomas 2. 2. q. 106. ar. 2. distinctione quadam vtuntur, beneficium enim, seu donum dupliciter potest considerari. aut in se, & absolute, aut respectu eius, cui confertur. si priori modo consideramus, maius donum est præferuari, ne peccemus, sicut maius est in se beneficium sanitas, quæ est cum præseruatione ab infirmitate, quam quæ est post infirmitatem: at vero posteriori modo maius beneficium est remissio, quia minor est dignitas in recipiente; Et quanto is, cui confertur, minus est dignus beneficio, tanto ipsum maius est, non absolute, sed relatione ad recipientem; vnum enim vni collatum maius esse potest, quam si illud alteri conferatur, immo minus beneficium in se, potest esse maius altero, si conferatur respectu eius, cui fit: nam quo indignior est recipiens, eo beneficium magis gratis, & liberaliter datur à conferente. cum ergo remissio commissi detur indigno, nempe peccatori, ideo maius hoc est, quam præseruatio à committendo, quæ confertur minus indigno, quamuis absolute hoc sit maius donum, ac beneficium. Illo autem modo priori Augustinus affirmauit maius esse præferuari à peccato. At vero simpliciter loquendo, quia de ratione gratia, ac beneficii, seu doni est, vt gratis detur, fit, vt quod ex hac parte maius est, simpliciter maius dicatur, sicque remissio maius est beneficium, & ad maiores gratias remittenti agendas obligat recipientem.

Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.

COMMENTARIA.

VT eam redderet certiore, vtque suam remittendi peccata auctoritatem ostenderet, quamuis Phariseo muliere audiente dixerat, remissa esse illi peccata, ad eam tamen dirigit sermonem, dicens: remissa sunt peccata tibi. Quasi diceret: Obtinuisti quod desiderabas. Verbum præsentis positum est pro præterito, maxime quia parum temporis intercesserat, quando ei remiserat peccata, vt quasi præsens sit reputandum. remissa autem ei fuerant, ob fidem, & pænitentiam, ve-

hementissimamque cordis contritionem, quæ induxit eam, vt exterius tanta signa doloris, & contritionis exhiberet: cum autem dicitur (peccata) absolute, vniuersitas peccatorum illius significatur. Hoc enim vox indefinite posita indicat; sicut & illud 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Et Ioan. cap. 1. Ecce qui tollit peccata mundi. Nec solum culpas, sed etiam pœnas remissas fuisse credendum est; tanta vis fuit pœnitentiæ, & dilectionis etiam consequentis.

ANNOTATIO LXXVI.

Quando remissa fuerint peccata huic peccatrici.

NON est putandum, tunc cum hæc verba pronuntiata sunt, mulieri fuisse remissa peccata, saltem quoad culpæ reatum; nec etiam quando cum Pharisæo loquens Dominus eodem vsus est verbo: sed tunc quando accessit mulier Christo fide, ac pœnitentia suorum commissorum vehementi commota, quæ causa fuerunt eorum, quæ exterius gessit, vt diximus supra ex Cypriano lib. de ablutione pedum; de hac enim loquens inquit: Macerata intrinsecus anima proprium in sancta sanguinem intulit; singula suum præbuere ministerium, cor contritum erupit in lacrymas, fides lauit, charitas vnxit. Hæc ille. Dominus autem remissa peccata esse dixit, tum vt eam redderet de remissione certior, ac quod pe-

tebat impetrasse: tum vt Pharisæo significaret eum male de muliere iudicasse: tum demum, vt se remissorem peccatorum fuisse ostenderet. Quod si verbum temporis præsentis legamus, adhuc idem est sensus, nam totum illud tempus præsens est iudicatum, quia breue fuit. accommodatior tamen est significatio præteriti, vt verbum Græcum habet. vnde non probo, quod Euthymius dicit, nimirum hoc verbum prolatum à Domino, vt donaret, quod illa petebat, nempe remissionem peccatorum: nec etiam quod quidam recentiores dicunt, scilicet prius remissa fuisse quantum ad culpas, nunc autem quantum ad pœnas, verius tamen existimo etiam de culpis hoc verbum intelligi, vt expositum est.

Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se.

COMMENTARIA.

QUI mensæ accumbebant, tum ex verbo (remittuntur) tum ex ipsa parabola, intellexerunt Christum significasse se peccata dimisisse mulieri illi. Ex verbo quidem, quia non vt is, qui prophetat, aut reuelat aliquid occultum, & quasi ab alio factum, id pronunciauit; sed quasi auctor remissionis, sicut etiam superius eodem verbo vsus cum paralytico idem significauit. Ex parabola autem, quia ex dilectione erga se à muliere exhibita intulit, multa ei fuisse remissa: sicut qui maiorem remissionem obtinuit à fœneratore, eum plus diligit. conferens ergo se fœneratori, se remissorem peccatorum indicabat. Cœperunt ergo accumbentes intra se, id est, vnusquisque intra se, ac in corde suo dicere, quod sequitur in proxima sententia.

ANNOTATIO LXXVII.

VERBO ipso (remittuntur) significasse Christum se peccata illi remisisse, probat Titus Bostrenus, affirmans verba à Christo illic habita, indicasse non vulgarem prophetam, sed ipsorum Dominum. Ex parabola autem ipsa id ipsum ostensum esse, ratio demonstrat; non enim aliter ex dilectione impensa ab illa muliere erga eum, deduci poterat ei fuisse multa remissa peccata, nisi ipse esset, qui remittebat,

quasi mulier debitor illius esset. Illud autem (intra se) ambiguum est tam Græce, quam Latine, aut intra se, id est, simul inuicem loquentes, vnus ad alterum; aut vnusquisque in corde suo, sicut Simon etiam intra se dixerat: Si hic esset Propheta, sciret quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum. vtraque interpretatio est accommodata. Hæc autem accommodatior, eamque verba magis indicant.

Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

COMMENTARIA.

HOC est, quod intra se dicebant, quod quidem ex admiratione quadam procedebat, idque particula (etiam) indicat, quasi diceret, non solum mira opera facit sanando infirmos, suscitando mortuos, sed etiam remittit peccata, quod maioris est potestatis, quam puri hominis. Admirabantur, sed non credebant, cum ex diuinis operibus, quæ agnoscebant, etiam remittere peccata posse credere debuissent. minus tamen peccabant, quam illi, qui audito eodem verbo obmurmurantes dixerunt: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?

ANNOTATIO LXXVIII.

Expositio in commentario tradita, magis confirmatur.

EVTHYMIUS hæc verba eodem sensu dicta interpretatur, quo & illa Luc. 5. Quis est hic, qui loquitur blasphemias? mihi tamen id non videtur accommodatum: tum quia si is fuisset, sensus, vtique explicuisset Euangelista, vt illic fecit: tum quia particula (etiam) vt in commentario diximus, eum sensum non admittit; confitebantur enim opera mira facere; viderant enim paulo ante filium viduæ ab eo suscitatum: tum demum, quia Christus respondit,

set, & eorum impiam cogitationem depulisset, sicut & fecerat cum illis Luc. 5. potius ergo admirantium vox est, non tamen credentium; non enim hi eo odio prosequerantur Christum, quo illi, de quibus est sermo Luc. 5. qui erant Scribæ, & Pharisæi. Huic expositioni nostræ consentire videtur Titus Bostrenus, affirmans verba hæc Christi non vulgarem prophetam esse, sed omnium Dominum significasse.

Dixit

Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit.

COMMENTARIA.

VT in fide mulierem confirmaret, & alios ad similem fidem induceret, mulieri dixit: Fides tua, qua credidisti me posse peccata dimittere, saluam te fecit, id est, causa fuit, vt à me salutem animæ, ac remissionem peccatorum obtineres: nisi enim id credidisses, nec ad me venisses, nec veniam spectasses, nec remissionem petiisses, nec affecta esses: illa ergo fides initium fuit salutis consequendæ. Non quod sola fides id fecerit: nam & mira intercessit pœnitentia, ac dilectio, lacrymis, cæterisque effectibus exterioribus demonstratæ, sed quod illa exordium, ac fundamentum fuerit, sine quo aliorum nihil factum fuisset.

ANNOTATIO LXXIX.

Confutatur hæretici, hoc loco ad impietatem suam abutentes de sola fide sine operibus.

VANA est hæreticorum nostri temporis ex hoc loco argumentatio, fidem solam ad salutem sufficere, cum non solam fidem, sed multa alia in muliere fuisse legamus: sed fidei eius sit præcipua mentio, vt ea omnium sequentium initium agnoscatur; cæterique circumstantes, qui increduli erant, eo exemplo ad credendum pertraherentur. Quod autem non sola fide, sed etiam pœnitentia hæc mulier remissionem consecuta sit, docent Patres antiqui. in primis Cyprianus ad Nouatianum hæreticum: Ecce, inquit, mulierem peccatricem, pœnitentem, flentem, deprecantem, & remissionem peccatorum accipientem. Tertullianus etiam lib. 4. contra Marcionem sic inquit: Peccatricis pœnitentia secundum Creatorem meruit veniam, præponere solitum sacrificio: sed etsi pœnitentiæ stimulus ex fide acciderit, per pœnitentiam ex fide iustificaram audiit ab eo: Fides tua te saluam fe-

cit, qui per Habacuc pronunciauerat: Iustus ex fide sua viuit. Hæc ille. Gregorius etiam homil. 33. in Euang. Plus, inquit, pœnitentia mulier pascebat intus, quam Pharisæus Dominum pascebat foris: quia ab æstu carnalium, quasi hinnulus Redemptor noster ad illius mentem fugerat, quæ post vitiorum ignem pœnitentiæ umbra temperabat. Hæc ille. Ipsa etiam ratio id probat; lacrymæ enim illæ abundantes interioris doloris, ac contritionis effectus, & argumenta erant: fides autem hæc fuit, qua credidit Christum esse remissorem peccatorum, ac consequenter Deum credidit esse, vt affirmat etiam Augustinus lib. 50. homil. hom. 23. Nondum enim puris hominibus data erat potestas remittendi peccata; per hanc fidem venit in spem veniæ, sine qua non accurrisset ad Christum: inde etiam pœnitentia, ac dilectione commota est, quibus remissionem obrinuit peccatorum.

Vade in pace.

COMMENTARIA.

ABIRE iubet securam de remissione peccatorum, ac reconciliatione cum Deo, quasi diceret, esto quieto, & tranquillo animo, nec de remissione tuorum peccatorum sollicita, dubiaue sis, quia quod desiderabas, ac petebas, obrinuisti.

ANNOTATIO LXXX.

Sensus in commentario traditus confirmatur.

VARIÉ hoc verbum exponitur. Titus Bostrenus primo loco hoc verbum (vade in pace) idem significare dicit, ac illud, noli amplius peccare. Secundo loco Theophylactus, quia Græce est in accusandi casu, vade in pacem, intelligit sic, vade ad faciendum opera bona, & iustitiæ, quæ pax dicuntur. Tertio loco Euthymius remittit se ad locum Luc. 8. vbi illi mulieri à fluxu sanguinis sanatæ dictum est: Vade in pace, id est, à morbo hoc amplius non impugaberis, id est, certa de sanitate: sic hunc locum intelligendum putat de animæ sanitate, vade nempe in pace, id est, peccata commissa tibi amplius non nocebunt,

quia remissa sunt iam. Hæc expositio accommodatior mihi visa est: quæ enim tanta pœnitentia, ac dilectione conuersa erat ad Christum, non erat, cur à Christo admoneretur, ne amplius peccaret, ad vomitumque rediret; eo maxime cum sciret, quam perseveranter, & vehementer erat illa eum dilecturus; nec ad bona opera exhortatur, quæ tam mira erga Christum post remissionem exhibuerat: nec refert esse in accusandi casu vade in pacem: nam particula (vade) aliquando apud Græcos ponitur pro (vade) vt sit sensus, vade in pace. vti vulgatus recte vertit.

FINIS CAPITIS SEPTIMI.



FRANCISCI
CARDINALIS TOLETI
IN SACROSANCTVM
LUCAE EVANGELIVM
COMMENTARII.



CAPVT OCTAVVM.



Factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella praedicans, & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliqua, quae erant curatae à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quae uocatur Magdalene, de qua septem demonia exierant, & Ioanna uxor Chusa procuratoris Herodis, & Susanna, & aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis. Cum autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus uiam, & conculcatum est, & uolucres caeli comederunt illud. Et aliud cecidit super petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exorta spina suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hac dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum Discipuli eius, quae esset haec parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant. Est autem haec parabola: Semen est uerbum Dei. Qui autem secus uiam, hi sunt qui audiunt: deinde uenit Diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt uerbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & uoluptatibus uitae euntes, suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono, & optimo audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia. Nemo autem lucernam accendens, operit eam uase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Non est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam ueniat. Videte ergo quomodo audiatis? Qui enim habet dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. Venerunt autem ad illum mater, & fratres eius, & non poterant adire eum pro turba. Es nunciatum est illi: Mater tua, & fratres tui stant foris, uolentes te uidere. Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui uerbum Dei audiunt, & faciunt. Factum est autem in una dierum, & ipse ascendit in nauiculam, & Discipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum: Et ascenderunt. Et nauigantibus illis, obdormiuit, & descendit procella uenti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur. Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes: Praeceptor, perimus. At ille surgens, increpauit uentum, & tempestatem aquae, & cessauit, & facta est tranquillitas. Dixit autem illis: ubi est fides uestra? qui timentes, mirati sunt, ad inuicem dicentes; Quis putas hic est, quia & uentis, & mari imperat, & obediunt ei? Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quae est contra Galileam. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi uir quidam, qui habebat demonium iam temporibus multis, & uestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Is, ut uidit Iesum, procidit ante illum: et exclamans uoce magna, dixit: Quid mihi, & tibi est Iesu fili Dei Altissimi? obsecro te ne me torqueas. Praecipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus

arri-

arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus. & ruptis uinculis, agebatur à Demonio in deserta. Interrogauit autem illum Iesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intrauerant demonia multa in eum. Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo demonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abiit grex per praecipitium in stagnum, & suffocatus est. Quod ut uiderunt factum qui pascebant, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem, & in villas. Exierunt autem uidere quod factum est, & uenerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentem, à quo demonia exierant, uestitum, ac sana mente ad pedes eius, & timuerunt. Nunciauerunt autem illis, & qui uiderant, quomodo sanus factus esset à legione: & rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens nauim, reuersus est. Et rogabat illum uir, à quo demonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per uniuersam ciuitatem, praedicans quanta illi fecisset Iesus. Factum est autem, cum redisset Iesus, excepit illum turba; erant enim omnes expectantes eum. Et ecce uenit uir, cui nomen Iairus, & ipse princeps Synagoga erat: & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum, ut intraret in domum eius, quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, & hac moriebatur. Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur. Et mulier quadam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quae in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari: accessit retro, & tetigit simbriam uestimenti eius: & confestim stetit fluxus sanguinis eius. Et ait Iesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Praeceptor, turba te comprimunt, & affligunt, & dices: Quis me tetigit? Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis. Nam ego noui uirtutem de me exisse. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens uenit, & procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei: Filia, fides tua saluam te fecit: uade in pace. Adhuc illo loquente, uenit quidam ad principem Synagoga, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. Iesus autem audito hoc uerbo, respondit patri puella: Noli timere, crede tantum, & salua erit. Et cum uenisset domum, non permisit intrare quemquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puella. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella: sed dormit. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset. Ipse autem tenens manum eius clamauit, dicens: Puella, surge. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuo. Et iussit illi dari manducare. Et stupuerunt parentes eius, quibus praecipit ne alicui dicerens quod factum erat.

CAPVT OCTAVVM.

Et factum est deinceps.

COMMENTARIA.



POST filium uiduae suscitatum in Naim ciuitate Galilaeae, ibique peccatricis conuersionem factam; quae secuta sint, narrat Euangelista, nimirum Christum profecutum fuisse suum iter praedicando, & Euangelizando per ciuitates Galilaeae, comitatum Apostolis, ac quibusdam mulieribus.

ANNOTATIO I.

Contigit hoc ante missionem discipulorum.



Quidam recentiores existimant, haec à Luca per anticipationem narrata, quae tamen euenerunt multo post, nimirum postquam Discipuli ad praedicandum missi sunt, & à praedicatione reuersi, quae missio narratur inferius. At uero probabilius existimo, quod Theophylactus, & Beda dicunt, nempe ante missionem discipulorum

hoc factum esse; quod enim cap. 10. dicitur mississe Discipulos, quo ipse erat uenturus, ex quo missio illorum uidetur praecessisse, non de Galilaea, sed de Iudaea intelligendum est, ut ibi dicemus; reuersus enim Christus ab hac peregrinatione per Galileam, praemisit Discipulos in Iudaeam ad praedicandum, quo ipse postea uenturus erat.

Et ipse iter faciebat per ciuitates, & castella, prædicans, & euangelizans regnum Dei.

COMMENTARIA.

Ecce, quid in hac peregrinatione factum sit. prædicabat per ciuitates, & castella, & euangelizabat regnum Dei. Prædicare ad doctrinam morum, euangelizare ad aduentum Christi refertur, quod dicitur regnum Dei. Hæc duo præstabat Christus suo sermone; nam & ad mores Deo gratos instruebat, & suum aduentum annuntiabat; ad hoc enim Doctor cælestis venerat. Ioan. 19. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. impletumque est illud Iohel. 2. Filia Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ.

ANNOTATIO II.

Titus Bostrenus regnum Dei cælestem patriam interpretatur, idque esse prædicare, seu euangelizare regnum Dei, quod est, eos, qui in terris degebant, ad cæleste regnum pronocere, vt per rerum terrenarum contemptum animo ad cælestia asurgerent. Euthymius idem sentit, quantum ad regni interpretationem, nempe cælestem patriam, & fruitionem Dei. aliter tamen exponit Euangelizationem hanc, vt id sit Euangelizare regnum, ac promittere æternam beatitudinem credentibus in eum.

Mihi probabilius visum est, regnum in ea accipi significatione, quæ in illis locis accipitur, quæ de annunciatione sunt, nempe Matth. 3. appropinquauit regnum cælorum, id est, tempus aduentus Messia. & Luc. 11. peruenit in vos regnum Dei, & Luc. 14. Beatus, qui manducabit panem in regno Dei, id est, qui videbit tempus aduenientis Messia; regnum enim dicitur, quia regnaturi erant eo tempore credentes in eum spiritualiter, & ad cæleste regnum eius ope & gratia transferendi.

Et duodecim cum illo.

COMMENTARIA.

In hac peregrinatione comitatus erat duodecim Apostolis; supra enim capite sexto dictum est, elegisse ex suis Discipulis duodecim, quos Apostolos nominauit.

ANNOTATIO III.

Quomodo intelligenda superiora verba. Vidam interpretatur duodecim cum illo prædicasse, & euangelizasse: at vero Titus Bostrenus aliter, nempe cum illo adfuisse, sed non prædicasse, sic enim inquit: Erant hi cum illo; attamen verbi ministerium tunc non obibant, sed ea tantum, quæ ad Euangelij doctrinam faciunt, discabant, & à Christo præceptore hauriebant. Hæc ille. cui Theophylactus, & Euthymius consentiunt, & hoc probabilius est; aliter enim dicendum erat, etiam mulieres illas prædicasse; pariter enim dicuntur fuisse cum illo. Igitur illud (cum illo) consortium itineris non autem prædicationis significat.

sto præceptore hauriebant. Hæc ille. cui Theophylactus, & Euthymius consentiunt, & hoc probabilius est; aliter enim dicendum erat, etiam mulieres illas prædicasse; pariter enim dicuntur fuisse cum illo. Igitur illud (cum illo) consortium itineris non autem prædicationis significat.

Et mulieres aliqua, quæ erant curata à spiritibus malignis, & infirmitatibus.

COMMENTARIA.

Comitabantur etiam Christi peregrinationem deuotæ quædam mulieres, quæ ab ipso Christo erant beneficio affectæ: nam quasdam à dæmonum obsessione liberauerat; quasdam vero ab infirmitatibus, corporumque ægritudinibus sanauerat, quæ ob ipsius doctrinam, & vt ei ministrarent, ipsum sequebantur, quasi discipulæ eius; qui enim vtrumque sexum saluare venerat, vtriusque sexus sequaces non expulit. Dicuntur autem dæmones maligni, quia non solum mali sunt, sed etiam homines malos facere, eisque nocere procurant.

ANNOTATIO IIII.

Quare Dominus permisit mulieres eum sequi. Causam, cur Dominus has mulieres se sequi passus fuerit, statim Euangelista indicat: Quæ ministrabant, inquit, de facultatibus suis, quod inferius declarabitur. Quod si quis obiciat videri quasdam ingerere offensionem, mulieres circumducere, huic respondet Hieronymus, consuetudinem omnem tulisse offensionem: Iudaicæ, inquit, consuetudinis; nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua, & vitium, atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc, quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abiectis se memorat; dicit enim 1. Corinth.

9. Numquid non habemus potestatem mulieres sorores circumducendi, sicut & cæteri Apostoli faciunt? Hæc Hieronymus. Quæ hoc in loco Beda mutuatus est. Tertullianus autem lib. 4. contra Marcionem notat hoc mulierum ministerium prædictum fuisse ab Isaia cap. 23. vbi sic ait: Mulieres opulentiæ surgite, & audite vocem meam; filia confidentes percipite auribus eloquium meum. Verba Tertulliani, quamuis aliter verba Scripturæ vertat, sunt hæc: Quod diuites Christo mulieres adhærebant, quæ de facultatibus suis ministrabant ei, inter quas & vxor Regis procuratoris, de prophetia est. Has enim vocabat

vocabat per Esaiam: Mulieres diuites, exurgite, & audite vocem meam, vt discipulas primo, deinde, vt operarias, & ministras ostenderet. Filia in spe audite sermones Dei. Anni mementote cum labore in spe; cum labore enim, quo sequebantur, &

ob spem ministrabant. Hæc ille. Consuetudinem autem hanc Apostolorum hæretici multi postea peruerterunt, circumducentes mulierculas, & per eas errores disseminantes, vt narrat Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem.

Maria, quæ vocatur Magdalena.

COMMENTARIA.

Appositio quædam est, explicans, quæ mulieres sequi Christum dictæ sint. Vna est Maria, quæ vocatur Magdalene: hoc autem positum est ad distinctionem aliarum, quæ sub hoc nomine in Euangelio referuntur; nam est Maria Iacobi, & Maria Salome; hæc vero Maria Magdalene, dicta est à Magdalo vico Galilææ. qua distinctione indicat Euangelista vnicam fuisse Mariam Magdalenam. si enim plures essent, vt quidam putarunt, non distinxisset eo cognomine.

ANNOTATIO V.

Maria hæc est soror Lazari, & quæ superiori cap. peccatrix dicta fuit.

Quidam hanc Mariam distinctam existimant à muliere peccatrice, cuius in præcedenti capite facta est mentio, & à Maria sorore Lazari. at cum Ecclesia non distinguat, sed vnam, & eandem fateatur, non est, cur ab hac sententia discedamus: quam etiam antiqui Patres amplexi sunt, inter quos sunt Gregorius homil. 33. in Euang. & Beda in præfati, immo ante eos fuit etiam Ambrosius, qui lib. de Salomone, cap. 5. inter alia sic inquit: Dum largum in sanguine fluxum siccatur in Martha, dum dæmones expellit in Maria. quibus verbis indicat Mariam sororem Marthæ eam fuisse, de qua septem dæmonia eiecta sunt, quod nunc refert Lucas de Maria Magdalena. Hieronymus etiam Epist. ad Hedibiam q. 4. quatuor affirmat Marias in Euangelio legi. vnam Matrem Domini Saluatoris, alteram materteram eius, quæ appellata est Maria Cleophæ, tertiam Mariam matrem Iacobi, & Iosè, quartam Mariam Magdalenam. Si igitur hæc non esset soror Marthæ & Lazari, profecto quinque erant numerandæ. Igitur ex Hieronymi sententia, hæc, cuius nunc fit mentio, soror erat Marthæ. Anastasius etiam

Episcopus Nicænus in quæstionibus in Scripturam. Quæstione 90. idem dicit cum Hieronymo eo excepto, quod tres Marias numerat: nam ea, quæ quarto loco ponitur, nempe Mariam Iacobi & Iosè dicit esse Deiparam: cuius sententiæ etiam ibi meminit Hieronymus. Igitur eadem est Maria Magdalene & Maria soror Lazari, & Marthæ. Superius autem ostendimus peccatricem illam fuisse sororem Marthæ, vnde consequitur, vnam, & eandem esse, & hanc, & illam peccatricem, & sororem Marthæ. Nec obstat Mariam sororem Lazari, & Marthæ fuisse Iudæam; erat enim de Bethania castello vicino Hierosolymæ; hanc autem Magdalenam fuisse Galilæam de Magdalo, Marcumque cap. 15. numerasse eam inter secutas Christum à Galilæa: nam licet Iudæa fuisset, habitauit in Galilæa causa mariti, cui nupserat, cuius erat castellum illud Magdalum, quo mortuo venit in Naim, & secuta est Christum. Multa in hac quæstione hinc inde dicuntur, sed omitto, quia parum afferunt vtilitatis, satisque debet esse Catholico sensus communis Ecclesiæ.

De qua septem dæmonia exierant.

COMMENTARIA.

Narrat miraculum gestum à Domino erga Mariam Magdalenam prædictam, de qua inquit, exierant septem dæmonia, eiecta scilicet à Christo, vt ex Marco cap. 16. constat, Maria, inquit, Magdalene, de qua eiecerat septem dæmonia.

ANNOTATIO VI.

Septem dæmonia vere à Maria Magdalene fuere eiecta.

Gregorius hom. 33. in Euang. Beda, Theophylactus, & Euthymius numerum septenarium pro multitudine significanda, quasi certum pro incerto positum esse affirmant; eo maxime, quia in Scripturis aliquando id fieri nemini dubium est. Sic enim dictum est Prouerb. 24. Septies in die cadit iustus, id est, multoties. & Eccles. 35. Septies reddet tibi. & Luc. 17. Si septies in die peccauerit in te. & alibi sæpe. At vero cum apud Marcum cap. 16. idem septenarius numerus positus sit, vt in commentario retulimus, non videtur cur ad hanc incertam multitudinem recurramus, sed ad certum septenarium numerum; si enim multitudo tantum significata esset, vtiue vnus saltem Euangelista eam indicasset, vt vnus per alterum explicaretur. confirmatus ergo ab vtroque Euangelista numerus certus, argumento est septem solum fuisse dæmonia à Maria Magdalene

eiecta. Difficultas tamen occurrit, quid per hæc dæmonia significetur: nam Gregorius, & Beda allegati non dæmonia ipsa realiter, sed vitia, & peccata intelligenda ea esse asserunt, vt idem sit dæmonia septem eiecta esse ab illa, quod, eam esse ab vniuersitate quadam vitiorum, qua polluta tenebatur, mundatam, vt in præcedenti capite dictum est. Contrarium vero videtur sentire Ambrosius lib. de Salomone cap. 5. nempe ipsos dæmones eiectos fuisse, quibus obfessa illa mulier detinebatur. Sic enim inquit (quod etiam citauimus in annotatione præcedenti) Largum in sanguine fluxum siccatur in Martha, dæmones pellit ex Maria: quæ verba indicant dæmonum veram expulsionem: nam opponit miraculum miraculo; remissio autem peccatorum inter miracula non computatur. Huic etiam sententiæ Euthymius consentit, eamque veram, ac legitimam esse

esse verba Evangelistæ ostendunt; non enim de peccatis diceret exiuisse ab ea, nec Marcus de eisdem sic locutus esset, nempe eiecit dæmonia septem; cum hæc duo verba ex communi sermone etiam Scripturarum, non de vitiis, ac peccatis, sed de dæmo-

nibus peccatorum impulsoribus sæpe prolata legamus. Fuerunt autem dæmonia hæc eiecta ab ea prius, quam remissa fuissent eius peccata, cuius beneficii occasione pænitere eam cœpit commissorum, ad Christumque venit veniam petens.

Et Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis.

COMMENTARIA.

HÆC est alia mulier, quæ etiam Christum secuta est, cuius fit mentio ab eodem Luca cap. vlt. parauit enim aromata simul cum Maria Magdalena, & Maria Iacobi, vt vngerent Dominum; cuique cum illis apparuit Christus resurgens; & quæ etiam Apostolis nunciauit Domini resurrectionem. Huius maritus erat quidam vocatus Chusæ Herodis Regis procurator, id est, œconomus, seu dispensator rerum ipsius.

ANNOTATIO VII.

Incertum videtur, an maritus Ioannæ tunc temporis viueret, & de eius consensu vxor Christum sequeretur. id quidem probabilius est; tamquam enim de viuento dictum est, Ioanna vxor Chusæ; si enim mortuus esset, vtique Euangelista dixisset, quæ fuit vxor Chusæ. probabile autem non est eo dissentiente, ac retinente vxorem Christum secutam esse.

se; erat enim Christus celeberrimus doctrina, & miraculis; & mulier inter alios beneficio sanitatis à Christo affecta. vnde non mirum, si maritus consenserat, cum & ipse Herodes à multo tempore desiderauerit Christum videre. tanta erat ipsius fama apud omnes maxime Galilæos.

Et Susanna.

COMMENTARIA.

ERAT hæc etiam mulier Christo adhærens, quæ illo tunc tempore nota fuit; idcirco Euangelista solo nomine eam significauit. An autem hæc, sicut & Ioanna à dæmone fuerint liberatæ, an ab aliquibus corporis infirmitatibus sanatæ à Christo, incertum est. at vero hoc, aut illud beneficium recepisse, non est dubitandum, probabilius est ab ægritudinibus corporum fuisse sanatas. Nam cum Euangelista dixisset, mulieres secutas Christum, quæ curatæ erant à spiritibus malignis, & à languoribus, tres has expressit inter illas, quarum primam Magdalenam à spiritibus malignis creptam retulit, indicans has duas à languoribus sanatas esse.

Et alie multe, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

COMMENTARIA.

PRÆTER tres nominibus propriis significatas, refert Euangelista alias etiam multas secutas esse Christum ex illarum numero, quæ vel à spiritibus malignis, vel ab ægritudinibus corporum sanatæ erant, ideoque Christi doctrinam amplexæ: hæc autem sequebantur, ac comitabantur Christum, non solum vt doctrinam eius audirent, sed etiam vt ipsæ se bonis operibus exercerent, nempe in præbendo alimoniam Christo, eiusque Discipulis; erant enim diuites, Christique, magistri, ac benefactoris sui paupertati de suis facultatibus subuenire curarunt; quod & earum quædam etiam post mortem illius fecerunt, ementes aromata, vt corpus eius vngerent, vt ex Euangelistis constat.

ANNOTATIO VIII.

In nonnullis Græcis exemplaribus loco illius (ei) legitur in plurali numero (eis) nempe Christo, & Apostolis. Sine autem hoc, siue illo modo legatur, sensus idem est; non enim Christo soli, sed etiam Discipulis ministrabant de suis facultatibus; quod si solius Christi facta est mentio, huius ea causa est, quia propter eum ministrabant, & cæteris, eiusque intuitu totum fiebat ministerium: Christo namque ministrabat, qui discipulis eius propter eum ministrabat. An autem omnes mulieres, quæ Christum comitabantur, ministrarent de facultatibus suis, non est omnino certum: tamen contextui magis accommodatum videtur omnes sic ministrasse. nam hoc verbum (ministrabant) ad omnes numeratas refertur. Prudentissime autem Christus passus est hoc ministerium, tum ne in hac peregrinatione onerosus videretur iis, quibus prædicabat, si de eorum facultatibus, & ipse,

& Discipuli sustentandi essent, præsertim, cum in castella multa diuertendum esset, in quibus pauperes multi habitabant. sic enim gravior, ac magis accepta erat eius doctrina, quæ gratis omnibus effundebatur: tum vt magis vacaret docendis populis, & discipulis instruendis. Si enim eleemosyna quærenda esset, multum temporis in eo insumeretur, ac prædicationi subtraheretur: tum etiam vt indicaret prædicatores verbi sui ab iis, qui facultates habent, iuste recipere, & exigere posse sustentationem. nam & Paulus 1. Corinth. 9. se potestatem habere affirmat mulieres diuites circumducendi, à quibus aleretur. Conuenientius autem hoc per feminas, quam per viros factum est; tum quia viris negotiis sæculi occupatis minus vacabat sic adhærere Christo: tum quia opere etiam Christo ministrabant præparando cibos, & quæ ad victum erant necessa-

ria, quod magis est seminarum, quam virorum: tum demum, vt Pharisei illi, & Doctores magis argue-

rentur de infidelitate sua, tanta fide, ac tam perspicua seminarum.

Cum autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem.

COMMENTARIA.

MULTI, & miraculorum, & doctrinæ fama commoti ad eum conuenerant ex oppidis, & ciuitatibus Galilææ; auiditateque audiendi, & videndi festinanter ex circumuicinis ciuitatibus confluxerant, quos ipse multis parabolis de diuinis mysteriis instruxit, vt cæteri Euangelistæ narrant, quorum vnam Lucas refert.

ANNOTATIO IX.

Huius historiæ meminere Matthæus cap. 13. & Marcus cap. 4. apud quos quædam referuntur circumstantiæ. Verba Matthæi sunt hæc: Exiens, inquit, Iesus de domo sedebat secus mare, & congregatæ sunt ad eum turbae multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet, & omnis turba stabat in litore, & locutus est eis multa in parabolis. Verba autem Marci sunt ista: Iterum cœpit docere ad mare, & congregata est ad eum turba multa, ita vt nauim ascen-

dens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat, & docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua. Tam autem Matthæus, quam Marcus sequentem parabolam seminantis describunt, sicut Lucas. Matthæus vero plures etiam alias, sed hanc primo loco ponit, quod est argumento, Christum exordium huius suæ doctrinæ ab ea cœpisse.

Exiit, qui seminat seminare semen suum.

COMMENTARIA.

PARABOLAM narrat: Exiit, inquit, qui seminat, id est, qui solitus est seminare, & semen in terram spargere, exiit nunc denuo, vt iterum seminaret semen suum. Intendit Christus indicare, sibi, qui verbi Dei seminator est, & ad hoc in mundum hunc venit, similia euentura, quæ huic seminanti acciderunt. Recte autem conferatur Christus seminanti semen suum; nam Prophetæ olim seminabant semen alienum, quia verbum Dei non suum annunciabant, dicentes: Hæc dicit Dominus: at Christus semen suum seminat, quia ipse est Deus, & Dominus, cuius est verbum ipsum. Isa. 52. Ecce, qui loquebar, adsum.

ANNOTATIO X.

Parabola scopus.

Finis, ac scopus huius parabolæ, est prædicare, quæ in Euangelij prædicatione futura tunc erant, nimirum hæc: Primo quidem prædicandum fore Euangelium multis hominibus, qui per multas terræ partes, in quas iactum est semen, significantur. Secundo non omnes, qui audituri erant, credituros; sicut non in omnibus terræ partibus semen susceptum radices iecit. Tertio eorum, qui credituri erant, non omnes perseueraturos in suscepta fide, sed persecutione superueniente recessuros ab ea, sicut semen iactum super terram petrolam, etiam si natum sit, tamen exorto Sole aruit. Quarto, eorum, qui in fide perseueraturi erant, non omnes fructum bonorum operum reportaturos: sicut quædam pars terræ, in qua spinæ suffocantur semen ortum, ne fructificaret. Quinto hæc euentura nõ quidem vitio doctrinæ, aut prædicantium, sed auditorum ipsorum culpa; sicut semé hoc fructu caruit, nec radices fecit, non vitio seminis, sed terræ suscipientis. Sexto auditorum vitium multipliciter prouenire, sicut terræ quædam pars ob petras, quædam ob spinas, quædam, quia secus viam, feminis fructu priuata est. Demum multos etiam credituros, ac suscepturos verbum doctrinæ, vt par est, non tamen æqualem fructum reportaturos, sed quosdam maiorem, quosdam minorem. In duas igitur partes auditores diuidendi erant; quidam enim non erant suscepturi verbum, iique in triplici differentia significata per tres partes terræ, petrolam, spino-

sam, & secus viam positam. Quidam alij suscepturi erant, fructumque reportaturi, iique in triplici etiam differentia: nam quidam trigessimum, quidam sexagesimum, quidam centesimum fructum reddiderunt. Hæc omnia Christus significauit Discipulis, priusquam euenirent, non solum per parabolam, sed etiam per parabolæ explicationem adhibitam. Seminatore autem hic Christus est, vt dicit Athanas. hom. de semente, qui dicitur, qui seminat, aut secundum Marcum, seminans, & exiisse ad seminandum, seminans quidem, quasi continuo seminans, quia nunquam seminare desistit: nam vt Deus in mundi principio seminavit verbum in cordibus hominum, infundendo naturale lumen, quo agnoscere possent, quæ eos scire, ac facere oportebat, & lumen supernaturale fidei reuelando, quæ ad salutem necessaria erant: seminavit etiam per Moysen, legem dando. vltimo autem exiit, vt verbum Euangelij doceret; cum enim Deus esset, carnem induit vt nos saluaret, ac veritatem ostenderet, ideo exiisse dicitur ad Euangelium promulgandum, quod prius ad illa alia semina iacienda non fecerat: idque insinuarunt Matthæus, & Marcus per illam particulam (ecce) ecce inquit, exiit, qui seminat rem nouam, & admirandam, indicantes, vt nimirum is, cuius semen est, egressus sit ad seminandum semen suum; solent enim homines non per se, sed per suos operarios id efficere.

Christus quomodo seminator.

Et dum

Et dum seminat.

COMMENTARIA.

DICTUM est dum seminat, vt per hoc Euangelista significet Deum semen verbi sui iaciendo in incredulos, & eos qui credituri erant, æqualiter intendisse, vt omnes fructificarent, & ipsorum vitio, non Dei voluntate effectum esse, vt quidam fructum ferrent, quidam non. Sicut seminator hic semen suum spargens in diuersas terræ partes, quantum in se est, intendit, vt in omnibus eis semen fructificaret, ac multiplicaretur, ex vitio autem terræ euenit, vt quædam non fructificarent propter spinas, petras, aut viæ vicinitatem.

ANNOTATIO XI.

Quid illud sit. Aliud cecidit secus viam, &c.

ADuerte non sic esse dictum, exiit, qui seminat seminare semen suum, & aliud seminavit secus viam, aliud super spinas, aliud super petram; si enim sic esset dictum, significari videretur Deum verbum suum seminasse in malis, & incredulis, vt non facerent fructum. sicut qui seminaret semen scierat, & ex intentione in terra spinosa, & petrosa, eo ipso ostenderetur, nolle semen in omnibus partibus fructificare. non autem sic Deus est, qui salutem omnium, quantum ex se est, intendit, & vt omnes fructificent, ipsis verbum salutis prædicari facit, propterea dictum est; dum seminat, aliud cecidit secus viam, aliud super spinas, aliud super petram, aliud in bonam terram, quasi æqua ratione in bonos, & malos semen spargens, idem in eis prætendat: quod autem eorum multi fructum non ferant seminis iacti, non ex intentione seminantis, aut Dei est, sed ex vitio terræ, ipsorumque verbi auditorum. Non quod Christus, seu Deus ignorauerit, qui suscepturi, quive non suscepturi erant semen; non etiam quod non voluerit omnibus his verbum prædicare; nihil enim præter scientiam, & voluntatem eius fuit, aut esse potuit: sed quod quantum ex se est, omnium salutem procurauerit, ac remediū per verbū suum præstiterit, & in hoc seminator in parabola multū dissimilis est; nesciebat enim hic ter-

ram petrosam, & spinosam esse; si enim sciisset, in eas partes semen non sparsisset: aut si sparsisset, vtique causa esset, quia aliter semen non potuisset seminare in bona terra, nisi iactum esset etiam in mala: non sic Deus aut Christus se habet. dicitur ergo, dum seminat, aliud cecidit, &c. vt significetur, non fuisse intentionis eius, ne reciperetur verbum suum, quin potius omnium intendisse salutem. Chrysostomus homil. 47. in Matth. adfert aliam causam, nimirum, vt significetur Deum non fecisse homines malos, sed eos suo se arbitrio tales reddidisse: immo Deum omnibus præstare auxilium, vt malitiam deponant. vbi Chrysostomus ponit discrimen inter terram materialem, in qua semen iactum est, & homines, in quibus seminatur verbum. Terra enim non habet potestatem, ac virtutem efficiendi à se lapides, & spinas, nec separandi se à via, ideo, qui scienter seminaret in talem terram, imprudens videretur. At homines habent arbitrium, possuntque remouere impedimenta auxilio diuino semper parato iis, qui volunt illud, idcirco sapienter ijs prædicatum est verbum. Dicit quispiam, cur Deus, cum re vera sciuerit multos non allaturos fructum verbi, nec credituros, voluit verbum suum his prædicare? Huic difficultati satisfacimus paulo inferius in Annot. 16.

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cali comederunt illud.

COMMENTARIA.

Hæc est prima pars terræ, in quam iactum est semen, quæ erat viæ communis proxima, & inde factum est, vt incedentes per viam, qui solent sæpe ab ea diuertere, & aut breuitatis, aut incommodi alicuius vitandi causa, per proximas partes terræ iter facere, conculcarent semen illud, terraque, quæ super iniecta erat, dimora, in superficie semen appareret, vnde consequenter euenit, vt volucres in terram descendentes deuorarent illud. Præcessit igitur conculcatio, quæ semen, priusquam vllas emitteret radices, discooperuit, & secuta est comestio, aut deuoratio. Significantur per hanc terræ partem homines, qui audiunt Dei verbum, & mente concipiunt; tamen non credunt illud; nec autem, si diutius maneat, & consideratum attente fidem conciliet, facile dæmon de memoria, ac mente illud expellit.

ANNOTATIO XII.

Homines, qui ex parte intellectus, & ex parte affectus viæ comparantur.

DVO hominum genera conferuntur terræ secus viam positæ. vnum est ex parte intellectus, nimirum, qui in solo intellectus naturali lumine, humanaque scientia, ac prudentia innituntur; ac per ea de rebus fidei, diuinisque mysteriis iudicare uolunt, nihilque verum censent, quod non humana ratione comprobatur. Hi secus viam dicuntur, quia nihil aliud sapiunt, quam quod sit ex via; mundus enim hic via dicitur Psal. 118. Beati immaculati in via. Psal. 84. Ponet in via gressus suos. Cum igitur fidei nostræ dogmata non humana ratione firmentur, sed altiori lumine, ac superiori magisterio, de quo dictum est Ioann. 6. Erunt omnes docibiles Dei, necessariumque sit credenti intellectum in captiui-

tatem reducere in fidei obsequium 2. Corinth. 10. fit vt hi homines, quando ea audiunt, ac mente concipiunt, comperientes humanis rationibus illa non subsistere, respuant, & reiciant, tamquam falsa, & repugnantia. De istis dixit Paulus 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Exempla habemus in Scriptura Ioan. 3. in principio; Nicodemus audiens, quæ humana ratione non capiebat, dixit: Quomodo possunt hæc fieri? & Ioan. 6. audientes carnem Christi cibum futuram dixerunt: Durus est hic sermo, & abierunt. & Act. 17. prædicante Paulo mortuorum resurrectionem, quidam deriserunt. Contra quos omnes dictum est 1. Corin. 1. Perdam

Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. Alterum genus est ex parte affectus, nimirum eorum, qui illicitis desideriis, ac cupiditatibus ira immergi sunt, vt nihil aliud bonum, & appetibile illis videtur, nisi quod sensibus, ac appetitibus eorū placet. De quibus Philip. 3. scripsit Paulus: Multi, inquit, ambulant, quos ipse dicebam vobis, nunc autem, & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Hi cum audiunt Euangelicam doctrinam de abiiciendis operibus tenebrarum, de crucifigendis concupiscentiis, ac seipsis abnegandis, credere nolunt, ne si crediderint iis, se priuent, quibus toti dediti sunt. de talibus dixit Dominus Ioan. 3. Lux venit in mun-

dum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum opera mala, omnis autem qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Ab his prauis affectibus, qui verbum impediunt, remouet nos Iacobus cap. 1. dicens: Abiicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite instum verbum, quod potest saluare animas vestras. Merito autem tam in his, quam in illis dicitur conculcatum semen, quia verbum Dei humanis rationibus, & affectibus vilibus contemnitur, quod est quasi pedibus viatorum conculcari Euangelicam doctrinam. Qui ergo verbum Euangelicam prædicatum suscipere apti sunt, ij & humilem mentem, & purgatum affectum debent habere.

Iacobi. 1.

Philipp. 3.

Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.

COMMENTARIA.

Hæc est altera pars terræ, in quam iactum est semen, nempe, quæ petras habebat terræ superficiæ proximæ, vnde factum est, vt semen iactum non habens altitudinem terræ sufficientem, continuo oriretur ante radices in profundum missas, petra impediens: deficere igitur humore, qui per radices trahitur, solis æstū, qui ortus erat, sustinere non potuit, & idcirco aruit. Significantur homines ij, qui nimio affectu, nempe amore, vel timore tenentur erga temporalia, quæ ex se licite amari possunt, sicut honores, diuitiæ, vita temporalis, & similia, dum non præferantur honestis, sunt tamen qui immoderate in ea feruntur. Hi dum nihil occurrunt, quod iis, quæ diligunt, aduersatur, aut ex iis, quæ valde timent, tunc verbum suscipiunt, & credunt; at quando aliquid, quod amant dimittendum est, aut aliquid, quod timent subeundum propter verbum susceptum, tunc recedunt, & à suscepto verbo se auertunt. Sunt enim nimij affectus, ac animi immoderatæ passiones, velut petra proximæ terre, in quam iacitur semen. Hæ radicibus charitatis obstant, nec sinunt doctrinam Euangelicam per charitatem radicari, & firmari in homine, ita vt omnia dimittere bona, ac quæcumque subire mala pœnæ paratus sit potius, quam verbum relinquere. Sunt ergo moderandi affectus, & mortificandi, vt longe absint à ratione ipsa, eiq; subdantur.

ANNOTATIO XIII.

Verbis hic significatur qui affectu cōseruandi, vel timore amittendi temporalia ab Euangelio recedunt.

ADuertendum est hanc sententiam à Matthæo c. 13. lucidius explicari; inquit enim: Alia ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam, & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ; Sole autem orto æstuaerunt, & quia non habebant radicem aruerunt. vbi significantur ij, qui cito credunt, nec considerantes, quæ ad fidem firmandam necessaria sunt, non procurant charitatis radices habere; hæc enim omnia postponit verbo suscepto, & insurgentes timores, at cupiditates repellit: ea igitur deficiente, fides facile euertitur persecutionibus, aut tentationibus emergentibus. De quibus radicibus paulo inferius dicemus. Aduertendum etiam est, inter alia multa doctrinæ Euangelicæ dogmata hoc vnum esse, vt eam omnibus temporalibus bonis, ac commoditatibus etiam vitæ propriæ præponamus, non ijs solis, quæ iniuste habentur, sed absolute quibuscunque etiam iis, quæ ratio, aut lex vlla non prohibet: non quod semper hæc omnia cum effectu dimitti, & abiici debeant, sed quod quando casus occurrerit, quo vel illis priuari, vel præceptum aliquod Euangelicum prætermitti oporteat, tunc præponamus Euangelium omnibus, & dimittamus, ac expellamus quæcumque, etiam vitam potius, quam ab obseruantia, aut Euangelij veritate recedamus, eoque animo præparatos nos esse necessarium est. Sic docuit Christus Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, ac matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc

& animā suam, non potest meus esse discipulus. Quibus verbis docet Christus nullo timore amittendi temporalia quæcumque, nec vllō affectu ea conseruandi, aut acquirendi, debere nos remoueri à veritate Euangelica suscipienda, & retinenda. Hinc factum est, vt multi, qui charitate destituti, & qui nimio horum affectu tenebantur, occurrente casu, quo oportebat priuari his, aut ab Euangelio recedere, hoc illis postposuerunt, fidemque conceptam negarunt, & abiecerunt: timore ergo periculorum persecutionis, amissionis temporalium, aut affectu promissorum bonorum, à suscepta fide olim recesserunt, & semen natum in eis occurrente petra, & humore deficiente aruit. Interrogabit quispiam, si hi affectus timoris, & amoris nimij erga res, quæ ex se non sunt prohibita, etiam impediunt homines, à fide suscipienda: cur ergo comparantur petris, quæ non prohibent seminis natiuitatem, sed augmentum, & significantur ii, qui credunt, posteaque fidem deserunt? Respondeo Euangelium res has non prohibere, idcirco audito Euangelio, illi qui eas possident, non deterreri ab eo suscipiendo, sicut faciunt illi, qui illicitis dediti sunt, de quibus in prima sententia sermo est, nec semper affectus, & animi passiones inordinatæ apparent, nisi quando occasio se offert, inde fit, vt nulla occasione emergente facile homo suscipiat verbum, quod postea dimittat insurgente persecutione, aut occasione dimittendi temporalia. verum etiam est, si verbum simul prædicatum est cum

Luc. 14.

cum occasione presentis faciendae dimissionis, affectus tales impedire verbi susceptionem, & fidem, illud tamen frequentius est. Nec mireris fidem pendere ab affectibus, nam cum non nititur evidentibus ratio-

nibus, necessarius est voluntatis concursus ad credendum, quae quidem voluntas affectibus multum huc illucque trahitur.

Et aliud cecidit super spinas, & simul exorta spina suffocavit illud.

COMMENTARIA.

Haec est tertia terrae pars, in qua semen iactum est, nempe terra semina spinarum habens, quae non apparebant, quando semen patrisfamilias spangebatur, inde factum est, ut utrumque simul natum sit, & excreverit: copia autem necessaria humoris deficiente, cum virtus terrae utrisque seminibus non sufficeret, & spinae, utpote terrae magis connaturales, maiorem partem humoris sibi attraherent, semen natum est, & auctum fructu priuatum est. Significantur homines, qui verbum Evangelicum audiunt, fide suscipiunt, ac retinent, tamen voluptatibus, & aliis negotiis huius saeculi intenti, bonorum operum fructum non ferunt, fidem mortuam sine operibus in se habentes.

ANNOTATIO XIII.

Conuenienti ordine haec terrae partes describuntur. Prima enim significat eos, qui audito fidei verbo non credunt. Secunda eos, qui credunt, tamen in fide non perseverant. Tertia eos, qui perseverant quidem, tamen fructum operum non habent, quales sunt mali Christiani, qui vitam fidei, quam profitentur, non conformant, de quibus Iacobus cap. 1. inquit: Estote factores verbi, & non auditores tantum: nam si quis est auditor verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suae in speculo; considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Et cap. 2. quid proderit fratres, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit saluare eum?

Merito autem vititur Christus metaphora verbi

ANNOTATIO XV.

Vt nonnulla in his praedictis sententiis aduertenda. Primo quidem non ex vitio seminis prouenisse, quod non fructificaret: nam si id esset, non faceret fructum in terra bona, cum seminis nulla fiat distinctio. Quo significatur, quod multi verbo Evangelico praedicato non crediderunt, aut eo suscepto non fecerint fructum, non esse ex verbi ipsius vitio; si enim inde id prouenisset, utique nemo fructum faceret. In nostris quidem sermonibus accidit aliquando esse semina, & grana quaedam vitiosa, quae etiam si ceciderint in bonam terram, non ferunt fructum: at in semine Christi, quod est Evangelium, non sic fit, totum est semen perfectum, & secundum, quod Dominus Matth. 13. per aliam parabolam significauit: Nonne, inquit, bonum semen seminasti? Doctrina enim Evangelica tota vera, tota bona, tota efficax, & secunda est, unde ex se & intellectum illustrat, & affectum excitat, & arbitrium permouet ad opus. Vitium igitur non est in ea. Opponebant Pagani vitium Evangelio, dicentes vulgare esse doctrinam, ac sine ratione, ut referunt Gregor. Nazian. orat. 1. in Iulianum, & Origenes lib. 1. contra Celsum, multaque alia debacchabantur, ut suae infidelitatis excusationem praetererent; at vero maxime errabant, ut aliis in locis ostendimus.

Secundo aduertendum est, non etiam prouenisse ex vitio ipsius terrae, quod semen non faceret fructum; nam terra illa tota quantum ad substantiam, una erat. Nam si ex substantia, & natura eius id processisset, utique nec terra, quae dicitur bona, villos fecisset fructus. Quo significatur, non esse ex naturae hominum malitia, quod non credant, aut non fructificent, quasi sit quaedam natura mala, quaedam bona, ut temere ac falso docuerunt Manichaei, & Valentinus, refe-

suffocandi; qui enim fauces stringit, impedit respirationem vitae conseruandae necessariam, inde mortis esse causa. Sic negotia saeculi, & ea quae animi attentionem, ac studium nimis, & ultra mensuram ad se trahunt, animam velut suffocant: quae, nisi ea, quae per fidem didicit, meditetur, attendat, & Spiritus sancti gratiam recipiat, locumque eius inspirationibus det, non potest vitam spiritus conseruare, sicque fidem habet mortuam, & sine fructu. Vnde recte Gregorius hom. 15. in Euang. sic inquit: Suffocant, quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant, & dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum vitalis flatus necant. Plura dicemus inferius in huius sententiae expositione a Christo Domino facta.

rente Augustino lib. de haeresi cap. 4. & 46. nulla enim est natura mala, omnis in se bona est, nec in naturam referri potest, quod hi fructificent, hi vero non. Per hanc autem terram, in quam iactum est semen, homo ipse intelligitur, ut etiam testantur Athana hom. de semine, & Chrysost. hom. 45. in Matthaeum.

Tertio aduertendum est, quod haec terrae partes non fructificauerint, prouenisse ex vitio adiuncto, & extra terrae substantiam, & quod remoueri potuit, nempe ex vicinitate viae, spinarum, seminibus, ac petris, sine quibus terra esse potuit. quo significatur, ex voluntatis arbitrio procedere, quod homo audito verbo, ac suscepto non credat, nec fructum ferat, ut recte notauit Hieron. Matth. 13. Inde distinctio facta est hominum credentium, & non credentium, bonorum, ac malorum, quia illi per arbitrium adhaerere volunt verbo, hi vero non. Non quod solius arbitrij virtus valeat intellectum ad credendum inclinare, aut voluntatem ad bene operandum mouere; necessarium enim est auxilium diuinum, quod cum arbitrio concurrat, id tamen Deus, quantum ex se est, non negat, quo homo valeat facere, quod velic bonum.

Quarto aduertendum est, has tres tantum partes terrae numeratas, quia per eas significantur tria genera inimicorum hominis, qui auertunt eum a bono: caro significata per petram, mundus notatus per spinas, Diabolus indicatus per volucres. Posset quispiam obiicere, videri verbum Evangelicum inefficax, & debile, cum non potuerit omnium ad se mentes, ac voluntates conuertere. In hac parte Pagani quondam contra Deum, ac Christum inuehebantur, eum impotentiae, ac debilitatis arguen-

Haec tres partes terrae conuenienti ordine sunt descriptae.

Ex voluntatis vitio prouenit quod verbum Dei fructum non faciat.

Christus merito vititur suffocandi verba.

Tribus huiusmodi partibus, tres hominum inimici significantur.

gentes, quasi facere non valisset verbum, ac Evangelium ab omnibus recipi, & in omnibus fructificare. Ita refert Iustinus in explic. quae. Gen. q. 1. At hi caeci non attendebant simili argumento Deum argui posse impotentiae, quod semina non fecerit ita efficacia, ut etiam in terra sterili, ac vitiosa fructificarent, quod dicere stultissimum est. ut enim recte dicit Iustinus, non id impotentiae, sed prouidentiae est diuinae, quae cunctis rebus suas distribuit peculiare virtutes, singulasque pro suo modo operari voluit; terrae enim virtutem prolificandi indidit, sic tamen ut semine indigeret; semini etiam quandam energiam & efficaciam tribuit, non ut sola produceret, sed simul cum terra; & adhuc haec causarum vniuersalium concursu opus habent, nempe astris, ventis, plu-

ANNOTATIO XVI.

Dubitatio quaedam in his etiam sententijs se offert, quare Christus praecius eorum omnium, quae futura erant, praedicari voluit Evangelium ijs, qui illud susceperunt non erant, aut non credendo, aut non viuendo ad regulam eius. Ioann. 6. Sciebat Iesus ab initio, qui essent non credentes. Nemo enim seminantium semen suum spargeret in ea loca, in quibus nullus futurus esset fructus, si id ante scire potuisset. Simile quid forsitan a Gentibus obiectum refert Ambrosius lib. de Paradiso cap. 8. dicebat enim: Cur Deus imposuit praecpta ijs, quos praenouit non esse ea seruatuos. Respondeo cum Ambrosio id factum esse, ut Deus ostenderet bonitatem suam, & quantum ex se est, salutem velle omnium etiam eorum, qui non seruauit mandata, aut non credunt; si enim non esset praedicatio facta, nisi credituris, vix appareret Dei clementia erga eos, qui non credunt, excusatioque aliqua hominum non videretur, se non credidisse, quia non est eis praedicatum; quomodo enim credent, nisi audierint, quomodo audient sine praedicante? Rom. 10. conuenienter ergo etiam non suscepturis verbum annunciatum est, ac in terra spinosa, & petrosa iactum est hoc semen verbi Dei; sic namque & Dei bona, clementisque voluntas, ac hominum culpa manifestatur: sicut qui generale conuiuium faceret omnibus suis consanguineis, omnesque inuitaret, etiam si sciret quosdam non acceptuuros; sic enim manifestat animum suum, ac liberalitatem, dum neminem excludit, quantum ex se est, ipsi se excludunt, qui venire renuntiant. Adde etiam hac ratione ostendi Christi virtutem, verbique sui vim salutiferam, quae omnes seruare potest, quotquot velint; aliter enim non agnosceretur, existima-

Quare Christus Evangelium praedicari voluit etiam illis non pariter.

Haereticorum expositio recellit.

uijs, omnia haec non ad impotentiam, sed ad prouidentiam spectant. Voluit enim Deus ad vnum effectum plures conuenire causas, ut virtutis magnitudo magis in pluribus agnosceretur, quam in vno, sic etiam factum est in semine spirituali Evangelij; ita enim verbo suo virtutem, & efficaciam dedit, ut arbitrij cooperatio necessaria esset, & adhuc sua gratia, ac influxus caelestis necessarius est, ut fructus verbi efficiatur, & horum vno deficiente fructus etiam deficit: sicut in fructu materialis seminis, quod uti diximus admirandae prouidentiae est. Aliter enim Deus impotentiae argueretur, quod causis vitur secundis, Sole, astris, elementis, & alijs omnibus ad effectus producendos, cum per se solum, posset facere.

ANNOTATIO XVI.

returque non esse sufficiens, nisi ijs, qui credunt. Difficilior autem est dubitatio, cur non omnibus ex ijs, qui credituri non sunt, verbum annunciatum est; scimus enim verbum Evangelicum non omnibus esse factum. Respondeo in eo, quod multis, qui non credunt, aut non bene viuunt, annunciatum est Evangelium, satis liquido constat, Deum ex parte sua salutem velle etiam illorum, qui pereunt: nec ad hoc ostendendum opus est, ut omnibus non credituris, aut male victuris annuncietur verbum. adde etiam, quod si non omnibus annunciatum est, id ex misericordia factum est, ne grauius iudicium ferant, iuxta illud 2. Petr. 2. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab illo, quod illis traditum est sancto mandato, qua misericordia voluit uti Deus cum ijs, quibus praedicatum est, & non fecerunt fructum; quamuis cum ijs etiam misericordia vsus est: aliter tamen, nempe, quantum ex se est, eos ad salutem inuitando, & opem ferendo, si voluissent acceptare.

Quare Evangelium non est annunciatum omnibus non credituris sed quibusdam tantum illorum.

2. Petri 2.

Quare Evangelium non praedicatur multis, qui si audirent, oblique dubio crederent.

Difficillima omnium dubitatio est, cur non sit praedicatum multis, qui si eis annunciatum esset, utique crederent, ac fructum ferrent, iuxta illud Matth. 11. Si signa, & virtutes, quae facta sunt in te, facta essent in Tyro, & Sidone, paenitentiam egissent. admirandum hoc est, quod verbum annunciatum multis sine fructu, & negatur, ac absconditur, multis, quibus si esset notificatum, fructificarent, sicut, qui seminaret in sterilibus locis, neglectis secundis. Iudicia sunt haec Dei profunda, omnia quidem iusta, licet non omnia nobis manifesta. Haec persequi non est instituti praesentis.

Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.

COMMENTARIA.

HAEC est quarta pars terrae, in quam iactum est semen, nempe terra bona; dicitur autem bona, quae nullis impedimentis tenebatur; neque enim erat spinosa, nec petrosa, nec secus viam, in hac semen iactum, non solum ortum, & auctum est, sed fructum copiosum protulit, nempe pro vno centum. Significantur homines, qui omnibus abiectis impedimentis retrahentibus suscipiunt Evangelium, & opera iuxta illud faciunt, & quidem multiplicata: nam quam veritatem semel receperunt, continuis operibus bonis sustentant.

ANNOTATIO XVII.

Matthaeus cap. 13. & Marcus cap. 4. hanc sententiam magis explicarunt, nempe sic; Alia ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum: ut enim notarunt Orig. hom. 6. in Exod. & Hiero. Matth. 13. Sicut mala terrae tres partes sunt, secus viam, spinosa, & petrosa: ita in bona aliae tres, nempe quae centesimum, & quae sexagesimum, & quae tricesimum fructum fecerunt. Duo posteriora praetermisit Lucas.

contentus aliorum Euangelistarum enarratione, ut solent Euangelistae saepe facere. In cuius sententiae explicatione errarunt haeretici, & varij sunt Catholici doctores. Quod ad haereticos spectat, refert Augustinus lib. 21. ciuit. cap. vlt. quosdam ut suis vitijs securius, & absque timore, & freno indulgeret, sic esse interpretatos hanc sententiam, nimirum pro vno iusto malos centum saluatum iri in die iudicij, & pro alio, triginta, pro alio, sexaginta, ita ut iustorum multitudo

titudo malos, ac poena dignos praferuet ab aeterna damnatione. contra quos haereticos acute Augustinus ex eorum dictis insurgit, debere omnes a vitiis abstinerere, & bonis operibus incumbere, ne tam pauci iusti tunc inueniantur, vt quantumuis pro vno centum mali saluentur, adhuc supersint multi mali damnationi obnoxij, deficiente bonorum, ac iustorum numero, quorum ratione liberentur. At vero horum doctrina aperte damnata est Scripturarum testimonio: iuxta vnusquisque enim opera iudicium vitae, aut mortis fiet, dicente Paulo Rom. 2. Reddet vnique secundum opera sua: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quaerunt, vitam aeternam: ijs autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio. Praeterea. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum. Quam etiam doctrinam Dominus Matth. 25. parabola confirmavit de quinque virginibus fatuis, oleum a prudentibus sibi quaerentibus, quibus responsum est, ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite ad vendentes, & emite vobis. Quibus demum clausa est ianua, quia secum oleum bonorum operum proprium non sumpserunt.

Quid per trigessimam, sexagesimam, & centesimam fructum significetur.

Relicta, & reiecta haeretica explicacione, ad Catholicos Patres nos conuertamus. Hieronymus lib. 1. contra Iouenian. & Matth. 13. hunc triplicem fructum ad tres status refert, scilicet coniugatorum, continentium, ac virginum. vt primi trigessimam, secundi sexagesimam, vltimi centesimam fructum referre dicantur. Post Hieronymum Augustinus lib. quaest. Euang. cap. 10. etiam ad tres status refert

hanc diuisionem, aliter tamen status ipsos numerat, vt primus sit coniugatorum, secundus continentium, & virginum, tertius, qui supremus est, martyrum. Tertio loco Gregorius homil. 17. in Ezechiel. non ad status, sed ad personas refert in hunc sensum; Vt ij fructum trigessimum proferre dicantur, qui fidei perfectionem, quae est in Trinitate, concipiunt; sexagesimum vero, qui bonae vitae opera perfecte protulerunt: centesimum autem, qui ad aeternae vitae contemplationem profecerunt. Centesimus ergo fructus non huius, sed alterius est vitae. Quarto loco Athanas. hom. de semente, & Gregorius Naz. orat. in Maximum, Chrysost. hom. 45. in in Matth. & idem Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 46. ad personas etiam referunt hanc distinctionem, sic tamen, quia quidam bene, quidam melius, quidam optime operantur in hoc saeculo, quocunque sint in statu. atque haec sententia accommodatio mihi visa est; non enim semper, qui in statu perfecto sunt, perfecte viuunt, saepeque euenit, vt qui in inferiori sunt statu, maiorem, ac abundantiore proferrant fructum, quam qui in sublimiori. Dominus enim de fructo ipso loquitur, qui non semper statui respondet, in quo haec expositio prima, & secunda praefrendenda est. Praeterea Dominus loquitur de fructu feminis, du est in terra, volens significare, se loqui de iis, qui in hoc saeculo fructus holce referunt. in quo haec sententia praefrendenda videtur ei, quae est Gregorij. Adde, quia etiam ij, qui trigessimam, & sexagesimum fructum referunt, ad gloriam perueniunt, vnde & ij centesimum referunt, sicque nulla esset distinctio. Cur autem quidam maiorem, quidam minorem fructum ferant, dicemus inferius.

Hec dicens clamabat.

COMMENTARIA.

Clamore vocis excitat Christus eos, qui haec audiebant, ad inquirendam intelligentiam eorum, surditatem mentis illorum insinuans.

Qui habet aures audiendi audiat.

COMMENTARIA.

NON clamore solo, sed etiam verbis ipsis prouocat ad interrogandum, & inuestigandum sensum mysteriorum, quae in parabola obscure continebantur, quasi diceret; Cum datum sit vobis audire auribus exterioribus tanta mysteria, curate audire vt oportet, intelligentiam inuestigando.

ANNOTATIO XVIII.

Num de corporis, an vero de mentis auribus Christus loquatur.

EX Scriptura, ac Patrum doctrina didicimus esse aures mentis, & aures corporis, de quibus autem hoc in loco sermo sit, non omnino constat; nam Gregorius hom. 15. in Euang. & Euthym. Math. 11. vbi similia verba habentur, de interioribus auribus interpretantur, quasi Dominus excitet ad intelligendum eos, qui habent animi aures ad capiendum, & intelligendum, significans opus esse solertia, & animaduersione ad penetranda, quae dicta erant in parabola. iuxta quem sensum sententia haec non accommodatur turbis, & Iudaeis incredulis, qui his auribus carebant, sed Discipulis, & fidelibus. quae quidem expositio probabilis est, quam etiam Chrysostomus hom. 38. in Matth. sequi videtur, in eaq; significatione accipiuntur aures apud Esaiam cap. 6. Excæca, inquit, cor populi huius, & aures eius aggraua. Aggrauata enim sunt incredulorum Iudaeorum aures interiores, dum noluerunt mentem aptare, & inclinare ad ea penetranda, & consideranda, quae Christus loquebatur, & operabatur. At mihi visa est accommodatio altera expositio, nempe vt sermo sit generalis etiam ad turbas, ac incredulos, de auribus nempe corporis in hunc sensum: qui habet

auris audiendi, id est, quibus concessum est a Deo audire tanta mysteria; quanta Christus tradebat, & praedicabat, audiat, id est curet audire, vt oportet, intelligentiam eorum inuestigando, & interrogando. In hac significatione dictum est Deuter. 29. non non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quae audire possent, vsque in presentem diem, id est, non concessit haec vobis Deus, vt audiretis legem eius, quam modo voce sensibili audistis. Consonat huic expositioni, quod paulo post sequitur: Vt audientes, inquit, non intelligant, id est, vt qui auribus exterioribus audiunt, non intelligant significata mysteria. Similiter quod Act. 28. Paulus dixit Iudaeis: Bene, inquit, Spiritus sanctus locutus est per Esaiam Prophetam, ad patres nostros, dicens: Vade ad populum illum, & dic, aures audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Idem habetur ad Matth. cap. 13. Magnum enim fuit beneficium Dei, auribus sensibilibus verba Christi audire, & ipsum oculis corporis videre, sicut Luc. 10. idem Christus significauit: Multi Reges, inquit, & Prophetae voluerunt audire, quae vos auditis, & non audierunt, & videre quae

Deuter. 29.

Act. 28.

vos

vos videtis, & non viderunt. At increduli Iudaei abusi sunt tanto beneficio, nec studuerunt intelligere, quae docebat, & magnificare, quae operabatur. Idcirco fructu tanti beneficii priuati sunt. Similis est distinctio oculorum, nempe interiorum, & exteriorum. Hinc facile est intelligere loca, quae videntur disidentia: nam aliquando Iudaei dicuntur audire, & videre, aliquando vero non, sed excæcati, & obturati auribus, viderunt quidem, & audierunt exteriorius, sed non interiorius. Audierunt voces Christi, viderunt opera

eius, sed non crediderunt, nec ipsum sequi voluerunt. Ex his sententiae huius nostrae sensus manifestus euadit; excitantur quidem omnes exteriorius audientes ad inquirendam intelligentiam dictorum, tamen turbæ, ac Iudaei increduli non inquirunt; Discipuli vero inquirunt, & interrogant Magistrum, dicentes: Quae est haec parabola? Quod etiam fecerunt Matth. 13. ediffere nobis parabolam zizaniorum, & Matt. 15. ediffere nobis parabolam istam.

Interrogabant autem eum Discipuli eius, quae esset haec parabola?

COMMENTARIA.

Perceperunt Discipuli Magistri vocem, & cum haberent audiendi aures, audierunt, vt par erat, quae non intellexerant, interrogantes, quae esset parabola haec, id est, quid parabola significaret. Iudaei vero increduli aures audiendi habentes non audierunt, non procurantes discere sensum, & intelligentiam ab eo, qui ad id eos prouocabat.

ANNOTATIO XIX.

Interrogatio Discipulorum non statim post parabolam facta.

NON statim parabola absoluta Discipuli interrogarunt, sed postea, quando dimissa turba remanserat Christus cum solis duodecim; sic enim habetur Mar. 4. Cum esset, inquit, singularis, interrogauerunt eum ij, qui cum eo erant duodecim, parabolam. Vt autem ex Matth. cap. 13. constat, duo interrogarunt, vnum: Quare in parabolis loqueris

eis, scilicet turbis? Quod Matthaeus refert: Alterum vero; Quae est parabola haec? Quod Marcus, & Lucas narrant. Omnes tamen tres Euangelistae, quid vtrique interrogationi responderit, describunt, licet non omnes omnium meminerint, maxime quae ad priorem interrogationem dixit, vt in explicacione sequentium sententiarum ostendimus.

Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium Regni, ceteris autem in parabolis.

COMMENTARIA.

Respondet priori interrogationi, insinuans se velle satisfacere posteriori, nempe explicare illis parabolam hanc: Vobis, inquit, a Deo concessum est nosse occulta mysteria, quae in mea Ecclesia futura sunt, at illis non est concessum hoc, sed vt in parabolis tantum obscuris ea audiant. Haec est causa, cur Iudaeis loquor in aenigmatibus, & parabolis, & cur vobis easdem parabolae aperte explicabo, & earum sensum aperiam. Regnum Dei appellat Ecclesiam suam Euangelicam, quam Matthaeus vocat Regnum caelorum. Continebat autem haec parabola multa, quae euentura erant in Ecclesia, quae mysteria dicuntur, quia occulta, & arcana erant.

ANNOTATIO XX.

Superiori sententiae cur particulam, quia addidit Matthaeus.

MATTHAEUS cap. 13. quia priorem Discipulorum interrogationem expressit, id circo huic sententiae causalem particulam apposuit sic: Quia vobis datum est nosse mysteria Regni caelorum, illis autem non est datum. Cui addendum est verbum Lucae (sed in parabolis tantum.) sic enim habet Marcus c. 4.

Vobis, inquit, datum est nosse mysterium Regni Dei; illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt. Verbum autem (Datum est) donum Dei significat, cuius est dare intelligentiam mysteriorum, ac parabolarum, similiter & negare illud ex gratia, ac misericordia, hoc ex iustitia, vt paulo post explicabitur.

Vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

COMMENTARIA.

Causa est finalis, cur in parabolis loquitur illis, nempe vt quae audiunt, non intelligant, & quae vident exteriorius in Christo, non videant oculis mentis, nec percipiant, quid per ea indicetur: nam nec verba, quae Christus proferebat, nec opera miranda, quae faciebat, perceperunt animo; Haec enim omnia, cum esse verum Messiam, ac filium Dei, significabant. Contingit enim aliquando res gestas videre, & sententias verborum audire, quo autem tendant ignorare, quod Orig. hom. 6. in Exod. exemplo probat illo Ioan. 13. quando Christus lauans pedes Discipulorum dixit Petro: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Videbat Petrus factum, sed quo tenderet, quidue significaret, tunc non intelligebat, nec oculo mentis videbat. Similiter audierunt Discipuli parabolam. verborum quidem significationes percipiebant, at tunc quando proferebantur, quid per ea significatum esset, non sunt affecuti, donec Christus illis, non autem turbis declarauit.

ANNOTATIO XXI.

Qua ratione Christus in parabolis locutus fuerit Iudaeis, vt videntes non videant.

IN primis apud Marcum sic habetur: Vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant, &

non intelligant. Sensus idem est, vt ex Commentario satis liquet; videbant enim exterioribus oculis, sed

non

non assequerentur mente, quid per ea, quae videbant, significatum esset, similiter audiebant, & non intelligebant mente, quo tenderent, quae dicebantur. Grauior autem difficultas est, an particula illa (vt) significet causam finalem, quasi causa, ob quam Christus in parabolis locutus sit, ea esset, ne illi Iudaei intelligerent. Cui difficultati Bonaventura respondet, eiusque sententiam quidam recentiores amplectuntur, nimirum non causam finalem, sed consecutionem significari per talem particulam, vt sit sensus in parabolis Christum locutum esse, atque inde consecutum esse, illos Iudaeos non intellexisse. Particula enim (vt) saepe in Scriptura consecutionem indicat, idque verum est. At quod in hoc loco consecutivae, non autem causaliter accipiatur, sustineri non potest, ac repugnat contextus Euangelicus ei interpretationi: nam Christus respondet interrogationi factae a Discipulis, nimirum quare in parabolis loqueris eis? Quae interrogatio petit causam, vt satis notum est, huic respondet Christus per hanc sententiam: Vt videntes non videant; necesse igitur est fateri causam contineri eandem in responsione, quae petebatur in interrogatione. quam sententiam August. lib. quatuor. in Matth. c. 14. indubitanter tenet, & Hieron. Esai. 6. similia verba interpretans, & inter recentiores Albertus Magnus in commentario huius Euangelistae, & ita sentiendum mihi videtur. Argumentum autem quod recentiores illos permouit, id esse videtur, ne Iudaeos culpa vacare dicamus, quasi Christus non sit locutus eis, ita vt intelligere possent. Quam obiectionem Augustinus loco allegato refert, eique respondet, generaliter omnem incredulitatem, ac caecitatem Iudaeorum, qua Christo non crediderunt, tribuens eorum culpis praecedentibus, propter quas

iusto Dei iudicio priuati sunt lumine eo, quo intelligerent, & crederent; eaque est doctrina Hieron. Esai. 6. iuxta quam ad sententiam hanc dicimus, Christum in parabolis locutum, ne intelligerent diuina mysteria, quia iam verbis, & factis multa dixerat, & fecerat, quibus illi potuissent credere Christo, eumque nosse verum Messiam, vitioque ipsorum, ac culpa incredulos extitisse, ob quam grauissimam culpam iuste loquitur eis in parabolis, vt non intelligant, quia mysteria significata per parabolas non meruerunt percipere, qui spreuerant intelligere, quae ad fidem eius concipiendam sufficientissime, & abundantissime acceperant. Vnde Ireneus hunc explicans locum lib. 4. c. 48. sic inquit: Vnus & idem Deus his, qui non credunt, sed nullificant eum, infert caecitatem, quemadmodum Sol, qui est creatura eius, his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen eius: his autem, qui credunt ei, & sequuntur eum, plenior, & maiorem illuminationem mentis praestat. Hanc ille. Sicque soluit argumentum Marcionistarum, qui Deum auctorem malorum facere nitebantur. idem dicit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. Vera igitur est doctrina illa Greg. hom. 23. in Euang. nimirum: Qui vult audita intelligere, festinet quae audire potuit implere. Hanc ille. Non ergo sermo hic est de omni caecitate Iudaeorum, sed de ea, quam in parabolis percipiendis habuerunt, iuste priuati a Christo lumine, quo quae significabantur, perciperent. Adde eorum etiam vitio factum esse, ne intelligendi lumen haberent ea de causa, quia nec etiam inquiserunt, Christum humiliter interrogantes, vt Discipuli fecerunt, & ideo hi intelligere obtinuerunt.

ANNOTATIO XXII.

Quomodo conciliandi sint Lucas, & Matthaeus in hac Christi sententia.

Altera difficultas occurrit in eadem sententia: nam videntur, & Matthaeus, & Lucas multum dissentire: nam Matthaeus vsus est particula causalis, scilicet: Ideo, inquit, in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt: at Lucas vsus est particula finali, scilicet: Vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Hae longe sunt diuersae, vt facile est unicuique videre. Respondeo esse diuersas sententias, diuersosque habere sensus, & vt unque a Christo esse dictum: Matthaeus quidem explicat culpam antecedentem Iudaeorum, ob quam factum est id, quod refert Lucas; Iudaei enim videntes non viderunt, & audientes non audierunt; Christi enim opera miranda viderunt oculis, & noluerunt mente videre, & corde credere esse eum, quem opera ostendebant, audierunt verba eius, quibus se Dei filium, & Messiam significabat, & noluerunt audire, vt oportebat, eum recipientes. Ioan. 10. Loquor vobis, & non creditis, opera, quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa perhibent de me. propter hanc culpam eorum inexcusabilem Christus locutus est illis in parabolis obscuris, vt non videant, nec intelligant diuina mysteria per eas significata, & excæcentur. Illud Matthaeus, hoc Lucas, & Marcus retulerunt. Vnde tota sententia Christi est haec, ideo in parabolis loquor eis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant, quia videntes non vident, & audientes non intelligunt. Referuntur enim sententiae ad diuersa, & vna finalem, altera causam, quasi efficientem significat; vna culpam, altera poenam ostendit, & sic est mira concordia inter Euangelistas in hac parte. Vtriusque sententiae meminit Esaias cap. 6. praedicans vtramque caecitatem, nam de ea, quae habetur a Matthaeo ob quam Iudaei puniti sunt caecita-

Esai. 5.

te relata a Luca, & Marco, sic habet; Audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere. quae verba non sunt exhortantis, sed praedicantis, quod futurum erat. Idcirco Matth. cap. 13. haec verba iuxta sensum citauit, dicens: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. De caecitate autem sequenti, quae etiam poena fuit, & cuius Lucas meminit, subiunxit Esaias: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude. quae sententiae sunt valde diuersae, vt dictum est, & vna est causa alterius, sicque Esaias cum Euangelistis concordat, quod est notandum. Hinc facile vnusquisque deprehendit non satis accommodate loqui auctorem imperfecti in Matth. homil. 31. nam locum Matth. perpendens, notat Matthaeum non dixisse, vt non videant, sed, quia non vident. quasi si illo modo dixisset, forsitan non esset culpa non intelligentium Iudaeorum. At vero haec non sunt accurate perpena: nam apud Lucam, & Marcum habetur: Vt non videant. Nec tamen propterea consequitur non esse culpam Iudaeorum, cum ipsorum incredulitas praecedens causa fuerit caecitatis sequentis, meritoque adscribitur culpa talis caecitas, quam ipsi suamet culpa, & peccato sibi intulerunt. Doctrina enim est communis & certa, aliquando peccatum esse causam peccati, nimirum vt propter vnum peccatum Deus finat hominem labi in alterum, nec tamen propterea peccatum sequens definit esse peccatum, quamuis vt diximus in Annotatione praecedenti, etiam haec caecitas secunda paraboliarum ob culpam fuerit eorum, quia noluerunt inquirere, & sensum interrogare a Christo eos inuitante ad inquirendum, quando clamauit: Qui habet aures audiendi audiat. Hae de concordia Lucae cum Matthaeo in hac sententia.

ANNOTATIO XXIII.

Quomodo Marcus verba quae ex Esaias sumpta sunt, sic intelligenda. Esai. 6.

Timoth. 2.

Esai. 28.

Tertia difficultas est ex verbis subiunctis a Marco cap. 4. qui sic habet: (vt videntes videant, & non videant; & audientes audiant, & non intelligant; ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata) Haec vltima verba, nequando &c. addidit Marcus vltra relata a Luca, sunt autem a Salvatore prolata, & sumpta ab Esaias cap. 6. vbi de secunda caecitate, vt diximus in annotatione praecedenti, loquens, sic inquit: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Marcus sensum secutus est, licet non omnia verba. illa autem particula (ne forte) Graece est μήποτε, quae habetur etiam Graece apud Marcum. Quem autem sensum faciat, inquirendum est. In primis Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 270. interpretatur affirmatiue, loco, fortasse, seu aliquando, vel nonnunquam, vt sit sensus: Excæca eos, fortasse conuertentur, & sanabo eos, vel aliquando conuertentur: non ergo spem poenitentiae adimit, immo ponit. Particulam autem hanc μήποτε aliquando etiam significare fortasse, aut aliquando, & spem ponere, probat testimonio Scripturae, dicitur enim Eccle. 19. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, id est, fortasse non intellexit, & iterum: Corripe proximum, ne forte non dixerit, id est, fortasse non dixit. Similiter 2. Timoth. 2. seruū Dei oportet esse mansuetum ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripiens eos, qui resistunt veritati, ne quando det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, & respiciant a diaboli laqueis. In qua sententia illud (Nequando) quod Graece est μήποτε, positum est pro, fortasse, seu nonnunquam, quamuis ea dictio frequentet vsurpetur pronamquam, seu ne vnquam, vt sit negatiua. Hae est interpretatio Isidori. cui doctrinae adhæret Augustinus lib. Quæst. in Matth. c. 14. licet nihil traçter de particula illa. Docet tamen hanc Iudaeorum caecitatem, quam Iudaei ob peccata praecedentia passi fuerunt non credentes, & ex incredulitate Christum occidentes, fuisse illis temporalem, immo medicinalem. Nam illi idem post resurrectionem Domini agnoscentes suam incredulitatem, & mala perpetrata, humiliter conuersi sunt ad fidem: & caecitas illis est inflicta, vt per eam conuerterentur, & quae prius eis nocuit, postea profuit, quia occasio facta est humilis conuersionis, diligentis inquisitionis, & feruentis dilectionis. Probat autem Augustinus testimonio scripturae huiusmodi obscuritatem, ac caecitatem esse medicinalem, ex Isa. 28. citato a Paulo 1. Cor. 14. In alijs, inquit, linguis, & in alijs labijs loquar populo huic, & nec sic me exaudient, dicit Dominus. Ponderat Augusti: illud, Nec sic me exaudient, quasi diceret, talis locutio obscura etiam data fuit illis, vt me

exaudirent, & medicinalis erat. Iuxta hanc Augusti doctrinam oportet fateri illud, ne forte, aut nequando, teneri affirmatiue, vt dixit Isidorus. At vero Hieron. Esai. 6. contrarium tenet, nempe caecitatem hanc fuisse illis incredulis, de quibus locutus est Esaias, similiter & Christus, perpetuam, quia illi nunquam respuerunt, sed in sua incredulitate mortui sunt. Fatur quidem Hieronymus medicinalem fuisse, nimirum gentibus, quae in locum eorum admittuntur, ac propterea Deus permittit illos obcaecari, vt gentibus locus daretur iuxta illud Rom. 11. Diminutio eorum diuitiae sunt Gentium. & rursus: amissio eorum reconciliatio est mundi, & rursus: Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret. Atque haec sententia Hieron. mihi videtur legitima expositio: nam certum est his, de quibus Paulus loquitur, caecitatem non fuisse medicinalem, sed ruinam eorum perpetuam; aliter non intrarent Gentes in locum eorum. De talibus ergo verba Esaias, & verba Euangelistae sunt intelligenda, quibus dicitur, Nequando conuertantur, & remittantur eis peccata. Et re vera quamuis particula Graeca μήποτε eam admittat aliquando significationem, nempe affirmatiuam, tamen Hebraea, quae est apud Esaiam 18. per. semper est negatiua; & ambigua Graeca, quae vtuntur Euangelistae, declaranda est per Hebraeam: nam Euangelistae ad sensum Esaias scribebant haec, sicque Dominus loquebatur, & frequentissimus vsus particulae Graecae etiam est negatiuus, non tamē negamus, multos Iudaeos, qui prius fuerunt increduli, conuersos esse; at non de ijs loquitur Dominus, sed de illis, qui in incredulitate permanserunt, & permanserunt, donec in fine saeculi reliquiae Iudaeorum conuertantur. De qua etiam perpetua caecitate locutus est Dauid psal. 68. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Hae eadem sententia est Basilij Esai. 6. quantum ad Iudaeorum illorum perpetuam caecitatem, quam ipse confirmat optimo testimonio Christi Ioan. 8. Quæritis me, & in peccato vestro moriemini. Nec est quod admiremur: nam Deus propter peccata multis etiam nunc adimit, & negat locum, & spiritum poenitentiae, finitque homines in peccato, licet existimemus, & illis Iudaeis, & omnibus alijs semper dari auxilium sufficiens Dei, quo respicere valeant, tamen negatur illud, quo de facto se conuertant. Recte ergo dictum est: Loquor in parabolis, vt non intelligant, & vt non conuertantur intelligentes ac sanentur, quasi diceret, nolo ob maxima eorum peccata, & incredulitatem inexcusabilem aperire paralas, nec dare eis maius lumē, quo conuertantur, dedi quidem hactenus, quo abundanter potuissent, si voluissent, nolo dare hoc, quo de facto se conuertant, hic mihi videtur sensus, & doctrina verissima.

psal. 68.

Est autem haec parabola.

COMMENTARIA.

Posteriori interrogationi respondet, nempe Discipulis interrogantibus, quid parabola significaret, his respondet: Est haec parabola, id est, parabola haec significat; quid vero significet sequentibus sententijs explicat. Positum autem est verbum (est) (pro) significat, sicut & 1. Cor. 10. Petra erat Christus, id est, significabat Christum. Vt autem magnitudinem huius beneficij Dei agnoscerent, idcirco praemisit: Vobis datum est, non illis.

Semen est uerbum Dei.

COMMENTARIA.

Incipit partes parabola explicare, dicit autem per semen significati doctrinam Euangelicam, quam appellat, uerbum Dei: tum quia a Deo ipso est, & ad ipsum est. Ab ipso quidem, quia doctrina hac non ab humana inuentione, sed a diuina reuelatione exordium habet. Ad ipsum uero, quia hominem perducit ad unionem cum Deo per gratiam, & gloriam. De priori scriptum est Ioan. 6. Erunt omnes doctibiles Dei, omnis qui audiuit, & didicit, uenit ad me. De posteriori autem Ioan. etiam. 6. Verba uita aeterna habes. Est autem metaphora sumpta a femine materia: ut enim hoc in terram mittitur, & absconditur, ut exterius procedat, & fructum faciat: sic doctrina Euangelica praedicatur, & excipitur auribus, ac recipitur corde, non ut tantum sciamus sicut per scientias speculatiuas, quas appellant, sed etiam ut exterius operemur bona, iuxta illud Ephe. 5. fructus lucis, id est, doctrina Euangelica, est in omni bonitate, iustitia, & ueritate. & Colof. 1. In omni bono opere fructificantes. Hinc praedicare etiam seminare dicitur 1. Cor. 9. Si nos uobis spiritualia seminauimus &c.

ANNOTATIO XXIII.

Bona opera & fructus dicuntur, & semen. Aduerte in hac feminis metaphora, sicut doctrina respectu actuum, & operum bonorum dicitur semen, ita & bona opera respectu praemij, & uita aeterna, quae propter illa datur, dicuntur etiam semen. unde opera sunt fructus, & semen; fructus quidem fidei, ac doctrinae in anima, ut par est recepta; semen uero uita aeterna, & sicut docere, ita etiam operari dicuntur seminare, non tantum in bonis respectu uita, sed etiam in malis, respectu mortis, & damnationis. Ita Paulus Gala. 6. Quae seminauerit, inquit, homo, haec & metet; quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, metet uitam aeternam, & de eleemosyna, quae est unum ex bonis operibus, dictum est. 2. Cor. 9. Qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus, id est, abundanter; de benedictionibus & metet.

Quare uerbum Dei semen fit appellatum. In eadem etiam metaphora aduertendum, est uerbum doctrinae conferri femini, quo quidem significatur, quod sicut ad fructum ferendum conueniunt tria, scilicet feminis ipsius uirtus, & efficacia, similiter terrae, in qua recipitur, fecunditas; quamuis enim semen sit efficax, nisi terra cooperetur sua fecunditate nihil produci potest, similiter influxus caelestis causarum uniuersalium, Solis, Lunae, astrorum pluuiarum uentorum, &c: sine concursu enim hoc terra non fructificat; ita etiam in spiritali fructu uerbi Dei tria similia conuenire necesse est, nec enim solum Dei uerbum etiam auditum, ac conceptum satis est ad actus bonos, & opera faciendum, immo nec ad ipsi uerbo fidem praestandam, nec post creditum uerbum ad bene agendum; nisi concurrat uirtus arbitrij humani: nam licet non sit arbitrium hominis sufficiens per se, tamen necessarium est una cum Dei uerbo ac diuino semine. nec etiam haec duo sufficiunt, sed adhuc necessarium est diuinum, & supernaturale auxilium. quod recte Orige. Matth. 13. influxui caelesti Solis confert, quo quidem iuuetur arbi-

trium hominis, & excitetur ad cooperandum uerbo, ac semini Dei. Sic autem ista conueniunt, ut uno deficiente fructus non fiat. De feminis necessitate Rom. 10. Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt, & quomodo credent ei, quem non audierunt? De arbitrij homini terrae comparati necessitate dictum est 2. Cor. 6. Exhortamur, ne gratiam Dei in uacuum recipiatis. Quid est in uacuum recipere, nisi non cooperari, & facere quod suum est, ad quod exhibendum exhortatur nos Apostolus, nemo enim exhortatur alterum, nisi ad id quod eius est praestandum. propterea. 1. Cor. 15. Abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. Si gratia Dei cum Paulo laborabat, igitur Paulus laborabat. quo loco Grego. lib. 15. mora. c. 10. usus est ad hoc idem probandum. De necessitate autem supernaturalis, & caelestis auxiliij dictum est Ioan. 6. nemo potest uenire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere, & 1. Cor. 12. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Vbi aduertendum est, in his sententijs (nemo potest) non excludere omnem, seu totam uirtutem arbitrij, sed sufficientiam, sicut si quis dicat, ego non possum mouere lapidem hunc magnum, non significat se nullas habere vires, sed eas solas non esse sufficientes sine auxilio, & iuuamine externo; ira sentiendum est, quando dicimus hominis arbitrij non posse, ut oportet operari, aut credere sine Dei auxilio. Hinc est, quod in Scriptura dicitur Deus adiuuare hominis infirmitatem: nemo autem adiuuat eum, qui omnibus prorsus uiribus est destitutus, id esset potius facere opus, quam iuuare ad illud faciendum: concludimus ergo tria haec concurrere ad fructum perfecte ferendum, uerbum, arbitrium, auxiliu Dei, & singula cooperari, & singulis deficientibus non esse fructum. Et in hoc pulchre procedit metaphora. Caetera quae dici adhuc poterant, in sequentibus exponemus.

Qui autem secus uiam, hi sunt qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorum.

COMMENTARIA.

Haec est prima pars terrae, sensus est qui secus uiam, id est, qui similes sunt, seu qui significantur per terram positam secus uiam, in qua semen iactum conculcatum est, & a uolucris deuoratum, sunt ijs, qui audiunt uerbum, & priusquam credant, & assensum debitum praestent, uenit diabolus, & tollit auditum uerbum

uerbum de eorum corde, impediendo, ne assidue cogitent illud, nec affectu prosequantur, sicque facile a memoria eorum excidit.

ANNOTATIO XXV.

Quod ad uerba spectat, Matthaeus utitur numero singulari, scilicet omnis, qui audit, Marcus, & Lucas plurali utuntur: haec tamen nulla est contradietio, cum sensus sit idem: nam Matthaeus loco numeri pluralis addidit nomen generalitatis, scilicet, omnis, quod plurali aequiparatur, praeterea quod Lucas dicit, (deinde) Marcus expressius locutus apposit. (confestim) significat diaboli diligentiam, qui nulla interposita mora uerbum rapere aggressus est. Praeterea Matthaeus & Marcus non habent illud (de corde eorum) solus Lucas meminit. Demum, Lucas usus est nomine (diabolus) Marcus (Satan) Matthaeus. (Malus) idem haec tria significant, sed diuersis rationibus: dicitur enim diabolus, quia calumniator, & accusator est hominum, Satan quia aduersarius, & inimicus. Malus, quia nocere, & malum inferre hominibus conatur. Quod tamen ad rem ipsam magis attinet, illud est, quod Marcus, & Lucas sole uerbo audiendi usi sunt, at Matthaeus rem ipsam magis explicuit, adiunxitque uerbum intelligendi: Omnis, inquit, qui audit, & non intelligit uerbum: non ergo diabolus tollit uerbum de corde omniu, qui audiunt, sed illorum, qui audiunt, & non intelligunt. Queret igitur quispiam, quid sit non intelligere. Hiero. Matth. 13. interpretatur, qui audiunt, & non intelligunt eos esse, qui non audiunt diligenter, inquit enim hoc uerbo admoneri, uerbum audiendum esse diligenter. cui interpretationi consentit Chryso. hom. 45. in Matth. ubi dicit per eos, qui secus uiam sunt, significari negligentes, & otiosos. haec interpretatio uera est in eo, quod qui non intelligit, negligens est, & otiosus, cum non adhibeat eam diligentiam, quam debet erga uerbum Dei auditum, ut intelligat illud, & credat; tamen aliud est esse negligentem, aliud non intelligere; hoc enim effectus est, illud uero causa. Mihi igitur dicendum uideatur in hac sententia, eum dici non intelligere uerbum auditum, qui non assequitur illud esse non hominum, sed Dei uerbum; hoc enim necessarium est ad credendum auditis, & ad fidem concipiendam, nempe ut prius agnoscamus uerbum praedicatum, esse uerbum Dei; ad hoc enim Apostoli mi-

Diabolus tribus nominibus hoc loco sumptus.

Quid sit uerbum auditum non intelligere.

2. Corint. 6

1. Corint. 15

Ioan. 11

Diabolus qua ratione tollit uerbum de corde audiendum.

Ioan. 17.

ANNOTATIO XXVI.

Nonnullae dubitationes erga eandem sententiam occurrunt. una est quomodo diabolus tollat de corde uerbum auditum, & non intellectum. Respondeo diabolus non posse immediate, & per se ipsum agere in animam hominis, nec intellectum, aut uoluntatem attingere, hoc enim est solius Dei, qui per se, & immediate operatur in mentibus, & uoluntatibus hominum. At daemones per corporea phantasmata; quae sunt in imaginatione, aut memoria sensitua, & per sensus exteriores mouet intellectum, & uoluntatem, quia haec potentiae agunt, ut uoluntatem hisce; proponit igitur diabolus obiecta uaria, quae mentem excitent, aut a cogitatione aliqua distrahant, & quae affectum moueant, attrahant, aut auertant; sicque dicitur operari in intellectu, & uoluntate, obiecta proponendo, aut auertendo, non autem ipsas potentias mouendo, sicut artifex mouet instrumenta ad opus; hoc enim solius potentiae diuiniae est. hac uia, & modo dicitur Ioan. 13. cum iam diabolus misisset in cor, ut traderet eum Iudas, similiter tentat hominem alliciendo ad malum, retrahendo a bono: sic etiam nunc dicitur est, tollere uerbum de corde; cor enim mentem, & af-

fectum significat, a quibus tollit ille uerbum impediendo cogitationem, ac considerationem de eo, & excitando alias cogitationes diuersas, & proponendo ea, quae affectum auertant ab illo, & in alia inclinent; per haec tamen non efficit quin homo, si uelit ei resistat, & quod ille intendit, auertat. Unde Chrysof. hom. 45. in Matth. recte dicit, diabolus rapit semine, sed nos possumus facere, ne rapiatur, non quidem sine auxilio Dei, id tamen praesto adest, si uti uolumus. Altera difficultas est, cur diabolus dicitur uenire; omnes enim tres Euangelistae hoc uerbo usi sunt, non enim dixerunt, diabolus tollit, aut rapit, aut aufert, sed uenit, & tollit, rapit, aut aufert. Respondeo id dictum, ut significet diabolus extra nos esse nec semper adesse tentando, sed aliquando tentat, aliquando non, aliquando prope, aliquando longe a nobis est; at Deus ipse intra nos est, semper in nobis operatur, nam in ipso mouemur, uiuimus, & sumus. Praeterea dicitur ille uenire, quia ipse homo est, qui in plurimu occasionem ministrat illi ut ueniat; illi enim, qui secus uiam erant, sua negligentia in non intelligendo uerbo uiam fecere diabolo, ut ueniret; immo ut facile, & confestim ueniret,

Theo. 2.

deklaratur locus Hsai. 7.

Quare diabolus dicitur uenire u. c. tollit uerbum &c.

airet, quod ille fecit, ne dum moraretur, verbi effi-
cacia excitaret hominem ad intelligendum.

Dæmones cur
volucris
comparantur

Tertia difficultas est, cur dæmones comparentur
volucris, quæ semen deuorant, existimo quatuor
de causis. vna est, quia sicut volucres fere in aere
versantur, vnde volucres cæli, id est, aeris dictæ sunt:
ita dæmones, maxima enim pars eorum, qui in hoc
mundo versantur, vsque ad diem iudicij in aere mor-
rantur; ideoque à Paulo Eph. 2. dicuntur potestates
aeris; inquit enim Athana: in vita Sancti Antonij, in-
gentem turbam dæmonum aerem peruolare. Alte-
ra causa est ad significandam diligentiam eorū: sunt

enim volucres velociore animalibus terræ: ita dæ-
mones velocissimi, & diligentissimi in ijs exhiben-
dis, quæ hominibus perniciem inferunt, minusque
impediti, sicut volucres expeditam habent viam
aeris. Tertia est ad denotandam eorum voracitatē,
& insatiabilitatem: auis enim non mandit, sed vorat
integrum semen, & sic citissime deglutit. talis est
dæmon. vnde 1. Petri. 5. dicitur circuire quærens,
quem deuoret. demum volucres integrum semen
deuoratum in stomacho, vbi diu feruatur, reponunt:
sic dæmon, quæ rapit, conseruat, vt in die iudicij
proferat, & hominem accuset.

Ne credentes salui fiant.

COMMENTARIA.

Intentio diaboli hæc est; verbum enim tollere de cordibus hominum conatur, ne
credant, & per fidem consequantur remissionem peccatorum, gratiam, & gloriā, in
his enim posita est hominum salus; inuidet enim dæmon hominibus salutem eo-
rum, ad quam assequendam scit necessariam esse fidem, sine qua placere Deo nemo
potest: idcirco procurat, quantum potest, hanc impedire. quod si hoc efficere non
valet, conatur impedire dilectionis opera, quæ scit etiam necessaria esse, quorum
operum fides est fundamentum, & radix prima: non igitur credentes salui fiunt
per solam fidem, sed nemo saluus fieri potest, nisi credat, idcirco dæmon impedit
fidem, sicut qui prohibet infirmo medici aduentum, ne sanetur, non quod solus ad-
uentus medici sanet, sed quod sine eo non fiat sanitas.

ANNOTATIO XXVII.

Diabolus quia
Deum odit, in
hominem se-
dit.

Aduerte odium, ac inuidiam, quibus nos diabolus
prosequitur, procedere ex odio, quo tenetur cō-
tra Deum, cui cum nocere non valeat, hominem tā-
quam eius imaginem prosequitur. quod Basilius ho.
in aliquot Scripturæ locos, his verbis exposuit: Ofor,
inquit, est hominis diabolus, quoniam aduersus Deū
rebellis est, primum odio habuit, deinde & repugna-
uit omnipotenti, contempnit Dominum, alienatus est
à Deo. Vbi vidit hominem ad ipsius imaginem fa-
ctum, cum non posset in auctorem ipsum, quem ante
omnes lædere cupit, in eius imaginem suam exer-
cuit malignitatem. veluti si quis homo, quando Re-
gem inimicum attingere non valet, eius simulachrū
caderet. vidi ego iam, partim audiui, res certa est,
inter animalia hominibus inimicissima, pardalim,
quandoque in stadijs hominis oculos præ ira inua-
dentem; qui feræ deludere furorem quærunt, homi-
nis imaginem ei ex charta ostendunt: illa statim fu-

ribunda eam concerpit, atque dilacerat, hoc argu-
mento satis ostendens, quanta sit aduersus hominem
inimicitia. Sic diabolus in Dei imagine, quo fit erga
Deum odio, ostendit, quando Deum ipsum attingere
nequit. Hæc Basil. De diaboli autem inuidia idem
Basil. hom. de inuidia, inquit; Diabolus dolens
ob præclara bona homini concessa, quando Deo no-
cere non valuit, ipsum insidijs petit hominem. Et
in hom. quod non sit Deus auctor malorum, sic in-
quit: Animaduertens se ex Angelorum ordinibus
expulsum, non tulit terrenam creaturam ad Angelo-
rum dignitatem per virtutis profectum exaltari.
Hæc Basil. Diabolus igitur odio habet Deum, non
tantum quia expulsus est ab eo, sed etiam quia ho-
minem exaltauit, odio etiam habet nos, vt Dei ima-
gines; inuidet etiam nobis præ superbia, quia videt
nos in Angelicam dignitatem transferendos. Hæc
pro hac sententia declaranda sufficient.

Nam qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices
non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recidunt.

COMMENTARIA.

Hæc est explicatio secundæ partis terræ, scilicet petrosæ: supplendum est
autem verbum, scilicet, qui supra petram, hi sunt, id est, qui significantur
per terram petrosam, recipientem semen, sunt illi homines, qui audiunt verbum,
& cum gaudio suscipiunt credentes: at quia non habet radices eorum fides, quan-
do propter verbum & fidem tentatio se offert, & persecutio, potius abijciunt fidem,
quam priuationem, & amissionem temporalium bonorum admittant: credunt qui-
dem à principio cum gaudio, bonis per Euangelium promissis delectati; at quando
propter ea, bonorum sensibilibus suorū amissio sustinenda est, illa postponunt, vt
hæc retineant.

ANNOTATIO XXVIII.

Quod ad literam spectat, particula illa (Nam)
Græce est, autem, siue, vero. ac si dictum esset:
Qui autem, aut, qui vero. Præterea apud Matthæum
adunatum est (propter verbum) vt significetur, nō

quamcunq; tentationem, aut persecutionem remo-
uere hominem à suscepta fide, sed eam, quæ illa-
ta est, vt à fide recedat; quam tentationem, seu
persecutionem passi sunt martyres cum victoria
multi

multi vero alij succubuerunt, & ne vitam, diuitias,
honores, ceterave similia amitterent, eligerunt po-
tius fidem destituere, quam læti susceperant, quum
nulla eis incutiebat persecutio. Quod autem ad
rem spectat, inquirendum est, quæ sint radices fidei,
quarum defectu non potuit aduersus tentationes in-
surgentes permanere. Aduerte ergo ea, quæ faciunt
hominem in fide suscepta permanentem, ac stabile,
quæque efficiunt, vt per fidem fructificet opera, dici
radices. Sunt autem in duplici differentia, quædam
sunt in intellectu, quædam in affectu: in intellectu
quidem sunt dona Spiritus Sancti, scientia, intellectus,
ac sapientia, quibus mysteria, quæ credimus, penetra-
mus, argenteque lumen fidei; fit enim, vt qui destitu-
ti sunt his radicibus, facile recedant à fide, vt pote
non bene perceptis; ac apprehensis ijs, quæ fidei sunt,
vnde sæpe apud Paulum fit horum mentio. Colo. 1.
Postulantes, inquit, vt impleamini agnitione volūta-

Quæ sint ra-
dices hæc, qua-
rum defectu
verbum Dei
non fert fru-
ctum.

Colo. 1.

tis in omni sapientia, & intellectu spirituali. Ephe. 1.
Deus det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in
agnitionem eius illuminatos oculos cordis vestri. In
affectu autem sunt charitas Dei, qua eum præ omni-
bus diligimus, & omnia mala potius subire, quam ab
eo separari eligimus; hæc est radix fortissima, &
secundissima fidei, de qua Ephe. 3. Christum habi-
tare per fidem in cordibus vestris, radicati in chari-
tate, & fundati. Sunt etiam ceteræ virtutes, paciētia,
humilitas, & aliæ, quæ fidem fortificant, de quibus
dictum est Colo. 1. In omni virtute confortati secun-
dum potentiam claritatis eius in omni patientia, &
longanimitate. Quum fides has radices habet, for-
tis est, nec facile cedit tentationibus, & occurfio-
nibus, de qua fortitudine dictum est 1. Petri. 1. Resistite
fortes in fide. Non tantum fortis, sed & secunda,
est: nam fides per dilectionem operatur, sine eâ au-
tem mortua est, ac sine fecunditate meritorum.

Ephe. 1.

Ephe. 3.

Quod autem in spinas cecidit; hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, &
voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.

COMMENTARIA.

Tertia pars terræ hæc est, quæ semen suscepit, quod radices quidem emisit, fru-
ctum tamen non tulit, quia spinæ excrecentes simul, humorem subtraxerunt ad
fructificandum necessarium. quo significantur ij, qui fideles sunt, fidem, quam
susceperunt; retinentes, tamen fidei operibus, quæ per dilectionem operatur, non
incumbunt; diffracti, aut sollicitudinibus, id est, varijs studijs negotiorum seculariū,
quibus dum nimium immerguntur, non vacat eis, quæ spiritus sunt, considerare, ac
tractare; aut etiam dediti diuitijs, quæ non solum animos sollicitudinibus occu-
pant, sed etiam molles efficiunt, vt ea quæ spiritus sunt, subire refugiant; aut demum
tracti voluptatibus sæculi, quæ auertunt affectum à sanctis operibus. Cum igitur hæc
detineant mentem, & affectum, illam curis, ac cogitationibus implendo, hunc ad se
trahendo, sicque mens, & affectus, non vt par est, ad ea, quæ fidei sunt, facienda se
conuertant, fit vt fides sine fructu in talibus hominibus remaneat. licet igitur hinc
contra hæreticos argumentari, fidem esse posse sine operum fructu.

ANNOTATIO XXIX.

Superioris
sententiæ ver-
ba magis de-
clarantur.

Quod ad verba spectat, primo notandum est, Gre-
gorium hom. 15. in Euang. videri hæc ad vnum
referre, nempe diuitias, quæ & mentem
sollicitudine replent, & sua affluentia voluntatem ad
delicias trahunt, vnde & affligunt, & delectant, licet
non eodem tempore; videturque Chrysolto: hom. 45.
in Matth. idem sentire. Quod & si verum sit, nem-
pe diuitias ea operari, tamen tria hæc distincta sunt,
& vnum sine alijs reperitur, & ad diuersa refertur.
Secundo notandum est, quod interpret apud Matth.
& Lucam verit (sollicitudinibus) apud Marcum,
vertit, ærumnas, cum tamen idem vbique sit Græ-
cum nomen *μετρημα*, quod non tam ærumnam, quā
curam, sollicitudinem, anxiam, cogitationem, quæ
minus sunt graues, quam ærumna; significat. Præ-
terea tertio, quod Lucas diuitias appellat, Matthæus
fallaciam diuitiarum, Marcus deceptionem diuitia-
rum vocarunt, quia vt Chrysolto. hom. 45. in Matth. &
Grego. hom. 15. in Euang. dicunt, apparent diuitias,
potius quam sint, decipiuntque animos hominum sic
inhærentium eis, aut illas anhelantium, quasi essent
perfecta bona, & absolutæ diuitiæ, quod re vera non
ita est; nec enim diuitiæ per se, quantacunque sint,
efficere possunt hominem iustum aut bonum. Præ-
terea quarto notandum est, illud participium (eun-
tes) qui audiunt, inquit, verbum, & euntes suffocan-
tur à sollicitudinibus: quidam recentiores verbum
passiuum putant, vt sit sensus: Acti aut ducti à solici-
tudine, diuitijs & voluptatibus: quidam alij, quod
uerius est, verbum putant deponens, vt sit sensus,

euntes post sollicitudine, diuitias, voluptates. Rectius
dicemus, euntes cum illis, & recedentes à verbo au-
dito, & fide suscepta, non amplius de verbo cogitan-
tes, nec ipsum meditates, totos se dedit rebus sæculi:
nam, qui intendunt negotijs, vel diuitias habent, vel
honestis voluptatibus vtuntur, vt oportet, & cū me-
sura, ij non eunt à verbo auditio, & sic nō suffocant il-
lud talibus rebus. Præterea Matthæus & Marcus ad-
diderunt illud (sæculi huius) ille enim dixit, solici-
tudo sæculi istius: hic, ærumna sæculi; quia solici-
tudo, quæ est spiritus, & rerum ad Deum pertinen-
tium, non suffocat semen verbi, sed fecundat illud,
suffocatque semen spinarum. Vtiusque sollicitudinis
meminit Paulus. 1. Cor. 7. Qui sine vxore, inquit, est,
sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat
Deo. Qui cū vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi,
quomodo placeat vxori, & diuisus est: & mulier in-
nupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt; vt sit sancta,
& corpore & spiritu. Quæ autē nupta est, cogitat quæ
sunt mundi, vt placeat viro. Hæc Paulus Nō quod hæc
sollicitudo nuptæ, & habentis vxorē, mala sit, si sit mo-
derata per regulā diuinā, sed quod minuat sollicitudi-
nem eorū, quæ sunt Dei, quātum ex se est, & si nō suf-
focat semen impediens fructū, tamen impedit abun-
dantiore fructū, nisi homo diligentissimus sit, vt sup-
pleat alijs vijs, quæ ad spiritum pertinent; ideo est
periculosa sollicitudo, & nisi adsit spiritus modera-
men, apta est ad suffocandum semen. Sollicitudines
vero rerum aliarum secularium periculosiores sunt,
& sæpe suffocant semen verbi, dum homines ad

1. Corint. 7.

Psal. 45. Quantum nocet temporarium rerum sollicitudo.

ea omittenda, quæ lex postulat, aut ad ea perpetranda, quæ lex Dei prohibet, trahunt: sicut etiam diuitijs, & voluptatibus fieri contingit; tunc enim est plena suffocatio verbi. De hac suffocatione verbi Basi; hom. in psal. 45. explicans illud (Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus) sic inquit: Quatenus ijs rebus vacamus, quæ alienæ sunt à Deo, Dei notitiam recipere non valeamus. Quis enim eorum, quæ mundi sunt, sollicitus, seque immergens multimodæ distractioni carnis, attendere possit verbis Dei, satius facere tot tantarumque coactionum exactæ comprehensioni? Nonne vides, quod in spinas delapsum verbum à spinis suffocatur? spinæ namque carnis voluptates, & diuitiæ, & curæ sunt huius sæculi. extra hæc omnia constitutum esse opus sit eum, qui cognitionem Dei desiderat, debetque ab omnibus perturbationibus, atq; affectibus viciosis vacare, sic demum Dei scientiam apprehendere. Hæc ille. Gregorius etiam lib. 1. mora. cap. 4. Solet, inquit, rerum abundantia tanto magis à diuino timore mentem soluere, quanto magis hanc exigit diuersa cogitare; nam dum per multa spargitur, stare in intimis fixa prohibetur. Quod per semet ipsam veritas, cum pa-

rabolam seminantis exponeret, indicauit, dicens: Qui seminatus est in spinis, hic est, qui verbum Dei audit, & sollicitudo istius sæculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum, & sine fructu efficiunt. Hæc ille.

Non immerito quæret quispiam, cum semen, & spinæ simul sint, cur magis hæc semen, quam hoc illas suffocant. Respondeo spinas esse velut congenitas terræ, ac connaturales, semen autem quasi extraneum; inde enim est terram fecundiorum esse in alendis herbis sponte natis, quam in ijs, quæ sparsis semine, producuntur; sic fit vt natura corrupta magis inclinatur in sensibilia, voluptates, diuitias, & alia huiusmodi, minorique conatu opus habet, vt in ea propedeat. Genes. 8. Sensus, & cogitatio cordis humani in malum prona sunt ab adolescentia sua: idcirco sine labore, & conatu in ea homo fertur: in illa vero, quæ sunt spiritus, cum conatu & labore. Inde est, quod nisi cura, & diligentia magna sit erga spiritualia, suffocentur à sensibilibus, velut terræ carnis nostræ herbis spontaneis, sicut cymba contra fluium magno mouetur conatu, & ad cursum fluij facile fertur, & sola cessatione à conatu contrario in ima deferatur.

Quare spinæ semen, & non hoc spinas suffocant.

Genes. 8.

Quod autem in bonam terram; hi sunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum, retinent, & fructum afferunt in patientia.

COMMENTARIA.

Tribus terræ fructum non ferentis partibus enunciat, explicantur partes terræ fructiferæ, quæ bona terra dicitur; non quod alterius esset substantiæ à primis, sed quod impedimentis careret, scilicet petris, spinis, & vicinitate viæ. Huius vna pars plus, altera minus fructificat, per quas significantur homines illi, qui bono corde verbum audiunt, ipsi enim credentes auditum verbum retinent, & eo retentio fructificant patienter sustinendo labores, ac tentationes, cæteraque, quæ bene operantes patiuntur. de qua patientia scriptum est Heb. 10. Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Significantur etiam ijs, qui corde optimo eadem faciunt, scilicet verbum suscipere, retinere, fructum in patientia afferre, illi trigessimum, & sexagesimum, hi centesimum fructum referunt. Bonum cor, & optimum cor, hominum studiorum diuersitatem significant; non enim omnes boni, ac iusti, æquali studio fructui bonorum operum virtutis colendæ incumbunt. Hæc in Annotatione magis explicantur.

Heb. 10.

ANNOTATIO XXX.

Qui dicantur in bono & optimo corde verbum recipere.

Bona terra tria habet, suscipere semen, quod prima pars terræ prioris non habuit, volucris illud comedentibus. Rursum retinet, quod non fecit secunda pars terræ prioris, in qua propter petras semine non iecit radices conuenientes. Rursum fructum fecit, quem tertia pars prioris terræ non attulit propter spinas. Omnia hæc simul necessaria sunt ad terræ bonitatem; bonum enim ex omnibus simul requisitis, malum ex singulorum defectu efficitur. inquirendum tamen est, qui sint bono corde, & qui optimo, Græce illud optimo, non est superlatiuum, sed positiuum, sicut & præcedens, dicitur enim ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ in corde honesto, seu pulchro, & bono. at quia plus est secundum, quam primum, idcirco interpret, primum nomine positiuo, secundum superlatiuo interpretatus est. Quid autem sit cor bonum, quid optimum, non eodem modo explicatur. Bonauentura totam sententiã ad eandem personã refert, vt vnus, & idẽ dicatur bonum, & optimum cor habere: bonum quoad partem intellectuã, optimum quoad affectiuã, vt in intellectu veritas, & in affectu rectitudo sit: distinguit enim partes quatuor hominis, intellectum, scilicet voluntatẽ, memoriã, executiuam. propter primã dicitur bono corde, propter secundam optimo corde, propter memoriã, dicitur retinẽt, propter vltimã, fructum ad ferant. Hi ad mentem huius Doctoris

sunt homines significati per bonam terram; Multo tamen probabilius mihi videtur, vt ad diuersas personas referatur hæc duo, vt alij dicantur bono, alij optimo corde, vt vtrisque conueniat audire verbum, vt oportet, ei credẽdo, retinẽdo, & fructum referẽdo; vt enim dictum est superius, quædam pars terræ bonæ attulit trigessimum, quædam sexagesimum, quædam centesimum fructum. quas terræ partes Euangelista Lucas significauit dicẽs, quosdam esse bono, quosdam optimo corde, priori verbo indicans eos, qui fructum trigessimum, posteriori eos, qui sexagesimum, & centesimum ferunt fructum. aut quod magis placet, priori duos illos exprimens, qui minore fructum, posteriori eos, qui centesimum reddunt; incipientes enim, & proficiẽtes in spiritu, bono sunt corde; perfecti autẽ optimo. Per bonum igitur cor significatur studium veritatis intelligendæ, & rectitudinis, seu sanctitatis assequendæ, quale est in incipientibus, & proficiẽtibus; per optimum vero, qui totis viribus, ac conatu perfectioni incubunt. tã hi, quã illi verbum auditum semel susceptum retinent, & fructum referunt in patientia, licet non æqualibus passibus; vnde fit, vt non sit æqualis & fructus.

Aduerte autem patientiã in hoc loco, quæ Græce ὑπομονὴ dicitur, eã esse, quæ in laboribus, tẽtationibus, ac afflictionibus sustinẽdis versatur; per multas enim tribulationes oportet intrare in Regnum Dei;

Quid hoc loco patientia significet.

Rom. 5.

de qua scriptum est Rom. 5. Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem. Et Iaco. 1. Probatio fidei vestrę patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habeat, & vt in commentario diximus Hebr. 10. Patientia vobis necessaria est. in quibus locis idem est vocabulum Græcum. Est etiam in fructu referendo patientia quædam necessaria, quæ consistit in expectatione temporis, quan-

do merces recipienda est, quæ potius longanimitas dicitur, & Græce μακροθυμία de qua Iaco. 5. patientes estote fratres vsque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat, pretiosum fructum terrę patienter ferens, donec accipiat humorem temporaneum, & serotinum. & Matth. 18. patientiam habet in me, & omnia reddam tibi: at in præsentis loco habetur, ὑπομονὴ, vt diximus.

Iacobi. 5.

ANNOTATIO XXXI.

Vnde proueniat quod quædam terra pars trigessimum, alia sexagesimum, alia centesimum fructum afferat.

Num superest consideratione, & inuestigatione dignum, nempe vnde est, quod terra quædam trigessimum, quædam sexagesimum, quædam centesimum referat fructum, & consequenter vnus homo altero magis proficiat, meliusque operetur. In cuius rei explicationis gratiam aduerte, vt diximus, in materiali semine tria conuenire ad fructificandum, nempe semen, terram, & cælestium causarum concursum, Solis, ventorum, pluuiarum, ex parte horum singulorum procedere potest maior, aut minor fructificatio. ex parte quidem seminis, quia vnũ altero est virtuosius, & efficacius: non enim eandẽ vim omnia grana seminis habent. ex parte etiam terræ, quia vna pars altera est fecundior. ex parte demum influxus cælestis, quia vna, aut Solis radios, aut ventos, aut pluuias magis suscipit, vnde situs terræ plurimum facit ad fructum abundantiam, vel inopiam. Simili ratione in spiritualibus copia maior, vel minor procedit. Primo quidem ex parte arbitrij hominis, quod terræ comparatur: est enim discrimen quoddã inter terram, & arbitrium; nam terra cũ necessario operetur, totam virtutem, quam habet, applicat, & secundũ eam operatur; arbitrij vero hominis nõ sic, sed homo eo libere vtitur, aut secundum partem, aut secundũ totã virtutem, & conatum, aut vacat etiã ab operando; sicut qui musicus est, aut eloquens, aut artẽm habet scribendi, non semper loquitur, aut operatur, quantum potest per artẽm, sed vt vult; & eloquens nõ semper loquitur quam eloquenter potest, aut artifex operatur, quantum bene valet secundũ artẽm; sic homo accepta gratia diuina, & semine verbi, nõ semper applicat conatum arbitrij, totum. vnde fit, vt eadem gratia, & semine verbi vnus melius, alter minus operetur, prout arbitrium magis, vel minus applicat. & hoc est quod dicit Paulus. 1. Cor. 15. Gratia eius in me vacua non fuit. & 2. Cor. 6. Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; in vacuum enim gratiam habet, qui conatum arbitrij non applicat, vt cum ea operetur, & sicut non applicat, ita etiam potest non totam, sed partem applicare, intensius, aut remissius cooperando. Ex hac parte potest fieri, vt quidam centesimum, quidam sexagesimum, quidam trigessimum referant fructum etiam cũ æquali gratia, & semine verbi. ita notat Cypria: Epist. 76. ad Magnũ, vbi hanc parabolam allegans ostendit,

1. Cor. 15.

Nemq; autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit, sed super candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.

COMMENTARIA.

Post parabolæ explicationem Dominus suos admonet Discipulos se hæc mysteria, & alia, quæ audierant, eos docuisse, non pro se ipsis solis, ac vt apud se tantum retineant, sed vt alijs etiam suo tempore aperiant, ac manifestent; idque similitudine quadam tradit. Vt enim qui lucernam accendit, non eam accendit, vt tantum in se luceat, sed vt alijs lumen diffundat, ideoque non sub vase, aut sub lecto ponit, sed super candelabrum, sic ipsi Discipuli accensi à Domino, tamquam lucernæ, mysteriorum intelligentiam non debent in se recondere, sed mundo nota ipsa facere, quod ipsi postea obseruarunt, quando missi in mundum prædicare Euangelium, lumen veritatis, ac mysteriorum notitiam dederunt.

Colos. 3.

ANNOTATIO XXXII.

Sensus literalis, & Spiritus superioris sententia.

HAc similitudine vsus est saepe Dominus, licet diuersis propositis, vt constat Matth. 5. & Luc. 11. in praesenti autem loco, simul etiam apud Marcum eam attulit in eum finem, quem in commentario explicauimus; is enim est legitimus sensus, & continuatio, quam etiam Victor Antiochenus in Marcum cap. 4. secutus est. Sumpta est autem similitudo a consuetudine pauperum, quales erant Discipuli, qui solent in domibus suis aliqua sub vasis, & sub lectis reponere, & conseruare, ob id dicit, neminem sub lecto aut vase ponere lucernam accensam. Apud Marcum genus vasis exprimitur, nempe, sub modio, qui mensurae aridorum species quaedam est, sub qua solent (vt dixi) pauperes homines aliqua seruare. Haec ad sensum literalem dicta sunt: nam si spiritualem quispiam desiderat, is mihi videtur, vt qui doctrinam Euangelicam alijs tradendam accipiunt, quales sunt Praelati, & Doctores, curent maxime ne otio torpescant, aut humanis cupiditatibus

se subijciant; illi enim qui otiose agunt, doctrinam sub lecto, in quo quiescere solemus, abscondunt; qui autem proprijs vtilitatibus, ac cupiditatibus inserviunt, sub modio ponunt, veritatem dissimulantes, & quae placent audientibus, proponentes, & non ad cor, sed ad aures praedicantes, quales illi magistri sunt, quos praedixit Paulus. 2. Timot. 4. Ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & a veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Gregorius lib. 30. mora. cap. 17. modium & candelabrum spiritualiter explicans dicit: In modio commodum temporale, in lucerna autem lux praedicationis accipitur. Lucernam ergo sub modio ponere, est propter temporale commodum gratiam praedicationis abscondere, quod nemo electorum facit; & bene additur: sed super candelabrum, in candelabro enim status corporis designatur, cui lucerna supponitur, dum eidem corpori cura praedicationis antefertur. Haec ille.

Non est enim occultum, quod non manifestetur; nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat.

COMMENTARIA.

Causam reddit sententiae praecedentis, quia (inquit) non est aliquod doctrinae meae mysterium occultum, & sub parabolis adumbratum, quod non sit manifestandum; nec est aliquid in absconditis locis, priuatisque domibus a me vobis dictum, quod non debeat palam praedicari, & in propatulum, & in cognitionem publicam venire, propterea dixi vobis, lucernam non accendi, vt sub modio, aut lecto ponatur, sed super candelabrum eminens, vt omnes lumen videant. Vt igitur lucerna prius accenditur, postea in candelabro ponitur; sic vos estis, qui nunc accendimini per meae doctrinae intelligentiam intra priuatos parietes, velut absconditi, at postea ibitis per mundum vniuersum, annunciantes omnibus, quae audistis, & a me intellexistis. Praedicat Discipulos, qui nec in sua patria satis cogniti erant, futuros terrarum, & ad orbis terrarum fines, Christi praedicatione notos, ac celebres.

ANNOTATIO XXXIII.

Littere sensus magis declaratur.

Græce hæc omnia sensum futurum habent, quasi dictum esset, non est occultum, quod non sit manifestum futurum; nec absconditum, quod non sit cognoscendum, & in propatulum venturum. Nam loquebatur Christus de ijs, quae reuelanda erant post eius in caelos ascensionem. Duo autem illa, occultum, & absconditum, ad diuersas rationes referuntur: nam multa mysteria sub obscuris parabolis dicebantur, & in priuatis locis, ob id occulta, & abscondita dicta sunt, quae postea aperienda, & publicanda erant. Euthymius refert interpretationem quorundam, nempe hic agi de virtute occulta in hoc saeculo, quae tempore retributionis est detegenda; hæc tamen interpretatio contextui non accommodatur; legitima ea est, quae in commentario est posita. Similis sententia habetur Matth. 10. sed ea alio tempore a Domino est pronunciata & alia occasione.

Græce hæc omnia sensum futurum habent, quasi dictum esset, non est occultum, quod non sit manifestum futurum; nec absconditum, quod non sit cognoscendum, & in propatulum venturum. Nam loquebatur Christus de ijs, quae reuelanda erant post eius in caelos ascensionem. Duo autem illa, occultum, & absconditum, ad diuersas rationes referuntur: nam multa mysteria sub obscuris parabolis dicebantur, & in priuatis locis, ob id occulta, & abscondita dicta sunt, quae postea aperienda, & publicanda erant. Euthymius refert interpretationem quorundam, nempe hic agi de virtute occulta in hoc saeculo, quae tempore retributionis est detegenda; hæc tamen interpretatio contextui non accommodatur; legitima ea est, quae in commentario est posita. Similis sententia habetur Matth. 10. sed ea alio tempore a Domino est pronunciata & alia occasione.

Videte ergo quomodo audiat.

COMMENTARIA.

Cum Discipuli futuri essent lucernae accensae, alijs manifestaturi, quae in abscondito audiebant, quaeque eis aperiebantur, recte infert Christus, ergo videte quomodo audiat, quasi diceret: Vos nunc instruemini, vt sitis postea Doctores, attendite ergo, vt diligenter, & obedienter audiat ea, quae alijs debeatis manifestare; qui enim didicit, vt postea doceat, debet diligentissime excipere omnia, quae magister docet.

ANNOTATIO XXXIV.

Prosequitur sententiae superioris interpretationem.

Quidam codices legunt, quid audiat, legitima lectio est, quae comunitur habetur, quomodo, siue Græce habetur πῶς. Marcus cap. 4. habet: Quid. Græce π. Vnde puto vtrumque dictum, quid & quomodo audiat: monet enim Christus Discipulos, vt magnitudine mysteriorum considerata, ea accurate & diligenter audiant. Marcus huic sententiae praemisit aliam, cuius Lucas non meminit, nempe si quis habet aures audiendi, audiat; postea subiunxit,

videte quomodo audiat, sensus est: Cui aures intellectuales, id est, facultas diuina mysteria intelligendi, datae sunt, diligentissime audire debet; uide te ergo quomodo audiat, id est, cum igitur tales vobis datae sint aures, videte & attendite, vt audiat sicut oportet. Hæc aures non sunt, vt superiores, quando dixit Iudæis clamans: Qui habet aures audiendi audiat; sed sunt etiam interiores, quibus mysteria occulta reuelabantur, quales erant Discipulorum,

sum, monetque, vt cum sint concessae eis aures tales, quibus mysteria Regni Dei cognoscerent, diligenter audirent, & exciperent ea omnia.

ligerentissime audirent, & exciperent ea omnia.

Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

COMMENTARIA.

Causam, cur ad audiendum vt oportet, exhortatus sit, adiunxit, ea autem est, quia qui habet, id est, qui audit, & excipit mysteria vt oportet, dabitur illi; id est, plura ei reuelabo, & ad maiora promouebitur; at vero qui non habet, id est, qui non audit, ac excipit vt oportet, quae ei nunc manifestantur, huic non solum non dabitur, nec maiora manifestabuntur, sed etiam quod habere videtur, auferetur ab eo, nimirum concessa facultas intelligendi diuina mysteria, manebitque in tenebris ignorantiae.

ANNOTATIO XXXV.

Græce loco illius (putat se habere) legitur, habere videtur, quod potest intelligi generalius, nempe quod sibi, & alijs habere videtur; at Latini interpretes vnam partem sumpsit, nempe, quod sibi habere videtur. Marcus autem non habet illud, videtur; sed tantum, quod habet, auferetur ab illo, id est, est sensus; Lucas enim expressius locutus est: nam habemus aliquando, quae nescimus, ob id addit, quod habere videtur, vt significaret manifestam fuisse Discipulis, gratiam illam concessam sibi ipsis intelligendi parabolae occulta mysteria Christo reuelante.

prior erat, & abundarunt, quia de statu seruorum promoti sunt in statum filiorum Dei. Iterum hanc sententiam protulit Christus post parabolae explanationem factam Discipulis, de eisque eam pronunciauit, admonens, vt diligentissime exciperent sensus expositos mysteriorum Dei, vt maiorem reciperent cognitionem, & gratiam, ne etiam si non tales se exhiberent, etiam data intelligendi facultate, & gratia priuarentur: & hanc sententiam in hoc sensu Marcus, & Lucas retulerunt. Non autem esse eandem sententiam illam Matthaei cum hoc Marci, & Lucae, nec eundem habere sensum, praeterquam quod ipse contextus manifestat, etiam Euthymius comprobatur. Alterum est, Marcum praemisisse huic sententiae vnam, quam non retulit Lucas, nimirum: In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Cuius sensus est: Si diligenter audieritis, ego etiam liberaliter agam vobiscum, maiora manifestando, sicut si magister diceret Discipulis: Agite diligenter, sicut vos feceritis, ita & ego faciam, si segnes fueritis, ego etiam negligenter agam, & remisse in docendo; contra vero, si accuratam operam dederitis. Quae etiam sententia vsus est Dominus alio loco, tempore, & sensu, vt habetur Luc. 6.

Christus bis protulit hanc sententiam in parabolae explanatione.

Duo tamen sunt hoc loco aduertenda. Vnum est, bis dixisse Christum in huius parabolae explanatione hanc sententiam, semel quando interrogatus est, cur in parabolis loqueretur Iudæis; tunc pronunciauit contra Iudaeos incredulos sententiam hanc, dicens: Qui habet, dabitur ei, & abundauit, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo; & hoc refert Mattheus, per quae significauit Christus a Iudæis incredulis, quia non habuerunt fidem, nec ei crediderunt, Regnum caelorum auferendum, & excludendos esse ab Ecclesia, & de populo Dei, quales prius erant, populus enim Dei factus est non populus, qui vero crediderunt, translati sunt in excellentiorem statum, quam

Venerunt autem ad illum Mater, & fratres eius, & non poterant adire eum pro turba.

COMMENTARIA.

Cum Christus turbis praedicaret, Mater, & fratres consobrini eius venerunt, vt illi alloquerentur; at praeter multitudinem turbae accedere non valentes, foris manserunt extra eam domum, in qua Christus praedicabat, finem concionis expectantes.

ANNOTATIO XXXVI.

Eandem historiam scripsere Mattheus & Marcus, sed seruato ordine rerum, quae Lucas non seruat.

Hanc historiam non esse continuam ijs, quae narrata sunt, ipse Lucas ostendit: nam Christum parabolae huius explanationem Discipulis tantum, cum solus esset, tradidisse ex Marco cap. 4. vt diximus constat; nunc autem Lucas dicit praeter turbae Matrem, & fratres non potuisse adire eum: hæc igitur historia de Matre & fratribus ad alium locum, & tempus spectat, quam Mattheus cap. 12. & Marcus cap. 3. referunt, nisi cum quibusdam recentioribus dicamus bis dicta esse hæc verba: Quae est mater mea, &c. quod non videtur probabile. atque eandem esse historiam a Mattheo, & Marco suo loco descriptam, a Luca vero non seruato ordine praepositam docet Aug. lib. 2. de consen. Euang. cap. 40. ideo Lucas omisit verbum, quod dicitur a Mattheo, nempe: Adhuc

eo loquente ad turbas, ecce Mater eius. Cum enim solius historiae meminisset, ordine rei gestae praetermisso, reliquit illud: Adhuc eo loquente ad turbas. Huius enim concionis ipse Lucas cap. 11. mentionem fecit. Marcus addidit (foris stabant) Mattheus autem adiicit (quaerentes loqui ei). Sic ergo ex tribus Euangelistis conficitur historia. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce venerunt Mater eius, & fratres eius quaerentes loqui ei, & non poterant adire eum pro turba, ideo foris manebant. Fratres hos intellige non filios Ioseph, sed sororum Beatæ Virginis: tales enim in Scriptura saepe fratres nominantur, de qua re diximus in commentarijs in Ioannem cap. 2. Annot. 18. nec est cur ea repetamus.

ANNOTATIO XXXVII.

Quid Tertullianus & Chrysostomus sentiant de hoc loco.

Non est silentio praetereundum, quod Tertullianus lib. 4. contra Marcionem: & lib. de car. Chri. ac

Chryso. hom. 45. in Matth. scripto mandarunt; accusant enim Dei Matrem, ac fratres hos Christi, scilicet de hoc loco.

si, de duobus, vnum est, quod non intrauerint domum, audierintque Christi concionem, sicut fecerat turba. Alterum est, quod tentauerint diuertere eum a concionando, verbumque Dei predicando. Querebant enim loqui ei, dum adhuc turbas docebat. Addit Chryso. eos importunos fuisse, ac commotos quadam ambitione, & ostentatione; euocauerunt enim foris in praesentia omnium, vt viderentur facile, ac magna cum potestate Christo imperare. Et quidem si hi Doctores de fratribus hinc solis talia affirmassent, non esset, cur nimium miraremur, aut cur efficaciter eos repelleremus: nam de his fratribus scriptum est Ioanni. 3. nondum credebant in eum fratres eius. licet ex hoc facto non deprehendatur aliquod argumentum contra illos, de Beata vero Virgine Matre omnino talia dici non potuerunt, nec debuerunt, quae firmissime credebat Christum verum Deum esse; ac mundi Saluatorem futurum, quaeque ita erat plena Spiritu Sancto, vt remotissima esset a tali ambitione, & ostentatione, quae sine peccato esse non poterat. Vnde Augustinus temperatius, & reuerentius de Beata Virgine scripsit lib. de natura & gratia cap. 36. de peccatoribus enim scribens illam excepit, professusque est se propter filij reuerentiam in tali numero non posse illam concludere. Nostro autem

Et nunciatum est illi: Mater tua, & fratres tui stant foris quarentes te videre.

COMMENTARIA.

CVm non possent Mater, ac fratres adire Christum, mittunt ad eum nuncium, qui ei significet stare eos foris quarentes videre, & loqui illi. Hebraea phrasis est, verba ipsa nunciantium scribere. Latine autem dici posset, nunciatum est illi. Matrem eius, ac fratres stare foris, velleque ipsi loqui.

ANNOTATIO XXXVIII.

Matthaeus cap. 12. habet, dixit ei quidam. at Marcus cap. 3. magis hoc explicat, ait enim: Mater, & fratres misisse ei quosdam, qui vocauerunt eum, dixisseque ei; Ecce Mater tua, & fratres tui foris quarentes te. Lucas autem tantum dicit, nunciatum est ei. In his nulla est contradictio; nam Lucas narrat nuntiatum esse Christo Matrem, & fratres adesse foris, non tamen expressit, an ab vno, vel a pluribus, nec hos, qui nuntiarunt, misos esse a Matre, ac fratribus. Marcus vero explicuit misos a Matre, & fratribus, pluresque fuisse: nec contradicit Matthaeus dicens in singulari numero, quendam dixisse: nam in Scriptura saepe numerus pro numero ponitur, & verum est, si plures dixerunt, etiam vnum dixisse, licet dici posset vnum tantum locutum esse, plures tamen misos fuisse, non enim simul plures loqui solitum est, sed vnum nomine aliorum, ideo Marcus vtitur plurali numero, quosdam scilicet dixisse, quia plurimum nomine ille locutus est. Quod autem Matthaeus dicit, quarentes loqui, & Lucas, quarentes videre, non est vnum alteri contrarium: nam illi vtrumque dixerunt. Haec quoad litteram dicta sunt.

Occurrit autem difficultas hoc in loco, quid nempe mouerit hunc aut hos homines ad nunciandum Christo, Matrem, & fratres foris esse quarentes esse. Ad quam primo loco Hiero. Matth. 12. respondet, hunc nuncium, non fortuito, & simpliciter nunciasset, sed insidias tendidisse Saluatori, vtrum spirituali operi, quale erat praedicare, praefert carnem, & sanguinem. Secundo loco Tertull. lib. de carne Christi asserit hunc motum esse ad nunciandum etiam, vt tentaret Christum, tamen tentare volebat, an esset filius hominis, & vere de Matre natus. Tertio loco Auctor imperfecti, in Matth. hom. 30. affirmat hunc nuncium motum esse a diabolo, qui per illum impedire conabatur Christum a praedicatione, & ma-

Concordia Evangelistarum in narratione huius historiae.

Quare Christus non nuntiarent Matrem, & fratres eius ad se.

iam saeculo nullus dubitationi datur locus, decretum enim est fide Catholica tenendum, Beatam Virginem nullum peccatum actuale, nec veniale toto vitae tempore admisisse, vt constat ex Conc. Trid. ses. 6. can. 23. Quod si Chryso. suo tempore stabilitum affectus esset, omnino a tali sententia se abstinuisset. Ad obiecta igitur respondemus: Ad primum, non ex nobis, sed ex Euangelista ipso responsio est manifesta: non, inquit, poterant adire eum praeter turba. Si ergo intrare non poterant, non est cur vitio detur nec ipsis fratribus, quia non intrauerint, & concionem cum turba audierint. idcirco foris stabant. Ad secundum dicimus non eo animo eos euocasse Christum, vt impedirent concionem, quasi Christo, aut turbae inuiderent; sed quod nouerant iam diu protulisse sermonem: nam priusquam domum illam ingressus esset, docuerat multa, atque iterum domum ingressus longum habuerat sermonem, ita vt Mater facile intellexerit eum esse defessum, nec a turbis dimitti, vt panem manducaret cum Discipulis, saepe enim id euenerat. Habetur enim Mar. 6. Erant, inquit, qui veniebant, & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant. Hac igitur de causa nunc Mater & fratres a concione euocauerunt eum, quod non vitio dandum est, sed maximae charitati.

nifestatione suae diuinitatis, tunc enim Christus praedicabat: Ecce plusquam Salomon hic, plusquam Ionas hic. Haec Doctorum sententiae non videntur mihi accommodatae: nam ex Marco habemus, nuntios misos a Matre, & fratribus, ad euocandum Christum: non ergo habent locum, quae dicunt hi Doctores, motos esse a diabolo, aut animo tentandi accessisse, quod si quispiam dicat, Doctores loqui de eo, quem Matthaeus refert annunciasse; Marcum autem de alijs, quasi ille sit distinctus ab ijs, id dici non potest: nam cum ille eadem verba retulerit, quae Marcus narrat, & illi sit responsum idem datum a Christo, quod alijs datum est, oportet fateri vnum esse, & eundem cum missis a Matre: alias cogemur dicere, bis verba illa dicta: Ecce Mater tua &c. & bis Christum eadem respondisse, quod est omnino inuicem simile. Quod si quispiam iterum dixerit: Quamuis iste sit missus a Matre, vt vocaret Christum; tamen ipse alio animo, & intentione nunciavit, nempe vt tentaret eum. Hoc quidem fieri potuit, sed non video vllam rationem, quae nos inducat ad sic sentiendum de nuncijs illis; praesertim cum Euangelista vtique id expressisset, si ita factum esset, tanquam scitu dignum. Quod autem Tertulli. dicit, improbable est; illo enim tempore nemo ambigebat Christum esse filium Beatae Virginis, vt sic ille tentaret Christum; nemo enim tentat, vt sciat, nisi qui dubitat; immo nec tentatio nitebatur firmo argumento: nam quamuis Christus Matrem sequeretur, non ob id qui tentabat, certus esse poterat de eo, quod scire intendebat. probabilius ergo existimo esse, hos simpliciter nuntiasse, vt rem gratam facerent Beatae Matri, eo maxime, quia erant de turba, in qua erat simplicitatis plurimum, malitiam autem parum. Sed obijciat quispiam, cur aliquis de fratribus non est missus ad nunciandum Christo? Puto dici posse id factum, ne Matrem solam relinquerent: nisi quis velit dicere, quod probabilitate non caret

caret, fratres non potuisse intrare, sed quibusdam, qui proxime aderant, dixisse, vt Christo significarent; hos autem alijs dixisse, & iterum istos alijs, donec quidam, qui Christo vicinior erat, audiuit, ac Christo indicauit. ideo Marcus plurali, & Matthaeus singulari vsus est, & ita quae Hieronymus, & Auctor imperfecti tradunt, videtur probabilia. Atramem, quae prius dixi, mihi probabiliora visa sunt; facilius enim erat quibusdam de turba intrare, & Christo accedere.

Qui respondens dixit ad eos. Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

COMMENTARIA.

NE ij, qui eum audiebant, putarent se praefere cognationem, quae secundum carnem est, praedicationi verbi Dei, respondet, Matrem suam, ac fratres eos esse, qui quae ipse praedicabat, audiebant, & opere complebant. Non quod negaret se Matrem habere, & fratres secundum carnem, sed quod plures faceret cognationem spiritus, quae est in audientibus, & facientibus verbum Dei, si vna cognatio praecise alteri comparatur. Non autem sufficit verbum Dei audire, nisi etiam fiant, quae audiuntur, iuxta illud Rom. 2. non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.

ANNOTATIO XXXIX.

Matthaeus cap. 12. & Marcus cap. 3. praemittunt verba dicta a Christo, quae Lucas non narrat, scilicet: Quae est Mater mea & fratres mei? Addidit Marcus: Et circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant. Adiunxit Matthaeus: Extendens manus in Discipulos suos dixit: Ecce Mater mea, & fratres mei, quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Si omnia haec coniungamus, sic se res habet: Respondens dixit, quae est mater mea, & qui sunt fratres mei, & circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, extendit manus in Discipulos, dicens: Hi sunt mater mea, & fratres mei, & qui audiunt verbum Dei, & faciunt; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse meus frater, & soror, & Mater est.

refellitur heretici negantes Christum veram simpliciter carnem.

Notandum est in haec verba. Quae est Mater mea, impigisse haereticos quosdam, negantes verae Christi carnem, quasi his verbis negauerit se habere matrem; ita refert Ambros. Luc. 8. Hier. autem Matth. 12. expressit hos haereticos fuisse Manichaeos, & Marcionem. consentit Tertulli. lib. 4. contra eundem, & lib. de carne Christi. At quantum errant isti haeretici in hoc loco, verba ostendunt. Non enim dixit: Non est mater mea, nec sunt fratres mei; sed, quae est mater mea, & fratres mei? ipse etiam Euangelista dixerat: Veniunt ad eum mater eius, & fratres. Hanc haereseum alijs in locis efficaciter confutauimus, ideo a pluribus in hac parte praestandis abstinemus. Non igitur haec verba Christus protulit, vt Matrem ac fratres consobrinos secundum carnem se habere negaret. Nec etiam sunt verba alicuius acrimoniae, & in-

Verba haec Christi, non sunt inceptationis.

ANNOTATIO XXXX.

Quare Christus non Patrem, sed matrem, et fratres eos nuncupet qui Dei verbo obediunt.

Quaeret quispiam, cur eos, qui faciunt, & audiunt verbum Dei, matrem, & fratres, & apud Matthaeum etiam sorores appellat, & cur non Patrem. Ad primum respondet Grego. hom. 3. in Euang. fideles Christi dici fratres, quia filij adoptionis Patris aeterni sunt, cuius ipse est filius naturalis; sic enim eos appellauit Ioan. 20. Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Sorores autem propter sexus distinctionem, quia quidam sunt viri, quidam feminae, & quod in viro nomen fratris, id in femina nomen sororis significat. Matrem autem dicit eos, qui alios ad Christum conuertunt. cui sententiae fauet illud Gal. 3. Filioli mei,

Non est autem praetermittendum id, quod Hilarius: can. 12. in Matth. docet, significari aliquid mystice per hoc, quod Mater, & fratres foris stant, sic enim inquit: Est autem in eo typica ratio seruata, vt Mater eius, & fratres foris starent, cum vtique ingrediendi ad eum haberent, vt ceteri, potestatem. Sed quia in sua venit, & sui eum non receperunt; in Matre eius, & fratribus Synagoga, & Israelitae praefigurantur, ingressu eius, atque aditu abstinentes. Haec Hilarius.

crepationis aduersus matrem, & fratres, vt existimant Tertulli. lib. de carne Christi, & Chryso. hom. 45. in Matth. nihil enim erat in matre reprehensione, aut increpatione dignum. Protulit igitur ea verba, vt nonnulla significaret. Primo quidem, vt notat Aug. Epist. 38. se in opere quod faciebat, scilicet praedicandi verbum Dei Patris, non pendere a carne, & sanguine, sicut ipse dixerat Luc. 2. In his, quae Patris mei sunt, oportet me esse: cum enim illi, qui nuntiaabant, carnaliter de Christo sentirent, quasi purus homo esset, nec aliam haberet generationem, quam eam, quae carnis erat, acriter respondet, significans, se aliam superiorem habere generationem, & naturam, in qua nihil habebat commune cum matre, ac fratribus illis, ob id patrem se in caelis habere manifestauit. Secundo significauit, vt notat Ambros. praeferenda esse, quae sunt spiritus, corpori, & implere voluit, quod ipse docturus erat, qui reliquerit patrem, aut matrem. &c. Tertio significare voluit, vt notant Hilar. Ambros. & Hiero. & Chryso. praefereendam spiritualem cognationem, quae per fidem & spiritum est, cognationi carnis, vt diximus in commentario, digniusque esse, ac laudabilius coniungi Christo fide, & dilectione, quam sola carne. Recte ergo Iustin. Mar. in quaestione. Gen. resp. 136. notauit per haec verba Christum non arguisse, aut contempsisse matrem, sed docuisse non tam illam Beatae fuisse, quia mater fuit secundum carnem, quam quod fide, & gratia fuit illi coniuncta, de qua etiam re inferius dicemus Luc. 11. cum explicauerimus illud. Beatus venter, qui te portauit.

quos iterum parturio. Affectu enim caritatis Paulus quasi intra se, & in corde suo illos habebat ad modum matris intra se concipientis filios, licet alio in loco se Patrem appellauerit, quatenus extra se erat. II Cor. 4. Et si decem millia Paedagogorum habeatis, sed non multos Patres: nam in Christo per Euangelium ego vos genui. Possimus etiam dicere omnes infantes, ac fideles, etiam si alios non conuertunt, dici matres Christi, quia quando quispiam viua fide in se recipit Christum, dicitur Christus nasci in eo natiuitate spirituali. sic Augusti. lib. de sancta Virginitate cap. 5. hoc loco consolatur Virgines, quia & ipsae matres Christi dici possunt. Secundum autem hanc Gregorij

Gregorij doctrinam, nemo dicitur Pater Christi, quia virtus effectiua, per quam in corde fidelium nascitur Christus, non est ab ipsis, sed à Deo ipso. Hac omnia spiritualiter dicuntur, nam ad literam facile responderetur, Christum cum vellet proponere spirituales cognitiones carnali, expressisse eam, quæ solet esse propinquissima, matrum, fratrum, sororum; Patris autem non meminit, quia carnali generatione

non habebat Patrē. Hanc cognationem Iudæi Christo insultabant dicētes Matth. 13. Nonne fratres eius sunt, non ne sorores eius? omnes apud nos sunt. quæ sorores sicut fratres, erant consobrinae, & licet Patris meminerint, dicentes esse filium Ioseph, tamen non erat vere pater, sed putabatur pater secundum carnem; Christus autem non meminit, quia re ipsa non erat, sed tantum matris, fratrum, & sororum.

Factum est autem in una dierum, & ipse ascendit in nauiculam, & Discipuli eius.

COMMENTARIA.

Describit Euangelista quædam à Christo facta, quæ quidē non eo die, quo prædicauit turbis parabolam seminis, nec eo, quo venerunt mater eius ac fratres ad eum, gesta sunt; sed alio, quem Euangelista indefinite significat, ne videatur ad id tempus, quo præcedentia facta sunt, referre: ascendit ergo in nauiculam cum Discipulis. Mare autem erat Galilææ, in qua tunc prædicabat.

ANNOTATIO XXXI.

Ne igitur ordo explicatur.

Difficultas se offert non parua in rei gestæ ordine explicando, nam quæ nunc Lucas, & Marcus cap. 4. narrant post parabolæ explicationem factam Discipulis, nempe Christum nauim ascendisse & transfretasse, Matthæus cap. 8. describit ante parabolam doctrinam, quam refert cap. 13. in cuius rei declarationem nonnulla sunt notanda.

Primo quidem hæc transfretatio non est facta immediate post parabolæ doctrinam. Ratio huius ea est, quia quando eam Christus tradebat turbis, tunc erat in nauī, vt dicit Matthæus cap. 13. & nos in principio capituli notauimus. post quam doctrinam Matthæus tradit Christum dimissis turbis, domū venisse, non igitur tunc transfretauit. quod si Marcus refert illa die, cum sero factū esset, ascendisse in nauiculam, & transfretasse, intelligendum est (illa die) positum esse pro illo tempore, quando in Galilæa erat, ob id Lucas indefinite locutus est, dicens. Vna dierum.

Secundo, hæc transfretatio; cuius nunc Lucas, & Marcus post explicationē parabolæ meminerūt, prius facta est. Isti vero duo Euangelistæ, non temporis, nec rerum gestarum ordinem secuti sunt. Matthæus vero eum ordinem seruauit, vt recte, norauit Chryso: hom. 29. in Matth. & Victor Antioche. in comment. Mar. 4. & Augusti lib. 2. de consen: Euang. cap. 25. hoc probatur ex Matthæo. 8. nam ibi legimus Christum transfretasse, fecisseque ea, quæ Lucas, & Marcus narrant, & iterum reuersum transfretasse, & post reuersionem vocasse ad se Matthæum, vt constat ex Matth. 9. At quando parabolam hanc explicuit, tunc erant duodecim Apostoli cum illo, vt habetur ex Mar. 4. Igitur hæc transfretatio, cuius Lucas, & Marcus meminere, non est facta post parabolam, nam nondum erat vocatus Matthæus. Vocatus enim est, quando ex hac transfretatione reuersus est Christus, iterum transfretans in domum suam: post hanc enim parabolam docuit, & eam Discipulis duodecim explicuit, vt narrat Matthæus. Hæc de ordine dicta sint. Difficillimum enim est suo ordine omnia, quæ ab Euangelistis dicuntur, disponere. Hoc tamen certissimum est, omnia verissime gesta sicut narrantur,

Et ait ad illos: transfretemus iterum, trans stagnum.

COMMENTARIA.

Postquam in nauiculam Christus cum Discipulis ascendit, iussit transfretare, id est in alteram stagni partem nauigare, in regionem scilicet Gerafenorum, quæ posita erat ad partem oppositam stagni, à regione in qua tunc Christus erat.

Et ascenderunt.

COMMENTARIA.

Ecce erunt Discipuli, quod Christus iusserat, & ascenderunt, non quidem in nauiculam, quia iam in ea erant, quando Christus transfretare iussit, sed in altum stagni nauigarunt, vt transfretarent.

ANNOTATIO XXXII.

Diversi diuerse modo legunt, sed sensus est idem.

Græce est verbum ἐναύω, id est in nauim significatio. quo verbo vsus est idē Euangelista cap. 5. vbi dicitur; Iussit à terra pulsillū reducere, id est, abducere, ibi est hoc idē verbū. Interpres autem vertit verbo redempti, posito pro abducendi verbo. Hoc autē in loco, vertit ascenderunt, sensum secutus potius, quam significationem. Quidam recentiores vertunt: soluerunt; id est, soluerunt de terra nauim vt transfretarent: quidam alij, prouecti sunt, seu abducti à litore in altum mare nauigantes, in omnibus his sensibus idem est. Hoc aliter explicuit Marcus, sed in eodem sensu. Assumunt, inquit, eum ita vt erat, in nauī, id est, vt erat, in nauī prius, quando ex ea docebat turbas; sic eum assumunt, id est in mare altum vehunt. Addit Marcus duas nauiculas esse cum illa nauī, licet illud (cum illo) Græce & ad nauim & ad Christum referri possit. Euthymius ad nauim refert, quæ Græce est neutrius generis; an autem duæ hæc relicte sint in litore, an transfretauerint, non est certum.

Et Nauigantibus illis, obdormiuit.

COMMENTARIA.

Um nauigarent, priusquā tempestas oriretur, Christus obdormiuit, ne contra voluntatem eius, ipsoque inuito orta tempestas putaretur. Assumpsit Christus passiones hæc naturales nostras, famem, sitim, somnum, lassitudinem, vt sua carnis

carnis veritatem demonstraret; non tamen eodem modo erant in Christo, quo sunt in nobis: erant enim in eo voluntariæ, & quantum, quando, quomodo volebat, sic eas assumebat, ita autem dormiebat sensibus, vt pars rationalis non ligaretur, vt in nobis fit, sed animus eius perpetuo vigilabat, cum eius cognitio non dependeret à phantasmatis sensuum. Dormiuit autem non tam vt requiem corpori defesso daret, quam vt Discipulorum fidem conseruaret, ac probaret, affectumque excitaret, alijsque de causis, quæ in Annotatione explicantur.

ANNOTATIO XXXIII.

Matthæus, & Lucas simpliciter Christum dormiuisse scribunt. Marcus vero cap. 4. etiam modū quo somnum ceperit, exponit: Erat inquit in puppi super ceruical. Dominus, quo verbo, & humilitatem Christi ostendit, & temperantiæ documentis nos instruit. Christum autem verum somnum assumpsisse res certa est, quam etiam Origenes hom. 6. in diuersos affirmat, dicens: Dormiebat corpore, sicut & ad puteum de itinere fatigatus sedebat, demonstrans, quia verum portaret corpus, quod corruptibile induerat; non tamen somnus ille, vt in nobis erat. primo quidem, quia sicut passiones cæteræ in Christo erant voluntariæ, sic & somnus, vnde Auctor imperfecti in Matth. hom. 23. & August. ser. 3. inter sermones 17. affirmant Christum voluntate non necessitate, vt nos dormisse. Secundo Christus dormiens intellectu operabatur perfecte; nec enim ratio, & mens ligabatur, nec à suo impediabatur iudicio, vt in commentario diximus. Quod Origenes docuit, adducens illud Cant. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. idem etiam affirmavit Ambrosius in psal. 43. hunc Lucæ locum interpretans: In corpore, inquit, constitutus non ita dormiebat Dominus noster Iesus Christus, vt ignoraret tempestatem maris, & exorta procella ventorum cognitionem eius per altitudinem soporis excederet; dormiebat corpore, sed virtute vigilabat. Hæc ille.

Vere dormiebat Christus, sed aliter quā nos.

Quare Christus præsciens futuram tempestatem obdormiuit.

Interrogabit autem quispiam, cur Christus præsciens tempestatem futuram, dormire voluit? Ad hoc Sacri Doctores varia quidem, sed vera respondent. Ambrosius in commentario dicit dormiuisse, vt ostenderet securitatem potentis suæ, quæ cæteris dormientibus ipse securus dormit. Secundo loco Chryso: hom. 29. in Matth. & Victor Antiochenus Marc. 4. alias adferunt causas, nempe si vigilante eo

tempestatas ingruisset, aut non adeo pertimuisent Discipuli; aut petere ab eo salutem, qui pericula eorum videret, neglexissent; aut non ita ardentem petissent; aut non posse ipsum fluctus sedare putassent; idcirco ergo dormit, vt timoris causa ipsis maior præberetur, & vehementius ab eo opem peterent, & sensus eorum apertior ad videnda miracula redderetur. Hæc ille. Primæ, & secundæ Chryso: causis consonat Ambrosius in psal. 43. Discipulos, inquit, remissos, aut negligentes Christus non passus, quasi de Domini præsentia securos, somno corporis se composuit. Similiter Origenes: hom. 6. in diuersos dormiebat, inquit, corpore, vt Apostolos excitaret, faceretque vigilare. Tertio loco Hilar can. 8. in Matth. mysticam causam reddit: Dormiuit, inquit, vt significaret, naufragas esse Ecclesias, in quibus verbum Dei dormitaret. Omnia hæc sane recte dici mihi videntur: tamen causa cur dormierit Dominus, ultra posita in commentario, & etiam accommodata est, vt fidem Discipulorum probaret, ac perficeret, non enim credebatur dormientem posse liberare eos, marisque tempestatem sedare, quod satis indicant, quando eum properantes excitant: dormit ergo, vt somni occasione parua eorum detegatur fides, ipsi quæmet manifesta fiat, vt sic a Domino parua fidei arguantur, & reprehendantur, ac ex reprehensione discant ad sedandos fluctus maris Christum non indiguisse corporis vigilia, sed æque dormientem, & vigilantem & potuisse imperare ventis, & mare tranquillare, ac etiam ipsismet subuenire. Nec Dormit tantum, vt fidem probet, ac perficiat, sed etiam, vt & affectum eorum vehementius moueat, qui eo plus excitatus est; quapropter somnum magis illo indigere, maiorique in periculo positi sibi videbantur.

Et descendit procella venti in stagnum.

COMMENTARIA.

Non casu, nec frustra, nec ex solis causis naturalibus tempestatas hæc orta est, sed Christus diuina sua potestate, ac prouidentia ventos excitauit, ac mare commouit, vt suam sic diuinitatem patefaceret, ac animos Discipulorum terrore percussos vehementius ad se conuerteret. ad id enim pericula, & timores multum conducunt.

ANNOTATIO XXXXVI.

Matthæus: Ecce, inquit, motus magnus factus est in mari. Marcus autem, facta est procella magna venti. Quibus verbis indicant Euangelistæ, maiorem commotionem factam, quam quæ ex solis naturalibus causis oriri solet: sicut enim diuina potestate maris fluctus sedandi erant, ita etiam eadem virtute commouetur, vt ab eodem proueniat remedium, à quo & periculum. Christum autem diuina potentia sua hanc immisisse procellam testantur Antiqui Doctores. Origenes hom: 6. in diuersos. Dormiebat, inquit, corpore, sed diuino nutu conturbabat mare, erigebatque fluctus, & Apostolos conturbabat; suam ostensurus potentiam. Ambrosius etiam in psal. 43. sic habet: Vigilabat eius potestas, ac prouidentia, quæ excitauit tempestatem in mari. Recte

Quorū Christus tempestatem hanc peruenit.

autem Chryso: hom: 29. in Matth. causam explicat sic dicens: Nam cum non pariter aliquis sentiat, quæ in alienis sunt corporibus, & quæ in se ipso oportebat Discipulos eius, qui plurimos in dies liberari videbant, vt magis obligarentur, in se ipsis omnipotentiam eius inspicere: cūque nec claudī essent, nec cæci nec alia ægritudine laborarent, tempestatem fieri permittit, vt liberati ab ea, manifestiorem beneficiorum eius in se sensum habeant. Hæc ille. Ambrosius Iudæa peccato tribuit tempestatem huius causam; nā ser. 11. sic inquit: Quæ causa est, quod vna eademque nauicula alibi in tranquillitate doctrinam populis tribuit; hic in tempestate Discipulis metum mortis inducit, præsertim cum hic Petrus cum cæteris Apollolis sit? Hæc autem est causa periculi. erat hic

hic Simon Petrus, sed erat etiam Iudas proditor, quamvis illius fides fundaret nauiculam; huius tamen perfidia eam conturbabat. Tranquillitas est, ubi solus Petrus nauigat; tempestas ubi Iudas adiungitur, licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Metuentibus igitur Discipulis,

Et complebantur, & periclitabantur.

COMMENTARIA.

Effectus sunt hi procellae, nauis aquis complebatur, & consequenter periculum submerisionis imminet, complebantur scilicet Discipuli aqua, id est, nauicula, in qua erant, implebatur aquis.

ANNOTATIO XLV.

Marcus explicatius dixit illud (complebantur) Procella, inquit, fluctus mittebat in nauim, ita ut impleretur nauis, Matthaeus adiunxit: ita ut nauicula operiretur fluctibus, id est, fluctus ita insurgent, ut nauis velut oppressa esset sub fluctibus. Fluctus ergo partim huc, illucque nauim impellebant, partim in ipsam nauim intrabant, aqua eam implentes; partim supereminerebant, quasi eam cooperientes. Fideles

scipulis, anxiante Petro, dormiebat Dominus, vnius delicto cunctorum merita quatuntur. Haec, & alia Ambrosius, quae spiritualiter potius intelligenda sunt, illo enim tempore nondum Iudas ad iniquitatem declinauerat.

gura est Christi Ecclesiae persecutorum, haeretici quidem, ut primi fluctus conantur Ecclesiam huc illuc impellere, diuersa, ac contraria dogmata, ritusque introducere conantes. Pagani eam ut secundi fluctus opprimere tentant. Fideles peccatores, qui intra eam sunt, Ecclesiam aggrauant, at diuina virtute illaesa manet nauis, quia Ecclesia semper stabit, & portae inferi non praeualebunt aduersus eam.

Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes.

COMMENTARIA.

Non statim, ac exorta est procella, Discipuli Dominum suscitant, sperantes, aut mare non ita vehementer turbandum, aut ventorum impetum cito sedandum, aut Christum rumore, ac fragore ipso euigilaturum. At cum nihil horum euenisse agnoscunt, seque in extremo periculo vident, accedunt ad Dominum, ipsumque suscitant verbis sequentibus. saepe nunc quae nos mala perturbant, ad Deum nos ire compellunt.

ANNOTATIO XLVI.

Origenes hom. 6. in diuersos affirmat Discipulos tanto fuisse metu conterritos, & paene animo alienatos, ut irruerent in eum, & non modeste, & leniter suggererent, sed turbulenter suscitarent eum, dicentes ea, quae statim sequuntur. Quae sententia probabilissima est: nam tempestas, ac procella vehementissime vrgebat, & vitae periculum nimium imminet: ipsorum autem fides modica erat, ut paulo inferius dicemus, Secum enim habebant Saluatorem, & periculum timebant; cum illis erat vita, & de morte solliciti erant.

mentissime vrgebat, & vitae periculum nimium imminet: ipsorum autem fides modica erat, ut paulo inferius dicemus, Secum enim habebant Saluatorem, & periculum timebant; cum illis erat vita, & de morte solliciti erant.

Præceptor, perimus.

COMMENTARIA.

In tam graui, & vrgerenti periculo, breui sermone vtuntur, remedium, & opem celerissime adhiberi petentes. Exponunt autem commune periculum dicentes: Perimus, & Præceptoris nomine ad subueniendum inuitant, ut qui doctrina eorum animos reficiebat, corpora etiam à mortis periculo tueretur.

ANNOTATIO XLVII.

Matthaeus Discipulos his verbis suscitasse Christum refert: Domine salua nos, perimus. Marcus autem hisce: Magister Graece διδάσκαλε non ad se pertinet, quia perimus? Lucas autem: Præceptor perimus, Graece διδάσκαλε, id est, Magister magister. Augustinus lib. 2. de conf. Euang. cap. 24. dupliciter hæc in concordiam redigit, vno modo, ut dicamus Euangelistas non retulisse eadem verba Discipulorum, sed sensum, qui erat hominum, excitantium Christum, ac saluari volentium. Altero modo, ut sint eadem verba, sed non eorundem Discipulorum, sed quidam vnum, quidam aliud dicebant. vt solet fieri in periculo imminenti multis, idem dicit Euthymius Matth. 8. inquit enim: Quidam hoc,

quidam illud dicebant. alij vnum, alij aliud, aut etiã omnes omnia. Euangelistae ergo concordēs sunt, dū quod vnus omisit, alter retulit. Hæc responsio posterior probabilior est priori, magisque ad veritatem Euangelicæ historiae facit, cui consonat, quod ex Origen. in præcedenti Annotatione diximus, Discipulos turbulenter, & cum clamore ad Christum accessisse. Vnde hi vno, hi alio modo loquebantur, vnum tamen petentes. Illud autem verbum Marci, non ad te pertinet? id est, non est tibi cura? seu non attendis, verbum est incitantium, & commouentium, vt opem celeriter ferat, quasi dicerent, in tanto periculo non subuenire, nec opem celerissime ferre est hominis non curantis, nihilque pendens salutem nostram.

At ille surgens increpauit ventum, & tempestatem aquae.

COMMENTARIA.

Non distulit subuenire Dominus, Discipulorum vocibus excitatus: vt autem non postulat suam tantum, sed etiam imperium, ac dominium, quod in creaturas habebat, ostenderet, simulque grauitatem, ac magnitudinem periculi eminentis significaret, rētos ac mare com-

Quomodo tempestate conterriti discipuli ad Christum accesserint.

Concordia Euangelistarum.

commotum verbis increpat, id est, acriter, & quasi comminando imperat, vt solet fieri cum his, quorum audaciam nimiam reprimere volumus.

ANNOTATIO XXXVIII.

Quid sit increpare mare.

Tempestatem aquae appellat mare ipsum commotum, & vndis, ac fluctibus saeuens, vtrumque enim increpauit Christus, nempe ventum, & mare commotum. Aduerte apud Matthaeum legi increpauit ventis, & mari; apud Marcum autem comminatus est vento; at Graece vnicum, & idem verbum est ἐπιτιμήσει, id est, obiurgauit, seu increpauit, quod significat imperare modo acris, & comminatorio. Interpres vero nescio qua ratione ductus, idem verbum Graecum varie interpretatus est. Aduerte autem Marcum sic habere, comminatus est vento, & dixit mari. Non quod soli vento comminatus sit, nam ex Mat-

thaeo, & Luca constat increpasse, vtrumque scilicet, ventum, & mare, Marcus autem vnum expressit, alterum vero non negauit, & adiecit vnum, quod caeteri duo non significarunt, nempe vltra increpationem vtriusque dixisse mari: Tace, obmutescere, sicque Euthymius Matth. 8. sentit. merito autem praeter communem increpationem soli mari sic locutus est, quia maris commotio non ita facile sedari solet: nam ventis cessantibus adhuc perdurat agitatio, & quia ea, vt pote sensibilior, ac clamore, ac fluctibus horribilior, maiorem incutit terrorem, quam ventorum flatus.

Et ecce cessauit, & facta est tranquillitas.

COMMENTARIA.

Mira efficacia verbi Christi, ad eius enim imperium cessauit, ac quieuit ventus, & facta est simul maris tranquillitas sedatis fluctibus, quod in alijs communiter tempestatibus esse non solet: nam vento cessante temporis spatio permanent fluctus, paulatimque ad quietem reducuntur. At nunc non sic, sed simul vtrumque, & ventorum furor, & aquarum vndae cessarunt, vt virtus Christi agnosceretur, vnde Matthaeus, & Marcus tranquillitatis magnitudinem expresserunt dicentes: facta est tranquillitas magna.

Dixit autem illis: vbi est fides vestra?

COMMENTARIA.

Modicam Discipulorum fidem improperat, qui vigilantem Christum maris aestum posse comescere credebant, dormientem autem id posse non putabant, vbi inquit est fides vestra? Nempe quam prius habuistis, quando ad me venistis, & quam alijs visis miraculis concepistis; nunc enim diminuta periculo praesenti est. Graece habetur articulus; Vbi est fides illa vestra? scilicet prior.

ANNOTATIO XLIX.

Quomodo à Christo Discipuli modicam fidem arguantur.

Matthaeus habet, quid timidi estis modicæ fidei? Marcus autem. quid timidi estis? necdum habetis fidem? Lucas autem, vbi est fides vestra? Augustinus lib. de consen. Euang. cap. 24. existimat omnia hæc à Christo esse dicta. Quid timidi estis modicæ fidei? Vbi est fides vestra? necdum habetis fidem? His autem multiplicibus verbis reprehendit eos Christus timoris immodici, atque etiam modicitatis fidei; nam plusquam timendum erat, timuerunt; & minus quam credendum de Christo erat, crediderunt. verbum Marci: Necdum habetis fidem? sic exponitur, visis à me tot, ac tantis miraculis factis nondum habetis fidem illam perfectam, qualem de me vos iam habere oportebat. sic Augustinus loco citato interpretatur. Verbum autem Lucae in commentario explanatum iam est. In eius declarationem maiorem aduertendum est, duobus modis quaedam posse credi, nempe virtute, & actu; illud creditur actu, quod in se ipso creditur, fidesque in ipsum terminatur, vt quando quis credit Christum esse Messiam, esse filium Dei, surrexisse, & alia huiusmodi. hæc veritates dicuntur creditæ in actu. Illud autem dicitur credi virtute, quod non in se, sed in alio vnde illud sequitur, creditum est, vt qui credit Christum posse suscitare mortuum, virtute credit posse illuminare caecum; nam in illa veritate hæc comprehenditur, & si mortuum suscitare potest, consequitur, vt possit, quod minus est, nempe caeco dare visum, similiter qui credit Christum filium Dei, virtute credit posse sanare infirmos, etiam si non ha-

beat actum credendi erga istam veritatem sanitatis infirmorum. Hoc supposito dico Discipulos Domini, priusquam tempestas hæc insurgeret, credidisse Christum posse etiam dormientem liberare eos ab illa non quidem actu, quia non occurrerat in particulari occasio ipsa, nec de hoc cogitauerant; sed virtute; quia credebant de Christo maiora, & ea ex quibus consequeretur eum id posse: si enim credebant filium Dei esse, si credebant mortuos suscitare posse propria virtute, profecto eo ipso credebant, quæ minora erant, nempe dormientem non esse ignarum eorum, quæ gerebantur, posse etiam dormientem liberare, sicut & vigilantem. Quando ergo casus euenit, nempe tempestas maris, & somnus Christi, debuerant tunc actu credere, quod prius crediderant virtute; at non sic se habuerunt, sed dubitarunt, nec crediderunt, vt par erat. ob id audiunt à Christo reprehensionem, vbi est fides vestra? Quasi diceret, nonne credebatis etiam hoc, credentes me filium Dei, ac verum Christum? nonne maiorum, ac difficiliorum fidem hæcenus habuistis, quomodo non creditis modo actu, quod credebatis virtute? quomodo euenus rei remouet vos ab ea fide, quam habuistis de me? Hic est sensus, quem olfecit Orig. homil. 6. in diuersos, vbi verba Matthæi, Modicæ fidei, interpretans, sic inquit: Si potentem me super terram cognouistis, quare non creditis, quod & in mari potens sum? Si Deum me vere esse, & creatorem omnium suscepistis, quare non creditis, quod ea, quæ à me facta sunt, in mea habeam potentate? Hæc ille.

ANNOTATIO L.

Difficultas quædam se offert, quæ sit hæc fides, cuius modicitatis reprehenduntur Discipuli. Euthy-

mius Matth. 8. & quidam recentiores, non eam fidem, quæ est in intellectu scilicet credulitatem, sed fiduciam,

Quæ sit fides, ob cuius modicitate reprehenditur Discipuli.

ciam, quæ est in voluntate, interpretantur: nam in Scriptura fides aliquando pro fiducia usurpatur. Et quidem Discipuli parum fiduciam habuerunt, non confidentes se à Christo dormiente à tépestate liberandos; at vero hæc parua fiducia profecta est à fidei, id est, credulitatis infirmitate, & debilitate: non enim crediderunt dormientem posse liberare. De hac fide sermo præsens est, & à Christo reprehenduntur modicæ fidei huius, ex qua procedebat, vt nec fiduciam haberent. Sicque Orig. hom. 6. in diuersos, & Chrysof. hom. 29. in Matth. interpretantur, eaque est vera, & legitima interpretatio. cui adharet Victor Antioch. Mar. 4. & ei consona sunt, quæ diximus in Annotatione præcedenti, explicantes illud: vbi est fides vestra? Recte autem notat Chrysof. hom. 29. in Matth. Christum non reprehendisse Discipulos turbis præsentibus, ne ab eis modicæ fidei damnarentur, infirmaque eorum fides alijs pateferet, quod etiam notat Victor Antioch. Mar. 4.

Num timor in credulitate, vel potius incredulitas causa fuerit timoris Apostolorum.

Maior est altera difficultas, vtrum timor fuerit causa incredulitatis, quod nõ crediderint dormientem potuisse subuenire; an potius, incredulitas, aut fides modica fuerit causa timoris: nã vtriusque reprehensos esse Discipulos ex Matthæo, & Marc. constat: quid, inquit, timidi estis modicæ fidei? Quid timidi estis? non habetis fidem? in cuius rei declarationem aduertendum est, aliquando timorẽ causam esse incredulitatis, aliquando vero incredulitatẽ esse causam timoris. Prioris exemplũ habemus in Petro Matth. 14. tũ enim se proiecit in mare, vt ad Christũ veniret, videns ventũ validũ, timuit, & ex timore dubitauit, nec fuit constans in sua credulitate, vnde dictum est ei: modicæ fidei, quare dubitasti? Solent enim animi affectus, & passionis multũ immutare intellectum, ac mentem, vti notauimus in cõmentarijs in Ioan. cap. 2. Annot. explicantes Thomæ incredulitatem, quæ prouenerat ex tristitia, & dolore, quo affectus fuit, eo quod non adfuerit cum Discipulis, quando Christus apparuit post resurrectionem; efficit enim illa passio, vt potius mallet non credere resurrexisse, quam si credidisset, nimium dolore premi. Hac de causa Tyrani illi persecutores timores graues incutiebant Christianis, vt eos à fide commouerent, & multi retrocesserunt ab ea ob timorem. Timor igitur est ali-

Matth. 14.

Connexio & ordo superioris sententiæ explicatur.

Quædam alia difficultas in hoc loco superest explicanda, nimirum de connexionẽ, & ordine: nam Marcus, & Lucas post sedatã tempestatem narrant Christum Discipulos timoris, & modicæ fidei reprehendisse: at Matthæus refert prius reprehendisse Discipulos, postea ventos, & mare sedasse: in quo nõ est vlla contradictio: vti enim sæpe diximus, Euangelista non semper rerũ gestarũ ordinem sequuntur. At vero inuestigandum est, an ordo fuerit iuxta Matthæum, an potius iuxta Lucam, & Marcum. & quidem tenendum est Matthæum ordinem seruasse: prius enim reprehendit, postea tranquillitatem fecit, idque indicauit Matthæus ipse: cum enim Christum excitatum narraffet, Discipulosque reprehendisset, adiunxit (tunc surgens imperauit ventis) aperte indicans, statim ac excitatus fuit, reprehendisse Discipulos, & postea surrexisse à cervicali, in quo cubabat, & ventis imperasse. probant etiam hoc verba ipsa Euangelistarũ, quæ sunt de præsentibus: quid timidi estis? Vbi est fides vestra? Non habetis fidem? Quasi tunc non crederent, & timerent. Si autẽ post tempestatem reprehensio facta esset, dicendũ erat: Quid timidi fuistis, vbi fuit fides vestra? In ea etiã opinione est Chrysof. hom. 29. in Matth. affirmans Christum antequã vndas aquarũ deprimeret, nimios animorũ fluctus sedasse, priusquã mare sedaret, eos reprehend-

quando causa incredulitatis. Posterioris exemplum habemus in Discipulis Luc. 24. vbi dictum est: Con-turbati, & conterriti existimabant se visum videre. Incredulitas eorum, qua non credebant illum, quem videbant, esse Christum, causa fuit terroris, ac timoris illis. His suppositis est difficultas in præsentibus, an timor periculi imminenti fuerit causa incredulitatis, & parua fidei, an potius contra, parua fides, qua non crediderunt dormientem posse saluare, fuerit causa timoris. Origenes. hom. 6. in diuersos, & Chrysof. hom. 29. in Matth. affirmant modicam fidem fuisse causam timoris; ideo enim ita vehementer timuerunt, quia non crediderunt dormientem Christum posse eos saluare, eaque videtur esse communis sententia. At mihi videtur contraria sententia multo probabilior, nempe timorem vehementem causam fuisse, vt minus crederent dormientem posse saluare: sæpe enim contingit, vt multa credamus fieri posse, at quãdo experimur pericula ipsa, timor, ac terror facit, aut non credere, aut dubitare, an fieri possint, & certa in dubium reuocat timor. sic isti Discipuli credebant vti ante diximus, Christum omnino posse saluare; at quãdo periculum imminerebat ingens, & mors vicina minabatur, dubitarunt, & ideo suscitauerunt. Inducunt hæc in hanc sententiam duo. vnum est verbum Luca; Vbi est fides vestra? quasi diceret: Nonne credebatis prius me omnino saluare posse, quid efficit, quod nũc diminuta sit fides hæc, vt non existimetis me dormientem posse saluare? Simile fere est verbum Marci: Fidem non habetis: id est cur in vobis non perdurat fides? igitur timor fidem minuebat. Alterũ est Verbum Christi apud Matthæum, & Marcum: quid, inquit, timidi estis modicæ fidei? Timoris prius arguuntur, quasi is eos coniecerit in dubiũ, & in incredulitatem, seu fidei modicitatem. Quamuis ergo absolute loquedo, & timor modicæ fidei, & modica fides timoris causa esse possint, tamen in præsentibus timor causa fuit modicæ fidei: sicut hoc verum sit, timorem ex periculo imminenti induxisse in incredulitatẽ hanc, & rursus incredulitatem hæc timorem, & terrorem auxisse, & sic vtraque sententia veritatem habet: prima tamen causa timor fuit, vti expositum est.

Luc. 24.

ANNOTATIO LI.

disse. Est etiã huius ordinis causa; debuit enim turbatio, & incredulitas primo adferri, ne quid obesse futuro miraculo capiendo, qua de causa eos, qui ad Christũ sanctitatis causa accedebant, prius ipse ad fidem excitabat, & in ea confirmabat. Sic etiam in præsentibus fecit simile est Ioan. 4: Regulam non credentem absentem Christum posse sanare, prius reprehendit imperfectæ fidei, & postea filiũ sanauit. Vltimo notandũ est, in hoc loco non esse reprehendendos Discipulos absolute quod timuerint, nam timor naturalis est, & vitio ex se caret; sed arguuntur immoderati timoris, qui eorũ fidem infirmauit. vnde apud Marcũ, Græce habetur particula, sic, vel idco. Quid timidi estis? Rursus non sunt reprehensibiles modicæ incredulitatis, nã crediderunt vigilantem potuisse compescere tempestatem; sed reprehensio fuit modicitatis fidei, quia nõ crediderunt etiã dormientem potuisse saluare, vti expositum est. Profert autem Chrysof. hom. 29. in Matth. egregiã causam cur Dominus in tã, vehementer terrore permisisset Discipulos incidere, inquiens sic: Nõ incasum ad extremũ vsque terrore eos deuenire permisit; verũ vt signũ eius ingens videretur, & perpetua miraculi memoria resideret: nã quoniam post rem factã obliuio solet ex negligentia homines occupare, propterea priusquã signa fiant, multa fieri permittitur, quæ diuturnã memoriã faciãt. hæc ille.

Qui

Qui timentes mirati sunt, adinuicem dicentes.

COMMENTARIA.

Viso tanto miraculo Discipuli timuerunt, & mirati sunt, & præ admiratione dixerunt ad inuicem ea quæ sequuntur. Non est hic timor qualis prior, qui erat timor mortis, ex ventorum, & fluctuum furore proueniens. Hic enim expulsus fuit, & verbis Saluatoris, & tranquillitate perfecta. Timor autem præsens est cuiusdam reuerentiæ, & venerationis ortæ ex maiestatis, & diuinitatis ostensione, quæ per tantum miraculum repente manifestabatur; timebant enim, ne forte minus coluissent tantum virum, quam par erat: admiratio autem fuit ex nouitate rei; tale enim numquam viderant, maxime propter periculum imminentissimum, à quo crepti erant, quod fecit eos ipsum miraculum maxime aduertere.

ANNOTATIO LII.

Quis sint homines illi, quos miratos esse Marcus, & timuisse timorem magno Marci notat.

Difficultas se offert, qui sint hi, qui mirati pronunciarunt verba sequentia, de quibus Matthæus scribit homines miratos esse, ac dixisse, &c. Marcus autem timuisse timore magno. Sunt autem plurimorum Doctorum opiniones. Primo loco Orig. hom. 6. in diuersos locos, dicit non esse Apostolos, qui mirati talia verba dixerunt, sed nautas, quorum erat nauis illa, & homines, qui in ea erant, cum Discipulis transfretantes. Ratio Origenis ea est, quia Discipuli in Scriptura non sunt tali nomine appellati, scilicet homines. Hiero. Matth. 8. est in eadem sententia, adijciens: Quod si quis contentiose affirmet hos fuisse Discipulos, tunc respondendum est, recte homines esse appellatos, quia nondum potentiam Saluatoris nouerant. Secundo loco Hilari. can. 8. in Matth. dicit non esse Discipulos, qui talia dixerunt mirati, sed gentium esse verba. Indicat Hilari. non tunc prolata, fuisse verba sequentia, sed postea, quando Discipuli narrarunt Gentibus tale mirandum factum. Tertio loco Chrysof. hom. 29. in Matth. dicit fuisse turbas ipsas, non tunc quando miraculum factum est, quia ioli aderant Discipuli, sed postea quando audierunt à Discipulis rem factam. Quæ sententia in eo differt ab ea, quæ est Hilarij, quod hic gentibus, ille vero Iudæorum turbis tribuit. Quarto loco Victor Antioch. Mar. 4. affirmat fuisse ipsos Apostolos. quæ sententia videtur Augustini lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 24. de Apostolis enim habens sermonem, subdit, dixerunt qualis est hic, &c. Quinto loco Euthymius vtramque partem amplectens affirmat, tam Apostolos, quam nautas, & homines, qui in nauis erant, similia verba protulisse; de Discipulis autem Marcum, & Lucam retulisse; de hominibus vero cæteris Matthæum. Sexto loco quidam recentiores dicunt non Apostolos, sed homines, qui erant in alijs duabus nauibus, venientibus cum illa, in qua erat Christus; vt enim superius notauimus ex Marco, duæ nauis erant cum ea, in quam Christus est ingressus. Hæc sunt, quæ Doctores in hac

parte senserunt. In cuius rei gratiam nonnulla mihi dicenda videntur.

Primo quidem, negari vix posse, verba sequentia, pronuntiata esse à Discipulis, eosque miratos, ac timuisse. Hoc dictum verba Luca præsentia manifesto probant; cum enim dixisset Christum eos reprehendisse modicæ fidei, subdidit eos timentes, ac admiratos dixisse, quæ sequuntur, idipsam probant verba Marci. violentiaque, & improprietas locutionis inferenda esset huic contextui, si ad alios, quam ad Discipulos referre quispiam vellet huiusmodi, & sequentia verba.

Secundo, probabile est tam Matthæum, quam Marcum, & Lucam de eisdem Discipulis esse locutos, quando scripserunt miratos esse, ac timuisse, dixisseque qualis est hic? Huius sententiæ est Augusti. loco allegato, qui Discipulis tribuit verba Matthæi, Luca, & Marci; nec verbum Matthæi obstat, quod homines dicti sint Discipulis; iam enim ex Hieronymo ea obiectio reiecta est.

Tertio, mihi est probabilissimum, quod Euthymius affirmat, nempe Discipulos, & homines cæteros, qui in eadem erant nauis, fuisse miratos, & eadem protulisse verba, Matthæumque de Discipulis scripsisse; nam non est verisimile, nauim illam non habuisse nautas proprios, ac remiges, & forsan aliquos transfretantes, vt dicunt Origen. & Hieronymus.

Quarto, non est ita probabile eos, qui erant in alijs duabus nauibus, dictos esse timuisse, ac alia verba protulisse; nam non est certum, an illæ duæ simul transfretauerint, & si transfretauerint, non potuerunt statim nosse Christum sedasse tempestatem illam; timor autem hic, admiratio, & verba admirationis facta sunt statim, ac tranquillitas facta est, vt ex verbis Euangelistarum deducitur. Quapropter quæ Hilar. & Chrysof. dicunt de turbis, aut gentibus audientibus postea à Discipulis miraculum factum, vix possunt accommodari contextui. Hæc sunt, quæ probabiliora in hac parte mihi visa sunt.

Quis putas hic est, quia & uentis, & mari imperat, & obediunt ei?

COMMENTARIA.

Verba sunt admirationis, quæ proferunt Discipuli adinuicem colloquentes: non sunt autem verba interrogationis, sed assertionis cum admiratione, quasi dicerent: Magnus hic est, nec magnitudinem eius assequi possumus, cum maior sit, quam appareat sensibus, quia uentis, & mari imperat, quæ insensibilia sunt, & tamen eius imperio obediunt, iussaque faciunt. Homo homini imperare potest, & sæpe homo imperantis iussa non exequitur: at hic plusquam homo videtur, quia etiam imperat sensu carentibus, & ei obediunt. Admirantur Discipuli Christi potentiam, quæ non solum in eo ostensa est, quod ventos, & mare coercuit, & tranquillauit, sed etiam quod imperando tamquam Dominus omnium id effecit, quod Dei est proprium.

ANNOTATIO LIII.

Quomodo dicantur ventus & mare obire Christo.

Matthæus, qualis, inquit, est hic, quia venti, & mare obediunt ei? Marcus habet: Quis putas est iste, quia & ventus, & mare obediunt ei? Hæc omnia ad eandem sententiam pertinent, ut notat August. lib. 2. de consen. Euang. cap. 24. siue à solis, siue etiam ab aliis dicta sint ut supra notauimus. Aduerte obedientiam hanc non esse, qualis est in hominibus, & Angelis, scilicet voluntatis submissio ad exequendum verbum præcipientis, sed est non resistencia quædam, qua creatura non resistit diuinæ virtuti operanti in se. sic intelligenda sunt, quæ dicit Hiero. Matth. 8. Ex hoc, inquit, loco intelligimus, quod omnes creaturæ sentiant creatorem, non errore hereticorum, qui omnia putant animantia; sed maiestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt. Hæc ille. Appellat sensibilia illi esse omnia, quia non resistunt virtuti eius, qui in eis operatur, quidquid vult. Est ergo efficacia verbi

Christi, non autem sensatio rerum inanimatarum, de qua re alibi diffuse egimus. Recte Orig. hom. 6. in diuersos, spiritualiter ponderans hæc, ait: Hi, qui prudentiæ, & intellectus expertes sunt, inclinantur iubenti, quibus neq; loquela, neq; sermo est, obediunt, in eadem substantia, in qua sunt, & sua natura mouentur, & eius iussioni deseruiunt, ad confusionem mortalium, & condemnationem corruptibilitium. Iubet mari, & non contemnit: Dicit ventis & tempestatibus, & mox compescunt: iubet & omni creaturæ, & non supergreditur iussione eius, & vnum hominum genus, vnum, quod secundum Dei similitudinem honoratum est, cui verbum, & prudentia data est, hi soli homines resistunt, hi tantum inobedientes sunt, hi soli contemunt. Ideoque hi in iudicio damnabuntur, & à iusticia punientur, velut deteriores mutis animalibus, vel iis, qui sine spiritu, & anima sunt in isto mundo. Hæc ille.

Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam.

COMMENTARIA.

Quæ hætenus dicta sunt, gesta fuere in Galilæa, à qua transfretans Christus venit in partem Galilææ oppositam, quæ dicta est regio Gerasenorum à Ciuitate Gerasa, quæ erat Ciuitas præcipua regionis illius; quæ ad Tribû Manasse pertinebat.

ANNOTATIO LIV.

Gerasenorum & Gersenenorum eadem regio.

Hieronymus lib. de locis Hebraicis, refert Gargasa esse Ciuitatem trans Iordanem, iunctam moni Galaad, quam tenuit tribus Manasse. hanc dicit nunc appellatam Gerasam, in signum ciuitatem Arabiæ. Hinc arbitratur idem esse, siue regio dicatur Gergesenorum, siue Gerasenorum, Ex quibus verbis Hieronymi concordantur Matthæus, Marcus, & Lucas: nam apud Matthæum legitur Gergesenorum, & apud Marcum vero, & Lucam, Gerasenorum, vtrunq; autem idem significat à diuersis nominibus eiusdem ciuitatis. Latinus autem interpret eodem nomine vsus est in tribus hisce Euangelistis. Aduerte autem Euthymium Matt. 8. legisse in Marco, & Luca Gederanorum, quasi à Gadara ciuitate, quam

Hieronymo referente quidam putant esse eandem cum Gargasa, seu Gerala, ut sit trinomina: at vero ex Iosepho lib. 5. de bello Iudaico cap. 5. constat diuersas esse ciuitates Gadaram, & Gerasam, ambas sitas trans Iordanem in regione opposita Galilææ, fierique potuit, ut ab hac etiam ciuitate regio illa nomen acceperit. Est etiam ciuitas dicta Gadara citra Iordanem in Iudæa, cuius fit mentio Iosue 15. & apud Iosephum lib. 3. de bello Iudaico cap. 6. nulla igitur est in his dissonantia. Victor Antiochenus Mar. 4. dicit in quibusdam exemplaribus Marci legi Gaderanorum, tamen in emendationibus haberi Gergesenorum.

Et cum de nauis egressus esset ad terram, occurrit illi uir quidam, qui habebat demonium iam temporibus multis.

COMMENTARIA.

Sciebat Christus quid facturus erat cum homine isto possesso à dæmone temporibus multis, id est, à multis annis, ac propterea transfretauit, ut eum liberaret. Statim autem, ac Dominus egressus est de nauis, nouit dæmon se latere non posse Christum, ab eoq; eiiciendum. Idcirco obuius factus est ipsi, ut præoccuparet, precibusque cum eo ageret. Hic enim homo dicitur occurrisse, non quidem à se ipso ductus, sed à dæmonio, quo vexabatur, sicut etiam dicitur exclamasse, non quidem à se, sed ab eodem agitatus dæmone, Græce in plurali legitur dæmonia habebat.

ANNOTATIO LV.

Concordia Euangelistarum de homine possesso à dæmone q. Christo egresso e nauis occurrit.

Marcus cap. 5. tria significauit, quæ Lucas omisit, nempe tempus, locum, & modum: tempus quidem, dicens, statim ac exiuit de nauis, occurrisse ei hunc hominem, locum vero adiiciens occurrisse Christo de monumētis, in quibus habitabat, modum autē exponens occurrisse in Spiritu immūdo, id est, ductum, seu potius tractum ab ipso dæmone; sciens enim dæmon se latere non posse Christum, timentq; se ab eo expulsū iri, præuenit ipsum, ut deprecaretur ne in infernum detruderet eum, ut statim explicabimus. Hoc Marcus aperte indicauit; inquit enim de hoc homine: Videns eum à longe cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi? Clamor hic, & prolata verba certe à dæmone profecta erant: idem ergo sentiendum

est de occurru. Aduerte eandem esse historiam, quam refert Matthæus, uti Doctores testantur, & contextus ipse comprobat. sed tamen vnum est, quod difficultatem facit; nam Matthæus refert duos homines fuisse, qui occurserunt ei, & Marcus, & Lucas vnus meminere. Quam difficultatem recte Chrysolto. hom. 29. in Matth. & Victor Antioch. Mar. 5. solvunt, non enim Marcus, & Lucas dixerunt, solum vnum occurrisse, sed vnum occurrisse; hoc enim non contradicit Matthæo dicenti duos occurrisse; si enim duo occurrerunt, certum est vnum etiam occurrisse. Idem censuit August. lib. 2. de consensu Euang. cap. 24. At vero interrogabit quispiam, cur hi Euangelistæ vnus tantum mentionem fecerunt, cum duo fuerint? respondet Chrysolto. & Victor

Et loco citato, quia hic vnus erat sæuiori dæmone vexatus, Victor Antioch. alia addidit causam, potuit, inquit, fieri, ut vterq; eque seque fuerit, neq; tamē vtriusque mentionē fecerūt Lucas, & Marcus: nam ad ostendendam virtutem illius, qui miraculū patrarat, nihil referebat, vnusne, an duorū facerent mentionem; qui enim vnū vsque adeo insanum, & immanem sanarāt, & duos, & plures quoque similiter affectos curare poterat. Hæc Victor. Augustinus autem alteram causam exponit, nempe quia hic vnus erat persona olarior, ac famosior, quem regio illa maxime dolebat, & pro cuius salute plurimum satagebat. Ambrosius autem in præfati aliam profert; inquit enim: Quæ ratione Euangelistæ de numero dissonare videantur, nō ociose prætereundum, sed requirendum arbitror. Et quidem licet discordet numerus, tamen concordat mysterium. Vir enim iste, qui habebat dæmonium, populi gentilis figura est, opertus vitiiis, nudus erroris, patens crimini. Duo illi quoque similiter populi gentilis figuram accipiunt. Quia cum tres filios Noe genuerit, Sem, Cham, & Iaphet, Sem tantummodo fa-

milia in possessionem adscita est Dei. Ex duobus illis diuersarum nationum populi pullularunt. Hæc Ambrosius. Recte ista omnia dicta sunt: mihi autem videtur magis ad rem dici posse, multa in hoc vno concurrisse, quæ non erant in altero. Volentes autem duo Euangelistæ, omnes describere circumstantias, eius solum meminerūt, quia si duos fuisse retulissent, non potuissent omnia exprimere, quia multa vni soli conueniebant. Vnde Matthæus, qui duos narrauit, multas circumstantias prætermisit, quia non erant vtrique homini communes, sed vni tantum; & in primis illa temporis circumstantia in textu notata, nempe hunc hominem vexatum fuisse à dæmone à temporibus multis, non est à Matthæo relata, ut existimo, quia huic vni propria erat, & de duobus affirmari non poterat: nam hominis huius vexatio à dæmone erat multo antiquior; erat enim à multis annis. Tempus autem hoc loco ponitur pro anno, ut in aliis etiam Scripturæ locis positum est. Cætera in progressu explicabuntur.

Auctoris sententia.

Et uestimento non induebatur.

COMMENTARIA.

Solent homines dæmone agitati propria uestimenta, aut omnia, aut aliqua quandoque dirumpere, ac lacerare, & à se proicere, eaque causa est, cur hic homo uestimento non indueretur.

ANNOTATIO LVI.

Huius circumstantiæ non meminit Matthæus, quia forsitan non illis duobus, quorum ipse meminit, communis erat, sed huic propria, cuius Lucas, & Mar-

cus historiam describunt: quamuis Marcus etiā hæc prætermiserit; non enim etiam huius hominis omnia narrauit.

Neque in domo manebat, sed in monumentis.

COMMENTARIA.

Habitabat in sepulchris mortuorū, quæ apud Iudæos erant extra ciuitatem. Luc. 7. Cum appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur. Ex multis etiā Scripturæ locis id constat. vnde homo hic ab humana cōuersatione erat separatus.

ANNOTATIO LVII.

Marcus, qui domicilium inquit habebat in monumentis, hoc commune erat etiam alteri homini habenti dæmonium: nam Matthæus scribit: Occurrerant duo dæmonia habentes, de monumentis exeuntes. Cur autē dæmonia hos homines in monumentis detinerēt, Chrysolto. hom. 29. in Matth. & Victor Antioch. Marc. 5. rationem reddunt: Quorsum inquit dæmones in sepulchris versantur? quo rudi plebi execrandum, planeq; impium dogma persuadeant, nempe demortuorum animas in dæmones transformari. Quæ opinio procul absit à cuiusuis hominis mente, & cogitatione. Hæc illi, Euthym. Matt. 8. hoc idem dicit: Dæmones, inquit, libenter in sepulchris morantur, prauam opinionem hominibus immittere volentes, quod mortuorum animæ dæmones fiant, sed circa propriorum corporum monumenta remaneant, immo quibusdam adhæreant. Sed nequaquam id orthodoxo persuadebunt. Si enim hoc esset, nullo modo cruciatus diues orasset Abraham, ut Lazarum mitteret in mundum, quo fratribus suis significaret, quæ circa se gerebantur, sed ipse per se ipsum hoc eis indicasset. Hæc ille. Fauet huic expositioni, quod scribit Augustinus lib. de hæresi cap. 78. nonnullos hæreticos in eo fuisse errore, ut putarent sceleratorum hominum animas cōuerti in dæmones. & cap. 86. hunc errorem, & insanam hæresim ad-

Cur dæmones in sepulchris possessos à se ipsis duos istos homines detinerent.

scribit Tertulliano. Non est improbabilis causa ista assignata à Victore, & Euthymio. Mihi videtur altera etiam assignari posse, nempe dæmones libenter habitare in sepulchris, quasi in eorum opere proprio, & cuius ipsi quodammodo auctores fuerunt. nam Sap. 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum: cum igitur sepulchra fiāt propter mortuos, quodammodo pertinent ad eos, qui mortem induxerunt. Interrogabit autem quispiam, cur homo hic in sepulchris habitaret, non autem alij multi, quos legimus in Euangelio etiam à dæmone vexatos; peculiaris enim causa præter iam dictas in hoc fuit. Existimo ergo dicendum, cum magna pars dæmonum de cælo expulsorum nondum sit in abyssum detrusa, vsque ad vltimum diem Iudicij, sed loca hæc terrena, & aerea teneant, ut docent Athana. in vita Sancti Antonij, & August. lib. 11. ciui. cap. 33. fit ut non eodem loco omnes ij morentur, sed quidam in aquis, quidam in montibus, quidam aliis in partibus frequentius habitent, & ex iis multis in sepulchra mortuorum se recipiunt, talibusque locis, aut delectantur, aut detinentur, ex quo arbitror consuetudinem Ecclesiæ inductam, ut fideles in locis sacris sepeliantur ad arcendos dæmones. Hinc etiam factum est, ut hic homo in sepulchris habitaret, quia ab illis dæmonibus vexabatur, qui in talia loca recipiebantur.

Is, ut vidit Iesum, procidit ante illum.

COMMENTARIA.

Ex verbis, quæ protulit, cognoscimus hunc hominem, non proprio arbitrio ductum, sed ab ipso dæmone impulsū procidisse adorandum ante Dominum, L1 2 adora-

adoravit quidem dæmon per hominis illius corpus, ipsum Christum non amore, seu dilectione, sed timore, sicut seruus Domino genua flectit, cuius flagellum eua- dere cupit.

ANNOTATIO LVIII.

Quidam recentiores existimant hunc hominem occurrisse primum in eos, qui Christum comitabantur: nam in transeuntes per viam solebat insurgere, & nocere eis, vnde Matthæus refert, neminem posse per viam illam transire præ seuitia illius. Hac ergo de causa primum occurrit, at postea videns Iesum procidit ante eum. At huic expositioni non accommodantur verba Marci, inquit enim, quod videns Iesum a longe, cucurrit, & adoravit eum. Hoc

Et exclamans voce magna dixit.

COMMENTARIA,

Procedenti dæmoni præcepit Christus, ut ab homine exiret; ille vero verbi Christi virtute perculsus, ac dolens de expulsionem, grauioraq; sibi timens, per hominis illius os voces edit, & exclamat, si forte impetret à Christo, ne nocumentum aliquod ei inferat.

ANNOTATIO LIX.

Postquam procidit dæmon ante Christum, priusquam clamaret, Christus præcepit illi, ut exiret ab homine illo. cuius præcepti, ac verborum Christi virtute dæmon tortus clamare incipit, & protulit verba quæ sequuntur. Hoc indicat Euangelista, nam paulo inferius reddens rationem, cur exclamans dæmon dixerit: Quid mihi, & tibi? &c. inquit: Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine illo, dicens: Exi spiritus immunde ab homine isto. igitur si causa, cur exclamauerit & dixerit illa verba, fuit quod quia præcepto Christi urgebatur, necesse est præceptum Christi præcessisse. id ipsum indicat Marcus; immo si verborum vim attendamus, non semel, sed pluries Christus præcepit, & coegit dæmonem exire. Ille autem preces multiplicabat; sic enim rem gestam existimo, ut ex Marco, & Luca deducere licet, cum primum dæmon vidit Dominum, occurrit ei, & procidit ante eum: Christus vero illius adorationem spernens, iussit, ut ab homine exiret, quo præcepto dæmon afflictus exclamans dixit: Quid mihi, & tibi Iesu fili Dei Altissimi venisti ante tempus torquere nos? Cuius adhuc prosequeretur Christus præcipere, subiunxit dæmon: Ob-

Quid mihi, & tibi est Iesu fili Dei Altissimi?

COMMENTARIA.

Primo loco causam exponit dæmon, cur non debeat à Christo expelli; ea autem est, quia nulla ratio id postulat, ut ab eo, quod possidet, priuari debeat, quasi diceret, nihil iuris in me habes; nec enim te læsi, nec quidquam mali intuli, nec contra te aliquid commisi, non igitur est, quod mihi nocere velis, quid mihi tecum? Appellat Iesum, & filium Dei Altissimi, ut illo humanitatem, hoc diuinitatem eius significet. Fallax est hoc dæmonis argumentum: nam Christus Dominus erat omnium, & sub iure, ac potestate eius erant etiam ipsi dæmones, qui si non læserant eum, læserant tamen homines, quorum ille Saluator venerat. de hoc tamen inferius plura dicemus.

ANNOTATIO LX.

Matthæus historiam de duobus hominibus dæmonium habentibus texens, refert sic dixisse: Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? Marcus, & Lucas vnus mentionem facientes, dixisse scribunt: Quid mihi, & tibi Iesu fili Dei? Solus autem Lucas addidit (Altissimi) In his nulla est contrarietas. Singulare enim sub plurali numero clauditur. Augustinus autem lib. 2. de consen. Euang. c. 24. Illud (quid no-

idem indicant verba Matthæi: Exeuntes (inquit) à monumentis occurrerunt ei, & exclamauerunt. No- uit ergo dæmon statim Christum, & occurrit illi timens, ne si non occurreret, pœna grauiori puniretur ab illo. Argumentum hoc est diuinitatis Christi, quem dæmon vel inuitus adoratur, eoque argumeto vitur Athanasius lib. de incarnatione Christi, & corporali eius aduentu.

secro, ne me torqueas, & cum adhuc prosequeretur Christus, ille dicebat: adiuro te per Deum, ne me torqueas, tunc Christus interrogauit, quod illi nomen esset, qui respondit legionem esse: ac adhuc rogans, ne in abyssum detruderetur, sed in porcos abire permitteretur, postremo expulsus est, & inter porcos intrare permisit. Hæc est historię series. Illud enim verbum Marci, & Lucæ, scilicet (præcipiebat) non semel tantum, sed pluries indicat Christum præcepisse, nisi velimus dicere, Christum semel præcepisse: at quia in suo præcepto Christus persequeretur, dæmon multiplicauit preces, ac verba, quod quidem probabilissime dici potest. idq; verbum (præcipiebat) indicat, quod non multiplicationem, sed perseverantiam præcepti indicat. Quæ omnia sic gesta sunt à Christo non virtutis suæ defectu, qui potuit vnico verbo statim expellere dæmones, & mittere in abyssum, sed ut ostenderetur magnitudo miraculi, quæ in eo apparuit, quo manifestum est, quantum ille homo à dæmone possessus est, quantaque vi, & multitudine dæmones in eum intrassent, de qua re paulo inferius plura dicemus.

bis) refert ad pluritatem dæmoniorum, qui erant in homine vno: at vero accommodatus ad duos homines refertur apud Matthæum, qui simul clamauerunt, dicentes, quamuis dæmones per eos loquerentur. De hac phrasi, quid mihi, & tibi, & de agnitione dæmonis, an nouerit filium Dei esse Christum, diximus supra cap. 4. vbi similia verba referuntur.

De confessione autem hæc, sic inquit Hieronymus Matth.

Qualis fuerit dæmonis ista confessio.

Matth. 8. Non voluntatis est ista confessio, quam præmum sequitur contentis, sed necessitatis extorsio, quæ cogit inuitos, velut si serui fugitiui post multum temporis dominum suum videant, nihil aliud, nisi de verberibus deprecantur: sic & dæmones Dominum cernentes in terris repente versari ad iudicandos se venisse credebant. Hæc ille. Notant autem recte Chryso- stomus hom. 29. in Matth. & Victor Antioch. Mar. 5.

Obsecro ne me torqueas.

COMMENTARIA.

Secundo loco preces interponit, obsecro (inquit) te ne me torqueas, id est, ne præcepti, ac verbi tui virtute, ac potentia urgeas, ac premas, compellens me exire ab homine isto; ut enim qui manibus aliquem inuitum expellit, dolorem incutit; sic virtus verbi Christi præcipientis exire dæmonem, torquebat, & affligebat, premebatur etiam dæmon dolore, ac tristitia, ex spoliatione, & eiectione à corpore, in quo habitare summopere cupiebat.

ANNOTATIO LXI.

Quis esset cruciatus, quo dæmon iustus exire torquebatur.

Aduerte dæmones multipliciter cruciari. Primo quidem igne illo, quo damnati in æternum totquentur, hic autem cruciatus communis est omnibus dæmonibus, maior, aut minor pro culpæ mensura, sicut in hominibus damnatis fit, nec de hoc est sermo in præfenti; sciebat enim dæmon se nunquam ab hoc cruciatu liberandum, vnde id non petebat à Christo. Secundo cruciabantur dæmones Christi præfentia; latens enim diuinitas in humanitate virtute quadam mirabili illos torquebat, Christi; præfentia vexabantur, ut eam ferre non possent, atque de hoc secundo cruciatu Chryso- st. hom. 29. in Matth. & Victor Antioch. Mar. 5. hanc sententiam interpretantur, similiter Athanas. lib. de interpretatione psal- morum ad Marcellum in fine. Vrebantur, inquit, dæmones si vel solum præfentem Dominum vidissent, & dicebant: Quæso ne nos ante tempus torqueas. Hæc tamen interpretatio non videtur accommodata contextui: nam Marcus, & Lucas reddentes causam huius cruciatus, à quo liberari dæmon rogabat, in- quunt: Præcipiebat enim illi exire ab homine. non ergo sola præfentia Christi cruciabatur. Tertio loco idem Victor alium proponit cruciatum, nempe metum, ne in infernū detruderetur, hoc enim vexa-

quia qui in nauis erant, Christum hominem confessi erant, dicentes: Qualis est hic, prodeunt nunc in medium dæmones, qui illius diuinitatem aperte promulgent, ut qui mare fluctuans, & rursum conque- scens nō audierunt, dæmones magna id voce claman- tes audiant, quod mare per subitam tranquillitatem ante clamauerat.

batur dæmon hic, cuius sententiæ est etiam Ambros. in præfenti, quod quidem verum est, tamen nunc non rogat hoc, sed paulo post, quando deprecabatur, ne ne in abyssum mitteretur. Quarto igitur loco dicen- dum videtur, dæmonem hunc torqueri vi verborum Christi, præcipientis exire ab homine illo; sentiebat enim in se dolorem incussum virtute Christi, multo grauiorem, quam sentit homo violente expulsus ab aliquo alio fortiori: angebatur etiam displicentia: nam refugiebat corpus deferere, in quo habitare maxime cupiebat, sicut torquebatur homo animo, quando spoliatur eo, quod multum placet: petit igitur, & obsecrat Christum, ne eum torqueat, vim inferendo, ac spoliando illum eo, quod dimittere nollit. Hinc patet causa, cur Christus non statim & sine mora expulerit dæmonem, uti poterat efficere, nempe ut sic manifestaretur: tum vehemens desiderium, quo appetunt dæmones hominibus nocere, eosq; possidere: tum eorum robur, ac potestas, quibus in homines insurgunt, quibusq; difficile est repugnare: tum etiam virtus verbi Christi dæmonem torquentis. porro eius imperium, qui illos poterat in abyssum detrudere: demum magnitudo mali hominis illius, in quo dæmonum plurima multitudo simul habitabat.

ANNOTATIO LXII.

Adiurare quid sit, & quibus modis in Scri- ptura facta accipiantur.

Marcus aliud verbum apposuit in hac eadē sen- tentia: Adiuro (inquit) te per Deum, ne me tor- queas, vtrumq; dictū esse, non est ambigendū, nempe obsecro te & adiuro per Deū, ne me torqueas, aut sic repetēdo sententiā, postquam enim expertus est pre- cibus, quas narrat Lucas nihil efficere, confugit ad adiurationē dicēs, adiuro te per Deū, ne me torqueas, quod narrat Marcus. In cuius sententiæ explicationem aduerte verbum adiurandi aliter accipi apud profa- nos auctores, aliter apud Scripturas. Apud illos enim idem est adiurare, quod valde iurare; in Scripturis vero triplicem habet significationē multo diuersam. primo quidem significat idem, quod facere iurare, aut iuramentum ab aliquo exigere, sic habetur Gen. 24. Pone (inquit) manum tuam super femur meum, ut ad- iurem te per Dominum Deum cæli, id est ut iurare te faciā. Gen. 50. Loquimini ad aures Pharaonis, eo quod pater meus adiurauerit me, id est, fecerit me iurare. Iosu. 2. Innoxij erimus à iuramento, quo adiurasti nos, id est, fecisti nos iurare. Sunt multa huiusmodi testi- monia. Secundo idem significat, quod maledictioni- bus subiicere, aut supponere aliquē. sic accipitur primo Reg. c. 14. Adiurasti (inquit) vulg. populum, dicens: Maledictus, qui comederit panem vsq; ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. & Num. 5. Adiurabit eam Sacerdos dicens: Si declinasti à viro tuo, atq; pol-

luta es, & concubisti cum altero viro, his maledi- ctionibus subiacebis. In Hebræo est: Adiurabit eā Sa- cerdos adiuratione maledictionis. Idem ergo est, ad- iurare, quod exigere aliquid ab altero imprecatione maledictionis, si aliter fecerit. Quo sensu accipitur illud Cant. 2. Adiuro vos filiæ Hierusalē per capreas, ceruosq; caporum, ne succitatis dilectam, id est, ne ve- natio caprorum, aut ceruorum succedat vobis pro vo- to, si succitaueritis dilectam. loquitur enim de iis, quæ verlabantur in campis ad custodiendos greges, quæ venationibus deditę erant, iuxta illud: Virginibus Ty- riis mos est portare pharetram. Tertio modo accipi- tur pro eo quod est adstringere aliquē ad aliquid di- cendum, vel faciendum, aut è contrario, ne faciat, siue ne dicat, interponendo diuinam potestatem, cui omnia subdantur. Sic Caiphas Matt. 26. dixit Christo: Adiuro te per Deum viuum, ut dicas nobis si tu es Christus, id est non mea, sed Dei viui potestate, ac au- tho. itate te adstringo, ut dicas nobis, an sis Christus. similiter Act. 19. quidam adiurauerunt dæmones, dicen- tes: Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat. Dicet quispiā quomodo homo potest diuinam potesta- tē, & auctoritatē interponere? Respondeo id fieri per modum cuiusdā tacite conditionis, ut in priori exem- plo, sic: Si Deum viuum recognoscis, in hoc ostende, ut dicas si tu es Christus, quasi si non dixeris, reus eris

negata pietatis, ac veritatis diuinae. In posteriori autem exemplo sic: Si verus est Christus Iesus, quem Paulus praedicat, & si vera est praedicatio eius, exite a corporibus istis. Haec veritas inuocata vos adstringat ad id faciendum. his modis hoc verbum adiurandi vsurpatur in sacra Scriptura. In praesenti ergo loco non accipitur primo modo; neque enim daemones adiurarunt Christum, exigentes vllum iuramentum ab eo; nec etiam secundo modo: nam non imprecabantur ei malum, nec vlli maledictioni subiciebant. Accipitur ergo tertio modo; obstringebat enim eum, quatenus homo erat, diuina potestate interposita, quasi dicerent, si vis iustitiam Dei, eiusque veritatem tueri, ne nos torqueas, neque expellere tentes, siue contra iustitiam, & veritatem facies si nos torqueas: nam Deus ob peccatum homines nobis tradidit, nostrum dominium

vsque ad vltimum diei protraxit: ipsa igitur Dei iustitia, ipsa veritas te obstringat facere, quod rogamus, ac petimus. Hic mihi videtur sensus huius sententiae: adiuro te per Deum, ne me torqueas. Nec mirum est daemones impudentes, ac mendaces esse, qui ausi sunt Christum sic adiurare, falsaque dicere: nam Deus quidem propter peccatum, iuste tradidit hominem daemones potestati in multis, non quod iustitia sit ex parte daemones, sed quod Deus iuste fecerit, sicut iudex iuste tradit reum in manum tortoris, non quod tortor ius habeat in reo, vnde potest in iuste iudex eripere de manu eius, quando, & quomodo placuerit ipsi: sic Deus; non ergo Christus, qui voluntate patris faciebat, & qui Deus etiam erat, aliquid fecit contra iustitiam, & veritatem Dei, expellendo daemones, de qua re plura alibi diximus; haec autem pro loci huius explicatione satis esse videntur.

ANNOTATIO LXIII.

Verba Matthaei, Venisti ante tempus torquere nos, explicantur.

Aduertendum est Marcum, & Lucam omisisse quandam sententiam, cuius meminit Matthaeus, nempe, venisti huc ante tempus torquere nos? Quae sententia praemittitur duabus praedictis, ita ut contextus sit hic: Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei Altissimi: venisti huc ante tempus torquere nos? Obsecro ne me torqueas, adiuro te ne me torqueas; sunt enim istae sententiae argumeta, quibus daemones persuadere Christo conabatur, ne eum torqueret, & a corpore illo expelleret, caeterae duae sententiae explicatae iam sunt; superest ea, quae Matthaei est, explicare. Varietate autem exponitur a Doctoribus. Primo loco Chrysostomus, hom. 29. in Matth. existimat esse verba deprecatoria, quibus illi rogant Christum, ne ante tempus torquantur, fatetur quidem se peccasse; non enim id negare poterant, sed dignos poena, ac tormento agnoscunt, orant tamen ne ante tempus puniantur. Nam cum se deprehensos scient esse in pernicioso operibus, quibus omni quo poterant modo creaturas Christi peruertebant, arbitrabantur Christum non expectaturum tempus punitionis, sed se ante tempus demergendos ad tormenta poenarum, id est, ante vltimum diem. Haec est sententia Chrysostomi, Cui consentit Victor Antioch. Mar. 5. Quae sic est intelligenda, non quod daemones non sit inflicta poena ignis aeterni, sicut & caeteris damnatis, sed quod adhuc non sit tota illata, quia recludendi sunt in inferno, ita ut iam inde egredi non liceat; haec enim reclusio & incarceration multis illorum non est inflicta, infligeretur autem omnibus in vltimo die iudicij, hanc isti daemones timebant nunc se subituros propter mala, quae in homines perpetrabant, ideo Christum deprecantur. Haec est sententia Chrysostomi. Secundo loco Euthymius consentit Chrysostomo, in omnibus vno dempto, quod non deprecationis, sed cuiusdam defensionis verba esse affirmat, fatebantur quidem se peccasse, & poena, ac tormento dignos, praetextunt tamen quandam defensionis causam, nempe nondum esse tempus punitionis, vsque ad vniuersalis iudicij diem. Audierant enim ex Prophetis Christum in vltimo tempore venturum iudicare omnes, & poenas malis inferre. Haec est Euthymij explicatio, quae etiam est Ambrosij in praesenti; inquit enim: Daemones ante tempus debita sibi tormenta formidant, non praediuinantes, quae futura sunt, sed quae prophetae sunt, recordantes; dixit enim Zacharias c. 13. Et erit in die illa, disperdet Dominus nomina Idolorum de terra, & non erit vltimus memoria eorum, & spiritum immundum exuram de terra. Docemur ergo, quod non semper erunt daemones, nec malitia eorum possit esse perpetua. Nunc igitur illam metuentes poenam adiut, Venisti ante tempus perdere nos? Haec Ambrosij.

Nonnulla mihi dicenda videntur. Primo quidem, poena essentialis daemones, quae consistit in priuatione visionis, ac fruitionis diuinae, & in tormeto ex aeterno igne, iam est illata eis ob peccatum in caelo commissum, cuius causa damnati sunt: quod tormentum maius est & minus pro peccati, ac culpa ratione; vt enim non fuit eorum aequalis culpa, ita nec aequalis poena, & tormentum. Haec autem poena non augetur propter ea mala, quae postea committunt, odio habentes Deum, & hominibus nocentes; sunt enim in statu damnationis, in quo sicut non merentur ad praemium, ita nec demerentur ad augmentum poenae, quemadmodum hominum damnatorum ob blasphemias, quas semper in Deum profurunt, & pessimam voluntatem, in qua continuo manent, poena essentialis non augetur. Nec de hac poena isti citati Doctores locuti sunt, quam non timebant daemones infligendam, quia inflicta iam erat, & est a principio eiectionis de caelo. Secundo sunt poenae quaedam aliae accidentales in daemones, nam dolent, quando quispiam homo conuertitur ad Deum, quando eiiciuntur ipsi a corporibus, & multis aliis de causis, & haec non sunt omnes perpetuae, sed modo recedunt, modo eueniunt pro rerum variis euentibus: in multis enim contingit eos affligi, & torqueri ad tempus. Tertio, incarceration, & detrusio in infernum poena est communis omnibus damnatis, haec tamen non est modo omnibus daemones inflicta ob dispensationem quandam Deo sic disponente ob nostrum exercitium, vt nos per eos exerceamus in bono, donec tempus huius peregrinationis est vsque ad vltimum diem. Quarto, daemones in hac sententia non loquuntur de hoc tormento, & poena incarcerationis inferni: nam postea a Christo id petierunt, sed loquuntur de poena, ac tormento accidentali, expulsionis a corpore humano, & impetu incusso virtute verbi Christi, vt diximus supra. Quinto non sunt verba deprecationis, sed cuiusdam defensionis, & expostulationis, quae in hoc posita est, quod putabant se nihil pati debere per Christum vsque ad aduentum vltimi diei, in quo decepti sunt; licet enim non essent omnino priuandi a potestate nocendi hominibus vsque ad vltimum tempus; tamen a quibusdam nocentis inferendis repellendi erant, & modo per Ecclesiam repelluntur: conqueruntur ergo falso; licet enim eiicerentur ab illis hominibus, non tamen eorum potestas omnino, & in vniuersum tollebat. Fallaci igitur defensione se tuentur, cumque haec nihil iuuaret, conuertit se ad deprecationem, vt refert Lucas, qua non valentes impetrare, quod cupiebant, confugerunt ad adiurationem, vt Marcus narrat. Sicque mihi ista sententia exponenda videtur.

Poena daemones triplex, & de qua sit intelligenda sententia praedicta.

Praeci-

Praecipiebat enim spiritui immundo, vt exiret ab homine.

COMMENTARIA.

Causam adfert Euangelista, cur daemones deprecarentur Christum, ne ipsum torqueret, ea autem est, quia Christus praecipiebat daemones, vt exiret ab homine, virtuteque ipsius verbi impetum incutiebat illi, ac tormentum, quo cogebatur egredi, qui etiam egressus summopere daemones displicebat: affligebatur ergo & dolore incusso virtute Christi, & displicentia egressionis. Daemones autem appellat spiritum immundum, quia immundus est in se propter peccatum, & causa est immunditiae inducens homines ad peccandum. Ex hac sententia constat Christum prius praecipisse daemones, vt exiret, quam daemones oraret Christum, ne eum torqueret, vt supra notauimus.

ANNOTATIO LXIII.

Marcus exponit verbum, & praecipitum ipsius Christi, quod tale erat: Exi spiritus immunde ab homine isto. Potuisset Christus virtute verbi, sine vlla mora daemones expellere: tamen noluit, sed

locum dedit illi, vt praecipibus, adiuratione, ac temporis excusatione vteretur, nonnullaque alia fierent ante exitum, ob causas superius expositas in Annotatione 61.

Multis enim temporibus arripiebat illum.

COMMENTARIA.

Narrat Euangelista causam, ob quam Dominus immundo spiritui iubeat exire ab homine, quae quidem erat magnitudo afflictionis hominis istius, quam a daemone patiebatur; ob hanc enim Christus misertus est eius, liberareque voluit illum, idque indicat particula causalis illa (enim) Arripiebat igitur homo iste a daemone multis temporibus, id est, saepissime vexabatur, & torquebatur a daemone; non enim daemones continuo torquet hominem, in quo est, sed certis temporibus, hunc autem frequentissime arripiebat, ac vexabat.

ANNOTATIO LXV.

Paulo superius idem Euangelista de eodem homine dixit eum habuisse daemones iam multis temporibus, nunc autem dicit, daemones arripere eum multis temporibus, non autem idem sensus est hic, & illic: nam in priori loco sensus est a multis annis, seu longo tempore hunc hominem habuisse daemones: at in hoc posteriori loco sensus est frequentissime eum arripere, & vexari a daemone. vnde Graece non sunt eadem verba, sed in primo loco habetur cum praepositione, & casu gignendi εν χειρω; in altero, id est,

a temporibus multis, at in secundo est casus dandi sine praepositione scilicet πολλοις χρόνοις, temporibus multis, quae diuersitas locutionis indicat diuersum sensum. Vtraque autem circumstantiam solus Lucas narrat, quasi huius hominis non autem alterius, cuius Matthaeus meminit. Dicitur autem daemones arripere hominem, non quando in eo est, quia continuo habitabat in illo a multo tempore, sed quando eum vexat, torquet, ac membra illius ad opera cogit, & impellit, quae arreptio non semper erat, sed frequentissime.

Daemones quando dicitur hominem arripere.

Et vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis, agebatur a daemone in deserto.

COMMENTARIA.

VIM, ac impetum daemones in illum hominem explicat, tenebatur ille catenis, & compedibus vinculus in custodia, id est, certo loco, in quo posset ab hominibus necessaria vitae recipere: at daemones ruptis omnibus vinculis impellebat eum in loca deserta, & ab hominum communicatione, & commercio remota, qualia erant deserta, & sepulchra. Similia nunc in multis fieri videbis, vt Chrysostomus, inquit, qui a vitiis ita sunt possessi, vt eos non multitudo hominum, non exhortatio, non terror, non minae, non aliud quid huiusmodi abducere possit, habitantes in suis voluptatibus; vt sepulchris, priuatos omni sancta cogitatione, velut in deserto. Non est autem permessa daemones tanta potestas in animas, quanta in corpora; his enim vim inferre potest, non autem illis, nec abuti valet potentiis animae rationalibus, sicut abutitur corporum membris, vt liber maneat homo in ijs, quae ad salutem spiritualem necessaria sunt.

ANNOTATIO LXVI.

Marcus eadem explicatus refert, & adhuc plura cumulat, neque inquit, catenis iam quispiam poterat eum ligare, quoniam saepe compedibus, & catenis vinculus dirupisset catenas, & compedes comminisset: & nemo poterat eum domare, & semper die, ac nocte in monumentis, & montibus erat, clamans, & concidens se lapidibus. Haec Marcus. Quae

omnia Matthaeus non retulit, quia vt puto loquebatur de duobus. Haec autem huic vni, cuius Marcus, & Lucas meminere, propria sunt, quae miserabilem statum huius hominis indicant, & tamquam causa narratur, propter quam Christus dignatus est ab eo homine daemones expellere, & vt magnitudo miraculi agnoscat.

Interrogavit autem illum Iesus, dicens: Quod tibi nomen est?

COMMENTARIA.

R Eueritur Evangelista ad historiam, & post preces, ac adiurationem demonis, interrogat Dominus nomen eius, qui loquebatur per hominem illum. Dominus quidem multitudinem demonum, qui in homine erant, non ignorabat; interrogavit vero, ut cognoscerent, qui presentes erant, in vno homine plurimos demones habitare, idque ex eorundem demonum responsione. Sic enim miraculi, ac virtutis Christi magnitudo magis patefiebat presentibus, quam si Christus ipse illorum multitudinem declarasset; nemo enim aduersariorum poterat opponere Christo, cum ut suum opus clarificaret, multos in illo fuisse demones, finxisse.

At ille dixit: Legio,

COMMENTARIA.

R Espondit demon per linguam, ac vocem hominis illius, & cum multi essent in eo homine demones, non potuerunt vno proprio nomine respondere, sed communi, & appellativo, dicentes se esse legionem, id est, plurimos, non vnum tantum. sumptum est nomen hoc a militia, agmen enim militum legio dicitur.

ANNOTATIO LXVII.

Legio quid sit, & quid hoc loco per ea significetur.

L Egio decem cohortes continet, vnaquaque autem cohors quinquaginta manipulos, singuli autem manipuli viginti quinque milites. Victor Antiochenus Mar. 5. dicit hoc nomine non significari numerum precium demonum, sed magnam eorum multitudinem. idem sentit Euthymius, idque insinuant verba Marci; respondit enim demon: Legio mihi nomen est, quia multi sumus, indicans legionem se dici propter multitudinem: non autem ob numerum precium, qui ad legionem constituendam con-

currit. Si quis tamen affirmaret integram legionem etiam quoad numerum in homine fuisse, non improbabilius sentiret, idque Ambrosius in presenti sententia videtur; inquit enim: Non vno demonio, sed totius legionis laborabat incurfu. Probabilius tamen erit affirmare cum Victore, & Euthymio eo nomine tantum magnam multitudinem indicari. Loquitur autem demon in singulari, nomen mihi est, quia vnus erat, qui aliorum nomine loquebatur.

Quia intrauerant demonia multa in eum.

COMMENTARIA.

Demoni plures in vno homine posse esse, & quare id Deus permittit.

V Erbum est Evangelistae reddentis causam, cur se esse legionem demonium responderit, nimirum quia multa demonia in hominem illum intrauerant. Indicat Evangelista nomen legionis multitudinem significare, non autem precise numerum, quasi tot essent, quot milites in legione sunt, uti in precedenti annotatione diximus. Nec est difficile intellectu, multos, & plurimos demones simul esse in vno homine; cum enim incorporei sint, locum non occupant, nec replent. Permittit autem Deus plura demonia in vnum hominem intrare, ut quot inimici nobis insidientur, animamque decipere studeant, agnoscamus. Atque ut intelligamus, quanta de nobis singulis sit cura Deo, ecce legio demoniorum, quae comminabat compedes, rumpebat catenas, tenerique non poterat vinculis, vnum hominem occidere non potuit, non quidem virium, ac potentiae, nec voluntatis, odijque eorum, sed facultatis defectu, Deo eam propter hominem illis negante.

ANNOTATIO LXVIII.

M Arci 5. habetur integra responsio, inquit enim: Legio mihi nomen est, quia multi sumus, vbi notanda est demonum obedientia licet inuita: nam causam exprimunt, cur legionem se dixerint, quia nem-

pe multi sumus. nec est contrarium, quod Lucas dicit, non enim referre voluit omnia verba demonis, sed ipse causam exposuit, cur legio dicti sint demones.

Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent.

COMMENTARIA.

A Gnoscentes demones Christi voluntatem, & imperium, ut exirent ab homine, nec valentes resistere, rogant ne exeuntes ab homine detrudantur in infernum, sed permittantur adhuc manere in terra, vsque ad tempus praefinitum, nempe vltimum diem. Est enim grauissimum demonibus detineri carceribus inferni, propter loci horrorem, ac turpitudinem, & propter priuationem opportunitatis nocendi hominibus. Permisit autem Christus demonibus non statim egredi ab homine, sed detineri aliquanto tempore, non propter eos, quasi illis rem gratam faciens, sed ut ex eorum confessione constaret hominibus, quanta Christo esset potestas, qui legioni demoniorum imperabat, ac eam expellebat, & qui demones poterat in infernum etiam nolentes, & inuitos mittere.

ANNOTATIO LXIX.

Abyssus quid sit, & pro quo in Scriptura accipitur.

A Byssus nomen est Graecum apud Hebraeos אַבְּסוּס, & teste Augustino lib. 22. contra Faust. cap. 11. est inextimabilis aquarum profunditas, & in comment. super psal. 41. Abyssus abyssum inuocat. affirmat abyssum esse profunditatem quandam impenetrabilem, & incomprehensibilem, & maxime dici solere in aquis. Hinc per metaphoram, quae incomprehensibilia sunt, appellantur abyssus: sic iudicia Dei dicuntur abyssus, & alia multa. Hinc in Scriptura, & maxime in nouo testamento infernus, in quem

demones omnes coniciendi sunt, & modo multi detinentur, & in quo damnati homines torquentur, dicitur abyssus, quia in profundissimo terrae loco situs est. & sic in Apocalypsi aliquoties appellatur, & in hoc etiam praesenti loco: licet aliquando accipitur, ut complectatur omnia loca inferiora, in quae mortuorum animae descendunt, nempe ipsum etiam purgatorium, & limbum; sic enim accipitur Rom. 10. Quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis reuocare.

Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte.

COMMENTARIA.

D Escribit Evangelista in eo loco fuisse tunc gregem porcorum magnum, ut sic explicet, & alias demonum preces Christo factas, & quid Christus ipse gesserit, quae statim narrat.

ANNOTATIO LXX.

Coeordia Euangelistae circa superiora verba.

M Athaeus dicit: Erat autem grex porcorum non longe ab illis, scilicet hominibus demonum, habentibus, & consequenter a Christo, qui cum eis loquebatur, caeterisque adstantibus. Marcus autem narrat gregem fuisse circa montem, id est, prope montem, seu apud montem, quod posset cuiuspiam videri dissonare a Luca, qui dicit, gregem porcorum pa-

scientium in monte. At reuera nulla est dissonantia; respondetque Augustinus lib. 2. de consensu Euang. cap. 24. tantam fuisse porcorum multitudinem, ut pars in monte, pars circa montem pasceret; scribit enim Marcus fuisse ad duo millia porcorum. Vtrumque ergo verum est, & quod Marcus, & quod Lucas scribunt.

Et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi.

COMMENTARIA.

R Ogarunt demones, ut permitteret eis Christus ingredi in porcos, cum enim hominibus non possent, rebus eorum nocere desiderabant: nam illi porcorum necem non propter ipsos porcos rationis incapaces, sed propter homines, quorum erant, anhelarunt. sicut cum Iob factum est, cuius oues, ut ei noceret diabolus, necauit. tanto odio homines ille prosequitur. Non solum autem nocendi causa, petierunt hoc demones, sed etiam tamquam leuiorem poenam, quasi dicerent, ne nos in abyssum, aut extra regionem expellas, mitte potius in porcos, poenaeque hac esto contentus. Sic enim dictum est apud Matthaeum: Si eiicis, mitte nos in porcos, id est, si vis eiicere, mitte potius in porcos, quam in abyssum. notanda est demonum restrictio, ut nec in porcos ingredi, nec eis nocere licuerit sine Christi permissione. multo ergo minus in homines ipsos insurgere, nisi Deo permittente.

ANNOTATIO LXXI.

G Regorius lib. 2. Moral. cap. 6. hoc loco probat nihil posse diabolum in homines facere nisi Deo permittente. Expellenda, inquit, de homine legio dicebat: Si eiicis, mitte nos in porcos. qui enim per semetipsum ire in porcos non poterat, quid mirum, si sine auctoris manu sancti Iob domum contingere non valebat? Hae ille. Matthaeus, & Marcus referunt verba demonum, quibus id rogabant: nam apud illum habetur: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Apud hunc autem scribitur: Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Aduertendum autem est Matthaeum, & Lucam praetermississe quasdam alias preces demoniorum: nam post illas, quibus deprecata sunt, ne in abyssum mitterentur, rogarunt, ne extra regionem illam eicerentur. Sic enim scribit Marcus. Et deprecabantur eum multum, ne se expelleret extra regionem. Cupiebant enim non solum in abyssum non ire, sed nec ab ea regione expelli in alias; delectantur enim magis in vno loco, quam in alio occultis de causis; vna tamen generalis est, ibi

libentius demones manere, vbi plus nocere temporaliter, & spiritualiter hominibus possunt, ideoque in loca deserta, & hominibus inuia abigi, valde timent. Quidam recentiores existimant extra regionem expelli idem esse, ac extra hunc mundum, & in infernum detrudi, sed sine fundamento id dictum est, cum distinctae fuerint preces haec ab illis, & Marcus has explicans dicat, demones multum hoc fuisse deprecatos. Non sunt autem demones hi omnia deprecati simul, dicentes: ne nos mittas in abyssum, nec extra regionem, sed mitte nos in porcos: Sed separate singula petierunt; primo ne compellerentur ab homine exire: postea ne in abyssum detruderentur, deinde ne extra regionem, demum ut permitterentur intrare in porcos. Verba enim Marci, & Lucae sic ista gesta esse indicant; post eorum enim preces nouerunt demones, Christum nolle eos in abyssum mittere, licet non ob eorum preces id factum sit; ideo petierunt ne extra regionem, sed in porcos potius intrare permitterentur.

ANNOTATIO LXXII.

Cur demones ingressum in porcos petierint, & quas ob causas illum non permiserit Christus, nisi prius ipsis rogantibus.

N Otandum est demones petiisse ingressum in porcos, sperantes se posse id impetrare a Christo, quia porci erant animalia lege Dei immunda, duplici immunditia: vna quidem quonia in sacrificium Deo offerri prohibita erat: altera, quae maior est, quoniam lege Dei prohibitu erat vesci carnibus porcinis, quae

immundities omnibus immundis non erat communis; multa enim erant, quae non licebat sacrificari, tamē vesci eorum carnibus lex non vetabat: at porci vtramque immunditiam habebant; idcirco, ut existimo, sperabat demones obtinere quod rogabat, quauis Christus non ea de causa eis ingressum permiserit, sed ob alias causas, quas

quas in annotat. seq. explicabimus, licet non sit impro-
babile si quis dixerit, inter alias causas etiam hanc esse
ob quas id permisit Christus, scilicet, ut probaret legem
Iudeorum legem Dei esse, quia ea animalia occi-
di permisit, quae secundum legem immunda erant.
Notandum etiam Christum non permisit daemones
ingredi in porcos, nisi prius illis petentibus: tum ut
significaret nobis voluntatem tentandi, & nocendi esse
a daemone; permissionem autem a Deo; ille est qui
instigat, & sollicitat inferre malum hominibus, at Deus
est qui permittit iustis de causis, & nobis vtilibus;
tum ut illis hominibus minus durum videretur detri-
mentum porcorum, quod a daemonibus excogitatum
& rogatum videbatur: tum etiam, ut daemonum ma-
la, & iniqua nocendi voluntas detegeretur. Ambro-

sius addit aliam: Clementiam (inquit) Domini de-
bemus aduertere, quod nullum prius ipse condemnar,
sed vnusquisque sibi auctor est poenae. Non mittun-
tur in porcos daemones, sed ipsi petunt, quia cele-
stis luminis claritatem sustinere non poterant, ut qui
oculos dolent, radios Solis ferre non possunt, sed
tenebrosa eligunt, & splendoria derelinquunt. Hanc
ille. Existimat Ambrosius quantum ex verbis his
colligere possumus, poenam fuisse daemonibus in tam
immunda animalia detradi, sed eam elegerunt, ne
in abyssum, aut extra regionem expellerentur; quod
est consideratione dignum, quamuis cum hoc fuit
coniuncta intentio nocendi hominibus in ijs, in qui-
bus poterant.

Et permisit illis.

COMMENTARIA.

NON ut voluntati daemonum acquiesceret, permisit Christus, quae illi petierunt,
sed ut in eis diuina virtus manifestaretur, innotesceretque hominibus, quis esset
Christus: conuenienter autem permillum est spiritibus immundis intrare in anima-
lia immunda, ut per immunditiam animalium exteriorem, & legalem, quanta
sit daemonum immunditia, & fordities spiritualis, significaretur. Quare autem
Christus non tantum eiecerit daemonia, ut alias fecit, sed in animalia illa intrare
permiserit, in Annotatione require.

ANNOTATIO LXXIII.

Cur Dominus
daemones in
porcos intra-
re permisit.

M Arcus habet (& concessit illis statim) Matthaeus
autem narrat verbum Christi concedentis, sci-
licet (ite) Quod autem apud Marcum dicitur, con-
cessisse, apud Lucam vero permisit, sensum non immu-
tat, & Graece idem est vtroque verbu, & apud La-
tinos solet vnum pro altero poni, licet re vera di-
stinguantur: nam bona conceduntur, mala vero per-
mittuntur. Chrysof. hom. 29. in Matth. nonnullas
profert rationes, ob quas Dominus in porcos daemo-
nia intrare permisit. Prima est, ut indicaret ma-
gnitudinem noxae daemonum, qui in illo homine, ha-
bitabant, nempe, quam nociui erant, & pestilentes.
Secunda ut discamus omnes, nec in sues audere dae-
mones impetum facere, nisi ipse permittat. Tertia,
ut doceret quod daemonia peiora fecissent in homine,
quando in ipso habitabant, nisi diuina prouidentia
inuaretur; qui enim porcis non pepercerunt, quan-
do in eis intrare permilla sunt, grauiora perpetrassent
in homine, quem odio habent, nisi Deus vetuisset.
Quarta ad ostendendu Deum no in generali tantum,
sed etiam in particulari prouidentiam habere de sin-
gulis; nisi enim hoc esset, fuisset iam ille homo suf-
focatus a daemonibus. Quinta, ut omnes, qui re-
gionem illam habitabant, quanta esset virtus Christi,
non ignorarent. Vbi enim minus cognoscebatur, ibi
miraculis magis effulgebat, ut eos ad cognoscendum

deitatem eius attraheret. Hanc rationem adducit
etiam Hieronymus Matth. 8. Non (inquit) quod con-
cesserit Saluator daemonibus, quod petebant, sed ut
per interfectionem porcorum hominibus salutis oc-
casio praeretur. Pastores enim ista cernentes sta-
tim nuntiant ciuitati. Hanc ille. Quae ratio est mul-
tum accommodata; sic enim virtus Christi innotuit,
& ciuitas tota ad agnoscendum miraculum, poten-
tiamque Christi permota est. Hanc ex Chry. Sexta
est etiam Euthymij Matth. 8. scilicet, ut mors por-
corum daemones ab homine exisse confirmaret. Augu-
sti. tract. 6. in Epist. Ioann. Spiritualem adfert ratio-
nem: Certa (inquit) mysterij gratia, & certa dispen-
satione dimittit daemones ire in porcos, ut ostenderet
diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum
gerunt. Idem sentit Ambrosius in praesenti; inquit
enim: Sic videmus, quia homo ipse sibi auctor est
aerumnar; nam nisi quis porci more vixisset, num-
quam accepisset in eum Diabolus potestatem, aut si
accepisset, non ut perderet, sed ut probaret. Hanc
ille. Quidam recentio res non improbabiler dicunt
Dominum etiam voluisse punire Gadarenos, qui cum
Israelitae essent, porcos aluissent, quorum esus lege
Dei erat prohibitus. Fuisse autem Gadarenos Israe-
litas seu Iudaeos ex Iosepho deducunt; id tamen in-
certum est: nam erat ibi multa Gentilium copia.

ANNOTATIO LXXIIII.

Potestate ius-
te & in rectu
sine sibi a Deo
data abutun-
tur daemones.

A Duertendum est Christum permisit daemoni-
bus intrare in porcos longe alia intentione, quam
illi petierunt, & intrarunt. Christus enim id per-
misit recta intentione, in ostensionem malitiae daemo-
num, ac in manifestationem diuinae virtutis ad illo-
rum hominum vtilitatem, ut diuina agnita virtute in
eum crederent, & salutem spiritualem acciperent.
At daemones, ut grauiorem poenam euaderent, & in-
tentione peruersa, scilicet, ut nocerent, & detrimen-
tum inferrent ex odio, & mala voluntate, quibus pro-
sequuntur homines. Euthymius Matth. 8. adiungit
aliud: Studenti (inquit) daemones porcos occide-
re, ut horum damno contristati domini gregis, Chri-
stum non suscipiant, & ita Euangelij praedicatione
non suscepta maximo afficiantur damno. Hanc Eu-

thymius. Potestas igitur iuste data est illis a Christo.
at ipsi iusta potestate abusi sunt in detrimentum ho-
minum, mala intentione. Quemadmodu si iudex tra-
deret tortori reum iuste damnatum, ut eum puni-
ret, at is mala intentione, & odio reum iuste punien-
dum sibi traditum, morte afficeret. Doctrina est Gre-
gor. lib. 2. Moral. cap. 6. vbi ponderat diabolum in
Scriptura dici spiritum Domini malum; Domini, ob
potestatem iuste a Deo ei traditam; malum, ob ma-
lam eius intentionem abutentis potestate, recte, ac
iuste tradita illi. Hoc idem fit, quoties Deus permittit
illi tentare hominem, aut, quid aliud facere. Pote-
stas quidem iuste a Deo datur, & in rectum finem, at
is abutitur sua intentione peruersa.

Exierunt

Exierunt ergo daemonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abiit grex per
praeceps in stagnum, & suffocatus est.

COMMENTARIA.

A Ccepta facultate intrandi in porcos, celerrime exierunt daemones ab illo ho-
mine, idque denotat particula (ergo) quasi copia facta eis a Christo, immediate
consecutus sit ingressus in porcos, illisque intrantibus totus grex magno impetu abiit
in stagnum per praecipitium, id est, loca praerupta, e quibus praecipitatus est in aquas. Erant
enim porci in monte, & prope montem, qui locus erat eminens, & altior stagno, a
quo grex in aquas proiectus est a daemonibus, & omnes suffocati sunt. Nota qui in
duo millia porcorum talia fecerunt breuissimo tempore, quid non fecissent in vno ho-
mine multis diebus, si permilli fuissent? Ex hoc per anagogem intelligere licet, saepe
eos, qui ceno voluptatum volutantur, tradi daemonibus tentandos, qui eos in pra-
cipitia grauissimorum scelerum praecipitant, & in eternam damnationem demergunt
iuxta illud Roman. 1. Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.

ANNOTATIO LXXV.

Quaedam pro
explicatione
praecedentis
sententiae per-
penduntur.

M Atthaeus habet. Impetu magno abiit totus grex
per praecipitium in mare, & mortui sunt in aquis.
Mareus autem explicans numerum porcoru, atque eos
non proprio gressu, sed a daemonibus agitados abuisse
in mare, inquit: Magno impetu totus grex praecipita-
tus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari.
Ex duobus igitur his Euangelistis habemus totu gregem
suffocatum esse: tanta enim fuit daemonis malitia,
& nocendi voluntas, ut in tam magno porcorum nu-
mero, nec vnus fuerit superstes. Nota etiam suffoca-
tionem non immediata vi daemonum factam ut fieri
poterat, sed aquis stagni, quo etiam modo suffocati
fuissent, si non a daemonibus, sed alia via praecipitati
in stagnum essent. Aduerte potuisse daemones porcos
praecipitare, & suffocare etiam si non intrassent in eo-
rum corpora, at non sic factum est, sed intrarunt in ea,
sicut in homine intrauerant, quod in eorundem igno-
miniam a Christo permillum est, ideo Euangelistae eos
intraisse in porcos dixerunt. Existimo autem daemones

celerrime praecipitasse, & suffocasse porcos no solum,
ut nocerent, sed etiam ut a corporibus illis exirent, in
quibus detineri ignominia illis videbatur, licet Do-
minus celerrimam occisionem permiserit, ut virtus
eius diuina statim ostenderetur, & quanta esset mali-
tia daemonum, qui in homine illo erant, innotesceret;
Si enim multum temporis intercessisset, non ita mani-
festum erat, eosdem daemones in porcos intrasse, qui
in homine fuerant. Aduerte etiam quosdam recen-
tiores existimare stagnum, in quod porci praecipitati
sunt, non fuisse stagnum Genesareth, sed aliud longe
minus aquarum nociuarum, prope ciuitatem Gada-
ram existens, cuius meminit Strabo: at his aduersatur
Matthaeus, qui dicit praecipitatos in mare. Mare au-
tem non vocatur in Scriptura, nisi illud Genesareth.
aduersatur etiam Hieronymus, qui lib. de locis He-
braicis, affirmat suis temporibus demonstrari vicum
supra montem iuxta stagnum Genesareth, in quod
porci fuerunt praecipitati.

ANNOTATIO LXXVI.

Christus ut
homo habuit
dominium, &
potestatem su-
premam in
omni creatu-
ras.

A Duerte Christus etiam ut hominem ex vnione
humanitatis ad Verbum habuisse dominium, &
supremam potestatem in omnes creaturas, non tamen
eam plene exercuit ante mortem, & resurrectionem
suam, sed voluit pro nobis pauperem, & humilem
vitam hanc agere. At non ita ab huius domini, &
potestatis vsu continuit, quin aliquando in sua diui-
nitatis, ac domini, quod vere habebat, ostensio-
nem, & in alicuius, quod ad instructionem vtile
erat, demonstrationem, potestatem, ac dominium
ipsum exerceret, cuius rei exempla aliquot in Scri-
ptura habemus. Matth. 21. ficulneam arefecit, quod

non vtiq; fecisset, nisi Dominus esset, qui & eam
eradicare, ac comburere poterat. Matth. 21. Inue-
nietis (inquit) asinam alligatam, & pullum cum ea,
soluite, & adducite mihi. Subdens autem, qua au-
toritate id faceret (inquit) Si quis vobis aliquid di-
xerit, dicite quia Dominus his opus habet. Ioan. 8.
Adulteram a poena legis liberauit. Ioan. 18. passioni
proximus satellitibus praecipit, ne Discipulos com-
prehenderent; finite inquit hos abire. in praesenti etiam
loco dominos porcis suis priuauit. eosque tanquam
verus, & absolutus Dominus daemonibus occiden-
dos tradidit.

Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, & nunciauerunt in
ciuitatem, & in villas.

COMMENTARIA.

P Astores gregis tanto spectaculo territi fugerunt, ne forsan & eos pariter dae-
mones occiderent, & per ciuitatem, & villas renunciarunt perditionem, sci-
licet porcorum, & hominis a daemoniis liberationem factam per Christum.
Erant porci quantum videre est, non vnus, sed multorum dominorum, id-
circo pastores, in ciuitatem, & villas abierunt, in quibus illos habitare proba-
bile erat, ut domini singuli, quid suis euenerit porcis, intelligerent. Nota quo-
modo porcorum iactura Christi notitiam multis defert, & spargit, praenonitur-
que vtilitas spiritualis, ac Christi praedicatione malo temporali, perditioni scili-
cet porcorum.

A N N O T A T I O L X X V I I .

Matthæus explicatius inquit: Pastores fugerunt, & venientes in ciuitatem, & nunciauerunt hæc omnia, & de his, qui dæmonia habuerat. Marcus autem sic habet: Qui pascebant eos, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem, & in agros. Exultimo pastores renunciauerunt omnia, quæ gesta sunt, per ciuitatem, & villam; non tantum ob facti magnitudinem, ac nouitatem, sed etiam ut rationem redderent de proprio mu-

nere, scilicet custodia porcorum; ne si siluissent, eorum negligentia porcorum perditio adscriberetur, cogereque, aut pœnas dare, aut pro damno satisfacere. Fuga autem hæc pastorum significat, & ab illo loco secessum, & cursum celerrimum ad ciuitatem, & villas: nam adhuc Christo in eo loco existenti, & commoranti, qui de ciuitate, & villis exierunt, occurrere potuerunt, ut paulo inferius dicitur.

Exierunt autem videre quod factum est, & venerunt ad Iesum.

C O M M E N T A R I A .

Magnitudo facti, & iactura multis communis, omnes fere pertraxit ad Iesum. quod sic factum est; exierunt quidem, ut certiores fierent de eo quod nunciatum fuerat, scilicet porcorum ruina, qua perspecta, conuertunt se ad Christum, eique tota ciuitas venit obuiam, tum ad videndum tam mirandi operis auctorem, tum ad rogandum, ut ab eis recederet, nec in eorum ciuitatem, & villas intraret, ut Euangelista paulo inferius narrat. Calamitates, & ærumnæ sæpe homines ad Deum, ac Christum conuertunt, & attrahunt.

A N N O T A T I O L X X V I I I .

Series historiae
& concordia
Euangelistarum

Matthæus inquit sic: Ecce tota ciuitas venit obuiam Iesu. Marcus autem idem dicit, quod Lucas. Horum seriem exultimo sic se habuisse, audientes Geraseni à pastoribus, quæ gesta sunt, exierunt omnes, ut ea oculis perspicere, & ante omnia de facto certiores facti sunt, spectantes porcorum iacturam; apparebant enim omnes in aquis suffocati; post

hæc obuiam venerunt Domino. illud Matthæus, hoc Marcus, & Lucas scribunt; oportebat enim prius facti notitiam habere, quam ad Iesum venire, priusque ruina porcorum apparuit, quam Iesus; illam de longe prospicere poterant, præ porcorum multitudine, quæ maguam maris partem occupabat.

Et inuenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sanam mentem ad pedes eius.

C O M M E N T A R I A .

CVM Domino Geraseni accesserunt, inuenerunt hominem illum, quem prius dæmonio vexatum, ac furem nouerant, sedentem ad pedes Iesu, vestitum iam, & sanæ mentis, non ut ante. sedebat ille non quasi post grauem, & diurnam dæmonum afflictionem defessus, cum à Christo Salvatore integras recepisset vires, & robur; sed quasi mansuetus, omni iam sæuitia deposita, qua in omnes per viam transeuntes, prius insilire solebat. quando Geraseni venerunt, credibile omnino est hominem genuflexo gratias iam egisse, honoremque debitum Christo persoluisse, iussuque à Christo sedere, ille vero præ humilitate ac reuerentia, & ut suum liberatorem omnibus venientibus indicaret, iuxta Christi pedes sedebat.

Et timuerunt.

C O M M E N T A R I A .

Videntes hominem illum sanum ad pedes Iesu, crediderunt Christum eum liberasse, ac dæmonia in porcos misisse, & timuerunt, non tam timore reuerentiæ, quam mundano, ne scilicet à Christo simile aliquid, aut grauius in aliis rebus, aut personis propriis paterentur, plusque potuit apud eos iactura porcorum ad expellendum à se Christum, quam liberatio hominis à dæmoniis ad illum suscipiendum, magisque timuerunt porcorum occisorem, quam dilexerunt hominum Saluatorem, ideo nec eum recipere, nec audire meruerunt. Prætulerunt enim temporalia spiritualibus.

Nunciauerunt autem illis, & qui uiderant, quomodo sanus factus esset à legione.

C O M M E N T A R I A .

Accessit testimonium eorum, qui miraculo interfuerunt, ac rem ipsam viderunt, qui retulerunt iis, qui uenerant de ciuitate, & villis, quomodo scilicet ille homo à legione dæmoniorum liberatus fuit à Christo, quod confirmauit eos, ut omnino crederent IESVM esse auctorem sanitatis hominis, & perditionis porcorum. Particula (&) loco (etiam) posita est, augetque sensum, nimirum ultra pastores, qui primo nunciauerunt, etiam ij, qui aderant, & uiderant, quando Christus

Christus dæmonia eiecit, testimonium reddiderunt, quod quidem timorem illorum auxit, & induxit eos, ut facerent, quod sequenti sententia explicatur.

A N N O T A T I O L X X I X .

MArcus plura hos narraffe scribit; inquit enim sic; Narrauerunt illis qui uiderant, qualiter factum esset ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis,

quasi diceret, narrauerunt omnia distincte, quæ fecit, & dixit Christus, & quæ dæmonia dixerint, & uno verbo historiam totam.

Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut discederet ab ipsis; quia magno timore tenebantur.

C O M M E N T A R I A .

ET si de iactura porcorum non parum dolebant, non tamen audent nec verbum quidem asperum proferre, sed precibus contendunt, ut à regione eorum discederet; timore enim magno tenebantur, ne ex eius præsentia aliquid aliud simile, aut grauius malum paterentur, ac velut phrenetici medicum salutis æternæ à se repellunt. qui etiam timor effecit, ne quidquam contra eum durius facere, aut loqui tentarent. Hinc discimus quantum erremus in dignoscendis ijs, quæ ad nos pertinet: sæpe enim noxia putamus utilia, & contrario, quæ utilia sunt, noxia, verumque illud esse comprobatur Rom. 8. Quid oremus sicut oportet nescimus.

A N N O T A T I O L X X X .

Superior sententia magis declaratur.

ADuerte illud (quia magno timore tenebantur) duplicem sensum posse admittere. Prior est, ut sit verbum Euangelistæ solius, reddentis causam cur illi rogauerunt Christum, ut discederet. Posterior est, ut sit verbum Euangelistæ narrantis, quod illi Christo dixerunt, quasi Geraseni rogarerent Christum, ut discederet, adducentes causam, quia ille erat eis causa magni timoris. Prior sensus est accommodatior. Aduerte præterea Hieronymum Matth. 8. existimare præ humilitate Gerasenos Christum noluisse recipere. Verba ipsius sunt hæc: Quod rogant, ut transeat à sinibus eorum, non de superbia hoc faciunt, ut nonnulli arbitrantur, sed de humilitate, qua se præsentia Domini indignos iudicabant, sicut & Petrus in captura piscium cadens ad genua Saluatoris ait; Exi à me Domine, quia vir peccator sum. Hæc ille. Chrysostomus vero homil. 29. in Matth. adscribit ingratiudini; Clementianus (inquit) Christi confiderat: nam cum à regione sua, qui hæc miracula uiderunt, eum ingrati abigerent, non repugnauit, sed cessit. Hæc ille. Ex his constat Chrysostomum non humilitati, sed vitio tribuere preces Gerasenorum, quibus Chri-

stum recedere rogarunt. Et mihi ita videtur, verbaque Lucæ aperte causam indicant, quam Matthæus prætermisit, quia, inquit, magno timore tenebantur, qui timor exortus est ex iactura porcorum à dæmonibus expulsis per Christum; timuerunt enim sibi aliquam aliam noxam, ac iacturam à Christo, si ibi permansisset; & cum vi eum expellere non ausi essent precibus egerunt, ut recederet. Timori ergo mundano adscribendæ sunt preces, & quidem vitioso, & reprehensibili, quia prætulerunt temporalia spiritualibus, & quia debuerant potius sperare bonum, quam timere malum. Solent etiam nunc nonnulli similitudine quadam abigere viros spirituales, ac recta consilia dantes, ne ab eis impediatur facere malum, quod placet, aut cogantur ea dimittere, quæ cupiunt. Non fuit talis timor Petri, hic enim ex reuerentia, humilitate, ac propriæ abiectionis agnitione processit, idcirco à Domino magnam obtinuit promissionem: Gerasenis aliud longe diuersum euenit: nam Christus corporalem suam præsentiam ab eis abstulit iterum transfretando, ut statim Euangelista narrat.

Ipse autem ascendens nauim reuersus est.

C O M M E N T A R I A .

ANnuit Christus Gerasenorum precibus, & iterum nauim ascendens, à qua paulo ante descenderat, reuersus est in Galilæam.

A N N O T A T I O L X X X I .

Quomobrem Christus à Gerasenis discessit.

CVR Dominus noluerit apud Gerasenos manere, nec ipsis prædicauerit, sed precibus eorum cæcis annuens discesserit, non immerito quispiam causam exquiret. Ambrosius in præsentis infirmitati illorum adscribit, quasi incapaces essent Dei suscipiendi, sic enim, inquit; Infirma mens non capit Dei verbum, nec potest pondus sustinere sapientiæ; fatiscit, & soluitur; & ideo diu molestus non fuit, sed recessit, & regressus est. Hæc ille. Euthym. Matth. 8. illorum indignitati tribuit. Paruit (inquit) Christus, quia digni non erant eius doctrina. Neutra harum causarum videtur adæquata: nam multis in Iudæa, & Galilæa Christus prædicauit, apud eosque mansit, qui infirmi, & incapaces erant, & inter multa huius rei testimonia satis apertum est, quod ante tractauimus de parabolis, quas illi non intellexerunt. & Ioan. 6. prædicauit, de sua carne, & sanguine in cibum & potum dandi, quam doctrinam auditores non perceperunt. Causa etiam hæc parum valebat apud Christum, qui

poterat dare intellectum, ac capacem facere. Quod autem ad dignitatem spectat, non est alicuius momenti, nā plurimis indignissimis Christus sua benignitate, ac clemantia doctrinam veritatis aperuit. Existimo ergo causas huius rei accommodatas esse alias duas. Vna est, quia Geraseni aut omnes, aut maxima pars erant Gentiles: licet enim ea pars terræ ad tribum Gad pertineret, tamen Christi tempore Gentilibus erat plena: cum autem Christus non fuerit missus ad prædicandum illis, sed Iudæis, ut ipse testatus est Matth. 15. Non (inquit) sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. & ipse mittens Discipulos ad prædicandum præcepit eis, dicens; In viam gentium non abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed ite potius ad oues, quæ perierunt domus Israel. Matth. 10. Hac de causa nec ipse prædicauit, nec intrauit in ciuitatem Gerasenorum. Altera causa est ad ostendendum Euangelium non esse prædicandum inuitis, & nolentibus, nec cogendos infideles ad præ-

ad prædicationem suscipiendam, iuxta præceptum ipsius Domini Discipulis datum Luc. 10. In quacumque ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius dicite: Etiam puluerem, qui adhaesit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos: veruntamen hoc scitote, quia appropinquauit Regnum Dei. Hoc Christus fecit, ipso facto regnum

Dei annunciauit, eiecitis daemoniis, & liberatis hominibus: cum vero non suscepissent eum, rogantes, ut discederet a sinibus eorum, recessit. Non autem ita recessit, quin relinqueret, qui annunciarer verbum Dei, ipsum nempe a daemoniis liberatum, ut infra dicemus. Hæc videntur mihi causæ, cur Christus noluerit prædicare per se.

Et rogabat illum vir, a quo demonia exierant, ut cum eo esset.

COMMENTARIA.

Gratitudinis, & timoris hoc fuit: nam beneficium tantum voluit recompensare sequela. timuit etiam ne si sine Christo inuentus esset, iterum a daemonebus vexaretur. Ad conciliandos animos mirum in modum profunt beneficia. ecce homo hic a daemonebus vexatione ereptus, rogat cum Christo esse; Geraseni vero, qui sibi detrimentum videbantur accepisse, contrarium petunt; rogant enim, ut a sinibus eorum recedat.

ANNOTATIO LXXVII.

Marcus sic habet: Cum ascenderet nauim, cepit illum deprecari, qui a daemone vexatus fuerat, ut esset cum illo. Matthæus nullam huius rei fecit mentionem, aut quia non omnia singuli Euangelistæ referunt, aut quia de duobus a daemonebus liberatis loquebatur, quorum forsitan vnus tantum hoc rogauit. Euthymius in præfati has hominis preces ad gratitudinem, & timorem retulit, ut in commentario dictum est.

Marcus sic habet: Cum ascenderet nauim, cepit illum deprecari, qui a daemone vexatus fuerat, ut esset cum illo. Matthæus nullam huius rei fecit mentionem, aut quia non omnia singuli Euangelistæ referunt, aut quia de duobus a daemonebus liberatis loquebatur, quorum forsitan vnus tantum hoc rogauit. Euthymius in præfati has hominis preces ad gratitudinem, & timorem retulit, ut in commentario dictum est.

Dimisit autem eum Iesus, dicens: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus.

COMMENTARIA.

Noluit Christus acceptare sequelam hominis, causamque exhibuit: Redi, (inquit) in domum tuam, & narra omnia, quæ facta sunt tibi a Deo, quasi diceret, rem gratiorem mihi facies, si prædices tuis miraculum, quod tecum gestum est, in fidemque nominis mei adducas eos; opera enim mira, quæ ego facio, in hoc tendunt, ut mundus agnoscat me verum Dei filium, ac Saluatorem hominum, quorum salus, ac vita æterna in eo posita est: tui nolunt me recipere, rogant, ut recedam, mane ergo tu quasi Apostolus meus, annuncia opera mea, ut sic me agnoscant, ac credant in me. Tacite timorem hominis expellit, securumque facit, non amplius a daemonebus vexandum; seque etiam Deum esse ostendit; si enim ille iubetur annunciare, quæ illi fecit Deus, ac Christus est, qui talia fecit, igitur Christus est Deus, quod & homo ille intelligens prædicabat, quanta illi fecisset Iesus, ut infra dicitur.

ANNOTATIO LXXVIII.

Marcus sic habet: Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & miseris sit tui. Euthymius in præfati, notat non esse dictum: Quanta tibi fecerim, sed, Quanta tibi fecerit Deus, ut Patri miraculum adscriberet, doceretque nos, ut egregia virtutum opera Deo tribuamus. Ego potius existimo sic dictum esse, ut se Deum esse insinueret; in diuinitatis enim suæ ostensionem miracula faciebat, ut scilicet crederetur Deus. Chrysost. hom. 29. in Matth. recte notat Christi clementiam: nam cum illi abigerent eum, non repugnauit, & reliquit Doctores subulcos, seu pastores gregis; reliquit etiam metum ipsum recentem, ac vigentem: nam magnitudo damni, & porcorum iactura, signi famam augebant, & res, quæ acciderat, animum ipsorum perculit, & vndiq; miraculi nouitas prædicabatur, & ab iis qui liberati erant a daemonebus, & a porcorum dominis, & a gregis pastoribus. Hæc ille. Ambrosius in præfati duas profert causas, ob quas Christus non admiserit secum hominem hunc, scilicet ob euitandam iactantiam, & ut ille infideli-

bus prædicaret Christum. Quarum posterior legitima est, & Euangelio accommodata. prior est minus probabilis. Spiritualem autem doctrinam egregiam ex hoc loco colligit Greg. lib. 6. moral. cap. 17. probans prius actiue vitæ opera exercenda, quam contemplationi vacandum. Hinc (inquit) est, quod is, quem legio daemonebus Domino iubente dereliquit, ad Saluatoris sui pedes residet. Verba Doctrinæ percipit, & de regione sua simul discedere cum salutis auctore concupiscit; sed tamen & ipsa, quæ salutem contulit, veritas dicit: Reuertere primum in domum tuam, & narra, quanta fecerit tibi Deus. Cum enim quilibet parum de diuina cognitione percipimus, redire ad humana iam nolumus, & proximorum necessitatibus onerari recusamus, quietem contemplationis quærimus, nihilque aliud, nisi hoc, quod sine labore reficit animum, amamus, sed sanatos nos veritas ad domum mittit, narrare, quæ nobiscum acta sunt, præcipit, ut videlicet mens prius desudet in opere, & postmodum refici debeat per contemplationem. Hæc ille.

Et abiit per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.

COMMENTARIA.

Gratus homo obediuit benefactori, & per vniuersam ciuitatem prædicauit infigne opus a Christo cum eo factum. Si Christus præcepit homini, ut annunciarer, quanta illi fecerit Deus, ille vero prædicauit, quanta ei fecerit Iesus, consequitur Iesum Deum esse.

ANNOTATIO LXXXIII.

Marcus sic habet: Abiit, & cepit prædicare in Decapoli, quanta fecisset sibi Iesus, & omnes mirabantur. Illa regio tota, in qua erat terra Gerasenorum, dicebatur Decapoli, insinuatque Marcus, non in ciuitate sola sua hominem illum prædicasse Christi nomen, & miraculum, sed etiam per regionem illam, nec sine fructu: nam qui audiebant, in admirationem redigebat; non enim factum negari pote-

rat: nam homo ille notissimus erat ex tã diturna, & sã daemonebus agitatione, ac vexatione, ut supra dictum est. Totam hanc historiam Augustinus lib. 2. quæst. Euang. cap. 13. spiritualiter interpretatur. multa etiam ad mores, & ad significationem spectantia, considerant Chrysost. hom. 29 in Matt. Hilar. can. 8, & Ambros. in præfati, quæ, qui volet, in eis leget.

Factum est autem, cum redisset Iesus, excepit illum turba; erant enim omnes expectantes eum.

COMMENTARIA.

Interim dum hæc geruntur, turba, quæ erat in Galilæa ad alteram partem maris, à qua Christus transfretauerat in regionem Gerasenorum. expectabat eum, sciens cito rediturum. cum ergo redisset, lætanter ab illa exceptus est; erat enim multum de ea bene meritus, nouaque ab illo beneficia sperabat.

Et ecce venit vir cui nomen Iairus.

COMMENTARIA.

Describit Lucas duo miracula, quæ Christus fecit, postquam rediit a Gerasenis, non quidem eodem die, sed aliquot post; prius enim aliqua alia gessit, quæ Matthæus, immo Marcus, & Lucas aliis in locis ordine non seruato rerulerent. Particula (ecce) qualitatem hominis accedentis indicat; erat enim ex præcipuis Iudæorum, ut statim Euangelista significat, nomenque notat, quia erat homo tunc temporis valde notus, quod ad miraculi probationem magis facit.

ANNOTATIO LXXXV.

Series & ordo Euangelistarum in hac historia narrata

Quamuis Marcus, & Lucas hoc miraculum narrent coniunctum transfretationi ex Gerasenis, tamen non sic intelligendum est, quasi immediate post reditum illum sit factum: nam prius gesta sunt paralytici curatio, Matthæi vocatio, disputatio de ieiunio Discipulorum, post quæ iuxta mare effectum est, quod nunc Marcus, & Lucas scribunt. Matthæus autem ordinem, ac seriem gestorum obseruans illa tria prius retulit, ut auctor est Augustinus lib. 2. de consen. Euangelist. cap. 25. 26. 27. 28. Marcus vero & Lucas illa quidem tria etiam descriperunt, ordine tamen non seruato. Marcus cap. 2. Lucas vero cap. 5. Vterque autem nomen hominis expressit. Matthæus

autem prætermisit. Esse autem eundem hominem, qui nunc Iairus dicitur, cum eo, qui a Marco, & Matthæo cap. 9. narratur, communis Doctorem sententia, & rei series probant. quidam autem recentior suspecti nominis absque fundamento distinguit eum, cuius Matthæus, ab illo, cuius Marcus, & Lucas meminere. Victor Antiochenus Marc. 5. inquit, Patris puellæ nomen propter Iudæos editur, qui quod acciderat, compertum habebant, quo nimirum nomen ipsum miraculo, quod factum fuerat, suo postea tempore testimonium perhibeat. Hæc ille, quod in commentario notauimus.

Et ipse princeps Synagoga erat.

COMMENTARIA.

Conditio hominis notatur, licet vnum esset tantum templum, in quo sacrificare licebat, idque esset in Hierusalem; tamen per totam terram promissionis erant varia loca, in qua Iudæi orandi, sacramque Scripturam interpretandi causa conueiebant, quæ Synagogæ appellabantur: præsidebant autem singulis Synagogis quidam, qui Principes dicebantur, quorum hic erat vnus. notatur autem ab Euangelistis conditio personæ, ut significant, ex peritis, ac primatibus aliquot Christum fuisse confessos, & non solos homines de plebe.

ANNOTATIO LXXXVI.

Matthæus: Ecce, inquit, Princeps vnus accessit. Marcus autem habet: Et venit vnus de Archisynagogis nomine Iairus. Aduerte autem Matthæum rerum gestarum ordinem seruantem notasse tempus. Hæc, inquit, eo loquente, nimirum de ieiunio Discipulorum post vocationem Matthæi facta; Ecce vnus

princeps accessit. quod argumento est, hoc miraculum de filia Archisynagogi non esse immediate gestum post transfretationem, ut diximus in annotatione præcedenti, sed illa tria ibi narrata intercessisse distinctis diebus ab eo, in quo hoc gestum est.

Et cecidit ad pedes Iesu, rogans eum.

COMMENTARIA.

Venerabatur eum, cuius opera, ac virtute, non qualicumque, sed diuina indigebat, ac veneratione, simul & rogatu impetrare, quæ petebat, sperabat. Prostratio ad Christi pedes diuinam virtutem Christi significabat, quam ille intus corde credebat; opus enim, quod rogabat, diuina sola virtute fieri poterat.

Liberatum a legione daemone, cur secum ire Christus non permisit.

ANNOTATIO LXXXVII.

Matthæus non expressit modum venerationis, sed tantum adorabat eum. Marcus vero indicauit, Procudit (inquit) ad pedes eius. Hoc idem habet Lucas. Precum non meminit Matthæus, sed Marcus, & Lucas. at vero Marcus magis explicuit. Deprecabatur (inquit) eum multum. Quamuis autem iste Archisynagogus diuinam in Christo virtutem cō-

cessus sit, non tamen Deum esse credebatur, vt ex eius petitione constat. vnde hæc ad pedes prostratio non est argumentū, illum credidisse Christum esse Deum: nam solebat etiam fieri cum hominibus, nempe cum Regibus, Prophetis, & aliis præcipuis. sic etiam nunc Iairus procudit ad pedes Iesu, quasi magni cuiusdam Prophetæ, & diuinam habentis virtutem.

Vt intraret in domum eius.

COMMENTARIA.

Ecce quid rogat, vt in domum eius intret, & sanet filiam. Si vir iste Christum Deum credidisset, non rogasset ingressum in domum, ac manuum impositionem ad sanandam filiam: nemo enim dubitare poterat Deum etiam sine his circumstantijs potuisse sanitatem, ac vitam conferre.

ANNOTATIO LXXXVIII.

Matthæus, & Marcus narrant non petijisse tantum, vt veniret Christus, sed etiam, vt imponeret manum suam super filiam eius, vt salua esset, quod magis indicat paruam fidē Archisynagogi nondum credentis esse Deum; si enim Deus creditus fuisset ab illo, vtique talia adminicula ad sanitatem conferendam non petijisset, cum sola voluntate sanare potuisset. Recte ergo Chrysostronus hom. 32.

in Matth. Vide (inquit) rudita em Archisynagogi, duo postulat, & quod Christus veniat, & quod manus super puellam imponat. Victor etiam Antiochenus Mar. 5. Ecce (inquit) Princeps Synagogæ non tam fide ad demerendam medici gratiam instructus, quam lethali filix morbo compulsus, præsidij causa ad Iesum venit.

Quia unica filia erat ei fere annorum duodecim; & hæc moriebatur.

COMMENTARIA.

Exponit Euangelista causam, cur Archisynagogus peteret, vt in domum eius Christus intraret, quia (inquit) vnicam filiam habebat ætatis annorum fere duodecim, quæ erat in extremis, seu animam agebat, rogabat autem Christum, vt veniens eam sanaret.

ANNOTATIO LXXXIX.

Matthæus verba ipsius Archisynagogi rogantis refert. Filia (inquit) mea modo defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam, & viuet. Marcus etiam verba eius narrat: Filia (inquit) mea in extremis est, veni, impone manum tuam super eam, vt salua sit, & viuat. Lucas eadem cum Marco dicit, hoc excepto, quod non inducit Archisynagogum loquentem, sed quæ ille dixit, ipse historiam texens narrat. Solus Lucas meminit ætatis, erat (inquit) fere annorum duodecim. Occurrit autem difficultas, & dubitatio non parua, quomodo Matthæus scribat, Archisynagogum dixisse, filia mea modo defuncta est: Marcus autem, & Lucas in extremis est, cum hæc contraria videantur; si enim in extremis erat, adhuc viuebat, non igitur mortua erat. Varij sunt modi huius soluendæ difficultatis. Primo quidem loco Chrysostr. hom. 32. in Matth. quod etiam refert Euthymius Matth. 9. affirmat, quando Archisynagogus domo egressus est, filiam nondum mortuam esse, quia suspicabatur mortuam esse, aut quia dolorem suum amplificabat: solent enim, qui rogant, suas ærumnas amplificare. At vero hæc solutio non tollit difficultatem: nam si dixit filiam mortuam esse, quomodo conuenire potest cum Marco referente illum dixisse, filiam in extremis esse? Secundo loco Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 28. & Beda in præfenti asserit Archisynagogum dixisse, filiam suam in extremis esse, quod Marcus, & Lucas referunt: at mente existimasse mortuam esse, & hoc dicit Matthæus. At nec hæc solutio tollit difficultatem: nam Matthæus affirmat illum dixisse filiam mortuam, & non tantum credidisse. Tertio loco Victor

Antiochenus Mar. 5. respondet Matthæum breuitati studuisse, & quia vere filia mortua erat, idcirco mortuam affirmavit, per hoc significans etiam in extremis fuisse. Hæc vero solutio nihil diminuit de difficultate: nam Matthæus narrat Archisynagogum dixisse, mortuam esse filiam; Marcus vero, & Lucas referunt dixisse esse in extremis. non ergo Euangelistæ à se dicunt hæc, sed referunt tanquam dicta ab Archisynagogo. Quanto loco quidam recentiores dicunt Matthæum incepisse à tempore, quando nunciij venerunt ad Archisynagogum: tunc autem puella mortua erat. Hæc vero solutio nonnullam habet probabilitatem, nam omnes tres Euangelistæ loquuntur de tempore, quando primo Archisynagogus accessit rogans Iesum. Quinto loco Euthym. Matth. 9. asserit vtrumque dixisse, nempe filiam in extremis & mortuam esse, sicque nullam esse discordiam inter Euangelistas, sed vnum à Matthæo, alterum à Marco, & Luca relatum: vtrumque autem esse verum. Atque hæc sententia mihi omnium accommodatissima videtur. Existimo enim sic se rem totam habuisse. puella in extremis erat, quando Archisynagogus domo sua egressus est ad Christum; quando autem accessit, quia facile fieri poterat, vt iam tunc mortua esset, vt veritatem Christo proponeret, dixit, filia mea in extremis est, aut modo est mortua. Adiecit illud (modo) indicans tempus, quando loquebatur cum Domino; Veni (inquit) & impone manum tuam, & salua erit, & viuet. Matthæus ergo, Marcus, & Lucas simul totam rem narrarunt, ita tamen, vt vnus vnam partem, alij alteram retulerint, nulla tamen in his sit dissonantia, aut contrarietas.

ANNO.

Et contigit dum iret, à turbis comprimebatur.

COMMENTARIA.

Annoit Christus precibus Archisynagogi, ibatque cum illo in domum eius ad sanandam puellam, Matthæus addit cum eo etiam Discipulos iuisse. Marcus adiicit etiam multam turbam secutam esse. Dum autem iret, præ multitudine à turba eunte cum illo comprimebatur, seu coarctabatur. Euangelista huius compressionis meminit, quia eius occasione mulier, cuius sequens historia textitur, accessisse retro latenterq. tangere Christum ausa est. Sequebantur autem multi Christum, tum doctrinæ audiendæ desiderio, tum voluntate recipiendi sanitatem, tum etiam cupiditate videndi mirabilia, quæ operabatur. Plurimos autem nunc conuenisse probabile est, accessu Archisynagogi moti, quem sciebant filix sanitatem impetrare velle. Verbum, contigit, non habetur Græce, sed sic (inter eundem turbæ comprimebant eum.)

Et mulier quadam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari.

COMMENTARIA.

Describit Euangelista qualitatem personæ, vt manifestet miraculum, quod Christus fecit in via, dum ad filiam Archisynagogi sanandam iret. Notatur ergo primo sexus: Erat (inquit) mulier quædam, vt similitudo vtriusque miraculi significetur: Christus enim sanaturus feminam, prius alteram feminam sanauit, qua re mysterium indicatur. Secundo notatur grauitas morbi, fluxum enim sanguinis patiebatur, quo miraculum magis commendatur. Notatur tertio diurnitas, & antiquitas morbi, erat enim ab annis duodecim, quo quidem magnitudo miraculi comprobatur. Notatur quarto difficultas sanationis, à nullo namque medico sanari potuit, licet medicamentis omnibus adhibitis: mulier enim hæc totam substantiam erogauerat in his adhibendis. Marcus addit multa fuisse perpeffam à compluribus medicis, illamque non solum non esse sanatam, sed etiam deterius se habuisse. Quæ omnia ostendunt tanto insignius esse miraculum; tantoque magis virtus diuina agnoscitur, quanto minus naturalis virtus subuenire valuit; eoque opportunius, quo facultates mulieris magis erant exhaustæ; nihil enim iam erogandum supererat. Hic erat status mulieris, quæ Domino accessisse describitur.

Accessit retro.

COMMENTARIA.

Non ausa est palam Christo accedere, sed latenter, & retrò, quia secundum legem immundam se esse sciebat, timebatque se à Christo repelleretur. Nondum enim perfecte de Christo sentiebat, quem se latere posse existimabat: agnoscebat quidem Christi virtutem, quem, quod medicorum nemo præstare medicamentis pluribus adhibitis poterat, vel vestimenti tactu posse efficere credebatur, eaque fides laudem habuit à Christo, tamen nondum eo perfectionis peruenerat, vt nihil eum ignorare, nullaque legis immunditia affici posse intelligeret, idcirco retrò accessit.

ANNOTATIO XC.

Marcus refert mulierem hanc prius audisse de Christo; Cum audisset (inquit) de IESU, id est, cum miranda opera Christi in sanitatibus conferendis, morbisque depellendis ad eius aures peruenissent, concepit fidem, ac spem recipiendi ab eo sanitatem, quam multitudine medicorum longo tempore præstare non potuerat, ideoque accessit. Addit etiam Marcus illam venisse in turba, quasi vellet multitudine turbæ se occultare, ac latere; arbitratur enim Christum à multis compressum non discreturum eius tactum, & accessum, quod, vt diximus in commentario, imperfectæ fuit fidei, idque Chrysostr. hom. 32. in Matthæum notauit, dicens:

Nondum ipsa recte de Christo sentiebat, ac ideo arbitrata est facile ipsum posse celare. Affirmat etiam ibidem Chrysostr. causam, cur latere voluit, fuisse erubescens, ob immunditiam legis, quia immundam se agnoscebat; quod quidem quantum ad immunditiam verum est; costat enim id ex Leui. 15. eamque similiter causam fuisse puto, & Chrysostr. mo consentio: tamen mihi videtur non ex sola erubescens, sed simul ex quadam diffidentia factum, dubitabat enim ne Christus eam tamquam immundam refutaret, nec accedere passus esset: omnes enim tactum immundi abhorrebant.

M m E t

Archisynagogus Christum Deum esse non credebatur, quia in ipso diuinam virtutem lateretur.

Concordia Euangelistarum

Et tetigit simbriam vestimenti eius.

COMMENTARIA.

Magna fides mulieris in hoc fuit, quod credebat, si vel extremitatem vestimenti Christi tangeret, sanitatem statim se recepturam, cur autem simbriam vestimenti tetigerit, in Annotatione require.

ANNOTATIO XCI.

Quid sit simbria, & cur tetigerit simbriam sola vestimenti Christi mulier fluxum patiens. Fimbriae erant vittae quaedam hyacinthini coloris, quas Deus praecepit vestimentorum angulis tam a parte anteriori, quam a posteriori apponi in memoriam madorum Domini, ut legimus Num. 15. quo exteriori signo Iudaei agnoscebantur, a caeterisque nationibus distinguebantur. cur autem mulier haec non Christum, aut vestimentum eius tetigerit, sed simbriam solam, non immerito quispiam inquireret. Existimo autem quatuor causas huius rei esse posse. Vna est cultus Dei, nam, ut ex loco citato constat, simbriae erant instituta a Deo, & quasi quaedam signa religionis; qui enim eis utebantur, profitebantur se esse Iudaeos, & vnius Dei religionem amplecti. Mulier ergo ista adhuc imperfecta in fide arbitrata est per hanc partem quasi sacram se posse virtutem Christi magis participare. Altera causa est reverentia, mihi enim probabile visum est illo tunc temporis, quando aliquis inter eos insignis sanctitate credebatur, caeteros solitos simbrias vestimenti eius tangere, quod deducitur ex loco Zachar. 8. vbi dicitur; Apprehendent simbria viri Iudaei, quam ob causam Matth. 14. multi rogabant Christum, ut vel simbriam vestimenti eius tangerent. Tertia causa potuit esse humilitas; indignam enim se iudicans, quae

vestimentum tangeret, ad extremitatem vestimenti manum porrexit. simile quodammodo illud esse videtur, quod Ioannes, ut humilitatem praefere- ret, protulit; Non sum dignus, ut corrigiam calceamenti eius solvam. Quarta causa, quae accom- modatior videtur, ea fuit, ut minus sentiretur eius tactus a Christo: cum enim latenter accedere vel- let, eam tetigit partem, cuius tactus percipi non posset, qualis est simbria, quae non tam pars vesti- menti quam assuta, & adiecta vestimento, est. fuit autem id ex divina providentia dispositum, ut tanto magis Christi diuinitas ostenderetur, quanto tactum minus sensibus perceptibilem, etiam comprimen- tibus turbis, distinctius percipit. Vt cumque sit, ta- ctus mulieris laudandus est, praefereendusque com- pressionibus turbae, nam quem turbae minus res- terenter comprimebant, eius simbria vestimenti fide- lis, ac deuota mulier tetigit. Quod Victor Antioche. Mar. 5. perpendens sic inquit: Christum redemptorem spiritualiter tangunt, qui in illum credunt: caeteri vero, qui in illum fide non habent, eum verius comprimunt, & affligunt, quam tangunt. Qui autem Christum vere tangit, is illum ad clementiam, & misericordiam alli- cit. De qua re vide August. ser. 6. de Verb. Dom.

Et confestim stetit fluxus sanguinis eius.

COMMENTARIA.

Ecce effectus diuinæ virtutis Christi; sine mora enim temporis, subito ac tetigit, fluxus sanguinis cessauit, & sanata est mulier. Quodque duodecim annorum spatio plurima medicamenta, ac sedula multorum medicorum opera efficere non po- tuit, momento temporis simbriae vestimentorum Christi tactus operatus est.

ANNOTATIO XCII.

Tactu simbriae Christi mira- bilis effectus secutus. Marcus effectum tactus huius magis explicuit, nam non solum confestim sanata est mulier, sed etiam ipsa agnouit, ac sensit ipsa corporis dispo- sitione sanata se esse a plaga, sic enim (inquit): Con- festim siccatum est fons sanguinis eius, & sensit cor- pore, quia sanata esset a plaga, id est, a flagello, infir- mitates enim corporis flagella dicuntur, quia saepe per eas a Deo corripimur. Matthaeus autem dicit: Et salua facta est mulier ex illa hora. Quae verba quam- uis dicta sint a Matthaeo post verba Christi, scilicet, fides tua te saluam fecit, intelligenda tamen sic sunt, ut mulier sanitatem receperit simulac tetigit, & pri- usquam Christus quidquam ei loqueretur; sunt enim verba de praeterito, & referenda ad tempus, quando tetigit, quod manifeste eo probatur: nam Christus priusquam mulier manifestaretur, dixit; Noui a me virtutem exisse, quasi quando tetigit, illa sanitatem recepisset. quod Athanasius orat. 5. contra Arian. sensit: Mulier (inquit) quae sanguinis fluxum patie- batur, solo tactu sanata fuit. Vnum est hic notan- dum, Lucam nempe praetermississe verba, quae mu- lier apud se protulit, priusquam tangeret, quae a Matthaeo, & Marco referuntur, sunt autem haec: Di-

cebat, quia si vestimentum eius tetigero, salua ero. Matthaeus autem addit particulam exclusiuam: si tetigero (inquit) tantum vestimentum, salua ero. Quasi diceret, prodere me non audeo, quia im- munda sum; vnde ei non possunt accedere palam, & sanitatem ab illo petere, ac precibus impetrare, mihi tamen persuadeo, tanta virtutis Christum esse, quod si latenter tetigero vel solu vestimentum eius, sanabor, & incolumis ero. Hoc, quod intra se dixit mulier, opere compleuit, nam tetigit, nec fides eam sefellit, nec spes confudit, nam confestim sanata est. In eo autem, quod dicit, si tetigero vestimentum, postea autem simbriam tetigit, nulla est contrarietas, nam vestimentum tangit, qui quilibet eius partem tan- git. Quod autem ad mores spectat, recte Chryso- hom. 51. in Matth. inquit: Tangamus, & nos simbria vestimenti eius, immo vero totum ipsum, immo vero si volumus, non vestis solu, sed corpus ipsius nobis pro- positum est, ut non tangamus solummodo, sed comedamus & saturemur. Edamus igitur Christum singuli egro- tantes cum fide, nam si qui simbria vestimenti eius tunc te- tigerunt, recte omnes conuauerunt; quanto magis cor- roborabimur, si totum in nobis habebimus: Haec ille.

Et ait Iesus: quis est, qui me tetigit?

COMMENTARIA.

Non ignorans interrogat; qui enim tam multis comprimentibus leuissimum vestimenti tactum perceperat, utique se non ignorare, a quo tactus esset, indi- cabat. Interrogat autem, ut quae tetigerat, mulierem ore eius proprio manifestet, ipsa- que

quemet miraculum confiteatur, adstantibusque firmiter fiat rei gestae testimonium, non in ostentationem, & iactantiam suam, sed ut qui id nouerint, credant, fidemque ipsius concipiant, in qua omnium salus posita erat.

ANNOTATIO XCIII.

Concordia in- ter Euangeli- stas circa pro- ximam inten- tionem.

Marcus habet: Et statim Iesus in semetipso co- gnoscens virtutem, quae exierat de illo, con- uersus ad turbam aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? Quod videri posset contrarium Lucae dicenti, quis est, qui me tetigit? At non esse contrarium, sed ad eandem pertinere sententiam tradit August. lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 28. vbi docet Marcum secutum esse modum loquendi proprium; vestimen- tum enim proprie fuit, quod tactum est; Lucam vero amplexum esse modum visitatum; qui enim tangit vestimentum, quo alter vestitus est, dicitur ipsum tangere. Hanc sententiam Augustini possu- mus confirmare verbis eiusdem Marci: nam cum retu- lisset Christum dixisse, quis tetigit vestimenta mea? consequenter narrat Apostolos dicentes: Vides tur- bam comprimentem te? & tu dicis: Quis me tetigit? quasi Marcus pro eodem reputauit dicere, quis teti- git vestimenta mea? & : Quis me tetigit? At vero non omnino quiescit animus in hac responsione: nam cum Euangelistae referant verba a Christo pro- lata, oportebat eum modum loquendi referre, quae tenuit Christus, siue proprium, siue visitatum. Idcirco existimo aliter dicendum, nempe Christum vtrumque dixisse: tum ut sic magis significaret suam scientiam, quam de tactu occulto habebat: tum ut efficacius induceret mulierem ad sui manifestatio- nem, si igitur conferamus, quae dicit Marcus, cum relatis a Luca, sic res se habuit: Cum mulier teti- git, confestim sanata est: Christus autem cognoscens virtutem a se exisse, dixit: Quis tetigit vestimenta mea? & conuersus versus mulierem, & circum- spiciens turbam iterum dixit: Quis me tetigit? tunc negantibus omnibus, Petrus, & Discipuli dixerunt: turbae te comprimunt, & tu dicis: Quis me teti-

git? Christus autem non iam interrogans, sed affir- mans, respondit: Aliquis me tetigit: nam ego sen- si virtutem a me exisse. Quod mulier videns ac tre- mens, sciens quod factum esset in se, venit, & pro- cessit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Hic mihi videtur contextus, ac series, in qua omnia consonant.

Quod autem ad rem ipsam attinet, August. lib. co- tra mendacium, ad Consentium cap. 13. docet Chri- stum in hac interrogatione visum esse nescire, quod tamen vere sciebat, nec per hoc in eius verbo fuisse mendacium, quia significatio, ob quam haec inter- rogatio facta est, debet attendi. Mulier enim ista sanguinis fluxum patiens, significabat populum Gen- tium infidelium, quem Christus quodammodo nesciebat, intellige de scientia approbationis, iuxta illud Matth. 25. Nescio vos, idcirco igitur non erat mendacium in hac interrogatione. sic sentit Augu- stinus. At mihi videtur non esse confugiendum ad huiusmodi significaciones ad euitandum menda- cium in hac interrogatione: si enim Christus dixisset, nescio, quis me tetigit, tunc utique oporteret recurrere ad tales sensus ad vitandum mendacium. at non hoc dixit, sed interrogauit, quis me tetigit? in interrogatione autem non est verum, nec falsum, sed in eo quod supponit, nempe aliquem tetigisse, & hoc verum est; quod autem visus sit ignorasse, hoc non ex virtute verborum procedit, nec ex intentione Christi, sed ex aliorum opinione, nec id semper: nam solent etiam interrogationes fieri ad manife- stationem, & ad confessionem aliorum extorquen- dam, uti hoc in loco factum est, sicut & Gen 3. & 4. Adam vbi es? Et: Vbi est Abel frater tuus?

Quomodo Christus in- terrogans, Quis me teti- git? visus sit nescire, quod sciebat, & nul- lum in eius verbo fuerit mendacium.

Negantibus autem omnibus dixit Petrus, & qui cum illo erant.

COMMENTARIA.

Negabant singuli eorum, qui Christo proximi erant, se tetigisse Christum; Petrus vero cum caeteris Discipulis non solum negant, sed quodammodo reprehendunt Christi interrogationem, ut sequentibus verbis apparet.

ANNOTATIO XCIII.

Hi, qui dicuntur fuisse cum Christo, quique se- quentem sententiam protulere, Discipuli eius sunt, ut constat ex Marco; ait enim: Et dicebant ei Discipuli sui. Lucas vero inquit: Petrus, & qui cum illo erant, nempe caeteri Discipuli. Inquireret autem quispiam, cur Lucas Petrum a caeteris separauit, di-

cens: Petrus, & qui erant cum illo, existimo id sic dictum esse ad significandum Petrum locutum esse caeteris consentientibus: non autem loquentibus, siue proferentibus verba sequentia; aut forsitan, quia ille incepit, quem caeteri sequentes, eadem verba pro- tulere.

Præceptor turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?

COMMENTARIA.

Discipuli non intelligentes verbum Christi, sed existimantes eum de simplici ta- ctu loqui, quo omnis, qui comprimit, tangit; respondent, interrogationem quasi reprehendentes: Præceptor, non est, quod de vno aliquo interroges; vides enim te a turbis comprimi, & affligi, id est, coarctari, hi sunt, qui te tangunt. quid interrogas de vno, quasi ignarus de tangente, cum multi aperte te non solum tangant, sed quod magis est, constringant, & coarctent? Discipuli adhuc imperfe- cti verbum Christi non penetrant, idcirco eius interrogationem quasi repellere audent.

ANNOTATIO XCV.

Tactus triplex & de quo lo- quitur Chri- stus dicens: Quis me teti- git?

Victor Antioch. Mar. 5. & Euthym. Luc. 8. notant Christum de eo tactu locutum esse, qui procedebat ex fide, & animo, quo mulier illa sola tetigit, non autem turbæ comprimentes, & coarctantes: quod etiam August. confirmat serm. de tempore, idque verum

est; tamen etiam si non esset ex fide, adhuc erat dis- tinctio, quam etiam turbæ cognouerunt: nam si hi, qui comprimebant Christum, negabant se tetigisse: igitur distinctum intelligebat tactum a compres- sione. mirum autem est turbas Christi interrogationi

non contradixisse, immo agnouisse distinctione tactus, & compressionis, Discipulos autem id non adnerisse. Distinctio igitur est, est enim tactus physicus, & naturalis, qui est communis omnibus corporibus: nam & lapides coniuncti se mutuo tangunt, & hoc tactu comprimentes tangebant, nec de hoc tactu loquebatur Christus, est alter tactus, qui est in sensatione, & cognitione, & hic proprius est animalibus, & cognitionem habentibus, & isto non omne quod comprimitur tangitur, nec omne quod comprimit, tangit. hic autem tactus aliquando fit casu, & praeter intentionem, quo fieri potuit, ut qui comprimebant Christum, etiam tangerent, manibus etiam contingentes Christi vestimenta, sed non animo tangendi:

aliquando autem fit ex intentione, ut qui eo accedit animo ut tangat, & de hoc tactu Christus loquebatur dicens, quis me tetigit? id est accessit eo animo, ut me tangeret, & de hoc turbae se excusarunt, quia comprimebant quidem, non eo animo, ut tangerent, sed quasi casu, & praeter intentionem; quia praeter multitudinem impellebantur, & Christum coardabant, sola mulier illa sic tetigit, Christum non comprimens, sed manum extendens intentione tangendi, quod quidem vere procedebat ex fide, quam conceperat, per tactum se receptura sanitatem a Christo, & mirum hoc fuit, quod Christus inter tot comprimentes agnosceret, & discerneret tangentem sine compressione vlla.

Et dixit Iesus: tetigit me aliquis.

COMMENTARIA.

NE mulier illa verbis Discipulorum interrogationem Christi quasi repellentibus, latere se posse existimaret, adhuc Christus perseverat, & non iam interrogando, sed affirmando, aliquis, inquit, me tetigit, quasi diceret, scio me a turbis comprimi, & affligi, sed aliquis alius modo quodam particulari me tetigit, & accessit, ut me tangeret.

Nam ego noui uirtutem de me exisse.

COMMENTARIA.

CAusam exponit, cur affirmauerit, & verum esset, se ab aliquo tactum esse, ea autem est, quia noui (inquit) uirtutem, quae in me est, de me exisse, id est, operatam esse in aliquo sanitatem; non autem exisset, & operata esset, nisi quispiam me tetigisset, igitur aliquis me tetigit. Virtus Christi exisse dicitur, non quod de subiecto in subiectum transmigrauerit, sed quod effectum in alio extra se habuerit: sicut quando ignis comburit lignum, dicitur eius uirtus exisse ad comburendum. Erat quidem uirtus sanandi omnes morbos, sed haec non operabatur quidquam, nisi ipso sciente, & uolente, idcirco dicit, Ego noui de me uirtutem exisse. quibus uerbis efficaciter inducit mulierem ad manifestationem ueritatis, quasi Christus nouerit non solum se ab ea tactum, sed etiam ipsam sanitatem per tactum recepisse: illi etiam errorem eius ostendit, putabat enim ipsa a Christo sanitatem posse recipere illo nesciente, ad modum eorum, qui uirtutibus herbarum, aliorumque similibus curantur, in quo errabat illa mulier.

ANNOTATIO XCVI.

Attende non esse dictum (uirtus de me exijt) sed noui de me uirtutem exisse, ut distinctius significaret, mulierem non accepisse sanitatem ipso ignorante, sed omnino tunc etiam sciente, quando illa tetigit, & sanata est. Ita enim sententia praecedentis est probatio, ac confirmatio, & uelut argumentum. Possumus autem in triplicem formam hanc probationem reducere, primo sic. Virtus de me exiuit: igitur aliquis me tetigit. Secundo. noui uirtutem de me exisse, ergo cognosco, & scio me ab aliquo esse tactum, seu, quod aliquis me tetigit. Tertio noui uirtutem de me exisse, igitur aliquis me tetigit, licet haec argumenta, & deductiones diuersa sint in uerbis, tamen re eadem sunt, & unum includitur in alio. Christus uero tertia forma usus est: Aliquis inquit me tetigit, quia noui uirtutem de me exisse, quasi diceret: noui uirtutem de me exisse, igitur aliquis me tetigit. Particula autem illa, nam, quae causalis est, non indicat causam rei, non enim uirtutem exisse de Christo causa est, quod aliquis eum tetigerit, immo potius tactus est quasi causa, quod uirtus exierit: sed particula illa indicat probationem, & causam consecutionis, ut Dialectici appellant, sicut cum dicimus, quia fumus est, ignis est, id est, fumus causa est, quod qui loquitur affirmauerit, & deduxerit ignem esse in illo loco.

me exijt, seu noui de me uirtutem exisse, igitur aliquis me tetigit; nonne uirtus Christi potuit sanare absentes? Nonne sanauit puerum Centurionis, filium Reguli, qui longe aberant? Nonne multis alijs absque tactu contulit sanitatem? Si igitur non erat necessarius tactus, non uideretur argumentum hoc efficax, uirtus exiuit, ergo aliquis me tetigit. Haec difficultas pendet ex intelligentia recta illius, nepe, quid sit uirtutem de Christo exisse; hac enim phrasidē Lucas superius cap. 6. usus est dicens: uirtus de illo exibat, & sanabat omnes, cuius perfectam declarationem in hunc distulimus locum. Aduerte ergo Christi carnem propter diuinitatem sibi unitam, & diuinam subsistentiam sibi coniunctam habuisse uirtutem sanandi omnes morbos, & infirmitates eorum, qui eam tangebant, multo magis quam multae herbae, ac lapides ceteraque res naturales, quibus uirtus est ad depellendas quaedam infirmitates, si enim haec per insitam uirtutem creatam talia operantur; & si quaedam homines propter quandam eminentem complexionem tactu manuum aliquot morbos depellunt, quanto magis illa caro diuinitati unita, & diuina subsistentia subsistens plura poterat? Habuit igitur Christi caro miram, & magnam uirtutem sanandi quemcumque morbum, eam tamen non exercebat ad modum rerum naturalium necessario, sed pro uoluntate Christi ipsius. Ad ostensionem huius ueritatis saepe Christus sanitatem conferebat

me exiuit ergo aliquis me tetigit. Et quid sit uirtutem de Christo exisse.

Superior sententia latius exponitur.

Quantum ualeat haec illatio, uirtus de

bat tangendo, Luc. 4. Omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum, at ille singulis manus imponens curabat eos. Hac etiam de causa procurabant multi uerimenta eius tangere, & per tactum hunc mediatum carnis etiam sanabantur. Matth. 14. Obtulerunt omnes ei male habentes, & rogabant eum, ut vel simbriam uerimenti eius tangerent, & quicumque tetigerunt, salui facti sunt. Luc. 6. Omnis turba quarebat eum tangere, quia uirtus de illo exibat, & sanabat omnes. Non autem semper Christus sic faciebat miracula, sed uoluntate sua sola, & imperio, aut uerbo, praecipiendo sine uillo carnis tactu, ut ex historia Euangelica manifestum est. Dicitur igitur uirtus de illo exire, quando tactu carnis eius siue mediato siue immediato sanitas conferebatur, ad modum herbarum, & lapidum, quae tactu sanant, & morbos aliquos expellunt, per quandam metaphoram, non quod uirtus eorum defluat, sed quod ad

operationem exteriorem se extendat; in Christo autem hoc peculiare erat, quod non operabatur uirtus haec, nisi ipso sciente, & uolente. Quando uero non sic miracula faciebat, sed uoluntate, ac imperio, non est dicta uirtus eius exire. Cognouit hanc carnis uirtutem August. tracta. 24. in Ioan, affirmans in manibus Christi fuisse uirtutem multiplicandi illos quinque panes in tot millium hominum cibos; quod etiam fallus est Hilari. lib. 3. trinit. His suppositis facile est respondere, & soluere obiectam difficultatem; Virtus exiuit de me, ergo aliquis me tetigit, id est, caro mea uirtute sibi communicata operata est; sanitatem conferendo, igitur quidam eam tetigit non enim aliter sanitatem confert, nisi per tactum, ut ex Matthaeo, & Luca supra citatis constat, non quia non posset, sed quia sic dispositum est, ut eo magis uirtus carnis agnoscat, & sanitas ab eo procedere comprobetur.

Videns autem mulier, quia non latuit, tremens uenit, & prociuit ante pedes eius; & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit.

COMMENTARIA.

AGnouit mulier ex Christi uerbis se errasse in eo, quod putauerat, tactum eius, ac sanitatem receptam potuisse latere Christum, idcirco tremens accedit; timuit enim, ne erroris sui, & tactus, cum immunda fuisset, aliquam poenam ab eo pateretur. Adorat autem eum, cuius admirandam uirtutem, & scientiam plusquam humanam experta erat; aut ut ipsa adoratione placet eum, quem iratum arbitrabatur. Et coram omnibus causam manifestat, cur tetigerit Christum, nimirum ob diuturnam infirmitatem, & immedicabilem, credens tactu illo se potuisse sanari; narrat etiam, se confestim sanatam esse. Hanc manifestationem Christus praetendebat, non in sui ostentationem, qui propriam gloriam non quarebat, sed in utilitatem populorum, ut tanta agnita uirtute, crederent in eum, fideque salutem assequerentur; etiam ut fides mulieris, quae imperfecta erat, perficeretur.

ANNOTATIO XCVII.

Marcus sic habet: mulier uero timens, ac tremens, sciens, quod factum esset in se, uenit & prociuit ante eum, & dixit ei omnem ueritatem. Haec ille. Dicitur mulier timens, ac tremens: timens quidem animo; tremens autem corpore: praeter timoris enim magnitudine in animo, factus est tremor in corpore. Euthymius in praesenti exponens illa uerba (ob quam causam tetigerit) adiungit, (occulte, & clam) id est, explicuit causam, ob quam tetigerit occulte,

ac latenter. At uero non mihi uidetur aliquid addendum Euangelistae, quod sensum uerborum mutet: sed simpliciter sine additione sensus accipiendus est, nempe mulierem causam exposuisse, cur tetigerit, ea autem est ob infirmitatem eius, a qua tactu sperabat se liberandam. licet fieri possit, ut etiam exposuerit, cur latenter accesserit, cum Marcus dicat, illam dixisse, & manifestasse omnem ueritatem.

At ipse dixit ei: filia, fides tua te saluam fecit.

COMMENTARIA.

CHRISTUS timorem mulieris expellit uerbo illo, Filia, quod est nomen amoris, ac pacis: fidem etiam eius commendat, ut circumstantes ad fidem in eum attrahat. sensus est, Filia, quasi diceret, non est, quod timeas poenam, aut malum aliquod; hic enim timor feruorum non filiorum est, fides tua te saluam fecit, id est, quia credidisti tactu mei te posse sanitatem consequi, idcirco eam obtinuisti, egoque te saluam feci ob hanc tuam fidem.

ANNOTATIO XCVIII.

Matthaeus habet: Confide filia. Marcus uero, & Lucas non legunt illud Confide. Quamuis in exemplaribus Graecis Lucae legatur etiam: Confide, & quae ualuerit, & Euthymius in eius commentario interpretetur,

immo Victor Antioche. apud Marcum etiam legitur idem uerbum. Parum refert, siue legatur siue non, nam certum est ex Matthaeo a Christo esse prolatum; Euangelistae autem non omnia semper referunt.

runt, utroque ergo verbo: Confide filia, timorem feruilem mulieris timentis sibi malum aliquod, quia tangere ausa est, repulit. Cur autem Christus mulierem appellaret filiam, Euthymius adfert rationem, nempe, quia in filiam erat adoptata per fidem. Idem sentit Victor Antioche. apud Marcum, notans fidem, & animæ, & corpori sanitatem conciliaffe, quibus Hieronymus conformis est; Idcirco, inquit, filia, quia fides tua te saluam fecit. Vera sunt hæc. Existimo tamen non tam ad adoptionem spiritualem significandam, Christum hoc usum esse vocabulo, sed ad indicandum animum pacatum, & nulla indignatione contra mulierem commotum; est enim hoc vocabulum pacis; ac dilectionis indicium, sicut etiam nomen amici, iuxta illud Matthæ. 20. Amice non facio tibi

iniuriam, & 26. Amice ad quid venisti? Quod autem fidei adscribitur sanitas, non est, quod ipsa sit causa effectiua sanitatis, sed quod per, & propter ipsam, sanitatem Christus illi mulieri contulerit, sicut propter serpentis ænei aspectum sanabantur in deserto Iudæi à morsibus serpentum venenatorum. Nec fuit nuda fides mulieris, nam humiliter, deuote, & reuerenter accessit. Vide ergo quantum possit fides vera in Christum. quod enim multi Christi corpus comprimentes non obtinuerunt, tangens simbriam vestimenti consecuta est, quia hæc cum fide, illi sine ea accesserunt. Quamuis autem fides mulieris à principio imperfecta fuerit, ut supra diximus, tamen adhuc commendanda erat, & à Christo recepta est, ac palam laudata; nam reuera magna fuit.

Vade in pace.

COMMENTARIA.

Salutatio est consueta amandantium, qua etiam securitatem à morbo futuram annunciat, quasi diceret, esto secunda, amplius ab isto antiquo morbo non impugnaberis: nec erit, cur iam de sanitate quærenda amplius sollicita sis, ut ante fuisti.

ANNOTATIO XCIX.

Explicatur magis superiora verba.

Omnes tres Euangelistæ hanc referunt sententiam. Vade in pace. Marcus solus adiecit alteram, nempe, & esto sana à plaga tua, quæ quidem non sic est intelligenda, quod tunc fuerit sanata, quædo hoc prolatum est verbum, nam supra dictum est, confestim ac tetigit, fuisse sanatam, & virtute de Christo exisse. Sed significat Christus hoc verbo sanitatem collatam esse sua voluntate, & consensu, similiter permanens esse sanitatem, quasi diceret, permanebis sana, voloque hanc, quam à me nunc sanitatem accepisti, constanter perdurare, nec amplius in eâ relaberis. Priorem autem sententiam, Vade in pace, Victor Antiochenus ad animam refert, quasi diceret, non solum corpus à plaga liberatum est, sed etiam anima à peccato, quod causa erat plagæ, expedita est, Vade ergo in pace; quæ est bonorum fastigium, in qua Deus habitare dicitur, iuxta illud Psal. 75. factus est in pace locus eius. Euthymius vero ad corpus refert, quasi diceret, à morbo amplius non impugnaberis: & mihi placet ista sententia, hoc adiecto, esse communem salutationem, ac consuetam ijs, qui ab alijs recedunt, qua imprecantur bonum euentum, ac prosperum, sic Christus salutatur eam, ac impartitur permanentem libertatē ab infirmitate, & molestijs, qui-

bus ante premebatur. Quod etiam sequenti sententia explicuit. Alibi diximus plura de hac sententia. Quod autem victor affirmat mulierem passam esse morbum ob peccatum, probabile est, ob verbum Marci, Esto sana à flagello tuo, siue plaga tua. Quod verbum insinuat præcessisse peccatum, nam flagellum infligitur proprie propter culpam, id tamen non est omnino certum, præsertim cum scriptura non meminerit talis peccati, nec nomen ipsum conuincat nos id affirmare; nam potuit diti flagellum, quia sæpe Deus infirmitatibus flagellat peccatores; licet non semper peccent illi, quibus inferuntur infirmitates, nam aliquando in probationem, aliquando in cautionem, alijque de causis inferuntur, ut late diximus in commentarijs in Ioannem. Notanda est autem huius mulieris gratitudo, refert enim Sozomenus lib. 5. Hist. cap. 21. hanc mulierem, quam à fluxu sanguinis hæmorrhoidiam appellat, postquam à Christo sanata fuit, insignem imaginem Christi Cæsareæ Philippi collocasse, quam postea Iulianus apostata amouit, & suam substituit. De ea Christi imagine vide alia ibidem apud Sozomenum.

Mulieris hæmorrhoidiam gratitudo.

ANNOTATIO C.

Mysterium hoc miraculo inclusum spectatur.

Non est silentio prætereundum mysterium in hoc miraculo significatum; cum enim Christus Archisynagogi filiam suscitare venerit, iamque Archisynagogus impetrasset, mulier hæc, velut ex transuerso accedens sanitatē præripuit, priusque à Christo eâ obtinuit. Quo factò Ambrosius, Hieronymus, & Hilarius significari affirmat mysterium Iudæorum, & Gentium: cum enim illi prius essent ad populum Dei vocati, eisque promissa salus, veniente vero Christo plenitudo gentium per fidem prior ad Ecclesiam accessit, postquam Iudæorum plenitudo accedet, iuxta illud Rom. 11. Cum intrauerit plenitudo Gætiarum, tunc Israel saluus fiet, quod Psal. 67. prædictum erat: Aethiopia (inquit) præueniet manus eius Deo. Mulier igitur hæc Gentium nationes, filia vero Archisynagogi, Iudæorum populum significat. quod idem Mysterium Gregorius Rom. 2. in Euang. indicatum testatur factò illo Pe-

tri, & Ioannis ad sepulchrum Domini concurrentium; Ioannes enim iunior prior peruenit, sed non prior intrauit; Petrus autem posterior accessit, & prior ingressus est; Ioannes enim Iudæicum populum, Petrus vero Gentium nationes significabat: ille prior credidit, quia venturum Christum profitebatur, & vnus veri Dei fidem habebat, at Euangelio veniente infidelium gentium plenitudo prima credidit, & Ecclesiæ accessit, postea vero in extremo tempore plenitudo Iudæorum credet, & ad Christum conuertetur, iuxta illud Iere. 23. in nouissimis diebus intelligetis consilium eius, & Ose. 3. Reuertentur ad Dominum Deum suum in nouissimo dierum: quod etiam prior David prænuuciauit psal. 58. Conuertentur (inquit) ad vesperam. Dico autem plenitudinem Iudæorum, quia multi ex Iudæis crediderunt Christo, immo primi fuerunt in Ecclesia; Apostoli enim Iudæi erant.

erant, & ante ipsos prius credidit Beatissima Virgo, & Ioseph, Elisabeth, & alij. Plenitudo vero eorum remanet in infidelitate, ac perfidia, donec Gentium plenitudo ingressa sit.

Quædo populus gentium per hæmorrhoidiam significatur.

Conuenienter autem populus Gentium per hanc mulierem significatur, multæ enim similitudines concurrunt. Primo quidem hæc mulier infirmari incepit, quando puella filia Archisynagogi nata est: nam ut ex Euangelio constat, puella mortua est duodecimo anno ætatis suæ, & mulier hæc sanata est duodecimo anno suæ infirmitatis, igitur tunc nata est puella, quando hæc mulier incepit male habere, quod Hiero. Matth. 9. notat, ad significandum, tunc maxime infidelitatem Gentium significatam per fluxum sanguinis mulieris huius incepisse, quando populus Iudæicus à Domino vocari incepit in Abraham Iudæorum primo parente. Ambrosius autem sic interpretatur, nimirum quandiu Synagoga credidit, Gentium populus in infidelitate permansit; illo autem in perfidiam lapsa gentes crediderunt, & sanatae sunt. Secundo, mulier hæc non habitabat in ciuitate, ut notat Hiero. quia cum immunda esset, extra castra habitare compellebatur, ut constat Num. 5. Vnde in via occurrit Christo. Sic Gentilitas priusquam per

fidem Christo accederet, non erat de populo Dei, nec de Ecclesia, propterea enim Ose. 2. & Rom. 9. scriptum est de ea: Vocabo non plebem meam, plebem meam, seu non populum meum, populum meum Tertio mulier hæc morbum immundum patiebatur, sic etiam gentilitatis morbus erat immundus, idololatria enim in Scriptura immundities appellata est Iere. 2. Maculata es in iniquitate coram me. 4. reg. 17. Coluerunt immundities, de quibus præceperat Deus, ne facerent verbum hoc. Quarto hæc mulier omnem suam substantiam erogauerat in medicos, & peius habebat, quod Ambrosius interpretatur, Gentes omnia sua donata, naturalia collocasse, & consumpsisse in falsis dijs, & peiores extitisse. Quinto mulier Christum tetigit retro, quod Beda exponit, quia Gentes crediderunt in Christum visibiliter absentem, nempe post ascensionem eius in cælum, de quibus dictum est Ioann. 20. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Sexto vestem tetigit, non carnem, quia caro non de Gentibus sed de Iudæis à Christo sumpta est. Multa alia considerari etiam in hac parte possent, sed quæ dicta sunt, satis esse videntur. De filia autem Archisynagogi significante populum Iudæorum paulo inferius dicemus.

Adhuc illo loquente, venit quidam à principe Synagoga dicens ei; quia mortua est filia tua.

COMMENTARIA.

Reuertitur Euangelista ad prosequendam historiam Archisynagogi: dum igitur hæc, quæ dicta sunt, ad mulierem Christus loqueretur, venit quidam nuncius à principe synagogæ, id est de domo eius, nuncians filiam eius esse iam mortuam, quando enim princeps domo egressus est, ut ad Christum veniret, nondum erat mortua, sed agebat animam. Particula (quia) non est causalis, sed vim declarandi habet.

ANNOTATIO CI.

Marcus plures venisse testatur. Veniunt (inquit) nuncij ab Archisynagogo, dicentes: Nulla est autem contradictio, nam vbi multi sunt, vnus etiam est. Probabile est vnus Lucam meminisse, quia vnus fuit primus inter eos, qui nomine omnium

locutus est, & per quem cæteri dixerunt, & nunciarunt puellam esse mortuam; ad fidem enim mortis faciendam, & ad Archisynagogi nobilitatem, ac dignitatem ostendendam plures domestici venerunt.

Noli vexare illum.

COMMENTARIA.

Causam exponit, cur nunciatum venerit. Noli (inquit) vexare Christum, id est non des etiam molestiam hanc illi veniendi domum tuam. Homo imperfectæ fidei credebatur Christum infirmam sanare posse, non autem suscitare mortuam, idcirco suadet Archisynagogo, ne laborem afferat Christo continuandi iter, cum filia mortuæ remedium nullum adhibere valeret. Marcus habet: Quid ultra vexas Magistram? id est vexari facis Christum viam in domum tuam prosequendo?

ANNOTATIO CII.

Victor Antioche. Mar. 5. asserit, nuncios existimasse Archisynagogum vocasse Christum tamquam Doctorem, nempe medicum, qui arte solet curare infirmos, idcirco eius operam necessariam non credebant, quando mortua erat puella. Hanc sententiam ego non probo, nam notissimum iam

erat non arte, sed virtute supernaturali Christum sanare infirmos, eaque de causa etiam Archisynagogus accesserat. At isti nuncij imperfectæ fidei erant, qui non arbitrabantur Christum tantæ esse virtutis, ut mortuam suscitaret, ideo dixerunt noli vexare eum.

IESVS autem audito hoc uerbo respondit patri puella: Noli timere, crede tantum, & salua eris.

COMMENTARIA.

Audiuit vocem nunciantis Christus, & ne Archisynagogus nuncij verbis à fide, quam de Christo conceperat, deturbaretur, arbitrans eum non posse mortuam

puellam suscitare, sicut & nuncius errans arbitrabatur, idcirco confirmat eum in fide verbis, ac promissione: Noli inquit timere; scilicet puellam non esse sanandam, crede tantum, me posse eam suscitare; tantum dico, quia nullam aliam à te operam postulo, quam adhibeas, sed fidem, quam si adhibueris, promitto tibi salutem filiae.

ANNOTATIO CIII.

Verbum, crede quomodo intelligendum in hoc loco.

Recte Augustinus lib. 2. de consen. Euang. cap. 28. interpretatur hoc verbum, Crede, non sic esse intelligendum, quasi Archisynagogus non prius crederet Christum posse suscitare mortuam filiam; ut enim superius diximus, quando accessit Christo, vere ex ista mabat mortuam iam esse. Verbum igitur hoc est confirmantis, & confortantis illum in concepta fide, quasi diceret, permane, & esto fortis in fide, quam de me habuisti, Non (inquit) Augusti: diffidentem reprehendit, sed credentem robustius confirmavit. Hoc autem Christus fecit propter duo occurrentia, quae illum de fide deturbare poterant. vnum est verbum nunciorum: Noli vexare magistrum; erat enim quasi quaedam persuasio, ne crederet mortuam suscitari ab eo posse. Alterum est, quia iam certus erat Archisynagogus de morte filiae, quam prius etiam si suspicabatur, tamen non sibi persuasam habebat; diffidere autem magis soleamus, quando malum adest praesens, quam quando longe est, idcirco Christus confortat fidem eius. Nō

solum autem his verbis confortavit Christus fidem Archisynagogi, sed etiam miraculo prius facto in muliere; ut enim inquit Ambrosius, suscitaturus mortuam, ad faciendam fidem, Haemorroisam ante curavit, dum ad illam petitur, ista curatur, sic & resurrectio temporalis in Domini passione celebratur, ut perpetua illa credatur. Sic & paritura sterilis indicatur, ut conceptura virgo credatur. Haec Ambro. Haec de hoc verbo dicta sint.

Inquiret autem quispiam, de quo timore dictum sit, Noli timere. Ad quod respondeo, Archisynagogum timuisse, ne verbum nunciorum, dicentium: Noli vexare magistrum, auerteret Christum à voluntate veniendi, & saluandi puellam, eo maxime, quia ex incredulitate procedebat: nam existimabant Christum non posse mortuam suscitare. cui timori Christus mederi volens, inquit; Noli timere, veniam enim in domum tuam, & suscitabo filiam, si credideris, & in fide tua perseveraueris, nec desistam propter verba nunciorum, atque eorum incredulitatem.

Quis teneat ille, de quo Christus dicit, Noli timere.

Mors in Scriptura somnus, & mori dormire appellatur.

Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quenquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puella.

COMMENTARIA.

Testes miraculi tres ex Discipulis praecipuos secum assumit, Petrum, qui Christum plurimum diligebat, & quem Ecclesiae primatem destinaverat futurum; Ioannem, quem praeter ceteros Christus diligebat; Iacobum, qui Iudaeis notissimus erat, simul etiam patrem, & matrem puellae, ad quos illud opus spectabat. Turbam vero, quae eum comitabatur domum intrare non permisit: tum quia intra domum multa iam turba aderat, tibicinum, & aliorum tumultuantium, nec domus omnes capere poterat, fieretque tumultus, & compressio nimia, dum unusquisque ingredi conaretur, cum non omnibus locus pateret; tum etiam ne humanam gloriam, & applausum sequi videretur. Ne autem turbæ ea prohibitio dura videretur, ceteros etiam Discipulos cum turba extra domum reliquit, tribus illis tantum assumptis.

ANNOTATIO CIV.

Causa ob quam sepe Christus secum assumpsit Petrum, Ioannem & Iacobum.

Chryso. hom. 57. in Matth. causas reddit, cur Dominus hos tres tantum Discipulos alijs relictis sepe secum assumpsit, sic enim inquit: Quamobrem hos accepit? Quia excellentiores ceteris erant. Et Petrus quidem, quia valde Christum diligeret, idcirco praestabat. Ioannes vero, quia nimium diligebatur. Ac Iacobus à responso, quod dedit cum fratre interrogatus, dicens: Possumus hunc calicem bibe-

re: ab operibus etiam ipsis, partim alijs, quia perfecit, quod dixerat, sic acer, ac gravis Iudaeis erat, ut magnum munus illis obrulisse, cum eum interfecerit, Herodes visus sit Acto. 12. Haec ille. A quo aliquot rationes in commentario postas nos mutuati sumus. Ambrosius autem hos paucos, tanquam testes futuræ resurrectionis Christum adsciuisse testatur.

Flebant autem omnes, & plangebant illam.

COMMENTARIA.

Erant intra domum multi super mortem puellae flentes, & plangentes. flere ad lacrymas, plangere ad clamores, & eiulatus refertur, ut fieri solet erga recentem mortuos. Erant autem multi ibi, & ex domesticis, & ex alijs concurrentibus, nam Archisynagogus erat ex primis, ac primatibus. Haec omnia argumenta erant manifesta mortis puellae, ut miraculum resurrectionis eius futuræ à nemine posset in dubium reuocari.

ANNOTATIO CV.

Tibicines qui dicebantur.

Matthæus refert, Christum inuenisse tibicines, & turbam tumultuantem, Marcus autem vidisse tumultum, & flentes, & eiulantes multum. Tibicines, ut refert Ambrosius, erant, qui conducti

solebant suis modis, ac canticis excitare ceteros ad fletum, ac eiulatum, quem ritum Iudaei à Gentibus mutuati erant. Huius ritus Gentium meminit Lucianus Dial. de luctu.

At ille

At ille dixit, nolite flere: Non est puella mortua, sed dormit.

COMMENTARIA.

Prohibet lacrymas, ac eiulatum illorum, rationem reddens, nimirum puellam non esse mortuam, sed dormire. non quidem negat mortuam esse quantum ad animam à corpore separationem; sed significat illam cito reuocandam ad vitam, perinde ac si dormiret; illi vero flebant eam sicut ceteros mortuos, qui amplius non resurgunt usque ad ultimum mundi diem. Verbum hoc potuit Christus, uti illos omnes mortuam puellam esse non negarent, tantoque magis resurrectionis miraculum illustraretur, si prius omnes omnino esse mortuam confiterentur. Modeste etiam significavit Christus se velle eam suscitare, perindeque ei esse facile mortuos à morte reuocare, ac dormientes à somno excitare.

ANNOTATIO CVI.

Marcus refert Christum sic dixisse: quid turbamini, & ploratis? Puella non est mortua, sed dormit, in hoc nihil est contrarietatis, quia Christus dormit, nempe quid turbamini, & ploratis? nolite flere, immo Matthæus addit, Discedite, puella non est mortua, sed dormit. Aduerte mortem in Scriptura somnum, & mori dormire appellari. 3. reg. 14. Dormiuit Roboam cum Patribus suis. & ibidem: Dormiuit Ieroboam cum patribus suis. 1. Cor. 11. Dormiunt multi. 1. Cor. 15. quidam autem dormierunt. sunt plurima huius rei testimonia. Cum enim mortui sint ad vitam reuocandi, mors somnus quidem videtur: hoc namque nobis consecutus est Christus, ut mors, quae in aeternum duratura erat; per eum finem haberet, efficereturque temporalis, & haec est mortis victoria, & mors mortis. 1. Cor. 15. Quando igitur Scriptura mortem somnum appellat; mysterium indicat, quod Christus effecit sua morte nostram occidendo. 1. Cor. 15. In Christo omnes vivificabuntur. Ab hac metaphora, & veritate Paulus argumentum accipit consolandi eos, qui mortuos lugent, ut sit luctus moderatus, quasi pro ijs, qui euigilaturi sunt, & ad vitam reuocandi. Lugeant Gentes, quae resurrectionem ignorant, at Christiani temperamento utatur, spem, & fidem hanc habens, sic enim scribit. 1. Thessalo. 4. Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut, & ceteri, qui spem non ha-

bent: si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita, & Deus eos, qui dormierunt per Iesum Christum adducet cum eo. At vero hoc in loco peculiare quidpiam significatur, nempe mortem hanc citissime abforbendam, & puellam quasi à brevissimo somno reuocandam ad vitam, idcirco cessandum esse ab illis eiulatibus, ceterisque in funere mortuorum pro more tunc fieri solitis. Iuxta hunc sensum scriptum est Ioan. 11. de Lazaro: Lazarus dormit, vado, ut à somno excitem illum, & infirmitas haec non est ad mortem. Victor Antiochenus Mar. 5. affirmat usum esse Christum hoc verbo dormiendi, ut vitaret iactantiam. Quod ad litteram spectat. Augusti. lib. 2. de consen. Euang. cap. 28. legit apud Matthæum: Non est mortua mulier; cum tamen apud Marcum, & Lucam legatur, Puella. Notatque in Scriptura vocabulum mulieris etiam accipi pro puella. Quod verum est, tamen apud Matthæum legitur νεκρῶν, quod significat puellam. Marcus autem legit νεκρῶν quod est communis generis ad puerum, vel puellam. Apud Lucam autem tantum legitur; Non est mortua, sed dormit; Refertur namque ad illud quod praecessit, scilicet, matrem puellae. νεκρῶν nomine quis quod puellam significat, unde apud Matthæum non est legendum mulier, sed puella, ut legit Hiero. & plurima exempla Latina.

Et deridebant eum, scientes, quod mortua esset.

COMMENTARIA.

Non intelligentes futuræ iam iam resurrectionis mysterium, deriserunt Christum, quasi negaret omnino mortem puellae. Homines enim fidei lumine destituti sua virtute Christi virtutem, ac potentiam mensurabant, nec eum suscitare illam posse credebant. Haec autem derisio eo magis conuincebat illos resurrectioni factae assentire, quo minus negare poterant puellam vere fuisse mortuam, ipsismet non tantum id affirmantibus, sed etiam irridentibus Christum, quod eis ille videretur rem manifestam negare.

Ipse autem tenens manum eius, clamavit, dicens.

COMMENTARIA.

Nec manum tenere, nec clamare opus illi erat, qui sola voluntate potuit suscitare, sed haec exteriora facit, ut ipse esse credatur, qui sua virtute, ac imperio suscitabat; ideoque voce alta, seu clamore utitur, ut eo magis ab adstantibus agnosceretur. Manum apprehendit, ut retineret eandem metaphoram, quam verbo secutus erat, dixerat enim, puella dormit, sic ut suscitaret eam, manum eius tenuit; sic enim suscitare eos solemus, qui graui, ac profundo somno correpti sunt: verbis enim utimur, ac manum tenemus, quasi excitantes, & adiuuantes, ut surgant. Rursus etiam quia non solum ad vitam reuocare volebat, sed etiam ut statim surgeret, ac staret, quae tunc iacebat, idcirco velut manum porrigebat. Plura in Annotatione require.

ANNOTATIO CVII.

Series gesti miraculi, & cur inde eieci sint a Christo omnes præter quinque naratos in textu.

Prætermiserunt Lucas, & Marcus, quæ narrat Matthæus, nimirum postquam ingressus est Christus domum, vidissetque turbam tumultuantem, & tibicines, etiam hos eiecit e domo, & ingressum esse ad suscitandum puellam cum tribus Discipulis, & patre, & matre puellæ. Itaque primo quando accessit domui, reliquit turbam, qua comitatus veniebat cum Discipulis cæteris, ut supra diximus, referuntque Marcus, & Lucas, ingressus autem domum vidit turbam domesticorum tumultuantem, & tibicines, quibus dixit: Nolite flere, puella non est mortua, à quibus derisus est, & cætera, quæ narrat Marcus, & Lucas. His etiam eiectis e domo, mansit cum illis quinque prædictis, quibus præsentibus puellam suscitavit modo narrato. Cur autem illos eiecerit, causam reddit Hieronymus Matth. 9. non erant (inquit) digni, ut viderent mysterium resurgentis, qui refuscitantem indignis contumelijs deridebant. Chrysostr. hom. 32. in Matth. affirmat illos eiecit, tanquam indignos, non tamen exponit causam indignitatis, quam Hieronymus explicuit. Ambrosius causam spirituales adfert ad significandum scilicet ex Iudæis non credituros, nec in Ecclesiam Christi recipiendos, sed eorum paucos. Mihi non videtur causa eiectionis referenda in indignitatem, nec in significationem tantum, sed ad veritatis ostensionem, nempe, quia tumultus, & cantus illorum, mortuorum...

Puella surge.

COMMENTARIA.

Vox imperantis est, quæ simul cum manus apprehensione prolata est, & diuina virtus per vtrunque operata, in vitam reuocavit eam, quæ mortua erat, & ut surgeret, ac staret, effecit; mortuum enim surgere non posset nisi omnipotentis virtus adesset. vsus autem est verbo surgendi communi à somni, & à mortis suscitatione, ut similitudo retineretur, qua dixerat; Puella dormit.

ANNOTATIO CVIII.

Explicatur verius superiora verba.

Marcus verbum Hebræum, quo vsus est Christus, retinuit, nempe talitha cumi, id est, puella surge. Illud talitha Syriacum, cumi vero Hebræum est: nam illo tunc temporis multa vocabula Syriaca mixta erant Hebræis. Notandum est autem Marcum interpretatum esse hanc sententiam Domini sic: Puella tibi dico, surge. Quod sic est intelligendum, non quod illud (dico tibi) sit de significatione verborum Hebræorum, uti enim diximus, cæterique Euangelistæ testantur, tantum significat, Puella surge: sed quod ab Euangelista positum sit ad explicandum imperium verborum Christi, ne cui videri possit, deprecantis esse verbum, cum sit vere imperantis, quod aduertit Hiero. ad Pachmachium, de optimo genere interpretandi, notans non per hoc Euangelistam ma-

le vertisse, quia factum est ad exprimendam emphasim, & imperium sententiæ. Nec est legendum, Talitha. Hoc enim nomen est proprium cuiusdam alterius feminæ à Petro suscitatae Act. 9. illis verbis, Talitha surge. At in hoc loco legendum est Talitha nomen Syriacum appellatum, quod Latine dicitur, Puella. Quo vocabulo vsa est Paraphrasis Chaldaica Esther. 2. vbi enim nos legimus: Cumque congregarentur virgines, illa legit. Talithen in Hebræo, beruloth, quod indicat Talitha significare puellam virginem, & viro incognitam, qualis erat hæc, quæ nunc est suscitata, quæ duodecimum agebat annum. de efficacia verborum Christi diximus alias & maxime in commentarijs in Ioannem.

Et reuersus est spiritus eius.

COMMENTARIA.

Ad Christi imperium anima, quæ per mortem erat separata, à corporeque recesserat, reuersa est, ac puella suscitata: ut autem Euangelista indicaret vere mortuam fuisse puellam, & eandem animam reuocatam ad illius corpus, vsus est verbo, reuersus est, quod indicat, spiritum, seu animam prius abiisse, & eundem remeasse.

Et surrexit continuo.

COMMENTARIA.

Non solum suscitata est, sed etiam, quæ iacebat, surrexit, & stetit, quod signum fuit roboris, ac sanitatis veræ cum vita acquisitæ; non solum enim Christus reuocavit puellam ad vitam, sed integram etiam corporis sanitatem omni infirmitate reiecta, contulit. Hæc enim duo imperauerat, cum dixit, Puella surge. tanta fuit virtus eius imperij.

ANNOTATIO CIX.

Liberatus à peccato per gratiam quid debeat.

Pura Marcus refert, nempe non solum surrexit, sed etiam ambulauit, quod indicat vitam, & inco-lumitatem perfectam: Confessum (inquit) surrexit, & ambulauit. Significatur spiritualiter, eum, qui à

peccato per gratiam liberatus est, continuo surgere debere deposita veteri consuetudine, & remota occasione antiqua peccandi, ac ambulare bonis operibus incubedo, ne gratiâ in vanum accipiens eam facile perdat.

Et iussit illi dare manducare.

COMMENTARIA.

Iussit hoc Christus, ut veritatem resurrectionis comprobaret, ne phantasticum aliquid quod factum erat, existimaretur; atque ut in vitam mortalem, qualem ante vivebat, reuocatam esse puellam significaret, quæ cibo ac potu indiget, non autem in eam, in quam resurgemus in ultimo die, quando mors ultra non erit. Hæc enim cibo corporali non indiget.

ANNOTATIO CX.

Hæc sententia à Luca, & Marco scripta est, à Matthæo autem prætermissa. Ambrosius priorem rationem in commentario positam notauit, testimonium (inquit) resurrectionis, ne phantasma, sed veritas crederetur. Addit Euthymius Mar. 5. eadem de causa Christum non dedisse illi manducare,

sed iussisse parentibus ut darent. Spiritualiter significatur, frequentia sacramenti Eucharistiæ amplectenda ab eo, qui iustificatus bonis iam operibus intendit, per illam non solum gratia augetur, sed robur ad tentationes superandas, & difficilia opera efficienda adijcitur.

Et stupuerunt parentes eius.

COMMENTARIA.

Vehementer admirati sunt parentes puellæ, id enim magnitudo, & nouitas tanti operis postulabat; quæ admiratio non ex infidelitate, sed ex certa notitia procedebat, non enim dubitarunt factum, quod oculis proprijs cernebant, eum namque, qui exterius homo nobis similis videbatur, imperio mortuam puellam suscitasse, ac eodem momento sanitatem perfectam contulisse, admiratione dignum erat, illis præsertim, qui talia de Christo non audierant.

ANNOTATIO CXI.

Marcus habet, obstupuerunt stupore magno, qui licet non explicet eos, qui dicti sunt, obstupuisse, tamen ex Luca ad patrem, & matrem referendum est, non autem ad Discipulos, quibus id no-

uum non erat, iam enim viderant similia Christum fecisse, quando filium viduæ suscitauit, quod factum æqualis erat virtutis.

Quibus præcepit, ne alicui dicerent, quod factum erat.

COMMENTARIA.

Præcepit Christus parentibus, & quidem vehementer, ut dicit Marcus, ne miraculum diuulgarent, scilicet tunc temporis, quando factum fuit, solique parentes cum tribus Discipulis aderant, donec ipse cum Discipulis turbam multam foris expectantem, reique exitum videre cupientem declinaret, hominum plausum fugiens; paulo tamen post latere non potuit: nam Christo e domo discedente, turbam ingressam, esse, ut quid de puella factum fuerit, nosset, dubitandum non est, sicque ipsa viuens puella omnibus, qui mortuam viderant, & ijs, qui ex certa relatione mortuam nouerant, testimonium irrefragabile reddebat miraculi à Christo gesti. ac per eos, qui aderant fama exijt in vniuersam terram illam, ut refert Matthæus.

ANNOTATIO CXII.


Puella Archi-synagogi quo modo synagogam significauerit.

Supra diximus, quam apposite mulier fluxu sanguinis patiens Gentilitati conferretur, nunc autem de puella hac, per quam Synagoga significatur, dicendum est; & quidem in multis similitudo posita est, quorum nonnulla exprimemus. Primo puella imperfectæ adhuc ætatis erat, quod & Synagogæ conuenit, quæ puero confertur ob status illius imperfectionem, Gala. 4. Cum essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes. 1. Cor. 13. Cui essem paruulus, sapiebam, ut paruulus. idcirco Gala. 3. Lex confertur pedagogo. Secundo puella patre habebat, qui eius habebat curam, & pro ea sollicitus erat: sic Synagoga patre habebat Deum, quem colebat, & cuius fidem habebat, & sub illius particulari protectione erat, Gêtibus seruientibus dijs falsis, ideoque appellabat Synagoga Deum suum, & ipsa populus Dei appellata est. Tertio puella erat in domo patris, quia Synagoga de

Dei Ecclesia erat, per veram fidem, & religionem. Quarto Christus ad domum eius sanatus illam venit, quia Christus de populo Iudæorum, & de Synagoga carnem suscepit, & inter eos natus, & conuersatus est. Quinto rogatus venit, quia Christus venit in hunc mundum, & carnem sumpsit præcedentibus præcibus, & rogationibus Patriarcharum, & Prophetarum, Patrum Iudæorum. Sexto veniens irridetur à tibicinibus, & turbam tumultuante, quia Christus passus est, illususque à Iudæis. Septimo, paucis presentibus, eiecitque turbam, Christus suscitavit puellam, quod ut notant Ambrosius & Hilarius paucitatem credentium Iudæorum in priori aduentu significat. demum fama exijt ex illo loco in omnem terram, quia salus, quam inter Iudæos Christus operatus est, per orbem terrarum est prædicta, & communicata. Multa alia dici possent, hæc autem sufficere videntur.

FINIS CAPITIS OCTAVI.

FRANCISCI
CARDINALIS TOLETI
IN SACROSANCTVM
LUCAE EVANGELIVM
COMMENTARII.



CAPVT NONVM.



Conuocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia demonia, & ut languores curarent. Et misit illos praedicare regnum Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circuibant per castella euangelizantes, & curantes ubique. Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia, quae fiebant ab eo, & haesitabat eo quod diceretur à quibusdam: Quia Ioannes surrexit a mortuis: à quibusdam vero: Quia Elias apparuit: ab alijs autem: Quia propheta vnus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Ioannem ego decollauit: Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quarebat videre eum. Et reuersi Apostoli, narrauerunt illi quaecumque fecerunt, & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaida. Quod cum cognouissent turba, secuta sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, sanabat. Dies autem coeperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque quae circa sunt, diuertant, & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes, & duo pisces: nisi forte nos edamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad Discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in caelum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit Discipulis suis, ut ponerent ante turbas. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim. Et factum est cum solus esset orans, erant cum illo & Discipuli: & interrogauit illos, dicens: Quem me dicunt esse turba? At illi responderunt, & dixerunt: Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero, quia vnus Propheta de prioribus surrexit. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei. At ille increpans illos, praecepit ne cui dicerent hoc, dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere. Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam. quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat? Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. Factum est autem post haec verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem vt oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera: & vestitus eius albus & resurgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo.

illo. Erant autem Moyses, & Elias, visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. Petrus vero, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros, qui stabant cum illo. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Praceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Eliae: nesciens quid diceret. Hac autem illo loquente, facta est nubes, & obumbravit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem. Et vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quae viderant. Factum est autem in sequenti die, descendantibus illis de monte, occurrit illis turba multa. Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia vnicus est mihi, & ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanans eum: & rogavi Discipulos tuos vt eicerent illum, & non potuerunt. Respondens autem Iesus, dixit: O generatio infidelis, & peruersa, usquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum. Et cum accederet, elisit illum demonium, & dissipauit. Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri eius. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus, quae faciebat, dixit ad Discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus hominum. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, ut non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se, & ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter uos omnes, hic maior est. Respondens autem Ioannes dixit: praceptor, vidimus quendam in nomine tuo eicientem demonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmavit ut iret in Ierusalem. Et misit nuncios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum vt pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. Cum uidissent autem Discipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis descendat de caelo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non uenit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum. Factum est autem: ambulans illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris. Dixit illi Iesus: Vulpes foveas habent, & volucres calinidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Ait autem ad alterum: Sequere me. illi autem dixit: Domine permittite mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Dixitque ei Iesus. Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permittite mihi primum renuntiare his, quae domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

CAPVT NONVM.

ANNOTATIO I.

Ordo & series
historio.



V. E. Lucas narrat de Apostolorum missione in principio capitis, referuntur à Matthæo cap. 10. & Marco cap. 6. inter quos Euangelistas solus Marcus ordinem rerum gestarum seruauit: nam hæc missio

facta est ante ea, quae in fine precedentis capitis à Luca dicta sunt; & post illa, quae scribit Matthæus cap. 10. Occisio autem Ioannis, quam narrat Matthæus cap. 14. facta fuit eo tempore, quo missi erant Discipuli ad praedicandum. De ordine vide Angusti. lib. 2. de conf. Euang. cap. 30.

Conuocatis autem IESVS duodecim Apostolis dedit illis virtutem, & potestatem super omnia demonia, & ut languores curarent.

COMMENTARIA.

Vocat in vnum duodecim Apostolos, vt eos mittat praedicare Euangelium, quod vt efficacius faciant, dat potestatem, & virtutem eijciendi demonia à corporibus homi-

Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via.

COMMENTARIA.

Communia præcepta in missione hac obseruanda, omnibus simul tradit, priusquam diuidantur bini. Conuocatis ergo Apostolis prohibet nihil secum adferre ex ijs, quæ ratione viæ conficiendæ adferri ab alijs solent. Hoc enim eos ad prædicandum expeditiores, diuinæ prouidentia confidentiores, hominibus admirabiliores, ac ab omni auaritiæ suspitione liberos effecit.

ANNOTATIO V.

Ordo instructionis Apostolorum à Christo factæ, ante quam proficiscerentur ad prædicandum.

Matthæus narrat primum præceptum iniunctum Apostolis, quod quidem Marcus, & Lucas prætermiserunt, id autem tale est. In viam gentium ne abieritis; & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed potius ite ad oues, quæ perierunt, domus Israel. Sicut enim Christus veniens in hunc mundum, præsentia suæ prædicationem Iudæis solis exhibuit, iuxta illud Matth. 15. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel: ita voluit Discipulos suos facere, vt omnem Iudæis occasionem tollerent negandi eum esse verum Messiam in lege, & Prophetis promissum; erant enim gentes, & Samaritani Iudæis infensissimi, facileque Christum abiecissent, si eius prædicationem illis communem intellexissent: tempus enim opportunum expectari

voluit mortis ac passionis suæ, quæ pro totius mundi salute, Iudæorum, & gentium passus est, postquam Apostoli mittendi erant in omnem viam, & regionem. Post hoc præceptum adiunxit secundum, vt refert Matthæus: prædicate, inquit, dicentes: Appropinquauit regnum cælorum, seu Dei, vt dicit Lucas. Post hæc addidit, quæ supra diximus. Infirmos curate, mortuos suscite &c. His adiecit, quæ ad eos pertinebant, nempe quod dictum est: Nihil tuleritis in via, & quæ sequuntur, hic enim fuit ordo huius instructionis datæ à Christo Apostolis simul, priusquam proficiscerentur. Græce habetur (in viam) id est pro via, seu itinere conueniendi.

Necque virgam.

COMMENTARIA.

Exponit in particulari, quæ generaliter prohibuerat, ne in obseruantia sit error, aut in inquirendo intellectu difficultas. Sensus est. Volo vos adco inermes esse, ac armis carnalibus priuatos, vt neque virgam in defensionem, aut offensionem aliquam feratis. Opera, ad quæ vos peragenda mitto, vitæ vestrae innocentia, virtusque mea, quæ in vobis est, erunt arma vestra.

ANNOTATIO VI.

Virgæ prohibito etiam apud Matthæum habetur: in quibusdam autem Græcis exemplaribus, tam apud Matthæum, quam apud Lucam habetur (virgas) in plurali, in quibusdam alijs in singulari. Latina exempla etiam apud Matthæum, & Lucam legunt in singulari, sensus idem est; nam ideo in plurali ponitur, quia refertur ad multos simul, nempe ad omnes Apostolos, in singulari autem quia ad singulos fit relatio, vt nemo eorum virgam ferat. Facessit tamen negotium Marcus, qui contrarium videtur scribere, inquit enim: præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. Hanc difficultatem varie Doctores soluunt. In primis August. lib. 2. de consen. Euang. cap. 30. multis verbis concordare hanc apparentem dissonantiam conatur. Breviter eius sententia in eo posita est, quod affirmat Christum dixisse vtrumque, nempe ne tuleritis virgam, nisi tantum virgam, sed non in eadem significatione: nam virga accipitur pro ligno, quo sustentantur viatores, & sic prohibentur Apostoli ferre. accipitur etiam pro potestate, qua Euangelium prædicantes, quæ sibi necessaria erant ad victum, & vestitum, ab auditoribus exigere poterant, de qua potestate dictum est. 1. Cor. 9. Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi? & hanc virgam Christus Apostolis concessit. erant ergo iussi sine virga, id est, sine sustentaculo corporis ire; & cum virga, id est, potestate exigendi ad victum necessaria. Illud Matthæus, & Lucas; hoc Marcus, retulere: vtrumque autem à Christo dictum est. Hæc est Augustini sententia, quam sequitur Beda, & Druthmarus cap. 27. in Matth. Hæc autem exposi-

tio, Augustini, qua parte virgam apud Marcum pro potestate viuendi ex Euangelio interpretatur, dura videtur: tum quia virga in ea significatione non legitur in Scriptura: tum etiam quod magis contra hanc expositionem virget, quia apud Marcum non videtur accipi in significatione figurata, sed propria pro virga exteriori, quia coniungitur cum alijs exterioribus: Non (inquit) peram, non pænem, nisi virgam; exceptio enim fit ab ijs, quæ sunt eiusdem generis.

Secundo loco Ambrosius Luc. 10. virgam apud Matthæum, & Lucam Apostolis prohibitam interpretatur pro potestate corrigendi, & castigandi, quam prælati habent in subditos, & patres in filios, de qua dictum est. 1. Cor. 4. In virga veniam ad vos, an charitate, & spiritu mansuetudinis? Et Prouerb. 11. qui parcat baculo, odit filium suum. vult ergo Christus agere in mansuetudine, non in rigore iustitiæ, ideo virgam prohibet. Sic Ambrosius virgam prohibitam explicat; de ea autem, quæ concessa est apud Marcum, nihil dicit, tamen ad eius mentem dicere possumus accipi pro virga materiali, seu baculo corporeo, qui concessus est Apostolis. Huic sententiæ aduersari videtur contextus Matthæi, & Lucæ, nam cætera, quæ prohibentur, non accipiuntur in significatione figurata, nempe aurum, argentum, pecunia, pera, tunica; dicitur virga debet in eadem significatione accipi pro materiali virga. vnde quod diximus contra sententiam August. in expositione virgæ apud Marcum, idem opponimus Ambrosio, in expositione virgæ apud Lucam, & Matthæum; debet enim eadem significatio retineri.

Concordia inter Marcum, & Matthæum, ac Lucam.

hominum, & infirmitates curandi, quibus audientium fidem sibi concilient: nam petalia opera virtus Dei in illis agnoscebatur, & hominum beneuolentia, quæ ad fidem suscipiendam multum conducit, comparabatur.

ANNOTATIO II.

Sine aliqua differentia inter virtutem, & potestatem, de quibus fit mentio in textu.

Posset quispiam non immerito interrogare, quæ sit differentia inter virtutem, & potestatem, quarum in textu mentio facta est; cui quidem interrogationi Bonauentura satisfacere intendit, affirmans potestatem ad languorum sanationem, virtutem ad dæmoniorum eiectionem referri, quasi virtus sit data ad expellendos dæmones; potestas vero ad sanandos languores. quæ dictio quibusdam etiam recentioribus placet. Huic tamen interpretationi obstant Matthæus cap. 10. & Marcus cap. 3. qui potestatem ad dæmones referunt simul, & ad languores, Matthæus (inquit) dedit eis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & vt sanarent omnem languorem, & infirmitatem. Marcus vero: Dedit, inquit, potestatem curandi infirmos, & eijcendi dæmonia, & cap. 6. prætermisissis infirmis, ait: dabat eis potestatem spirituum immundorum. Hoc igitur loco apud Lucam ad vtrumque tam virtus, quam potestas referri debent, Lucas autem duobus vocabulis vsus est, nempe virtute, & potestate, vt rem ipsam perfectius explicaret; nam potestas ad quandam præsentiam, & dignitatem pertinet; qui enim alijs præsumt; potestatem habere dicuntur. Rom. 13. qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Virtus autem ad efficaciam; potestas enim sine virtute

inermis, & inutilis est; virtus autem sine potestate aliquando temeraria est. Instituit igitur Christus quasi præfides, & velut ex officio, & munere Apostolos super dæmones, & super morbos: & vt efficaciter vtrumque præstarent, adhibuit virtutem, ac potentiam. Matthæus, & Marcus vnico nomine potestatis vtrumque significarunt; Lucas vero distinctius agens vtrumque meminit, significans Apostolis quasi ex officio ac munere datum, dæmones eijcere, & morbos sanare. Optimo autem consilio Christus mittens eos ad Euangelium prædicandum, sic disposuit, & ornauit: nam vtrumque opus diuinitatis erat argumentum, & vtrumque hominum beneuolentiam conciliabat, quasi beneficium illis collatum: quæ duo animos ad fidem prædicationi præstandam trahebant. Quod autem ad literam spectat, in quibusdam Græcis exemplaribus legitur (duodecim Discipulis) in quibusdam vero alijs (duodecim Apostolis) atque hæc noster interpretis est secutus: eaque lectio est magis accommodata; iam enim ex Discipulis omnibus duodecim Christus elegerat, eosque Apostolos instituerat, vt supra dictum est Luc. 6. in nonnullis etiam Græcis tantum legitur: Conuocatis duodecim, sicque legit Euthym. sensus idem est in omnibus his.

Et misit illos prædicare regnum Dei.

COMMENTARIA.

Conuocatos, ac dispositos Apostolos mittit in ciuitates, & vicos non Iudææ, sed Galilææ, & Israel, prædicare aduentum Messia, & Euangelij; hæc enim regnum Dei appellat, quia per Christi fidem, & Euangelij eius obseruantiam homines, & contra Diabolum, cæterosque inimicos regnant in hoc sæculo, & ab hoc in regnum cælorum transfuehantur.

ANNOTATIO III.

Matthæus cap. 10. prædicationis verbum à Christo traditum explicuit: Euntes (inquit) prædicate dicentes; Appropinquauit regnum cælorum. Marcus cap. 6. alteram prædicationis partem enarrauit, exeuntes, (inquit) prædicabant, vt pænitentiam agerent. Illud ad fidem Christi, per quam salus, & remissio accipienda erat, spectabat; hoc autem ad mores, vt abiectis prauis operibus, per præ-

nitentiam, sine qua salus, ac remissio peccatorum non confertur, bonis incumberent. Marcus etiam exposuit, vocatos quidem duodecim, sed missos esse binos, vt intelligas, non simul omnes in singula loca iuisse, sed separatos, binos, & binos. Matthæus autem nomina duodecim, qui missi sunt, describit. De regno hoc, quod prædicare missi sunt, diximus supra, & in Commentario, & dicemus adhuc in sequentibus.

Et sanare infirmos.

COMMENTARIA.

Vt prædicationis Apostolorum vera agnosceretur, fidemque audientium conciliaret, misit etiam eos sanare infirmos, virtutemque, ac potestatem traditam in hominibus exercere, ac operibus demonstrare.

ANNOTATIO IIII.

Misit Lucas alia multa diuinæ virtutis opera, quæ Christus eos facere iussit, vt per ea ad fidem, in qua salus spiritualis posita erat, auditor es attraherent; quæ Matthæus distinctius enarrat; sic enim Christum dixisse Apostolis refert: Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones eijcite. Adiecit etiam: Gratis accepistis, gratis date, id est nullo pretio à vobis accepto tantam virtutem ego vobis contuli, vos etiam gratis, & sine vlllo temporali pretio alijs impartite, opera talia gratis exhibendo. Cum enim hæc fierent ad conciliandam hominum fidem in Christum, in qua salus æterna erat posita, ostendendamque diuinam virtutem ad veritatis confirmationem, noluit Christus temporalia pretia

admisceri, ne vilescerent, & vt omnibus communia essent, etiã pauperibus, & nihil, quod redderet, habentibus; & vt sic animi magis allicerentur, beneuolentiaque hominum maior prædicationi accederet. de hac infirmorum curatione recte Hiero. Matth. 10. inquit: Clemens Dominus, & Magister nõ inuidet seruis, ac Discipulis virtutes suas, & sicut ipse curauerat omnem languorem, & omnem infirmitatem, Apostolis quoque suis tribuit potestatem, vt curarent omnem languorem, & infirmitatem in plebe. Sed multa distantia est inter habere, & tribuere; donare, & accipere. Iste quodcunque agit, potestate Domini agit; illi si quid faciunt, imbecillitate suâ, & virtutem Domini consistunt, dicentes. In nomine Iesu surge, & ambula. Hæc Hiero.

neri in virga, quæ in cæteris est, nempe propria, quod argumentum etiam procedit contra expositionem Hilarij can. 10. in Matth. vbi virgam interpretatur potestatem sæcularem, qua vni Apostoli prohibentur, cum non indigeant ea, qui habent à Christo potestatem.

Tertio loco Victor Antiochenus Mar. 6. virgam in omnibus Euangelistis Matthæo, Marco, & Luca in eadem interpretatur significatione, nempe pro baculo, dicit tamen à Domino esse permissum, & per quandam indulgentiam concessum, idcirco Matthæus, & Lucas, quasi prohibitum retulerunt, Marcus vero quasi concessum, quia nec fuit absolute prohibitus, nec absolute concessus. Hæc sententia difficile accommodatur contextibus Euangelistarum: nam apud Matthæum, & Lucam coniungitur cum ijs quæ absolute prohibentur, eademque fit prohibitio pecuniæ, peræ, cæterorumque, & virgæ, apud Marcum autem absoluta fit exceptio virgæ.

Quarto loco Euthymius Matth. 10. in utroque loco, nempe Marco, Matthæo, Luca, eodem modo accipi virgam fatetur, scilicet pro baculo exteriori, in quo conuenit cum Victore: at vero dicit Dominum à principio negasse vsum virgæ, & hoc Matthæus, & Lucas referunt; postea vero permisit, & id narrat Marcus. Sicque Euthymius differt à Victore, quod ille vtrumque dictum esse à Christo affirmat, nempe prohibitionem, & concessionem: at Victor asserit, Christum semel permisisse, idque Matthæus negatiue, Marcus affirmatiue narrarunt. Hæc sententia parum probabilitatis habet; non enim Christus nobis est similis in hoc, quod modo neget, modo idem affirmet, quod cuiusdam est inconstantia. Conueniunt autem cum Augustino, & Druthmaro hæc duæ sententiæ, Victoris, & Euthymij, quod apud Matthæum, & Lucam etiam baculus, seu scipio sit Apostolis prohibitus, quod Hieronymus etiã falsus est, sic enim inquit: Qui Domini auxilium habemus, præsidium baculi non queramus.

Quinto loco quidam recentiores affirmant vtrouque tam apud Matthæum, & Lucam, quam apud Marcum accipi in eadem significatione, nempe pro exteriori baculo; dicit tamen apud Matthæum, & Lucam prohiberi duas virgas, apud Marcum autem vnus tantum vsum concedi binis, ita vt Dominus mittens binos Apostolos noluerit singulos singulas virgas habere, sed vnã solam pro binis sufficere, quam expositionem confirmant, quia nonnulla Græca exemplaria apud Matthæum, & Lucam habent virgas in plurali, vt in principio Annotationis retulimus. Hæc expositio nihil soliditatis habere videtur; tum quia Marcus non dicit, (nisi virgam vnã) sed (nisi virgam tantum) tum, quia communis lectio Græca apud Matthæum, & Lucam est in singulari; & idem est sensus, etiam si in plurali sit, vt diximus paulo ante; tum demum quia siue ad significationem, siue ad rem ipsam parum, aut nihil facere videbatur, quod vnus baculus duobus concederetur.

Sexto loco quidam recentiores distinguunt virgas duas, vnã, quæ est ad percipiendum, in vindictam, aut defensionem; alteram, quæ est ad sustentandum, quasi fulcimen quoddam. Quæ virgæ significatæ sunt psal. 22. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Vbi sunt duo vocabula Hebræa, primum est שׁבט alterum מׁשׁע id est fulcimen, & sustentaculum, dicunt ergo priorem negatam Apostolis, quibus dictum est: Si aliquis te percusserit in maxilla, præbe ei alteram. & Nolite resistere malo. Posteriorem vero esse concessam,

quæ potius signum est paupertatis, illud Matthæus, & Lucas, hoc Marcus narrarunt. Quæ sententia mihi probabilior est visa, licet Hieronymus, vti diximus, baculum sustentationis prohibitum Apostolis affirmauerit. Hæc autem sententia confirmari potest illo Luc. 22. vbi Christus ad has prohibitiones alludens inquit: quando misi vos sine pera, & baculo, nonquid aliquid defuit vobis? sed nunc qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium, significans prius prohibitum fuisse gladium Apostolis, nempe quando prohibita fuit pera, & sacculus, qui gladius nomine virgæ nunc significatus est. In cuius gratiam aduerte nomen Græcum *πάβδος*, quo vsi sunt Euangelistæ tres, ac Latine virga dicitur, tripliciter accipi. Primo quidem pro sceptro regio, & virga, quæ erat signum potestatis, ac superioritatis, psal. 2. Reges eos in virga ferrea, psal. 44. Virga æquitatis, virga Regni tui, Isai. 14. Contriuit Dominus baculum impiorum, & virgam dominantium. Hinc est vt nomen virgæ aliquando accipitur pro ipsa potestate, signi nomine, pro re cuius signum est, sumpto. Psal. 124. Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Secundo accipitur pro virga, qua percutimus. Exod. 21. Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga. Psal. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum. Sunt autem variæ species virgarum percussiois: nam quædam sunt subtiliores ad correctionem, quædam grauiores ad vindictam, & nocumentum; lingua vulgari diuersa nomina sortiuntur, Græce autem appellantur *παβδος* vnde Ezech. 39. vbi habetur: Comburent arma, clypeum, & hastam, arcum, & sagittas, baculos manuum, & contos, loco baculi manuum habetur idem vocabulum Græcum, erat enim talis virga armorum genus, talem puto fuisse baculum David. 1. Reg. 17. quem semper habere in manibus dictus est; non enim iuuenis fortis fulcimine indigebat, Græce dicitur *εγβδος* sicut apud Ezech. & apud Germanos multi baculi huius generis habentur. Tertio accipitur pro baculo, & fulcimine, seu scipione. Tob. 4. & 10. misimus baculum senectutis nostræ. In his omnibus locis idem est Græcum vocabulum *εγβδος*; nomen autem Latinum virgæ vix reperitur in tertia significatione pro baculo fulciminis, sed tantum in prioribus duabus significationibus; at vero Græcum in tribus illis significationibus vsurpatum sæpe legimus. Matthæus igitur, & Lucas scribunt negatam virgam, seu *εγβδος* in secunda significatione, nempe percussiois, vindictæ, defensionis, Marcus concessam refert in tertia significatione, quamuis Latine significantior esset lectio, si loco virgæ nomen baculi appositum esset, Græcum vero nomen etiam baculum significat. Eadem est ratio nominis Hebræi שׁבט quod sceptrum, & virgæ percussiois significat, sicque in locis citatis pro priori, ac posteriori significatione, loco Græci nominis *εγβδος* habetur in Hebræo שׁבט præter loca. 1. Reg. 17. & Ezech. vbi distincta Hebræa nomina legimus, non autem שׁבט quod pro baculo fulciminis vix legitur in Scriptura, sed est nomen מׁשׁע vt supra diximus ex psal. 22. Virga tua, & baculus tuus. Latius ergo patet nomen Græcum, quod etiam baculum significat, idcirco apud Euangelistas idem est nomen, non tamen in eadem significatione: probabile tamen est Christum in Hebræo locutum, distinctis nominibus vsum esse, quando vnus prohibuit, vt referunt Matthæus, & Lucas, alterum concessit, vt narrat Marcus, sicque mihi videntur Euangelistæ in hac parte ad concordiam reuocandi.

Græcum nomen *πάβδος* tripliciter accipitur.

Quare in missione Apostolorum virgam eis Christus prohibuit.

NON sine mysterio voluit Dominus Apostolos in hac missione sine virga huiusmodi mittere. Patres autem antiqui causas varias protulere. Primo quidem Hieronymus Matth. 10. vnã adfert, nempe, quia præsidium Domini habebant, qui erat virga Iesse. Isa. 11. Hilar. vt supra diximus, ne potestate sæculari ibi vterentur, qui eam à Christo habebant. Ambrosius, Luc. 10. vt significaret Christus illos in spiritu mansuetudinis debere procedere. Mihi duæ maxime accommodatæ videntur, vnã est ad obseruantiam, altera est in significationem, prior quidem, vt doctrinam iam illis traditam obseruarent, vt diximus in præcedenti Annotatione, non se defendendi, nec vindicandi, quin potius omnia illata mala patienter sustinendi. Posterior autem, vt scirent

Neque peram, neque panem.

COMMENTARIA.

OMnem temporalis victus sollicitudinem eos deponere volens Christus, prohibuit, ne peram portarent in via, nec panes asseruarent, cogitantes de futuro via tempore; sed totam suæ viæ curam diuinæ prouidentia relinquerent, quæ illis necessaria quando, & quomodo oportuerit, ministrari faciet; ipsi vero toti incumbere prædicationi, & muneri, ad quod missi erant. Pera sacculus est, in quo iter facientes reponunt, & asseruant cibum: sub quo nomine etiam intelligere debemus vasa, in quibus potus conseruatur. Panis nomine cibus omnis significatur, quod Scripturæ est familiare Mar. 3. vt non possent manducare panem. Luc. 14. Beatus, qui manducabit panem in regno. Et iterum: Cum introisset Iesus manducare panem, & alibi sæpe.

ANNOTATIO VIII.

Pera quid sit, & ipsam quo modo Christus Apostolis prohibuit.

Pera sacculus est, in quo cibus reponitur, & asseruatur ab itinerantibus. 4. Regum 4. Venit (inquit) vir de Baalsana, deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua. Iudith 13. Iussit vt mitteret caput Holofernis in peram suam. Hæc maxime pastoribus est familiaris, de qua dicitur 1. Reg. 17. Tulit lapides, & misit illos in peram suam, Matthæus adiecit: Neque (inquit) peram in via. Chrysostomus in Math. homil. 33. notat, Christum voluisse in Apostolis sublimioris vitæ fundamenta iacere, iuxta illud, quod do. uerat, Matth. 6. Nolite esse solliciti in crastinum; & nolite esse solliciti, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hieronymus Matth. 10. rationem huius adfert: Propemodum, inquit, vitæ necessaria amputat, vt Apostoli veræ religionis Doctores, qui instituebant omnia diuina prouidentia gubernari, se ipsos offenderent nihil cogitare de crastino. Hæc ille. Quæ quidem doctrina vera est, limitanda tamen, quod hoc in loco solum prohibet præparationem in viam: nam pendet ista sententia ex præcedenti, nihil tuleritis in via, nec peram, nec panem, scilicet in viam. At illa sententia Matthæi, generaliter est de non asseruando aliquo in crastinum, seu futurum tempus etiam extra viam: Adiecit etiam idem Hieronymus ex hoc præcepto argui Philolophos, qui vulgo appellantur Bactroperitæ, quod contemptores sæculi, & omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum vehabant. Adde his, quod ad sensum literalem facit, fuisse ciuitates, & villas, in quas mittebantur Apostoli, sic inter se vicinas, vt non esset necessarium pera vti, aut cibi asseruatione in via.

Neque pecuniam.

COMMENTARIA.

SI diuina prouidentia illis de omnibus vitæ necessarijs prouidebat, superflua erat pecuniæ asseruatio; quæ idcirco prohibetur, vt eos ab omni auaritiæ suspicione liberos apud omnes reddat, & illis omnem occasionem, ac prætextum cupiditatis amputet, vt gratis dent, quæ gratis acceperunt, ac demum admirabiles omnibus videntibus faciat; debet autem hoc connecti cum superiori scilicet, ne in viam, seu pro viatico asseruent pecuniam.

ANNOTATIO VIII.

Quid prohibuit, ut sit Apostolis pecuniam nomine.

Matthæus sic habet: (Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.) Vbi notanda sunt duo; vnũ, quod ad litteram spectat, est illud (pecuniam) Græce haberi *χάλκος*, id est, æs. Distinguuntur enim tria genera metallorum, ex quibus pecunia conficitur: vt autem omnis pecunia prohibeatur, positum est nomen materis pro ipsa pecunia, sicut Actor. 3. Argentum, & aurum non est mi-

hi. Quamuis Druthmarus in Matth. cap. 27. interpretetur, ne auro, & argento, pro ornamento in zonis vrantur; ea tamen expositio parum est accommodata. Zona enim ponitur pro crumena, quæ solebat tunc zonis appendi, vt nunc etiam apud multos; aurum autem, & argentum pro pecunijs, quæ ex illis conficiuntur, sicut in loco allegato, Actorum 3. Alterum est non prohiberi hæc simpliciter, sed ne accipiant.

Non accipiant.

accipiantur in viam, seu pro viatico; idcirco adijci- tur: Nolite possidere in zonis vestris, quo notatur asseruatio; vt enim inquit Euthymius Matth. 10. moris erat, iter aggredientes crumenas in zonis portare, quibus reponbantur pecuniae, quod Marcus etiam significauit; inquit enim: Neque as in zonis: Lucas vero non adiecit hoc, quia prius dixerat: Nihil tuleritis in via, exponens postea, quae non erant in viam adferenda, scilicet pera, panis, pecunia. Per viam autem intelligere debemus non solum iter, quod ex vna in alteram ciuitatem, seu villam conficitur, sed etiam in eisdem locis mansioem; pro toto enim huius missionis tempore prohibitio facta est. Notandum etiam est, pecuniam apud Lucam haberi Graece ἀργύριον, id est, argentum; sic enim interpres vertit apud Matthaeum: Nolite possidere aurum, neque argentum, quamuis hoc idem nomen etiam significet generaliter pecuniam ex quacunq; materia constata. Quam significationem videtur apud Lucam habere, qui hoc solo nomine vsus est, idcirco interpres hoc in loco vertit pecuniam.

Quomodo Christus hoc loco prohibet Apostolis pecuniam quam alias concessit.

Quod vero ad rem attinet, occurrit difficultas in hac prohibitione: nam Dominus Apostolis pecuniam, & loculos concesserat ad emenda necessaria, & pro se & pro ipsis, etiam in via. Nam Io. 12. Iudas loculos habebat, & ea, quae mittebantur portabat. & Ioan. 4. Discipuli in via accesserunt ciuitati, vt cibos emerent: emere autem non poterant nisi dato pretio. & Ioan. 6. dixit Christus: Vnde ememus panes, vt manducet isti? Respondeo, has prohibitiones fuisse temporales, missionis istius tempore tantum perdura-

Neque duas tunicas habeatis.

COMMENTARIA.

NON prohibentur plura vestimentorum genera: nam & tunica utebantur, & pallio, illud interius, hoc exterius erat indumentum. interioris igitur indumenti numerus vetatur, non quod duo pallia licuisset habere, sed quod tunicas homines soleant saepius mutare, & maxime iter agentes; tunicas ergo mutatorias Discipulos in hac missione Christus habere noluit, vt omnem futuri temporis sollicitudinem ab illis amoueret.

ANNOTATIO X.

Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 30. interpretatur prohibitionem tunicarum duarum eam esse, ne vnam induiti, alteram futuro tempore reseruarent. Hieronymus etiam Matth. 10. notat non fuisse prohibitam Apostolis vestimentorum multipliciter, scilicet ne pluribus vestiti incederent, sed ne multa haberent, quibus & praesenti, & futuro tempore prouiderent. Verba Hieronymi sic se habent: In duabus tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum, non quo in loco Scythiae, & glaciali niue rigentibus vnaquis tunica debeat esse contentus; sed quo in tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti alii nobis futurorum timore seruemus. Hac Hieronymus. Ex eius igitur sententia poterant Apostoli duas tunicas simul induere: prohibitio enim est tantum, ne multas habeant, vnam, qua induiti incedant,

Duplicis tunicae prohibitio quomodo intelligenda.

ANNOTATIO XI.

Misit Lucas prohibitionem, qua Matthaeus retulit, nepe neque calceamenta, inquit, Cui prohibitioni videtur contradicere, quod Marcus scripsit, nempe Christum praecipisse, vt calceati sandalijs incederent. Ad hanc difficultatem primo loco Victor Antioch. Mar. 6. respondet, nimirum Christum secundum quandam indulgentiam permisisse vsu calceorum, ideo Matthaeus negat, Marcus affirmat, sicut de virga factum est.

Concordatur Matthaeus, & Marcus circa prohibitionem calceamentorum.

turas, vt recte notauit Chrysostomus serm. 9. in Epist. ad Philip. & in hom. in locum Pauli Rom. 16. Salutate Priscam, quae habetur in tertio tomo. Voluit enim Christus Discipulos nondum perfectos instruere, qua ratione diuinæ suae prouidentiae deberent fidere, omnique sollicitudinem temporalem deponere, vt praedicationi incumbere, & occasionem omnem auaritia amputare; idcirco haec praepcepta dedit, quae postea, quando misit eos in vniuersum mundum Euangelizare, non erant necessaria illis, quippe qui gratiam Spiritus sancti abundantissimam acceperant, qua ita perfecti euaserunt, vt huiusmodi exterioribus prohibitionibus non indigerent; ante huiusmodi vero gratiam acceptam docendi erant talibus praepceptis, fiduciam omnem in Christo collocare, eiusque potentiam experientia agnoscere, quod ipse Dominus Luc. 21. significauit, dicens: Quando misit vos sine sacco, & pera, numquid aliquid defuit vobis? Praeterea etiam, quia longe alia ratio erat habenda in orbis totius peregrinatione, quam in vnius prouinciae non admodum lata itinere conficiendo. Quod si Iudas loculos habuit & asseruabat eleemosynas, de mandato Christi id factum est, quia cum Christo conuiuiebant non bini & bini, sed omnes simul, & copiosiori viatico indigebant, & tempore longiori: nisi autem eleemosynas conseruassent, viuere non potuissent citra miraculum; frequentissime enim iter conficiebant, nec tunc eleemosynas colligere poterant. Christus autem morem humanum amplecti in hoc voluit: non autem miraculo vt. De hac etiam re sequenti Annotatione plura dicemus.

Calcei a sandalijs differunt.

Matthaei locus dignus est mercenarius, &c. Explicatur.

Hi namque Doctores idem senserunt de virga. Tertio loco Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 30. sandalia apud Marcum figurate, & spiritualiter intelligenda censet, vt pes neque testus, neque nudus sit ad terram, id est, nec occultetur Euangelium, nec terrenis comodis innitatur. Hac sententia difficile accommodatur contextui Marci, cum reliqua non figurate, sed proprie posita sint. Verius ergo, & accommodatius dicemus, si distinguamus calceos a sandalijs. Sandalia enim sunt, vt recte Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 30. dicit, quae partem superiorem pedis non tegunt, sed solam inferiorem, nempe plantam, corrigijsque in

parte superiori ligantur. calcei vero sunt, qui totum pedem contegunt, quae dicuntur a Mattheo ὑποδηματα quasi subligacula a verbo ὑποδήω id est, subligo: nam olim calcei vinculis, & ligaminibus comprimebantur iuxta illud Virgilianum lib. 8. Et Tyrrena pedum circundant vincula plantas. Horum vsus prohibetur, vt narat Matthaeus, illorum conceditur, vt refert Marcus. Sicque concordantur Euangelistae de calceis, & sandalijs. Diximus plura in commentarijs in Ioannem cap. 1. annot. 65 sicut igitur concessit Christus virgam in corporis sustentaculum, sic sandalia in pedum defensionem.

ANNOTATIO XII.

Misit etiam Lucas, quod Matthaeus post haec dixit, scilicet: Dignus est operarius mercede sua. Significauit his verbis Dominus non tantum se diuina sua prouidentia necessaria omnia illis ministrari curaturum, sed etiam illos, quibus annunciandum erat Euangelium, teneri eis subuenire, & necessaria suppeteret, & ipsos Apostolos iure posse ab iis talia exigere, & recipere. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 30. existimat haec verba indicare finem, quare Dominus Apostolis illa omnia prohibuerit, nimirum, vt significaret eos potestatem habere ab ijs, quibus praedicatum erat, necessaria sibi poscere. At vero existimo non sic posita

esse haec verba, quasi finalem causam prohibitionis explicarent, cum ob alias causas, & fines sic prohibitio facta, vt supra dictum est; sed posita sunt haec verba cumulatue ad confirmandos animos Discipulorum, ne dura videretur talis, & tanta prohibitio. Ultra enim mittentis prouidentiam, potestas dabantur illis necessaria exigendi. Addit Augustinus, his verbis (neque argentum, neque aurum, neque pecuniam) non auferri potestatem habendi haec, sed significari potestatem accipiendi necessaria ab ijs, quibus annunciabant. Hoc dictum non videtur satis accommodatum: nam verba prohibitionem significant, sed pro huius missionis tempore, vt diximus.

Et in quamcumque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.

COMMENTARIA.

Prosequitur Dominus Apostolos instituere, praecipit, vt cu in ciuitatem aliquam aut castellum introierint, vnam domum eligant, in quam se recipiant, nec inde exeant, vt in aliam dierrant, hospitium mutantes; sed perseuerent, donec in ea ciuitate, & castello permanerint; ne domum mutantes contendant, ac perturbent eum, a quo recepti sunt, & ne etiam ipsi aut leues, & inconstantes, aut ventri dediti alijs videantur; & ne, dum hospitia mutant, in locum parum convenientem incidant; aut se errasse prius ostendant. Eligendi ergo optionem Discipulis datur, sed mutandi facultatem amputat.

ANNOTATIO XIII.

Quod ad litteram spectat, Matthaeus, & Marcus habent (Illic manete, donec exeatis,) quod non est contrarium, quod Lucas scribit: ibi enim manere eos iubet, donec exeant inde, id est, a ciuitate, seu castello, in quod diuerterunt; Dum tamen in tali ciuitate, aut castello permanent, praecipit ne a domo, in quam se primo receperunt, exeant, vt in aliam domum se recipiant. Omiserunt autem Marcus, & Lucas vnum aliud, cuius meminit Matthaeus, inquit enim: (In quamcumque ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis.) Oportet prius inuestigare idoneum hospitium, ne cogantur postea illud mutare: prouider ergo modum ne citi essent in iudicando, & leues in mutando. Dignus autem hospes dicitur, non qui diues est, aut nobilis, sed qui bene audit, & honeste opinionis est apud alios, ne, vt Hieronymus notat, praedicationis dignitas suscipiens infamia deturpetur, idcirco Dominus praecipit vt famam eius a populo exquirant: Interrogate inquit, quis in ea dignus sit; Apostoli enim nouam introeuntes urbem scire

Concordia de superiori sententia inter Matth. Marc. & Lucam.

non poterat, qualis esset vnusquisque. Notat etiam Hieron. digni appellari eu, qui hospitio recipit, vt nouerit se magis gratiam recipere in Apostolis recipienda quam dare. Cui consonat illud Heb. 11 quibus mundus non erat dignus. Verba haec spiritualiter interpretatur Ambros. ser. 32. Quod autem ad connexionem huius sententiae attinet, recte Chrysost. hom. 33. in Matth. dicit nimirum, quia praecipiens Dominus, Apostolis praesertim peram, panem, &c. dixerat: Dignus est enim operarius mercede sua, ne hoc verbo Apostoli omnium domos sibi patere existimarent, sed magnam in hoc etiam moderationem habendam sibi esse sciens, ad citius subiunxit, in quamcumque domum intraueritis, ibi manete. Causae autem in commentario expostae sunt, quarum prima, & secunda Chrysost. sunt, secunda etiam est Victoris Antioch. Mar. 6. Tertia est Iudithae. Quarta Ambros. serm. 32. Cuius verba sunt: Reprehensibile est, vt vir, qui Euangelium annunciat, & docet erradum non esse, ipse per diuersos indiciat oberrare, & domum, cui pacem dixerat, deserere, hospitiumque, cui benedictionem intulerat, contristare.

Et quicumque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.

COMMENTARIA.

Valiter se erga eos, qui ipsos recipere, & sermones eorum audire detrectarent, gerere deberent, docet, sensus est. Si alius loci, in quem diuer-

teritis, homines vos recipere, & praedicationi vestrae acquiescere noluerint; tunc exite de loco illo, ciuitate, aut castello, atque etiam puluerem pedum, quem contraxistis, excutite; id est, non solum exite ab eis, sed etiam puluerem, qui pedibus vestris de eo loco adhaesit, extergite, & hoc in testimonium supra illos, id est, hoc puluere testificantes non vos, sed eos esse in culpa. Igitur exire iubet, ut tempus, quod inutiliter ibi consumendum erat, alijs ciuitatibus annuntiando fructuose expendant. Puluis autem pedum excutitur in testimonium contra illos, quasi id sit testimonium, Discipulos, quod ad se pertinebat, egisse, nec per eos steterit, quo minus praedicarent verbum salutis, totamque culpam fuisse illorum, qui suscipere volebant, nec solum hoc, sed etiam Discipulos nihil ab eis quaesuisse, nec proprijs commodis inseruire voluisse, sed illorum tantum saluti consuluisse.

ANNOTATIO XIII.

Quid hec pulueris excussio a Christo praecipitur significet.

Huius pulueris excussio exemplum habemus in Paulo, & Barnaba Act. 13. qui cum ab Antiochia Pisidijs a Iudaeis alijs concubibus Euangelium audire detrectantibus expulsi essent, excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium. Quid autem haec pulueris excussio significet, varie Doctores explicant. Chrysostr. homil. 33. in Matth. & Hierony. in commentario eiusdem, duas causas producant. Vna est, ut pulueris excussio sit testimonium laboris Apostolorum, quod ipsi ingressi sint ciuitatem, & eorum praedicatione ad illos peruenerit. Altera est, ut sit testimonium se ab iis, qui Euangelium spreuerunt, nihil recepisse, nec ad victum quidem necessaria. Druthmarus his duabus ab ipso narratis, addit tertia, nempe ut sit testimonium, quod illi Euangelium spreuerint. Victor Antiochenus Marc. 6. quandam aliam adducit, quae primae quodammodo similis est, aliquanto tamen diueria, nempe ut pulueris excus-

sio sit testimonium laboris Apostolici frustra suscepti, ut non solum testetur se laborasse, & praedicasse in loco illo, ut Hierony. & Chrysostr. notarunt, sed etiam frustra, & sine fructu laborasse. Quinta causa est Hilar. can. 10. in Matth. nempe ut per hanc pulueris excussio significarent Apostoli, se totum peccatum proicere in tales homines, qui eos non receperunt; inquit enim, ipsam terram quodammodo insci a malitia inhabitantium in ea: inde Apostoli non solum homines tales, sed etiam terrae puluerem habitationis eorum abiicere a se, quasi omnia impia sint, seque immunes esse omni ex parte a peccato eorum, tali facto significabant, & totam maledictionem, & iram Dei in illos solos conuerti debere indicabant. Eadem est expositio Euthymij Matth. 10. Haec sunt expositiones Doctorum, quas probabiles esse non negamus. Nobis prima secundae coniuncta omnium visa est probabilissima.

ANNOTATIO XV.

Quod ad literam spectat, Matthaeus habet: Quicumque non receperit vos, nec audierit sermones vestros. Marcus praetermisit illud, sermones vestros. Lucas autem utrumque omisit, nepe, audierint sermones vestros. E contra vero Matthaeus non habet illud: In testimonium supra illos. Marcus autem & Lucas legunt: Marcus quidem: In testimonium illis. Lucas vero: In testimonium supra illos. quod eiusdem est sensus, scilicet ut hec excussio pulueris testis sit quidam culpa, & iniquitatis illorum, & eos accuset in iudicio supremo. Est etiam aliud notandum quantum ad literam, nimirum Lucae, & Marcum omisisse verba, quae refert Matthaeus in fine post illam sententiam (ibi manete donec exeatis) adiungit (intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. & si quidem domus digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.) statim sequitur, quod Marcus etiam & Lucas referunt: Quicumque non receperit vos, &c. Est autem sensus huius praetermissae sententiae talis: si habitatores domus illius, in quam intraueritis, digni fuerint, veniet illis bonum, quod imprecabimini; nempe pax, & obedientia Euangelij, quae salutis est causa; si autem non fuerint digni, id vos reuertetur, id est, vos mercede vestra non priuabimini, nec fructum boni operis amittetis.

Est adhuc notandum, quod ad literam spectat, post sententiam expositam de excussione pedum adiunxisse Matthaeum, quae Marcus, & Lucas tacuerunt, nempe: Amen dico vobis (tolerabilis erit terra Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati) quibus verbis Dominus significat grauitatem culpa, & peccati hominum non suscipientium Apostolorum praedicationem; indicatur enim culpa grauitas ex poenae seueritate, seuerius enim illi punientur, quam Sodomitae, & Gomorrhæi illi, non quod peccata illorum omnia grauiora fuerint, quam horum, sed quod caeteris peribis; nempe eadem peccata commissa ab ijs, & ab illis grauius punientur; in istis, quae spreuerunt Apostolos, quam in illis Gomorrhæis, qui non audierunt Euangelium: tanto enim grauior est culpa, & acioni digna poena, quanto qui deliquit, maiora habuit incitamenta, & auxilia, & remedia ad peccati poenitentiam. Exaltior harum sententiarum declaratio ad commetaria in Matthaeum spectat; sicut & multorum aliorum documentorum, quae Christus Discipulis vltima praedicta dedit, quae narratur, scilicet: Ego mitto vos sicut oves in medio luporum, estote ergo prudentes, sicut serpentes, & multa alia.

Culpa grauitas eorum qui non suscipiunt Euangelium.

Egressi autem circuabant per castella euangelizantes, & curantes ubique.

COMMENTARIA.

Acceptis praecipis Christi abierunt Apostoli, & a loco, in quo cum Christo erant, egressi, discurrerunt per ciuitates, & castella, exequentes, quae illis fuerant imposita, nempe praedicare Euangelium, annunciantes Christi aduentum, & poenitentiam, ac infirmos curantes.

ANNOTATIO XVI.

Locus Marci de vnctione infirmorum exponitur.

Marcus distinctius scripsit; inquit enim: Et exeuntes praedicabant, ut poenitentiam agerent, & daemonia multa eiiciebant, & ungebant oleo multos aegros, & sanabant. Huius vnctionis solus meminit Marcus inter Euangelistas. Hoc est oleum, cuius meminit Iacobus in sua Canonica cap. 5. Infirmatur (inquit) quis in vobis, inducat Praesbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes in nomine Domini, & oratio fidei saluabit in firmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Est enim sacramentum vnum ex septem, quod ut Sancta Synodus Trident. sess. 14. docet, insinuatum est his Marci verbis: per Iacobum autem commendatum, & promulgatum, & distinctius expressum. Docet enim Iacobus materiam, formam, ministerium proprium, & effectum huius Sacramenti. Victor Antiochenus Mar. 6. hoc oleo dicit Sacramentum significari, de quo Iacobus etiam scripsit. idem no-

tauit Euthym. eodem loco, similiter Beda, & Theophylactus. putant hi Doctores Apostolos Sacramentum hoc vfos esse, quando aegros illos ungebant, quo nunc nos vtimur, & Iacobus docuit. Concilium tamen solum dicit, insinuatum esse hoc Sacramentum, non autem eam tunc vnctionem fuisse Sacramentum ipsum, idque verius est. Hoc tamen tenendum est, Apostolos ex Christi ordinatione vfos fuisse hanc vnctionem, oleumque istud non naturalis, sed Christi ordinantis virtute aegris contulisse sanitatem. Merito autem Dominus mittens ad nunciandum Apostolos, vnctionem olei saluiferam imposuit, ut qui Christum Messiam, id est, diuinitate vnctum, ad saluandum venientem annunciant, oleo quodam exteriori saluifero significarent. Christus enim Graece, & Messias Hebraice vnctum significant. Haec autem prosequi non est instituti praesentis.

Audiuit autem Herodes Tetrarcha omnia, quae fiebant ab eo.

COMMENTARIA.

DVM Discipuli missi haec agebant, fama operum mirabilium, quae Christus faciebat, ad Herodem peruenit. Homo hic negotijs saeculi huius distractus, & de salute sua parum sollicitus sero audiuit signa Christi. Hoc enim tempus, quando ad eum fama peruenit, erat prope tertium Pascha praedicationis Christi. Erat autem Herodes iste filius magni illius Herodis, qui infantes occiderat, quique paterni regni partem a Romanis nomine Tetrarchiae acceperat, ideo Tetrarcha dictus est, de quo diximus supra cap. 3.

ANNOTATIO XVII.

Herodes cur Tetrarcha eius.

Huius historij ordine temporis non seruato meminit Matthaeus cap. 14. at Marcus, & Lucas praecedentibus connectunt, nempe dum Discipuli missi sunt, immo ex eorum praedicatione credibile est, famam Christi ad Herodem peruolasse, quod Marcus insinuat, dicens: Et audiuit Rex Herodes (manifestum enim factum est nomen eius) Victor Antioch. affirmat Tetrarcham dictum, quia quarta pars regni paterni ei obuenit, quod quidem non sic intelligi, quasi Regnum Herodis magno fuerit in quatuor partes diuisum; non enim partitum est nisi in tres, sic ut medietas Archelao sit data. Altera in duas diuisa est, & Herodi huic vna, Philippi fratri altera concessa, & quamuis a quarta parte Regni sit sumptum no-

men Tetrarchiae, non semper Tetrarchia dicebatur quidam principatus regno inferior. de his supra c. 3. dictum est.

Difficultas autem vna occurrit, quomodo a Marco hic Herodes appellatus sit Rex, quem Matthaeus, & Lucas Tetrarcham dixerunt. Huic responderi potest Victor Antioch. dicens id factum siue, quia coeuetudini paternae id tributum est, siue ex quadam licentia locutionis. Accommodatius tamen responderi potest dictum regem ob potestatem, quae re ipsa regia erat, licet nomen regis non obtinuerit. Esse autem Tetrarchiam principatum ad instar regni, tradit Plinius lib. 5. c. 18. & 21. & 23. & Iosephus saepe Tetrarchias regna appellat.

Quo modo Herodes a Luca rex dicitur & Tetrarcha a Matthaeo & Marco.

Et haesitabat.

COMMENTARIA.

Auditis his omnibus, quae Christus faciebat, dubitauit, & haesitauit Herodes, qui esset is, qui tanta opera edebat, cur autem haesitaret, & dubius esset, sequens sententia significat.

Eo quod diceretur a quibusdam, quia Ioannes surrexit a mortuis: a quibusdam vero, quia Elias apparuit: ab alijs autem, quia Propheta unus de antiquis surrexit.

COMMENTARIA.

Haec est causa, cur haesitauerit Herodes, multiplex nempe populi opinio de Christo; quidam enim existimabant eum esse Ioannem, quem iam Herodes decollauerat, a mortuis arbitrantes illum surrexisse: quidam Eliam, qui per Malachiam venturus ante Christum praedictus erat: Quidam alij vnum ex prioribus Prophetis, qui surrexerat, iuxta illud Matth. 16. Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Haec varietas opinantium reddidit Herodem ambiguum & animo perplexum, ut non haberet exploratum, quis esset Iesus. Omnes autem in hoc conueniebant, non esse eum vulgarem hominem, quasi vnum ex caeteris; opera enim eius vulgaria non erant, nemo tamen eorum veritatem nouit, eum esse Christum & Messiam.

ANNOTATIO XVIII.

Varietas le-
gionum, & E-
uangelistarum
concordia cir-
ca locum pro-
ximium Lucae.

Occurrit difficultas vna ex verbis Marci; nam primam opinionem, nempe Ioannem esse, qui surrexit, non multis, sed vni Herodi tribuit, reliquis vero duas de Elia, & Propheta Iudæis, sicut & Lucas adscribit. Inquit enim sic: Et audiuit Rex Herodes (manifestum enim factum est nomen eius) & dicebat, quia Ioannes Baptista surrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo. Alij autem dicebant: quia Elias est; alij dicebant, quia Propheta est, quasi vnus ex prophetis. Hæc Marcus. verbum ergo singulare (dicebat) ad Herodē referri solum videtur. Lucas autem ad Iudæos refert, inquit enim: A quibusdam dicebatur, quia Ioannes surrexit à mortuis, immo hanc multorum opinionē, causam asserit fuisse, cur Herodes hæsitauerit. Aduerte Augustinum lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 43. apud Marcum legisse, & interpretatum esse in plurali (dicebant.) Similiter & Beda in commentario Marci, & S. Thomas in catenas; ad turbas enim refert. quod si sic legamus, plane concordant Marcus, & Lucas, Græca vero exemplaria habent in singulari ἔλεγε, dicebat, sicque legunt Latina communiter. Prior lectio valde est accommodata: tum quia cum Luca concordat; tum etiam quia contextui ipsi quadrat, alij (inquit) dicebant Eliam, &c. Et post hæc addun-

tur verba Herodis, nempe, quid dixerat, postquam aliorum opiniones audierat. Græce autem parum est discriminis, nempe in vna littera, nam ἔλεγε, pluralis est numeri. At si legamus in singulari, dici posset eundem sensum retinendum, positumque esse per enallagen numerum pro numero, vt in Scriptura sæpe fit: quod si adhuc ad Herodem referamus in singulari, dicendum est, Herodem cum multis aliis eius esse opinionis, ob id Lucas multis, Marcus Herodi adscripsit, idque per quandam anticipationem: nam prius turbæ, postea audita opinionum varietate Herodes, id protulit, vt paulo inferius explicabimus. Occurrit etiam aliud notandum apud Marcum, nempe illud, (Alij dicebant) quia Propheta est. vnus ex prophetis) Græce haberi coniunctionem disiunctiuam, scilicet Propheta, aut vnus ex prophetis, notatque Euthymius, in quodam exemplari haberi cum articulo, ille Propheta, nempe ille, quem Iudæi cum Christo venturum putabant, promissum per Moysem Deutero. 18. Prophetam (inquit) suscitabit tibi Dominus. hic Messias erat; tamen errantes Iudæi opinabantur futurum aliquem insignem, qui cum eo venturus erat: diximus plura de hac re, & de aliis ad hanc sententiam pertinentibus in commentariis in Ioannem cap. 1.

*Et ait Herodes: Ioannem ego decollauit, quis est autem iste, de quo ego talia audio?
Et quærebat videre eum.*

COMMENTARIA.

Herodes variis de Christo auditis opinionibus populi, primæ tamquam probabiliiori sibi visæ consensit, vnum affirmans, de altero hæsitans. Ioannem (inquit) ego decollauit, inde scio mortuum esse: an autem iste, de quo tam mira audio, sit Ioannes, quasi à mortuis surrexerit, an alius quispiam, non assequor, nec explore noui. Subdit Euangelista Herodem ea de causa studuisse videre Christum, nempe, an aspectu inuestigare posset, esset ne Ioannes, quem sæpe viderat. Quærebat autem non deuotione, sed curiositate.

ANNOTATIO XIX.

Elucidatio su-
perioris sen-
tentie.

Euthymius Matth. 10. hanc Lucae sententiam sic interpretatur, vt Herodes negare velit eum, de quo talia audierat, esse Ioannem, quasi diceret, mihi certum est Ioannem occisum esse, & non viuere; ego enim decollauit eum: consequens igitur est illum non posse esse Ioannem. sic etiam Chrysostomus homil. 49. in Matth. interpretari videtur. Hæc tamen interpretatio, licet verbis solis huius sententia accommodari posse videatur; tamen contextui aptari non potest: nam turbæ dicebant Ioannem surrexisse à mortuis; sciebant enim eum decollatum esse. huic turbarum opinioni non quadrant verba Herodis, vt Euthymius interpretatur. Ego decollauit eum, idcirco non potest esse Ioannes, quia dicerent turbæ, nos non dicimus esse Ioannem, qualis prius erat, quasi non esset occisus, sed af-

firmamus Ioannem post decollationem surrexisse, sicut etiam Prophetæ mortui erant, & eorum quidam occisi, non tamen propterea consequebatur esse non posse, quod alij dicebant, nempe esse Ieremiam, aut vnum alium ex prioribus prophetis; nec Herodes impossibile id iudicauit. Non ergo Euthymij interpretatio accommodari potest contextui. Ea vero, quæ posita est in commentario, visa est probabilior, quæ sequenti annotatione magis confirmabitur. Cui consentit Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 43. dicens, hanc sententiam esse dubitantis, an Christus esset Ioannes. Herodem autem quæsiuisse videre Christum, vt exploraret, Ioannes ne esset, quem sæpe viderat. testatur Victor Antiochenus, Mar. 6.

ANNOTATIO XX.

Concordia E-
uangelistarum
circa opinio-
nem Herodis
de Christo
quod esset Io-
annes.

Gravior difficultas est, nam Matthæus, & Marcus significare videntur Herodem non hæsitasse, sed existimasse, & affirmasse eum, de quo talia audiebat, esse Ioannem Baptistam, quem ipse decollauerat. inquit enim Matthæus cap. 14. Audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu, & ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Marcus autem cap. 6. sic habet. Quem ego decollauit Ioannem, ipse à mortuis surrexit. Huic difficultati Doctores antiqui mul-

tipliciter respondent. Primo Augusti. lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 43. duas adfert solutiones, vna est vt à principio Herodes hæsitauerit an esset Ioannes is, de quo tanta audierat, hancque hæsitacionem Lucas refert, postea vero de posita hæsitacione crediderit, eique opinioni consenserit, quod Matthæus, & Marcus narrarunt. Altera solutio est, vt semper hæsitauerit, verbaque Matthæi, & Marci etiam per modum interrogationis, ac dubitationis sint legenda in hunc sensum. Numquid hic est Ioannes Baptista

Baptista, qui surrexit, & ideo virtutes operantur in eo? Similiter. Numquid, quem ego decollauit Ioannem, ipse surrexit à mortuis? Vtroque modo Euangelistæ concordant. Has duas solutiones adfert etiam Beda in commentario Marci. Chrysostomus hom. 49. in Matth. priorem sequitur solutionem, vt prius hæsitauerit, postea vero assenserit, & affirmauerit. Tertiam solutionem adfert Auctor commentariorum in Marcum, qui Hieronymo adscribuntur, quæ non multum differt à posteriori Augustini; inquit enim Herodem existimasse non esse Ioannem, vt dicit Lucas. quæ autem à Matthæo & Marco scriptæ sunt, asserit per ironiam esse dicta, non quasi affirmauerit, sed quasi negauerit Ioannem esse. Conuenit in sensu hæc solutio cum posteriori Augustini, differt in modo; Augustinus enim per modum dubitationis, & interrogationis censet verba illa apud Matthæum, & Marcum esse pronuntiata: hic vero auctor per ironiam, & irrisionem. vterque modus sensum habet negantem. Hæc tamen expositio tam posterior Augustini, quam quæ est huius auctoris, mihi violenta apparet; sunt enim, verba Matthæi, & Marci, & maxime Matthæi, sic expressa, & aperta, vt nec dubitationem, nec ironiam continere possint, nisi multum à communi modo loquendi detorqueantur. Quartam solutionem habet Euthymius Matth. 14. nimirum Herodem vere suspicatum esse, & existimasse Christum esse Ioannem, qui à mortuis surrexit; tamen non eodem modo de eo cum alijs locutum esse: nam loquens ad turbas negabat esse Ioannem, vt Lucas refert, timens ne turbæ ad eum concurrerent, & contra eum seditionem concitarent; at vero pueris suis, ac familiaribus id affirmabat, vt Matthæus, & Marcus referunt, hæc videtur solutio Chrysostomi, tamen paulo differentior: nam Chrysostomus dicit à principio dubitasse Herodem, tamen postea credidisse esse Ioannem, id

tamen existimans non omnibus fatebatur, sed suis familiaribus, cæteris vero negabat. Euthymius autem an Herodes prius hæsitauerit, an hæsitasse sinxerit, non distinguit, nec declarat. Hæ sunt sententiæ doctorum fideliter explicatæ. Inter quas mihi omnino probatur prior Augustini, vt à principio dubitauerit Herodes, quis esset Christus, postea vero hæsitacione deposita tenuerit eum esse Ioannem, cui expositioni, si quis existimet adiungendum, quod ex Chrysostomo diximus, non improbabiler sentiet, scilicet Herodem postquam Ioannem esse putauit, non omnibus id affirmanter dixisse, sed solis pueris, vt dicit Matthæus; cæteris vero locutum esse cum dubitatione, & hæsitacione, vt Lucas meminit, quod ex timore, vt diximus fecit, de quo Euthymius Matth. 14. recte sic notauit; Vide, inquit, rem admirabilem, is, qui interemerat, timet interemptum; talis enim est, qui iniquus est, vt & mortuos timeat: & talis est, qui virtutem colit, vt pauorem etiam post mortem immitat viuentibus. Quod si quis dicat Herodem non timuisse, sed à principio dubitasse, postea affirmasse tam suis, quam cæteris, Christum esse Ioannem, probabilius dicit, maxime quia Marcus absolute scribit, non pueris determinate, sed sine restrictione Herodem affirmasse Christum esse Ioannem. quæ fuit sententia primo loco ab Augustino recitata, sicque ego sentio. Quæ ergo Lucas narrat, prius gesta sunt, quando dubius, & perplexus erat Herodes; quæ vero Matthæus, & Marcus, postea euenerunt, iam perplexitate remota, & forsan primo locutus est suis pueris, ac ministris, vt refert Matthæus. postea cæteris, vt dicit Marcus. Notandum hic est, quanta sit Herodis stupiditas, confitetur se decollasse iustum, confitetur reuixisse, confitetur fortiorum esse, quam prius: nam virtutes dicit operari in eo, & tamen ad patrati delicti penitentiam non flectitur.

Herodis stul-
ticia, & obsti-
natio.

Et reuersi Apostoli narrarunt illi, quacumque fecerunt.

COMMENTARIA.

Reuersi Apostoli à missione Christo renunciant omnia, quæ fecerant, & docuerant, vt ab eo discant, an secundum eius voluntatem se gesserint. Verbi Christi prædicatores, & qui animarum curam habent, sic se debent gerere, vt non erubescant Christo se præsentare, & omnia sua gesta aperire. Nouerat Christus quacumque fecerant; nec indigebat eorum relatione, sed vult Apostolos suas agere partes, vt suorum operum reddant rationem ei, qui misit eos.

ANNOTATIO XXI.

Marcus sic habet; Et conuenientes Apostoli ad Iesum renunciantur ei omnia, quæ egerant, & docuerant. Recte dicuntur conuenisse: nã diuisi erant bini, & bini, quando missi sunt: at reuersi conueniunt omnes ad Magistrum, & quia acceperunt à Christo do-

cumenta eorum, quæ facturi erant, & docturi, idcirco renunciant, quæ egerant, & docuerant, narrantes etiam ea omnia, quæ ex eorum prædicatione, & missione euenerant apud eos, ad quos missi sunt. Huius reditus Matthæus non meminit.

Et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaida.

COMMENTARIA.

Post missionis laborem assumit Apostolos in desertum locum, vt requiescant corpore. Corpus enim mortale hoc requie alterna opus habet: maxime quia turbis superuenientibus opprimebantur; & vt post actionem vacent etiam parumper contemplationi: Et qui aliorum saluti intenti fuerant, sibi etiam consulant; ad seque reuertantur, qui erga alios erant distracti. locus desertus hic est prope stagnum Genesareth, trans Iordanem iuxta castellum nomine Bethsaidam, de quo Ioan. 6. facta est mentio.

ANNOTATIO XXII.

Marcus vnam causam huius secessus refert: nam cap. 6. sic habet: Ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum; erant enim,

qui veniebant, & redibant, multi, & nec spatium manducandi habebant, & ascendentes in nauim abierunt in desertum locum seorsum. Hæc ex Marco,

Victor autem Antiochenus ibidem sic habet: Per hoc Christus Dominus Ecclesiae doctores, & pastores monet, ne externis turbis perpetuo se dedant: sed priuatim saepe, secretoque agentes animum colligant, eundemque a publicis negotiis, & occupationibus quantum res patitur, identidem se vocent. Docet per hanc eadem etiam in verbi ministerio deludantes nonnumquam respirare, & interquiescere, seseque, & corpus suo tempore curare, & rescire debere; maxime vero post ministerium absolutum. Hanc ille. De priori documento videndus est Gregorius in Pastora, par. 2, cap. 7. in principio, De posteriori au-

tem idem Gregorius lib. 28. cap. 6. Matthaeus cap. 14. alteram causam huius secessus adfert, nempe quia audiuit Ioannis decollationem ab Herode factam, sic habet: Quod cum audisset, secessit inde in nauicula in locum desertum seorsum. Texit enim historiam de secessu eo tempore, quo audiuit Christus decollationem Ioannis; fama tamen decollationis peruenit ad Christum aliquanto post tempore, quam sit facta decollatio, quando scilicet venerunt Discipuli a missione. Videndus est de hoc Augustinus lib. 2. de consen. Euangel. cap. 45.

Quod cum cognouissent turbae, secutae sunt illum.

COMMENTARIA.

Querunt turbae Christum cum Discipulis transfretasse, & venerunt pedestres in locum, in quem Christus transfretauerat. tanto illius doctrinam audiendi desiderio, ac sanitatem corporum impetrandi cupiditate agebantur.

ANNOTATIO XXIII.

Matthaeus, & Marcus pedestres turbas secutas esse referunt; sic enim ille inquit: & cum audissent turbas secutas sunt eum pedestres de ciuitatibus. Hic autem sic habet: Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi, & pedestres de omnibus ci-

uitatibus concurrerunt illuc, & praeuenerunt eos. Quo autem pacto potuerint sequi pedites, quo transfretauerat Christus, exposuimus in commentario in Ioan. cap. 6. ubi fit mentio de eodem miraculo.

Et excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei; & eos, qui cura indigebant, sanabat.

COMMENTARIA.

Verbas venientes primo humanissime recepit, vultu, ac exterioribus signis benignitatem animi erga illos declarando. Secundo, doctrinae suae verbum communicauit, docendo, & instruendo de Regno Dei, id est, de aduentu Messiae, & de iis, quae agenda ab illis erant. Tertio infirmos eorum sanauit. Docebat verbis confirmando operibus, sicque animabus, ac corporibus consulēbat.

ANNOTATIO XXIII.

Marcus praemittit quaedam sic: Et exiens, vidit turbam multam lesus, & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem,

& coepit eos docere multa. Quod Lucas nunc dicit, connecti debet illis verbis: Non habentes pastorem, tunc excepit eos, & multa docuit de regno Dei.

Dies autem caeperat declinare.

COMMENTARIA.

Docendo, & infirmos curando paene diem totum Christus consumpserat, ob id dicitur dies coepisse declinare, & iam aduersperascere, quando imminabat hora ad hospitium reuertendi, & corpora cibandi. Miranda est in turbis aueritas, & studium manendi cum Christo; quae enim corporum necessaria erant, negligebant. Marcus dicit: Cum iam hora fieret, id est, nox iam appropinquaret. Matthaeus inquit: Vespere iam facto, id est, Solis occasu.

Et accedentes duodecim dixerunt illi.

COMMENTARIA.

Apostoli videntes Christum docendis, ac sanandis turbis intentum, quae diuina sunt non considerantes, Christum admonent, quasi loci, & temporis rationem non haberet, nec cogitaret turbam refectioe corporum indigere, quam illo deserto loco haberi non posse arbitrabantur, ideo accedunt ipsi, dicentes:

Dimitte turbas, ut euntes in castella, uillasque quae circa sunt, diuertant, & inueniant escas, quia hic in loco deserto sumus.

COMMENTARIA.

Propriam virtutem Apostoli intuentur, non quae Christi erat, idcirco admonent, ut turbas dimittat, concedatque tempus diuertendi in loca proxima, ut cibum sibi parent, allegantes loci deserti inopiam, in quo necessaria deerant.

ANNOTATIO XXV.

Hanc sententiam Matthaeus, & Marcus etiam referunt. Ille sic inquit: Desertus est hic locus, & hora iam praeteriit, Dimittite turbas, ut euntes in castella emat sibi escas. Similia fere verba habet Mar-

cus. Quod ad rem spectat. Aduerte tunc nondum miraculum multiplicatorum panum Christum edidisse; nam quod refert Matthaeus 15. quando septem sortae fragmentorum superauerunt, fuit isto posterius; non ergo

erge mirum, si Discipuli non sunt suspicati, quod Christus facturus erat, immo post hoc miraculum factum iterum ad humanas considerationes conuertuntur. nam Matth. 15. dixerunt: Vnde nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam? Quanto magis nunc, quando nihil tale viderant? Et quod magis mirandum est, quod etiam ponderauit Chryso-

homil. 50. in Matth. post vtrumque miraculum, adhuc humana intuentur, quando Matth. 16. audito sermone dixerunt, quia panes non accepimus. Et quamuis nunc praeueniens, multos sanauit aegrotos, ut dicit idem Chrysof. tamen adhuc imperfecti Discipuli nihil de Christi virtute cogitarunt, nec ad aliorum se erexerunt.

Ait autem ad illos: Vos date illis manducare.

COMMENTARIA.

Prouocat Discipulos ad cibos ministrandos turbis, ut illis se non habere testantibus, magnitudo signi notior fiat; atque ut eo verbo ipsos erigat ad diuinam ipsius virtutem considerandam; occasio enim illis dabatur dicendi: Tu potius da, qui infirmos eorum sanare potuisti; dum enim inuitat eos ad ea, quae non poterant, quodammodo arguit, quod cogitent, & loquantur de eo minus, quam poterat.

ANNOTATIO XXVI.

Matthaeus refert verbum alterum Christi, nempe: Non habent necesse ire, date vos illi manducare, insinuans se illis velle dare cibum, & non dimittere in ciuitates, & castella, Norat autem Chrysof. homil. 50. in Matth non dixisse; Ego dabo eis: sed, Vos date: quia illi, ut homini loquebantur, idcirco ut homo responderet. In commentario duas adduximus rationes, quarum prior est Hieron.

Matth. 14. his addi possunt, quae dicit Druthmarus, hunc locum apud Matthaeum interpretans. Prouocat (inquit) Dominus Discipulos suos ad largitatem, ut faciant omnibus, & ut velint ultra vires succurrere proximis. Et mauult, ut indigentia panis a plurimis cognita, abundantia facta per ipsum, maior gratiarum actio fiat.

At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes, & duo pisces.

COMMENTARIA.

Excusant se Discipuli ab exequendo Christi mandato; Non (inquiunt) sunt nobis nisi quinque panes, & duos pisces, qui tantae multitudini non sufficiunt, non igitur possumus nos dare illis manducare. adhuc imperfecti Discipuli non se erigunt ad diuinam Christi virtutem considerandam. Commendanda est hoc in loco Apostolorum disciplina viuendi, ut notat Chrysofostomus homil. 50. in Matth, in duodecim enim hominibus, quinque tantum panes, ijque hordeacei, ut Ioannes refert, & duo pisces reperi sunt; atque ita quae ad corpus pertinebant, superflua illis videbantur; ac rerum spiritualium cura tenebantur, ut illa etiam pauca libenter alijs tradiderint. Admirandum etiam est barbarum studium in sequendo Christum, ut temporarium cura postposita, post eum abirent; in tanta enim multitudine inuenti non sunt nisi illi panes quinque, & pisces duo.

ANNOTATIO XXVII.

Concordatur Euangelista circa superiorum sententiam,

Multiplex videtur discordia in hac parte inter quatuor Euangelistas, qui de hoc eodem miraculo, nempe multiplicatione quinque panum, & duorum piscium scripsere. Primo quidem Matthaeus, Marcus, & Lucas conueniunt in hoc, scilicet Christum dixisse Discipulis petentibus, ut dimitteret turbas: Date vos illi manducare: at in responsione discordare videntur, nam Matthaeus, & Lucas referunt respondisse; Non habemus hic, nisi quinque panes, & duos pisces. Lucas vero addidit, quod Matthaeus omisit, scilicet: Nisi forte nos emamus & emamus in hanc turbam escas. At vero Marcus discrepare videtur: nam narrat Discipulos respondisse. Eutes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. Secundo, Ioannes videtur ab his tribus dissentire; nam refert, Christum interrogasse Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi? Respondit Philippus: ducentorum denariorum panes non sufficiunt, ut vnusquisque modicum accipiat. Tertio, Marcus scribit Christum dixisse: Quot panes habetis, ite & videte, & cum cognouissent dixerunt: quinque, & duos pisces; at Ioannes dicit Andream dixisse: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Quarto Ioannes dicit puerum habuisse quinque panes, & duos pisces, at Matthaeus, & Lucas dicunt Aposto-

los dixisse se non habuisse, nisi quinque panes & duos pisces. Pro horum, & nonnullorum aliorum concordia laborat August. lib. 2. de cons. Euang. c. 46. & conatur ostendere responsiones ad eundem sensum pertinere, & esse easdem sub verbis solis diuersis, quod quidem meo iudicio difficile est, ut vnusquisque diligenter intueti apparebit. Mihi autem omnia consonare videntur, si rem gestam sic intelligamus, ex quattuor Euangelistis serie ita contexta: Cum hora multa fieret, & dies caeperat declinare, vespere facto, accedentes duodecim dixerunt: Dimitte turbas, ut euntes in castella, villalque, quae circa sunt, diuertant, & inueniant escas; quia hic in deserto loco sumus. Hanc tres Euangelistae referunt, sequitur Ioannes: Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo magna venit ad eum, dixit Philippo; vnde ememus panes, ut manducent hi? Respondit Philippus, ducentorum denariorum panes non sufficiunt, ut vnusquisque modicum accipiat. Dixit ei vnus ex Discipulis eius, Andreas frater Simonis: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed haec quid inter tantos? Sequitur quod tres Euangelistae narant. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare, at illorum quidam dixerunt, hoc dicit Lucas: Non sunt nobis nisi quinque panes, & duo pisces, nisi emamus, & emamus.

Auctoris sententia, & series historiae.

in omnem hanc turbam escas, hoc audito alij dixerunt, & hoc refert Marcus: Euntes emamus ducentis denarijs escas. Ait Iesus, quod etiam Marcus dicit: Quot panes habetis? ire & videte, & cum cognouissent, dicunt, quinq; & duos pisces, dicit Iesus, vt dicit Matthæus: Afferte mihi illos huc, & præcepit illis, vt accumbere facerent omnes, vt habet Marcus, & ait illis, vt habet Lucas: Facite illos discumbere, tunc sequuntur ea, quæ ad miraculum spectant; & paulo inferius declarabuntur. Hæc est fælix historia, quæ ex omnibus simul Euangelistis desumitur; apud neminem autem integra habetur, singuli tamen verum narrant, in qua sunt notanda aliquot. Primo quidem quod Lucas nunc narrat respondisse Discipulos Domino, dicenti: Date vos illis manducare, scilicet: Nisi nos eamus, & emamus in hanc turbam escas, non fuisse omnium, sed quorundam verba, quibus auditis, alij dixerunt per quandam ironiam, quod narrat Marcus: Euntes emamus ducentis denarijs escas. Cum enim illi dixissent prius, Nisi eamus, & emamus, isti non habentes pecuniæ

Nisi forte eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.

COMMENTARIA.

Modus loquendi est, quo vtimur, quando aliquid impossibile, aut inconueniens, seu absurdum significare volumus. sensus, & connexio cum præcedentibus est, iubes nos dare illis manducare, nos autem habemus solum quinq; panes, quibus tot homines cibare impossibile est, nisi velis nos ire, & emere cibos tantæ multitudini, quod non est minus impossibile nobis, nihil, aut parum habentibus.

ANNOTATIO XXVII.

Quidam recentiores hanc sententiam connectendam per eclipsim censent, in hunc sensum. non sunt nobis plusquam quinq; panes, & hi non sufficient nisi eamus, & emamus cibos ad tantam multitudinem, quam eclipsim nos etiam fatemur, tamen verba ista sequentia (nisi forte eamus) non sunt sic intelligenda, quasi particula illa (nisi) significet exceptionem; tunc enim indicaret Apostolos apud se habuisse pecuniam, qua cibos pro tanta multitudine comparare possent, quod non est probabile, nec verisimile, sed est quædam phrasis, vt diximus, quæ vtimur ad aliquid absurdum, inconueniens, aut im-

summam, quanta necessaria erat pro cibo tantæ multitudinis, quasi ironice dixerunt: Euntes emamus ducentis denarijs. Secundo, quod Lucas refert, respondisse: Non sunt nisi quinq; panes, & duo pisces, quod etiã scribit Matthæus, factum est, postquam audierunt ab Andrea numerum illi panu, & pisciu. nec obstat quod Ioannes dicit, pueru habuisse, cæteri vero dicunt habuisse Apostolos: nã puer ille pro Domini Discipulis illos cõseruabat. Quarto, licet Christus audierit ab Andrea illos quinq; panes, & duos pisces esse, voluit tamen iterum interrogare, & mittere Discipulos ad explorandum, quot panes essent, vt esset manifestum miraculum quinq; panum, experientia ipsa facta, nullum alium panem, nec piscem repertum esse, nisi illos quinq; & duos pisces; tunc enim magnitudo miraculi agnoscebatur perfecte, quando indigentia ex parte hominis erat omnino perfecta, vt nemo dicere valeat, panes alios ibi fuisse præter illos quinq;. Hæc mihi accommodatissima omnium concordia in hac parte visa est, per quam facile tollitur omnis dissonantia apparentia.

Erant autem viri fere quinq; millia.

COMMENTARIA.

HOC Euangelista dicit: tum vt reddat causam, cur Discipulis visum sit impossibile emere escam turbæ præsentis, aut eam quinq; panibus cibari, cum essent fere quinq; millia virorum: tum etiam, vt miraculi narrandi magnitudo significaretur. Particula (fere) indicat numerum quinq; millium non esse completum, parum tamen ad complementum defuisse.

ANNOTATIO XXVIII.

Concordia Euangelistarum circa proximam sententiam eiusdem ex pluri catio.

Ioannes cap. 6. idem dicit quod Lucas: discubuerunt (inquit) viri quasi quinq; millia. Nec est contrarius Marcus dicens, fuisse qui manducauerant; quinq; millia virorum: tum quia Græce etiam apud Marcum habetur eadem particula *ὄντες*, quæ est apud Eucam, & Ioannem, licet interpret omiserit in Marco; hic autem verterit (fere) apud Ioannem autem (quasi) tum etiam, quia consuetudine Scripturæ & communi loquendi modo solet numerus absolute proferri, etiam si parum aliquid desit. Matthæus autem hoc distinctius explicuit; tres enim hi Euangelistæ dicentes quinq; millia virorum, insinuabant esse alios, qui viri non erant: at Matthæus id aperte declarauit: Manducantium (inquit) fuit numerus quinq; millia virorum exceptis mulieribus, & paruulis, quod etiam cap. 15. iterum repetit. Est enim mos

Scripturæ frequens distinguere viros à mulieribus, & paruulis. Exod. 12. Sexcenta (inquit) fere millia virorum absque paruulis, & mulieribus, Deuteronom. 5. Interfectis viris, mulieribus, & paruulis. Deuter. 31. Congregato omni populo tam viris, quam mulieribus, & paruulis. Iere. 43. Tollens viros, mulieres; & paruulos. Aduerte autem in hac sententia (virorum) nomen esse sexus, & ætatis, non vt in illo loco allegato Exod. 12. vbi non solum significat sexum, & ætatem, sed etiam qualitatem, vt distinguitur à promiscuo vulgo, scilicet homines fortes, & ad bellum aptos, aut alia virtute præditos, immo vt notat Hieronym. Matth. 14. ex libro Numerorum, viri separantur non solum à vulgo, feminis, & paruulis, sed etiam à seruis.

Ait

Ait autem ad Discipulos suos: facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos.

COMMENTARIA.

Patefacta Discipulorum impotentia ad dandum manducare turbis, & humano defectu manifestato, suam Christus exercet virtutem, iubetq; Discipulis, vt turbas ad cibos capiendos discumbere faciant ordinate, ne in distributione fiat confusio: discumbunt ergo per singulos discubitus quinquaginta.

ANNOTATIO XXIX.

Series reigese, & Euangelistarum consensus.

Priusquam præcepisset Discipulis, vt turbas discumbere facerent, fecit sibi Christus quinq; illos panes, ac duos pisces, quos Discipuli inuenerant, afferri, vt refert Matthæus. Sederunt autem super fanum viride, vt dicit Marcus; scribit enim Ioannes multum foenum in eo loco fuisse. Sedere autem per conuiuia, aut vt dicit Marcus. per contubernia, idem est, ac in singulis mensis ledisse quinquaginta. Occur-

rit autem difficultas: nam Marcus dicit discubuisse per partes, per centenos, & quinquagenos. Lucas autem per quinquagenos. In hoc tamen non est vlla contrarietas, vt recte notat Augustinus lib. 2. de consen. Euang. c. 46. nam Lucas dicens quinquagenos, non negat etiã alios discubuisse centenos, vt runque enim factum est, Lucas vero vnum refert, non excludens alterum.

Et ita fecerunt, & discumbere fecerunt omnes.

COMMENTARIA.

Laudanda obedientia Discipulorum, & turbarum, quæ ex quadam fide, & agnitione virtutis Christi procedebat; non enim visum fuit illis impossibile, posse Christum in loco illo deserto tantæ turbæ escas ministrare, licet modum hætenus ignorarent.

Acceptis autem quinq; panibus, & duabus piscibus.

COMMENTARIA.

Quinq; exhibuit Christus, primo quidem panes, & pisces manibus suis accepit, vt virtute propria se illos multiplicare, seq; miraculi auctorem esse significaret. Cætera in sequentibus, explicantur.

ANNOTATIO XXX.

Quare Christus panes multiplicans propriis accepit manibus.

Si Christus panes multiplicandos non accepisset propriis manibus, non sic manifesto significasset, se propria virtute id facere; potuissent enim turbæ extimare, oratione, ac precibus id à Deo impetrasse, non autem propria virtute fecisse, sicut factum est cum Elifæo, qui viginti panibus hordeaceis satiauit centum homines, quos panes non tetigit, nec propria virtute multiplicauit, sed Deus id operatus est. At Christus; qui Deus erat, suis accepit manibus, ac sua potentia multiplicauit. Eadem de causa noluit Christus nouos creare panes de nihilo faciendo,

quamuis Chrysoft. hom. 50. huius rei alteram etiam adferat causam, nimirum, vt se creatorem fuisse ostenderet, eorum, quæ facta erant, idcirco panes factos multiplicauit. Est etiam quædam alia causa, cur manibus propriis accepit panes istos, hoc enim miraculo indicabat illud insigne opus, quod facturus erat, conuertedo panem in corpus suum verum, sub cuius panis speciebus propriis manibus oblaturus erat se ipsum Patri, suisq; Discipulis se communicaturus, ideo hos nunc panes propriis manibus accepit, & Discipulis distribuit.

Suspexit in calum.

COMMENTARIA.

HOC est secundum, acceptis enim panibus, & piscibus, in cælum suspexit, vt se à Deo missum, filiumq; eius esse eo miraculo comprobaret, quasi prius veritatem docens, postea miraculo confirmans.

ANNOTATIO XXXI.

Cur Christus multiplicatus panes in cælum suspexit.

Chrysostomus hom. 50. in Matthæum, causam, cur Christus nunc in cælum respexerit, eam esse dicit, vt crederetur non aliunde, quam à patre missus esse, & quoniam illi æqualis est, æqualitatem in opere ipso mirabili ostendebat; à Patre autem missionem, in conuersione oculorum in cælum. Hieron. Matth. 14. Adspicit (inquit) in cælum, vt illuc oculos dirigendos doceat. Euthymius Matth.

14. in cælum respexisse Christum dicit, vt patrem honoraret, & vt ei non esse contrarium significaret. Druthmarus vero id inquit factum esse, vt animo nos cælum intendere doceret, & scientiæ lucem illic esse quærendam. Quæ in commentario diximus, accommodatiora visa sunt, & consentiunt Chrysostomo;

Et benedixit illis.

COMMENTARIA.

HOC est tertium, dicitur autem Christus benedixisse panibus, quia eis virtutem multiplicandi dedit, vt sicut vnum granum multiplicatur in terra virtute naturaliter insita, sic panes multiplicati sunt in manibus Christi, & Discipulorum, & discumbentium, diuina virtute illis data à Christo, sic Deus in principio Mundi Gen. 1. benedixisse dicitur volatilibus, & aquatilibus, ac hominibus: Benedixit (inquit) eis dicens:

dicens: Crescite, & multiplicamini. Hoc enim fuit benedicere, quod virtutem cre-
scendi, & multiplicandi donare.

A N N O T A T I O XXXII.

Benedictio
hæc Christi
qualis fuerit.

Quidam recentiores existimant hanc benedictio-
nem eandem esse cum ea, quam Ioannes ap-
pellat gratiarum actionem; refert enim Ioannes Chri-
stum, quando panes hos multiplicare decreuit, gra-
tias egisse. Huic vero interpretationi obstat dativus
(illis) benedixit, inquit, illis panibus, & piscibus:
gratiæ autem non agebantur panibus, sed Deo, di-
stinctæ igitur sunt benedictio, & actio gratiarum.
verius igitur, & accommodatius dictum est in com-

mentario, benedictionem esse virtutis multiplicati-
communicationem. An autem solo opere benedixe-
rit dando virtutem, & fecunditatem, an etiam ver-
bo aliquo visus sit efficaci, sicut quando benedixit di-
cendo: Crescite, & multiplicamini, non omni-
certum est: probabilius tamen est visum fuisse
verbo aliquo exteriori, per quod significauit, & de-
dit virtutem talem panibus.

Et fregit.

C O M M E N T A R I A.

HOC est quartum, scilicet panes, & pisces frangere; qui enim virtutem fecun-
dam dederat panibus, & piscibus, ipse suis manibus perfecit, frangendo, & par-
tes multiplicando, vt per Apostolos multitudini turbarum distribuerentur, atque vt
dicit Hieron. frangente Domino seminarium, sit ciborum; si enim fuissent integri, &
non in frustra discerpti, turbas, & pueros, & feminas, & tantam multitudinem alere
non poterant. Dominus autem ipsemet frangere incepit, vt indicaret se talem vir-
tutem dedisse, licet etiam postea per manus Apostolorum, atque etiam discumben-
tium multiplicatio aucta sit, videnda sunt, quæ in commentario Ioannis scriptis
de hac re.

Et distribuit Discipulis suis, vt ponerent ante turbas.

C O M M E N T A R I A.

HOC est quintum, Discipulis distribuere partes, vt ministrarent Discumben-
tibus turbis; tum vt miraculum fieret illustrius, tum vt ministerium esset expedi-
ditius: tum etiam vt per eos corporum alimenta turbæ fusciperent, per quos earum
animæ verbo doctrinæ, & sacramentis salutis, & vitæ pascendæ erant.

Et manducauerunt omnes, & saturati sunt.

C O M M E N T A R I A.

MIRACULI magnitudinem hoc ostendit, nempe in tanta multitudine virorum,
mulierum, & paruulorum, singulos partem panum quinque; & piscium duorum
accipere potuisse: illud tamen apertissime declarat, quod non solum partem accepe-
runt singuli, sed tantam, vt saturari vnusquisque posset, & eo magis, quo plus ine-
dia laborabant: nam tota die Christum insecuti erant, non habentes, quod mandu-
carent. Ioannes dicit discumbentes ex panibus, & piscibus manducasse quantum
volebant. sensus idem est.

Et sublatum est, quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

C O M M E N T A R I A.

NON potuisset esse manifestum, singulos in tanta multitudine fuisse saturatos, &
manducasse quantum voluerunt, nisi ex copiosis reliquiis; ex fragmentis enim
panum, & piscium, quæ superfuerunt discumbentibus, impleuerunt Apostoli cophi-
nos duodecim, ita vt singuli Apostolorum ministrantium singulos cophinos collige-
rent, etiam Iudas, vt notat Chrysostomus, vt significaretur non hos, aut illos satu-
ratos, sed singulos discumbentium, quando quidem ab omnibus ministrantibus re-
liquiæ collectæ sunt. Diximus de his in commentariis in Ioannem, nec est, cur ea
hunc repetamus.

A N N O T A T I O XXXIII.

Marcus, & Marcus narrant cophinos fragmen-
torum fuisse plenos. idque etiam Ioannes di-
cit: Impleuerunt (inquit) duodecim cophinos. Mar-
cus etiam explicat impletos cophinos ex superfluen-
tibus, non tantum quinque panum, sed etiam duorum
piscium: Ioannes adhuc refert hanc collectionem
fecisse Apostolos ex Christi præcepto; dixit enim il-
lis: Colligite quæ superauerunt fragmenta ne
pereant. Prætermittunt autem tres Euangelistæ, quid
à turbis factum sit, hoc viso miraculo, quod quidem

narrat solus Ioannes; Illi (inquit) homines cum vi-
dissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia
hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.
Vide explicationem in commentariis nostris in Ioan-
nem. Vnum tantum hoc in loco notandum est. Vi-
ctorem Antiochenum Mar. 6. causam vnã attulisse,
cur Dominus fragmentorum copiosas reliquias su-
peruisset voluerit. Sic enim, inquit, tantam reliquia-
rum vim facere visum est, quo publice hinc costaret,
tantam rerum abundantiam magis prouenisse ad osten-
dendam

Cur Dominus
copiosus frag-
mentorum re-
liquias super-
fuisse voluerit

dendam facientis virtutem, quam ad explendam præ-
sentem populi necessitatem. Moyses quondam Exod.
16. manna Israelitis suppedirauit, verum id tantum
ad necessarium vitæ usum; siquidem quod plus eo
colligebatur, hoc statim in putredinem vertebatur.
Elias 3. Reg. 17. Viduæ farinam, & oleum multi-
plicauit, verum tantisper hoc solum, dum pluuiæ
terram irrigaturæ descenderent: vbi enim hæ descen-
dere cœpere, statim quoque farinæ multiplicatio ces-
savit. Quo ergo discrimen inter hos, & illum appa-
reret, magnam residuorum copiam reliquam fecit,
ita vt illi etiam, qui saturati fuerant, reliquiarum

vim admirarentur. Hæc ille. Chrysostomus autem
hom. 50. in Matth. simile quid dicit: Potuisset (in-
quit) facere, vt extincta fame nihil superflui remane-
ret: verum quoniam & sub Elia simile quid factum
est, nõ ita omnipotentia eius Discipuli cognouissent.
Hæc ille. Adde etiam hoc residuo significari copiam,
& abundantiam gratiæ in Euangelio datam supra
legem illam, & statum præcedentium Christum
secundum carnem; non solum enim per Christum
datum nobis est totum id, quo indigemus, sed etiam
abundamus, vt supra expositum est.

Et factum est, cum solus esset orans, erant cum eo & Discipuli.

C O M M E N T A R I A.

Hæc sententia, & quæ sequuntur, non sunt, quoad rei seriem, connexæ præceden-
ti miraculo, sed aliquanto post tempore facta sunt, quod quidem Euangelista
indicat eo verbo (Et factum est) quasi non continetur, quod sequitur, præcedenti-
bus. Factum igitur est, vt cum Christus solus oraret, Discipuli cum eo essent, eum-
que comitarentur.

A N N O T A T I O XXXIV.

Series & ordo
historiæ.

Prætermisit Lucas, quid gestum sit post miracu-
lum multiplicationis panum, quæ cæteri Euan-
gelistæ descriperunt; inquit enim Ioannes præno-
uisse Dominum turbas miraculi huius causa ventu-
ras, vt facerent eum regem, idcirco vt dicunt Mat-
thæus & Marcus, iussit, & compulit Discipulos suos
ascendere in nauiculam; & transfretare ante eum,
donec dimitteret ipse turbas, & dimissa turba ascen-
dit solus in montem orare, postea Discipulis in me-
dio mari existentibus & nauicula fluctibus laborante,
Iesus apparuit quarta vigilia noctis, ambulans supra
mare, cæteraque gesta sunt, quæ Euangelistæ in hac
parte narrant. Lucas vero, vt recte notat Augusti-
nus lib. 2. de consensu Euang. cap. 47. non conti-
nuauit rei seriem post panes multiplicatos, sed multis
intermediis dimissis retulit, quæ postea gesta sunt,
quæque narrat Matth. c. 16. & Mar. cap. 8.

Quid sibi ve-
lit in superio-
ri sententia il-
lus solus.

Occurrunt autem hoc in loco duo notanda. vnum
est quantum ad sensum, nempe quid significet no-
men hoc (solus) quod Græce est aduerbiū *κατα μόνας*,
id est solitarie Augst. lib. 2. de consen. Euang. cap.
47. interpretatur Christum dici solum, id est, seque-
stratum a turbis, non autem quod solus esset, cum
addat Euangelista Discipulos cum eo fuisse. Bedæ
autem, cuius interpretatio recepta est à pluribus,
exponit solum diei, quia solus ipse orabat: quamuis
enim Discipuli cum eo erant, ipse tamē solus orabat:
& à Discipulis, qui cum eo erant, aliquanto erat loco

separatus, vt fieri solet, quando multi incedunt per
viam aliquam, solet aliquis separari esse, nam vt ha-
bemus ex Marco, hæc in via gesta sunt, & Matthæus
explicat, dum veniret in partes Cæsareæ Philippi, nec
est contrarium huic, quod Lucas narrat: nam & po-
tuit solus in oratione esse & simul iter facere. Nec in
hoc est dissonantia, vt notauit Euthymius Matth. 16.
Hinc colligimus non esse conuenientem cuiusdam
recentioris interpretationem, nempe dictum esse ora-
re non quantum ad actum orationis, sed quantum
ad tempus, & locum, quia erat tempus, & locus
orationis, quando gesta sunt, quæ in sequentibus
narrantur. Hæc tamen expositio aduersatur Marco
dicenti facta esse hæc in via.

Alterum notandum est, illam particulam (&) non ha-
beri in Græcis exemplaribus, & difficile facit sensum, Particula (&)
in eadem sen-
tentiâ quid im-
portet.
nam videtur significare alios etiam præter Discipu-
los fuisse tunc cum Christo; at vero Latina exem-
plaria legunt, & habetur in commentario Bedæ, Euthy-
mij, & apud Augustinum. possumus autem di-
cere particulam (&) non esse positam quasi indican-
tem alios fuisse etiam ultra Discipulos; sed significa-
re Discipulos simul tunc adesse cum Christo, ac si
dictum esset, erat Christus in via solus orans, etiam
Discipuli erant cum eo, scilicet in via illa, seu loco
quo aderat Christus, non vt alias, quando dimissis
illis secedebat solus in montem orare.

Et interrogauit illos dicens.

C O M M E N T A R I A.

Completa oratione Discipulos interrogat. non quia ignoret, sed vt eos ad intel-
ligentiam, & considerationem diuinitatis ipsius excitet, ac promoueat, atque
idcirco orationem ad Patrem præmisit, tum vt eis impetraret talem intelligentiam,
tum, vt instrueret, diuinorum cognitionem sicut à Deo obtinendam, ita peten-
dam esse.

Quem me dicunt esse turba.

C O M M E N T A R I A.

NON de Scribis, & Phariseis interrogat; hi enim præ inuidia, & ambitione &
auaritia Christum seductorem, legis transgressorem, ac dæmonium haben-
tem palam appellabant. Nec etiam de principibus, ac primis Iudæorum interrogat.
hi enim præ timore veritatem occultabant, & Scribis, & Phariseis consentire vi-
debantur. Turbarum ergo opinionem interrogat; hæc namque ab ambitionibus,
& affe-

& affectibus remotiores veritati magis accedebant, Christique factis, ac sermonibus maiorem fidem adhibebant.

ANNOTATIO XXXV.

Lectiones varia huius sententiae apud Evangelistas notantur, & concordantur.

Quod ad litteram spectat, Matthaeus sic habet. Quem dicunt homines esse filium hominis? Marcus autem: Quem me dicunt esse homines? Lucas vero: Quem me dicunt esse turbam? In quibus nulla est discordia in sensu: nam quos Lucas turbas appellavit, à Mattheo & Marco dicti sunt homines. In Scriptura enim aliquando hominis nomen pro vulgaribus hominibus nulla dignitate praefulgentibus usurpatur, quos Lucas vocavit turbas. Praeterea apud Matthaeum sermo est in tertia persona, Quem dicunt homines esse filium hominis? At quia Christus de se ipso loquebatur, eaque phrasi saepe usus est, Marcus, & Lucas sensum sequentes in prima persona locuti sunt. Est autem hoc in loco notandum, apud Matthaeum in quibusdam veteribus exemplaribus Latinis manuscriptis etiam legi, in prima persona sic: Quem me dicunt esse homines, filium hominis? Sicque habent multa Graeca, & inter Latina impressa, Regia: similiter legit Epiphanius in Annotatedo. Iuxta quam lectionem concordant tres Euan-

gelistae, & in hoc tantum discrimen est, quod Matthaeus addit filium hominis, caeteri duo omiserunt. At vero Hieronymus in Matth. legit in sola tertia persona, sicque habent omnia fere Latina, & aliquot Graeca, & tunc dicendum est in sensu omnes tres Evangelistas esse concordantes.

Quod autem ad rem spectat recte notat Origen. tract. 1. in Matth. debere nos inquirere, qualem de nobis homines habeant sermonem. ut si quid mali intellexerimus, emendemus, si quid autem boni, augere illud studeamus. hoc autem maxime ad maiores pertinet, quorum vita in propatulo posita est, velut lucernae in candelabro, ut aliis luceant, posita. Notat etiam Chrysost. hom. 55. in Matth. non dixisse, quem me asserunt Scribae, & Pharisei, quamvis crebro cum eo colloqui etiam ipsi fuerint, & miracula viderint, sed quem me homines esse dicunt? Populi de se opinionem quaerebat, quoniam & si deior esset, procul tamen erat ab omni malitia, qua Pharisei, & Scribae maxime pervertebantur.

Inquirendum est praesertim a personis publicis, quae in de ipsis concepta spei.

At illi responderunt.

COMMENTARIA.

CVM maiores ad se ipsos pertinentem veritatem à minoribus, & inferioribus cognoscere postulant, non adulationibus, ac mendaciis occultanda est, sed propalanda sincere; quod Discipuli fecerunt, etiam si turbarum de Christo sermones inferiores essent illius dignitate, minusque illae sentirent de eo, quam par erat: cum autem Christus omnes Discipulos interrogasset, omnes etiam responderunt.

Et dixerunt Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero quia unus Propheta de prioribus surrexit.

COMMENTARIA.

Referunt Discipuli varias turbarum voces, & opiniones; quidam (inquiunt) dicunt te esse Ioannem Baptistam, quidam alij te esse Eliam; quidam vero alij te esse vnum ex antiquis illis Prophetis. Omnes isti etiam si veritatem non attingebant, ac minus de Christo sentiebant, praeclearam tamen de eo conceperant opinionem, ac à caeteris hominibus, quasi omnes superantem, separabant. Elias purabatur, nam hic venturus credebatur ante Messiam. Vnus etiam ex antiquis Prophetis, ab aliis existimabatur, nam hi à Iudaeis plurimi fiebant.

ANNOTATIO XXXVI.

Adem verba refert Marcus, Matthaeus vero narrat, alios dixisse ipsum Ieremiam. Supplendum est autem in Luca & Marco, in principio huius sententiae relatum (Alij) nempe (Alij Ioannem Baptistam) sic enim habet Matthaeus. At illi dixerunt: (Alij Ioannem Baptistam.) Quod autem ad sensum spectat, paulo superius in hoc capite similia verba referuntur; atque causae explicationem, cum alij Eliam, aut vnum ex Prophetis Christum existimarent, remisimus ad commentaria nostra in Ioannem cap. 1. quando Iudaei ad Ioannem miserunt interrogantes: Tu quis es? At vero nunc inquirenda sunt duo, vnum est, cur quidam Christum existimauerint esse Ioannem, praesertim cum manifestum esset Ioannem ante mortem suam nullum fecisse miraculum, Christum autem multa facere, non ignorarent. Alterum est, cur arbitrati sunt vnum esse ex prioribus, & non potius aliquem Prophetam de nouo missum. Ad prius respondeo, illos, qui affirmabant Ioannem Baptistam surrexisse, ac eum esse illum, qui Iesus dicebatur, ea de causa id esse opinatos, quia parum temporis praedicauerat, & apud illos visus fuerat,

morte ab Herode quasi arreptus. Ita notauit Druthmarus in Matth. cap. 16. Adde etiam quia prius etiam occisus est, quam miracula facere posset, existimant ergo surrexisse, ut praedicationem completeret; & qua praedicaabat, miraculis confirmaret; nesciebant enim diuina mysteria, quare tam cito praedicationem absoluerat, & nullum miraculum fecisset. quod si quispiam dicat, nonne Christus notus erat, quando Ioannes praedicaabat? non ergo ignorari potuit ipsum non esse Ioannem. Respondeo non fuisse hanc opinionem omnium; plurimi enim sciebant non esse Ioannem, fuit tantum quorundam existimatio, qui Christum illo anno, quo Ioannes praedicaauerat, non admodum nouerant; perfecta enim Christi manifestatio facta est Ioanne decollato, sicut & ipse Ioannes praedixerat dicens: Illum oportet crescere, me autem minui. Ad posterius respondeo, Iudaeos deceptos esse; quantum mihi videtur, illo loco Deutero. 18. Prophetam suscitabit tibi Dominus de medio fratrum tuorum. Cum enim de ipso Messia, ac Christo intelligenda essent, putabant aliquem Prophetam venturum prope tempus aduentus Chri-

Cur Christum alij putauerint Ioannem, & cur alij vni ex Prophetis superioribus, & non potius aliquem de nouo missum.

Christi; quidam autem arbitrabantur futurum aliquem insignem de nouo mittendum, quidam alij vnum ex antiquis magni nominis surrecturum, quarum opinionum varietas constat ex eo, quod missi à Iudaeis ad Ioannem interrogarunt: Propheta es tu? id est, ille insignis, qui Christum praeniet? Qui-

dam vero dixerunt esse Ieremiam, ut dicit Ambrosius, quia insignis erat, quippe in vtero sanctificatus: aut vnum ex prioribus. Omnia haec in commentarijs in Ioannem discussimus. simul etiam quid Iudaei de resurrectione, & aduentu priorum senserint, idcirco hoc in loco ab hac tractatione abstinemus.

Dicit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis?

COMMENTARIA.

Discipulis, quibus mysteria Regni maiora aperuerat, quique verba ipsius continuo audierant, & eius opera viderant, perfectiorem sui notitiam exposcunt: Vos (inquit) quos veritatem magis scire oportet, quem me esse dicitis? Tacite inueniat turbam à vera eius notitia aberrare: prius autem exquirat turbam sententiam, ipsosque Discipulos ad sublimiorem de ipso sensum excitat, eosque altius de eo sentire, ac loqui, quam caeteros debere indicat.

ANNOTATIO XXXVII.

Cur Christus sententiam de se à Discipulis exquirat.

Victor Antioch. Mar. 8. vnum, quod in commentario scripsimus, notauit; inquit enim sic: Primo omnium vulgi sententiam de se exquirat, ut aliorum de ipso iudicia depromentes, posteaque quid ipsimet de Christo statuerent interrogati, per interrogationis modum in sublimiorem sensum assurgerent, apud se decernentes, par non esse, ut ipsi aequae abiectione, & humiliter de illo iudicarent, atque caeteri mortalium. Haec ille. Hoc etiam docuit Chrysostom. hom. 55. in Matth. inquit enim: Hac secunda interrogatione, ut maiora de ipso cogitarent, admonuit. Hancque existimat idem Victor esse causam, cur non statim interrogauit, quid ipsi sentirent, sed

quid turbam de illo dicerent. Simul etiam cur non in praedicationis initio id exquisiuit, sed post multa demum miracula, & signa perfecta, multaque de rebus sublimibus, suaque diuinitate vltro citroque cum illis agitata, ac disputata. Hoc idem notauit Chrysostom. hom. 55. in Matth. adiungens, ut hoc interrogaret Dominus, procul à Iudaeis abduxisset Discipulos, in partes nempe Caesareae Philippi, ut ab omni solitudine liberi non dubitarent aperte dicere, quae sentirent. Iudaeis enim erat graue, & permolestum audire Christum esse filium Dei, & Messiam praemissum.

Respondens Simon Petrus dixit.

COMMENTARIA.

DVM vulgi sententia, & humanae intelligentiae ambiguitas explicatur, sermo respondentium communis est. At ubi quid habeat Discipulorum sensus, exigitur, ille primus est in Domini confessione, qui primus futurus erat in Apostolica dignitate; & cui totius Ecclesiae magisterium praecipue committendum erat, Christi notitia ante omnes reuelatur. Petrus ergo caeteris, cum interrogarentur, tacentibus, respondet.

ANNOTATIO XXXVIII.

Sanctorum Patrum dicta de Petri responsione.

Nonnulla hoc in loco notanda occurrunt. Primo quidem Ambrosius lib. de incarnationis Dominicae Sacramento cap. 4. affirmat Petrum ad primam Christi interrogationem, scilicet: Quem me dicunt esse turbam? caeteris respondentibus, tacuisse: Sic enim inquit: Taces Simon, & respondentibus aliis taces, cum ipse sis primus, qui etiam non interrogatus interrogas, nec times ne reprehendaris à Domino, quia non respondes interroganti? Ideo (inquit) non respondeo, quia non interrogor meam, sed alienam sententiam; legi enim psal. 16. Ut non loquatur os meum opera hominum. Opus autem est perfidorum perfidias praedicare. Ergo taceo adhuc, quia nondum id, quod sentio, interrogor. Haec, & alia Ambrosius. At vero contrarium Leo ferm. 2. de Natali Apostolorum, sentire videtur. Omnes (inquit) Apostolos Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat, & tandiu sermo respondentium communis est, quamdiu humanae intelligentiae ambiguitas explicatur. At ubi quid habeat Discipulorum sensus, exigitur, ille primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate. Haec ille. A quo decerpimus, quae in commentario posita sunt. Et quamuis sit probabilis sententia Ambrosij, eius tamen argumentum non est efficax; non enim inter opera hominum à David reprobata ponendum est, referre vulgi de Christo

sententias etiam falsas, ipsomet Domino sibi referri iubente. aliter fatendum esset caeteros Discipulos locutos esse opera hominum, Christumque talia opera praecipisse, quod non admitteret ipsemet Ambrosius.

Secundo Hieronymus Matth. 16. asserit Petrum respondisse caeterorum Apostolorum nomine: Petrus inquit ex persona omnium Apostolorum proficitur: Tu es Christus filius Dei viui: idem sentit Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 35. Cum ad Caesarem (inquit) Discipuli rogarentur: Quem dicunt homines esse filium hominis? aliorum falsis opinionibus dictis, de sua interrogati per principem consortij sui non dubitarunt exclamare: Tu es Christus filius Dei viui. Haec Cyril. Quae doctrina indiget declaratione, & limitatione: si enim is sit sensus, quod caeteri Apostoli eandem notitiam de Christo habuerant, quam Petrus, & conuenerunt cum eo, ut vnus pro omnibus responderet, ea doctrina non est probanda, nec ab iis Doctoribus est asserta: nam tunc temporis Apostoli tantum mysterium nondum attingerant; ea enim confessio perfectam Trinitatis, ac Christi vera diuinitatis, in qua consubstantialis est Patri, & Spiritui Sancto, fidem comprehendit, quae non dicitur aliis, sed primo tunc soli Petro reuelata: Caro (inquit) & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est: idcirco solus praedicatur beatus, solus

lique

lique promittitur Ecclesie primatus. No uerant quidem tunc Discipuli ipsum esse Messiam, sed Christum filium Dei, Patri consubstantialem nondum erant affecti. Vnde Origen. tract. 1. in Matth. affirmat Petrum magis esse commendatum in eo, quod confessus est Iesum esse filium Dei, quam in eo, quod dixit eum esse Christum. Ambrosius autem hoc in loco exillimat etiam ceteros Discipulos sciuisse: tamen Petrum præ illis respondisse; illud tamen est probabilius, quantum ad hoc, quod Discipuli nondum id nouerant perfecte. Illud uero, quod dicit Ambrosius Petrum præ ceteris respondisse, uerum est, non autem pro ceteris: non ergo ex omnium persona sic respondit Petrus, sed ex sola sua, ac proprio nomine. Si uero sit sensus, quod ipso confessionem referente ceteri intelligentes consenserunt, & ipse etiam pro omnibus uoluit respondere confitendo, quod à ceteris erat sentiendum, ac prædicandum; tunc locum habet doctrina Hieronymi, & Cyrilli, sicque pro ceteris respondit.

Tertio Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 64. & Ambrosius lib. de incarnat. Dom. Sacram. cap. 4. affirmant Petrum respondisse quasi caput, & principem ceterorum Apostolorum. Cyrilli uerba sunt hæc:

Christum Dei.

C O M M E N T A R I A.

Hæc est Petri de Christo sententia, suppleendum est uerbum, dico te esse Christum Dei, Dei quidem non seruum, sed uerum, ac naturalem filium; hunc enim sensum casus iste gignendi facit: ueræ igitur humanitatis, ac diuinitatis Christi naturas in unitate personæ confitetur Petrus, simul etiam ipsum Messiam in lege promissum.

A N N O T A T I O X X X I X.

Matthæus distinctam, ac integram Petri confessionem exposuit: Tu (inquit) es Christus filius Dei uiui. Marcus breuitatis causa, quia Matthæus satis iam expresserat, dixit: Tu es Christus. Lucas uero omnia complexus est, non tamen distincte: Tu (inquit) es Christus Dei, per talem gignendi casum significans, quod Matthæus distincte scripsit, filium Dei. In Græco enim apud Lucam duplex est articulus, scilicet illum Christum illius Dei, ut significaret esse Christum promissum, & Dei uiuentis filium, ei consubstantialem. Victor Antiochen. Mar. 8. causam adfert, cur Marcus Petri confessionem integram non retulerit, ea autem est, ne quid in magistri sui Petri gratiam referre uideretur, quam ego causam non probo; cum enim ex Matthæo plena confessio haberetur, non erat, cur timeret, ne in gratiam magistri id dicere uideretur. Adde Euangelistas magis intendisse, quod ad fidem

Quando Saluator interrogauit, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Petrus, ut princeps Apostolorum, caputque ceterorum exclamauit, dicens: Tu es Christus filius Dei uiui. Ambrosius uero sic inquit, Taces Simon, cum ipse sis primus? Et paulo inferius, ut audiuit: Vos autem quid me esse dicitis? Statim loci non immemor sui primatum egit. Hæc tamen intelligenda sunt, non quod tunc temporis fuerit Petrus primus constitutus, nec omnium caput effectus, sed quod primus responderit quasi is; qui primus faturus erat. Post hanc enim confessionem promissus est ei primatus Ecclesie, exhibitus autem post resurrectionem, quando dictum ei est Ioan. 21. Paſce oues meas, paſce agnos meos: de qua re in commentariis in Ioannem diximus.

Quarto, cum nunc ab Euangelista dicitur Simon Petrus, non eo dicitur, quod tunc Petrus appellaretur; nam post confessionem accepit nomen Petri, quando dictum ei est; Tu es Petrus: quod nomen promissum ei fuerat in principio uocationis illis uerbis, Ioan. 1. Tu uocaberis Cephas, ut in eo commentario notauimus. Euangelista ergo tempus, quando hæc scribebat, obseruauit.

Christum Dei.

C O M M E N T A R I A.

Hæc est Petri de Christo sententia, suppleendum est uerbum, dico te esse Christum Dei, Dei quidem non seruum, sed uerum, ac naturalem filium; hunc enim sensum casus iste gignendi facit: ueræ igitur humanitatis, ac diuinitatis Christi naturas in unitate personæ confitetur Petrus, simul etiam ipsum Messiam in lege promissum.

A N N O T A T I O X X X I X.

explicandam faciebat, quam ad has humanas suspensiones. causa potissima, cur uerbum illud (Filius Dei) omiserit, ea est, quia iam Matthæus copiose retulerat, & quia illo uerbo, Tu es Christus, id comprehendebatur, licet tacite. Confessio ergo Petri multa dogmata, quæ fidei nostræ sunt fundamenta, complectitur, scilicet; Tu es homo. Tu idem Dei filius, non adoptionis, sed naturalis. Tu idem es utrumque, eadem persona in utraq; subsistens natura. Tu es ille Christus, qui in lege, & Prophetis promissus est, quique à Iudæis, & Patribus expectatus est. Hæc omnia hæc uerbis comprehenduntur. Recte ergo Ambrosius lib. de incarnatione Domini, Sacram. cap. 4. Christi ueram diuinitatem contra Arianos hac confessione probat, dicens: Petrus dicit: Tu es, non dicit, tu esse cœpisti. Petrus dicit: Tu es filius Dei, non dicit: Tu es creatura. Hæc Ambrosius.

Petri confessio de Christo conspiciat dogmata uel tria uel quatuor nostræ fidei fundamenta.

At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc.

C O M M E N T A R I A.

Discipulis eum esse Christum Dei agnoscentibus, & confitentibus comminatione præcepit Dominus, ne id aliis manifestarent; sed eam fidem apud se ipsos retinerent, usque ad tempus præfinitum, quando post resurrectionem eius, ut palam id prædicarent, in mundum profecturi erant. Huius prohibitionis causam sequens sententia explicat.

A N N O T A T I O X L.

Pater misere Marcus, & Lucas, quæ solus Matthæus narrauit, nempe qualiter Christus Petri confessionem probauit, commendauit, ac quodammodo recompensauit, dicens: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduer-

sus eam, Et tibi dabo claues Regni cælorum; & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Post hæc sequitur quod etiam Marcus, & Lucas referunt. Matthæus, autem sic subiunxit: Tunc præcepit Discipulis, ut nemini dicerent, quod ipse esset Iesus Christus. Marcus autem habet sic: Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. Lucas

uero

uero utrumque coniunxit, & comminationem, & præceptum, increpans, inquit, eos, præcepit, ne cui dicerent hoc. Illud autem participium (increpans) non reprehensionem significat; talis enim confessio, quam Petrus fecit reuelante Patre, & cui ceteri consenserant, non reprehensione, sed laude digna erat. Si-

gnificat ergo comminationem, siue interminationem, quæ præcepto vim addit, quam significationem interpret secutus est apud Marcum, ubi idem est uerbum Græcum, quod habetur hic apud Lucam. Hæc quoad uerba, & uerborum seriem dicta sunt.

A N N O T A T I O X L I.

Quantum autem ad sensum spectat, duæ occurrunt difficultates. Una est, qualis sit hæc prohibitio, an prædicare Iesum esse Christum, an ipsum esse filium Dei. Secunda est, qua ratione hæc prohibitio consonet cum præcedenti missione Apostolorum, qui missi sunt ad prædicandum regnum Dei, id est, Christi aduentum, ut supra diximus; si enim iussi sunt prædicare Christi aduentum, quomodo nunc prohibentur aliis dicere ipsum esse Christum?

Qualis sit hæc prohibitio, cui dicant, & quomodo coherat cum præcedenti Apostolorum missione.

tamen Hieronymus, & Origenes, & plurima Latina, & sensus idem est; prohibuit enim, ne dicerent ulli, se, qui proprio nomine dicebatur Iesus, esse Christum, & Messiam: consequenter etiam prohibuit, ne dicerent esse filium Dei; tamen quia hoc Messie nomen Iudæis erat notissimum, & sic appellabatur, qui uenturus sperabatur, idcirco hoc nomine se prædicari noluit à Discipulis, quamuis ut in præfenti recte notat Ambrosius, nomine Christi etiam diuinitas significabatur; Hoc (inquit) nomine Christi, & diuinitatis, & incarnationis expressio, & fides est passionis, intellige tacite, & non distincte: nam multi credebant Christum, ac Messiam, ignorantes eum esse filium Dei naturalem, in quo fides Petri, eiusque confessio extollitur, qui distincte confessus est, quæ latebat. Hoc igitur est, quod Christus prohibuit Apostolis prædicare tunc, licet Marcus, & Lucas non admodum expresserint, dicentes, Christum prohibuisse, ne hoc dicerent aliis, aut ne cui dicerent de illo; Matthæus uero expressius id narrauit, per hæc primæ difficultati satisfactum est.

Ad primum primo loco Ambrosius in commentario tenet prohibitionem hanc, quæ apud Lucam habetur, esse de non manifestanda passione, quam Christus reuelabat Discipulis; sequitur enim post hæc sententiam prohibitionis: Oportet filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & Principibus sacerdotum, & Scribis occidi, & tertia die resurgere. At uero hæc interpretatio non potest accommodari; nam ex Matthæo, & Marco constat prohibitionem factam esse, ne dicerent ipsum esse Christum; cum igitur hæc Lucæ uerba sint consona illis, in eundem sensum interpretanda sunt, ipseque contextus indicat; nam hæc passionis prædicatio affertur potius pro causa, cur sit facta prohibitio, ne cui dicerent illum esse Christum, ut paulo post dicemus. Illud ergo (hoc) debet ad antecedentia referri, scilicet ne cui dicerent hoc, ipsum nempe esse Christum.

Ad secundam de consonantia cum prædicatione, in missione facta, Hieronymus Matth. 16. respondet Apostolos, qui missi fuerunt ad annunciandum Christi aduentum, annunciasse quidem Christum, id est, aduentum eius, non tamen annunciasse illum, qui misit eos, dicebaturque Iesus esse Christus, quod potuit facile fieri; longe enim diuersa sunt, aduentum Christi appropinquasse, & illum, cuius erant Discipuli, esse Christum, nec est dissonantia: nam illud prius, prædicare missi sunt, hoc posterius nunc prohibetur, neque tunc id prædicarunt. hoc idem dicit Ambrosius in præfenti, adiungens hanc prohibitionem factam fuisse tunc, quando missi sunt prædicare, id est ante hos Patres affirmauit Orig. tract. 1. in Matth. dicens: Quando missi sunt leuiter prædicasse de Domino, scilicet tamquam de insigni, & magno viro; non tamen prædicasse eum esse Christum, ac Messiam promissum. Hoc enim nunc prohibetur, quod Matthæus expressit, dicens: Ut nemini dicerent, quod ipse esset Iesus Christus, id est, quod ipse, qui nomine appellabatur Iesus, erat Christus promissus. nulla igitur est dissonantia in hac parte.

Secundo loco Euthymius Matth. 16. putat prohibitionem fuisse, ne cui dicerent eum esse Dei filium, sicut Petrus confessus erat, id quod sentire uidetur Chrysof. homil. 55. in Matth.

Tertio loco Origenes & Hieronymus Matth. 16. prohibitionem interpretantur, ne annunciantur ipsum esse Christum, & Messiam. idem etiam sentit Ambrosius in præfenti, quæ sententia est legitima; nec enim licebat eis prædicare illum esse Christum, & consequenter nec esse Dei filium naturalem. quod ex Euangelio satis constat: nam expresse Matthæus nobis significauit, quid Dominus prohibuerit prædicari; inquit enim: Tunc (inquit) præcepit Discipulis suis, ut nemini dicerent, quod ipse esset Iesus Christus, id est, quod ipse esset Messias promissus. in quibusdam Græcis exemplaribus non habetur illud (Iesus) nec habet Ambrosius hoc in loco, citans Matthæum, nec Chrysofostomus, nec Victor Mar. 8. legunt

Dicens: quia oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & Principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere.

C O M M E N T A R I A.

Causam, & durationem positæ prohibitionis, exponit; ea autem est, quia oportet (inquit) me reprobari à Iudæis, id est, non admitti ut Christum, & Messiam, sed repelli, & negari, pati etiam, ac ab eis occidi, demum resurgere tertia die: hoc autem potius impediret tali prædicatione, quam iuuaretis ad ea perficienda, quæ quidem pro hominum salute operanda sunt necessaria, & fieri oportet. Propterea ergo nemini dixeritis me esse Christum filium Dei promissum. Hinc significatur duratio prohibitionis, quasi diceret, finite ista fieri, postea palam prædicabitis me esse Christum. Recte autem dicit: Oportet filium hominis pati, ut distinguat naturam in qua passus est, non esse eam, secundum quam dictus est à Petro filius Dei, quasi diceret, etiam si filius Dei sim, habeo naturam humanam in qua oportet me pati.

O O A N N O

Euangelistæ uerba, & uerborum series in hoc loco.

Sententia superioris expositio iuxta mentem SS. Patrum.

Ambrosius, ut in præcedenti Annotatione diximus, sic interpretatur hanc sententiam, quasi hoc sit, quod Christus prohibuit Apostolis prædicare, nempe se pati debere, & reprobari à Iudæis, ac tertio die resurgere. Fatetur quidem Ambrosius apud Matthæum prohibitum fuisse Discipulis, ne prædicarent eum esse Christum; putat tamen hanc Lucæ esse distinctam prohibitionem, nempe ut prohibuit sic annunciare passionem, & mortem eius. At vero violentum est distinguere has sententias, cum sit una, & eadem apud Matthæum, & Marcum, ac Lucam. Præterea, huic interpretationi non solum verba Matthæi aduersantur, ut iam dictum est, sed ipse Lucæ contextus, superfluum enim esset illud participium: (Dicens;) dicendum enim erat, præcepit, ne cui diceret hoc, quod oportet filium hominis pati. Accommodatior est ergo sententia Hieronymi, similia verba apud Matthæum interpretantis, nempe Dominum huic verbis causam prohibitionis exposuisse, idemque prænotarunt Orig. & Chrysostr. hom. 55. in Matth. Quo autem modo ista causa procedat, Hieron. explicat, edicens, non prodest Christum publice prædicare, & eius in populis vulgare maiestatem, quem post paululum flagellatum visum, & crucifixum, & multa pati à Senioribus, Scribis, & principibus sacerdotum. Hanc interpretationem adfert etiam Chrysostomus homil. 55. in Matth. eamque explicatius prosequitur, exponens quomodo non prodesset tunc talis prædicatio. Sensus eius in breuitatem redactus is est, quia tunc prædicanda erat hæc fides Christi, quando iam omnia eius miracula effulserant, & nihil remaneret, quod eam perturbare, ac recundere posset: si enim antea passionem esset annūciatus Christus palam per Apostolos, fides cōcepta ab audientibus euulsa esset scandalo mortis eius, ac crucis superuenientis, quam si dem semel deperditam difficillimum esset postea in animis eorundem reuocare: non igitur ea tunc prædicatio prodesset, sed obesset potius. Expectanda ergo erant omnia, & completam fidem non solum mortis, sed etiam resurrectionis prædicare sic facilius retinebatur, & recipiebatur. Quantum autem fides perturbata fuerit per crucem, & mortem in ijs, qui prius crediderant, exempla ipsorum Discipulorum probant. sic Chrysostr. interpretatur, quem sequitur Euthy. ibidem. Idem sentit Victor Antioche. Mar. 8. Voluit (inquit) opinionem, quam de ipso habebant, adhuc rectam manere, quo crucis, passionisque scandalis e medio sublatis, puram tandem sinceramque fidem illorum mentibus imprimat: Hæc ille. Sumpta autem sunt hæc ab Origene tract. 1. in Matth. qui ita interpretatur, multaque alia adiunxit, inter quæ illud est, hanc prohibitionem posse pertinere ad tempora post Christi resurrectionem, quando prædicatio est per Apostolos, eorumque successores, sitque sensus, non esse prædicandum Christum esse Messiam, sed simul etiam crucifixum, & resurrexisse, quia credere Christum non prodest, nisi simul mors eius, & resurrectio credantur. Hæc autem interpretatio, quam violenta sit, nemo non videt, cum prohibitio facta sit solis Discipulis eo tunc tempore, duratura tantum, donec Christus opera sua perficeret, ut recte Hieron. Chrysostr. & idem Orig. interpretati sunt. Quod vero ad hanc istorum Doctorum interpretationem spectat, nonnulla respondenda videntur. Primo quidem si dictum esset, quia oportet prius filium hominis multa pati, tunc facilis esset interpretatio, quasi dictum esset, nolite prædicare me esse Christum, quia nondum tempus huius prædicationis aduenit; quia oportet me prius pati, mori, & resurgere. At vero non sic dicitur, sed absolute, quia oportet filium hominis pati, non

igitur hæc ratio accommodari posse videtur ad temporis opportunitatem, & rerum à Christo gerendarum complementum.

Secundo non videtur sensus prædictæ interpretationis satis appositus: nam si prædicatio, qua annuntiabatur Christum esse Messiam, oberat credentibus, quia passione futura ea fides scandalum patiebatur, eadem de causa Christus non debuit prædicare, & suum aduentum annunciare, nec ad fidem in se homines excitare, sed expectanda erat passio, & mors.

Tertio causa aprior, veriorque sensus is videtur, noluisse Christum per Apostolos palam, & aperte annunciari se Christum esse, propter mortem, & passionem, nimirum ne impediretur, quæ tamen necessaria erat ad nostram redemptionem: si enim Discipuli Christi duodecim palam prædicassent illum esse Christum, prædicationi huic manifestæ adiungentes miracula illa multa, quæ faciebant, cum essent multi, & minus odio habiti, quam Christus, quippe qui animos Iudæorum illorum reprehensione non exacerbauerant, & qui non de se, sed de alio testimonium ferebant, facilius illis persuasissent Christum esse, sicque non eum occidissent, saltem populo fere toto illis annuente; si enim cognouissent, nunquam Dominum crucifixissent. Adde etiam, ne demonum principi id innolesceret, qui si sciuisset Christum, vitæ impedire procuraret mortem, & passionem eius. Hac de causa prohibuit Dominus hanc manifestam, & apertam prædicationem; non tamen prohibuit ea de Christo dicere, quæ si Iudæi diligenter attendissent, vitæ intellexissent. Hac de causa Matth. 17. prohibuit, ne ante resurrectionem reuelarent transfigurationem eius gloriosam. Et eadem de causa supra cap. 4. prohibuit demonibus, ne loquerentur, quia sciebant eum esse Christum. Quod si obijcias, nonne Christus sua prædicatione, & operibus id fecit, ut se Christum esse significaret? dico fecisse quidem sic, ut Iudæi potuissent, & debuissent credere, nec à peccato incredulitatis excusabiles essent; tamen non ita aperte, ac manifeste id egit, ut omnibus id esset manifestum, & si aliquando loquebatur, non tamen temper verbis discretis affirmabat se Christum esse, ut locum daret passioni suæ, & quamuis id locutus esset, alia longe diuersa ratio est de Apostolis ut diximus, quorum prædicatio esset luce clara manifestior. In hunc sensum interpretati sumus causam hanc de passione, & morte, ob quam noluit tunc ab Apostolis palam, & manifeste annunciari se Christum esse.

Quarto sunt etiam aliquot aliæ causæ, ob quas conuenienter Dominus Apostolis tunc temporis eam prohibuit prædicationem, quarum tres Ambrosius in præsentis commentario protulit, sic dicens, multis ex causis Christus iubet tacere Discipulos; ut fallat Principem mundi, ut declinet iactantiam, doceat humilitatem, simul ne rudes, & imperfecti adhuc Discipuli maximæ prædicationis molibus opprimantur. Hæc Ambrosius. Harum primam nos supra attigimus. tertia est multum rationabilis: nam ad talem prædicationem opus erat animi robore, & stabilitate contra aduersarios veritatis persecutores, quam nondum Apostoli tunc habebant, donec Spiritum sanctum acceperunt, quod Dominus significauit Act. 1. post suam resurrectionem: Illis præcepit (inquit) Hierosolymis ne dicerent, sed expectarent promissionem Patris, & paulo infra: Accipietis virtutem in superuenientis in vos Spiritus Sancti, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vique ad vltimum terræ.

Adde

Adde si Apostoli tunc id prædicassent, cum in passione Christi scandalum essent graue passuri: nam cum esset comprehensus, omnes fugerunt, & Petrus ter negauit eum, & præ timore cuncti absconderunt se, profecto prædicatio eorum facta nimium fuisset contempta, ac vilissimi penderetur, derisuique esset, & magnum attulisset impedimentum illorum futuræ prædicationi post Spiritus sancti aduentum: merito ergo voluit Christus eos ab hac tunc prædicatione abstinere.

Quinto, posset alicui videri dissonantia inter Lucam, & Matthæum, ac Marcum: nam hi non videntur hanc sententiam referre, quasi causam prohibitionis, sed quasi sermonem continuatum cum prohibitionem, dicit Matthæus sic: Nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus. Exinde cœpit Iesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus: Marcus autem sic

Dicebat autem ad omnes.

COMMENTARIA.

Doctrinam, quæ ad salutem necessaria erat, non solis Discipulis, sed etiam omnibus tradit, idcirco cum Discipulis turbas conuocat, eisque omnibus, & in ipsis, cunctis futuris fidelibus alloquens, sequentem pronunciat sententiam, cuius cum antecedentibus connexionem, quæ sequitur annotatio, manifestat.

ANNOTATIO XLIII.

Series & contextus historiarum.

Marcus explicatius refert hoc: Conuocata (inquit) turba cum Discipulis suis dixit eis, idcirco Lucas dicit locutum esse omnibus, scilicet sequentibus, tam Discipulis, quam turbis. Est autem connectio, & contextus iste, post habitum sermonem cum solis Apostolis de passione, ac morte eius, ut explicatum est, factum est vnum, ut Matthæus, & Marcus narrarunt. prætermisit autem Lucas, nimirum cum Petrus audiens, quæ Christus de passione, & morte sua prædicabat, assumpsit eum, & increpauit, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Existimabat enim indignum Christo, quem Dei filium, & Messiam promissum credebat, & confessus fuerat, pati, & occidi à Principibus, Scribis, & Senioribus, non intelligens mysterium redæptionis humanæ positum à Deo in ea morte, ac passione, esseque summam virtutem morte nostram destruere, & à peccato nos liberare. Petro ergo talia dicenti Christus respondet, verbis asperis eum reprehendens: Vade, inquit, post me satana; scandalum mihi es, non

sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. quæ verba explicare, ad commentaria in Matthæum, & Marcum magis spectat. Post hæc statim Christus conuocat turbas una cum cæteris Discipulis, & ut confirmet non esse indecens se passurum esse, ac occidendum, docet neminem posse esse discipulum eius, nisi etiam ipse moriatur quodammodo tollendo crucem suam, & sustinendo labores, ac tentationes, acque etiam animo, ac voluntate se disponendo, ac præparando ad sustinendam ignominiosam mortem pro eo, si opus fuerit, ut statim explicabitur. quasi diceret: O Petre indignum, ac indecens iudicas me pati, ac occidi debere; ego autem dico tibi, & omnibus, non tantum id indecens non esse, sed etiam neminem posse me sequi, Discipulumque meum fore, nisi crucem suam tollat, patique, & occidi animo paratus sit, ac semetipsum abnegauerit pro me. Hæc est connectio harum sententiarum, quam recte explicauerunt Euthym. Matth. 16. & Victor Mar. 8.

Si quis vult venire post me.

COMMENTARIA.

Generalis est sententia, omnem sexum, ac conditionem hominum comprehendens. ostendit autem quales esse debeant, qui ipsius doctrinam amplectuntur, ipsique adhærere volunt; multi enim tunc temporis post eum ibant, ut eum audirent; ratio autem cogit, nec compellit, sed inuitat, & excitat: Si quis (inquit) vult libertatem eundi post eum Christus unicuique relinquit, hoc dicto vehementer ad se eos attrahens; potentior enim est oratio mitis, quam violenta. Venire autem post Christum, est eius doctrinam amplecti, se ipsius Discipulum profiteri. Si quis igitur vult venire post me. Ipse caput, ipse Magister, ipse Dux est, cæteri post ipsum venire debent. Recte autem connectitur hoc præcedentibus. Confessus erat Petrus, & cæteri Apostoli, Christum Dei filium: ne autem ad salutem hoc sufficere putarent, adiunxit adhuc opus esse sui abnegatione, ac crucis portatione ut notauit Chrysostom. 56. in Matth.

ANNOTATIO XLIIII.

Superior sententia latius explicata.

Chrystostomus homilia 56. in Matthæum, & Victor Mar. 8. notarunt, quæ in commentario dicta sunt, ponderantes verbum illud: Si quis vult. Sic

enim ille inquit: Non dixit, oportere eos pati, velle non nollent, sed quid? Si quis (ait) post me venire vult, non impello, non vrgeo, sed liberam singulorum

voluntatem efficiens, dico, Si quis vult, & paulo infra. His dictis vehementer eos attraxit, nam sicut qui vim affert, plerumque auertit, sic qui liberos audientes constituit, multo magis attrahit: potentior enim omnino est oratio mitis, quam violenta. Hæc Chrysostomus. Simile quid Victor habet, cur autem Dominus non cogat, sed liberos inuitet, causam recte idem Chrysostomus docuit. sic enim inquit: Magna sunt, quæ retribuit Christus, ac talia, vt vltro, ac sponte homines ad ea concursuros, dubitare non debeas: non enim si quis aurum, aut argentum proponeret, vim inferret; quanto magis in cælestibus bonis inferenda non est? Et certe si rerum ipsa natura nõ persuadet, & nisi sponte curretes, nec accipere quidẽ dignus es: nec si acceperis, quale quantumq; sit quod acceperis, cognosces. Ideo nõ cogit Christus, sed hortatur. Hęc ille. Vt igitur magnitudo bonorũ, quæ Christus promittit, significetur, nõ cogit, sed liberos relinquit ad se venientes. Huic causę à Chryl. productę adiungenda etiã alia est, nimirum tanto nos amore, ac charitate Christũ esse profectũ, taliaq; ac tanta præ eo in nos amore passum, vt ea confi-

deratio debeat omnes post se trahere, sponte, ac absq; vlla coactione, etiam nõ habita ratione promissorum bonorũ, atq; hæc causa insinuat in illo. Post me. Aduertamus ergo quis est ille, qui ad veniendum post se nos inuitat, & comperiemus non coacte, sed sponte omnino debere nos venire. Occurrit tamen difficultas ex verbis ipsius Christi Ioann. 6. Nemo (inquit) potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Si igitur nemo venit ad Christum nisi tractus à Patre, quomodo liberum est hominibus venire, & quomodo dici nõ potest: Si quis vult venire? Respondeo hæc duo non esse contraria, sed valde consona: nam voluntas hominis per se sola non est potens, nec robur habet sufficiens vt veniat ad Christũ per fidem, aut dilectionem; sed opus ei est diuino auxilio, & motione: hæc tamen motio, sic cum voluntate hominis concurrat, vt eam adiuuet ad credendum, & diligendum vt libertatem eius non tollat: sicut si quis iuuat alterum ad portandum onus, quod solus non potest, dicitur eum iuuare, non tamen cogere. Plura in hac parte profecti, non est præsentis instituti.

Abneget semetipsum.

COMMENTARIA.

QVI venire post Christum vult, eiusque se Discipulum profiteri, vt par est, tria debet seruare. vnum est, quod nunc dicitur, nempe se ipsum abnegare. Abnegare autem se ipsum, est proprijs desiderijs, ac appetitibus, quæ Christi legi, ac præceptis aduersantur, contradicere; non ea sequi, nec iuxta ea operari, nec ipsis consentire. Hoc est vnum ex vitæ Christianæ fundamentis. Est autem plus abnegare, quam negare, nam propositio illa etiam Græce vehementiam, & conatus magnitudinem indicat, vt notat Chrysostomus.

ANNOTATIO XLV.

Hieronymus Matth. 16. explicat quid sit abnegare. Qui deponit (inquit) veterem hominem cum operibus suis, abnegat semetipsum, dicens: Vno ego, iam non ego. viuit vero in me. Christus. Hęc ille. Quæ quidem explicatio adhuc declaratione indiget, idcirco Chrysostomus hom. 56. in Matth. magis hoc elucidans ait. Si intelligis, quid sit alium abnegare, nõ recte percipies, quid sit abnegare seipsum. Qui alium abnegauit, si cædi eũ virgis videat, si coerceri vinculis, quidquid aliud mali pati eum conspexerit, non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus vllõ modo mouetur, ceu ille qui penitus ab eo alienatus est. Sic igitur nullo nos pacto corpori nostro parcere vult, vt neque si cæditur, neque si pellitur, neque si vritur, neque si quid aliud huiusmodi patitur, ei parcamus. Hęc, & alia Chrysost. Quæ quidem etiam declaratione indigent. Idcirco Basilus in Regulis fusius disputatis interrogat. 6. sic abnegationem, de qua nunc est sermo, breuiter, sed compendiose descripsit, dicens: Nihil est aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris obliuio, atque à suis ipsius voluntatibus recessio. Hęc Basilus. Cuius descriptio duas habet partes: prior est summa omnium rerum vitæ superioris obliuio, vitam superiorem appellat, quando sine Dei gratia, peccatis indulgebamus, rerum temporalium affectu, ac dulcedine tracti, quarum rerum obliuisci debent, qui se abnegant, non quidem quod memoria excidant omnino, sed quod ab illa memoria deleantur, & abijciantur, qua prius eas tenebamus: sicut enim atque propositæ erant voluntati, illas amplectebamur. posterior pars est veræ abnegationis substantia, vt ab omni voluntate, affectu, desiderio, quæ ad illicita nos impellunt, recedamus, eis resistentes, contradicentes, mentis consensum auertentes. Hęc est sui abnegatio, quam Paulus Gala. 5.

alijs verbis appellauit, cum enim dixisset; Caro concupiscit aduersus spiritum, carnisque opera descripsisset; conclusit, dicens; qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs; id est, abnegarunt se, proiciendo opera mala, & radicibus aduersantes. Idem Paulus Colos. 3. appellauit expoliationem; Expoliantes, inquit veterem hominem cum operibus suis. Attende autem quod praua desideria, & affectus carnales non possimus omnino expellere; insurgunt enim sæpe etiam in iustis hominibus sine consensu eorum; abnegare autem non est tales effectus eradicare, sed eis resistere non consentiendo eis; nec sinendo, vt in ea prorumpant opera illicita, in quæ tendunt, & impellunt, nec causam, siue occasionem subministrantes, vt in nobis excutuntur. Voluntati ergo carnis debemus aduersari sic, non autem eam euellere, quod Paulus Rom. 13. significauit dicens; Curam carnis non feceritis in desiderijs. & Gala. 5. Desideria carnis non persequeris. Expoliare ergo nos debemus ab omni malo opere, abstinendo ab eo, & à consensu prauorum affectuum, & desideriorũ; abnegare autem nos oportet, prauis affectibus insurgentibus resistendo, & contradicendo, ne perficiantur. Hinc est vt quando non indulgemus his affectibus, aut quando contraria eis facimus, dicamur abnegare nos, sicque quæ dixit Hieronymus & Chrysostomus allegati, plana fiunt. Recte autem Victor Antiochenus Mar. 8. cur dicatur abnegatio sui, explicat, dicens: Non dixit ille, ne nimium sibi indulgeat; aut ne nimium carni suæ parcat: sed vehementius insurgens, abneget, vel abiuret semetipsum, hoc est, nihil cum se ipso, vel sua carne commercij habeat, verum ita se gerat, ac si non ipse, sed alius quispiam crucem tolleret. Hęc ille.

Et tollat

Et tollat crucem suam quotidie.

COMMENTARIA.

HOC est secundum, quod exhibere debet ille, qui vult venire post Christum, vt tribulationes omnes internas, quæ ei ex sui abnegatione, ac ex virtute amplectenda proueniunt, patienter sustineat: quod enim cruciat, ac torquet, crux appellatur. de hac cruce dictum est 2. Timot. 3. Omnes, qui pie viuere volunt in Christo, persecutionem patienter. Et Actor. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Hæc cruces multæ sunt, & non eiusdem rationis, nec æquales in singulis eorum: qui post Christum veniunt, sed maiores, aut minores, ob id dictum est, vt vnusquisque suam crucem tollat. Verbum autem hoc indefinitum, perpetuitatem indicat, id est, vt semper tollat, nec desistat: ob id additum est aduerbium, quotidie; significat enim varias, & multiplices afflictiones, & indefessam iustorum tolerantiam.

ANNOTATIO XLVI.

Quod ad verba attinet, illud (quotidie) non habetur in Matthæo, nec Marco, sed apud solum Lucam, immo quinque Latina exemplaria manuscriptorum, & Cöplutense, non legunt, nec à Theophylacto, nec ab Euthymio exponitur; habetur tamen in exemplaribus Græcis communiter, & in plurimis Latinis, & conuenientem facit sensum. Quod autem ad rem spectat, Chryso. hom. 56. in Matth. notat hac sententia significari abnegationem eorum, qui post Christum veniunt, debere esse vsque ad mortem, & mortem quidem turpissimam; debet enim esse homo paratissimus omnia aduersa sustinere, etiam mortem. Verba ipsius sunt: Ne quis putet ad verba vsque tantummodo, ac contumelias, & opprobria abnegationem hanc sui fieri oportere, id subiunxit; vt videas abnegandos nos esse vsque ad mortem, & mortem turpissimam, quam designans non dixit, abneget semetipsum vsque ad mortem, sed tollat crucem suam, non semel, nec bis, sed continue per totam vitam hæc tecum mortem circumferas, & continue ad necem paratissimus sis. multi quidem pecuniam contempserunt, multi delicias vitæ, ac gloriam conculcauerunt, mortem autem despiciere non potuerunt. Hęc & alia Chrysostomus. Idem ante eum sensit Basilus in regu. fut. disput. interrog. 6. vbi sic habet: Animi ad mortem pro Christo subeundam alacritas, & membrorum, quæ sunt super terram, mortificatio, & illud, quod quis li-

benter se cuius impederit periculo, offerre pro Christi nomine sit paratus; & nulla de rebus vitæ huius affectione tangatur, hoc nimirum est tollere crucem suam. Hęc Basilus. Eidem interpretationi consensit Victor Antioch. Mar. 8. exponens enim hanc sententiã, sic inquit: Indicat per hæc hominem Christianum nõ quouis modo, aut gradu seipsum abnegare debere, sed vsque ad mortem, mortem autem crucis: idque non semel, aut bis in vita tantum, sed per totam vitam absolute fieri oportere. Hęc ille.

Mihi accomodatior interpretatio est, vt tollere crucem sit tribulationes, afflictiones, tædationes, ac persecutiones, quæ partim ex abnegatione, partim ex virtutis studio, partim ex diuina probatione, partim ex naturæ corruptione, ex hominũ malitia, aut cõuersatione proueniunt, patienter, & humiliter sustinere, nec ob eas ab incepta via bona retrahi. Quod autem de morte dicitur, magis ad sequentem tertiam sententiam spectat, vt in eius expositione dicitur. Hieronymus crucem ad mortificationem membrorum refert: at vero hæc mortificatio magis ad abnegationem pertinet; afflictio vero, quæ ex mortificatione procedit, pars crucis est. Gregor. homil. 32. in Euang. in carnis mortificatione, & in proximorum compassione tolli crucem affirmat. Hęc tamen pars etiam crucis, sed non tota crux dicitur. crux ea est, quam paulo ante, & in commentario explicuimus.

Et sequatur me.

COMMENTARIA.

HOC est tertium, quod exhibere debet, qui vult venire post Christum. Sequi autem Christum, est ipsius præcepta, & doctrinam amplecti, eius virtutes imitari, etiam ad mortem pro ipso subeundam paratos esse, si opus fuerit, ratioque exegerit, denique abnegare seipsum, & crucem tollere propter eum. Abnegant se homines mundi, & cruces suas tollunt, dum multis suis appetitibus, ac commoditatibus se priuant, dum labores, & afflictiones, & quidem graues sustinent, sed non vt sequantur Christum, sed vt alijs suis appetitibus, aut aliorum satisfaciant, vt mundi aliquas voluptates, aut bona assequantur transitoria: ac non veniunt post Christum, quia non amplectuntur doctrinam, ac præcepta eius, non imitantur virtutes illius. qui igitur vult venire post Christum, necesse est vt duobus præcedentibus adiungat hoc tertium, per quod maxime Discipulus Christi distinguitur à sectatoribus sæculi huius.

ANNOTATIO XLVII.

Chryso. homil. 56. in Matth. quid sit Christum sequi, & qua ratione, si hoc tertium non sit, duo prima nihil proficiunt, recte exponit, sic dicens: Latrones,

sepulchrorum violatores, dæmonum inuocatores, multa plerumque talia patiuntur. Ne igitur credas ipsius passionis naturam per se sufficere, causam

eius subiecit. Quam ipsam? Quæ dicta sunt, vniuersa faciens, acque patiens ipsum sequaris, vt scilicet propter ipsum omnia sustineas, atque omnem virtutum numerum habeas. Is enim Christum sequitur, qui non in periculo modo fortitudinem adhibet, sed modestiam, sed humilitatem, & omnem sublimioris philosophiæ genus complectitur. Id enim est recte Dominum sequi, vt & propter ipsum cuncta sufferas, & alias virtutes non negligas. Multi Diabolum sequentes multa patiuntur, & vitam

propter ipsum perdunt, quam nos propter Christum, immo vero propter nos ipsos perdimus. Hæc Chrysostomus. Sequela igitur est, vt propter ipsum, quæ dicta sunt duo faciamus, & ipsum imitantes, omnium virtutum studio incumbamus. Nos is duobus addimus tertium, vt mortem ipsam pro eo pati prompti, ac parati simus, & si occasio postulauerit, subeamus, sicut & ipse pro nobis subiit; ea enim est perfecta sequela, qua Christum vsque ad crucem sequimur.

Qui enim voluerit animam suam saluam facere; perdet illam.

C O M M E N T A R I A.

NE quis diceret duram nimis, & nociuam hanc esse doctrinam, vt abnegemus nos, & crucem tollamus, Christumque crucifixum sequamur, tacite id repellit, causamque dat, quasi diceret, non trado nociua, immo vtilissima, & salutifera: nam qui non abnegauerit se, nec tulerit crucem propter me, sequendo me ipsum, sed voluerit animam suam saluam facere, id est, indulgere vitæ huius voluptatibus, ac commodis, suisque appetitibus satisfacere, seque in vita conseruare potius, quam hæc, quæ doceo exhibere, perdet animam: nam eam æternæ morti addicit.

Nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam.

C O M M E N T A R I A.

ALtera pars opposita priori hæc est, qui vero animam perdiderit propter Christum, abnegando se, ac crucem vsque ad mortem tollendo, eam saluam faciet, nam vitam æternam assequetur. Est igitur doctrina hæc salutifera. Recte autem adiunxit (propter me) nam sunt qui perdunt animas suas propter mundum, subeundo labores duros, & multis suis appetitibus contradicendo, ac suam carnem multipliciter macerando, idque ad temporalia bona, honores, dignitates, pecunias, aliaque huiusmodi consequenda. Hi perdunt animam in præsentis sæculo, & in futuro. Qui si prædicta facerent propter Christum, in præsentis perderent animas, sed in futuro saluarent.

A N N O T A T I O X X X V I I I.

LOco (nam) Græce est *ὅτι*, & eadem habetur apud Matthæum & Marcum, in quibus locis, Interpretis vertit (Qui autem perdiderit.) cum igitur sit eadem apud Lucam, eodem erat vertenda modo, vnde particulam (nam) positam esse pro (autem) dicendum est, præsertim cum etiam si legamus (nam) sensus sit idem. Quod vero ad rem spectat, Victor Antiochenus hanc vtramque sententiam connectit, sicut & nos in superiori commentario connectimus: nam eam interpretans sic, inquit: Quod dicit eiusmodi est. Non duriter, sed clementer, & indulgenter vobiscum agens hæc præcipio; nam qui puero plus satis indulget, perdit eum, qui autem peccanti non parcat, saluat eum. Hæc ille. Aduerte autem Matthæum ad significationem, respicientem dixisse, qui perdiderit animam, inueniet. Habent enim hæc oppositionem quandam, & correspondentiam, inuenire, & perdere. Marcus vero, & Lucas sensum considerantes, loco illius (inueniet eam) dixerunt, saluam faciet eam. Aduerte præterea Matthæum, & Lucam addidisse illud (propter me) quod in commentario expositum est: at Marcus adiunxit alterum, dicens: (Propter me & Euangelium: quod dupliciter possu-

mus interpretari, vno modo cum Euthymio, vt particula (&) sit declaratiua, vt id sit propter Christum animam perdere, quod propter Euangelium, id est, doctrinæ Christi seruandæ causâ, animam perdere: quæ expositio non satis respondet verbis paulo inferioribus huic sententiæ respondentibus, nimirum, qui erubuerit me, & sermones meos: duo enim hæc distingui videntur. Altero modo, qui accommodatior est, vt animam propter Euangelium perdere, referatur ad omnes, qui suis aduersantur appetitibus, suæque se voluntati opponunt, vt Christum sequantur, eius voluntatem faciendo; perdere autem animam propter Christum, referatur particulariter ad martyres, qui in fidei, & Euangelij defensionem vitæ corporaliter tradiderunt. vnde non probo, quod Euthymius Luc. 9. dicit, vbi animam perdere de solis martyribus interpretatur. Puto enim iustos se ipsos abnegantes etiam sine martyrio animas suas perdere in hoc sæculo. generalis igitur est hæc sententia, complectens omnes iustos tam martyres, quam qui martyrium non subeunt, cum ea sententia referatur ad præcedentes, nempe tollere crucem, abnegare se ipsos, & sequi Christum, quæ etiam generales sunt.

Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersam mundum, seipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat?

C O M M E N T A R I A.

CAusam profert, cur qui animam suam facit saluam in hoc sæculo, dictus sit eam perdere, tacitæque obiectioni respondet: nam posset quispiam opponere sic:

re sic: Qui in hoc sæculo animam suam saluam facit, quamuis propter Christum crucem non tollat, nec ipsum sequatur, tamen bonis multis temporalibus fruitur, & quæ suæ animæ placent, assequitur, quomodo ergo perdere animam dici potest? huic respondens, inquit: Quamuis homo totum mundum lucretur, & omnibus eius bonis fruatur, nihil profecisse censendus est, si ob ea se perdat in æternam incidens damnationem, aut animæ salutis spiritualis iacturam faciens; bona enim temporalia malo spirituali, aut æterno collata æstimanda sunt quasi nihil. Recte autem dicitur homo se perdere: nam ad malum sufficit arbitrium sine gratiæ auxilio iuxta illud Ose. 13. Perditio tua Israel.

A N N O T A T I O X L I X.

Quid significent verba superioris sententiæ.

QUod ad literam spectat notandum est apud Matthæum, & Lucam eandem esse sententiam, nempe *ὁφελειται ἄνθρωπος* à verbo *ὠφελειν*, id est, viuere, emolumentum capio; estque in voce passiva, quasi diceret, quid iuuatur homo; licet interpret aliter verterit apud Matthæum, nempe: Quid prodest homini, quam apud Lucam, quid proficit homo. Marcus eodem verbo vsus est in voce actiua futuri, scilicet: Quid iuuabit hominem? Idem est sensus, quo significatur, nullum censendum temporale emolumentum, quod est cum animæ iactura. Notandum est præterea apud Matthæum, & Marcum tantum haberi: animæ suæ detrimentum faciat, seu patietur; apud Lucam vero: se ipsum perdat, & detrimentum sui faciat. Græce disiunctiua particula est, nimirum: Aut sui detrimentum faciat. Origen. homil. 10. in Exod. multa de hac distinctione dicit, interpretaturque animam perdere eum, qui gehennæ incendiis deputatur; illum vero detrimentum facere, de quo 1. Corinth. 3. dicitur: Detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, quod de igni purgatorio intelligitur: tam ergo ignis in fœni, quam ignis purgatorij præponderat bonis omnibus temporalibus sæculi huius, vt potius ab his sit abstinenda,

quam illa tormenta sustinenda. in hunc sensum tendunt, quæ Origenes dicit non improbabiler. Euthymius autem existimat posterius esse declarationem prioris, quasi id sit se ipsum perdere, quod est sui detrimentum facere, scilicet in æternam damnationem incidere, quod probabile est, licet accommodatius dici posset, quod in commentario dictum est, prius ad damnationem æternam pertinere; posterius vero ad iacturam rerum spiritualium, quæ in hoc sæculo per peccatum fit; bona enim temporalia omnia illis collata, nihili censenda sunt, nullamque comparisonem habent, non solum cum damnatione æterna, sed etiam cum iactura gratiæ Dei, & donorum Spiritus sancti, cæterorumque, quæ per peccatum amittuntur. Vnde Matthæus, & Marcus huic sententiæ adiunxerunt (quam dabit homo commutationem pro anima sua?) quibus verbis significatur tanti esse animæ salutem spiritualem, vt quidquid loco eius recipitur, etiam si totus sit mundus, detrimentum censeatur, cum incomparabiliter maius sit, quod deperditur, quam quod acquiritur: idcirco qui animam sic saluam facit, eam perdere dicendus est.

Nam qui me erubuerit, & meos sermones; hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.

C O M M E N T A R I A.

CAusam explicat præcedentis sententiæ, quasi diceret, dixi eum, qui non tollit suam crucem, meque sequitur, etiam si mundum lucretur, nihil proficere, sed se ipsam perdere, quia, qui me, sermonesque meos erubuerit me, per fidem non confitendo, aut meis mandatis non obediendo, quasi eum puduerit crucem tollere, & sequi illum, qui crucifixus est, hunc talem ego etiam erubescam illum, cum venero iterum, non iam in humilitate, sed in maiestate. Iustum enim est, vt qui me erubuit in humilitate mea, ego etiam in maiestate mea illum erubescam. vnde eius damnatio, & perditio consequetur; quem enim ego in maiestate erubero, is omnino perdetur. Aduerte Christum loqui de se in tertia persona sub nomine filij hominis, vt ostendat erubescantiam ratione humanitatis ortam esse; nemo enim Deum erubescit, humanitatem vero Christi, in qua crucem sustinuit, erubuerunt multi, indigni iudicantes eum Deum confiteri, eiusque mandatis obedire, qui crucifixus est; ob id ex parte Christi opposita est etiam humanitas, scilicet Filius hominis, quasi diceret: æquum est, vt eum, qui Filium hominis crucifixum in sua, humanitate despexit, iste Filius hominis quando venerit in maiestate sua despiciat. Recte autem dicitur, maiestate sua. Nam maiestas, & gloria Christi hominis erat à diuinitate ei coniuncta in vnitatem personæ; qui enim erat homo, ille idem Deus erat. Nostra vero maiestas, & gloria erit à Deo, quasi non ex nobis, sed ab externo principio procedens. Dicit autem (propter me, & propter sermones meos,) vt respondeat ei sententiæ supra positæ: Qui perdiderit animam propter me, & propter Euangelium, vt habet Marcus. Plura in Annotatione require.

Duo Christi
aduentus & de
vetroque.

Dominus in hac, & in antecedenti sententia duos suos significat aduentus, priorem in humilitate, quando venit ad redimendum, & salvandum genus humanum per mortem, & crucem: posteriori vero in maiestate, quando in fine temporis veniet ad iudicandum, de quo Matth. 24. dixit idem Dominus: Videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa, & maiestate. Tempore aduentus prioris, in quo fumus usque ad posteriorem, inuitat, & exhortatur homines, ut crucem tollant, & eum sequantur credendo, confitendo, mandatis suis obediendo, nec erubescant sequi illum, qui crucifixus est: quod si id non fecerint, quasi pudeat crucifixi diuinitatem confiteri, & sermonibus obtemperare, in posteriori aduentu, quando apparebit maiestas eius, tunc ipse erubescet eos, ac contemnet, & à se in exteriores aeternae damnationis tenebras proiciet, nihilque proderit iis hominibus etiam si medio hoc tempore mundum totum lucrati fuerint. Hic est sensus sententiarum istarum. Erga quas vna occurrit difficultas, cum non solum ob pudorem, aut erubescendum multi sequi Christum, crucemque tollere renuant, sed ob alias multas causas, ut varijs suis appetitibus indulgeant, & omnes hos etiam Christus in perditionem proiecturus sit, quando in maiestate venerit, quid est, quod de hoc pudore, & erubescencia sola nunc loquitur? In primis dico generalem esse doctrinam,

Difficultas ex
plicata.

Et Patris, & sanctorum Angelorum.

COMMENTARIA.

Exponit Christus magnitudinem maiestatis, in qua est venturus, ut inde significet, quantus futurus sit pudor, & confusio eorum, quos ipse tunc erubescet: Veniet, inquit, Filius hominis in maiestate non tantum sua, sed etiam in maiestate Patris, & in maiestate sanctorum Angelorum, sua quidem, quia gloria humanitatis erat à diuinitate vnita sibi in persona Filij; Patris vero: tum quia gloria illa est à diuinitate, quam habet Christus eandem cum Patre: tum etiam, quoniam in ea apparebit maiestas, quae ostendat eum esse Deum, & habere eandem cum Patre diuinitatem. Angelorum autem, quia veniet Angelorum exercitibus comitatus, quod ad magnam gloriam, & maiestatem exteriorem facit; si enim maiestas principis terreni apparet in satellitum, & militum, ac familiarium comitatu, quanto maior apparebit Christi maiestas, Angelorum sanctorum innumerabili multitudine comitante?

ANNOTATIO LI.

Lectiones
Euangelista-
rum variae, &
consensus in-
ter eos.

Matthaeus sic habet: Venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis. sermo est de gloria, & maiestate exteriori corporis Christi, quae ab interiori procedebat, tamen in priori aduentu suspensa erat, idcirco dicitur Isaia 53. Absconditus vultus eius, & non erat ei species, neque decor. hanc gloriam, ac maiestatem assumpsit resurgens, & in ea apparebit viuens iudicare. Quod autem Lucas dixit: In maiestate Angelorum, Matthaeus, & Marcus dixerunt: Cum Angelis suis, quo signifi-

ficatur ea maiestas Angelorum, quae accedit Christo ex eorum comitatu. Dicitur autem (suis) quia Angelos comitatos esse homines sanctos legimus: at non erant hominum, quasi hi essent Domini; at Christus Angelorum est Dominus; ideo dicitur venturus cum Angelis suis. Marcus addit (sanctis) sicut & Lucas, quia Angelorum nomen etiam tribuitur malis, ac daemionibus, ut ex Scriptura manifestum est.

Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.

COMMENTARIA.

VT huius suae gloriae fidem faciat, in eaque fide Discipulos confirmet adiunxit, non post multum temporis aliquos ex Discipulis astantibus, priusquam moriantur, visuros Christum in ea gloria, ac maiestate sua, quasi diceret; quod longe distat, quodque in fine saeculi futurum dico, ecce ex parte post breue tempus quibus-

quibusdam ex vobis demonstrabo, quod factum est in transfiguratione. Hanc gloriam appellat Regnum Dei: quia non pertinet ad saeculum praesens permanentur, sed ad aliud, quod speramus, in quo regnabunt sancti. quod autem dicitur: Gustabunt mortem, phrasis est Hebraea, pro eo quod est mori, qua phrasi vsi sunt Ioannes c. 8. & Paulus Hebr. 2.

ANNOTATIO LII.

Superiorum
verborum con-
nexio & sen-
sus explicatur
copiose.

Quod ad verba spectat, Matthaeus cap. 16. & Marcus cap. 8. dixerunt. Amen dico vobis. Lucas quasi interpretans particulam Hebraeam (Amen) scripsit (vere dico vobis.) Praeterea quod Lucas dixit: Videant regnum Dei. Matthaeus scripsit: Videant filium hominis venientem in regno suo, id est, apparentem in regni sui gloria; vtriusque sententiae, idem est sensus. Marcus autem verbis Lucae adiunxit, Videant regnum Dei veniens in virtute. Quod dictum est, In virtute, & potentia, idem est, ac in maiestate, & gloria, ad distinctionem regni militantis, in quo gloria illa nondum apparet. Quod autem ad connexionem spectat, sententiam hanc Ambrosius in presenti, & Gregorius hom. 32. in Euang. connectunt cum illis praecedentibus, in quibus Dominus praeccepta subeunda mortis dedit, quasi nunc velit promissione quadam confirmare, & alligere. At vero accommodatior est connexio, quam proposuimus in commentario, quae est etiam Hieronymi Matth. 16. ut proximae praecedenti coniungatur, quasi velit fidem facere eius, quod longe distabat, promissione rei praesentis, ac similitudinem quandam habentis; Venturus enim est in ea gloria, in qua in sua transfiguratione magna ex parte apparuit.

Quod demum ad sensum pertinet, varia est Doctorum interpretatio. Primo loco Ambrosius in presenti, mortem quidem in hac sententia non de corporis, sed de animae morte, quae per peccatum contrahitur, intelligendam putat, ut gustare mortem sit mortaliter peccare, Regnum autem ad ultimam resurrectionem refert, ut sit sensus. Sunt de hic astantibus, qui non peccabunt mortaliter, vsque ad resurrectionis gloriam, sed vitam animae continuabunt, etiam si intercedat mors corporis, quae interpretatio ex Origene tract. 3. in Matth. desumpta videtur; potius tamen ad sensum spiritualem, quam ad historicum, & literalem pertinet, & adhuc in eo sensu non apparet verificari posse in tribus illis Discipulis, quos paulo post Christus assumpsisse dicitur, Petro scilicet, Ioanne, & Iacobo, ut Ambrosius vult: nam Petrum nemo à graui peccato excusat, quando cum iuramento Christum in passione negauit: à tempore ergo, quando hoc Christus praedixit, vsque ad illud ultimum resurrectionis, saltem Petrus peccauit.

Secundo igitur loco Gregorius hom. 32. in Euang. & Beda Matth. 16. mortem quidem de ea, quae corporis est, cum communi Patrum expositione interpretantes, Regnum vero hoc Ecclesiam Christi militatam exponunt, quam in virtute miraculorum, & doctrinae auctam multi exiis, qui tunc aderant, quando Christus haec praedicebat, viderunt, priusquam corporis mortem subirent. Dicitur autem Christus in regno suo veniens, quia per Euangelicam praedicationem eius diuinitas, & maiestas mundo

Factum est autem post haec verba fere dies octo.

COMMENTARIA.

VD Euangelista Christum vera promississe comprobet, describit quomodo quidam Discipuli Christo prius astantes, Regnum hoc Dei viderint, priusquam corporis mortem subirent, quod gestum est intercedentibus diebus fere octo à tempore, quo Christus id praedixit. Computat autem Euangelista diem, quando Christus

innotuit, videtur autem dura interpretatio haec, & parum accommodata.

Tertio loco quidam de gloria interpretantur, in qua Christus Discipulis apparuit in sua Ascensione. Cui expositioni fauet illud Act. 1. quemadmodum vidistis eum ascendentem in caelum, sic veniet. Praedixit ergo Christus tunc inter astantes aliquos esse, qui visuri erant eum in Regno suo, priusquam morerentur, quia Discipuli eum viderunt gloriosum ascendentem in virtute. Dictum est autem, esse aliquos de astantibus, quia multi ibi tunc aderant cum Discipulis, quando ea Christus loquebatur, ut diximus supra, inter quos Discipuli viderunt Christum in Regno. Huius expositionis meminit Druthmarus in Matth. Quarto loco quidam Regnum hoc resurrectionem ultimam interpretantur in extremo tempore; dictumque putant esse nonnullos, qui mortem non gustabunt vsque ad aduentum secundum Christi, propter Ioannem Euangelistam tunc astantem, qui adhuc viuit, iuxta illud Ioan. 21. sic eum volo manere donec veniam. Hanc interpretationem Damascenus orat. de transfiguratione testatur nonnullos praestanti eruditione viros fuisse secutos. Quibus ipse Damascenus opponit non de vno, sed de pluribus dictum esse: sunt hic astantes, qui non gustabunt mortem. Huic etiam adde eam interpretationem falso niti fundamento; existimant enim Ioannem nondum obiisse, quod non ita est, ut ostensum est in nostris commentariis in Ioannem.

Quinto, & ultimo loco est interpretatio communis Patrum, ut sententia haec intelligatur de splendore, & gloria transfigurationis, in qua Christus apparuit tribus Discipulis post sex dies ab eo, quando haec praedixit. Hanc interpretationem sequuntur Hilar. can. 17. in Matth. & Hieron. in commentarijs cap. 16. Chrysof. hom. 57. in eundem Matthaeum. Epiphani. haeres. 69. prope finem, Leo sermone de transfig. & Damascenus in orat. de eadem transfiguratione. Euthymius ibidem. Origenes autem tractat. 3. in Matth. fatetur esse hanc interpretationem litteralem, & historicam, licet ipse altiore sensum sibi videatur inuenire, qui potius ad spiritum, & allegoriam spectat. Dicitur autem in transfiguratione regnum Christi, & ipsum Christum in suo regno venisse, quia apparuit vere in ea gloria, splendore, ac maiestate, quam in caelis habet, & in qua veniet iudicare omnes. Dicitur autem venisse in virtute, quia in potentia suae maiestatis tunc apparuit, quamuis Origenes dictum id putet, quia Helias, & Moyses, quasi armati milites Regibus ad stare soliti, tunc cum Christo apparuerunt. Accommodatior tamen est prior sensus. Huic communi expositioni in commentario adhaesimus, cui multum fauet historia transfigurationis, quae paulo post secuta est, & quam Euangelista consequenter descripsit.

stus ea locutus est, & diem etiam, quando impletum est, & regnum Dei visum est; sicque intermediis sex adiunctis sunt, dies fere octo. Dicitur autem fere, quia primus, & vitimus non fuere integri; iam enim erat inceptus, quando Christi promissio facta est, & nondum erat finitus, quando transfiguratio facta fuit.

ANNOTATIO LIII.

Concordia inter Evangelistas circa praecedentia verba. D Vbitatio occurrit: nam Matthaeus cap. 17. & Marcus cap. 9. hanc historiam describentes, dicunt, post dies sex. Lucas vero dicit: Post dies fere octo. Huic dubitationi respondet Hieron. Matth. 17. Augustinus lib. 2. de consen. Evang. cap. 56. & Chryl. hom. 57. in Matth. & Epiphanius lib. 69. prope finem, nempe Matthaeum, & Marcum numerasse dies intermedios, praetermissis & eo in quo Christus praedixerat visionem Regni, & eo in quo transfiguratus est; Lucas vero hos etiam computavit, idcirco octo fere dies dixit interfuisse; adiecit autem particulam minuentem (fere) quia primus, & octavus non intercesserunt integri, ut in commentario expositum.

est, & August. lib. 3. doct. Chri. cap. 35. notat hos duos primum, & ultimum per Synecdochen dictos dies; idem Epiphanius affirmat, dicens, in fine primi dixisse, tertia vero, aut quarta hora octavi transfiguratum esse. Chrysol. hom. 57. interrogat, cur non statim, sed post dies sex assumpserit Discipulos ad visionem Regni, & respondet, ne si statim assumpisset, ceteri turbarentur, quasi ex temporis continuatione noscentes illos ea de causa assumptos, ut regnum Dei viderent. Hilar. & Ambrosius mysticas horum dierum causas notarunt, quae ex Origene desumptae videntur, similiter etiam Damascenus in oratione de transfiguratione.

Et assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem.

COMMENTARIA.

HOS tres Christus assumpsisse dicitur, quia relicta turba, ceterisque Discipulis hos secum solos ad societatem suam, seu secum, in locum, in quo transfigurandus erat, euocavit. Tres autem Discipuli assumuntur, quia mysterij testes futuri erant, cum in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Eliguntur vero hi praeter ceteris, quia inter eos omnes hi primas habebant.

ANNOTATIO LIV.

Cur tres Discipulos tantum reliquis reliquis secum Christus assumpsit in montem. M Athaeus non tantum retulit Ioannem, sed adiecit (fratrem eius.) Cur autem tres elegerit Dominus, diximus in Commentario, & est causa posita a Tertulliano lib. 4. contra Marcionem. & lib. de praescriptione: Tres (inquit) de discipulis arbitros futurae visionis, & vocis, assumit. Vox est creatoris Deuteron. 19. In tribus testibus stabit omne verbum. Cur vero hos, ultra causam in commentario positam, quae est Chrysostomi hom. 57. in Matth. & Hieron. ibidem plura diximus in praecedenti capite Annot. 104. At cur non omnes Discipulos assumpserit, existimo vnam causam esse, ut mysterium secretius ageretur; non enim erat evulgandum, nisi post resurrectionem; tunc enim praedicatum, & manifestatum est,

ut nos habemus ex Petro 2. Epist. cap. 1. Damascenus orat. de transfiguratione dicit propter Iudaeum non omnes assumptos; cum enim ille indignus esset tali visione, ne facinoris causam praetererit, quod solus esset relictus, remanent etiam alij. Tres autem assumuntur propter mysterium Trinitatis, & quia in ore duorum vel trium stat omne verbum. Hae Damascenus. Commendat autem Chrysostomus loco allegato Evangelistae sapientiam, ac veritatem, qui non celavit nomina eorum, qui praepositi fuerant, quod in Matthaeo locum habet, qui praetens tunc fuit cum ceteris Apollolis, nec assumptus est ad videndam hanc gloriam.

Et ascendit in montem.

COMMENTARIA.

M Ontem cum tribus ascendit: tum quia locus erat remotior ab hominum consortio: tum quia montis celsitudo quandam cum celsitudine illius maiestatis cognationem habebat: tum etiam, ut impleret, quod praesignificatum erat, ut in Annotatione explicabitur.

ANNOTATIO LV.

Cause ob quas Christus in montem ascendit, quo novissime appellatus, & qualis mons iste fuerit. M Athaeus habet: Duxit illos in montem excelsum seorsum, id est, a ceteris subductos, ac sequestratos. Marcus eadem verba habet adiungens, duxit illos solos, quia nemo ceterorum, nec vllus de turba assumptus est a Christo. Prima causa in commentario allata, cur montem ascendit, est Euthymij Matth. 17. Duxit (inquit) in montem, ut a nemine alio videri possent: Secunda autem causa etiam in commentario posita, est Victoris Antiocheni in commentario Mar. 9. Tertiam adfert Terullianus lib. 4. contra Marcionem. In montem (inquit) secedit, nam & pristinum populum apud montem, & visionem, & voce sua Creator initiavit: oportebat in eo

suggestu consignari novum testamentum, in quo conscriptum vetus fuerat. Hae ille. De qua re paulo inferius nonnulla dicemus. Ex Evangelistis autem non habemus, quis mons iste fuerit. Lucas enim montem tantum dicit; Matthaeus, & Marcus qualitatem expresserunt, dicentes, Montem fuisse excelsum. Petrus vero 2. Epi. cap. 1. montem sanctum appellavit: nomen igitur montis proprium Scriptura non indicavit; Patres tamen antiqui tradunt Thabor esse nominatum: ita affirmat Hieron. Epist. ad Eustochium de Epitaphio Paulae: In monte (inquit) Thabor transfiguratus est Dominus, idem affirmat Damascenus orat. de transfiguratione, Beda lib. de sanctis

sanctis locis cap. 17. Euthym. in illud Psal. 88. Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Druthmarus in Matr. & ante hos omnes idem affirmat Cyrillus Hierosolymitanus cateche. 12. Montis huius qualitatem describit idem Hieronymus in commentariis in Oseam cap. 5. Est (inquit) Thabor mons in Galilaea situs in campestribus, rotundus, atque sublimis, & ex omni parte finitus aequaliter. Hae ille. Paulo inferius ibidem dicit interpretari Latine veniens lumen. Beda autem loco citato latius describit, dicens: Mons Thabor in medio Galilaeae campo, in tribus millibus manens ad Boream a Genesareth distat, ex omni parte rotundus; herbosus valde, & floridus altitudine triginta stadiorum, vertex ipse campestris, & multum amoenus, viginti & trium stadiorum dilatatur, vbi grande monasterium grandi quoque silva circumdatur, tres Ecclesias habens, iuxta quod Petrus ait: Faciamus hic tria tabernacula, locus muro cinctus granda gestans aedificia. Hae Beda. Iosephus autem lib. 4. de bello Iudaico cap. 2. scribit huius montis esse triginta stadiorum altitudinem: in vertice autem esse planitiem viginti stadiorum.

Ut oraret.

COMMENTARIA.

F Inis proximus huius ascensus in montem fuit, ut oraret, ultimus tamen, ac praecipuus, ut transfigurationis mysterium demonstraret; ad hoc enim solos tres Discipulos assumpserat: si autem ad orandum tantum ascendisset, utique omnes ad se assumpisset. Dum autem ad orationem ascendit, quod omnibus Discipulis erat manifestum, ceteris Discipulis, qui remanebant, mysterium transfigurationis futurae occultat: existimabant enim omnes orandi tantum causa eum ascendere in montem.

ANNOTATIO XLVI.

Ceteri Evangelistae, nempe Matthaeus, & Marcus, huius orationis mentionem non fecerunt, sed tantum dixerunt, Christum ascendisse cum his tribus Discipulis in montem, & transfiguratum fuisse coram ipsis. Lucas solus aperuit, ascendisse ut oraret; & dum oraret transfiguratum fuisse. Quamvis autem Christus praecius fuisset mysterij futuri, & ut id perageret, ascenderit; merito tamen Evangelistae non dicunt ascendisse, ut se transfigureret, ut per hoc

nobis significant extases spirituales, ac revelationes esse quidem magnificandas, & recipiendas, cum dantur a Deo; non tamen quaerendas; sed id quod praecipuum est, nempe dilectionem, ceterosque virtutum actus: nam Christus ascendisse dicitur, ut oraret, non ut se transfigureret. Voluit etiam Christus prius orare, ut significaret beneficia a Deo impetrandi, optimam viam esse orationem.

Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera.

COMMENTARIA.

I N ipsa oratione, corporis facies immutata est, non quidem substantia, sed qualitate; splenduit enim sicut Sol. convenienter autem, dum orat, alteratur corpus, ut significaret corporis nostri beatitudinem ab animae fruitione emanaturam, ut sicut anima peccati miseria infecta, corpus reddidit miserum, ita per gratiam consummatam, quae gloria est ornata, corpus efficiat gloriosum.

ANNOTATIO XLVII.

Quomodo facies Christi altera facta dicitur in transfiguratione.

Quod Lucas dixit, faciem Christi factam fuisse altera, id Matthaeus magis expressit, dicens: faciem splenduisse ut Solem: Marcus autem scripsit transfiguratum fuisse, non quod carnis substantia sit in aliam mutata, sed quod lumine glorioso fuerit ita illustrata, ut sicut Sol splendorem emiserit, ut recte notavit Hieronymus in Matthaeum, & in Epist. ad Pachmachium contra errores Ioannis Hierosolymitani, eoque argumento, ac similitudine probat veritatem carnis nostrae in resurrectione futura, in qua substantia non mutabitur. Addit etiam Hieronymus in Matth. nec ipsam Christi formam, seu effigiem mutatam fuisse, quasi in aliam figuram sit conuersa, sed splendida, ac lucens facta est. Verba ipsius sunt: vbi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur, cum transformatus est Dominus in eam gloriam, qua venturus est in regno suo: transformatio splendorem addidit, faciem non subtrahit. Hae ille. Tertullianus etiam lib. de resurrectione carnis idem sentit, dicens: Dominus in secessu motis, vestimenta luce mutauerat, sed lineamenta Petro agnoscibilia servauerat. Hae ille. Tacite probans Dominum effigiem non mutasse, quia Petro agnoscibilibus remansit. Victor Antiochenus Mar. 9. idem affirmat, ac per hoc probat beatos in resurrectione in

eadem sua priori effigie, cum maximo tamen decore suscitandos. Aduertendum autem est, Auctorem librorum de mira. sac. Scrip. qui inscribitur Augustino lib. 3. cap. 10. affirmare hunc splendorem diuinitatis fuisse, sic enim inquit; licet in hac ostensione Domini facies solari splendore fulserit, non ipsa caro splenduit, sed diuinitas latens in corpore, luminis sui portiunculam conspiciendam foris videntibus quantum poterant, concessit. Hae ille. Quae verba non sic sunt intelligenda, quod lumen, ac splendor iste fuerit in ipsa diuinitate, sicut lux est in Sole, nec quod per ipsum lumen diuinitas visa sit: sed quod ab ipsa diuinitate in carne sit effectum, ac per carnem exterius diffusum, quasi argumentum diuinitatis latentis in humanitate: sicut olim Isaias dictus est vidisse Dei gloriam; & in veteri testamento gloriam Dei apparuisse hominibus. Quae sensum verba sequentia illius Auctoris ostendunt; inquit enim sic: Sicut per carnem diuinitas illuxit, sic etiam caro illuminata a diuinitate per vestimenta radiavit. Hae ille. Quod etiam Gregorius Nazianze. oratio de fide prope finem, tradidit, docens diuinitatem latentem in humanitate fuisse ad modum Solis, cui nubes obiecta non tollit lumen, sed occultat, in transfiguratione autem lumen aperitur, quasi nube dissipata; quae verba eodem modo interpretanda sunt, non quod

quod diuinitas ipsa conspicua per se facta sit, sed quod per lumen in carne diffusum se notificauerit. Similia etiam verba Damascenus orat. de transfiguratione protulit, ad diuinitatem referens. Hodie (inquit) circumscriptiois expertis diuinæ naturæ radiis in monte Thabor Apostolorum oculos perfringit. Quæ verba eodem modo sunt explicanda. Idem habetur apud Epiphanium hæres. 69. prope finem. Sic Leo sermo. de transfiguratione Domini explicuit, dicens: Claritatem ad naturam suscepti hominis pertinentem his tribus viris voluit conspicuam: nam illam ipsius deitatis ineffabilem, & inaccessibleem visionem, quæ in æternam vitam mundis corde seruatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdari intueri poterant, & videre. aperit ergo Dominus coram electis suis Discipulis gloriam suam, & communem illam cum cæteris corporis formam tanto splendore clarificat, vt & facies eius Solis fulgore similis, & vestitus candori niuium esset æqualis. Hæc Leo. Patres igitur isti consentiunt, splendorem carni in hærentem à diuinitate latente, & carni vnita emanasse, quasi per eam præsentis suæ efficeret argumentum, quod Damascenus ex-

pressius loquens affirmavit: Non externe (inquit) corpori gloria accessit, sed interne ex Dei verbi deitate, modo quodam omnem sermonem; excedente, ipsi personaliter vnita. Hæc ille. Hinc sequitur hanc corporis gloriam non prouenisse ex animæ beatitudine, ad modum, quo anima gloriosa carni gloriam communicabit in resurrectione; licet enim anima Christi ab instanti incarnationis viderit Deum, sitq; effecta beata quantum ad portionem superiorem, factumque fuerit ex diuina dispensatione, vt gloriam in carnem non extenderit, vt locus daretur redemptioni: tamen non ex hac beatitudine animæ nunc promanauit gloria hæc in carnem, sed ex ipsa vnita deitate, in testimonium Christi diuinitatis, vt Patres dicunt, Euangelicæque verba comprobant. Hic est filius meus dilectus, & quasi verbum hoc opere illo confirmaretur. Eo etiam comprobatur, gloriam hanc carnis non fuisse plenam, qualis illa, quæ ex animæ gloria prouenit; nec enim caro Christi nunc facta fuit impassibilis, & immortalis, nec cæteris dotibus ornata, sed sola claritate, ac splendore.

ANNOTATIO LVIII.

An sola facies, an vero tota Christi corpus in transfiguratione splenduerit.

Dubitabit quispiam, an totum Christi corpus splenduerit, an sola facies: nam quod tota caro effulserit, verba Matthæi indicare videntur; inquit enim, transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut Sol. Hæc verba significare duo videntur, nempe, & quod transfiguratus fuerit, & quod facies eius resplenduerit, illud igitur ad totum corpus referendum est. Verba etiam Auctoris illius supra allegata id ipsum indicant lib. 3. de mirabil. Sac. Scrip. cap. 10. Sicut (inquit) diuinitas per carnem illuxit, sic caro illuminata per vestimenta radiavit. In hac dubitatione censeo multo esse probabilius faciem tantum splenduisse, tum quia Euangelistæ tres, faciei splendoris, non autem totius carnis meminerunt: tum quia splendor hic factus est, non propter carnem ipsam, sed propter ostensionem quandam exteriorum gloriæ, ad quam satis erat faciem illustrari, ac vestimenta; partes enim carnis cæteræ occultæ erant; tum demum quia hoc mysterium (vt dicemus inferius) multum respondet tradi-

tionem legis in monte, in quo non totum corpus Moysi, sed facies illustrabatur, vt habetur Exod. 34. & 2. Cor. 3. Quamuis, vt recte notauit Damascenus orat. de transfiguratione, splendor Moysi ab externo fuerit, nempe ex Dei colloquio; Christi vero ab interno, nempe à diuinitate vnita sibi, ac coniuncta. Nec verba Matthæi huic opinioni aduersantur, nam vt ibi Hieron. interpretatur, illud verbum (transfiguratus est) exponitur ab Euangelista per sequens, quasi diceret, transfiguratus est, & transfiguratio sic facta est, nempe facies eius resplenduit sicut Sol, quæ interpretatione significat Hieronymus se sensisse solam faciem splenduisse. huic autem interpretationi fauent verba Marci 9. nam solo verbo illo (transfiguratus est) vsus est; per id intelligens faciem resplenduisse; sic enim habet: Et transfiguratus est, & vestimenta eius facta sunt splendida. Auctoris autem illius verba allegata opinioni alteri consentiunt, totam scilicet carnem splenduisse, quam credo non esse improbabilem.

Et vestitus eius albus & resurgens.

COMMENTARIA.

HOC etiam ad maiestatis ostensionem & gloriam pertinet, vt in vestibus albedo, & fulgor apparerent. Albedo enim est omnium perfectissimus color, lux autem sensibilibus qualitatibus nobilissima. tales legimus in Scriptura aliquando Angelos apparuisse. Albedo vitæ puritatem, lux, seu splendor doctrinæ eminentiam, & efficaciam significabant, quæ duo doctorem maxime perficiunt.

ANNOTATIO LIX.

Marcus hæc duo magis expressit, & amplificauit: Vestimenta (inquit) eius facta sunt splendida, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Matthæus autem vnus tantum meminit, nempe albedinis. Vestimenta (inquit) facta sunt alba sicut nix, licet in multis exemplaribus Græcis legatur sicut lux, vt vtrumque comple-

ctatur. Ex hoc sumitur argumentum, hanc transfigurationem non ex animæ beatitudine promanasse, sed ex ipsa diuinitate, humanitati coniuncta; si enim anima esset, vestimenta non essent immutata, sed sola caro. Fuit etiam ista mutatio non in substantia vestimentorum, sed accidentibus.

Et ecce duo viri loquebantur cum illo.

COMMENTARIA.

Transfigurato Domino duo viri præsentibus adstant cum eo loquentes, quorum vnus iam diu obierat, alter adhuc superstes erat, sed à Deo multo ante in cælum raptus: quod factum est, vt Christus viuorum, ac mortuorum Iudex, ac Dominus significaretur. Particula (ecce) indicat statim, ac Dominus transfiguratus est, hos duos viros apparuisse. Hæc in sequentibus explicantur.

ANNOTATIO LX.

Chrysoctomus hom. 57. in Matth. affirmat vnum ex viuus, alterum ex mortuis Christo addidisse, vt tam vitæ, quam mortis potestatem habere vere-

crederetur, vtq; supernorum, ac infernorum Dominus ostenderetur. Idem dicit Damascenus orat. de transfiguratione.

Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate.

COMMENTARIA.

Explicat Euangelista, qui viri erant, & quales erant Moyses, & Elias, ille iam mortuus, hic vero superstes. Visi autem dicuntur, quia Discipulis adstantibus conspicui erant, ab eisq; videbantur, & non tantum conspicui erant, sed etiam cum maiestate videbantur, nempe corporibus, & vestimentis splendidibus, ac gloriosis.

ANNOTATIO LXI.

A quibus visi Moyses, & Elias, & quomodo apparuerunt in transfiguratione Domini

Quod ad verba spectat, Matthæus, & Marcus explicant, à quibus visi essent hi duo viri. Apparuerunt (inquiunt) illis Moyses, & Elias. Non solum ergo à Christo visi sunt, sed etiam à Discipulis tribus. Quod autem ad rem spectat, duo inuestiganda sunt. Vnum est quomodo apparuerint, in quo sunt multæ Doctorum sententiæ. Primo quidem Glossa ordin. in illud Luc. 9. Ecce duo viri, existimat non fuisse verum Moysen, & Eliam, neque quantum ad animas, neque quantum ad corpora, sed Angelos, qui in corporibus ex subiecta materia assumptis, illorum personas induerunt. Hanc sententiam S. Thom. 3. p. quæst. 45. ar. 3. putat desumptam ex lib. de mirab. Sac. Scrip. quem dicit falso Augustino inscriptum, at re vera in eo libro talis sententia non legitur, sed alia longe diuersa, cuius mentionem paulo inferius faciemus: Ea tamen nullatenus est recipienda; omnes enim Patres tenent pro certo, & indubitato, verum Moysen, & Eliam adfuisse, idque verba Euangelistæ aperte significant, ratioq; ipsa probat; cum enim interuenirent tanquam Christi testes, ac de veritate Euangelij testimonium reddentes, oportebat eos vere, ac realiter interuenire, in hocq; sacri Doctores conueniunt. At vero quomodo intrauerint in controuersia est, & quidem de Elia non est dubitatio, quem certo credimus adhuc viuere, vsq; ad vltimum tempus, quando Antichristus veniet. Tota controuersia est de Moysen, quem non omnes existimant mortuum esse. Secundo igitur loco Hilar. can. 20. in Matth. existimat Moysen nondum esse mortuum, affirmat nunc apparuisse totum ipsum Moysen & in anima, & in suo proprio corpore, sicut & Eliam: at vero communissima Patrum sententia est, Moysen vere mortuum esse, idcirco de hac apparitione aliter senserunt. Tertio igitur loco Auctor librorum de mira. Sac. Scrip. qui Augustino inscribitur lib. 3. cap. 10. arbitrat Moysen resurrexisse, verumq; corpus de sepulchro assumptis diuina virtute, quod corpus post hoc mysterium iterum deposuit: Apparuit ergo in corpore proprio, non vt Hilar. dicit, sed aliter, nempe resurgendo à mortuis, affirmatq; auctor iste, hanc esse communem Auctorem sententiam. Huic videtur (licet non ita expresse) consentire Hieronym. Matt. 17. inquit enim: Ad mysterium Eliam de cælo descendisse, & Moysen ab inferis resurrexisse. Chrysoct. autem hom. 57. in Matth. asserit Moysen vere mortuum esse, & nunc interuenisse, quo autem corpore non significat. idem etiam est apud Damascenum orat. de transfiguratione; magis tamen indicare videntur in proprio corpore venisse, cum nullam differentiam inter eum, & Eliam ponant, sicq; insinuant resumpisse proprium corpus. Damascenus autem id expresse sentire ostenditur; inquit enim: In hoc mortuorum resurrectioni fides asstruitur, ac mortuorum, ac viuorum Dominus esse declaratur, vt qui ex mortuis Moysen assumpserit, vi-

uum autem Eliam testem adhibuerit. Hæc ille. Si igitur in Moysen resurrectionis fides asstruitur, igitur Moyses in corpore suo resurrexit. Quarto loco S. Thom. 3. p. q. 45. ar. 3. sentit Moysen adfuisse quantum ad animam, non tamen quantum ad proprium corpus, sed id sumptum fuisse, ac formatum ex materia adiacente, ad modum, quo Angeli solent corporaliter apparere. Hanc fuisse sententiam Augustini probabilissimum est lib. de cura pro mortuis agenda cap. 15. vbi sic habet: quid de Moysen dicturi sumus, qui certe in Deuteron. mortuus, & in Euangelio cum Elia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus? Hæc ille. Loquitur autem ibi Augustinus de multis apparitionibus mortuorum, quas certum est non in corporibus proprijs esse factas. In hac difficultate duo mihi visa sunt. vnum est, probabilem esse sententiam hanc vltimam, nempe Moysen non in proprio corpore, sed in alio ex materia subiecta assumpto, ac diuina virtute formato, apparuisse, sicut de Angelis dictum est: nec obitat dictum esse Moysen visum, ac locutum esse: nam & Samuel dictus est locutus esse cum Saul post mortem, quem nemo dubitat non in proprio corpore apparuisse. frequens est locutio per Synecdochen in Scriptura. Alterum est, probabilius esse Moysen in proprio corpore apparuisse, ac resurrexisse à mortuis, sicut resurrectionis Christi tempore multa corpora sanctorum resurrexisse dicuntur, & multis apparuisse, quos certum est in proprio corpore apparuisse animabus iterum vnitis cum corporibus, vt testes veræ resurrectionis Christi essent, quos peracto mysterio deposuisse corpora verius forsitan est, ac communiori sententiæ consentaneum; sic nunc de Moysen dicendum est. Hoc non solum auctoritate allegatorum Doctorum firmatur, sed etiam ratione; Moyses enim nunc accessit, vt testificaretur eum esse Christum, quem venturum esse, ac docturum populum promiserat, debuit igitur apparere in proprio corpore nunc ad testificandum, sicut in eodem illum venturum esse pollicitus fuerat. Præterea ex doctrina Tertulliani lib. 4. contra Marcion. & Orig. hom. 3. in Exod. atque Damascenus orat. de transfiguratione; dicunt enim hi Doctores in hac transfiguratione impletam esse Dei promissionem, quam fecerat Moysi Exod. 33. Posteriora (inquit) mea videbis, significans se illi ostensurum Christum incarnatum, non autem impletam esse promissionem perfectam, nisi in proprio vidisset corpore, hoc enim petebat Moyses: Præterea cum Eliam in corpore proprio adisset, debuit similis Moyses & in proprio corpore apparere, quam similitudinem Prophetæ indicarunt; de his enim, vt Tertullianus asserit, prædictum est Zach. 4. duæ oliuæ super illud, vna à dextris lampadis, & vna à sinistris. Similiter etiam Abac 3. secundum textum Septuaginta, in medio duorum animalium cognosceris, propter hæc, & alia, mihi hæc sententia visa est probabilior.

ANNOTATIO LXII.

Quomodo Moyses & Elias in transfiguratione Domini dicti sint visi à Discipulis.

Altera difficultas in eisdem verbis est, quomodo Moyses, & Elias dicti sint visi; seu apparuisse Discipulis. Tertullianus in hac parte lib. 4. contra Marcion. cap. 23. censet visos esse, seu eis apparuisse, non quidem sensibus corporalibus, ac exterioribus, sed secundum spiritum; idque probat: nam aliter Petrus non potuisset cognoscere Moysen, & Eliam, cum eorum imagines non vidisset. Verba Tertulliani sunt hæc: Quo modo Moysen, & Eliam cognouisset, cum neq; imagines eorum, vel statuas populus habuisset lege prohibente? nisi quia in Spiritu viderat, & ita quod dixisset in Spiritu, non in sensu constitutus, scire non poterat. Hæc ille. Eius

tamen sententia singularis est, cum sensus communis Doctorum sit, visibiliter apparuisse, sicut & Christus etiam corporis sensibus videbatur resurgenti facie, & albis vestimentis, idque Evangelica verba significant; non enim Petrus dixisset: Faciamus tria tabernacula, nisi ipsum Moysen & Eliam corporaliter vidisset. Dicitur etiam apud Matthæum, quod postquam ceciderunt in terram, ac tacti à Christo surrexerunt, leuauerunt oculos, & neminem viderunt, nisi solum Iesum, quasi prius tres vidissent: non igitur dubitandum est visos esse Moysen, & Eliam oculis corporeis. Quo autem modo Petrus eos noverit, paulo inferius dicemus.

ANNOTATIO LXIII.

Quomodo idem in maiestate visi.

Tertia difficultas est, quomodo dicti sint visi in maiestate. Respondeo, ob id dici visos in maiestate, quia corporibus resurgenti, ac gloriosis vestimentis, qualis tunc erat Christus, apparuerunt, vt serui Domino conformarentur. Notat autem Origenes hom. 12. in Exod. quando Moyses de monte, in quo legem acceperat, descendit, solum vultum, ac faciem resplendentem habuisse; at nunc totus, ac integer resulsit, vt multo maior gloria, ac perfectio noui testamenti, quam veteris significaretur; vt enim inquit Paulus 1. cor. 3. Si ministratio damnationis in

gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. In hoc autem magnum est discrimen inter Christum, & hos duos; Christus enim gloriam habebat à se, vt pote à diuinitate vnita, duo autem viri, ab ipso Christo, vt superius notauimus. in quo quantum existimo mysterium significatur, nempe legem significatam per Moysen, ac Prophetiam significatam per Eliam, perfectionem suam ac complementum, ac gloriam habuisse in Christo, & per Christum; nec vllum olim salutem habuisse, nisi in fide, & per fidem eius.

ANNOTATIO LXIIII.

Cur Moysen, & Eliam Christum in sua transfiguratione adesse voluerit.

Quarta difficultas est, cur hos duos viros in sua transfiguratione Christus aduocauerit secum. Chrysostr. hom. 58. in Matth. aliquot huius rei causas adfert. Vna est, vt errorem hominum auferret; dicebant enim quidam eum esse Eliam, quidam Hieremiam, alij vnum ex Prophetis antiquis. Aduocat ergo ad se duos, qui erant cæterorum primi, vt ex collatione eorum appareat se esse Dominum, illos autem seruos. Hæc causa non videtur multum accommodata: nam si Christus volebat se Dominum ostendere, cæteros vero seruos, potius Abraham Patrem omnium, in summo pretio habitum, aduocasset: si autem prætendebat se non esse aliquem ex iis, quem Iudæi existimabant, adduxisset potius Hieremiam cum Elia, nõ Moysen; nemo enim hunc eum esse putauit, multi vero Jeremiam esse dicebant. Secunda causa est vt ostendat iniustam accusationem Iudæorum; insinulabant enim Christum transgressionis legis, ac blasphemie. adfert ergo nunc Christus Moysen, per quem lex data est, & Eliam, qui diuini honoris acerrimus fuit zelator, vt appareat, si ille esset transgressor legis, & blasphemus in Deum, vtique Moyses, & Elias non probassent eum, nec testimonium honorificum de ipso reddidissent. Hæc etiam causa non omnino satisfacta; si enim ea esset, coram Iudæis talia imponentibus transfiguratus esset, non coram solis Discipulis, nihil tale de Christo sentientibus. Tertia causa est, vt ipse mortis ac vitæ potestatem habere crederetur, ac supernorum, & infernorum Dominus ostenderetur, idcirco Moysen iam mortuum, & Eliam adhuc viuentem in medium produxit: nec hæc causa plane rem explicat; cum potuisset etiam alios ex mortuis reuocare. Quarta causa est, vt crucis gloriam ostenderet, & tam Petrum, quam reliquos, qui passionem formidabant, consolaretur, & ad sublimius erigeret; non enim tacebant, sed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Hierusalem, id est de cruce, & passione; sic enim ipsam appellabat. Nec hæc causa difficultatem soluit; potius enim adaptatur, cur de excessu loquerentur, quam cur hi duo, non alij apparuerint. Quinta causa est, quia exhortatus erat paulo ante Discipulos ad crucem tollendam,

vt eos ad hoc excitaret, duos hos induxit, qui pro Dei præceptorum custodia, ac pro populo sibi credico, mortis pericula millies subissent, ac magna libertate aduersus Tyrannos vsi essent, qui mites, ac Zelotæ, ac vehementis charitatis fuerunt, vt Discipuli eorum exemplo excitarentur; nec hæc causa propriam attingit rationem; oportebat enim si ea esset causa, coram omnibus Discipulis transfigurari, quibus illam doctrinam tradiderat, eosque omnes exhortatus fuerat. Hæc Chrysostr. Hilarius autem can. 17. in Matthæum, aliam profert causam; nimirum, vt significetur Christus medius inter legem, & Prophetas; per Moysen enim lex, per Eliam Prophetæ significantur, quasi Christus per legem, & Prophetas sit prædicatus. hac de causa affirmat etiam Hilarius in ultimo tempore, quando Christus iudicabit, hos duos, cum eo adstituros in iudicio Israelis futuro: Per Moysen autem, & Eliam legem, & Prophetas significari, testantur etiam Ambrosius in præsentia, & Leo in ferm. de transfiguratione. Hæc etiam causa non tollit totam dubitationem; ad id enim ostendendum satis videbantur esse verba Christi, nempe Scripturas perhibuisse testimonium de eo, Moysenque de ipso scripsisse. Ioan. 5. Scrutamini Scripturas, illæ testimonium perhibebunt de me. & rursus: Si crederetis Moysi, crederetis, & mihi, etenim ille de me scripsit. Aliam causam adserunt Origen. lib. 6. in Leuit. & Cyril. hom. 6. in Leuit. nempe ad ostendendum, quod lex significata per Moysen, & Prophetæ significati per Eliam in vnum conueniunt, cum Euangelio significato per Christum; finis enim omnium Christus est, & illa duo tendebant in Euangelium. Hæc tamen causa magis est spiritualis, quam literalis; Aliam insinuat Tertullianus lib. 4. contra Marcion cap. 22. nempe quia Moyses informator fuit populi, Elias vero futurus est reformator: ille initiator veteris testamenti, hic vero consummator noui, hæc tamen causa congruentia potius quadam est. Existimo ergo alias esse causas proprias, ac veriores huius rei, nec vnam esse causam apparitionis Moysi, & Eliæ, sed diuersas. Vt igitur causam, cur nunc Moyses sit reuocatus, expli-

explicemus, notanda est historia illa Exod. 20. quando Deus legem dedit in monte, cum in igne, & ingentium tonitruum sonitu, ac fulgurum splendore apparuisset, & locutus esset, populus timore percussus dixit Moysi: Non loquatur nobis Deus, ne forte moriamur, loquere tu nobis. Populi autem verba Moyle ad Dominum referente Deus acceptauit, & respondit pac. scens cum populo Deutero. 18. sic loquens per Moysen: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Deus, ipsum audies sicut petisti à Domino Deo tuo in Oreb, quando congregata est multitudo, & dixisti, ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum non videbo, ne moriar, & dixit Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum; similem tibi, ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos, quæ præcepero ei, & qui verba eius non audierit, ego vltor exiitum. Hæc tibi. Vides ergo populum timore maiestatis noluisse Deum audire, sed petisse, vt per Moysen loqueretur, ac promississe se audituros eum, quod pactum, ac promissionem Deus acceptauit, promittens se suscitaturum Prophetam similem Moysi, qui fuit Christus Dominus; Deus quidem, sed etiam homo, carne de Iudæorum prosapia sumpta, per quem sine tonitruis, ac fulguribus loqueretur verba sua, obligato populo ad audiendum verba Dei per illum, aliter pœnis diuinitatis subiaceret. Ex his patet causa huius nunc mysterij, & cur Moyses appareat; Deus enim significauit nunc Christum esse illum promissum Prophetam, quem audire populus se tunc obligauit, ac pactum fecit, vt se à timore illo ingenti diuinitatis manifestationis liberaret: idcirco Moyses adductus est in tellem, quasi diceret Deus: Ecce hic est Propheta ille, similis Moysi, quem per Moysen vobis promisi, & quem vos audire promissistis, hæc de causa idem Moyses testis apparet pacti, & promissionis factæ. Hic causa ostenditur, cur sicut Sol apparuerit Christus, cur nube lucida, & cur ceciderint Discipuli præ timore, & cur in monte: hæc facta sunt, nempe, vt renouarentur illa, quæ

tunc in illo monte gesta sunt, quando fuit pactum celebratum. Hinc etiam causa manifestatur, cur dixerit Deus, ipsum audite; est enim verbum illud in monte promissum, nempe (audiemus) quasi diceret Deus, audite hunc, quia hic est, quem audire promissistis. singula hæc suis in locis explicabimus. Hæc igitur est vna causa, cur Moyses nunc sit adductus, & cur Dominus se voluerit transfigurare. Aduertunt antiqui Doctores hoc mysterium. Nam Origenes hom. 12. in Exod. & Tertullianus lib. 4. contra Marcion. notant illud verbum (ipsum audite) respondere promissioni illi olim factæ Deutero. 18. vt diximus. At hi Doctores non notarunt expresse hanc ob causam, Moysen nunc esse vocatum, tacite tamen eam insinuant.

Altera causa est, cur etiam Elias apparuerit, non eadem, ob quam Moyses, sicut nec eadem est persona, sed diuersa. in cuius declarationem aduertit, per Malachiam cap. 4. promississe Dominum Iudæis Eliæ aduentum ante Messiam: Mittam (inquit) vobis Eliam Thesbitem, antequam veniet dies Domini magnus. Merito autem dicitur ante diem magnum, quia aduentum Christi posteriorem, quando venturus est in gloria iudicare, Elias præcessurus promittitur, non autem priorem, quando in humilitate redimere per suam mortem venit. vt igitur ostendatur, hunc esse Christum, & Messiam, qui postea in gloria veniet, Elias in medium producit, quasi testificans, & dicens: Hic est, quem ego in diebus vltimis præcedam, & qui postea gloriosus apparebit, quando veniet iudicare: cuius gloria futuræ, particula quadam, quam signum nunc inaestatur. Ea igitur est causa, cur Elias, non autem alius Propheta exhibetur, quia hic futuri aduentus prænunciatus prædictus est, vt vtrique testimonio, nempe Moysi, & Eliæ verus Christus, ac Messias significetur; ad hoc enim transfigurationis mysterium tendit. & celebratum est, quasi is sit, qui per legem, & Prophetas sit promissus, confirmata veritate per horum duorum præsentiam. Non autem apparuit Enoch etiam, si hic in posteriori aduentu Christi veniet, quia fuit ante legem Iudæis traditam.

Et dicebant excessum eius.

COMMENTARIA.

Q Vid hi duo, scilicet Moyses, & Elias cum Christo loquerentur, explicat Evangelista, loquebantur inquit de morte, & cruce ipsius Christi, quam vocat excessum, seu exitum, quia per eam de hoc mundo, in quem venerat redemptione perfecta exiuit ascendens in cælos, & sedens ad dexteram Patris. Loquuntur autem de passione & morte cum Christo glorificato, indicantes nobis, quod ipse postea docuit. Luc. 24. Oportebat Christum pati, & sic intrare gloriam suam.

ANNOTATIO LXV.

Q Vod ad verba spectat, Euthymius notat exemplaria Græca duas habere lectiones. Vna est ἐξόδου, id est, excessum, seu exitum. Altera est δόξης, id est, gloriam. priorem lectionem amplexus est vulgatus interpres. similiter Ambrosius in commentario: posteriorem vero secutus est Chrysostr. hom. 53. in Matth. Vtrique autem nomine mors, & crux Christi significata est. Per mortem enim, quantum ad corporalem præsentiam, reliquit hunc mundum, & ad Patrem iuit; in morte vero ipsa magna suæ potentie edidit miracula, & per eam redemptionem hominum à peccatis, & inimicorum potestate liberauit: quod ad magnam gloriam eius pertinet; sicq; per mortem, & in morte, dicitur glorificatus, vt in commentariis in Ioannem late exposuimus. Aduertendum est præterea, huius sententie solum Lucam meminisse, Matthæus autem, & Marcus

solum narrant, Moysen, & Eliam locutos esse cum Christo.

Est autem difficultas, an de hoc excessu cum Christo locuti sint, quasi Lucas expresserit, de qua re sermonem cum Christo habuerint. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 12. affirmat Moysen, & Eliam Discipulis annunciaisse hunc excessum; dicebant enim (inquit) Discipulis excessum eius. Euthymius autem asserit cum Christo de hoc excessu locutos fuisse. Apud Lucam autem ambiguum videtur: nam postquam dixit: Ecce duo viri cum eo loquebantur, adiecit, visi sunt Moyses, & Elias in gloria, & dicebant excessum eius, quasi is dicerent, quibus viserant. Quod si ita est, aliud est illud, de quo cum Christo loquebantur: nam excessum eius Discipulis dicebant. Mihi in hac difficultate, id est probabilius, nempe cum Christo de eius excessu, ac morte col-

An Moyses & Elias locuti sint cum Christo de suo excessu.

te collocutos esse, & vt recte docet Origenes tract. 3. in Matth. Christus cum eis, & ipsi cum Christo loquebantur, ita tamen, vt & Discipuli, & viderent, & audirent sermonem hunc, & sic verum est, quod Cyrillus affirmat. audisse autem Discipulos non solum Origenes, sed etiam Chrysostomus homilia 53. in Matthaeum affirmat, dicens, vt Christus consolaretur Discipulos, qui de eius morte formidabant, fecisse, vt hi duo de morte, ac Cruce loquerentur, hoc autem non haberet locum, nisi Discipuli audissent. De hac autem cruce cum Christo locutos fuisse contextus indicat: nam Lucas id scripsit, vt explicaret, quod ceteri Euangelistae tacuerant, nempe de qua re cum Christo illi duo viri colloquerentur.

Quare de morte sua loquebantur cum Christo Moyses, & Elias.

Cur vero de hac morte Moyses, & Elias cum Christo loquerentur, merito quispiam interrogabit.

Quem completurus erat in Hierusalem.

COMMENTARIA.

Connexa est haec sententia priori; loquebantur enim de morte, & excessu quem Christus erat completurus in Hierusalem: Optimo verbo mysterium explicatur. Completurus dicitur Christus exitum suum: tum quia voluntate propria mortem subiit. Oblatus enim est, quia ipse voluit. Isa. 53. & potestatem habeo ponendi animam meam, nemo tollit eam a me, ego pono eam. Ioan. 10. tum etiam quia quam mortem subibat, praedicta erat, ac promissa per legem, & Prophetas, ideo dum moriebatur, complebat promissionem: tum demum, quia non solum mors, sed etiam multae circumstantiae mortis, ac passionis praenunciatae erant, quas omnes consummavit Christus in morte, vnde dixit: consummatum est. Haec omnia verbum (completurus) significat. Eoq; verbo insinuat Euangelista de iis omnibus distincte, & sigillatim Moysen, & Eliam locutos fuisse cum Christo.

Petrus vero, & qui cum illo erant, grauati erant somno.

COMMENTARIA.

Quae praecesserunt sententiae, nempe Christum transfiguratum esse, & viros duos apparuisse Discipulis, cum Christo colloquentes, ac excessum eius dicentes, per quandam anticipationem dicta sunt: nam prius Discipuli somno sunt grauati, dum Christus oraret, & eo tempore transfiguratus est, duoq; viri Moyses, & Elias adducti sunt; illi vero euigilantes post somnum, Christum viderunt transfiguratum, duosque illos viros cum eo, & audierunt, quae de Christi cruce, & excessu colloquebantur. Dicuntur autem somno grauati, quia profunde dormiebant, diurno forsitan labore defessi, aut nocte intempesta vrgente, aut diuina prouidentia id disponente.

ANNOTATIO LXVI.

Qualis fuerit somnus Discipulorum in transfiguratione Christi.

Chrysostomus hom. 58. in Matth. hunc somnum interpretatur magnam virium resolutionem, quae ab illa visione facta fuit, nam veluti oculi ex nimio fulgore obtenebrantur: sic illis non in nocte, sed in media die accidit, & splendoris excellentia illorum oculos grauabat. Haec est sententia Chrysostomi, cui adhaeret Euthymius Matth. 17. iuxta quam transfiguratio facta est media die, & vigilantibus Discipulis. Ambrosius in commentario hanc refert expositionem, adiungens etiam alteram, nimirum fuisse verum somnum, quo dormire solemus. quam sententiam existimo veriore, & accommodatorem verbis Euangelistae; dicit enim grauatos fuisse somno, & postea euigilasse. Illa autem oculorum obfuscatio ex splendore proueniens non dicitur somnus, nec euasio ab ea dicitur vigilia. Adde quod si is somnus diceretur, non euigilassent; nam permanebat adhuc splendor ille, cum Christum viderent splendorem vt Solem. Existimo igitur fuisse somnum naturali grauatos, sicut etiam Matth. 26. dicitur: erant dormientes, & oculi eorum grauati tempore passionis Christi. Huius autem somni solus Lucas memi-

Id autem non propter ipsum Christum, sed propter Discipulos, & propter nos factum esse nemo dubitabit, vt nempe crucis tunc futurae scandalum auferretur, dum mortem, & crucem, non casu, non impotetia Christi euenisse, sed diuina, & admiranda dispositione, Moyses, & Eliae supernaturalis apparitio demonstrarent. Simul etiam vt significaretur crux, ac mors Christi etiam in praecedentium remedium fuisse, & non tantum futurorum; saluati enim sunt multi ex praeuientibus Christi incarnationem, fide, ac virtute futurae huius mortis, dicente Paulo Hebr. 9. Noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum praeruaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae hereditatis.

nit, quamuis Chrysostomus & Euthymius existiment Marcum huius somni sub aliis verbis meminisse, nempe (erant timore exterriti.) Multo tamen accommodatius est haec esse distincta, somnumq; praecessisse visionem, timorem autem secutum esse. Ex hoc igitur somno vnus deduco, quod mihi est valde probabile, scilicet non diurno vt Chrysostomus & Euthymius sentiunt, sed nocturno tempore Christum esse transfiguratum; non enim Discipuli somno indulgebant, nisi nocte: fuit autem id tempus mysterio accommodatum; splendor enim faciei Christi, & lux nubis nocturno tempore perfectius perspicitur potuerunt, & miraculosius apparuerunt, secretiusq; mysterium peragebatur. Quod autem ad connexionem spectat, vltus est Lucas anticipatione, vt in commentario exposuimus, quae saepe solent Euangelistae vt: nam non viderunt Moysen, & Eliam, nisi postquam a somno euigilarunt; tunc enim viderunt illos, & audierunt, qui tamen, antequam a somno Discipuli surgerent, Christo aderam, cum eoq; loquebantur.

Christus non est transfiguratus.

Et cui-

Et euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros, qui stabant cum illo.

COMMENTARIA.

Excitantur tres Discipuli a graui somno, Christi virtute, vt eorum quae gerebantur, testes efficerentur. Euigilantes ergo viderunt Christi maiestatem, id est, splendorem vultus, ac candorem, fulgoremq; vestimentorum eius, viderunt etiam duos illos viros cum eo stantes. Si a somno carnalium nostrarum affectionum euigilaremus, oculosq; mentium fide illuminatos aperiremus, multa diuina mysteria perspicere mus, quae somnus iste magno cum nostro detrimento, & damno occultat.

Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum:

COMMENTARIA.

DVM Petrus vidit stantes Moysen, & Eliam cum Christo, nihil est locutus, sed attente considerabat ea, quae videbantur, & intendebat ijs, quae dicebantur; cum vero videret duos illos viros iam discedentes a Christo, priusquam abirent, & omnino recederent, protulit verba sequentia, eos cupiens detinere, conuersusque est ad Christum, solique ei locutus est, quia ipse Dominus erat, ipseque solus poterat illos duos facere permanere.

Superioris sententiae solus ex Euangelistis Lucas mentionem facit.

Solus Lucas huius sententiae meminit, quae historiam multum illustrat, & causam sermonis Petri non obscure ostendit. Ceteri Euangelistae tantum id narrarunt, Petrum scilicet videntem Christum in maiestate, & duos cum eo adstantes, protulisse verba sequentia: Bonum est nos hic esse; si vis faciamus tria tabernacula: at vero non expresserunt tempus, & occasionem huius sermonis; Lucas vero indicauit

nempe id dictum esse eo tempore, quo iam illi duo viri recedebant, & ipsius recessus occasione, quasi Petrus vellet tabernaculorum oblatione efficere, vt remanerent, ea verba protulit. Verbum autem (Discederent) no discessionem contummatam, sed inceptam significat. Haec notanda sunt pro eorum, quae sequuntur, intelligentia.

ANNOTATIO LXVII.

Præceptor, bonum est nos hic esse.

COMMENTARIA.

Specie tantae maiestatis Petrus illectus ibi permanere cupiebat, idque persuadere intendens, inquit; Bonum est nos hic esse, sumpto argumento ab utili, honesto, & delectabili, haec enim significauit nomine boni. Christum autem praectorem appellauit, apud Marcum, Rabbi, quod idem est, simul etiam Dominum, vt Matthaeus testatur, talibus epithetis insinuans statum illum & Domino, & praectori conuenientem, eoque etiam argumento id ipsum persuadens.

Quosensu verba praecedentia, & subsequentia protulerit Petrus.

Ambiguum est, quo sensu hanc, & sequentem sententiam Petrus protulerit; sunt enim variae Patrum opiniones. Primo quidem Orig. tract. 3. in Matth. asserit Petrum haec dixisse per mentis excessum, motum a daemone per eum loquente, qui quidem daemone malitiose intendebat specie boni illius praesentis Christum illic retinere; auertere a morte subeunda pro hominum redemptione: haec autem Petrus non intelligebat: tamen daemone per eum loquebatur. ea intentione. Probat autem Origenes Petrum non esse motu bono spiritu, quia tunc (inquit) temporis nondum Spiritus sanctus erat datus Discipulis, non igitur erat Spiritus bonus, qui per eum loquebatur; supponit enim Origenes Petrum haec non dixisse ex se, sed alieno Spiritu agitatam, quia statim dicitur, quod nesciens, quid diceret, loquebatur. Haec Origenis sententia non videtur probanda, & praetermissis multis argumentis aduersus eam, id efficax est, quia daemone tunc temporis igoabat Christi mortem in redemptionem hominum futuram, immo parabat eum occidere per Iudaeos, dicitur enim Ioan. 3. Diabolus misisse in cor, vt traderet eum Iudas, & de Iudaeis ait Dominus Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria eius vultis perficere. Non ergo fieri potuit, vt nuc Christum a morte subeunda auertere retaret. Ratio etiam ipsa Origenis infirma est, nam tunc temporis Spiritus sanctus no erat datus quantum ad plenitudinem gratiarum; hoc enim factum est in pentecoste post resurrectionem Dominicam; tamen datus erat quantum ad aliquot gratias, & effectus, aliter nec gratiam iustificationis accepissent,

quam constat esse per Spiritum sanctum. De sensu autem verborum illorum (Nesciens quid loquatur) paulo inferius dicemus. Praetermissa igitur hac sententia, secundo loco Chrysostomus hom. 58 in Matth. conuenit cum Origene ex parte; tamen multum differt ab eo: asserit enim Petrum nimio affectu, quo Christum prosequeretur voluisse auertere Christum a morte subeunda, dixerat enim paulo ante cum ab ipso Christo mortem hanc, & passionem audiret: Absit a te Domine, no erit tibi hoc. Hoc enim oblata occasione persuadere vult, non palam, ne iterum reprehendatur, vt prius, vade post me Sarana, sed occulto: tamen hoc idem suggerit alijs verbis, nempe specie praesentis boni, & montis securitate, ac societate Moyses, & Eliae, Non igitur malitiose agebat, nec malo Spiritu excitatus, sed ex timore, quo Christo timebat, & ex affectu, & dilectione, qua gerebat erga eum, procedebat, qui quidem affectus in se laudabilis erat, tamē debita prudentia carebat. Vnde Chrysostomus sic inquit: Non enim querere debes, quam prudenter hortabatur, sed quam seruens charitate Christi, quamque inflammatus esset; nam quod non pro se tantum, quantum pro Christo timeret, quando mortem, & insidias praedicabat, ipsum audias dicentem: Animam meam pro te ponam, & si oportuerit pro te mori, non te negabo. Haec Chrysostomus cui consentit Euthymius. Haec sententia non videtur mihi accommodata: non enim Petrus ageret cum Christo occulte, & artificiose, quem sciebat, nihil eum latere posse. Praeterea quia cum tam acriter reprehensus prius esset, quia mortem

Christo dissuadere tentabat, non ausus esset iterum de ea re vilo modo agere. Demum non diceretur ab Evangelista quod sequitur, nimirum nesciuisse quid loqueretur.

Tertio igitur loco Gregorius in lib. Reg. lib. 2. c. 3. a Chrysof. differens, tenet Petrum ita visum illi beati- ficæ Christi transfigurati adhæsisse, vt nollet ab ea vnquam separari, sicque cum Christo esse cupiebat, vt cuperet eum ad mortis ignominiam non descendere; affectus quidem bonus erat, quia bono inhærebat, tamen nimius erat, quia tantus erat, vt nollet Christum ad crucem pro hominum redemptione, illa deposita gloria, deuenire. Verba Gregorij inter alia sunt hæc: Qui dicit, bonum est nos hic esse, si posset, ab illa visione tantæ gloriæ numquam deponi voluisset. & paulo inferius inquit: Evangelista non affectu Petri, sed rationem reprehendit. quia cum Domino assumptus in gloria, seorsum sic esse semper cupiebat, & pro redemptione communi eum ad ignominiam crucis descendere volebat. Nesciebat ergo quid diceret, sed ardentem quod videbat, amabat, quia profecto tantum bonum videbat, quod sic non amari nullatenus poterat. Hæc ille. Differt hæc sententia à præcedenti Chrysofomi: nam Chrysofomus cenfer Petrum præcipue voluisse Christum à morte subeunda remouere, idq. boni illius specie suadere tentabat, magisq. Christo, quam sibi consulebat. At Gregorius aliter tenet, nimirum ita Petrum illi bono præsentia adhæsisse, vt ne eo priuaretur, nollet Christum ad crucis ignominiam descendere. Hæc autem longe

Et faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Moyfi, & unum Elia.

COMMENTARIA.

Prosequitur Petrus eandem sententiam, & quia videbat Moysem, & Eliam recedere incipientes, arbitrariq. locum incommodum ad permanendum, offert tabernaculorum ædificium, quasi diceret, ne loci incommoditate tanto bono priuemur, faciamus tria tabernacula in loco isto, vt permanere possimus, tibi vnū, Moyfi vnum, Elia vnum. Pro se, & duobus condiscipulis tabernaculum non petit, quia Magistri tabernaculum sibi sufficere arbitrabatur.

ANNOTATIO LXIX.

Matthæus refert verbum Petri, quo Christi voluntatem, ac imperium expetebat, eique se submittebat. Si vis, inquit, faciamus tria tabernacula. Marcus vero, & Lucas id omiserunt. quod ad rem spectat, arguit Hieronymus Petrum de duobus: Erras (inquit) Petre. Noli tria tabernacula querere, cum vnum sit tabernaculum Euangelij, in quo Lex, & Prophetæ recapitulanda sunt. Si autem queris tria tabernacula, nequaquam seruos cum Domino conferas. Hæc ille. Primum horum sumptum est ex Orig. hom. 6. in Leuit. sed nõ est cur de hoc Petrus arguatur, qui nec de lege, nec de Euangelio quicquam tunc cogitabat, nec ea diuidere in edebat. Secundum vero sumptum est ex Chrysol. hom. 58. in Mat. Quid (inquit) facis o Petre, paulo ante hunc naturalem Dei filium confessus es;

ANNOTATIO LXX.

Debitatio est, quomodo Petrus nouerit illos viros esse Moysem, & Eliam. Ad hanc respondet primo loco Tertul. lib. 4. contra Marcion. nouisse eos per Spiritum scilicet sanctum; non enim Iudæi utebantur similitudinibus seu imaginibus.

Secundo loco respondet Druthmarus Matt. 17. ex Orig. quod Moyse apparuit cum tabulis, quæ scriptam legem habuerunt, & Elias cum curru igneo, in Apollolos cognouisse eos.

De Tertio loco respondet Euthym. Matth. 17. quod veteriores Hebræi in suis libris species virorū illorum descriptas reliquerunt, & inde agnoscebant. Ad iugit etiam verisimile esse ex traditionibus voce tra-

diuersa sunt, vt constat vel minimum consideranti. Hæc sententia non videtur multum probanda: tum quia Petrus tunc nesciebat Christi mortem pro mundi redemptione futuram, & si id sciuisset, grauissimum esset peccatum Petri, affectusq. eius valde reprehensibilis, si postposita totius mundi salute, sibi soli consuluisset. quod quidem de Petro sentire nulla ratio nos cogit, cum Scriptura Euangelica accommodatissime exponi aliter valeat.

Quarto igitur loco Ambrosius in commentario tenet Petrum illectum dulcedine tantæ præsentis gloriæ hæc verba protulisse, quibus in ea permanere cupiebat. in eadem sententia videtur Hieronym. Matth. 17. Hæc enim verba Petri exponens, inquit: Qui ad montana conscenderat, non vult ad terrena descendere, sed semper in sublimibus perseverare. Hæc ille. Idem etiam sentire videtur Tertul. lib. 4. contra Marcion. Leo etiam in serm. de transfig. Dom. cuius hæc sunt verba: His sacramentorum reuelationibus Petrus Apostolus incitatus, mundana spernens, & terrena fastidians, in æternorum desiderium quodam mentis rapietur excessu, & gaudio totius visionis impletus, ibi cum Iesu optabat habitare, vbi manifesta eius gloria lætabatur, vnde & ait: Domine bonum est hic esse, si vis faciamus tria tabernacula. &c. Hæc Leo. Atque hæc sententia mihi omnium accommodatissima visa est. nihil ergo aliud cogitauit Petrus, nec mortem Christi impedire voluit, sed tractus tantæ gloriæ fruitione, ac volens in ea perseverare, protulit talia verba, quibus petebat, & optabat in ea manere.

nunc autem ipsum cum seruis connumerat? Nec in hoc videtur Petrus arguendus; præfecit enim Christum, cui primum omnium tabernaculum parabat, sed Moysem, & Eliam sibi, ac duobus condiscipulis prætulit, quia illos, non se tabernaculo dignos iudicauit. Euthym. Matth. 17. adiunxit tertium, nimirum, quod speraret Petrus, Moysem, & Eliam deservuros, ac conseruatos Christum, ne Scribis, & Phariseis traderetur: illū, quia multas deuicit gentes; hūc vero, quia ignem fecit descendere de cælo supra quinquagenarios. Quid (inquit) Petre Christum ab his seruandum speras? Nec hoc etiam ad Petrum spectat, qui (vt diximus) Christi mortem impedire hoc consilio non intendebat, sed eo animo hæc protulit verba, quem in commentario exposuimus.

ditis in memoria habitas fuisse species illorum, seu figuras. Addit etiam fortasse ex reuelatione eos nouisse. In hoc tertio conuenit cum Tertulliano. Quidam recitiores arbitrantur aut Dominum eos propriis nominibus cõpellasse, aut ipsosmet nomina sua aperuisse.

Mihi id probabilissimum visum est, Petrum nouisse ex notis in Scriptura traditis, quæ erant notissimæ etiam vulgaribus hominibus. Moyse enim cornutam faciẽ habuit, & Elias senex erat zona pellicea præcinctus renibus. Ex recitatis autem sententiis, accommodatissima est Tertulliani, nepe ex reuelatione nouisse; qui enim eos apparere fecit Discipulis, infudit etiam nouitiam distinctam ipsorum.

Nesciens

Nesciens quid diceret.

COMMENTARIA.

Verba sunt Euangelistæ, significantis Petrum, quando prædicta verba protulit nesciuisse quid diceret, id est, existimasse se consilium expediens dare, rem que plane vtilissimam cupere, ac postulare, quod tamen non ita fuit; non enim erat bonum illic eos permanere, cum Christus venisset passionem, & mortem sustinere, Hierosolymis pro hominum salute.

ANNOTATIO LXXI.

Annorat Euthymius Matth. 17. apud Marcum legi de futuro (nesciebat scilicet quid locuturus esset, seu quid loqueretur) apud Lucam vero de præterito (nesciens (inquit) quid loquebatur) Vtrunque enim Petro euenit, nã nesciuit, quid aliud melius loqueretur. & nesciuit, quid loquebatur. Insuper notandum est, Marcum huius ignorationis causam expressisse, ait namque (erant enim timore exterriti.) Particula (enim) indicat eam sententiam causam esse præcedentis, scilicet; Nesciebat quid loqueretur, vt notat Tertullia. lib. 4. contra Marcion. cap. 22. & Damascen. orat. de transfigur. ponderantes hanc Marci sententiam, Chrysofomus autem homil. 53. in Matth. & ibidem Euthymius, perseverantes in sua sententia,

An Petrus præ timore hic dicitur nescisse quid loqueretur.

Quomodo Petrus dicitur hoc loco nesciens quid diceret.

ANNOTATIO LXXII.

Difficultas est non parua, quo modo Petrus dictus sit nesciens quod loquebatur. Sunt enim variae antiquorum sententiæ. Prima est Origenis tract. 3. in Matth. vbi ad defectum mentis, & rationis hæc refert ignorationem, quasi Petrus mente excedens, & alienatus esset, vt non intelligeret, quod dicebat. Putat enim Origenes Spiritum malum, seu Diabolum procurasse auertere Christum à voluntate mortem subeundi, ac per Petrum fuisse aggressum, malitiosq. tetasse Christum specie tati boni præsentis. Quam sententiã confirmat illo Matth. 16. quãdo enim Petrus mortem Christo dissuadebat, datum est responsum à Christo: Vade retro Satana, quasi a Satana illud verbum protulisset. Hæc tamen opinio improbabilis est, quod putat Diabolum id tunc tentasse, quem scimus non solum tunc, sed post transfigurationem, omnibus viis procurasse mortem inferre Christo, vt supra notauimus. Secunda sententia est Tertul. lib. 4. contra Marcion. cap. 22. vbi expressius tenet hanc ignorantiam Petri fuisse rationis defectum, appellatque amentiam, quia non intelligebat quæ loquebatur, approbatq; errorem nouæ suæ prophetiæ, qua affirmat prophetas velut arreptitios, ac amentes fuisse, non intelligentes, quæ loquebantur. Differt tamen ab Origene, quia hunc mentis excessum existimat factum per diuinam virtutem, & Spiritum sanctum, non autem per Diabolum, vt asserbat Origenes. Præterea iuxta hanc sententiam non possumus dicere hæc Petri verba eo tendisse, vt Christum à mortis subeundæ voluntate, aut periculo auerteret. tunc namque non essent à Spiritu sancto.

nimirum Petrum voluisse tacite mortem Christi impedire, timendo illi, interpretantur hanc Marci sententiam de eodem timore, quem tatum fuisse dicunt, vt præ eo nesciret quid loqueretur. At vero superiori annotatione ab ista opinione recessimus cum multis antiquis Patribus, idcirco huc timorem esse existimamus admirationis, & stuporis, præ magnitudine tanti obiecti, qui quidem timor consistere potuit cum gaudio vehemēti de eodem bono, sicq; & præ magnitudine gaudij Petrus protulit: Bonū est nos hic esse, & præ admiratione, & stupore nesciuit, quid loqueretur. quo autem modo intelligendum sit, quod nesciuit, quæ loquebatur, Annotatione sequenti declaratur.

bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula. Hæc ille. Quid autem per hæc verba Petri Spiritus sanctus prædixerit, ipse Damascenus exponit, dicens: O Petre, erit id aliquando, cum hoc spectaculo in sempiternum frueris. Dominus non tabernaculorum, sed vniuersæ Ecclesiæ duces, & moderatores te constituet; Discipuli tui, hoc est, oues tuæ, quas bonus ille Pastor Princeps fidei tunc commisit, sermones tuos in opus perduxerunt, vt qui nimirum hodierno die Christo, ipsiusque famulis Moyfi, & Elia, tabernaculum construxerint. Hæc Damascen. Istæ tres sententiæ conueniunt in hoc, quod hanc ignorationem Petri ad rationis excessum, mentisque alienationem referunt, licet differant, quod Origenes à malo Spiritu, Tertullianus vero à bono procedere affirmant, Damascenus autem adiungat Spiritum sanctum per illum prophetasse.

Quarta sententia est Chrysofomi homil. 58. in Matth. & Euthymij ibidem hi asserunt Petrum dictum nesciuisse, non quod non intelligeret; quæ dicebat, sed quod inconsiderate & incongrue locutus est, non aduertens quæ loquebatur, tunc non expedire putant autem hi Doctores huius inconsiderationis causam fuisse timorem, qui mentem Petri perturbauit, vt non aduerteret & perperderet, quæ dicebat. hanc sententiam videntur sequi Hieronymus Matth. 17. affirmans Petrum imprudenter locutum, ideo non meruisse responsum à Domino, idem etiam Leo serm. de transfig. dicit, atque hæc sententia omnium est accommodatissima, eo adiuncto vt supra diximus, quod non ex timore, seu admiratione sola, sed etiam ex magnitudine gaudij hæc inconsideratio provenit; hoc enim magis sentire videtur Hiero. Leo, & alij Doctores, paulo superius allegati. Aduerte igitur pro maiori declaratione, Petrum tanti præsentis boni dulcedine illectum, ac admiratione elatum non solum affectasse sic permanere, sed oblitum esse, quod paulo ante Christus ei dixerat, oportere se mori, ipsoque Petro contradicente adiunxerat: Vade post me Satana, scandalū mihi es, nõ sapias quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum Horum omnium nõ est Petrus recordatus. Præterea nõ aduertebat sibi soli consulere, non autē toti mundo, pro cuius salute venerat Christus. rursus nõ cõsiderauit, quæ ad Christi gloriã spectabant; parum enim erat illi in mote ibi lo cum Moyse, & Elia permanere, qui in cælo erat

ascensus, & eo innumerabilem iustorum multitudinem perducitur: demum pugnabat ea permanentia cum Scripturis Prophetarum, cum Patris voluntate, cum fine, propter quem Dei filius homo factus erat; nihil horum Petrus animaduertit, nec arbitra-

Hac autem illo loquente, facta est nubes.

COMMENTARIA.

DVM Petrus talia loqueretur, ecce nubes diuina virtute ex aere conglobata, apparet. recte autem nubes in hac Domini transfiguratione intercedit, vt Christus is esse significetur, quem promissit olim Deus missurum, quando in monte legem dedit; ibi enim sub nube loquebatur, ac dicebat: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum. Deut. 18. & Exod. 18. Dum autem Petrus loquitur, nubes interponitur, quasi verbis Petri, quae incongrua erant, contradicens.

ANNOTATIO LXXIII.

M Athæus rem magis explicans adiecit aduerbiū quoddam: Adhuc (inquit) eo loquente, quo significat nondū Petrum compleuisse sermonem suum, quando nubes facta est, quod etiam Lucas indicat, sed non ita expresse. Hoc significat Ambrosius, qui sic legit: inter hæc verba facta est nubes. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. c. 22. dicit hanc nubem diuinā virtute ex aere illic existente conglobatam, aut illuc aliunde deductam. Primum videtur probabilis, secūtiq; sumus in commentario; dicitur enim facta nubes, quasi quæ prius non erat. Cur autem hæc nubes esset facta, Chrysostr. hom. 58. duas adfert rationes. prior est, vt certiores fierent Discipuli de Dei præsentia, intelligerentq; vocem futuram ipsius esse: nam sæpissime Deum solum in nube apparere audierant. Psal. 117. Nubes, & caligo in circuitu eius. & Psal. 103. Poneis nubem ascensionem tuam. & Act. 1. Nubes suscepit eum ab oculis eorum. Posterior ratio Chrysostr. est, vt Petrum dedoceret, ipse enim dicebat: Faciamus hic tria tabernacula. at Deus nubem ostendit, docens nō indigere Christum tabernaculis manufactis. Priori rationi consentit Euthym. Matth. 17. posteriori vero Druthmarus ibid. Quia Petrus (inquit) taber-

Ex qua materia, & cur nubes facta hæc est.

ANNOTATIO LXXIII.

M Athæus expressit hanc nubem fuisse lucidam: nam Marcus, & Lucas nubis luciditatem non indicauerunt. existimo autem splendorem nubis non tantum factū à facie Christi, quam dictū est resplenduisse vt Solem, sed etiam diuinā virtute magnum habuisse luciditatis augmentum, quo maiestas Patris significaretur. vnde 2. Pet. 1. dicitur vox à magnifica gloria prouenisse, vt dicemus paulo inferius. At vero cur nubes hæc lucida facta sit, & præsertim cum illa, in qua olim loquebatur Deus, quando legem dedit, vmbrosa fuerit, inuestigant Doctores. Primo loco respondet Hierony. Matth. 17. lucidam factam, vt ea videri possit à Discipulis, agnosceretq; Petrus, quod dixerat de tabernaculis faciendis. Verba Hieronymi sunt: Nubes videtur lucida, & obumbrat eos, vt qui carnale ex frōdibus, aut tentoriis quærebant tabernaculū, nubis lucidæ operirentur vmbra. Hæc verba Hieronymi, si ad solam nubem referantur, spectant ad priorem dubitationem, nempe, cur nubes apparuerit, vt in antecedenti annotatione diximus, & conuenit cū ratione Chrysostr. posteriori; si vero ad nubis luciditatem, quasi ea sit causa, cur lucida fuerit, non videtur satis accommodata. cū etiam si vmbrosa esset, videri posset, sicut videbatur illa olim in monte, eaque verbum Petri refutabatur.

Cur nubes hæc lucida facta sit.

Secundo loco Chrysostr. hom. 58. in Matth. lucidam esse ea de causa dicit, quia Deus docere volebat: Quando, inquit, minatur, tenebrosam nubē ostendit, quemadmodū in Syna: hic vero quia non terrere, sed docere volebat, nempe ostendere Filiū, & Petrum dedoce-

re, lucida apparet. Hanc causam sequitur Euth Matt. 17. quæ non videtur textui accommodata: nam si terrere noluisse, quomodo Discipuli apud Matth. 17. audientes vocem de nube, ceciderunt in facies suas, & timuerunt valde, donec tacti sunt à Christo, atque eis dictum: Surgite, nolite timere.

Tertio loco Origen. tract. 3. in Matth. Nubes (inquit) lucida obumbrans eos, diuiniore, & splendidiorem reparationem exemplo suo demonstrabat eis futuram, quæ protegeret eos simul, & illuminaret. Hæc ille. cuius sensus est, nubem lucidam fuisse ad significantiam virtutem Spiritus sancti, quam daturus erat suis fidelibus Christus, vt ea protegerentur, & illuminarentur. idem fere sentit Ambrosius.

Quarto loco Damasc. in oratio. de transfig. rectā, & accommodatā causam adfert, quæ cōsonat his, quæ in præcedenti Annotatione diximus, nimirū vt discerneret signaret inter vetus, & nouum testamentū; illic enim cū lex dabatur, nubes erat, sed vmbrosa; hic etiā nubes, sed lucida, quia quæ obscure, & sub vmbra, ac figuris lex cōtinebat, & promittebat, Euangeliiū explicat, ac aperte tradit, iuxta illud Pauli 2. Cor. 3. Non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suā, vt non intenderet filij Israel in faciem eius, quod euacuat. & paulo inferius: Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes. Verba Damasceni sunt hæc: Olim quidem ille Dei spectator diuinam caliginem subibat, legis videlicet opacitatem subindicans; vmbra enim vt ex Paulo audire licet, futurorum lex habebat, non ipsam veritatem, ac tunc israeliticus populus

populus in Moyse faciem, quæ abolenda erat, intendere non potuit. Nos autem reuelata facie Domini, gloriam intuemur à gloria in maiorem gloriam transformati, tamquam à Domini spiritu; ac proin-

Et obumbrant eos.

COMMENTARIA.

Nubes hæc inter Christum, Moysem, & Eliam ac Discipulos exitit, vnde effectum est, vt Discipuli, qui radijs ex illorum splendore procedentibus illustrabantur, subumbrarentur, faciliusque Discipuli potuerunt Christum, Moysem, & Eliam perspicere, radiorum vehementia, qui oculos eorum perstringebant, temperata per nubem.

ANNOTATIO LXXV.

NON potuisset nubes subumbrare Discipulos, nisi aliqua eius pars inter Christum, Moysem, & Eliam resplendentes ex vna parte, ex altera autem Petrum, ac alios duos esset interposita: sicut nec eos, qui Solis radijs perlustrantur, nubes obumbrant, ni-

si sit inter Solem, & obumbrata corpora. Non quod splendor Christi, ac Moyse, & Eliæ diminutus fuerit, sicut nec lux Solis in seipsa ob nubem remittitur; sed quod radij à splendore diffusi temperati sunt nubis opacitate.

Et timuerunt, intrantibus illis in nubem.

COMMENTARIA.

Ingressi sunt Christus, Moyses, & Elias in nubem, sicut & Exo. 24. Moyses dictus est ingressus in medium nebulæ: Conspicientes autem Discipuli illos in nubem receptos, timuerunt. Ordo igitur historiae est, vt nubes prius facta sit, in quam ingressi sunt Christus, Moyses, & Elias, tuncque obumbrati sunt Discipuli, & aspexerunt illos intra nubem, ac timuerunt. Fuit autem timor Discipulorum, ne quid mali eis eueniret, cum viderent Christum, Moysem, & Eliam in nubem ingressos, se autem obumbratos, & extra nubem, ac solos desereri.

Nubes hæc an in terra circuectæ fuerit.

ANNOTATIO LXXVI.

Quidam ex recentioribus existimant nubem eminentiorem in terra exitisse, Christumque cum Moyse, & Elia se in altum extulisse, vt in nubem intrarent, eaque de causa dici ingressos in nubem. Mihi autem non videtur necessarium id dicere: tum quia sæpissime nubes pertingunt motum cacumina, vt qui ad cacumen peruenerit, nubē circumdetur: tum quia Exo. 19. Moyses dictus est accessisse ad nubem, & tamen nō fuit à terra elatus, quia nubes illa erat cacumen montis tangens. Sic nunc est dicendum nubē apparuisse eminentem, & aeris spacium amplū occupantem, partem tamen eius attingisse eā montis partē, quæ erat proxima Christo, Moyse, & Elia, qui accesserunt nubī, & intra eius spissitudinem se receperunt, idcirco dicti sunt ingressi; locum vero vbi Discipuli erant, nubes non attingebat. Euthymius relatiuum (illis) ad solum Moysem, & Eliam refert, quasi illi soli ingressi fuerint nubem: at verius etiam ad Christum refertur, sicque Damascen. orat. de transfig. interpretatur.

re præcedenti, quando viderunt Christum cum illis ante nubis ostensionem. In hac re non existimo esse difficultatem aut controuersiam.

At vero quare nunc timuerint, nō ita facile est inuenire. Bonauentura existimat timuisse, ob Dei præsentiam: nam ex Scripturis nouerant Deum per nubem monstrari, vt superius diximus, cum causas huius nubis protulimus. huic tamen opinioni obstat, quia Euangelista timuisse eos dicit, non in nubis aspectu, sed in ingressu Christi Moyse, & Eliæ in nubem. Timuerunt (inquit) ingredientibus illis in nubem. Quidā ex recentioribus eos timuisse arbitratur Christi discessum, ne abiret cum Moyse, & Elia illis relicto, quod confirmare possumus, eo maxime, quia nouerant Eliam in turbine raptum in cælum 4. Reg. 2. & Deuteronomi. 34. Moyse corpus ablatum à Domino, nec ab vilo vquam visum fuisse; dubitarunt ergo nunc, ac timuerunt, ne & Christus cum illis in nubem ingressus abiret, eosque desereret. Probabilis est sententia, sed probabilior mihi videtur Discipulos nō timuisse discessum Christi, nec quicquam mali distincte & determinate timuisse, sed in genere, nimirum ne quid mali eis eueniret, cum viderent, receptis Christo, Moyse, & Elia in nube, se à Christi consortio separatos extra nubem remanere. Timuerunt ergo sibi malum, exitum rei ignorantes. Possent etiam dici, & quidem non improbabiler, Lucam vsum esse quadam anticipatione, quæ apud Euangelistas frequens est. Prior ergo fuit ingressus in nubem, post hunc facta est vox de celo: Hic est filius meus dilectus, &c. Ad hanc autem vocem Discipuli timuerunt, sicque narrat Mathæus, nepe Discipulos audita ea voce, cecidisse in facies suas, & timuisse valde; Lucas vero descripsit prius eorum timorem; postea vero vocis prolationē. Si ergo hanc teneamus expositionē, conuenit hic timor cū eo, qui à Mathæo refertur, factusque est ad vocis Dei Patris auditū, cuius maiestas, & admiranda potestas Discipulos deterruit, ac valde timere fecit, vt paulo inferius explicabitur.

Quam obrem ingredientibus nubem Christo, Elia & Moyse Discipulos timor inuasit.

Timor hic re-latus à Luca alius est ab illo, quæ etiam refert Marcus

Et vox facta est de nube, dicens:

C O M M E N T A R I A.

A Suprema nubis parte vox descendit, quæ sententia sequenti explicatur. fuit autem hæc vox non instrumento ullius linguæ, sed diuina virtute in aere formata, sicut & illæ voces, quæ auditæ sunt, quando in monte cum Moyse olim Deus loquebatur, & sicut illa, quæ facta est, quando Christus baptizatus fuit in Iordane. Dicitur autem de nube vox facta, quia in parte nubis superiori formata diffusa est in Discipulorum auditum, qui erant in terra, vnde à Marco dicitur vox venisse.

A N N O T A T I O L X X V I I.

Matthæus inquit: Ecce vox de nube. Particula (ecce) maiestatem loquentis, ac rei significatæ excellentiam indicat, simul etiam rem hanc inexpectatam fuisse Discipulis, nihil tale cogitatis. Notat Alcuinus hanc vocem à tota Trinitate effectam esse, sicut & cuncta alia creata; tamen soli Patri tribui, quasi ipse sit, qui loqueretur, sicut in die aduentus Spiritus sancti ignea illæ linguæ totius Trinitatis virtute factæ sunt, tamen particulari quadam ratione soli Spiritui sancto tribuantur, ipsiusque erant signa. quando enim, quod dicitur, vni personæ competit, tunc vox ei personæ soli accommodatur, cum igitur vox fuerit: Hic est Filius meus, soliusque Patris sit habere filium, sit vt vox illa Patris dicatur, non quantum ad efficientiam, quia à tota Trinitate producta est, sed quantum ad significationem, & attributionem.

di à magnifica gloria; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiimus de celo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. in quorum verborum declarationem nota, Christum dici accepisse honorem, & gloriam à Patre, voce, ad ipsum delapsa à magnifica gloria. Honorem quidem accepit, vt homo, voce Patris, quia per eam à Patre honoratus est, dum declaratur, & appellatur filius Patris, ipsi naturalis, & consubstantialis. Dicitur etiam accepisse gloriam, quia vox hæc Patris à magnifica eius gloria prouenit, id est, prolata est magna maiestatis, ac gloriæ demonstratione, nimirum nube lucidissima, & splendenti. Dicitur autem vox allata de celo, non quod in celo ipso, vbi Deus est, fuerit formata, sed quod in suprema parte, & eminenti nubis facta sit, & inde ad aures Discipulorum sonus descenderit. Cælum enim in Scriptura sæpe aeris regio dicitur.

Hic est Filius meus.

C O M M E N T A R I A.

HAC voce testimonium perhibet Pater de Christo filium suum esse. Pronomen (hic) solum Christum demonstrat, & eo ipso non adoptionis filium, sed naturalem, & consubstantialem indicat; si enim filiationis adoptio ista esset, non erat cur solus Christus demonstraretur: nam Moyse, & Elias adoptionis filij erant; immo & Discipuli, qui cum Christo aderant. peculiaris igitur demonstratio singularem, ac soli Christo competentem filiationem ostendit, quod articulus Græcus adiunctus indicat. Hic est ille filius meus.

A N N O T A T I O L X X V I I I.

Pronomen, hic, demonstrat personam vnitam naturæ humanæ, & sensibili, quæ demonstrari, & videri poterat, cumque non sit nisi vnica persona in Christo, eaque est diuina, & æterna, duas habens naturas, diuinam, in qua consubstantialis est Patri, & humanam, in qua consubstantialis est nobis; idcirco recte, & vere dicitur: Hic est filius. Filium enim esse non est naturæ, sed personæ, vnus enim est filius, natura vero duplex. Hinc est Christum non esse filium adoptionis dicendum, sed naturalem Dei: nam filium esse personæ est. sic affirmant Ambrosius lib. 1. de fide cap. 9. & Hilar. lib. 3. de Trin. Christus (inquit) fi-

lius erat origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione. idem dicit lib. 1. ex quo sequitur illud, meus, non dici per possessionem, aut per amorem, sicut vocamus res, quas possidemus, nostras, & amicos nostros, quos amore prosequimur, sed per consubstantialitatem, quia eiusdem, & indiuiduæ est substantiæ cum Patre, à quo genitus est. magis ergo est filius Dei, quam apud nos sunt patrum filij; nemo enim filiorum apud nos eandem habet indiuiduam naturam cum suo patre, sicut filius Dei habet cum Patre suo.

A N N O T A T I O L X X I X.

Dubitatio occurrit, in quem scopum hæc verba tendant, sunt enim variæ explanationes. Primo loco Chryost. hom. 58. in Matth. cui consentit Euthymius in eodem loco, affirmat propter Petrum præcipue hoc dictum esse, ad remouendum eius timorem: nam Christo timens prætendebat mortem eius impedire. Pater ergo huic timori medicinam adferens, inquit: O Petre, qui times mortem Christo, ne metu turberis, scito omnipotentiam eius, esto certior de ipsius resurrectione; filius enim meus est. Hæc expositio supponit, Petrum Christo timentem voluisse impedire mortem suadendo permanentiā in monte illo cum consortio Moysis, & Eliæ. quam expositionem nos non recepimus propter ea, quæ superius dixi-

mus, idcirco ab hac etiam præfenti explanatione recedimus.

Hieronymus secundo loco in commentario Matthæi asserit hoc Patris testimonium eo tendere, vt auferat errorem Petri, & per eum cæterorum Discipulorum; dixerat enim, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum, quasi æqualitatem faciendo Christi cum Moyse & Eliæ. Huic ergo errori Deus medens ait: Hic est filius. huic soli tabernaculum est faciendum, non illis. Quæ expositio videtur Ambrosij; nam hæc verba interpretans, inquit: Non Elias filius, non Moyse filius; hic est filius. huius expositionis vera est doctrina, tamen non videtur ad contextum, & sensum pertinere; non enim Petrus

trus ignorabat Christum maiorem Moyse, & Eliæ esse, nec tria tabernacula ædificare volebat, quasi æqualibus, vt supra diximus, nec erat oblitus suæ confessionis, quam paulo ante pronunciauerat, Tu es Christus filius Dei viui.

Tertio loco dici posset, hoc dictum esse ad remouendum scādalum futuræ crucis, de qua locuti erant Moyse, & Eliæ: vt igitur Pater Discipulos contineret in fide, & præcaueret, ne futura filij passione, ac morte illi perturbarentur, ait: Hic est filius meus quasi diceret, ne putetis illum ex infirmitate, impotentia, aut culpa mortem subitum hanc, de qua Moyse, & Eliæ sermonem habuerunt, ecce filius meus est hic, in quo nec infirmitas, seu impotentia, nec culpa inueniri potest. Hæc expositio mihi videtur magis accommodata præcedentibus, non tamen omni ex parte quadrat: nam si is est scopus huius testimonij, vtique conueniens erat, vt omnes Discipuli adessent, aut saltem isti tres cæteris ante mortem Christi narrare deberent, ne scādalum paterentur.

Quarto igitur loco mihi visa est alia explicatio accommodatissima: cum enim mysterium hoc eo tendat, vt Deus Pater ostendat Christum esse, in quo antiqua promissio ex pacto, & foedere cum populo facta, complebatur, quando populus nolens præti-

more Deum audire, petijt, vt per alium loqueretur, promittitque se eum auditorum, quod quidem Deus Pater acceptans dixit: Prophetam suscitabo eis, & ponam verba mea in ore eius, & cætera quæ supra relata sunt: nunc consequenter Pater declarat, & ostendit Christum hunc esse, per quem pollicitus est locuturum, & quem audire Populus se obligauerat, atque ea de causa Moysem præsentem fecit, quasi testem eorum, quæ olim erant gesta. vt igitur non solum demonstraret eum, sed excellentiam ostendat supra Moysem, & Eliam, dicit: Hic est filius meus, id est, non iam per Moysem, non per Eliam non per Prophetas loquar, sed per filium meum. Hebr. 1. Multifariam, multisque modis Deus olim loquens in prophetis, nouissime locutus est nobis in filio. Declarat ergo hoc testimonium præstantiam doctrinæ Christi, & Euangelij supra legem, hanc enim per seruum, illud per filium tradidit, rursum vt ostendat effectum doctrinæ Christi, qui est filius adoptionis Dei facere, Ioann. 1. Quotquot receperunt eum, dedit potestatem filios Dei fieri. Testimonium ergo præbet Pater de Christo filio, significans, quod per eam facturus erat Gala. 4. Misit Deus filium suum, &c. vt adoptionem filiorum reciperemus. Hic mihi visus est scopus huius testimonij.

Dilectus.

C O M M E N T A R I A.

A pud homines non omnis, qui filius est, à suo patre dilectus est; sit enim vt patres filios, & filij patres sæpe odio habeant: non sic hic est filius, sed dilectus est à Patre, non solum vt Deus, cuius est vna voluntas, vnus amor cum Patre, sed etiam vt homo, cuius voluntas conformis est, & in omnibus consentiens cum Patris voluntate, qui omni plenus est gratia, à quo longe abest omnis macula culpæ. Hebræ. 7. Sanctus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.

A N N O T A T I O L X X X.

Explicatur via illius appositæ dilectus.

Dubitatio est, in quem scopum tendat hoc verbum, Chryostomus enim hom. 58. in Matth. & Euthymius prosequentes expositionem suam, cuius in præcedenti annotatione meminimus, affirmant hoc verbum eo tendere, vt per id timor, ac perturbatio Petri de morte Christi auferatur, quasi diceret, si adhuc formidas etiam si filius meus sit, & omnipotens, scito esse dilectum mihi: nemo autem, quem diligit, perdit; non potes tu eum magis diligere, quam à me ametur: ne ergo ei timeas, quasi mors malum illi sit futura. Hæc expositio quia nititur in eodem fundamento, non recipitur, vt supra notauimus. Accommodatius diceretur iuxta tertiam expositionem, relatum in præcedenti annotatione, nempe Patrem scādalo crucis per hoc verbum etiam mederi: nam ostenderet non pati Christum, quasi à Deo Patre derelictum, & odio habitum, vt putarunt illi, de quibus prædixit Isaias cap. 53. Nos autem putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. vt igitur hunc errorem amoueat, & impediatur, dicit nunc: Hic est dilectus à me. Quæ quidem expositio, vt illic diximus, non omnino quadrat. Hilarium can. 17. in Matth. hæc tria verba: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; eo tendere affirmat, vt ostendatur Christus idoneus auctor præceptorum Euangelij, cum sit filius dilectus, & Deo beneplacitus, vt ipse dicit; at non explicat singula verba. Dicendum ergo est

prosequendo eundem sensum, eo hoc verbum tendere, vt significet Pater duo. Vnum est legem per Christum dandā longe diuersam ab ea, quæ tradita est per Moysem; nam hæc timoris fuit, vt potest feruorum: at quæ per Christum danda erāt, amoris, & dilectionis, qualis conuenit filijs. Roman. 8. Non accepistis (inquit) Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum. Alterum est, ostendere Christum esse idoneum mediatorem; fidebat enim olim populus Moysi; per quem sibi volebat Deum loqui, arbitrans gratum esse Moysem Deo, ob id nunc dicitur hic, per quem loquar vobis, & per quem vos mihi acceditis, dilectus est, & mihi charus, cui vos confidenter accedere poteritis, & ego libentissime propter eum multa bona vobis faciam, & magna vobis per eum loquar. Quod autē ad verba spectat, Matthæus, & Lucas, habet (Dilectus, apud Marcū autem legitur (Charissimus) Græce tamen in omnibus tribus Euangelistis legitur ἀγαπητός, id est dilectus, est tamen cū articulo Græce, ad notandam singularitatem dilectionis, ideo Latine recte vertitur per superlatiuum nomen. Quod si Marcus Latine scripsit, vt probabilissimum est, existimandum est voluisse vim verbi explicare; licet enim sit positiuum, tamen vim habet superlatiuā (Dilectissimus) propter articulum adiunctum, qui indicat Christi dilectionem à Patre esse supra omnes cæteros; filius enim multo charior est Patri, quam omnes serui.

A N N O T A T I O L X X X I.

Marcus, & Lucas omiserunt verbum, quod retulit Matthæus, nempe: in quo mihi bene complacui. & eiusdem etiam meminit Petrus 2. Epist. cap. 1. prætermisso aduerbio bene. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, seu, in quo mihi

placui; tamen vnicum, & idem verbum est apud Matthæum & Petrum ἀρέσκω, quod bene placui, seu bene complacui vertitur.

Varie autē explicatur, primo quidē à Chryf. homil. 58. in Matt. nepe in quo bene cōplacui, id est, quæcūq;

Vox hæc à tota Trinitate facta, & quomodo. Patri tributa

Locus 2. Petri de hac voce explicatus.

Pronomen hic, & meus, quid significet in hoc loco.

In quem scopum tendant verba hæc. Hic est filius meus, &c.

volo, ille vult. Significatur ergo secundum Chry-
sostomum conformitas voluntatis Christi, & homi-
nis cum Patre; iuxta illud Ioan. 8. Quæ placita sunt
mihi, facio semper.

Secundo loco idem Chrysofostomus ibidem aliam
adfert expositionem, cui Euthymius consentit, sci-
licet, in quo bene complacui, id est, in quo quiesco,
in quo oblector, cui expositioni consonare videtur
illud Isa. 11. Requiescet super eum spiritus Domini.

Tertio loco glossa interlinealis, quæ sumpta vide-
tur ex Gregorio Emysseno, sic interpretatur: In quo
mihi bene complacui, id est, cuius me non pœnitent:
sicut me olim pœnituit, quando dictum est: Pœnitent
me fecisse hominem; non sic de Christo dici potuit,
in quo nihil est, cuius pœniteat Patrem. Hæc om-
nia vere dicuntur, sensui tamen non satis accommo-
data videntur.

Auctoris ex-
positio.

Exultimo ergo quarto loco ad sensum, & ad Scriptu-
ræ morem magis facere, si dicamus iuxta Paulum
Eph. 1. ubi de Christo loquens, ait: Secundum bene-
placitum eius, quod proposuit in eo, id est, Deus pro-
posuit per Christum executioni mandare suum bene-
placitum. Est autem beneplacitum Dei, voluntas illa
æterna, qua gratis, & absque vilo merito hominum,
sed ex suo puro amore, & bonitate, saluare eos vo-
luit redimendo à peccato, Deo reconciliando, ac vi-
tam æternam conferendo. Hanc suam bonam volun-
tatem, quæ beneplacitum dicitur, quia sic ei placuit
tantum conferre homini bonum, proposuit perficere
per Christum, nempe mittendo filium in carnem, ut
homo fieret, & postquam homo factus est, morti tra-
dendo, cæteraque disponendo, quæ Christus ex præ-
scripto Patris fecit, hoc est, quod Paulus dicit: Deus
proposuit beneplacitum suum in Christo. Hinc facile
sensui huius verbi deducitur, in quo mihi bene com-
placui, id est, in quo perficiendum est beneplacitum meum,
ac per quem decreui salutem hominum operari, eos

ad veritatem, & salutem reducere, ac perducere. Quo
verbo significauit Pater Christum non tantum legis-
latorem esse, ut fuit Moyses, sed etiam Saluatorem,
ac Redemptorem, illamque mortem, de qua Moyses,
& Elias collocuti erant cum Christo, futuram in sa-
lutis humanæ redemptionem. Huic explicationi fa-
uet illud psalmi 68. Tempus beneplaciti Deus, id
est, tempus redemptionis, tempus salutis huma-
næ operandæ. quo in loco Hieronymus, & Re-
migius allegant locum Matthæi, in quo mihi be-
ne complacui. Similiter Psal. 105. Memento nostri
Domine in beneplacito tuo, Remigius ibi iterum al-
legat hunc locum Matthæi, Christum affirmans esse
hoc beneplacitum, quia in eo beneplacuit Patri. Hæc
igitur explicatio mihi accommodatior visa est. Hanc
expositionem sensisse videtur Damasc. orat. de Tran-
sfiguratione, ubi id verbum interpretans, sic inquit:
In eo acquiesco, ac mihi bene complacere; benigna
siquidem Patris voluntas in vnigenito suo filio vni-
uersi orbis salutem operata est: benigna Patris volun-
tas in vnigenito filio suo omnium connexionem effe-
cit. Hæc & alia Damascenus.

Potest etiam quinto loco adhiberi expositio non
spemenda, quamuis præcedens proprii, & aptior
sit; ea autem est: in quo mihi bene complacui, id est,
per quem quicumque mihi placuerunt, grati sunt,
seu per quem mihi complacui in iis omnibus, in qui-
bus mihi beneplacitum est; nemo enim hominū Deo
placuit, nisi per Christum, iuxta illud Sapient. 9. Per
sapientiam sanati sunt, quicumque tibi placuerunt Do-
mine à principio. Attende autem, licet idem sit ho-
mines placere Deo, aut Deo placere in hominibus,
tamen hoc rectius dicitur, ad significandum non præ-
cessisse in homine aliquid, ob quod Deo sint grati;
sed Deum sua pura bonitate voluisse eos, & in illos
complacuisse, ac effectuisse in eis, quod ipsi Deo sit gra-
tum, ac placens.

Ipsam audite.

COMMENTARIA.

R Eddito testimonio de filio, præcepit Pater Petro, & sociis, & in eis, nobis om-
nibus, ut illum audiamus, credendo, quæ docet, & implendo, quæ præcipit;
alluditque ad illud verbum, quod populus olim promissit, quando petiit, ne Deus il-
lis loqueretur, sed Moyses, eumque audire polliciti sunt, quod confirmans Deus dixit
Deuter. 18. Bene omnia sunt locuti, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum
suorum, similem tibi, ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos, quæ præce-
pero ei, & qui verba eius non audierit, ego vltor existam. ostenso ergo hoc Prophe-
ta Deus dicit, ipsum audite, id est: hic est, quem promissistis audire, & de quo susci-
tando, & audiendo pactum feci vobiscum; cum igitur audite. Verbum autem audien-
di non simplicem auditum significat, quem etiam increduli præstiterunt, nec solam
credulitatem, quam exhibent peccatores, sed simul quoque obedientiam mandato-
rum, ut is audiat, qui credit, quæ docuit, & facit, quæ præcepit. iuxta quam significa-
tionem dictum est Ioan. 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit. & Luc. 10. Qui vos au-
dit, me audit.

ANNOTATIO LXXXII.

R Ecte Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 22.
hoc verbum interpretatur, iuxta historiam, & pro-
missionem factam Deuter. 18. ut in commentario ex-
positum est: Hic est (inquit) quem promissistis audire, & petiistis
audire, ipsum ergo audite. Hinc soluitur dubitatio
quædam, nepe cum legamus hoc testimonium Patris
in Christi baptismo factum Matt. 3. hic est Filius meus
dilectus, in quo mihi complacui; quænam sit differen-
tia ab hoc, quod redditum est in transfiguratione. &
quidem in sensu verborum nullum est discrimen, solum
differunt in fine & causa. Non enim eadem de causa

Quomodo
hæc sententia
eadem in Ba-
ptismo Chri-
sti prolata, in
Transfigura-
tione vtere-
tur.

vtrobique exhibitum est hoc testimonium: in baptismo
quidem ad ostendendum, Christum esse eum, per quem
reconciliandus erat homo, & ad Dei filiationem pro-
mouendus, quod per baptismum Christi primo fit: per
hunc enim renascimur, & renouamur; ac vero in
in transfiguratione factum est, ad ostendendum Chri-
stum esse, per quem promiserat Dominus Deus po-
pulo loqui, ac præcepta vitæ dare, ut in commenta-
rio dictum est: idcirco in baptismo non est prolatum
hoc verbum: Ipsum audite, sicut effectum est in
Transfiguratione.

Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus.

COMMENTARIA.

E Nallage quædam est; tempus enim pro tempore ponitur, dum fieret vox, id est,
edita voce, Iesus solus inuentus est, Moysè, & Elia in sua loca receptis, ut sic
etiam significatum esset, Christum esse, quem Pater audiendum præcipiebat, eum-
que filium dilectum esse, in ipsoque beneplacitum esse Patri, non in Moysè, & Elia.
Inuentus autem dicitur Iesus, intellige, in priorem formam restitutus, deposita gloria,
ac splendore transfigurationis.

ANNOTATIO LXXXIII.

Series rei ge-
stæ & consen-
sus Euangeli-
zarum.

M Arcus addit, neminem viderunt, nisi Iesum
tantum secum. Dicit (secum) quia quando
transfiguratus est, erat separatus ab eis, & postea
intra nubem cum Moysè, & Elia; peracto vero my-
sterio accessit Discipulis, qui præ timore ceciderant,
ac eos tangens fecit surgere, ac timore deponere.
Est & aliud notandum, Lucam omisisse nonnulla,
quæ solus Matthæus narravit; refert enim Matthæus,
Discipulos tres, audientes vocem Patris, in faciem ce-
cidisse, & timuisse valde, accessisseque Iesum, & teti-
gisse eos, ac dixisse: Surgite, & nolite timere, sur-
gentes autem leuasse oculos suos, neminemque vidisse,
nisi solum Iesum. Lucas autem & Marcus præ-
termiserunt totum hoc, nempe casum Discipulorum
ex vocis auditu; timoremque magnum eorum, tactum
Christi, & quod post verbum, & tactum Christi sur-
rexerint; tantumque scripserunt, nempe neminem
vidisse, nisi solum Iesum, hocque coniunxerunt cum
voce Patris: quod non sic est intelligendum, quasi
statim voce Patris facta neminem viderint, nisi so-
lum Iesum: nam ad vocis prolationem non circum-
spexerunt nec oculos leuarunt, sed ceciderunt in
faciem præ timore, & tacti à Christo, & voce eius
confortati surrexerunt, tuncque circumspexerunt, &
solum Iesum inuenerunt, sicque Lucas, & Marcus in-
terpretandi sunt, & cum Matthæo concordandi.
Hinc sequitur, quando vox Patris prolata est, non-
dum recessisse Moysen, & Eliam, licet Chrysofostom.
hom. 58. in Matth. & Ambrosius in commentario
Lucæ affirmant, in vocis prolotione non adfuisse illos
viros, sed iam recessisse, ut testimonium Patris non
ad illos, sed ad Christum referretur, & de eo solo
intelligeretur. Hæc tamen sententia non placet, nec

argumentum hoc, nec verba Lucæ fauent huic sen-
tentia: non quidem argumentum: nam ex eminentia
gloriæ Christi supra alios, satis constare id poterat, &
ex verbo ipso, Eum audite, quod non poterat con-
uenire illis, qui non permanserunt, & quod magis
est, quia quando vox prolata est, tunc ceciderunt,
neque tum quemquam respexerunt, & solum Iesum
inuenerunt, eaque de causa non poterant testimonium
illud de alio intelligere. Vnde docte Hieronymus in
commentario Matthæi notat, illos solum Iesum vi-
disse postquam surrexerunt, ut de eo solo testi-
monium esse prolatum cognoscerent; nec etiam eo opus
erat, nam in Baptismo simile testimonium de Christo
exhibuit, audierant. Verba autem Lucæ non fauent
ei sententia, immo aduersantur, nam dicit, inuen-
tum esse Iesum solum, ac scimus ex Matthæo Disci-
pulos circumspexisse, postquam surrexerunt; non
autem quando vox prolata est. tunc ergo inuenisse
dicuntur, quando circumspexerunt, quod fuit non
statim ad vocis prolotionem, vnde consequitur esse
verbum Lucæ per enallagem intelligendum, ut dixi-
mus in commentario, quæ vsitata est à Luca, nam
cap. 11. dicitur: Cum loqueretur, rogauit illum
quidam Pharisæus, ut pranderet apud se, id est, post-
quam locutus est; non enim inter loquendum inuita-
tus fuit: sic nunc dicitur, dum fieret vox, id est,
postquam vox edita est, quod etiam Marcus signifi-
cauit; inquit enim: Circumspicientes neminem am-
plius viderunt, nisi Iesum tantum secum, hoc fuit
postquam surrexerunt à casu, & dicit neminem am-
plius vidisse. Illud (Amplius) indicat vidisse prius
illos viros vsque ad casum, qui fuit post vocem.

ANNOTATIO LXXXIV.

Quomodo di-
cantur disci-
puli in faciem
ceciderunt.

N Onnulla sunt in verbis Matthæi à Marco, &
Luca prætermisissis notanda. Primo Discipulos
in faciem ceciderunt, posse duabus de causis procede-
re: aut ex magno timore; perterriti enim sunt: aut
ex veneratione Dei, cuius vocem sentiebant, vtram-
que explicationem admitti posse censet Euthymius.
Chrysofostomus autem hom. 58. in Matth. affirmat ex
vtraque causa ceciderunt, nempe timentes simul & ado-
rantes. At Hieronymus in commentario censet ceci-
disse præ nimio timore; timor enim magnus vires
corporis soluit: quod etiam factum est, quando pas-
sionis tempore ad vocem Christi ceciderunt milites;
ut habetur Ioan. 20. præ terrore, quamuis hi retror-
sum; Discipuli vero in faciem ceciderunt. atque hæc
sententia est verior, & accommodatior, quando
enim à Christo tacti, & excitati sunt ad surgendum,
dictum est: Surgite, nolite timere. significatur hoc
verbo, causam, cur ceciderint, fuisse timorem.
Secundo notandum est huius timoris causas tres
Hieronymum adferre. Triplicem (inquit) ob cau-
sam pauore terrentur, vel quia se errasse cognoue-
rant, scilicet petentes tria tabernacula fieri; vel quia
nubes lucida operuerat eos, vel quia humana fragi-
litas conspectum maioris gloriæ ferre non sustinet, ac
tota anima, ac corpore contremiscens ad terram ca-

dit. Hæc ille. Inter quas causas tertia est accommo-
datissima; Maiestas enim Dei voce magna significata,
terrorem incussit Discipulis, & eo maxime, quia
Christum intra nubem ab eis sequestratum viderant.
Tertio notandum est, Chrysofostomum loco allegato
inquirere, cur nunc Discipuli timuerint, cum in Ba-
ptismo similem perceperint vocem, & Ioan. 12. ite-
rum vocem Patris, velut tonitruum audierint, nec
tamen expauerint, respondet sic: Quoniam solitudo
& altitudo montis ingens, & transformatio plena,
horroris, lux fulgentissima, profunda nubes, & la-
tior. hæc omnia magnum vndique illis pauorem infe-
rebant. Hæc ille. Quasi diceret, tempore Baptismi, &
quando audita est vox, velut tonitruus, non interue-
nerunt hæc, quæ in transfiguratione facta sunt. hæc
causa non videtur difficultatem tollere, nam cum
vox ut tonitruus facta, & Dei maiestas in Baptismo
ostensa sint cause sufficientissimæ incutiendi timo-
rem, ac pauorem, merito interrogatur, cur tunc
non expauerint, sicut modo. Mihi videtur dicendum,
id factum ex diuina prouidentia, quæ potest eodem
obiecto, & timorem incutere, & impedire: incussus
igitur nunc est timor, quia repræsentabatur in hoc
mysterio, quod actum est, ac promissum in monte,
in quo data fuit lex, uti sæpe diximus, quando po-
pulus

Cur nunc Dis-
cipuli timue-
rint, & non
in baptismo,
audita eadem
voce.

Timoris Disci-
pulorum tri-
plex causa.

pulus præ timore nolebat vocem Dei audire, acceptavitq; Moysen auscultare, & Prophetam à Deo mittendum audire. Volens ergo Pater ostendere hunc esse illum, de quo olim pactum celebratum est, ea reuocat, quæ illic interfuerunt, nempe Moysen, montem, lucem, nubem, & nimium pauorem populi, in hoc pauore Discipulorum representatum, ac illud idem verbum, quod tunc interuenit, nempe

Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant.

COMMENTARIA.

Peracto transfigurationis mysterio, dum descenderet Iesus de monte, præcepit Discipulis, vt nemini mysterium hoc, quod viderant, notum facerent; non quidem, vt nunquam narrarent, sed vt filerent, & occultum conseruarent toto passionis tempore, donec à mortuis resurgeret, quod præceptum illi obseruauerunt tacentes, & nemini dicentes illis diebus aliquid ex iis, quæ tunc viderant.

ANNOTATIO LXXXV.

Matthæus, & Marcus referunt nonnulla, quæ Lucas prætermisit; dicunt enim Christum, peracto mysterio transfigurationis descendente de monte cum Discipulis illis tribus præcepisse, vt nemini dicerent visionem, donec filius hominis à mortuis resurgeret. Descendentibus (inquit) illis de monte, quod intelligendum est, non postquam descenderant, sed dum descenderent; tunc enim erant illi tres soli Discipuli, post descensum vero inuenerunt cæteros Discipulos, & turbam, vt paulo post dicitur. In Græco etiam est participium præsentis temporis. Hæc tacuit Lucas, adiungens, quod Matthæus omisit, tacuerunt scilicet, & nemini dixerunt. Addit Marcus, eos verbum apud se continuisse, tamen inter se conquisiuisse, quid est illud (donec à mortuis resurrexerit) nondum enim Christi mortem, ac passionem futuram perceperant, nec intellexerant. Addunt etiam Matthæus, & Marcus, eos interrogasse Christum, quid est, quod Pharisei dicunt, quod oporteat Eliam venire primum? Cui interrogationi Christus respondit.

pe (ipsum audite.) Hæc igitur est causa, cur vox, ac maiestas Patris pauorem incussit, non autem in Baptismo, nec prope passionis tempus, quando hæc non significabantur, nec representabantur. Immo in Baptismo significabatur Christi aduentus pacificus, amoris plenus, non timoris; prope passionem autem confortabantur Discipuli, ne timerent ob Christi passionem imminente.

perit tribus Discipulis, vt hoc celerarent mysterium, donec à mortuis resurgeret. Chrysost. hom. 58. in Matthæum duas adfert causas, vna est, quia populis rudibus id visum esset incredibile, nec Discipuli eis possent tale quid persuadere, minusq; Christus esse crederetur, si id persuasum esset. Altera est, quia scandalum crucis magis aueretur, dum post tantæ gloriæ ostensionem, passionem, ac mortem sustineret. Has duas causas adferunt etiam Hieronymus in commentario Matthæi, & Victor Antiochenus Mar. 9. Euthymius autem adducit priorem, & addit aliam, quæ tertia est, nempe magis Iudæos ex hoc exacerbandos esse, quod si quis obiiciat, nonne etiam post resurrectionis tempus eadē est ratio tacendi? Respondet Chrysostomus non esse eandem rationem, nec difficultatem, nam misso Spiritu sancto, & resurrectione multis miraculis confirmata, facilius id mysterium susceptum, ac creditum est. Quod si iterum obiiciat, cur saltem Discipulis cæteris hoc mysterium occultari voluit? nam generale est præceptum quantum ad personas, vt nemini dicerent. dico duabus eisdem de causis prioribus id factum est; rudiores enim erant, Christusq; tres, qui capaciores erant, elegit.

Hæc autem omnia explicare non est instituti nostri, qui Lucam explicandum suscepimus. Hoc autem non est prætermittendum, cur Christus præcepit, vt nemini dicerent, quod viderant, quæ tunc viderant. Hæc tacuit Lucas, adiungens, quod Matthæus omisit, tacuerunt scilicet, & nemini dixerunt. Addit Marcus, eos verbum apud se continuisse, tamen inter se conquisiuisse, quid est illud (donec à mortuis resurrexerit) nondum enim Christi mortem, ac passionem futuram perceperant, nec intellexerant. Addunt etiam Matthæus, & Marcus, eos interrogasse Christum, quid est, quod Pharisei dicunt, quod oporteat Eliam venire primum? Cui interrogationi Christus respondit.

Hæc autem omnia explicare non est instituti nostri, qui Lucam explicandum suscepimus. Hoc autem non est prætermittendum, cur Christus præcepit, vt nemini dicerent, quod viderant, quæ tunc viderant.

COMMENTARIA.

Sequenti die ab eo, in quo transfiguratus est, post descensum de monte, turba multa ei occurrit; sciebant enim in monte eum illa nocte permansisse; illucque venturum, quia videbant Discipulos, qui remanserant, expectantes, vt habetur ex Marco. Appellat autem sequentem diem, qui proxime sequebatur noctem, in qua transfiguratus est.

ANNOTATIO LXXXVI.

Græce (Descendentibus) participium est præteriti, ad significandum, postquam descenderant de monte turbam occurrisse; illud autem participium apud Matthæum, quando dicitur, descendentes

de monte, præcepisse, ne cui dicerent, est præsentis, vt significaret, non post descensum, sed inter descendendum, illud præcepisse tribus Discipulis, vt in præcedenti Annotatione diximus.

Et ecce vir de turba exclamauit, dicens:

COMMENTARIA.

Narrat Euangelista miraculum, quod Christus post montis descensum fecit, Ecce (inquit) cum Dominus descendisset de monte, accessissetq; Discipulis, & turba ei occurrisset, vnus vir de turba ad eum veniens exclamauit, dicens.

ANNOTATIO LXXXVII.

Marcus distinctius, ac copiosius hanc connexionem historiarum describit, sic inquit: Veniens ad Discipulos suos (post montis nempe descensum) vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes eum illis, & confestim videntes Iesum stupefacti sunt, & expauerunt, & accurrentes salutabant

eum, & interrogauit eos: Quid inter vos conquiritis? & respondens vnus de turba dixit. Hæc Marcus. Græca habent, interrogauit Scribas, sicque Euthymius legit, legit etiam, interrogauit Scribas: Quid conquiritis aduersus eos? Scilicet Discipulos Christi? Non sunt contraria Græca Latinis, sed explicatoria.

Ex his

Cur Christus mysterium transfigurationis cælare tribus Discipulis præcepit, vt quequo à mortuis resurgeret.

Series rei gestæ, & consensio Euangelistarum.

Ex his Marci verbis deducitur, hunc virum exclamasse ad interrogationem illam Christi: Quid inter vos conquiritis? Iste de turba exponit, de quo conquirebant Scribæ cum Discipulis, ob id Marcus dicit: Respondens vnus de turba: merito autem respondit, quia conquisitio erat de eius factis; attulerant enim filium suum ad Discipulos Domini, vt ab eis sanaretur; ipsi vero sanare non potuerunt, idcirco orta est conquisitio Scribarum cum Discipulis, hoc tempore accessit Christus de monte descendens, vidensq; Scribas simul cum Discipulis conquirentes, interrogauit, dicens: Quid inter vos conquiritis? Cum autem nec Scribæ, nec Discipuli respondissent, interrogationem hanc audiens homo ille accessit respondens, & non tantum respondens, sed simul

Magister, obsecro te, respice in filium meum, COMMENTARIA.

Rogat, vt respiciat filium, id est aduertat, & consideret miseras, ac calamitates, quas patitur; hoc enim est vnum ex iis, quæ mouent ad misericordiam, nimirum si quis oculos conuertat ad eorum, qui patiuntur, afflictiones, & mala. Excitare enim ista solent corda, ad compatiendum, & subueniendum. Psal. 22. Deus Deus meus respice in me. Psal. 30. Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam. Threno 1. Vide Domine, quoniam tribulor; conturbatus est venter meus. Quoniam vero non semper, qui aliorum miseras videt, ad miserendum, & subueniendum excitatur, quod etiam in Deo reperitur, idcirco adiecit: Miserere filio meo, quod Lucas prætermisit; Matthæus autem retulit, ac Psal. 24. & 85. respondet: Respice in me, & miserere mei. Magistrum autem appellauit, causam tacite insinuans, cur ad eum venerit, quia nimirum Discipuli non potuerant sanare filium. Venit ergo ad magistrum, cuius virtus maior futura credebatur, quia Magister maior est Discipulo. Iuxta Matthæum Dominum etiam vocauit, honoris gratia; honore enim afficimus eos, à quibus impetrare aliquid intendimus.

ANNOTATIO LXXXVIII.

Huius miraculi Matthæus, Marcus, & Lucas mentionem faciunt, in quibus nonnulla verborum diuersitas, contradictio vero, aut repugnancia nulla reperitur, Matthæus sic habet: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur, nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam; & obtuli eum Discipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Hæc ille. Marcus vero sic scribit: Magister attuli filium meum ad te, habentem Spiritum mutum, qui vbicumq; eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, & dixi Discipulis tuis, vt eicerent illum, & non potuerunt. Hæc Marcus. Lucas autem noster sic refert: Magister obsecro te, respice in filium meum, quia vnicus est mihi, & ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit, dilanians eum, & rogauit Discipulos tuos, vt eicerent illum, & non potuerunt. Hæc Lucas. Ista omnia consona sunt, quodq; vnus Euangelista omisit, alius expressit: totus ergo huius viri ad Christum sermo ex tribus Euangelistis collectus, hic est: Magister, & Domine attuli filium meum ad te, obsecro te, respice in eum, & miserere ei, quia vnicus est mihi, & male patitur, habet spiritum mutum, & vbicumq; apprehenderit eum, subito clamat, & elidit, ac dissipat eum cum spuma, stridet dentibus, & arescit,

sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam; & vix discedit dilanians eum, dixi; & obtuli eum Discipulis, & rogauit eos, vt eicerent illum, & non potuerunt curare eum. Hæc sunt, quæ vir ille locutus est. Vnum tamen aduertendum est, illa verba Matthæi (sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam) dicta esse ab hoc viro, postquam à Christo interrogatus est: Quantum temporis est, ex quo hoc ei accidit? quam interrogationem Matthæus non narrauit, idcirco coniunxit hæc verba cum aliis: at Marcus mentionem illorum faciens, retulit ea suo loco, nempe quando interrogatus est de tempore; tunc enim respondit, ab infantia, & frequenter eum in ignem, & aquam misit, vt perderet eum. nisi dicamus Marcum non seruato ordine ea scripsisse, tamen prius est multo probabilius, & accommodatius. Verba viri huius tam multa patienter Christus audiuit, nec sermonem interrupit loquentis, nõ vt ipse nosset miseras illius, qui omnia sciebat, sed vt circumstantes omnes intelligerent, eisq; essent manifesta, vt sic magnitudine miraculi futuri eum agnoscerent, ac ad credendum inducerentur; vtq; etiam daret nobis exemplum, aures calamitates suas enarrantibus præbendi. Sunt enim, qui voces pauperum, & afflictorum exponunt, quæ patiuntur, nolunt, aut agrefcerunt, audire.

Quia vnicus est mihi.

COMMENTARIA.

Exponit vir iste causas, cur petat misericordiam Christi erga filium eius, quæque permouere possent Christum ad eam faciendam. Prima autem est, quia vnicus (inquit) mihi est, nec alium habeo. Hoc quamuis ad miseriam, ac calamitatem vtriusq; spectat: nam Patri miserum erat filium vnicum habere, & hunc tanta infirmitate

Concordia Euangelistarum in huius miraculi narratione.

mitate oppressum, miserum etiam erat filio, cum vnicus esset Patri, sanitate carere, tamen magis ad patris miseriam pertinet: nam maior est calamitas Patri non habere nisi vnicum filium, quam filio non habere fratres, & esse vnicum patri suo. Vnde supra de filio viduae dictum est, vnicum fuisse matri, quia hoc matrem miserabilior rem efficiebat.

Et ecce spiritus apprehendit eum.

COMMENTARIA.

Haec est secunda causa, nempe filij miseriae, & calamitatis, quarum vna est, quia (inquit) hic filius meus a spiritu malo vexatur. Particula (ecce) non solum indicat magnitudinem vexationis, quasi diceret grauissime torquetur, sed etiam repentinam, & inopinatam; non enim continuo, aut certis locis, aut temporibus vexatur, sed inexcogitata accidit ei vexatio.

ANNOTATIO LXXXIX.

An quod Mattheus de puero isto dicit, scilicet Lunaticus est, sit idem quod spiritum malum habens.

Apud Marcum legitur, hunc puerum habuisse spiritum mutum, dicitur autem mutus ab effectu, quia loquelam pueri impediabat, efficiebatque ne loqui posset. Est autem hoc in loco dubitatio, an quod Mattheus refert, nempe, Lunaticus est, sit idem quod Mattheus, & Lucas dicunt, habuisse spiritum malum. Non enim desunt quidam recentiores, affirmantes esse diuersa, nempe hunc puerum laborasse duplici morbo, nempe naturali, qui ex causis naturalibus, ut caeteri morbi, proueniebat, qui dicitur Lunaticus, & comitialis, quia certis Lunae mutationibus incrementa suscipit; ultra hunc etiam laborasse daemone vexatione. At si verba Evangelica attente discutimus, comperimus vnicum fuisse morbum, nempe Lunaticum, & a spiritu vexationem, non quod semper, qui morbo comitiali, aut Lunatico laborant, vexentur a daemone, cum ex naturalibus causis iste morbus prouenire possit, sed quod hic puer dictus sit Lunaticus ex vexatione daemone, non qualicunque: non enim omnes a daemone vexati dicuntur Lunatici, sed ij, qui vexantur certis Lunae mutationibus ad similitudinem eorum, qui naturali morbo Lunatici sunt. Mattheus enim non solum vexationem daemone explicuit, sed qualitatem, & ideo Lunaticum appellauit. in primis non semper Lunaticos a daemone esse vexatos; sed aliquando naturalibus de causis eum morbum accidere, deducimus ex Mattheo cap. 4. vbi sic habet: Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, & tormentis comprehensos; & qui daemonia habebant, & Lunaticos, & paralyticos, & curauit omnes. Ecce hoc in loco Lunatici distinguuntur ab habentibus daemonia, & cum paralyticos numerantur, caeterisque languentibus, quod etiam Euthymius eo in loco notauit, licet Matth. 17. aliter senserit, sententiamque mutauerit.

Quod autem in hoc puero Lunaticus morbus non naturali causa, sed a daemone prouenerit, verba Evangelij probant, nam inquit Mattheus: Lunaticus est, & saepe cadit in ignem, & crebro in aquam. Marcus autem haec eadem tribuit spiritui malo: nam de eo loquens ait: Misit eum in ignem, & in aquam, ut perderet eum. Si quod Mattheus Lunatico morbo tribuit, hoc Marcus spiritui adscribit, concluditur Lunaticum morbum a daemone prouenisse. Accedat etiam, quod dicitur a Mattheo: Exiit spiritus ab eo, & curatus est puer ex illa hora. Si igitur daemone eiectione puer sanitatem recuperauit, consequitur non naturali morbo, sed sola daemone vexatione laborasse. Haec sententia est antiquorum Patrum, Chrysostomi hom. 58. in Matth. non turberis, inquit, si Lunaticus est appellatus. Patris enim daemoneiaci haec vox fuit. Caeterum, & Euangelista multos Lunaticos curatos fuisse alibi ait, a communi consuetudine eos nominans: ut enim elemento illi ac luminari daemones detrahant, secundum lunares cursus aggrediuntur, & remittunt homines, vnde haec falsa opinio apud multos conualuit, quod Luna varietate sui cursus operetur, quod minime verum est. Haec Chrysost. Idem habet Hieron. Matth. 4. & 17. & Origenes tract. 4. in Matth. qui Lunaticum morbum a daemone prouenisse affirmant. Quorum sententiam ego probo, maxime in hac parte, scilicet quantum ad hunc puerum, quod vero generaliter nullus sit morbus comitialis, nisi a daemone, nec Lunam sua mutatione morborum causam inducere non recipio, nec puto verum, nec stare posse cum experimentis infinitis naturalibus, quae & Philosophi, & Medici sapienter notarunt. Satis sit nunc nobis huc Lunaticum dictum a daemone vexatione, quam certis Lunae cursus temporibus hic puer patiebatur.

Et subito clamat.

COMMENTARIA.

Vexationis magnitudinem explicat per varios daemone effectus illatos in puerum, ut magis ad miserandum excitet Christum. Subito (inquit) clamat, id est, statim, ac a daemone arripitur, clamores edit. Non quidem voces formabat: nam ut ex Marco habetur, mutus erat Spiritus, & loquelam pueri impediabat, sed emittebat voces inarticulatas, quales saepe qui clamant, ac animalia bruta etiam emittere solent, & muti etiam homines.

ANNOTATIO XC.

Clamor vel ad puerum, vel ad daemones per puerum clamantem potest referri.

Clamor iste potest referri vel ad ipsum puerum, qui pre tormento, ac vexatione clamat, vel ad ipsum Spiritum, qui per puerum ingentes mouet clamores, quibus & audientibus magnam infert mo-

lestiam, & puerum ipsum nimio conficit labore. Hoc posterius mihi probabilius est. Est autem Hebraismus, clamat, id est clamare facit.

Et eli-

Elidit, & dissipat eum cum spuma.

COMMENTARIA.

Prosequitur exponere vexationem pueri a spiritu illatam: Elidit (inquit) eum; id est, caput, caeteraque membra terrae illidit. Praeterea dissipat eum, seu discerpit, membrorum conuulsione, & agitatione; addit cum spuma, id est, spumat saliuam ex ore mittens: solent haec accidere iis, qui morbo comitiali laborant, quae in hoc puero tanta vehementiora erant, quanto a potentiori causa, nempe spiritu malo, procedebant.

ANNOTATIO XCI.

Superioris sententiae explicatio.

Graece non habetur illud verbum, Elidit, sed tantum ἀπερσας, id est, discerpit, seu dissipat, paulo tamen inferius Lucas utroque utitur verbo. Est autem in hoc loco apud Marcum φήσας, id est, illidit. Est etiam apud eundem Marcum verbum, Spumat. Lucas vero nomine usus est, nempe cum spuma. Nec sunt idem, elidit, & dissipat, seu discerpit, ut quidam recentiores putant: nam discerpere, spectat ad membrorum conuulsione, violen-

ta, & forti agitatione effectam. Illidere vero, seu elidere, ad quandam membrorum ad terram deiectionem, ac percussione. Adiungit autem Marcus, stridet dentibus, & arescit, id est, efficitur, sine sensu, quasi mortuus, ut quidam interpretantur, mihi vero aliud significare hoc verbum videtur, nempe contabescit, ac virtus naturalis imminuitur, manetque languidus, ac viribus destitutus.

Et vix discedit dilanians eum.

COMMENTARIA.

Dururnitatem vexationis explicat: Vix (inquit) discedit ab eo dilanians eum, id est, non discedit, nisi relinquat eum velut dilaniatum, & contritum praenimia vexatione, & adhuc vix discedit, nimia vexationis prosecutione.

ANNOTATIO XCII.

Discessus iste daemone a puero quomodo intelligendus.

Graece est participium ἀποβήσας a verbo ἀποβίβα, id est, contero, vulgatus vertit, dilanians, quod non ad alium distinctum effectum refertur, sed ad supra narratos; significat enim clamore, illusione, dissipatione, stridore, & aresfactione puerum effectum quasi contritum, & comminutum, omnibus membris internis, & externis, vexatis, & afflictis. Aduerte autem hunc discessum daemone a puero non solum esse, quia cessabat tunc vexare eum, sed etiam quia re ipsa exibat a corpore illius; non enim continuo manebat, sed ad tempus recedebat, & ad

tempus redibat ad vexandum, quamuis accidat multoties, ut in hominum corporibus permanentes spiritus aliquando vexent, aliquando a vexatione desistant: at in hoc puero non sic factum est, sed ad tempus egrediebatur spiritus a corpore, & ad tempus rediens intrabat, quod Marcus significauit referens verba Christi, quibus puerum sanabat. Increpans ergo daemone, dixit: Ego praecipio tibi, exi ab eo, & amplius non introeas in eum, insinuans solum esse daemone aliquando exire a puero, aliquando reuerti.

Et rogauit Discipulos tuos ut eicerent illum, & non potuerunt.

COMMENTARIA.

Causam adfert vir iste, cur puerum ad Christum attulerit, quia, inquit, rogauit tuos Discipulos, ut sanarent eum, & non potuerunt curare. Soliti erant Discipuli daemonia a corporibus eiicere; supra enim in principio capituli dictum est: Dedit eis potestatem super omnia daemonia, idcirco homo hic Discipulis obtulit puerum, curandum, maiorem tamen de Christo conceperat opinionem, utpote Magistro, & in cuius nomine Discipuli eiiciebant daemonia, ea de causa quem Discipuli non potuerunt curare, magistro obfert curandum, quamobrem, ut supra diximus, Magistrum appellauit. Cur autem Discipuli curare hunc non valuerunt, inferius explicabitur.

Respondens autem Iesus, dixit.

COMMENTARIA.

Homo iste Christi in filium suum misericordiam petiuit: eius calamitatem, ac vexationem multiplicem exposuit; Discipulos Christi non potuisse sanare cum rogarentur, fassus est. Christus ad singula haec respondet.

ANNOTATIO XCIII.

Concordia Evangelistarum.

Mattheus, & Lucas scribunt Christum respondisse, ad quem tamen responsionem direxerit, non explicuerunt: at Marcus distinctius scribens inquit: Respondens eis, dixit: Quae sententia in Latinis exemplaribus habetur in plurali, scilicet, Respondens eis. Graeca vero legunt in singulari, nempe respondens ei, scilicet homini, qui petebat, & loquebatur pro filio. quam lectionem sequitur Euthymius. Et verba Matthei sic etiam interpretatur Hieronymus, quasi vni illi homini Christus sequentia responderit. priori lectioni fauent verba sequen-

tia apud Mattheum, & Marcum: Afferte (inquit) illum ad me, quod verbum indicat Christum ad plures respondisse; posteriori vero lectioni consonant verba apud Lucam, adduc filium tuum ad me, quod vni dictum est. Quae quidem nouam inducunt difficultatem, nempe quomodo Lucas narret Christum dixisse: Adduc filium tuum, caeteri vero scribant dixisse; Afferte illum: dici potest vtramque lectionem veram esse: nam Christus loquebatur cum illo homine, ideo verum est respondisse illi: sermonem autem dirigebat ad turbas, non credentes, sicque verum

verum est respondisse illis. De dubio autem quomodo concordantur illa: Affert filium tuum, & afferte

illum, paulo inferius tractabimus, & hæc omnia consona sunt.

O generatio infidelis, & peruersa.

C O M M E N T A R I A.

Quamuis homo iste cum aliqua fide accesserit Discipulis Domini; nisi enim credidisset eos sanare potuisse, utiq; non rogasset; tamen ea fides debilis fuit, tum quia non admodum firmiter ut debuit, id credidit: tum etiam; quia cum vidisset filium suum non esse sanatum, statim id Discipulorum impotentia adscripsit, nec cogitauit culpa propria ipsius, aliorumue id euenire potuisse; non enim quod non facit homo, id semper euenit, quia non potest. Nec solus iste homo in hoc crimine fuit, sed etiam multi ex turba, & Scribis, ac Phariseis, qui tunc aderant, quorum incredulitas non contra Discipulos solos erat, sed etiam in Christum magistrum redundabat, idcirco Dominus audiens verbum hominis istius (Non potuerunt sanare) & infidelitatem eius, ac Iudæorum considerans, exclamat in eos, ut ad fidem illos inducat. O generatio (inquit) infidelis, & peruersa. Infidelis quidem, quæ argumentis multis conuicta ad credendum, adhuc non credit. Peruersa vero, id est praua, ac distorta, quæ non intendit, nec intuetur ea, quæ debet, auersam habens mentem à vero scopo. Generatio autem, quia non presentibus solis hoc vitium fuit, sed eorum etiam progenitoribus commune; erat enim populus Iudæorum Deo semper incredulus, & contumax, unde Act. 7. dicebat Stephanus: Dura ceruice, & incircumcisi cordibus, & auribus, vos semper resistitis Spiritui sancto, sicut Patres vestri, ita & vos: hac igitur de causa Christus generationem appellat infidelem, & peruersam, ut vitium presentium magis reprehendat.

A N N O T A T I O X C I V.

Reprehensio hæc Christi ad quos refertur. Notant Chrysof. hom. 58. in Matth. & Victor Antioch. Christum, ne conturbaret hominem illum, & in desperationem adigeret, generaliter sermonem reprehensionis ad vniuersum Iudæorum genus direxisse; credibile enim est, multos ex presentibus commotos fuisse, maleq; de Discipulis cogitasse. Hæc recte notata sunt. An autem ab hoc numero Iudæorum Discipuli excipiantur, non explicat Hilarius. Hilarius vero can. 17. in Matth. ad solos Discipulos eam refert reprehensionem, quasi absente Domino non crediderint sanare posse. Mihi probabilius est Iudæos fuisse reprobos simul, & Discipulos, non quidem omnes; nam tres eorum primi cum Christo in monte erant, quando homo iste filium attulit Discipulis sanandum. inducor autem

ad hoc opinandum, de Discipulis quidem, nam postea Christus eos infidelitatis arguit, & in ipsorum incredulitatem retulit, quod puerum non sanauerint. De Scribis autem certum est, qui idcirco conquirebant cum Discipulis Domini. De multis autem ex turba insinuat, cum dicit Christus eis: Afferte eum huc. Communis igitur est reprehensio, sicut & infidelitas, quod sententia sequens aperte indicat. Dominus enim, ut Discipulorum bonam opinionem apud turbas conseruaret, ne Iudæorum sermonibus contra Discipulos consentire videretur, noluit distincte eos infidelitatis arguere, eaq; de causa Iudæos generaliter reprehendit, quorum maior, ac reprehensibilior erat infidelitas.

Vsquequo ero apud vos?

C O M M E N T A R I A.

Quanta sit Iudæorum infidelitas, ac peruersitas explicat, duritiam, ac tarditatem eorum ad credendum arguens: Vsquequo (inquit) ero apud vos, id est, signa, & argumenta operibus, ac verbis sufficientissima, & abundantissima dedi vobis, quibus potuistis, & debuistis iam diu credidisse, quid amplius expectatis? quamdiu me apud vos manere vultis? Exemplum est: Si magister in Discipulum negligentissimum, & centies repetitis doctrinae præceptis, nondum proficientem, inuectus dicat: Vsquequo ero tecum, quamdiu te docebo? Non quod Dominus rædio superatus sit; aut in furoris verba proruperit, sed quod nimiam Iudæorum duritiam, ac pernicitiam significet, hæc verba profert.

A N N O T A T I O X C V.

Superiora Domini verba magis explicantur. **M**atthæus quousque ero vobiscum? Marcus habet, Quamdiu apud vos ero? eundem sensum faciunt cum Luca. Chrysof. hom. 58. in Matth. interpretatur Dominum hisce verbis ostendisse, quam mori sitiret, quantumq; ad Patrem redire desideraret. Non videretur hæc explicatio accommodata satis: nam Christus solum intendebat ostendere, Iudæorum nimiam in credendo tarditatem, ac duritiam, unde non ex mortis propriae desiderio hæc verba procederent.

bant, sed potius ex quadam iusta, & sancta indignatione non contra personas, sed contra vitium earum; ut in exemplo posito in commentario explicatum est. Euthymius in Matthæum dicit Christum esse indignatum, ac mortem quaesuisse, eo, quod illi essent in infidelitate immedicabiles. Hæc expositio quæ parte continet, Christum indignatum esse contra infidelitatem Iudæorum, probanda est; qua parte vero in ea dicitur, Christum mortem quaesuisse, non videtur

detur, accommodata, ut diximus de expositione Chrysof. Adde etiam, quod non omnes Iudæi immedicabiles erant; crediderunt enim multi. Hieronymus autem dicit Dominum ad modum medici operam perdentis in infirmo ipsius culpa, iratum vitio non homini hæc dixisse. Hieronymi verba sunt: Non quod rædio superatus mansuetus, ac mitis, qui non aperuit, sicut agnus coram tondente, os suum, nec in verba furoris eruperit: sed quod in similitudinem

medici, si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat vsquequo accedam ad domum tuam? quousque artis perdam industriam, me alium iubente, te aliud perpetrante? in tantum autem non est iratus homini, sed vitio, & per vnum hominem Iudæos arguit infidelitatis. Hæc Hieron. Huic expositioni accedit ea, quæ in commentario posita, alteroque exemplo illustrata est.

Et patiar vos?

C O M M E N T A R I A.

Non solum erant Iudæi ad credendum tardi, ac in infidelitate pertinaces, sed etiam erant Christo molesti, verbis, & factis iniuria eum afficientes, eumque persequentes, quæ omnia tolerabat patientissime Christus propter eorum salutem, expectans respicientiam ipsorum, ac fidem. ob id dicit: Vsquequo patiar vos? Molestias mihi illatas à vobis, quamdiu pro vestra salute sustinebo? Non quod impatientia aliqua Christus teneretur, hoc dicit, sed quod nimiam Iudæorum ingratitude, ac iniquitate argueret, qui non solum Magistro continue docenti non credebant, sed etiam pro eorum salute multum laboranti insultabant. Hæc sententia respondet illi, O generatio peruersa, sicut prior illi, O generatio infidelis, quasi diceret: Vsquequo expectabo vestram incredulitatem, & sustinebo vestram peruersitatem? Exemplum. Si ille Discipulus, de quo in commentario præcedenti diximus, non solum non disceret, magistro omnem operam adhibente, sed eundem etiam magistrum afficeret iniuriis, tunc diceret magister, quousque te docebo, & quousque te patiar?

A N N O T A T I O X C V I.

Chrysofomus hom. 58. in Matth. notat Christum his verbis ostendisse, quod non sibi esset tam molesta passio sua, quam cum huiusmodi hominibus conuersatio. coniuncta est hæc expositio cum expositione præcedentis sententia: at ut ibi nos diximus,

nihil de morte, ac passione sua Christus in veraque ista sententia significare intendebat, sed tantum infidelitatem, ac peruersitatem Iudæicam nimium continuatam, ac pertinacem indicat.

in Adduc filium tuum.

C O M M E N T A R I A.

Ne Christus videretur rædio affectus, ac illorum incredulitate, ac peruersitate superatus, cum re vera non esset, ad misericordiam se conuertit, ac eos ad credendum excitare prosequitur, miraculo facto, quo non solum Patris, ac filij misertus est, sed etiam ad credendum, & ipsis, & cæteris Iudæis efficacissimum præbuit argumentum. Adduc (inquit) filium tuum, significans se velle eum sanare. Erat autem filius remotior à Christo, quam pater, qui propius accesserat ad loquendum, idcirco Dominus dicit: Adduc filium tuum. Non autem dixit statim, sanus sit filius tuus, sed adduci ad se iussit: tum ut se miraculi auctorem magis ostenderet: tum ut patris, & filij modicam fidem prius detegeret, ac efficacius fieret miraculum, tam ipsis, quam cæteris ad credendum.

A N N O T A T I O X C V I I.

Difficultas est, quomodo hæc sententia concordet cum illa, quæ est apud Matthæum, & Marcum; referunt enim Christum dixisse: Afferte huc illum ad me, & Marcus addit (& attulerunt eum.) Quæ verba ad turbam referuntur, non ad solum patrem, ut videtur Lucas dicere. Nec responderi potest, numerum pro numero positum, ut aliquando Scriptura facere solet: nam verba cætera sunt dissimilia, nempe: Adduc filium tuum, & Afferte illum, diuersisq; conuenire videntur, idcirco dicendum est vtrumq; à Christo dictum esse. quod ut explicetur, rei gestæ series notanda est. Primo quidem Christus iussit patri pueri, ut filium adduceret, quod Lucas dicit: Adduc filium tuum, quod ille fecit, reuertens ad locum in quo puer erat, dumq; puer adduceretur ad Christum, tunc elisit illum

dæmonium, & torquere incœpit; impediēbat enim dæmon, ne propius accederet, timens Christi virtutem, quam contra eum exercendam non dubitabat, quod etiam Lucas statim narrat, dicens: Et cum accederet, elisit illum dæmonium, & dissipauit; est enim notandum participium Græcum præsentis temporis *αγοραζων*, *αγοραζων*, id est, eo accedente, quod significat accessus continuationem, ac si diceretur: Cum adhuc accederet, sic enim quidam verterunt, legiturq; apud Euthymium, quod Christus videns, dixit adstantibus: Afferte illum ad me, id est, facite, ut prope accedat; non enim solum pater virtutem dæmonis resistentis poterat superare, idcirco Dominus turbæ, ut auxiliū præstaret, præcipit. Et hoc est, quod Matthæus, & Marcus dixerunt, sicq; cōcordia in hac parte inter Euāgelistas manifesta est.

Et cum accederet, elisit illum dæmonium, & dissipauit.

C O M M E N T A R I A.

Dum puer à patre adduceretur, dæmonium elisit illum, in terram prosterneudo, & corporis membra ad terram allidendo. Dissipauit etiam eum, id est, lacerauit, seu dilaniauit, quod ad internam vexationem, & dolorem membris incussum refertur.

Ex vna parte intendebat dæmō impedire, quo minus accederet Christo: Ex altera vero diuina prouidentia id permittebat: tum ob pueri paruam fidem, quia minus quam par erat, credens, accedebat: tum vt morbi vi cognita ab omnibus euidentior fieret virtus, ac diuinitas sanantis, & ad credendum potentius excitarentur.

ANNOTATIO XCVIII.

Marcus habet, cum vidissent eum, nempe cum puer vidit Iesum incipiens accedere, tunc dæmon conturbauit eum, & elisus in terram volutabatur spumās. Hæc Marcus. Annotatione autem præcedenti notauimus Græce illud: Cum accederet, esse participium præsentis, significans actionem nondum consummatam, scilicet dum accederet, seu cum adhuc

accederet, quod aduertendum est, & ad concordiam Euangelistarum, & ad sensus explanationem, receptamque rei gestæ intelligentiam. Moralis doctrina traditur, dæmonem quatum potest impedire conatus eorum, qui Christo accedere, & eius fidem recipere, ac præcepta amplecti volunt; illius tamen conatus Deus infirmat, & ad maiorem sui gloriam prodesse facit.

Et increpauit Iesus spiritum immundum.

COMMENTARIA.

Reprehendit Christus dæmonem, quasi iniqua voluntate vexantem puerum, ac impedimenta ponentem, ne accederet ad sanitatem recipiendam: dicitur autem spiritus immundus, quia immunditie proprii peccati maculatus est, & quia homines ad peccatorum immundities incitat, & sollicitat.

ANNOTATIO XCIX.

Prætermiserunt Lucas, & Matthæus, quæ Marcus distincte, & copiose narrat: postquæ enim turbæ cum pueri patre attulerunt puerum à dæmone conturbatum, & vexatum, inquit Marcus: Christus interrogauit patrem, quantum temporis est ex quo hoc ei accidit? At ille ait ab infantia, & frequenter eum in ignem, & in aquam misit, vt eum perderet (sed) si quid potes, adiuua nos misertus nostri. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamās pater pueri, cum lacrymis aiebat: Cre-

do Domine, adiuua incredulitatē meā: & cum vidisset Iesus concurrentē turbam, cōminatus est Spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamās, & multū discerpēs eū exiit ab eo. & factus est, sicut mortuus, ita vt multi dicerēt, quia mortuus est: Iesus autē tenēs manū eius eleuauit eū, & surrexit. Hæc omnia Marcus: Quorū explicationē præmittimus, tū quia aperta sunt: tū quia ad initium nostrum non videntur facere, qui Lucam interpretamur.

ANNOTATIO C.

Vnt hoc in loco aliquot dubitationes explananda. Prima est, quid verbum increpandi significet; licet enim supra id explicuerimus, breuiter tamē aliqua repetenda sunt. in primis Græce est verbum ἐπιτιμῶ, quod idem est apud Marcū, & Matthæū, hoc autem loco interpret vertit (increpauit) similiter in Matthæi versione: apud Marcū autē dicitur: Cōminatus est. Euthymius in commentariis Matthæi explicat idem significare, quod (præcepit) cui expositioni fauere videtur, quod Marcus scribit; cum enim dixisset (cōminatus est spiritui immundo, dicens) statim explicans, quæ sit cōminatio, seu increpatio, adiunxit, (Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi) igitur increpatio, seu cōminatio fuit præceptum illud, quo præcepit dæmoni exire ab homine. At vero, magis pla-

cet, vt hoc in loco acceptum sit pro (obiurgauit,) seu reprehendit, ac inculcauit, idque cum quadam maiestate, ac potestate, ideo dicitur, quod cōminatus est, in eaq; obiurgandi significatione interpretatur: Hieronymus in commentariis Matthæi, locus autem Marci pro hac expositione facit: nam verba expriment, de quo sit reprehensus dæmon: Surde, inquit, & mute spiritus, quasi diceret, de hoc te arguo, & increpo, quod mutum, & surdū feceris puerū hunc: postea additur præceptum (ego præcipio tibi) quod ad explanationem præcedentis cōminationis, seu increpationis pertinet; si enim id intenderet, vltus esset eodem verbo: at Latine, & Græce, illa (cōminatus, & præcipio) distincta sunt verba.

ANNOTATIO CI.

Altera dubitatio est, quis sit iste, qui increpatus sit à Domino. Difficultas autē non est apud Marcum, & Lucam; aperte enim dicunt spiritum immundū esse increpatū; apud Matthæū vero ambiguus est sermo: nam dicitur, increpauit illum. Quod relatiuum Græce potest referri ad dæmonē, & ad puerū, Latine vero ad solū puerū refertur; nam sic habetur. Afferte illum ad me, & increpauit illū, & exiit ab eo dæmonium. Constat autem non esse eiusdem generis relatiuum (illum) & (dæmonium) præterquā quod coniunctus est sermo (Afferte illum, & increpauit illum) qui puerō soli conuenit. Adde etiam quod non præcessit aliud antecedens, nisi (filio meo) Hac de causa varij sunt Doctores. Primo loco Theophylactus Matth. 17. ad solū puerū refert. Secundo loco Hilar. can. 17. in Matth. ad solū dæmonē. Tertio loco Hieronymus in verbis Matthæi vtramque complectitur interpretationem. de priori, scilicet, quod dæmon sit increpatus, inquit sic: Non ille, qui patiebatur, debuerat increpari, quasi vellet Hieronymus dare rationem, cur non puer, sed dæmon sit increpatus, quia ille patiebatur, hic au-

tem agebat. De posteriori subdit, siue (inquit) increpauit puerum, & exiit ab eo dæmon, quia propter peccata sua à dæmone fuerat oppressus. Quarto loco Euthymius verba Matthæi ad solū puerum refert, fatetur tamen vtrumque, increpatū, nempe dæmonem, & puerum: illum apud Lucam, & Marcum; hunc vero apud Matthæum; dicit enim vtrique Christum præcepisse (sic enim Euthymius verbum Græcum interpretatur, vt supra diximus) dæmoni quidem vt exiret, puerō, vt respiceret. Huic vltimæ expositioni fauent verba Euangelistæ: nam cū dicitur apud Matthæum: increpauit illum, non præcessit antecedens aliud, nisi quod de puerō dictum est, afferte illum ad me. Hoc tamen argumentum non est multum efficax, quia phrasis Hebræa est, præponere relatiuum antecedenti, sicque dictum est, increpauit dæmonem, & ille exiit à puerō. Quod autem me magis mouet, est auctoritas vulgati interpretis, apud quem non potest accommodari hæc phrasis, cum relatiuum sit feminini generis, dæmonium autem neutri, vnde necesse est ad solū puerum referri verba Matthæi. Adde

Adde etiā, quod ista Hebræa phrasi non videtur Scriptura, quādo ambiguus sermo efficitur, et deseritur cōmunis sensus; cum enim sermo præcesserit de puerō, nō debuit relatiuū præponi antecedenti sequenti: quia tunc refertur ad id, quod præcessit. Propterea existimo reprehensionē cōmunem fuisse, & puerō, & dæmoni: puerō ob modicam fidē eius, sicut & patris: dæmoni vero propter iniquam vexationē, vt diximus in cōmentario. Interpretationē pueri Matthæus retulit, dæmonis autē Marcus, & Lucas, sicque cōsentio Euthymio. Vtramque reprehensionem etiā Hierony-

mus probat, in hoc diuersus ab Euthymio, quōd verbis Matthæi applicat, quāuis non id distincte scribat, & fortasse ad Marcum & Lucam respexit. Difficultas autē occurrit, si puer ob paruā fidem eius vexatus est, quare dæmon reprehenditur? Respondeo Deū iuste puerū ob paruā fidē punisse, permittēdo dæmoni, vt vexaret; dæmonē vero inique egisse, quia mala voluntate id exequatur, nō ex zelo iustitiæ, sed ex odio cōtra hominē; nō vt voluntati Dei obediret, sed vt noceret. de qua re plura diximus in cōmēt. in Ioā. fuisse autem puerū incredulū, affirmat Euthy. Mar. 9.

Et sanauit puerum.

COMMENTARIA.

NON ad solam dæmonis eiectionem hoc spectat, sed etiam ad liberationem à malo, quod dæmon exiens puerō intulit; vt enim ex Marco habemus, exiit dæmon, mutum discerpens puerum ita, vt factus esset velut mortuus, & multi dicerent, quia mortuus est.

ANNOTATIO CII.

Matthæus dicit, curatus est ex illa hora. Marcus autem refert sic: IESVS tenens manū eius eleuauit eum, & surrexit. explicat etiā idē Euangelista perfectā dæmonis eiectionē: nam sic dicit expulsus, vt non amplius in eū intrauerit; Exi (inquit) ab eo, & nō amplius introeas in eū. Moralis doctrina est, sæpe hominē à peccato liberatū, propter quod dæmon in

eo inhabitabat, manere velut mortuū, nō quidē verē mortuū, cū viuat per gratiam ei datam, sed propter malos habitus ex peccatis præcedentibus remanentes, & propter passionū, & affectuū turbationem, & motū, quæ nō statim sedantur, nec habitus mali remouētur sine noua curatione, quæ fit bonorū operū exercitio, & studio, diuina cooperante gratia, & virtute.

Et reddidit eum patri eius.

COMMENTARIA.

NE videretur Christus ob suam vtilitatem miracula facere, puerum sanatum patri reddidit, vt qui filij ab eius infantia vexationem, & infirmitatem sustinuerat, eius iam perfecte liberati opera, ac sanitate frueretur: quæ enim Deus bona hominibus confert, in eorundem cedunt vtilitatem; gloria tamen Christi erat, quò homines ad eius fidem traherentur.

Stupebant autem omnes in magnitudine Dei.

COMMENTARIA.

QUI miraculum viderunt, mirabantur magnitudinem potentia diuinæ in Christo operantis, id est, quā magna, & insignia Deus per Christū operabatur; non enim credebāt eū Deum esse: si enim credidissent, in magnitudine eius stupuissent; diuinā tamen per eum fatebantur potentia, ac virtutē operari. mirabantur autem, quod talia, ac tanta per ipsum Deus faceret. Isti non adscribebant virtuti dæmonis miraculum hoc, sicut illi, qui dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia; Hi vero fatentur in Dei virtute expulisse dæmonium, & puerum sanare.

Omibusque mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad Discipulos suos.

COMMENTARIA.

AD alia narranda transit Euangelista, nec hæc sententia cōnexionem habet cum præcedentibus, quasi continuo hæc admiratio facta sit, ac puerum sanauit, sed ad alia gesta refertur, quæ paulo post operatus est in Galilæa, quæ admirati sunt omnes, qui ea viderunt, & audierunt; quibus tunc mirantibus dixit ad suos Discipulos, quæ sequuntur. Prouidenter, ac sapienter, dum populi magnalia Christi narrant, & admirantur, ipse suos Discipulos de futura passione sua præmonet, vt sic significet eam ex mysterio. Deique prouidentia futuram non ex propria culpa; non enim qui tanta operabatur, pati potuit culpa propria, aut imbecillitate.

ANNOTATIO CIII.

Multa Lucas prætermisit, quæ Matthæus, & Marcus, statim gesta narrarūt, referūt enim sic, ne post miraculū factū, cū introisset in domū, Discipuli interrogabāt eū secreto: quare nos nō potuimus eicere eum, scilicet (dæmonē à puerō) dixit illis IESVS; propter incredulitatē vestrā. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, di-

cetis monti huic; transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus dæmoniorum non eiicitur, nisi per orationem, & ieiuniū. Et inde profecti prætergredebantur Galilæam. Hæc ex Matthæo, & Marco, quibus connectuntur, quæ nunc narrat Lucas, eademque illi duo Euangelistæ referunt, atque hæc est historia, series.

Increpare quid significet.

Quis fuerit à Christo increpatus, spiritus malus, an puer ab illo vexatus.

Historia serena.

Dæmonis m. lita.

Ponite nos in cordibus uestris sermones istos.

COMMENTARIA.

Quæ dicturus erat, alta mente retineri præcipit; sensus ergo est, quæ modo dicam vobis, diligenter auscultate, & memori mente tenete, ac conseruate. Habet autem emphasim illud (vos) quasi diceret, alijs recognoscentibus, & mirantibus magnitudinem miraculorum, vos cogitate humilitatem passionis, & mortis meæ, & eius mysterium percipite. Quæ de passione, ac de morte sua Dominus prædicabat, à Discipulis attendi, ac conseruari voluit, vt cum euenirent, minus offenderentur, ac scandalizarentur, recordari præuisa iam ante à Domino, ideoque voluntarie suscepta, & ex mysterio, non ex imbecillitate, aut culpa illata.

ANNOTATIO CIIII.

Græca legunt: Ponite in auribus uestris, id est, auscultate diligenter; at quia non solas aures exteriores, sed etiam interiores Dominus postulabat, idcirco interpres sensum secutus vertit (in cordibus uestris) aut quia fortasse in exemplari, quo utebatur, Græco, ita legit, quod verisimilius est. Sensus autem non mutatur, siue hoc, siue illo modo legatur. Quod vero ad sensum spectat, Euthymius interpretatur hos sermones esse eos, de quibus in hoc capite locutus est, nempe quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & cætera. Mihi ista expositio improbabilis videtur: nam illi sermones, etiam in hoc eodem capite narrati sunt ab Euangelista, tamen multis diebus ante habitis sunt, vnde non potuit

dici, ponite sermones hos. Quidam recentiores referunt ad id, quod præcessit, scilicet: Omnibus mirantibus in ijs, quæ faciebat, vt sit sensus: ponite in cordibus uestris sermones laudantium, & mirantium opera mea, ne turbemini in passione mea futura. Nec hæc expositio accommodata est, potius dicendum erat, ponite in cordibus uestris facta mea miranda. Dicendum ergo intelligi debere de ijs, quæ sequuntur, quæque illis aperuit post hoc, quasi diceret: ponite sermones, quos modo dicam, in cordibus uestris; sunt quidem de passione, & morte, sicut & illi, non tamen sunt iidem, ideoque repetuntur, vt noscant Discipuli, de quibus loquatur sermonibus, nam illi priores iam diu habiti erant.

Filius enim hominis, futurum est, vt tradatur in manus hominum.

COMMENTARIA.

Hic sunt sermones, quos Christus vult, ac iubet Discipulos in suis ponere cordibus, nempe futurum esse, vt is tradatur in manus, id est, potestatem hominum, scilicet Iudæorum, & gentium, de quibus dictum est Matth. 26. Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Fuit autem hæc manus, & potestas, vt ei malum inferrent, ipsumque occiderent. Particula (enim) causam continet, cui sermones ponendos velit in cordibus, cætera verba pertinent ad sermones ipsos.

ANNOTATIO CV.

Matthæus cap. 17. magis, & distinctius hos sermones à Christo habitos exposuit, inquit enim sic: Dixit illis IESVS: Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occidetur, & tertia die resurget. Marcus autem sic habet: Docebat Discipulos suos, & dicebat illis, quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occidetur, & tertia die resurget. Dubitatio est, à quo dicitur tradendus Christus in manus hominum. Aduerte Christum vt hominem dici traditum à multis. Primo à Patre Rom. 8. qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quæ traditio fuit ordinatio, ac dispositio, qua Deus pro sua bonæ voluntate decreuit filium suum hominem factum in hominum redemptionem sustinere mortem, ac passionem ab hominibus inferendam, eamque non impedire, sed permittere. fuit hæc traditio ex summa dilectione Dei erga hominem Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Secundo dicitur Christus vt homo, traditus à se ipso, de qua traditione dicitur Ephes. 5. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam in odorem suauitatis. Fuit enim hæc traditio voluntaria Christi hominis acceptatione passionis, & mortis, quæ tunc erat ex Patris voluntate, & in hominum salutem: non enim ex necessitate mortuus est, aut ex infirmitate, sed voluntate. Isa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit, & Ioan. 10. Nemo tollit animam meam à me, ego pono eam. Fuit hæc traditio ex dilectione Christi erga Patrem, & erga homines. de illa scriptum est Ioan. 14. Vt cognoscat mundus, quia diligo

Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, & eamus hinc. De hac vero habetur Galat. 2. Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Prior dilectio causa erat posterioris. Non solum autem ex dilectione Christi hominis fuit hæc traditio, sed etiam ex obedientia erga Patrem, quod loco Ioannis citato significauit ipsemet Christus, quia diligo (inquit) Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Docuit hoc idem Paulus Philip. 3. Factus (inquit) obediens Patri vsque ad mortem, quo verbo insinuat voluntariam mortis acceptationem, in ea enim consistit ratio obedientiæ. Tertia traditio fuit à Iuda, hic tradidit Christum Iudæis, Scribis scilicet, & Principibus Sacerdotum; de qua traditione dictum est Matth. 20. Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis. & Matth. 26. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam. Hæc traditio iniuræ, & impia fuit, ex auaritia procedens, lucri enim cupiditate Magistrum tradidit, idcirco nomen traditoris obtinuit. Marc. 14. Traditor (inquit) dedit eis signum. Quarta traditio fuit ipsorum Principum, & Iudæorum; tradiderunt enim Christum Pilato, & gentibus, de qua dictum est Ioan. 18. Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi. Fuit autem hæc traditio omni iniquitate, iniustitia, ac impietate plena, quia ex odio, & malitia processit, & in hoc peior, quam quæ facta est à Iuda: nam hic non tradidit Christum Iudæis eo animo, vt occideretur, immo vnouit damnatum morte, conatus est impedire mor-

Qui sint sermones, quos Dominus Discipulis præcipit mente retinere.

A quo dicatur Christus in manus hominum tradendus.

tem penitentia, & restitutione pretij, & confessione iustitiæ Christi. Matth. 27. Videns Iudas, qui tradidit eum, quod damnatus esset, penitentia ductus retulit triginta argenteos, dicens: peccauit, tradens sanguinem iustum. At vero hi Iudæorum primi tradiderunt Christum animo occidendi; dicitur enim Matth. 20. de principibus sacerdotum: Tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. quæ verba significant illos eo animo tradidisse. nec eos penituit post factum, qui Pilato dixerunt; Seductor ille, cum viueret, dixit, post tres dies resurgam, iube custodiri sepulchrum; & pecuniam dederunt custodibus, vt veritatem resurrectionis occultarent.

Quinta traditio est, qua Pilatus tradidit ministris crucifigendum Christum, voluntati, ac petitioni Iudæorum consentiens, de qua dicitur Ioan. 19. Tradidit eum illis, vt crucifigeretur. quæ minus peccatum fuit, quam Iudæorum traditio; illa enim ex ti-

more, & cum iustitiæ Christi confessione facta est; hæc vero ex impia, & iniusta malitia. Vnde Ang. in expos. psal. 63. comparans vtramque culpam, & Pilati, & Iudæorum, inquit: In comparatione eorum Pilatus multo fuit innocentior. Idem affirmat Cyril. lib. 12. in Ioan. cap. 27. cum igitur tot traditiones, ac tam diuersæ sint, quæret quispiam, de qua sit sermo præsens. Et quidem non de ea sola, quæ facta est per Iudam, vt quidam recentiores putant, intelligi debere, verba Matthæi, & Marci indicant: Occident inquit, eum; Iudas autem non tradidit Christum, animo occidendi. existimo ergo generaliter intelligendam omnem prædictâ traditionem, tam bonam, quâ malam, omnis enim traditio conuenit in Christi passione, & morte, eaque de causa sermo vniversalis est, & indefinitus; tradetur, inquit, in manus hominû, Deo sic disponente, Christo acceptate, & volente, Iuda vedente, Iudæis tradentibus Pilato, & hoc consentiente, & sententiam ferente, & executionem cõpleri mandante.

At illi ignorabant verbum istud.

COMMENTARIA.

Discipuli horum verborum nudam significationem concipiebant; mortem, ac passionem Christi apprehendentes, mysterium verò Crucis non assequiebantur, nec intelligebant, quanta bona, & ipsis, & toti mundo in hac morte posita erant; idcirco dicuntur verbum ignorasse. Non autem dicitur (ignorarunt) sed (ignorabant) quia non modo nunc, sed nec alias à Christo verba similia prolata, vt in hoc capite narratum est, perceperant. Verbum enim est temporis imperfecti, ad indicandam ignorationem inceptam, & perdurantem.

ANNOTATIO CVI.

Quomodo hinc Domini sermonem dicantur Discipuli ignorasse.

Difficultas est, quomodo dicti sint Discipuli ignorasse sermonem hunc Domini, & difficultatis causam augent verba Matt. 17. nam post Christi verba refert Discipulos contristatos fuisse. qua ergo ratione, si non intellexerant, contristari potuerunt? tristitia supponit cognitionem mali, de quo contristari contingit. Hanc ignoracionem Doctores variè interpretantur. Primo loco Euthymius Matt. 17. non ad mortem, sed ad resurrectionem refert, vt verbum de morte perceperint, de Resurrectione verò tertia die futuram sensum non sint assecuti, sicque difficultati propositæ ex verbis Matthæi, & Lucæ respondet: Contristati (inquit) sunt de mortis verbo; verbum autem resurrectionis non intelligebant, sed ignorabant. Hæc expositio videtur mihi non posse accommodari: nam Lucas non facit mentionem, nisi de sola morte, sed adiungit (ipsi ignorabant verbum hoc) igitur ignoratio referenda est etiam ad mortem, aliter verba Lucæ non possunt verificari.

mortem hanc non duraturam, & mille allaturâ bona penitus ignorabât, cum qualis illa futura esset resurrectione, non intelligerent. dolebant ergo. quia valde Magistrum suum diligebant. Hæc Chrysost. adiungens Discipulos audientes Christum passurum Hierosolymis, nec videre quidè illâ vrbè voluisse. Cõplectitur igitur vtrâque expositione ista Chrysost. interpretatio.

Secundo loco Hilarius can. 17. in Matth. accommodatius loquens, dicit Discipulos cognitionem mortis habuisse, ideoque moestitia fuisse affectos, tamen sacramentum in eundem mortis virtute resurrectionis non esse assecutos, quasi diceret: intelligebant Christum significare se moriturum, ac passurum, & resurrectionem, tamen non intelligebat mysterium huius mortis, & resurrectionis, nempe mortem Christi esse in mundi redemptionem, & ipso surgente Euangelium prædicandum in remissionem peccatorum, & reconciliationem hominum cum Deo, & in consecutionem vitæ æternæ. Contristati igitur sunt de morte, & mysteria per mortem futura ignorabant. Illud Matthæus, hoc Lucas docuerunt.

Quarto loco Beda in præfati commentario, dicit Discipulos non intellexisse Christi mortem, psuamque moriturum, sed existimasse per parabolam quâdam loqui, sicut solitus erat: Carnales, inquit, adhuc, & mysterij crucis ignari, quæ Deum verum cognouerunt, moriturum credere nequiuert; & quia per figuras eum sæpe loquentem audire solebant, etiâ quæ de sui traditione loquebatur, figurate aliud significare putabât. Hæc Beda. Cui expositioni opponi potest verbum, Matthæi allegatum in principio; si enim non intellexerunt moriturum, quo modo contristati dicti sunt?

Tertio loco Chrysost. hom. 59. in Matt. vtramque interpretationem probat, & priorè, cui adhuc Euthymius, & posteriorè, quam secutus est Hilarius, collatis enim verbis Matthæi, Marci, & Lucæ, inquit sic: Atqui quo modo ignorantes contristati fuerunt? quia videlicet moriturum eum non ignorabant, sed

Quinto loco quidam recentiores ad distinctos Discipulos referunt, vt quidam non ignorauerint, & hi contristati sint; quidam verò ignorauerint, nec contristati sunt. Hæc expositio videtur accommodata; indistincte enim Euangelistæ de Discipulis loquuntur. Dicendum igitur existimo cum Hilario, & partim cum Chrysostomo, scilicet Discipulos dictos esse ignorasse verbum de passione, morte, & resurrectione, quia mysteria horum ignorabant, neque assequiebantur causas & fines, ac vtilitates, ad quæ ista assumebantur; sed simpliciter verba intelligebant, quantum ad purâ eorum significationem, quod est corticem litteræ attendere, non autem spiritum; idcirco vehementer contristati sunt, sicut homo contristari solet de morte, ac passione alicuius sibi chari, nõ aliud cogitans, quam passionem, & mortem eius, quem diligit. Hunc sensum habent ea, quæ paulo ante Matth. 16. Christo cû Petro euenerunt; prædicanti enim oportere se multa pati à Senioribus, & occidi, respõdit Petrus: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. percepit Petrus, quid Christus diceret, nouitque eum

significare, se passurum, & occidendum, & de hoc reprehendere Christum tentabat, quasi posset si vellet talia effugere, cumque hoc intelligeret, audiuit à Christo: Non lapis ea, quæ sunt spiritus, id est, verborum corticem capis, non spiritum, nec assequeris, quantum interest me pati, & quam necessaria sint ista totius mundi saluti. Ignorabat ergo Petrus verbum Christi, licet intelligeret verborum significaciones; ita nunc Discipuli ignorasse dicuntur, quia ignorabant mysteria, & nudas res considerabant, idcirco, indicantes indignum Christo pati, & mortem malum

Et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud.

COMMENTARIA.

Ignoracionis causam in diuinæ prouidentie dispensationem Euangelista refert; Erat (inquit) verbum hoc contextum, & coopertum, ut illud non agnoscerent. Metaphora vtitur, sicut si aliquid ante oculos ponatur velatum, ut videri, seu sentiri nequeat; sic verbum hoc, quod ante eos erat, quia significabatur eis verbis apertis, velatum est nempe à diuina prouidentia, ut non videretur ab eis, nec intelligeretur.

ANNOTATIO CVII.

Est notauit Euthymius in huius expositione sententia apud Mat. cap. 17. diuinam hic ostendi prouidentiam, causam etiam exprimens; sic enim ait: Diuina autem dispensatione occultabatur ab illis verbi cognitio, tamquam ab imperfectis, & qui necdum poterant ad supernaturale eius penetrare mysterium. Hæc ille. Quæ doctrina vera est, & conformis Scripturæ; dicitur enim Ioan. 16. Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Vnum horum, quæ portare tunc non poterant, fuit crucis, ac mortis mysterium, qualiter mors, ac passio satisfactio futura erat pro omnium hominum peccatis, ac per eam reconciliandi Deo, & cælum aperiendum dæmonio superato; expectandus enim erat aduentus Spiritus sancti, quo & Discipulorum mentes illustrarentur, & affectus inflammarentur: recte igitur dicitur ob imperfectionem, ac ruditatem illorum diuina prouidentia occultatum fuisse verbum hoc. Non solum autem diuina prouidentia occultauit, & abscondit verbum istud, ob Discipulorum imperfectionem,

Et timebant eum interrogare de hoc verbo.

COMMENTARIA.

Adierant paulo ante Petrum reprehensum à Christo, quia de sua passione loquenti se opposuerat, idcirco non audent interrogare de verbo hoc, scilicet causas, & finem mortis, ac passionis huius inquirendo, ne forte & ipsi arguantur: aut etiam quia vehementi erant affecti tristitia, & interrogare timent, ne forte audiant, quod eorum augere possit dolorem, malentes ignorare, quam dum id scire tentant, quod magis displiceat intelligant.

ANNOTATIO CVIII.

Victor Antiochenus tres adfert causas, cur Discipuli interrogare timuerunt. Non inquit interrogant, siue quod nimia animi tristitia preffi non possent; siue etiam quod metu impediti non audent; sæpe enim eum nolle disertis verbis aliquid exponere animaduertunt, silent omnino. Hæc ille. Tristitia igitur, timor, atque animaduersio, quod Christus explicare nolle, effecerunt, ne interro-

Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset.

COMMENTARIA.

Connexa est sententia superioribus: profectus enim Christus de illa domo, in qua interrogatus à Discipulis, eorum incredulitatem reprehenderat, venit Capharnaum, & in via cogitatio intraffe dicitur in Discipulos, de primatu inter eos, occasione accepta, quia tres in monte cum Domino ascenderant cæteris relictis; & quia paulo ante soli Petro clauis regni cælorum fuerant promissæ. Humanum in hoc passi sunt Discipuli, nondum enim perfecti, adhuc terrena sapiebant.

ANNO-

Diuina prouidentia hoc verbum occultatum fuit Discipulis, & hoc ob aliquas causas.

Cur Discipuli timuerunt interrogare Christum de verbo hoc.

ipsi putantes, contristantur valde præ dilectione erga Christum, ut dicit Hieronymus Mat. 17. adeoque mor; hæc displicebat, ut nullam consolationem de resurrectione breui futura reciperent, nec quod Petrus increpatus fuerat; nec quod Elias, & Moyses de ea tractauerint, quasi de re gloriosa, ut recte hæc omnia notauit, & ponderauit Chrysof. hom. 59. in Mat. qui sic mortem Christi cogitabant, recte dicuntur ignorasse, cum quod bonum sibi, & omnibus, & ipsi Christo erat, detrimentum, ac malum quoddam existimabant.

sed alijs etiam de causis, quarum vna fuit, ut Spiritus sancti magisterium magis claresceret, plurimique fieret, per quod tam altum, & diuinum secretum reuelatum est. Vnde Act. 1. Discipulis adhuc ignorantibus, & interrogantibus; Si in tempore hoc reitruerit Regnum Israel? dictum est: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem Spiritus sancti in vobis. significans reueratam mysterij reuelationem Spiritui sancto, de quo dicitur Ioan. 16. ille me clarificabit. Hinc sequitur particulam illam (ut) non confecutionem, sed finem indicare, quasi dictum esset, absconditum est à Deo verbum hoc, ne penetraretur, nec intelligeretur à Discipulis. potest esse etiã sensus hic, ut æquialeat particulæ (ita ut) quasi dictum esset, velatum est verbum ita, seu adeo, ut non sentirent illud. melior est expositio prior, diuino namque consilio absconditum fuit verbum ob prædictas causas.

ANNOTATIO CIX.

Vidam recentiores nomē græcum διαλογισμὸς non cogitationem, sed disceptationem, quæ verbis fit, vertendum censent, quasi diceretur: Incidit disceptatio inter eos, quis eorum esset maior. Vetus tamen interpres rem melius, ac verius considerans, vertit cogitationem, quæ ad actum mentis pertineret. quam versionem manifesto probant verba sequentia, in quibus repetito vocabulo dicitur, (Videns cogitationes cordis eorum) illud (cordis eorum) ostendit, non disceptationem, quæ verbis fit, sed cogitationem, quæ ad mentem spectat, interpretandum

At IESVS videns cogitationes cordis eorum, apprehendit puerum.

COMMENTARIA.

Vidit Dominus cordis cogitationes in primatus ambitione positas; doctrinaque humilitatis voluit eas remouere, ac exemplo sensibili vtēs, paruulū ante se collocavit, super quem dogma suum factum confirmat, & ambitionem illorum reprimit, non tã ad interrogata Discipulorum, quam ad eorum mentem, cogitationesque respondēs.

ANNOTATIO CX.

Non parua difficultas est dicta Euangelistarum concordare in hac parte, nam Matthæus c. 18. habet Discipulos accessisse ad Dominum, dicentes; Quis putas est maior in Regno cælorum? tuncque IESVS aduocauit paruulum. Lucas autem dicit Christum vidisse cogitationes cordis illorum, & paruulum tunc apprehendisse. Marcus cap. 9. dicit Christum vocasse ad se duodecim, cum Matthæus referat eos accessisse; immo Marcus scribit Discipulos tacuisse Christo interrogante. Laborat multi in his concordandis. Omnibus autem diligenter consideratis mihi visa est perfecta concordia hæc, quæ sequitur. Ab illa domo in qua Discipulos reprehederat incredulitatis, & de passione, & morte sua locutus erat, profectus est Capharnaum, quod Matthæus & Marcus dicunt; in via autem incidit cogitatio in eos, quis eorum maior esset, ut habet Lucas: non solum autem cogitarunt Discipuli in se ipsis hoc, sed etiam inter se disputarunt, ut habetur ex Marco; post hæc peruenerunt Capharnaum, & tunc factum est, quod narrat Matthæus in fine cap. 17. nempe postquam intrarunt in ciuitatem, & antequam domum ingrederentur, occurrerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum dicentes: Magister vester nõ soluit didrachma? Ait illis Petrus, etiã: & cum intrassent domum, præuenit eum IESVS dicens, quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi IESVS. ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te. Hæc ex Matthæo habemus. Hoc audito verbo, & Petrum sibi præponi existimantes, maiori ambitione excitatur, & sequitur, quod narrat Matthæus in principio cap. 18. in illa hora accesserunt Discipuli dicentes: Quis putas maior est in Regno cælorum? Interrogatio fallax erat, & simulata: nam intra se cogitabant, & scire cupiebant, quis esset tunc inter eos maior, ac quis primas teneret inter illos, sicut in via disputauerant: at interrogant absolute, & de regno futuro cælorum, occultare volentes ambitionem propriam, & ex responsione existimantes se posse scire, quod intendebant. tunc factum est quod dicit Lucas: videns Christus cogitationes eorum, & non tam verba, quam mentem inspiciens fecit, quod

Et statuit illum secus se, & ait illis.

COMMENTARIA.

Ambitionē, ac simulationē Discipulorum repellēs, exēplo ante oculos posito vtitur, aspectu eos cōuertens, ac persuadens, ut absq; simulatione aliqua humilitatē, ac

esse. Quod autem ad feriem rei gestæ, & historiam attinet, notandum est, Lucam prætermisisse, quod Matthæus, & Marcus scripsere; postquã enim locutus est de sua passione domi, ubi eos incredulitatis arguerat, propter quam dæmonium eiicere non poterant, inde profectus est Capharnaum; dum autem iter ageret, factum est, quod Lucas narrat, nempe, intrauit cogitatio in eos, quis eorum maior esset, ut diximus in commetario: perfectior autem huius historię connexio, ac narratio in sequenti Annotatione continetur.

narrat Marcus, nempe, interrogauit; In via quid tractabatis? quasi diceret, aliud est, quod queritis voce, aliud quod mente retinetis. Subdit Marcus: at illi tacebant, siquidem in via disputauerant, quis eorum esset maior. Resedit ergo Christus, ut idem Marcus refert, & vocauit duodecim ad se, & apprehendens paruulum quendam, statuit in medio eorum, ac dixit, quæ concordēs Euangelistæ referunt. Ista mihi videtur omnium probabilissima series, & concordia. Non igitur hæc sententia Lucæ refertur ad idem tempus, ad quod præcedens: nam intrauit cogitatio in Discipulos in via, priusquam perueniret Capharnaum; ac Christus dicitur has cogitationes vidisse, quando ad eum accesserunt, dicentes; Quis putas maior est in Regno cælorum? quamuis verum est etiam tunc vidisse illas cogitationes. Confirmat nonnulla ex ijs, quæ diximus, Chrysofomus hom. 59. in Mat. In illa (inquit) hora, quando cæteris omnibus Petrum prætulit, cum ad vnum delatus esset honor, tunc doluerunt, & interrogarunt. addit, quod si Lucas non id interrogasse, sed cogitasse scribit, non sunt hæc opposita, nec semel, sed bis, ac tertio eos hæc cogitasse crediderim, & tunc demum interrogasse. Hæc Chrysof. Quæ Euthymius Mat. 18. explicatius affirmat, inquit enim prius cogitasse, ac inter se disputasse; cū tamen viderunt Petrum præferri, magis esse irritatos, ac interrogasse. idem dicit Victor Antioche. Mar. 9. adiungens Discipulos agnoscentes omnia, quæ cogitauerant, & disputauerant, Domino esse manifesta, de disputatis sententiam illius exquisiuisse, quod quidem dictum non videtur probandum: nam ut ex Marco habemus, cū à Christo interrogarentur de disputatis in via, illi tacerunt. In hoc ergo dissentio ab his doctoribus, quod hi existimant, Discipulos interrogasse Dominum de eorum primatu, de quo disputauerant; ego vero aliter sentio, nimirum interrogacionem non esse de primatu inter eos, nec de hoc sæculo, qualis fuerat cogitatio, & disputatio præcedēs inter eos, sed absolute de primatu in Regno cælorum: ea enim in interrogatione occultabant, quod in corde retinebant, sperantes ex responsione se habituros, quod intendebant; ob id dicitur Christus vidisse, & respexisse cogitationes cordis, quia vnū exterius interrogabant, aliud autem scire corde cupiebant, sic mihi videntur omnia dicta Euangelistarum cōsentire, & verã intelligentiam harum sententiarum teneri.

innocēt iam quæ in paruulo repræsentabatur, imitentur; quē idcirco in medio eorū statuit, vt ab omnibus facile conspici possit, ac prope se collocat, vt quanti innocentes, ac humiles faciat, significet; immo eum amplexatus est, vt affectum, quo tales prosequatur, ostendat; in eoque, quā ipsi se dissimiles exhibeant, manifestet, & arguat.

ANNOTATIO CXI.

Serues rei gē-
re.

Matthæus scribit Dominum statuisse paruulum in medio eorum, Lucas verò iuxta se. Marcus autem adiicit; amplexatum esse illum, quæ omnia facta fuisse affirmat Euthymius, vt primo loco eū in medio collocauerit, postea iuxta se, & demum amplexatus sit. Chrysof. hom. 59. in Matth. & Victor Antiochenus Marc. 9. asserunt Christum in paruulo duo maxime significare voluisse, innocentiam, nempe & humilitatem; quem Chrysofomus valde paruulum arbitratus est extitisse, vt ab omnibus esset passionibus liber. Recte autem hæc in Discipulis no-

tantur: nam & inuidia, & ambitione, ac simulatione tenebantur, idcirco ad candorem, & innocentiam, ac humilitatem in puero significata intuantur. Hieronymus Matth. 18. hoc explicans: Non, inquit, præcipitur Apostolis, vt ætatem habeant paruulorum, sed innocentiam; & quod illi per annos possident, hi possideant per indultiam, vt malitia, non sapientia paruuli sint. Hæc ille. Quæ multo ante docuit Paulus 1. Cor. 14 Nolite (inquit) pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.

Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit.

COMMENTARIA.

Dominus paruulo ante oculos Discipulorum proposito, multis argumentis vtitur, vt eos ad innocentiam, & humilitatem imitandam, atque omnem inuidiam, simulationem, ambitionem, contentionemque deponendam exhortetur. Vnum horum argumentum Lucas præpositis verbis enarrat, à dignitate, excellentia, ac utilitate simul sumptum. Quicumque, inquit, susceperit puerum istum in nomine meo, me suscepit, quasi diceret: videte quanti referat puerum effici innocentia, ac humilitate, nam qui susceperit vnum ex ijs, siue hospitio excipiendo, siue bonum aliquod ei conferendo, idque in nomine meo faciat, id est, propter me, siue quia meus est, ac in me credit, is me suscipit, in meque illud bonum confert: quod ideo est, quia tales pueri mei sunt Discipuli, tales mei similes, tales amore, sicut me, prosequor. Non solum ergo honorificum est puerum effici, puerum imitari, sed etiam vtilissimum; quis enim non honorificabit, ac suscipiet vos, si vere nouerit se me ipsum in vobis suscipere, & honore afficere? Cum ergo Apostoli profiterentur se Christi Discipulos, ac mittendi essent ad Euangelium eius prædicandum, oportebat eos effici paruulos, vt ab omnibus susciperentur.

ANNOTATIO CXII.

Ex Mattheo asseritur multa quæ hoc loco prætermittit Lucas.

Multa prætermisit Lucas, quæ Matthæus scripsit, quæque argumenta sunt efficacissima ad persuadendum Discipulis, vt puerum imitarentur, deposita omni malitia, & simulatione. Primum est illud: Nisi efficiamini sicut paruuli isti, non intrabitis in Regnum cælorum, quasi diceret, vos queritis, quis sit primus in Regno cælorum, ego autem dico vobis, quod nullum locum habebitis, nisi deposita inuidia, contentione, & simulatione efficiamini similes puero huic; Et ne videatur vobis vile quid, à vobis me postulare, scitote, quod qui hunc puerum susceperit, me suscipiet. quod Lucas refert vna cum Mattheo, quibus plura adiungit idem Matthæus, quæ post hæc sequuntur. sic mihi ista sententia connecti, & explicari videtur. Chrysof. autem hom. 59. in Matth. sic connectit, & explicat hanc sententiam cū præcedenti apud Matthæum inquit: Non solum magna erit vestra

merces, si tales efficiamini, nempe intrabitis in Regnum cælorum, sed etiam si alios propter me honorabitis, propter vestrum erga illos honorem, vobis regnum retribuetur; quodque extremum est, me ipsum suscipietis, ita vehementer humilitate, & moribus, qui procul ab omni simulatione ab sint, afficior. Hæc ille. Eadem dicit Victor Antioche. Marc. 9. mihi accommodatio vita est connexio, & explicatio, vt prima sententia apud Matthæum sumpta sit à timore exclusionis Regni, nisi imitentur paruulos; & à mercede in eos, qui imitantur: hæc vero sententia à dignitate, & utilitate, quæ posita est in imitatione eorundem, vt diximus in commentario: non enim dictum est, qui susceperit paruulum, intrabit in Regnum cælorum, sed me suscipit; vnde non pertinet hæc sententia ad Regni promissionem.

Et quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit.

COMMENTARIA.

Perficit sententiam præcedentem, amplificando dignitatem, & vtilitatem paruulorum horum. sensus est: Dixi, qui vnum ex ijs suscipit, me recipit; vt autem intelligatis, quā magnum sit me recipere, scitote, qui me recipit, recipere eum, qui me misit, nempe Deum ipsum; maxima ergo dignitas, ac vtilitas est paruulum effici; nam qui eum suscipit, Deum ipsum recipit, quique eum honorat, Deum ipsum honore afficit. Vos ergo, qui ad hoc vocati estis, vt ab hominibus recipiamini, cum futuri sitis Euangelij prædicatores, oportet vt efficiamini paruuli.

ANNOTATIO CXIII.

MArcus sic habet, qui me suscipit, non me suscipit, sed eum, qui misit me. quo verbo significat diuinitatem, quasi diceret, qui me suscipit, non purum hominem suscipit, sed etiam Deum, seu Patrem, qui in me est, à quo sum missus. Omittit Lucas multa alia, quæ narrat Matthæus, nimirum contra

eos, qui tales paruulos scandalizauerint, impediendo, ne Christo per fidem accedant, aut ne mandata eius impleant; hoc enim est scandalizare eos: similiter de Angelorum custodia, quam præcipue paruuli habent, & nonnulla alia, quorum explicatio ad commentaria ista non spectat.

Nam, qui minor est inter vos omnes, hic maior est.

COMMENTARIA.

HIC est finis, propter quem puerum in medio statuit, totiusque responsionis, ac causa præcedentium, sensus est; gradus inter eos, qui me sequuntur, ab humilitate sumitur, vt tanto sit maior vnusquisque inter vos, quanto humilior, & longe ab omni ambitione remotior, eaque de causa puerum ante oculos proposui, & vos ad imitandum eum exhortatus sum; atque etiam dixi, qui eum suscipit, me suscipere. Sic Christus ad eorum cogitationes respiciens respondit, quasi diceret: Vos cogitatis, quis vestrum sit maior: ego autem respondeo, eum esse, qui minorem se per humilitatem reputat. humilitas est fundamentum, atque mensura spiritualis perfectionis.

Respondens autem Ioannes dixit: Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.

COMMENTARIA.

AVdiens Ioannes vnus ex Apostolis, doctrinam Christi, dicentis, qui suscipit vnum puerum in nomine Christi, eum recipere ipsum Christum, incidit in dubitationem quandam de eo, quod ipsi cum cæteris condiscipulis euenerat; nam, viderant quendam, qui non erat de numero eorum, eiicientem tamen dæmonia in nomine Christi; illi vero prohibuerunt, ne id faceret, cum non esset de ijs, qui Christum sequebantur: cum igitur modo audiret Ioannes verbum huiusmodi Christi, scire cupit, an recte factum sit, sicque deinceps fieri debeat, vt tales prohibendi sint, quasi diceret, doces, qui puerum in nomine tuo suscipit te recipere, quid dices de ijs, qui in tuo hoc nomine dæmonia eiiciunt, tamen non sequuntur te nobiscum? ij suntne suscipiendi propter nomen tuum? nam nos vidimus vnum talem & prohibuimus eum, ne tuo nomine vteretur, cum te non sequeretur nobiscum. Quod ad verba attinet, supplendum est (te) scilicet non sequitur te nobiscum. Quosdam autem ex Iudæis præter Apostolos, & eos, qui Christum sequebantur, in nomine ipsius dæmonia eiicisse, indicat locus iste; sicut & ille Matth. 11. Si ego in nomine Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Quod non solum propter Apostolos dictum puto, sed etiam propter illos, qui Christum non sequentes dæmonia eiiciebant in eius nomine.

ANNOTATIO CXIII.

Connexio præcedentia.

Theophylactus hanc sententiam connectit hac ratione, nimirum, cum Christus humilitatem commendauerit sermonibus præcedentibus; dubitat Ioannes, an contra eam aliquid commiserit, impediendo quendam qui in Christi nomine eiiciebat dæmonia, poterat enim videri quendam superbia, quasi sibi solis hanc auctoritatem vendicarent. Mihi accommodatio visa est connexio posita in commentario, vt occasio huius sententiæ nata sit ex eo, quod audierit Ioannes, qui suscipit puerum in nomine Christi, ipsum Christum recipere; inde dubitat, an qui in Christi nomine dæmonia eiicit, sit propter illud nomen suscipiendus, & permittendus, an prohibendus, quia non sequitur Christum. Victor Antioche. Mar. 9. recte notat; non inuidia (inquit) non praua æmulatione percitus tonitruum filius, hæc aiebat: verum omnes, qui Christi nomen inuocabant, Christum itidem sequi, vna cum Christi Discipulis ætatem agere debere, persuasum habebat. Hæc ille. Idem dicit Titus Bostrenus Luc. 9.

Mar. 9. affirmatis fuisse de numero in Christum credentium, quamuis eum non sequeretur; sic enim habet: Quidam eorum, qui crediderunt, gloria amore capti imitabantur Apostolos; & per inuocationem nominis Christi expellebant dæmones; non sequentur tamen propter continentiam, & asperum viuendi modum ipsorum. Hæc ille. Quæ sententia probabilis est; fuisse enim multos ex Iudæis, qui in Christum crederent, licet cum Apostolis eum non sequerentur, docet Ioannes cap. 8. Hæc (inquit) eo loquente multi crediderunt in eum. & cap. 10. Multi crediderunt in eum. fieri igitur potuit, vnum ex ijs fuisse hunc, qui in nomine eius dæmonia eiiciebat. Altera opinio est Victoris Antiocheni in eodē loco, negantis hunc fuisse de numero credentium. Sic inquit: Respondere licet multos in Christum alioqui non credentes apud Iudæos extitisse, qui huiusmodi gratias, & prærogatiuas acceperant, qualis erat is, de quo hoc loco sermo est. Hæc ille. Cuius etiam sententia probabilis est. Nam & Deus aliquando per malos, ac infideles miracula operatur, quando maxime aliquid sanctum intercedit, nempe, aut nominis Christi inuocatio, aut alicuius diuinæ veritatis comprobatio, quod non tam propter eos fit, quā ad ostenden-

ne Christi, non.

Estne ex numero credentium, qui eiiciebat dæmonia in nomi-

Miracula eius per malos & infideles Deus aliquando operatur.

ostendendam virtutem nominis, aut veritatem comprobendam. Vnde recte Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani 80. de hoc loco mentionem faciens inquit: Quomodo tunc praeter communionem Discipulorum valebat plurimum sanctitas nominis Christi: sic praeter communionem Ecclesiae valet sanctitas Baptismi; igitur potuit iste virtute nominis eiicere daemona, licet non credidisset in Christum. Non tamen est negandum hunc aliquam habuisse fidem, qua credebatur illius nominis virtute potuisse daemona eiicere, aliter non eo usus fuisset: non autem credebatur Christum esse verum Messiam, ac filium Dei, sicut credebant Apostoli, ac Discipuli Christi. Euthymius Mar. 9. affirmat Deum voluisse per hunc, & alios similes daemona eiicere, & alia miracula.

Et ait ad illos IESVS; Nolite prohibere.

COMMENTARIA.

Respondet Dominus non esse prohibendos eos, qui in eius nomine daemona eiiciebant, etiam si cum Apostolis eum non sequerentur; quod enim homo ille faciebat, diuina virtute fiebat, & ad illustrandam Christi veritatem, hostesque conuincendos conducebat. Exhortandus ille potius erat ab Apostolis, vt Christum sequeretur, quia in nomine eius daemona eiiciebat, quam prohibendus, ne eiiceret, quia eum non sequebatur.

ANNOTATIO CXV.

Simile quid legimus Num. 11. cu enim iussu Domini Moyses congregasset septuaginta viros, descendit Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyses, & dans septuaginta viros; cumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt. Remanserunt autem in castris duo viri Eldad, & Meldad, qui non ascenderant ad Tabernaculum, super quos etiam requieuit spiritus. Cumque prophetauerent in castris, cucurrit puer, & nuntiavit

Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.

COMMENTARIA.

Causam adiungit Dominus, cur non sit homo hic prohibendus; ea autem est, quia is etiam si non me sequatur vobiscum, vobis tamen fauet, & consentit; cum enim in eodem nomine eiiciat daemona, in quo vos eiicitis, nec contrario vtatur, profecto probat nostrum factum, & operam vestram commendat. Est autem prouerbialis dicendi modus, qui non est aduersum vos, pro vobis est, ad significandam consensionem in opere, & modo, quo ille vtatur cum Apostolis, quae cum eadem sint, non erat, cur prohibendus ille esset.

ANNOTATIO CXVI.

Matthaeus non meminit huius historiae, sed tantum Marcus, & Lucas; Marcus autem plura habet verba, inquit enim sic: Nolite prohibere; nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me: qui enim non est aduersus vos, pro vobis est. sunt haec duo argumenta, vnum sumptum respectu Christi, alterum respectu Apostolorum. Primum est, quia dum in nomine meo eiicit daemona, & miraculum operatur, non potest tunc de me male loqui, infania enim, & stultitiae argueretur ab omnibus, si de me male loquens, meo nomine vtatur ad virtutem talem exercendam, quia simul male, & bene diceret. Secundum autem argumentum est, quia qui non est aduersus vos, pro vobis est. Tota ergo ratio, cur non sit ille prohibendus, est vt vnico verbo dicam, quia Christo, & Apostolis eo opere ille fauet. Obiicit quispiam illud Matth. 11. Qui non est mecum, contra me est. quod videtur contrarium huic, qui non est aduersus vos, pro vobis est. Respondeo haec duo consentire: nam illud (qui non est mecum) non significat non sequi Christum cum Apostolis: nam Ioseph vir iustus erat, similiter Nicodemus, & tamen non se-

facere, tum ad praedicationis Christi confirmationem; tum ad emendationem eorum, qui ea miracula faciebant. Attende tamen donum miraculorum esse vnam ex gratijs gratis datis, quae potius dantur in utilitatem aliorum, quam eorum, quibus conceduntur: idcirco per malos aliquando fiunt, vt veritas Euangelij eo magis confirmetur, dum nominis virtuti tribuitur miraculosum opus, non autem merito operantis, & facientis, videntesque Iudaei eos, qui Christum non sequebantur, in eius nomine miracula facere, & daemona eiicere, profecto virtutem nominis magis admirari debuerunt, quae tanta erat, vt etiam per eos, qui non sequebantur Christum, operari posset.

Moyse, dicens, Eldad, & Meldad prophetant in castris. Statim Iosue minister Moyse ait: Domine mi Moyse prohibe eos. At ille: quid, inquit, amularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetaet, & det eis Dominus spiritum suum? Haec legimus ibi. Sapienter noluit Moyses prohibere, quod spiritu Dei agebatur; ita nunc Christus iubet non prohibendum, quod in nomine suo efficiebatur; id enim non humanae, sed diuinae virtutis opus erat.

quebatur Christum cum Apostolis, sed is dicitur non esse cum Christo, qui non probat, nec sentit cum ijs, quae docet Christus: is autem homo in hoc opere sentiebat cum Christo, qui in nomine eius eiiciebat daemona, quamuis fieri potuit, vt in alijs non esset cum Christo; hic enim sermo tantum est de hoc opere, quod Christus praecipit non esse prohibendum, quia in eo consentit cum Christo, & Apostolis, & eis fauet. Ambrosius in praesenti hoc ipsum obiicit, ac responderet, inquit sic: qui non est aduersus vos, pro vobis est. Bone Domine, nam & Ioseph, & occulti Discipuli propter metum Iudaeorum, in tempore tamen suum tibi officium non negarunt, sed tamen, quia alibi dixisti: Qui non est mecum, aduersus me est, & qui mecum non colligit dispergit, aperi nobis, ne videatur esse contrarium. Et puto, quia si quis mentium consideret scrutatorem, dubitare non debeat, vniuscuiusque factum mente discerni. Haec ille, quasi diceret, non sequi Christum exterius potest fieri bona, & mala intentione, ac animo; qui bono animo facit, non est contra Christum, qui aliter, aduersus est, & hic non colligit, sed dispergit. Haec responsio cum nostra consentit.

Factum

Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius.

COMMENTARIA.

Ad narranda alia quaedam Euangelista se conuertit, quae cum praecedentibus non sunt connexa, sed multa intercesserunt, quae caeteri Euangelistae narrant. Factum igitur est, dum complerentur dies assumptionis eius, id est, cum iam instaret tempus passionis, ac mortis eius, per quam relictis terris assumendus erat ad caelos, renaturus cum Patre iuxta illud Act. 1. Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in Caelum, sic veniet.

ANNOTATIO CXVII.

Assumptio quid significet hoc loco.

Illud nomen (Assumptio,) graece est Ἀνάληψις cumque praepositio ἀνά idem significet, quod Latine sursum, & rursus, siue iterum, fit, vt duplicem sensum faciat: vnus est, cum compleretur tempus suae sursum, seu in caelum sumptionis. Hunc sequitur Euthymius in commentario huius loci. Alter est, cu compleretur tempus suae resumptionis, quia

descendit de caelo sumpta carne, & iterum in caelum ascendit, iuxta Ioan. 16. Exiui a Patre, & veni in mundum; iterum vado ad Patrem, & relinquo mundum. hunc sensum sequitur Titus Bostrenus in hoc commentario. vterque sensus verus est, & veraque significatio accommodata.

Et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Hierusalem.

COMMENTARIA.

Connexa est sententia haec praecedenti, sensusque totus hic est: Cum instaret iam tempus mortis, ac passionis suae, ipse constanti animo, ac proposito statuit ire recta in Hierusalem, locum mortis, ac passionis suae; appropinquante enim hora supplicij, locum supplicij constanter, ac tramite recto, non iam in villas, ac loca circumcirca diuertendo adire voluit.

ANNOTATIO CXVIII.

Concordia inter Euangelistas, & quid si vellet firmare faciem in aliquem locum.

Profectio ista a Galilaea fuit vltima: non enim amplius Christus reuersus est a Iudaea in Galilaeam. Huiusque profectio meminerunt Matthaeus cap. 19. & Marcus cap. 10. in initio capitulum, quam etiam refert Ioannes cap. 7. factam in festo Scenopegiae, quando fratres ei dixerunt: Traesi hinc, & vade in Iudaeam, caeteraque quae ibi a Ioanne narrantur. Conuenienter dictum est, firmavit faciem suam, vt iret in Hierusalem, id est, resolutio animo statuit ire Hierusalem, postposito omni periculo: nam Ioannes in eo capite priusquam Christum hac suscepisse profectioem narraret, praemittit haec verba: Ambulabat Iesus in Galilaeam; non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia querebant eum Iudaei interficere: festo autem Scenopegiae appropinquante firmavit faciem suam, vt iret in Hierusalem inimicorum insidijs omnibus posthabitis. Et quantum post hoc factum egressus sit in Hierusalem, & in terra Iudaeam, id est, in vicos, & castella terrae Iudaeae ambulauerit,

expectans tempus vltimi Paschatis, quando passurus erat, vt Ioannes refert, tamen in Galilaeam amplius non redijt; sicque isti tres Euangelistae concordant in hac parte sunt. Firmare autem faciem in aliquem locum, idem significat, quod recta ire in eum locum firmo animo, & proposito, sicut, & firmare oculos in aliquem, est aciem figere in eum absque diuersione, quod quidem continuam, & indefinentem significat protectionem, iuxta illud Psal. 31. firmabo super te oculos meos. Sic interpretatur Titus Bostrenus in huius loci interpretatione. Constituit (inquit) Hierosolymam ascendere, nec amplius huc, illuc diuagari, vicisque, ac ciuitates obire; hoc enim denotatur verbis illis, & ipse faciem suam firmavit, vt iret in Hierusalem. Haec ille. Euthymius etiam idem sentit: Firmavit (inquit) faciem suam, hoc est, direxit, vt iret Hierosolymam, progrediens ad passionem, nec respiciendo quidem in tergum. Haec Euthymius.

Et misit nuncios ante conspectum suum; & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi.

COMMENTARIA.

Enuente Galilaea in Hierusalem transeundum erat per Samariam, ad quam cum peruenisset, praemisit quosdam ex Discipulis, qui significarent aduentum eius, & pararent hospitium, & vitae necessaria ipsi, & ijs, qui cum ipso erant. Intrauerunt ergo nuncios in oppidum quoddam Samariae ad ea paranda.

ANNOTATIO CXIX.

Quosdam Christus Samaritanis nuncios misit.

Quod ad litteram attinet, illud (Ciuitatem) Graece κώμη legimus, quod magis oppidum, seu pagum, aut castellum significat, quamuis in nonnullis exemplaribus habeatur, πάλιν, id est, ciuitatem: verior tamen lectio prior est, nam paulo inferius Euangelista dicit: Abierunt in illud castellum, vbi Graece scribitur, κώμη. dicendum est ergo interpretem posuisse ciuitatem large sumpto vocabulo, vt etiam significatio extenderetur ad pagum, seu castellum. Quod vero ad rem spectat, Titus Bostrenus existimat Christum misisse nuncios, qui denunciant Samaritanis, se cupere apud eos diuertere,

quamuis eos repulsam passuros non ignoraret. quae interpretatio mihi videtur accommodata. Non enim dicitur misisse quosdam, sed nuncios, quo verbo significatur eos missos ad aliquid annunciandum, licet Euangelista postea subiungat illos intrasse, vt pararent hospitium; id tamen intelligendum est intrasse ad parandum, significantes, ac annunciantes aduentum eius. Euthymius hos missos fuisse putat Iacobum, & Ioannem, de quibus paulo inferius fit mentio, tamen id parum probabile est. Prudentissime autem Christus praemisit, quamuis sciebat eos non admittendos esse. Huius rei duas causas assignat Titus Bostrenus, vna

vna est, vt omnem excusationis causam Samaritanis adimeret. Altera est, vt hæc Samaritanorum petulantia, quasi quoddam præludium, & præexercitamentum esset Discipulis, ne offenderentur, animove frangerentur, aut patientiæ, & mansuetudinis obliuiscerentur, si qui eos aliquando iniuria afficerent, vel iniuste insequerentur; eo maxime quia tempus passionis Christi instabat, & Hierosolymam ascendebat, insanas Iudæorum furias ibidem expecturus. vtraque ratio Titi accommodata est, posterior vero accommodatio.

rent, vel iniuste insequerentur; eo maxime quia tempus passionis Christi instabat, & Hierosolymam ascendebat, insanas Iudæorum furias ibidem expecturus. vtraque ratio Titi accommodata est, posterior vero accommodatio.

Et non receperunt eum.

COMMENTARIA.

Samaritani à nuncijs intelligentes Christi aduentum, noluerunt eum hospitio suscipere, nouerant iam ante illum ex fama, & forsitan ex visu; nam alias per Samariam transuerat, & in Sichem per biduum commoratus erat, quando mulierem Samaritanam ad puteum conuertit, multique ex Sichimitis in ipsum crediderant.

ANNOTATIO CXX.

Aduerte non dici, non receperunt eos, nempe nuncios; nam hi intrarunt oppidum nunciantes Christi aduentum, & parere volentes hospitium ei dicitur autem (non receperunt eum) Quod non tantum intelligitur positum esse, ad significandum Samaritanos negasse hospitium nuncijs quærentibus

parare illud Christo; sed etiam, quia intellexerunt Samaritani prope iam esse Christum, idcirco egressi sunt, & non permiserunt eum iam aduentantem ingredi in oppidum, idque significat Euangelista, quando dicit, & non receperunt eum.

Quia facies eius erat euntis in Hierusalem.

COMMENTARIA.

Causam exponit Euangelista, cur Samaritani non receperunt Christum, quia (inquit) præ se ferebat iter in Hierusalem, seu, quia viderunt eum petere in Hierusalem. Coniecerunt enim ex celebritatis propinquitate (tempus enim Scenopegia instabat) eum proficisci in Hierusalem adorationis causa; cumque id Samaritani agerime ferrent, contententes de adorationis loco, an Hierosolymis, an in monte illorum adorandus esset Deus, idcirco eos, qui adorationis causa templum illud adorare adibant, non recipiebant intra moenia sua, sed repellebant, hacque de causa Christum non admiserunt: ex signis enim exterioribus quibusdam facile coniecerunt eum ire in Hierusalem, idque significat, faciem eius esse euntis in Hierusalem.

ANNOTATIO CXXI.

De contentione Samaritanorum cum Iudæis de adorationis loco meminit Ioannes cap. 4. & in commentarijs plura diximus, Græce habetur: Facies eius erat vadens in Hierusalem, ubi Euthymius notat Synecdochen, nempe partem pro toto sumptam. Mihi tamen videtur non solam Synecdochen hinc considerandam, quasi dictum esset, quia ipse erat vadens Hierusalem, sed etiam significari signis exterioribus præ se tulisse iter hoc. Hoc enim

est faciem eius fuisse euntis in Hierusalem: nam ex his signis nouerunt Samaritani susceptam itineris rationem. Quæ autem hæc signa fuerint, incertum est. quidam recentiores putant ex habitu illos id nouisse, hoc tamen non est probabile: non enim habitus mutabatur, quando profectio erat in Hierusalem etiam adorationis tempore: alia ergo apparebant, vnde id Samaritani conijcere potuerunt, nec fefellerit eos opinio.

Cum uisissent autem Discipuli eius, Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine, uis dicamus, ut ignis descendat de celo, & consumat illos?

COMMENTARIA.

Ira accensi duo Discipuli contra Samaritanos facultatem sibi dari petunt; Vis inquit, ut ignem supra eos de celo cadere iubeamus, qui eos consumat? Hic duo Discipuli primo fidem profitentur, credentes Christum tantæ esse potestatis, vt possit ignem de celo super Samaritanos demittere. Deinde religionem præ se ferunt, dum putant se obsequium præstare Deo. Demum zelum sibi esse persuadent contra Samaritanorum crimina, quod Christum filium Dei excluderent, quod innocentibus hospitium negarent, quod Dei adorationem impedirent, recordatique Eliæ, qui pro Deo zelans ignem super duos duces quinquagenarios descendere fecit, qui eos cum suis deuorauit. 4. Reg. 1. petunt nunc similiter Samaritanos igne de celo descendente consumi; errant tamen non habentes scientiam, idcirco statim à Christo corripuntur.

ANNOTATIO CXXII.

Euthymius existimat hos duos fuisse eos, qui missi fuerant ad parandum, qui reuersi hæc dixerunt: mihi probabilius est non hos fuisse, qui missi sunt, sed alios; hi vero non audientes tantum, quæ missi retulerunt, sed etiam videntes Samaritanos,

Christum ipsum intra moenia recipere nolentes, hæc irati dixerunt. Aduerte rursus, verbum, Dicamus, positum pro, iubeamus, vt sæpe fit in Scriptura. Aduerte præterea Græca exemplaria habere plura verba, nempe (consumat illos, vt etiam Elias fecit,) sicque

An Iacobus & Ioannes missi fuerint nuncijs ad Samaritanos.

sicque legunt, & interpretantur Theophylactus, & Euthymius. At vulgata Latina non habent illud (sicut etiam Elias fecit) notat Ambrosius hos duos

Iacobum, & Ioannem hæc protulisse, quasi filios tonitruui, quo nomine à Christo appellati erant.

Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis.

COMMENTARIA.

Reprehendit eos Dominus quasi zelum quidem habentes, sed non secundum scientiam; ignorabant enim spiritum Euangelij, confundentes cum legis spiritu. hic timoris, ac seruorum erat, transgressoribusque etiam mortis corporalis poenam imponebat; at ille amoris est, non seruorum, sed filiorum; transgressores morte corporis non punit, sed eis veniam per pœnitentiã promittit, vnde non erat Christus Eliæ comparandus, nec lex illa Euangelio. Hoc ignorantes Discipuli duo, Samaritanos delinquentes mortis pœna puniendos censebant, ac affectabant: conuertitur autem ad hos duos Christus, quia hi duo soli talia locuti sunt, & verbis hisce increpat: Nescitis, cuius spiritus estis, id est, ad quid vocati estis per Euangelium, & aduentum meum, quod longe diuersum est à fine, & effectu legis. Et Græce additur pronomen, vos, vt distinguat eos ab Eliâ, & ijs, qui legis spiritu ducebantur. Spiritum appellat ipsum donum Spiritus sancti, nempe timorem, dilectionem, mansuetudinem, vindictam. Multos enim spiritus esse docet Isaias cap. 7. spiritus (inquit) sapientiæ, & intellectus, fortitudinis, & scientiæ, pietatis, ac timoris. & Paulus Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis,

ANNOTATIO CXXIII.

Quando Christus increpauit Discipulos

Non sic intelligenda est sententia præcedens, quasi Christus increpauerit Discipulos, & vltra verba increpationis adiecerit ista. Nescitis cuius spiritus estis, sed hæc eadem verba, fuerunt ea, quibus increpauit, quasi diceret Euangelista, Christus Discipulos his verbis increpauit, Nescitis cuius spiritus estis. Prudenter autem increpauit illos, vt Euthymius notat, instruens eos, vt incredulorum iniurias patienter ferrent: futurum enim erat, vt cum Euangelium annūciarent, à multis repudiarentur.

non dabat, transgressionibus poenam mortis corporalis in multis casibus inferebat. vnde a Paulo lex mortis dicebatur, quod ad cognitionem potius peccatorum; quam ad remissionem, ac veniam dabatur. at Euangelium filios adoptionis Dei facit, omnibus veniam offert, gratiam præbet, pro nullo peccato poenam mortis infligit, sed omnium per pœnitentiã promittit indulgentiam. Idcirco legis spiritus dicitur timoris, quia data est lex à Spiritu sancto ad timorem; Euangelij vero spiritus dilectionis. Hoc ignorant Apolloli Samaritanis ignem de celo petebat, cum per Euangelium ad pœnitentiã inuitandi essent, & venia peccatorum eis offerenda, ac à Deo petenda. De his, spiritu, & lege plura diximus in commentarijs Epist. ad Romanos. Quidam recentiores putant hoc in loco positum spiritum indifferenter pro bono vel malo, quasi diceret: Nescitis quo spiritu ducamini: putatis enim vos bono duci, nempe zelo, & tamen ducimini malo, nempe affectu iracundiæ, ac vindictæ. hæc tamen interpretatio non est accommodata; verus enim est sensus, qui hactenus est expositus. Ambrosius in hoc loco deducit non semper peccantes puniendos esse. Quod vero (inquit) Discipulos increpauerit, quia ignem de celo supra illos descendere cupiebant, ostenditur nobis non semper in eos, qui peccauerint, vindicandum, quia nonnumquam amplius prodest tibi clementia ad patientiam, lapsa ad correctionem; denique Samaritani citius postea crediderunt, à quibus hoc loco ignis arceatur. Hæc ille. quæ sunt moraliter dicta.

Vnus est Spiritus sanctus ob cuius donorum multitudinem multi dicuntur Spiritus.

Aduerte quamuis vnus sit, & idem Spiritus sanctus, qui diuersa operatur in hominibus, diuidens singulis prout vult, vt dicitur Paulus. 1. Corin. 12. tamen iuxta effectum, & donorum ipsius multitudinem multi spiritus dicuntur, sicque in Scriptura, vt in commentario dictum est, varij numerantur. immo quia spiritus malus, nempe dæmon excitat homines ad varia opera, ac cogitationes, est multitudo in spiritibus, & effectibus, qui à malo spiritu procedunt; dicitur enim spiritus superbiæ, spiritus blasphemix, & alia huiusmodi. cumque à spiritu malo procedant aliquando quadam, quæ videntur similia ijs, quæ sunt à Spiritu sancto, & re vera non sint, inde est, quod à Ioanne. 1. Epist. 4. dictum est, Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt. & inter dona Spiritus sancti Paulus. 1. Cor. 12. numerat discretionem spirituum.

Lex, & Euangelium ab eodem spiritu profecta sed sine, & effectu diuerso.

Aduerte autem ab eodem Spiritu sancto legem, & Euangelium profecta esse, sed sine, & effectu longe diuerso: lex enim timorem incutiebat, vepote hominibus in statu seruorum tunc positis, gratiam

Filius hominis non uenit animas perdere, sed saluare.

COMMENTARIA.

Causa est hæc præcedentis sententiæ, nempe cur non debeant Discipuli cupere, ac petere ignem de celo descendere; qui Samaritanos consumat; nec ad spiritum hunc eos esse vocatos: nam Christus non venit in hunc mundum, nec carnem sumpsit, vt homines perderet, sed vt saluaret; vt dictum est Ioann. 1. Non misit (inquit) Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per eum. Non ergo peccantibus Samaritanis ignis consumans demittendus erat, qui, & corporibus, & animabus eorum omnino ruinam inferret. Tales igitur oportebat esse Discipulos, qualis erat magister in hoc suo priori aduentu.

ANNOTATIO CXXIII.

Græce habetur particula causalis (enim) filius enim hominis non venit. Illud autem (animas) potest accipi pro ipsis hominibus, quasi dictum esset, non venit homines perdere, sed saluare. Potest etiam accipi pro ipsis animabus: nam si pro peccato Samaritanis ignis de caelo missus tunc esset, utique anime

in æternam damnationem abirent in suo morientes peccato. Accommodatior prior est expositio, nec alienum est à Scripturæ phrasi, animam pro toto homine ponere. dictum enim est Gen. 14. Da mihi animas, cætera tolle tibi. & cap. 17. Delebitur anima illa de populo, & alias sæpe.

Et abierunt in aliud castellum.

COMMENTARIA.

EO relicto à quo repulsi sunt, in aliud diuerterunt castellum, nempe in eadem Samaria, in quo recepti fuerunt. Quos enim afflictio, & repulsa probauit, consolatio subsequuta est, sic diuina sapientia cum suis agente.

Factum est autem ambulantiibus illis in uia, dixit quidam ad illum: sequar te, quocumque ieris.

COMMENTARIA.

HOmo hic, qui in uia secuturum Christum quocumque ierit, se offert, de illius uiuendi modo falsam conceperat opinionem; existimabat enim eum lautam vitam agere, ac sæculi commoditatibus abundare, quippe qui insignia opera erga multos faciebat; à quibus gratitudinis officia illum recipere quotidie credebat. Hac de causa facilem, ac promptum se exhibet ad eum sequendum; non quidem animo renunciandi omnibus, quæ habebat, ut Apostoli fecerant; nec subeundi labores, in quibus Christus versabatur, sed potius quiescendi, & abundandi.

ANNOTATIO CXXV.

Matthæus cap. 8. hanc refert historiam, huncque hominem scribam fuisse; quo autem tempore hoc euenit incertum est. Probabilius credo hoc factum, uti refert Lucas, quando Christus à Samariæ castello repulsum passus ad aliud diuertit. Matthæus ordine temporis non seruato huius facti meminit. quamuis Augustinus lib. 2. de consens. Euang. cap. 23. teneat contrarium, nempe Matthæum ordinem seruasse, hocque factum non in uia, quæ ibat ad aliud castellum, sed in alia uia, quæ ibat in fretum, quod etiam probabile est.

Quod autem ad sensum spectat, variæ sunt Patrum sententiæ. Primo loco Augustinus. lib. quæst. in Matth. cap. 5. existimat hunc hominem miraculis Christi commotum uoluisse eum sequi ob iactantiam quandam inanem, ideoque finxisse Discipuli obsequium: fictus igitur, & superbus accessit, quod Dominus significare uoluit, postea uulpium, & uolucrum exemplo, ut paulo post dicemus. Hoc idem repetit Augustinus ser. 7. de verb. Dom. & lib. de sancta uirg. cap. 51.

Secundo loco Chrysostomus hom. 28. in Matth. censet hunc hominem superbia, & auaritia excitatum esse ad Christum sequendum. Superbia quidem, ac fastu non quidem ea superbia, quam Augustinus affirmat, scilicet inani iactantia, ut gloriosus appareret eum sequens, qui tam mirabilia operabatur; sed quia dedignans se turba connumerari, & ostentans se tanquam supra eos multo excellentiorem, offert se sequi Christum. Auaritia autem,

Dixit illi Iesus: Vulpes foueas habent; & aues cali nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.

COMMENTARIA.

NON sunt uerba repellentis, sed eius, qui falsam opinionem illius dedocet, ac potestatem dat, si uellet sequi se cum ea uitæ conditione, quasi diceret: Tu cupis me sequi, arbitrans me laute uiuere, & opibus, atque huius sæculi voluptatibus abundare, longe aberras à uero: nam ego nec hospitium proprium habeo, in quo reclinem caput, aliquantulumque quiescam, perpende an cum hac uitæ conditione cupias

ne cupias me sequi: utitur Christus exemplo uulpium, & auium ad significandam suam summam paupertatem, quam plurima uitæ incommoda sequuntur, quia hæc animalia paruas, & pauperrimas habent domunculas, in quas se recipiunt, & in quibus quiescunt. at Christus nec tantum loci habuit proprium, quantum concessum est animalibus istis.

ANNOTATIO CXXVI.

Sensus superioris sententiæ exponitur copiosius.

NON longe abest expositio nostra ab ea, quæ est Hieronymi, & Chrysostomi: nam uterque admittant Christum hisce uerbis uoluisse opinionem prauam hominis illius repellere, ostendendo se summam paupertatem profiteri, à qua non erat sperandum, quod ille sperabat, nempe diuitiarum, cumulationem. Quod isti Doctores dicunt de diuitiarum reiectione, existimantes hunc hominem auaritia, & studio lucri uoluisse Christum sequi; hoc idem ego dico de uitæ huius commoditatibus, quibus Christum abundare putans eum sequi cupiebat. Alij uero Doctores aliter interpretantur superiorem sententiam.

Primo quidem Augustinus ser. 7. de uer. Dom. sequens sententiam, cuius paulo superius meminimus, hunc hominem superbia, & fictione accessisse, interpretatur, quasi sic Dominus diceret: vulpes habent foueas in corde tuo, quia dolosus es, & uolucres habent nidos in corde tuo, quia elatus es. idem dicit in lib. de sancta uirg. cap. 51. Arguebat (inquit) nomine uulpium astutam dolositatem, & nomine uolucrum, uentositatem elationem, in quo, ubi requiesceret, piam non inueniebat humilitatem. idem confirmat in lib. Quæst. in Matth. cap. 5. ubi dicit per capitis reuersionem, Christi humilitatem significari. Hoc idem ex parte Ambrosius secutus est ser. 79. licet de solis uulpibus loquatur, quibus hunc assimilasse Christum dicit, ad eius uersutiam, & dolum insinuandum: uerba ipsius sunt. Saluator noster, qui cogitationes hominum, sensusque præuideat, audiens quidem uocis obsequium, mentis autem uersutiam recognoscens, tali illum animali comparat, quod aliud uoce indicet, aliud moribus operetur; vulpes enim latratu canis resonat, dolo rapinam fraudis exercet. Hæc ille.

Secundo loco Gregorius lib. 19. mora. cap. 1. non per uulpes, & aues astutiam, & superbiam seu iactantiam cum Augustino interpretatur, sed demones ipsos; quasi Dominus uoluerit hunc hominem reprehendere, quod plus loci demones in mente eius haberent ob eius superbiam, quam Christus. Verba Gregorij sunt hæc: uulpes ualde fraudulenta sunt animalia, quæ in fossis, seu specubus se abscondunt, cumque apparuerint, numquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currunt. Volucres uero, alto uolatu se in aera subleuant. Nomine ergo

Ait autem ad alterum: sequere me.

COMMENTARIA.

HIc uocis obsequio non se offerebat, sicut is, de quo modo diximus, & tamen ad se sequendum Christus inuitat: sequere (inquit) me. Discretor enim cordium, & futurorum omnium præcognitor Christus, quid uterque mente versaretur, & quid uterque facturus erat, prænoscebat, & intuebatur.

ANNOTATIO CXX.

Quis fuerit homo iste, & quo tempore à Christo uocatus, & quare alterum se offerentem spernit, & hunc non se offerentem eligit.

Huius hominis meminit Matthæus cap. 8. eumque unum de Discipulis Christi fuisse refert, multos namque Discipulos habebat Christus, qui in ipsum credebant, licet non continuo sequerentur eum, uti Apostoli faciebant. Unus ex ijs hic est, qui ad sequendum inuitatur. an autem ista uocatio facta sit eodem tempore, quo euenit id quod narratum est de homine, offerente se ad sequendum, non

uulpium dolosa, atque fraudulenta, nomine uero uolucrum hæc eadem superba demonia designantur, ac si dicat: fraudulenta, & elata demonia in corde uestro, id est, in cogitatione superbiæ inueniunt habitationem suam, filius autem hominis, ubi caput suum reclinet, non habet, id est, humilitas mea requiem in superba mente non inuenit. Hæc Grego.

Tertio loco Euthymius refert quandam expositionem non multum ab hac diuersam, quæ uidetur Origenis hom. 4. in cantica, licet hic de uulpibus tantum loquatur. Verba Euthymij sunt hæc. Quidam dicunt, quod præcognoscens eum Christus non solum pecuniarum amori seruientem, sed alijs quoque affectibus, ananogice responderit, uolucres, ac uulpes appellans demones propter dolum eorum, & quod seminibus, ac fructibus uirtutum insidientur, ac si diceret: Demones quidem foueas, & nidos in te habent; ego autem neque breuissimam requiem apud animam tuam inuenio. Foueas, ac nidi demonum, affectiones sunt, in quibus occultantur, & quiescunt. Hæc ille. Hi omnes Doctores existimant in hac responsione Christum uoluisse reprehendere hominem de superbia, aut uersutia, aut iactantia; mihi uero uidetur potius Christus illum dedocuisse errorem, ac falsam ipsius opinionem; ac instituisse, qualis deberet esse, qui eum sequi uellet. unde consequitur hanc Domini responsionem non esse repellentem hominem, quasi indignum consortio suo, ut putant, & affirmant Ambrosius ser. 79. August. ser. 7. de uer. dom. & Grego. hom. 13. in Ezechi. quin potius sunt uerba instituentis, & dantis potestatem si uellet cum ea conditione paupertatis sequi Christum, ut recte dicit Chrysostomus. hom. 28. in Matth. Ipse homo se repulit, ac Christum deseruit, qui ueritatem doctus noluit Christum sequi, paupertate, & austeritate uitæ terditus. Quæ ergo illi Doctores dicunt, magis ad sensum spiritualem, quam ad literalem facere uidentur; existimoque usum Christum exemplo uulpium, & auium ad exprimentam paupertatem, & humilitatem suam, qui filius hominis, & Dei cum esset, non haberet tantum loci proprii ad requiem, & habitationem, quantum concessum est animalibus non solum minimis, quales aues cæli, sed etiam perniciosis, quales sunt uulpes.

magis

magis dixerit, sequere, & illo spreto, atque despecto, alium potius tacentem, neque opinantem delegerit? Et cum acceptius voluntarium obsequium esse soleat, quam coactum, & seruitium plus placeat, non quod imperio exigitur, sed quod sponte refertur, cur ego respuitur, cur etiam velut indignus recusatur? Ad hoc respondet Ambrosius sic. Est Dominus æquus iudex, & iustus, & pro qualitate eorum rependit dilectionis affectum, & eum eligit, non qui verbis promptus, deuotione piger, sed qui fuerit lingua tacitus, mente deuotus. Hæc Ambrosius. In commentarijs etiam in Lucam idem dicit. Ille (inquit) cogitur, iste remouetur, ut scias, quia deuotus admittitur, indeuotus excluditur, & paulo inferius. Eius obsequium non admittitur, cuius non probatur officium. Similem interrogationem facit Augustinus ser. 7. de ver. Dom. idemque respondet, adiungens, Christum futura præuidentem intellexisse hunc hominem, si ad sequelam fuisset admittitur, sua querendum, non quæ Christi, idem etiam de his duobus Gregorius hom. 13. in Ezechi. proponit, & respondet Dominum ad interna eorum respexisse, quæ erant valde contraria. Sic inquit: Quid est, quod ille promittit se ire, & deseritur: iste domum vult redire, & tamen ut sequi

Ille autem dixit: Domine permittite mihi primum ire, & sepelire patrem meum.

COMMENTARIA.

Non negat, qui dicit, primum, sed significat se postmodum secuturum, idque causa rei honestæ, ac piæ, nempe sepulturæ paternæ, facultate etiam a Christo petita: permittite inquit mihi, & ad huc reuerenter petit: Domine (inquit) non sicut ille prior Scriba: Magister. quod minus est, quam Dominus. Argumenta sunt hæc animi deuoti, pij, humilis, & fidelis, longe diuersi à Scriba, qui se obtulit sequi, & audita vitæ difficultate recessit, ut merito hic acceptus, ille vero relictus sit. quantum in Scriba mali, tantum in hoc homine boni fuit, ut Augustinus dixit ser. 7. de verb. Dom.

ANNOTATIO. CXXVIII.

Concordia inter Mattheum, & Lucam.

Videtur quædam dissonantia inter Lucam, & Mattheum: nam Mattheus prius refert hanc sententiam: Domine permittite me primum sepelire patrem meum, & post hanc Christum respondisse; sequere me: Lucas vero narrat Christum dixisse; sequere me, post vero hunc hominem dixisse: sine me sepelire patrem. Augustinus lib. 2. de consen. Euang. cap. 23. respondet vnum, & idem esse, vnum tamen eorum non seruasse ordinem in referendo, ut scpe fit ab Euangelistis. Mihi tamen verisimilius est Christum bis dixisse, sequere me, semel à principio, idque refert Lucas, & silet Mattheus; iterum etiam repetijt post petitionem hominis de sepeliendo patre, dicens; sequere me, & sine mortuos, & id Lucas prætermisit, & Mattheus expressit.

Admirabilis sapientia Saluatoris apparet in huius hominis vocatione.

Ad miranda est sapientia Saluatoris. non prius hunc hominem vocauit, quam eius pater mortuus esset; Ioannem autem, & Iacobum etiam patre viuente ad se traxit; scriptum est enim de ijs: illi vero relictis retibus, & patre, secuti sunt eum. forsitan huius opera necessaria erat viuenti patri, ideoque differre Christus voluit vocationem, ne impediretur honor ille, quo patres afficiendos præcepit Deus. forsitan etiam nõ ita se iste facilem exhibuisset Christo vocanti, si tali detineretur impedimento: scimus

debeat iubetur? Ille non suscipitur, iste nec ad horam inmomentum ab obsequio relaxatur? interno ergo occultoque iudicio funiculus, & mensuræ calamus ducitur, in quo iste trahitur, & ille relinquatur, ut cælestis fabrica non sine pio, & iusto examine construatur. Hæc Gregorius. In hac Patrum doctrina illud notandum est, Christum verbis præcedentis sententiæ, vulpes foueam habent &c. non repulisse, nec reiecit hominem illum, ut notauimus in annotatione præcedenti, quin potius quodam modo incitasse docendo ea, quæ eum facere oportebat, si vellet sequi. Hæc quidem verum est, Christum potuisse attrahere eum, & disponere, ac ex indeuoto, deuorum facere, si id fecisset, gratia fuisset; quod autem non fecit, iuste fecit ob illius peccatum, & quia per ipsum stetit, quo minus venisset, proposita doctrina, quam seruaturus erat, & non deficiente gratia, qua, si voluisset, venisset. Quod si maiori gratia Christus non extraxit eum, ipse se indignum fecit. quantum igitur ad hoc, repulsus, & reiectus dici potest. sicque isti Patres sunt intelligendi, quando dicunt vnum horum reiecit, alterum receptum, & tractum fuisse; Christus enim corda intruebatur amborum.

enim, etiam ut mortuo subueniret, petuisse dilationem. Expectauit igitur omnino totius impedimenti ablationem; nec disulit, ne vocatus uois se impedimentis irretiret, ac ligaret. Opportuna igitur est vocatio, immo dulcissima, & charitate plena, perinde enim factum est, quasi diceret: mortuus est iam pater tuus, sequere me, ego ero tibi pater, non perdidisti patrem, sed in multo meliorem, & potentiolem commutasti; ille tua, tu mea potius indiges opera. Aduertendum autem hoc in loco est, hunc hominem motum fuisse pietate, quæ debetur parentibus; inquit enim Augustinus. ser. 7. de verb. Dom. Pietas cordis eius Domino se ostendebat, sed pietas differbat. Ambrosius vero in commentario imprudentiam quandam in hoc homine notat, nimirum eam, quod minus præponebat maiori; maius enim erat Christo vocanti obedire, quam patrem sepelire, ut dicit etiam Augustinus loco citato. Verba autem Ambrosij sunt hæc: Vide igitur, quia quos Dominus miseratur, etiam imprudentes aduocat. Hæc Ambro. Quam quidem imprudentiam excusabilem existimo ob ignorantiam, & quia non id tentauit absolute facere, nisi impetrata facultate, quam humiliter petiuit, eaque denegata acquieuit, & vocanti consensit.

Dixitque ei Iesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.

COMMENTARIA.

Non respondet absolute, ne eas, ne patres despiciendos esse significare videtur, ipsique molestiæ, & turbationis causam inferret, sed dicit: Sine mortuos sepelire mortuos suos. quibus verbis Christus sic verat Discipulum ire ad Patris sepulturam, ut simul reddat suæ prohibitionis causas, quibus etiam hominem, & doceat, & consoletur. Vna est, quia eius opera necessaria non est; erant enim qui sepelirent, nec insepultus manebat pater, etiam si ipse non accederet. Altera est, quia non erat eius opera decens: nam infideles decebat sepelire infidelem, ut tales sint sepelientes, qualis est sepultus, quos omnes mortuos appellat; infideles enim sepelientes mortui sunt anima, sepeliendus vero, etiam corpore. cum igitur Discipulus hic viueret etiam anima, qui credebatur in Christum charitate coniunctus, indecens erat, si cum mortuis se immisceret. Tertia est propter periculum, ne dum mortuis, & non credentibus se coniungit, efficeretur vnus ex eis. Quarta, ne dum sepulturæ indulgere cupit, multis alijs emergentibus negotijs sæcularibus implicaretur, quibus, plusquam cogitabat, retardaretur; aut auerteretur. Sine ergo mortuos sepelire mortuos suos. Hæc enim omnia hæc verbis inuuantur.

ANNOTATIO CXXIX.

Qui dicuntur mortui sepelientes, & qui fuerit discipulus is a Christo vocatus.

Lucas (vti diximus) omisit verbum, quod refert Mattheus, scilicet: Sequere me, & sine mortuos &c. Ambrosius in commentario, duas hic mortes distingui notat, vnã culpæ, alteram naturæ. qui mortui erant peccato, ac culpa, sepeliebant eum, qui mortuus erat natura. adde tu etiam, & culpa, quod id enim dicitur, mortuos suos. Amplius etiam est, quod August. lib. Quæst. in Matth. cap. 6. censeat, nempe in hac sententia mortuos sepelientes dici infideles, qui gratia Dei, quæ sine fide non est, priuati erant, mortuos autem sepultos, eos, qui sine fide à viuis recesserant, quos appellat mortuos suos; id est, similes sepelientibus, quia sine fide omnes erant. Idem affirmat ser. 7. de verbo Dom. ex quo recte collegit Chryso. hom. 28. in Matth. hunc Discipulum fuisse filium patris infidelis, qui mortuus dictus est similis sepelientibus. idem sentit Hieronymus. Hæc omnia intelligenda sic existimo, non quod hi gentiles essent; non enim vocatus fuisset ad sequendum Christum, nisi Iudæus esset, vnde pater etiam ipsius Iudæus erat, quales etiam ij, qui sepulturæ eum tradituri erant; at quia in Christum post tot miracula non crediderant, cum credere tenerentur, dicti sunt infideles ab Augustino, & Chryso. mortui autem propter infidelitatis huius peccatum: nisi dicere velimus, hunc hominem fuisse filium Samaritani, Samaritanosque dictos mortuos, quia fidem Dei non habebant: nam etiam si Deum Iudeorum adorarent, qui verus est Deus, legemque Moysi magna ex parte reciperent, tamen admittebant falsos deos, & idola colebant, ideo mortui, & infideles censebantur: homo autem iste, & veram fidem Dei tenebat, & Discipulus Christi erat, pius, ac deuotus.

Parentes honorandi, sed Deo postponendi iunt.

Notat Augustinus serm. 7. de verb. Dom. significatum esse in hoc loco, parentes quidem honorandos, sed postponendos esse Deo, illud bonum esse, hoc tamen melius. Ambrosius autem in commentario idem confirmat, dicens: paterni funeris sepulturæ prohibetur, ut intelligas humana posthabenda diuinis. Bonum studium, sed maius impedimentum: nam qui paritur studium, deriuat affectum; qui diuidit curam, differt profectum, ergo prius obeunda, quæ maxima sunt. Nam & Apostoli ne occuparent studium disputandi; ministros pauperibus ordinarunt, & ipsi cum à Domino

mitterentur, neminem in via salutare præscriptum est, non quo beneuolentiæ displiceret officium, sed quod persequendæ deuotionis intentio plus placeret. Hæc Ambro. id etiam Chryso. eleganter explicat, dicens. Putasne aliquis dicit, non ingens ingratitude crimen illum incurrisse, qui in sepeliendo parente non affuit? Ego vero ingratisimum hominem eum iudicarem, si negligentia id fecisset. Si autem ne rem maioris momenti impediret, tunc abire potius extremæ fuisset temeritatis. Dominus enim ipse, non quia despiciendi sunt parentes, abire vetuit; sed quia discere nos hinc voluit, nihil esse magis necessarium, videri; debere, rebus cælestibus; quæ tanto studio obeunda sunt, ut & si magna sunt, quæ abire urgeant, incumbere, tamen omni diligentia, atque inuigilare debeamus. Quid enim magis necessarium videretur, quam dum sepeliuntur parentes, adesse? Quid vero facilius, aut quid breuiori tempore peragi potest? Quod si nunc tam breue tempus propter sepeliendos parentes abesse à spiritualibus vetitum est, perpende, quo supplicio digni sint, qui semper ab ijs, quæ dignæ sunt Christo, rebus, recedunt, quia vilium, & abiecta sæcularium rerum negotia, necessarijs anteponunt nullo urgente. Hæc Chryso.

In commentario autem plures addidimus causas, ob quas Christus vetuit hominem abire ad sepulturam patris. vnum eorum fuit periculum, ne ex Deo deuoto efficeretur non deuotus, rebusque huius sæculi implicaretur, quod quidem idem Chryso. eleganter notauit, dicens. Ego doctrinam Christi efficaciam vehementer admior, nam cum adolescentem sibi perpetuo affixerit, a mille malis, veluti ab immoderato fletu, ac dolore, aliorumque quæ hinc oriri solent, eripuit; erat enim necesse, post parentis sepulturam ad testamenti considerationem deuenire, & hereditatis diuisionem, deinde in aliud ex alio, quasi vndarum fluctibus distractus, procul à portu salutis iactaretur, quæ ne illi acciderent, secum esse ipsum iubet, eumque sibi coniungit. Hæc Chryso. à quo non discordat, quod docet Basilus in Const. Monast. cap. 21. ostendens quantum detrimenti in spiritualibus adferat affectio erga parentes, atque consuetudo. ideoque hoc præsentis testimonio Christi confirmat.

Causa ob quam, ut ad sepeliendum hominem prohibetur.

Tu autem

Dixitque

COMMENTARIA.

Meliorum rem exponit Christus, cui postposita sepultura patris, incumbendum erat: Vade (inquit,) & annuncia populis Regnum Dei. perpende quanto sublimius, vtilius, & magis necessarium sit Regnum Dei, quam sepultura, & hoc annunciare, quam adesse, & coniungi sepelientibus mortuum. illo igitur postposito fac hoc. Regnum Dei appellat aduentum suum, quem credere necesse est ad salutem, & vt perueniatur ad vitam æternam, quæ dicitur Regnum cælorum. Hæc prædicatio, & annunciatio est, quam fecit & Christus: appropinquavit (inquit) Regnum cælorum, similiter Ioannes Baptista, & Apostoli. hoc idem Discipulus hic annunciare, & prædicare iubetur, & ad id dimissa patris sepultura vocatur.

ANNOTATIO CXXX.

Doctrinam commentarij confirmat Chrysostomus hom. 28. in Matth. multo inquit, melius est Regnum Dei promulgare, & alios a morte retrahere, quam mortuum, qui nulli vltui est, sepelire, maxime cum sint, qui hæc munia obeant. Hoc idem Gregorius lib. 19. Mora. cap. 14. docuit: Aliquando (inquit) in actionibus nostris minora bona præmittenda sunt pro utilitate maiorum, nam quis ignoret esse boni operis meritum mortuum se-

pelire? & tamen cuidam, qui ad sepeliendum patrem se dimitti poposcerat, dictum est: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuncia Regnum Dei; postponendum namque erat obsequium huius ministerij officio prædicationis, quia illo, carne mortuos in terram conderet, isto autem animam mortuos ad vitam rescuscitaret. Hæc Gregorius.

Et ait aliter: sequar te Domine; sed permittite mihi primum renunciare his, qui domi sunt.

COMMENTARIA.

Tertius offert Christo sequelam, sed petit dilationem, vt liceat prius abire, & consanguineis id nunciare, vt sciant, quid de eo actum sit, ne solliciti, & anxij de eius mansione inquirant. Hic autem homo cum homine illo primo in exteriori conuenire videtur, quia sponte offert, se securum, sed in interiori longe dissimilis est: primus enim sine deuotione, & rebus sæculi huius addictus accessit, vnde ab eo, quod promisit, statim recessit. Iste vero animo renunciandi omnibus breui dilatione petita sequi Christum cupit, vnde, & permansit. Homini autem secundo dissimilis videtur in exterioribus, quia secundus a Christo inuitatur, hic vero non vocatus venit, tamen in interioribus similis est, quia in vtroque bonus animus, & studium veritatis inerat, & a Christo intus vterque trahebatur.

ANNOTATIO CXXXI.

Huius hominis Mattheus non meminit, sed a solo Luca relata est historia. Basilius autem in cõsulti. monast. cap. 21. tenet hunc fuisse vnum ex Christi Discipulis, sicut, & præcedentem, qui mortuum sepelire vetitus est. Quidam recentiores verbum renunciandi interpretantur, pro eo quod est valedicere, quasi diceret. Sine me prius valedicere meis domesticis, valedicimus, a quibus recedimus, numquam reuersuri, quam significationem admittit verbum Græcum: Augustinus vero ser. 7. de verb. Dom. interpretatur, pro eo, quod est significare, seu certiore facere aliquem, dicitque petijisse certiores facere suos, ne ambiguitate premerentur, ignorantes, quid de eo actum esset, sensus (inquit) est, vt nunciem meis, ne forte quomodo solet, quærant me. quam etiam significationem verbum Græcum admittit, eamque vetus interpres & Titus Bostrenus secuti sunt; tamen differt Titus ab Augustino in explicando fine huius renunciationis, seu notificationis; existimat enim hunc voluisse re-

nunciare suis, vt consilium caperet cum eis; vnde infert, eum fuisse animo ancipiti, & diuiso. Basilius autem loco proxime citato eandem amplectitur verbi significationem: tamen diuersam interpretationem adhibuit, nempe, vt eo fine renunciare suis voluerit, vt cum eis res suas cõponeret: Ex Discipulis (inquit) suis cuidam, ne id quidam permisit, vt res suas cum propinquis suis componeret. & iterum, ei, qui res suas cum propinquis componere volebat, sic ait: Nemo qui miste manum suam ad aratrum, respiciens retro aptus est Regno Dei. Mihi autem communis verbi significatio probabilior visa est, quam Augustinus, Titus, & Basilius probarunt; is autem finis, quem Titus interpretatur, non placet, nam iuuenis istius oblatio, quando dixit, sequar, absoluta est, & sine vlla conditione, non enim dixisset absolute, sequar, si consilium prius capere intendisset. Accommodatio est hæc Basiliij interpretatio, licet magis probauerim eam, quæ est Augustini.

Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei.

COMMENTARIA.

Verat Christus Discipulum ire ad renunciandum consanguineis, adhibita doctrina, parabolæ cuiusdam breuissimæ, & apertissimæ verbis exposita, sensus est: Qui bonum opus inceptum intermittit, ac procrastinat, non est aptus capeffendo regno Dei, id est, cælestibus, ac spiritualibus bonis adipiscendis, sicut qui mittit manum ad aratrum,

Minora bona quandoque præmittenda pro utilitate maiorum.

Qui fuerit tertius iste homo Christo non vocatus accedens, & quid hoc loco renūciare significet.

trum, & opus seminandi incipit, & retro respicit, opus arandi intermittendo, idoneus non est ad munus agricolæ subeundum, fructusque ex seminibus colligendis. incœpisti ex hac tua voluntate, ac spontanea oblatione ad me sequendum, ne interrumpas, ne procrastines: nam ineptus efficieris, vt me sequaris, meusque Discipulus indiuiduus sis.

ANNOTATIO CXXXII.

Expositio huius parabolæ iuxta Doctores sacros.

Variè exponitur hæc parabola a Doctoribus. Primo Gregorius homil. 3. in Ezechi. illum mittere manum ad aratrum, & respicere retro, interpretatur qui cum semel ad Deum a malis, & peccatis sit conuersus, iterum ad mala, & peccata quæ reliquit, conuertitur; Manum (inquit) mittere ad aratrum est per quandam quasi compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire; sed retro post aratrum aspicit, qui post exordium boni operis ad mala reuertitur, quæ reliquit. Hæc Gregorius. Licet autem per accommodationem quandam possit hæc parabola de huiusmodi hominibus verificari, tamen ad sensum præsentis loci hæc interpretatio non facit: nam homo hic, de quo hoc dictum est, non reuertebatur ad mala, quæ prius reliquerat, cum renunciare suis non esset malum ex se.

Secundo loco Euthymius in præsentis interpretatur hanc parabolam iis conuenire, qui cum spiritualibus rebus incumbant, ad temporalia respiciunt: Oportet enim (inquit) eum qui sequitur Christum, confestim omnia despiciere, & sequi, ne oculos quidem ab eo diuertendo, ne forte habitu, & specie eorum, quæ a tergo sunt, retineatur. Hoc idem ante Euthymium sensit Titus Bostrenus, & adhuc magis declarauit, dicens ad ea omnia temporalia non esse respiciendum amplius, quæ nos auerterunt, aut a studio rerum spiritualium auertere, aut quouis modo retardare possunt: in quem sensum illud accipiendum existimo, quod Paulus dicit, Philip. 3. Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea, quæ sunt priora extendens me ipsum. & illud Psal. 44. Obluiscere populum tuum, & domum patris tui. & hic sensus accommodari potest huic loco, sicque etiam interpretatur Basili. de consil. monast. cap. 21.

Tertio loco idem Basilius serm. 1. de Baptismo, aliter interpretatur, nimirum eum dici respicere retro

cum miserit manum ad aratrum, qui vel breuem moram interponit obedientiæ, quæ sine prætextu velociter, & sine suspensione Domino præstanda est. Huic expositioni consentit ea, quæ posita est in commentario, vt non solum respicere retro sit conuerti ad opera temporalia, sed etiam cessare ab opere incepto, & id intermittere, sicut hic iuuenis faciebat, quod intellige absque causa vrgenti, & maxime cum periculo perdendi opus inceptum: sicut in præsentis casu significatum est; non enim solum occasio sequendi Christum tolleretur sed etiam periculum magnum erat mutandi propositum sequendi Christum, quod quidem sæpe iis accidit, qui rem similem cum domesticis, ac parentibus communicauit, qui perfectioris vitæ institutum plerumque non probant, vt recte notauit Titus Bostrenus. Vnde inuenis iste non solum retardabat Christum sequendi propositum, sed periculo se exponebat id mutandi, & conuertendi se ad sæcularia, ideo manum aratro mittens retro respecturus pronunciat, si talia faceret: quam doctrinam amplexi illi Apostoli relictis rebus, ac patre Christum nulla interposita mora secuti sunt. Non ommittam autem sensum, quem Origenes tract. 33. in Matth. huic sententiæ adhibet, prædicatoribus enim verbi accommodat, eos dicens manum mittere ad aratrum, id est, actum docendi doctrinam Christi, quos oportet non respicere retro, id est, a verbi prædicatione desistere, & salutem animarum incumbere: quamuis enim alia recta vitæ opera habeant, vel hoc solo damnabantur tamquam talentum abscondentes, quod ab Euangelizando cessarunt, iuxta illud 1. Cori. 9. Vt mihi si non euangelizauero. Atque hic sensus applicari potest huic Discipulo Christi, qui forsitan iam Christum annunciare inceperat, saltem ipsa disciplinæ professione, cui dicitur; ne respiciat retro, negotiis sæcularibus intendens, sed eat ad annunciandum Regnum Dei.

FRANCISCI CARDINALIS TOLETI IN SACROSANCTVM LUCAE EVANGELIVM COMMENTARII.

CAPVT DECIMVM.



OST hac autem designauit Dominus & alios septuaginta duos. & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis. In quacumque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax uestra: si autem, ad vos reuertetur. In eadem autem doma manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quacumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis, & curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos Regnum Dei. In quacumque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, excuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem, qui adhesit nobis de ci-

uitate uestra, extergimus in vos. tamen hoc scitote, quia appropinquauit regnum Dei. Dico uobis, quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi ciuitati. & tibi Corozain, & tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factae fuissent uirtutes, quae factae sunt in uobis, olim in cilicio, & cinere sedentes, penitentes; uerumtamen Tyro, & Sidoni remissius erit in iudicio quam uobis. Et tu Capharnaum usque ad caelum exaltata, usque ad infernum demergeris. Qui uos audit, me audit; & qui uos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam demonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem. Ecce dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, & super omnem uirtutem inimici: & nihil uobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus uobis subiiciuntur: gaudete autem, quod nomina uestra scripta sunt in caelis. In ipsa hora exultauit Spiritu sancto: & dixit: Confiteor tibi pater, Domine caeli, & terra, quod abscondisti haec a Sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater: quoniam sic placuit ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius, et cui uoluerit Filius reuelare. Et conuersus ad Discipulos suos, dicit: Beati oculi, qui uident, quae uos uidetis. Dico enim uobis, quod multi Prophetae, & reges uoluerunt uidere, quae uos uidetis, & non uiderunt: & audire, quae auditis, & non audierunt. Et ecce quidam Legis spiritus surrexit tentans eum, & dicens: Magister, quid faciendo uitam aeternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est: quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi: Recte respondisti, hoc fac, & uiues. Ille autem uolens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt: semiuiuo relicto. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem uia: & uiso illo, praeteriit. Similiter & Leuita cum esset secus locum, & uideret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit secus eum, & uidens eum, misericordia motus est. Et appropians alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius age: & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. Quis horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. & ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter. Factum est autem, dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum: & mulier quaedam Martha nomine, excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini, audiebat uerbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quae stetit, et ait: Domine non est tibi cura, quod soror mea reliquit me sola ministrare? dic ergo illi, ut me adiuet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbas erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.

CAPUT DECIMUM.

Post haec autem designauit Dominus & alios septuaginta duos.

COMMENTARIA.

Ranfit Euangelista ad aliqua narranda, quae etiam post ea, quae in praecedentis capituli fine referuntur, gesta sunt, non tamen cum eis immediatam habent cohaerentiam, sed nonnulla intercesserunt, quae ab aliis Euangelistis sunt descripta. Post haec ergo, quae dicta sunt, licet non proxime, & immediate, Dominus ultra duodecim illos discipulos, quos Apostolos uocauit, nuncupauerat, & ad praedicandum miserat, deputauit alios ad id munus, numero septuaginta duos. Particula, & augmentum notat, nempe ultra duodecim delectos etiam esse septuaginta duos.

ANNOTATIO I.

Augustinus lib. 2. de cons. Euang. c. 23. notat illud (post haec) non indicare immediate post praecedentia factam fuisse hanc designationem Discipulorum, sed multa intercessisse, quae narratur a Mattheo. c. 8. Quantum autem fuerit tempus huius interualli, dicit non apparere: quod quidem uerum est; facta enim est haec missio anno tertio praedicationis Christi, & post multa, quae narratur a Ioanne. c. 7. 8. 9. & 10. atque haec de connexionione. Quod autem ad litteram spectat, aduertendum est, exemplaria Graeca non habere illud (duos), sed tantum (septuaginta.) sicq. legitur multi Patres: inter quos sunt Ambrosius in praesenti, & Hieronymus in Epistola ad Fabiolam mans. 6. non solum refert Lucam scriben-

tem septuaginta, sed etiam huic numero applicat illas septuaginta palmas, quae inuetera sunt in deserto cum duodecim fontibus aquarum. Exo. 15. quos significasse Apostolos testatur. eadem dicit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem eundem numerum probant Eusebius lib. 1. hist. c. 12. & Irenaeus lib. 2. c. 27. & lib. 3. c. 13. ac Dorotheus in Synopsi, non tantum septuaginta, sed nomina etiam eorum refert. sic etiam legit Euthymius. At uero non desunt Patres antiqui, tam Latini, quae Graeci, qui legant sicut uulgatus, septuaginta duos, nempe Titus Bostr. Graecus, antiquior Hieronymus in huius loci commentatio. Epiphanius lib. 1. tom. 1. in fine saepe affirmat septuaginta duos, & multorum nomina narrat, quod argumento

Connexio historiarum.

meto manifesto est exemplaria Graeca ita habuisse apud illos, sicut uulgatus interpretatus est. Inter Latinos autem Augustinus lib. 2. quae est. Euang. cap. 14 non solum septuaginta duos affirmat fuisse, sed etiam numeri huius mysterium explicat. & lib. 2. de consen. Euang. cap. 23. legit hunc eundem numerum. Idem etiam Beda in praesenti. Mihi in hac parte uidetur non discedendum a uulgato interprete, cum habeamus auctores Graecos consentientes, & Augustinum sic exponentem. immo forsitan nulla est discordia: nam illi antiqui, qui septuaginta legerunt, secuti sunt morem uisitatissimum Hebraeorum, qui numeros fractos scripti ne silent, & integros referunt, quod de temporibus notauit Augustinus lib. 2. quae est. in Exodum q. 47. Idcirco septuaginta duos, dixerunt septuaginta, quod etiam factum est in illis septuaginta duobus interpresibus, quos saepe dicimus septuaginta, cum scitum delectos fuisse septuaginta duos, sex ex singu-

lis tribubus, ut testatur Iosephus lib. 2. antiquit. cap. 2. ita factum est in hoc Discipulorum numero. Aduerte autem hoc in loco duos ordines Discipulorum Christi, ut notauit Hieronymus epist. ad Fabiolam, mans. 6. nempe primum, & secundum. Primum quidem Apostolorum, quos duodecim elegit, ac super omnes, quasi principes, & capita constituit; secundum autem horum septuaginta duorum, illis inferiorum; unde Euangelistae nomina duodecim, non autem septuaginta duorum retulerunt. Hinc in Ecclesia duo sunt ordines, nempe Episcoporum, qui successores sunt Apostolorum, & minorum Sacerdotum, qui illos septuaginta duos repraesentant. quod Clemens Romanus epist. 1. ad Iacobum, testatur Petrum ipsum docuisse. Episcopos, inquit, uicem Apostolorum gerere, Dominum docuisse dicebat, & reliquorum Discipulorum uicem tenere presbyteros debere insinuabat. Haec ille.

Episcopi successores Apostolorum sunt, reliqui autem sacerdotes aliorum discipulorum.

Et misit illos binos ante faciem suam.

COMMENTARIA.

Designatos mittit ad annunciandum, & praedicandum regnum Dei, ante faciem suam, id est, ante se, & quasi praeuientes eum. Binos autem mittit: tum ut mutuo auxilio, ac consilio sibi esse possint: tum ut ad operam magis se inuicem excitent: tum demum, ut maiorem ab auditoribus fide praedicationi concilient, cum ex uerbo Domini, in ore duorum, uel trium iter omne uerbum. Sic etiam Apostolos binos miserat, ut refert Mar. c. 6.

ANNOTATIO II.

Cur Dominus binos miserat Discipulos.

Gregorius homil. 17. in Euangel. cur Dominus binos miserat Discipulos, assignat causas tres. una est, ad insinuandum duo esse praecipua charitatis, Dei, & proximi. Altera, quia charitas minus, quam inter duos esse non potest, cum nemo dicatur erga se habere charitatem, sed potius dilectionem. Tertia ad significandum eum, qui charitatem erga alterum non habet, praedicationis officium suscipere nullatenus debere. Haec omnia magis ad sensum spiritualem pertinere, quam ad literalem uidentur. Ambrosius in

commentario causam aliam adfert: qua inquit ratione misit binos? quia bina missa sunt animalia in arcam, cum mare femina, immunda per numerum, sed mundata Ecclesiae sacramento, per quae uerba significat Ambrosius, Christum misisse binos, ut ostenderet, quod sicut numerus binarius imperfectus est, ita etiam ad quos mittebat Discipulos binos, imperfecti erant, perficiendi uero Christi fide, & charitate, quae etiam ad spiritualem sensum magis spectant; ad literalem enim ea, quae in commeterio dicta sunt, magis facere uidentur.

In omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus.

COMMENTARIA.

Exponit Euangelista, quo Discipuli missi nunc sint ad praedicandum: In omnem, inquit, ciuitatem, & locum, id est, villas, castella, pagos, ad quae ipse uenire disponebat, ut essent quasi praecursores eius. Haec ciuitates, & loca sunt Iudaeae regionis, in qua Christus tunc erat, quando hos septuaginta miserat, cum prius Apostolos in Galilaeam, reliquumque Israel misisset, ut supra cap. 9. narratum est.

ANNOTATIO III.

Cur Christus Discipulos praemiserat.

Gregorius homil. 17. in Euang. causam exponit, cur Discipulos praemiserat. Bene, inquit, dicitur, quia misit eos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Praedicatores enim suos Dominus sequitur, quia praedicatione praenit, & tunc ad mentis nostrae habitaculum Dominus uenit, quando uerba exhortationis praecurrunt, atque per hoc ueritas in mente suscipitur. Hinc namque eisdem praedicatoribus Elaias dicit: Parate uiam Domini, rectas facite semitas Domini Dei nostri. Haec Gregorius. Quae spiritualiter dicta sunt, & de aduentu Christi spirituali in mentes hominum procedunt. At hoc

in loco agitur de aduentu sensibili, & corporali, quo Christus ciuitates, & loca Iudaeae uisitauit, praemittens Discipulos suos; cuius missionis causa realis illa esse uidetur, quae fuit, ut Ioannes Baptista praecurreret aduentum eius, nimirum ut explicata lege, & expositis Prophetis de Christi aduentu, conuictos homines de suis peccatis, ac per penitentiam praeparatos, disponerent ad facilius recipiendam Christi praedicationem. Cum enim ipse non posset longo tempore in singulis locis permanere, quia iam ad mortem properabat, ante se misit suos, ut homines diu, & mature rem tantam considerarent.

Et dicebat illis: messis quidem multa, operarij autem pauci.

Explicat Euangelista, quomodo Christus designauerit, & miserat Discipulos hos. primo quidem causam designationis, & missionis illis exposuit, dicens: Messis multa est; operarij autem pauci, id est, numerus eorum, qui in me credituri sunt ex Iudaeis, magnus est; numerus uero praedicatorum, & eorum, per quos credere debent, paucus est; nam haecenus duodecim tantum mecum habeo, qui tanto numero non sufficiunt. His uerbis indicauit causam, cur promoueret, & augeret praedicationem, & mittendorum numerum ultra Apostolos duodecim. Cur autem metaphora messis, & operarij usus sit, & quid per messem significauerit, in annotatione declaratur.

ANNOTATIO IIII.

Cur messis me-
taphora vsus
sit Christus, &
que sit hæc
messis.

Aduertenda sunt nonnulla. Primo quidem, quan-
do Dominus misit duodecim Apostolos in Gal-
ilæam, & reliquum Israel ad prædicandum, similibus
vsus est verbis, vt refert Mattheus cap. 9. in fine; Messis
quidem, inquit, multa, operarij autem pauci; erat
enim ipse tunc solus, & præcurfor Ioannes, qui pauci
erant, idcirco auctus est numerus missis duodecim;
nunc etiã aucturus numerũ hũc, vt mitteret prædica-
tores in Iudæam, eisdem vsus est verbis; Messis mul-
ta, operarij autem pauci, significans etiam numerum
Apostolorum paucum esse, pluresque operarios esse
necessarios, eaque de causa septuaginta designauit
Discipulos. Aduertendum est secundo ex August. ser.
42. de Sanctis. hanc messem non esse in Gentibus, sed
in populo Iudæorum: cuius rationem sapienter red-
dit: nam messis non dicitur, nisi vbi seminatum est;
at in gentibus non præcesserat semen, id est, verbum
de Christo, cũ lex, & prophetiæ Iudæis datæ fuerint;
horum enim legislatio, testamentum, obsequium, &
promissa, vt testatur Paulus Rom. 9. idcirco in aduen-
tu Christi messis erat Iudæorum, quibus per Prophe-
tas seminatum erat, vnde Ioan. 4. dicit Christus, alius
est qui seminat, alius est, qui metit, ego misi vos me-
tere, quod vos non laboratis. Gentibus autem se-
minandum erat verbum per Apostolos missos à Chri-
sto. Vnde Matth. 13. hanc prædicationem gentium

parabola seminantis Christus significauit. Atque
hæc est causa, cur Christus sit tali metaphora vsus,
quando dixit: Messis quidem multas: loquebatur enim
de Iudæis. Similiter, quando misit Apostolos in Gal-
ilæam, eadem verba protulit, nam ea prædicatio facta
fuit etiam Iudæis, id est his, quibus lex, & pro-
phetiæ datæ erant, vt quando Christus veniret, in-
eum crederent, ipsumque reciperent, quod erat tem-
pus messis: ea autem messis, quæ ex seminato Euange-
lio colligenda est, vltimo tempore in secundo Chri-
sti aduentu fiet, quam Dominus alia parabola ex-
plicauit apud eundem Matth. cap. 13. vbi dicit Mes-
sis cõsummatio sæculi est. messores autẽ Angeli sunt.
possumus etiam dicere in primo aduentu messem
esse etiam gentium, nã prædicatio Euangelij fuit qua-
si seminatio per Apostolos, & successores facta, mes-
sis vero fides, & religio suscepta ab eis, seu illi omnes,
qui audito Euangelio obediunt, quamuis proprius
conueniat Iudæis vt dictum est. Messem ergo hoc in
loco appellat eos ex Iudæis, quibus Christus annun-
ciandus erat, quique ad eum recipiendum parati erant,
in eumque credituri, vt notat Hieron. Matth. 9. Mes-
sis inquit, erat omnis turba credentium. Quod in-
telligit de Iudæis, quibus Christus per legem, & pro-
phetas, quasi seminatus iam erat.

Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

COMMENTARIA.

Exposita causa designationis, & augendi numeri prædicantium, hortatur Disci-
pulos omnes ad rogandum Deum, vt velit mittere operarios, & augere prædi-
catores, quasi diceret, cum sint multi credituri, & pauci operarij, qui verbum
prædicent, rogare Deum, qui Dominus est messis, vt augeat numerum hunc &
multiplicet operarios pro multitudine, ac magnitudine messis huius. Exhortatur
autem Christus Discipulos ad orationem, & preces, vt significet eis munus hoc præ-
dicandi, & annunciandi Christum à Deo esse, nec fructum prædicationis expectari
posse, nisi ab ijs, qui missi fuerint à Deo. Roman. 10. Quomodo prædicabunt, ni-
si mittantur? vnde de falsis prophetis dictum est Ieremi. 23. Non mittebam Prophe-
tas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Fecit etiam hoc,
vt agnoscerent quantum esset donum, & munus, ad quod designabantur, quod præ-
cipus à Deo impetrandum, & ab eo solo postulandum erat. Non autem dicit, Ro-
gate, vt mittat vos in messem, quia nemo debet à Deo petere Episcopatus,
& munia Ecclesiastica, sed rogare, vt mittat operarios in messem suam. pro melie
roganda sunt ista, non pro nobis.

ANNOTATIO V.

Explicatur ma-
gis proxima
sententia.

Augustinus serm. 42. de Sanctis, distinguit duas
messes, vnam ex Iudæis, alteram ex gentibus. illam
dicit significatã in verbis præcedentibus, scilicet,
messis multa, operarij autem pauci. Hanc vero in præ-
senti sententia, rogate Dominũ, vt mittat operarios in
messem suam, nempe in eos, qui credituri sunt ex gen-
tibus. Quæ interpretatio mihi videtur difficile accõ-
modari posse contextui, propter particulã illatiuã (er-
go) quæ ostendit, quia multa messis est, & operarij pau-
ci, idcirco rogandum esse Dominum, vt mittat opera-
rios plures. Igitur in eadem significatiõne vtrobique
accipiẽda est messis, aut pro Iudæis, aut pro Gëtibus,
aut pro omnibus indistincte. Euthymius in præsentia
aliter interpretatur; notat enim hanc sententiam cum
præcedenti bis à Christo prolatam, nempe quando
misit duodecim Apostolos in Galilæam, quod refert
Matth. cap. 8. in fine, & nunc quando misit Discipulos
hos: dicit ergo in illa Apostolorũ missione messem acci-
pi pro ea, quæ erat ex Iudæis; messis nempe Iudæorum
multa est, operarij autẽ scilicet Apostoli pauci: iubet
autem Apostolis, rogare Dominum, vt mittat opera-
rios, nempe hos septuaginta Discipulos, hæc enim mis-

sio facta est post illam. At in hoc loco dicit messem
accipi pro ea, quæ futura tunc erat ex gentibus, roga-
reque præcipit, vt mittat operarios, nempe Episco-
pos, & prædicatores, qui postea secuti sunt. Hæc est
Euthymij sententia, quæ etiã non videtur satis accom-
modata, quia Discipuli nunc nõ mittuntur ad gentes,
sed ad solos Iudæos; ratio ergo missionis, nempe quia
messis multa, & operarij pauci, non potest extendi ni-
si ad eosdem. Adde quod supradiximus cum Augusti-
no messem nõ tam Gentibus, quam Iudæis conueni-
re, in illis enim non erat verbum seminatum, sicut in
illis. Existimo ergo dicendum quantum ad litteralem
contextum apud Mattheum, messem accipi pro ijs,
ad quos tunc mittebatur Apostoli, nempe ciuitatibus,
& oppidis Galilææ, iubetque Christus Apostolos, vt
rogent Dominum, vt mittat operarios, nempe eosdem
Apostolos, quia quando hæc verba proferebat Chri-
stus, nondum eos elegerat, ac miserat, hoc enim statim
fecit, postquam precandum monuit, sic enim habet
Mattheus: nã post illa verba, rogate Dominum messis
vt mittat operarios, conuocauit eos, elegit, & misit, vt
principio capitis noni narrat. Hoc autem in loco mes-

ffs accipitur pro Iudæis, qui erant in regione Iudæa,
vbi tunc Christus erat, & in quem mittebat Discipu-
los monetq; eos, vt rogent Dominum ad mittendum
operarios, qui quide n erãt ipsimet. Sed nondum mis-
si, nã post hæc verba misit eos, dicens: Ite, sicut qui de-
stinauit mittere aliquos ad aliquod opus, prius eos mo-
net ad rogandum Deum, vt velit operarios mittere,
licet ipsinet postea sint eligendi. Sic factam est hic,
& apud Mattheum. Messis ergo multa erat,

quando misit Apostolos, quia multis per totam
Galilæam prædicandum erat verbum, operarij au-
tem pauci, quia ante missionem Apostolorum Chri-
stus erat, & præcurfor eius Ioannes: nunc etiam
messis multa Iudæorum, operarij pauci, quia
etiã si Apostoli essent duodecim, adhuc paucus
numerus erat, augendus autem per Discipulos.
Hic mihi videtur sensus accomodatus contextui.

Itte.

COMMENTARIA.

Postquam reddidit causam, cur numerus operariorum augendus esset, ac etiam
monuit, vt rogarent Dominum messis, vt mittere dignaretur operarios, misit
eos, quos ad se traxerat, Discipulos: Ite, inquit, quo verbo seipsum indicat Domi-
num messis: si enim rogandum dixit Dominum messis, vt operarios mitteret, & post
hæc ipse misit, igitur ipse Dominus messis est. Est autem hoc verbum non tantum
significatiuum missionis, & prædicationis faciendæ, sed etiam efficac, conferens po-
tatem prædicandi, & munus hoc obeundi.

Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.

COMMENTARIA.

Admonet Christus periculi, quod in missione erat; tum vt cautiores reddat,
caute enim agit, qui pericula præuidet; tum, vt confidentiores, ac securiores
fortioresque efficiat: si enim Christus præcius, periculorum eos mittebat, profecto
facile intelligere poterant, se ab eo omnem opem, & auxilium habituros, non enim
qui non casu, sed consilio exponit suos periculo, id facit, nisi sciens eos ab ipsis pe-
riculis euasuros liberos: Ecce, inquit, mitto vos, sicut agnos inter lupos: nam
vt lupi aduersantur, & insidiantur agnis, sic Iudæi vobis; vtque lupi potentiores,
ac validiores sunt agnis, sic Iudæi temporali potentia, ac viribus superant vos, sed
ecce ego mitto vos. ecce inquit, aduertite, cauti estote, ne vos inopinatos, ac im-
præmeditados pericula inueniant. rursus, ecce ego sum, qui mitto, confidite, timo-
rem deponite, sicut mihi nocere non potuerunt, sic nec poterunt laedere vos.

ANNOTATIO VI.

Cur Dominus
hæc verba nõ
dixit Apосто-
lis quando eos
misit.

Non immerito interrogabit quispiam, cur quan-
do Christus misit Apostolos, cum multa eis
dixisset, que tunc Discipulis repetit, non hoc dixit,
Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos: supra
enim cap. 9. Lucas illius missionis meminit, nec
huius sententiæ mentionem ullam habuit. Mihi
respondendum videtur, causam inuestigandam
esse ab ijs, ad quos missi sunt, Apostoli namque in
Galilæa ciuitates, & loca missi fuerunt, Discipulo
vero nunc in Iudæam; erant autem Iudæi infensis
Christo, enimque maxime persequebantur, multas-
que illi insidias parabant; contra vero Galilæis accep-
tus erat, securusque apud eos versabatur, vnde sepe
insidias Iudæorum fugiens in Galilæam se recipie-
bat, legitimusque Ioan. 11. volenti ire in Iudæam di-
xisset Apostolos. Nunc querebant re Iudæi lapidare,
& iterum vadis illuc? respondisseque Thomam: eam-
us, & moriamur cum illo, quasi sciret Iudæorum
odium, & insidias. Hoc autem idem Ioannes apertius
docuit cap 7. Ambulabat inquit Iesus in Galilæ-
am, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia
querebant eum Iudæi interficere. Hinc consequitur
missionem Discipulorum fuisse multo pericu-
losiorem illa, quæ fuit Apostolorum, eo maxime,
quia nõ solum tunc ad Iudæam, sed etiam anno tertio
prædicationis Christi, iam passione eius imminente,
quando Iudæi maxime in illum sentiebant. Hinc
est, quod Discipulis alioquin dicens: Ecce ego
mitto vos, sicut agnos inter lupos, non autem Apo-
stolos, qui tunc eantes, parum, aut nihil periculi
subabant, quod si quis obijciat apud Mattheum cap.
10. quando misit Apostolos in Galilæam, scriptam
est: Ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos. re-
spondeo eã sententiam non pertinere ad missionem,

quando missi sunt Apostoli in Galilæam à Christo,
quam Mattheus verbis præcedentibus narrauerat;
sed ad missionem generalem tam ad Iudæos, quam
gentes, quæ facta est post resurrectionem, cuius
Mattheus sequentibus verbis meminit; vnde talis
sententia coniungi debet sequentibus, non autem
antecedentibus, quod argumento manifesto proba-
tur, nam sequitur: Cauete ab hominibus, tradent
enim vos in concilijs, & Synagogis suis flagellabunt
vos, & ad præfides, & reges ducimini &c. Hæc
autem non euenerant, quando missi fuerunt in Gal-
ilæam ante Christi passionem, sed post resurrectio-
nem: quando palam Iudæis, & gentibus Euange-
lium prædicauerunt, & tunc maxime versabantur in
periculis, idcirco præmonetur à Christo: ante
passionem vero missio parum, aut nihil periculi
habuit apud Galilæos, hæc vero multum periculi
habuit, quia erat apud Iudæos, eaque de causa his,
non autem illis, dixit: Ecce ego mitto vos, sicut
agnos inter lupos. Quod si Discipulis in hac mis-
sione nihil mali euenit, id factum est ex Christo pro-
tegente, non autem ex parte Iudeorum, qui si per-
niciter essent, deuorassent Discipulos, sicut lupi agnos
tales autẽ Galilæi tunc nõ erant, idq; significauit Do-
minus de Iudæis dicens: Mitto sicut agnos inter lupos.

Dicit quispiam, cur non misit Apostolos in Iu-
dæam? respondeo Apostolos, quia cum Christo con-
tinuo aderant, fuisse etiam infensos Iudæis, sicut
erat Christus, non autem Discipulos, qui minus
noti erant, idcirco non illos misit, ne odium in
eos impediret omnino prædicationem, prædica-
tor enim verbi minus sentitur, quanto magis odio
habetur, quod recte Greg. 2. par. pastor. cap. 8.
aduertit dicens: difficile est vt recta denuncians præ-
dicator

Cur non misit
Dominus A-
postolos in
Iudæam.

dicator, qui non diligitur, libenter audiat: contra vero gratiores erant Galilæis, sicut & Christus, sapientissime igitur Christus egit, in eligendis prædicatoribus, auditorum habita ratione.

Quamobrem mittens Christus Apostolos post resurrectionem dixit: Mitto vos sicut oves, & non dixit, sicut agnos.

Poterit quispiam iterum interrogare, cur Christus loquens de missione, quando misit Apostolos post resurrectionem, dixit; Mitto vos sicut oves, & non dixit sicut agnos. Apostolos ouibus, Discipulos autem agnis conferens? Respondeo id factum propter significationem, nam oves adultum sunt animal, & perfectum, agni vero, imperfectum, & nondum adultum; sic Apostoli, quando missi sunt post resurrectionem, erant homines perfectissimi iam in eos misso Spiritu sancto, eiusque plenitudine accepta; at nunc Discipuli etiam sancti, ac

iusti essent, plenitudinem ac robur Spiritus sancti nondum acceperant, idcirco per agnos, non per oues significantur. Adde quod Apostoli innumeros populos, ac fideles parituri erant Christo, idcirco oues dicuntur, animal fecunditati aptum: at Discipuli nunc parum fructus allaturi erant, ideo agni dicuntur, qui nondum generationi apti sunt. Vtrumque autem animal tam ouis, quam agnus animal est inerme, quia prædicator Christi non temporalibus armis, viribus, opibus, scientijs inducenda erat, sed efficacia verbi Dei. 2. Cori. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, & Leo ser. de Petro, & Paulo: minus est; à Româ, quod tibi labor bellicus subdidit, quam quod pax Christiana subiecit.

Nolite portare sacculum neque peram.

COMMENTARIA.

VT essent Discipuli Deo confidentiores, totamque spem in eo, qui misit illos, ponerent, ac ab omni auaritiæ suspitione apud eos, quibus prædicaturi erant verbum, carerent, omni que huius sæculi sollicitudine deposita prædicationi incumberebent, sacculum in quo asseruantur pecuniæ, peram in qua reconduntur cibaria, prohibet.

Neque calceamenta.

COMMENTARIA.

Non per hoc nudis pedibus vult Christus Discipulos incedere, prohibetur enim vsus tantum calceamentorum, quæ totum pedem contegunt, non autem sandaliorum, quæ inferiorem tegunt partem, nempe plantam, & corrigijs in parte superiori ligantur, vti supra cap. 9. cum de missione Apostolorum ageremus, vbi de hoc, & de præcedentibus mentio fieret, explicuimus. Voluit enim Christus eo, quod necessarium erat, retento, quod superfluum erat, etiam in pedibus contegendis refecare, & paupertatis argumenta præbere.

ANNOTATIO VII.

Gregorius hom. 17. in Euang. hæc tria explicans sic inquit: Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta. Prædicatori etenim tanta debet in Deo esse fiducia vt præsentis vitæ

sumptus quamuis non prouideat, tamen sibi hoc non deesse certissime sciat, ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus alijs prouideat æterna. hæc Greg.

Et neminem per viam salutaueritis.

COMMENTARIA.

Præcipit Christus Discipulis, vt celeriter, & omni mora reiecta, cunctisque sublatis impedimentis, verbi prædicationi incumbant, opusque impositum obeant. idque hyperbolica oratione significat: Neminem, inquit, salutaueritis in via, id est, prætermittite omnia, quæ retardare, aut impedire possunt, quo minus prædicandi munus impositum exerceatis.

ANNOTATIO VIII.

Expositio superioris sententiæ iuxta dicta Patrum.

Simili oratione vsus est Elisæus. 4. Reg. 4. quando misit Giezi famulum suum ad fucitandum puerum cum baculo; Si, inquit, occurrerit tibi homo, non salutes eum; & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi. Vtrumque locum Ambrosius exponens inquit. considera non hoc esse solum, neminem salutaueritis; sed non frustra additum: in via. denique, & Elisæus cum mitteret seruum, vt baculum eius poneret supra corpus pueruli defuncti, mandauit ei, ne per viam aliquem salutaret. festinato etenim iubeat ad eum cõtendere, vt celebranda resurrectionis exequeretur officium, ne confabulatione alicuius obuij mandato reflecteretur à munere. ergo & hic non salutationis officium, ac sedulitas aufertur, sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur, vt quando diuina mandantur, paulisper sequestrentur humana. Pulchra est saluatio, sed eo pulchrior, quo præceptorum maturior executio diuinorum, quæ per moram sæpe trahit offen-

sam: Ideo autem & honesta prohibentur, ne solemnibus gratia obrepat officij, & impediatur ministerium, cuius mora culpa sit. hæc Ambro. Augustinus etiam ser. 42. de sanctis, idem sentit, dicens: Quid est neminem salutaueritis in via? potest quidem etiam simpliciter sic accipi, quia iussit nos festinanter agere iniuncta, & hoc ita dixit, neminem per viam salutaueritis, tamquam diceret, omnia prætermittatis, dum quod iniunctum est, peragatis, ea locutione, qua solent dicta exaggerari consuetudine fermocinandi. Hæc August. Idem dicit Gregorius hom. 17. in Euang. Cui per viam, inquit, neminem salutare conceditur, vt sub quantal festinatione iter prædicationis peragere debeat, ostendatur. consentit his Euthymius sic inquit. Hoc iussit, non inhumanos eos fieri volens, aut moribus asperos, quos nemo possit compellere, sed impedimento carentes. Solet enim saluatio per viam vehementiæ studij vt plurimum oblatæ.

præce-

præcepit itaque illis, vt soli operi eis commisso intendant, & oblatam prædicationis occasionem non consumant in ea, quæ necessaria non sunt, sed præter intentum sese offerunt. Hæc ille. Ex quibus consequitur non esse litteraliter sic ista intelli-

genda, vt nemo in via vlla ratione salutandus esset, cum sint per hyperbolem, & figuram dicta, sed quod festinanter, & omni impedimento abiecto, ac remototo prædicationi esset incumbendum.

ANNOTATIO IX.

Moralis Gregorius expositio de non portandis sacculo, pera, calceamentis, & non salutando in via.

Gregorius homil. 17. in Euangel. hæc præcepta de non portandis sacculo, pera, calceamentis, & non salutando in via, moraliter, & per allegoriam interpretatur, ac prædicatoribus verbi accommodat. primum quidem de non portando sacculo, sic explicat: In sacculo, inquit, pecunia clausa est; pecunia autem clausa significat sapientiam absconditam, & occultam. Qui igitur sapientiæ verbum habet, sed hoc erogare proximo negligit, quasi pecuniam in sacculo ligatam tenet. Vnde scriptum est Ecclesiastici 41. Sapientia abscondita, & thesaurus occultus, quæ utilitas in verisque? Hæc allegoria sumpta est ab Augustino serm. 42. de Sanctis. De non portanda autem pera sic inquit Gregorius; Quid per peram, nisi onera sæculi? Qui ergo officium prædicationis suscipit, dignum non est, vt onus sæcularium negotiorum portet, ne dum hoc eius colla deprimat, ad prædicanda cælestia non assurgat. Augustinus autem ad eandem significationem refert peram, & sacculum. De calceamentis vero Gregorius sic habet: Quid per calceamenta, nisi mortuorum ope-

rum exempla signantur? Qui ergo prædicationis officium suscipit, non debet stultorum operum exempla conspiciere, ne sua opera, quasi ex mortuis pellibus credat munire. Sunt etenim multi, qui prauitatem suam ex alienis prauitatibus tuentur. Quia enim alios talia fecisse considerant, se hæc facere licenter putant. Hi quid aliud faciunt, nisi pedes suos ex mortuorum animalium pellibus munire conatur? Augustinus vero loco citato allegoriam interpretatur: Calceamenta, inquit, quibus vimur, coria mortuorum sunt, nobis tegmina pedum. per hoc ergo iubemur renunciare mortuis operibus. Hæc August. De nõ salutando autem in via, idem Greg. sic habet: Omnis, qui salutat in via, ex occasione salutat itineris, non ex studio optandæ eius salutis. Qui igitur non amore æternæ patriæ, sed prætorum ambita salutem audientibus prædicant, quasi in itinere saluant; quia ex occasione, & non ex intentione salutem audientibus exoptant. Hæc Grego. hanc allegoriam eodem modo licet pluribus verbis exponit Augustinus loco citato.

In quamcumque domum intraueritis, primum dicite: pax huic domui.

COMMENTARIA.

Adiungit Christus quintum præceptum Discipulis, quos mittebat, iubet enim domum, in quam intrauerint ante omnia salutandam, dicendo; Pax huic domui, quæ saluatio est significatio aduentus ipsorum pacifici, & amici, & imprecatio quædam est, oprantium à Deo pacem domui illi. Est autem pax hæc reconciliatio cum Deo, per gratiam à Christo factam, qua & peccata remittuntur, & amicitia cum Deo restituitur, hanc Discipuli imprecari, & annunciare iussi sunt, quam etiam angeli annunciarunt, dicentes: In terra pax hominibus. Per domum non parietes, & tecta, sed habitatores intelliguntur. Simile præceptum dedit prius Apostolis, quando misit illos in Galilæam, vt refertur Matth. 10.

Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax uestra.

COMMENTARIA.

Prædicat Discipulis, quæ euenient ex salutatione hac, vt eos consoletur, & excitet ad prædicandum cum fiducia, & lætitia; Si in domo, inquit, illa fuerit filius pacis, hoc est, Dei cultor, non contentiosus, sed veritatis amator, & suæ salutis cupidus, requiescet super eum pax vestra, hoc est illi proderit vestra saluatio, & fructuosa erit prædicatio vestra in eo, recipietque vos.

ANNOTATIO X.

Quis dicatur filius pacis.

Gregorius homilia 17. in Euangel. filium pacis, in hoc loco interpretatur, qui prædestinatus est; Aut erit, inquit, prædestinatus ad vitam, & cæleste verbum sequetur, quod audit. Hæc interpretatio patitur difficultates duas. Vna est, nam quamuis quicumque prædestinatus ex illis certissime crediturus esset, non tamen consequitur, quod tunc crederet Discipulorum prædicationi; multi enim ex prædestinatis Christo prædicanti non crediderunt, immo eum perferenti fuerunt; postea vero fidem susceperunt Apostolis annunciantibus Euangelium; sic etiam fieri potuit, vt multi fuerint tempore prædicationis huius à Discipulis facti, qui prædestinati erant, & tamen non crediderunt tunc, nec pax illa requieuit in eis; sicut etiam fieri potuit, vt aliqui tunc crediderint, & ea pax in eis requieuerit, qui tamen postea recesserunt, & damnati sunt. Altera diffi-

cultas est ex loco Matth. 10. vbi hoc idem dixit Apostolis, quando misit eos; Si fuerit, inquit, domus digna, veniet pax vestra super eam. Quod igitur apud Matthæum dicitur domus digna, nunc appellatur filius pacis. Hanc autem dignitatem non posse ad prædestinationem referri, conuincunt antecedentia apud Matthæum, vbi Dominus ait: In quamcumque ciuitatem intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit. hoc autem prædestinatis non potest accommodari, qui soli Deo noti sunt. nec de his homo hominem interrogare potuit. Erit ergo homo dignus vir bonus, Dei cultor, & salutis suæ cupidus, non contentiosus, sed veritati acquiescens, multique tales fama, & opinione hominum noti sunt, de his interrogare iubetur Apostoli, & in talibus pax eorum mansionem habitura prædicatur, & eos nunc filios pacis vocat Dominus; quos Paulus ad Rom. 2. explicuit à

contrario sensu; ijs, inquit, qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio. Filij igitur pacis sunt, qui non ex contentione sunt, sed acquiescunt veritati, de quibus etiam Dominus Ioan 3. dixit: qui facit veritatem venit ad lucē. sic Paulus dicitur Act. 18. migrasse in domum Titi iusti, colentis Deum. Quod si quis dicat aliud esse, quod locutus est Apostolis apud Mattheum, aliud, quod nunc dicit Discipulis apud Lucam, nec esse domum dignam, & filium pacis, velitque cum Gregorio sentire, nempe tunc credidisse Discipulis eos, quos Deus prædestinauerat ad vitam, probabiliter sentiet, & non sine exemplo Scriptu-

ræ sacræ: nam prædicantibus post Domini resurrectionem, & sancti Spiritus aduentum Apostolis, dictum est Act. 13. crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Quidam recentiores interpretantur filium pacis, id est, dignum pace: mihi tamen accommodatior videtur interpretatio, quæ posita est in commentario. Euthymius autem filium pacis explicat pacificū: quæ explicatio consentiens est nostræ expositioni, & est Hebræa phrasis. Utuntur enim Hebræi genitiuo substantiuo pro adiectiuo; appellant enim filium diuitiarum, id est, hominem diuitem, sic filium pacis scilicet pacificum.

Sin autem, ad vos reuertetur.

COMMENTARIA.

Complet Christus præcedentem sententiam, adiuncta parte opposita nimirum, si filius pacis ibi non fuerit, super quem requiescat pax vestra, ad vos reuertetur, hoc est, non propterea inutilis erit salutatio vestra, nec inanis labor vester, nec perdetis mercedem vestram; reddetur enim vobis pro vestra voluntate, charitate, labore, & opere. Hoc magnæ consolationis argumentum est prædicatoribus verbi, utilis enim est eorum labor, & fructuosus ipsis, siue auditoribus profit, siue non.

ANNOTATIO XI.

Confirmatur
expositio in
commentario
posita.

Augustinus serm. 42. de sanctis in fine hanc sententiam explicat, sicuti nos in commentario exposuimus. Reuertetur, inquit, ad vos, quæ non discessit à vobis. hoc dicere voluit, vobis prodest, quod annuntiastis, nihil profuit, qui non suscepit. non quia ille inanis remansit, ideo vos perdidistis mercedem, reddetur vobis pro voluntate vestra, reddetur vobis pro charitate, quam impendistis. Hæc Augustinus. Gregorius etiam homil. 17. in

Euang. pax, inquit, quæ ab ore prædicatorum offertur, aut requiescit in domo, si in ea filius pacis fuerit; aut ad eundem prædicatorem reuertitur, quia aut erit quisque prædestinatus ad vitam, & cæleste verbum sequetur, quod audit: ac si nullus audire voluerit, & ipse prædicator sine fructu non erit, quia ad eum pax reuertitur; quoniam ei à Domino pro labore sui operis merces recompenfatur. Hæc Gregorius,

In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt.

COMMENTARIA.

QVI sacculum, & peram prohibuit, sumptus, & alimenta ex eadem prædicatione concedit; In ea ipsa, inquit, domo, in qua filius pacis fuerit, & pax vestra quieuerit, manete; id est, hospitium habetote, & comedite, & bibite de ijs, quæ ipsorum sunt, & ab ijs terrena stipendia consequamini, quibus salutem spiritualem, & vitam æternam annuntiatis. Hoc Paulus à Christo edoctus dixit 2. Corinth. 9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?

ANNOTATIO XII.

Aduertendum est quosdam recentiores existimasse, hoc in loco Christum præcepisse Discipulis, ut bini diuerterent in hospitium, nec separarentur inuicem; sic enim interpretantur illud, in eadem domo, & non considerant id relatiuū esse, referriq; ad præcedentia, nimirum, in qua domo filius pacis fuerit, & requiescet pax vestra, in eadem manete, & hospitium habete, & de ijs, quæ ipsorum sunt, comedite, & bibite: quem sensum Græca etiam faciunt: In ipsamet, in-

quit, domo manete, ut referatur ad præcedentia. Notat hic Euthymius Christū permisisse Discipulis edere, & bibere, quæ ab illis, quibus prædicabant, porrigerentur, non simpliciter, sed sicut Discipulos eius decebat, quod quidem notum illis erat. quæ doctrina vera est; frugalissime enim, & temperatissime viuebant; sicut & Christus, quamuis cibis communibus vterentur.

Dignus est enim operarius mercede sua.

COMMENTARIA.

Causa est præcedentis sententiæ; Manete, inquit, in ea domo edentes, & bibentes de illorum substantia, quia dignus est operarius mercede sua, hoc est, nullo vobis opus est viatico, digni enim estis, qui alimini ab ijs, apud quos operamini. non donum hoc est, sed debitum, non gratia, sed merces, quia vobis alimenta debentur ab ijs, quibus verbum prædicatis, sicut operariis merces debetur.

ANNO-

ANNOTATIO XIII.

Gregorij in
hunc locum
pulchra expo-
sio.

Gregorius hom. 17. in Euang. hunc locum pulchre, & docte interpretatur sic dicens: Quia iam de mercede operis sunt ista alimenta sustentationis, ut hic de labore prædicationis merces inchoetur, quæ illic de veritatis visione perficitur. Quia in re considerandum est, quod vni nostro operi duæ mercedes debentur, vna in via, altera in patria: vna, quæ nos in labore sustentat; alia quæ nos in resurrectione remunerat. Merces ergo, quæ in præsentia accipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustius tendatur. Verus ergo quisq; prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mer-

cedem recipiat, sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis namq; ideo prædicat, ut hic vel laudis, vel muneris mercedem recipiat; æterna procul dubio mercede se priuat. Quisquis vero vel ea, quæ dicit, ideo placere hominibus appetit, ut dum placet, quod dicitur, per eadem dicta non ipse, sed Deus ametur, vel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne a prædicationis voce per indigentiam lassetur; huic procul dubio, ad recipendam mercedem nihil obstat in patria, quia sumptus sumpfit in via. Hæc, & alia multa digna lectione, & consideratione Gregorius.

Nolite transire de domo in domum.

COMMENTARIA.

Prosequitur optimis, & vtilibus præceptis Discipulos suos instituere: Ne, inquit, transite de domo in domum, id est, cum inueneritis filium pacis, in eiusque domum recepti fueritis, ne mutetis hospitium, in eadem ciuitate cursitando de domo in domum, ne vel leues, ac mutabiles, aut gulæ dediti videamini, sed permanete dum, qui vos hospitio recepit, sustinet. Plura diximus in cap. 9. vbi hoc idem Apostolis suis Christus præcepit. non prohibetur de domo vna in aliam transire causa rationabili: nam & Paulus Act. 18. de domo Aquilæ transfuit in domum Titi: sed vetatur frequens, & voluntarius sine iusta causa, vel necessitate transitus.

Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis.

COMMENTARIA.

Documentum tradit, qualiter se cum ciuitatibus, ad quas peruenerint, gerere debeant. In quamcumq; igitur ciuitatem intraueritis, si in ea vos susceperint, id est, hospitio exceperint, ibi primum manducate, quæ vobis apponuntur, id est, non curetis, quidnam apponatur, sed estote simpliciter quocumq; cibo contenti, non petentes quæ vobis placent cibaria, sed accipientes, quæ vobis offeruntur. Hoc præcepit Christus, ut aliis sit argumentum, illos non propriam commoditatem quærere, nec ea de causa, ac eo fine illuc aduentasse, sed ob aliorum vtilitatem, aliaq; prætere, quæ magis sunt necessaria.

ANNOTATIO XIV.

Dux obiectio-
nes circa supe-
riora soluuntur.

Dvæ difficultates se offerunt, prior est; nam superflua videtur hæc sententia, cum dictum sit paulo superius, in domo eadem manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: superfluum igitur videtur id nunc repetere. Respondeo non esse repetitionem, nec has sententias idem continere documentum, nam prioris sententiæ sensus est, ut edant de ijs, quæ sunt de substantia eorum, quibus prædicauerint, quasi diceret, non est, quod ematis, aut pretio comparetis vobis victum, sed ijs, quæ aliorum sunt, utimini, ac si vestra essent: propterea adiunxit Christus: Dignus est operarius mercede sua: nec dictum est, Edite, & bibite, quæ apponuntur vobis, sed dicitur: Quæ apud illos sunt. At in posteriori hac sententia documentum datur distinctum, nimirum, ut in ijs, quibus uti conceditur, non curent, quid, aut quale sit, quod eis offertur, sed quolibet cibo, & potu dato sint contenti; sic enim significabant se non cibum corporalem, sed spirituales inquirere, nec propriæ vilitati, sed aliorum incumberent.

Posterior difficultas est, cur Dominus prius de domo egit, quam de ciuitate, cum potius prior sit ingressus in ciuitatem, quam in domum priua-

tam. Respondeo duplicem ingressum fecisse Discipulos in ciuitates, & villas Iudææ, vnum priuatum, & ignotum, alterum manifestum, & publicum. à principio quidem priusquam annuntiarent Christi aduentum, miraculaque facerent, ignotus erat introitus eorum, sicque non recipiebantur, nisi in domibus priuatis, & ad singulares domos diuertebant: at postquam eorum prædicatio innotescere incepit, eorumque miracula diulgari, vix accedebant ciuitatibus, & villis, quin tota ciuitas occurreret, aut ad excipiendum, aut ad repellendum eos. Christus ergo omnium horum præsciens, documenta dedit de singulis, eaque de causa de ingressu domorum prius meminit, quia is fuit prior, postea vero de ingressu publico, & manifesto, qui fuit posterior; immo in vna eademque ciuitate prius ingrediebantur priuate, quam eorum fama diulgaretur, potuitque euenire, ut qui ingressi erant priuate, post publicationem à tota ciuitate repellerentur, sicut etiam contra, ut qui excepti erant priuate, publice etiam susciperentur. Qua ratione istæ duæ sententiæ concordant, sensumque accommodatum faciunt.

Et curate

Et curate infirmos, qui in illa sunt.

COMMENTARIA.

Postquam ingressi, & excepti fueritis in ea ciuitate, curate infirmos, qui in illa inuenti fuerint; sic enim duo efficiuntur; vnum quidem, magnitudine operum mentes hominum illustrantur ad concipiendam, & apprehendendam veritatem...

Et dicite illis: Appropinquant in vos regnum Dei.

COMMENTARIA.

Post cibum corporalem, quo sustentatur corpus, fitque instrumentum aptum labori, & post infirmorum curationem, qua disponuntur homines ad suscipiendum verbum prae-dicationis, praedicate, & annunciate illis appropinquasse regnum Dei...

In quamcumque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite.

COMMENTARIA.

Documentum dedit eorum, quae gerere debent in ciuitatibus, in quibus suscepti fuerint: nunc docet, qualiter se gerere debeant cum iis, qui suscipere, id est, hospitio excipere noluerint.

Etiam puluerem, qui adhaesit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos.

COMMENTARIA.

Hoc est, quod in plateis dicere debent. sensus est: non solum eximus de vestra ciuitate, in qua non vultis nos suscipere, sed si quid nobis ex ea adhaesit, vel minimum, scilicet puluerem pedum, excutimus, & repellimus in vos...

Tamen hoc scitote, quia appropinquant Regnum Dei.

COMMENTARIA.

Quamuis autem exeamus, & puluerem etiam ex vestra ciuitate excutimus, & vobis relinquamus, hoc tamen non possumus, nec volumus praeterire, nempe annunciare vobis, appropinquasse regnum Dei...

ANNOTATIO XV.

Aduertendum est maxime inter haec duo magnum esse discrimen, nempe praedicare Euangelium, quod ad Christi discipulos, & successores pertinet; & credere Euangelio praedicato, quod est audientium: nam audientibus liberum relinquitur, ut credant, nec sunt inuiti trahendi ad recipiendum Euangelium...

Euangelium etiam inuitis & nolentibus praedicandum, licet non sint inuiti & nolentes trahendi ad credendum Euangelio, qui numquam ante crediderunt

gelium ij, qui numquam ante crediderunt. licet enim peccent, & aeternae damnationi obnoxij sint, diuinae praecipit non obediens, tamen non sunt cogendi si nolint. At vero verbum praedicandum est, etiam si nolint ij, quibus praedicatur; cum enim hoc praecipit praedicandi sit datum praedicatoribus, quo-

quotiescumq; ij possunt praedicare, etiam inuitis auditoribus praedicare debent, relictis his in sua libertate, si Euangelium praedicatum acceptare velint. Hoc docet nos Christus, nam praecipit suis, ut si suscepti in ciuitate aliqua non fuerint, egrediantur, nec cogant illos ad credendum, tamen quod suum est faciant, nempe per plateas annuncient dicentes; scitote quia appropinquant regnum Dei. Hoc ipsum docere nos Apostoli suo exemplo Act. 5. cum enim Principes sacerdotum post Domini resurrectionem, & Spiritus sancti aduentum illis dixissent: Praecipiendo praecipimus vobis, ne doceretis in nomine isto,

Dico vobis, quia Sodomis in illa die remissus erit, quam illi ciuitati.

COMMENTARIA.

NON impune abituros illos, qui praedicatum Euangelium non susceperint, docet, grauissimam poenam infligendam significans. Sodomi, inquit, mitius punientur in iudicij die, quam isti, id est, cum aduenerit dies ille vltimus quando vniciue peccantiu poena digna infligetur, minor erit punitio Sodomorum, quam istorum, quod argumentum est, illorum minus fuisse peccatum, quam istorum. Exemplum ponit Sodomorum, quia hi igne consumpti sunt de caelo misso, & eorum subuersae ciuitates ob nefanda eorum peccata. Vnde quando alicuius peccati grauitatem significare voluit Scriptura, hos Sodomos, & Gomorrhæos adduxit in exemplum. Isa. 1. Audite verbum Domini Principes Sodomorum; percipite auribus legem Dei vestri populus Gomorrhæ. Thren. 4. Maior effecta est iniquitas filiae populi mei peccato Sodomorum, quae subuersa est in momento. Ezech. 16. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiae eius sicut fecisti tu, & filiae tuae. recte ergo dictum est: Excutate puluerem in eos, nam grauissime puniendi sunt.

ANNOTATIO XVI.

Inter peccatores diuersa esse supplicia & alia alijs grauiora esse peccata.

Smillis sententia habetur Matth. 10. contra eos, qui Apostolos non susceperunt, nec audierunt. vbi recte notat Hieronymus, ex hoc loco colligi inter peccatores diuersa esse supplicia, puniuntur enim Sodomi, punientur & isti, qui non susceperunt Euangelium praedicatum; sed illi tolerabilius, & mitius, quam isti. quod argumento est, peccata esse diuersa, & quaedam grauiora alijs, non enim esset inaequalis poena, nisi etiam esse impar & culpa. Notandum simul est, quantum sit istorum peccatum, quod maius est eo, quod commiserunt illi, de quibus dicitur Gen. 13. Homines Sodomitae pessimi erant, & peccatores nimis coram Domino.

Quomodo intelligendus Euthymius asserens quaedam peccata puniri in hoc saeculo, & in futuro.

Notat etiam eodem loco Euthymius quaedam peccata puniri in hoc saeculo, & in futuro: nam ex Scriptura nouimus peccata Sodomoru esse punita, igne enim cum suis ciuitatibus consumpti fuerunt; si autem in die iudicij poena infligetur, licet remissior, quam quae non suscipientibus praedicationem Christi, igitur in hoc saeculo, & in alio poena inferitur. Quod non sic intelligendum est, quasi dupliciter peccata puniantur poena condigna, non enim sic est, sed eadem est poena, quae incipit in hoc saeculo, & continuatur grauior in futuro, quod Gregorius sapienter docuit lib. 18. mora. cap. 13. Assensum, inquit, praebemus quamlibet culpam bis feriri non posse: hoc ex peccato percussis, & in peccato suo morientibus debet estimari, quia eorum percussio hic coepta, illic perficitur, ut in correctis vnum flagellu sit, quod temporaliter incipit, sed in aeternis supplicijs consummatur, quatenus eis, qui omnino corrigi renuunt, iam praesentium flagellorum percussio, sequentium sit initium tormentorum. Haec illi.

Qua ratione sit maius peccatum non suscipientium Euangelium, quam Sodomorum.

Posset autem quispiam interrogare, qua ratione sit maius peccatum istorum, quam Sodomorum? Quidam recentiores respondent non conferri hic omnia peccata, nec omnium peccatorum poenas, sed illud solum peccatum Sodomorum, quod inter alia

& ecce replestis Hierusalē doctrina vestra. Petrus respondit, & Apostoli caeteri dixerunt; Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Ecce nolentibus, & inuitis Principibus Apostoli praedicarūt Euangelium, & rationem dederunt, allegantes hoc esse Dei praecipitum, & cui magis obediendum est, quam hominum mandatis. & paulo inferius cum Apostoli flagellati essent, iterum conuocati sunt a Principibus & annunciatum est illis, ne omnino loquerentur in nomine IESV; at illi omni die non cessabant in templo, & circa domos docentes, & Euangelizantes Iesum Christum.

numeratur Ezech. 16. Nempe quod egēno, & pauperi manum non porrigebant. hoc igitur peccatum inhospitalitatis minus fuit, quam inhospitalitas, quae hi non receperunt Apostolos, quibus magis tenebantur subuenire, quia spiritualia seminabant, quam illi pauperibus non seminantibus spiritualia. & sic horum peccatu minus est, minorique poena puniendum, quam horum, de quibus nunc est sermo. caetera vero peccata non conferuntur, nec eorum poena. Haec autem sententia & explicatio textui non accommodatur, simpliciter enim dicitur Sodomas minus puniendos. Quidam alij recentiores peccata illa nefanda carnis conferri putant, asseruntque minus esse graua infidelitate, qua isti premebantur non credentes Discipulis annunciantibus aduentum Christi verbis & miraculis; grauius enim est peccatum infidelitatis, peccato carnis, ex genere suo. Quidquid autem de hoc sit, mihi videtur agi hic de peccatorum omnium circumstantia, nempe impenitentia, propter quam tam hi, quam illi puniuntur, grauius tamen hi, quam illi, maior enim culpa fuit impenitentia horum, qui habuerunt Discipulorum praedicationem exhortantium ad penitentiam, & ostendentium viam veniae consequendae, quam impenitentia Sodomorum, quibus non est sic praedicatum. Vnde in hac parte obitatio horum grauior est. Huic non obitat, quod alia potuerint esse peccata grauiora, & plura in Sodomis, propter quae grauius puniendi sint in die illo. Haec expositio videtur Hieronymi, nam Matth. 10. similem explicans sententiam inquit sic: Idcirco tolerabilius erit Sodomis, quia eis non fuit praedicatum, his autem fuit praedicatum, & non receperunt Euangelium. Sermo igitur est de impenitentia peccatorum, caeteris paribus, non autem de peccatis ex se, nec de poenis, quae ijs debentur. Hanc interpretationem verba sequentia indicant; exprobrans enim Dominus malitiam hanc inquit: si signa, & virtutes quae factae sunt in te, factae fuissent

fuisse in Tyro, & Sydone, pœnitentiam egissent... quia diceret: Taa impœnitentia grauior est, & peccata tua ex hac circũstantia grauiori pœna punientur.

Nota postremo, quando dicitur in die illo, scilicet ultimo iudicio Sodomos remissius puniendos, non intelligas pœnam peccatis debitam differri ad vltimum diem, cum statim à die obitus singulorum, aut in infernum detrudantur animæ iniquorum, aut in purgatorium animæ iustorum, si indigerint purgatione, aut statim in cœlum recipiantur, si purgatione non indigerint, aut si purgandi fuerint, post purgationem; sed id dictum est, tum quia in illo die manifestabitur omnibus iudicium, notaque erit omnibus singulorum pœna; tum quia nondum est tota iustitia pœna damnatis; nendum enim corpora resumpta sunt vsque ad illud tempus, cum quibus & animæ coniunctæ in æternam insequantur.

Quomodo in vltimo iudicio dicitur Sodomis remissius puniendos.

Væ tibi Chorazain; væ tibi Bethsaida.

COMMENTARIA.

VT confirmet, quod dictum est, per quandam apostrophem exprobrat ciuitatibus illis, in quas missi ante fuerant Apostoli, & non fuerunt ab illis suscepti, significans simile euenturũ ijs, quæ non erant suscepturæ Discipulos, qui nunc mittebantur. Væ tibi, inquit, Bethsaida, væ tibi Chorazain. ciuitates sunt istæ Galilææ, in quas prius missi Apostoli non fuerunt suscepti, nec ad eorum prædicationem, & miraculorum operationes crediderant, nec pœnitentiam egerant. Similem pœnam comminatur ciuitatibus Iudæ, quæ non erant suscepturæ Discipulos.

ANNOTATIO XVII.

Tota hæc sententia habetur apud Matthæum alia historię connexa. Vnde posset duplicari, an hoc tempore, quod refert Lucas, sit prolata, an eo quod

narrat Matthæus, an bis à Domino dicta, mihi probabile est eucam ordinem seruasse temporis, eandemque esse sententiam.

Quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis: olim in cilicio, & cinere sedentes pœnitent.

COMMENTARIA.

CAUSA est comminationis factæ, ea autem est, quia tot, ac tanta miracula facta sunt apud eos per Apostolos, ac per Christum ipsum, vt ad pœnitentiam conuerterentur, ac veritatem reciperent, quæ si facta fuissent apud Tyrum, & Sidonem Gentilium ciuitates, & idololatrias, vtiq; isti pœnitentiam egissent, & tamen illi noluerunt eam agere, cum essent de populo Dei, Deique veri notitiam & cultum haberent, ac Christum expectarent, ipsiusque promissiones haberent, cumque minoribus auxilijs diuinis debuissent conuerti, nec maioribus conuersi sunt.

ANNOTATIO XVIII.

Verit Hieronymus Matth. 11. vbi scriptum sit, quod in Chorazain, & Bethsaida Dominus signa fecerit, & respondet supra cap. 4. Matthæi scriptum esse vbi dicitur, Circuibat ciuitates omnes, & vicos, curans omnem infirmitatem, & reliqua. Mihi videtur Christus nunc non tam loqui de ijs, quæ ipse gessit per se, quam de ijs, quæ fecerunt Apostoli missi ab eo, de qua mittens, & virtutibus dictum est supra cap. 9. Vult enim tunc significare Iudæos, qui non susceperunt Discipulos, quos nunc mittit, obnoxios futuros grauisimæ pœnæ, sicut fuerunt inter Galilæos Chorazain, & Bethsaida, qui non susceperunt Apostolos prius missos.

non pœnituerunt, & punientur in iudicio diuino, vt statim dicit Dominus.

Nota secundo Deum non æqualia dare auxilia sua ditima omnibus, sed quibusdam ministrare etiam superabundantia, maiora inquam ijs, quæ necessaria erant, & quibus potuissent conuerti si voluissent. hoc enim cum ciuitatibus Chorazain, & Bethsaida factum est, de lit enim Deus plura, quam erant necessaria, ac superabundantia: quod argumento eo probatur, qui datur sunt eis talia, ac tanta, quibus Gentiles idololatriæ, & remotiores à Deo possent conuerti, si data eis fuissent.

Nota tertio quanto superabundantiora dat Deus auxilia peccatoribus, tanto grauior est eorum culpa, si eos non pœnitent. quanto enim est maior beneficium oblatum, tanto maior est ingratitude, si contemnitur. vnde culpa istorum grauior facta est, quia pluribus acceptis virtutibus, quæ sunt diuina auxilia prouocantia, & inducentia ad pœnitentiam, illi non respicerunt.

Nota quarto, Deũ quibusdã dare talia auxilia, quæ si alijs daret etiã magis peccatis, vtiq; hi conuerterentur, & tamẽ illi, quibus datur, nõ conuertuntur. Ecce

De auxilijs diuinis pro expositione superioris sententia.

Ecce hic vides virtutes datas Galilæis superabundantes, & non sunt conuersi, & quidem si data fuissent Tyrijs, pœnitentiam egissent, nec est, quod conuerterantur Tyrij, aut ij, quibus illæ datæ non sunt, quia habuerunt ipsi necessaria, & forsitan abundantia, quibus si voluissent, potuissent conuerti. vnde a culpa excusari non possunt, quod aut maiora, & superabundantia non habuerint, iustitiæ Dei est, qui eos priuat, quia necessariis auxilijs sibi datis abusi sunt: est etiam voluntatis diuinæ; ad gratiam enim non ad iustitiam, aut debitum id pertinet, nec etiam est, quod quidquam Deo ex hac sua voluntate imputetur. iuxta illud: Accipe quod tuam est, an non licet mihi quod volo facere? de priori inquit Augustinus in Enchiridio cap. 95. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent, nec vtiq; Deus iniuste noluit saluos fieri, cum possent salui esse, si vellent. Hæc Augustinus. iuste igitur omnes iudicabuntur, quia acceperunt quantum opus illis erat, grauius tamen illi, quibus superabundantia data sunt.

Veruntamen Tyro, & Sidoni remissius erit in iudicio, quam vobis.

COMMENTARIA.

Ecce, quod comminatur, nempe grauissimam pœnam pro culpa eorum; erit enim maior, quam ea, quæ infligetur Tyro, & Sidoni, ciuitatibus idololatrarum, nomina ciuitatis ponuntur, pro habitatoribus. particula, veruntamen, Græce πάλιν, est aduersatiua in hunc sensum, quamuis plures virtutes factæ sint in vobis, quam in Tyro, & Sidone, prælatiq; sitis in beneficijs, & misericordia Tyro, & Sidoni in hoc sæculo, tamẽ in die iudicij grauiori, & acerbiori pœna puniemini, quã Tyrus, & Sidon.

ANNOTATIO XIX.

Euthymius in Matthæum, particulam, πάλιν, quam vetus interpres vertit, veruntamen, illatiue intelligit, nempe propter hoc, siue ideo, & est sensus accommodatus. Quidam alij interpretantur

quasi particulam asseuerationis, & assertionis cuiusdam, nobis autem visa est interpretatio posita in commentario conueniens, & quæ veteri interpreti magis consentit.

Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergeris.

COMMENTARIA.

INUEHITUR nunc, & comminatur Capharnaum, in qua ipsemet Christus prædicauit, innumerasque virtutes operatus est, nec tamen conuersa est ad pœnitentiam, nec Christo credidit: Et tu, inquit, ò Capharnaum, quæ vsque ad cælum exaltata es, meo hospitio, mea prædicatione frequentissima, plurimis meis miraculis, & signis, & tamen non es conuersa: demergeris in infernum, ab hac celsitudine in oppositum cades extremum, sæuissime enim punieris in inferno. Si enim ciuitates, quæ Discipulos velut pertransientes non susceperunt, acriter punientur, quanto acrius illa, quæ Magistrum non suscepit, diu apud eam commorantem, multipliciter docentem, & mirabiliter operantem?

ANNOTATIO XX.

APUD Matthæum cap. 11. hanc sententiam sic legimus: Et tu Capharnaum, numquid vsq; in cælum exaltaberis? vsque in infernum descendes. ibi notat Hieronymus priorem partem huius sententiæ dupliciter in exemplaribus legi. vno quidem modo, vt relatum est, altero modo, vt cum verbis Lucæ conueniat, & tu Capharnaum, quæ vsque ad cælum exaltata es. Chrysost. hom. 38. in Matth. & Euthymius hanc posteriorem lectionem sequuntur; vulgatus autem priorem, quæ lectio mihi videtur legitima, ita vt non sit eadem cum ista Lucæ, sed vtraque coniungenda sic: Et tu Capharnaum vsque ad cælum exaltata es, numquid autem vsque ad cælum exaltaberis? vsque ad in infernum demergeris, quasi diceret, non solum non permanebis in hac exaltatione, quin potius vsque ad inferos deprimeris. Lucas autem adiunxit, quod siluit Matthæus. quod si quis contendant, vnã esse sententiam, Matthæi, & Lucæ,

responderi poterit sensum eundem esse, nam interrogatio illa vim habet affirmatiuæ. Mihi autem magis placet, quod prius dixi.

Quare autem dicatur vsq; ad cælum exaltata, duplicem intelligentiam adhibet Hieronymus. vna est, quia superbissime restitit prædicationi Christi, ideoq; dicitur vsque ad infernũ demergenda. Altera est, quia exaltata est hospitio Christi, signis, ac virtutibus tantumq; habens priuilegium credere noluit, ideo maioribus plectetur supplicijs, vsq; ad infernum detrahenda. Hanc posteriorem explicationem amplexi sumus in commentario, quæ Scripturæ est conformior, nam de hac exaltatione, & gloria ciuitatis huius Capharnaum scriptum est Matth. 4. adducto Isaiæ oraculo sic: Relicta ciuitate Nazareth habitauit in Capharnaum ciuitate maritima, in finibus Zabulon, & Nephtalim, vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam, terra Zabulon, & terra Nephtalim via

Cur vsque ad cælum exaltata dicatur Capharnaum.

si in via maris trans Iordanem Galilæa gentium, populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Illud autem vsq; in infernum demergeris. videtur alludere ad simile verbum Isai. 14. prætermisit autem Lucas, quæ Dominus adiecit huic sententiæ, causam

exponens, quæ Matthæus refert, dicens: Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsq; in hanc diem. veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi. Horum expositio ex prædictis patet.

Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit.

COMMENTARIA.

Prædicationem commissam Discipulis commendavit Christus à poena grauissima, non suscipientibus inferenda: nunc eam commendat ab auctore, docetq; doctrinæ prædicandæ doctorem, & auctorem Deum ipsum esse, Deiq; potestate, & auctoritate eos prædicare: qui vos, inquit; audit, me audit, id est, qui prædicationi vestræ fidem adhibet, & obedit, mihi credit, & obedit; vos enim me ipsum repræsentatis, meas vices geritis; contra vero, qui vos spernit, me spernit, id est, qui vestræ prædicationi incredulus, & inobediens est, mihi ipsi incredulus, & inobediens est, illataque vobis per incredulitatem, & inobedientiam iniuria, mihi illata est, neque in hoc solo res ista consistit, nam in Deum ipsum conuertitur; Deo enim non credit, nec obedit, qui mihi non credit, nec obedit, ipsique Deo iniuria infertur, qui namque ei, qui missus est à Deo, hæc facit, Deo mittenti facit, iniuriæq; facta missio, mittenti ipsi fit, contra vero qui vos audit, Deum ipsum audit.

ANNOTATIO XXI.

Nota non dici, qui vos non audit, me non audit, sed qui vos spernit, me spernit, quia non adhibere fidem, & obedientiam prædicanti, contemptus quidam est prædicantis, & prædicationis. Nota rursus auctoritatem prælatorum, quorum est prædicare Euangelium, & quibus debetur obedientia, non esse ab hominibus, sed à Deo, ipsiq; fidem, & obedientiam debere, non tantum quia Christus præcepit, sed quia etiam vices Dei, ac Christi gerunt, ipsiq; repræsentant. Nota demum quanta debet esse sanctitas eorum, qui tanta auctoritate eminent, non quod auctoritas non sit, quando talis vita non est comes, sed quod maxime indecens sit, multo magis, quam qui pretiosas, & lucidissimas gemmas portat in vase vili, & immundo, quæ non propterea gemmæ non sunt, nec pretium amittunt; sed indecentissime portantur. Paulus 2. Corint. 4. Habemus,

inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei. Vasa fictilia appellabat homines pauperes, corporum infirmitatibus, & afflictionibus expositos, mundi huius bonis carentes, quales erant Apostoli, quod quidem factum dicit, ut eo magis virtus, ac potentia Dei innotesceret, qui per tales homines tam mira operabatur: at sunt alia vasa fictilia nimirum, qui vitis indulgent, quorum vita reproba est, qui in talibus vasis thesaurum hunc Dei portant, portant quidem, non ut sublimitas virtutis Dei innotescat, sed potius ut impleatur illud: Per vos blasphematur nomen Dei in gentibus, qui scandalo sunt subditis, qui occasionem præstant, ut vilescat apud alios thesaurus Dei, hi vasa vilia, & immunda sunt, quæ cibum contentum faciant potius nauseam, & horrorem gignere, quam desiderium.

Reuersi sunt autem Septuaginta duo cum gaudio dicentes.

COMMENTARIA.

Quæ discipuli in hac missione egerint, Euangelista noster siluit, & ad reditum eorum à prædicatione, narrandum conuersus est: Reuersi sunt, inquit, Discipuli à prædicatione eis commissâ, ad Christum, gaudentes, causamq; gaudij explicantes, quæ in sequentibus ab Euangelista exponitur.

ANNOTATIO XXII.

Euangelistæ prætermiserunt narrare ea, quæ Discipuli isti gesserunt in ciuitatibus Iudææ, ad quas missi sunt, immo solus Lucas huius missionis facit mentionem. Hoc tamen tacite insinuat, nempe eos fructum aliquem fecisse, postquam cum gau-

dio reuersi sunt, quod etiam in sequenti sententiâ magis explicabitur, ut ibi notabimus. quod autem ad verba attinet, nonnulla Græca non legunt illud, Duo, de hoc vero diximus in annotatione prima, nec est quod nunc repetamus.

Domine, etiam demonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.

COMMENTARIA.

Exponunt Discipuli causam gaudij, cum quo reuertebantur, ea autem est, de potestate sibi data à Christo, qua in nomine eius miracula ediderunt, & demonia eiecerunt, particula (etiam) cumlatiua est, nimirum multa mirabilia edidimus, atque demonia etiam nobis subiecta sunt, dum ea expellimus. gaudebant quidem Discipuli de tanta potestate, non tamen sibi eam usurpabant, sed agnosce-

bant, & confitebantur, non propria se ea fecisse opera, sed nominis Christi virtute, per cuius inuocationem ea omnia fecerant. Non autem vtuntur verbo præterito, dicentes: Subiecta sunt nobis, sed quasi de potestate adhuc perseverante, & permanente in eis, loquuntur de præsentis, dicentes: Subiiciuntur nobis, non quod tunc, quando hæc dicebant, expellerent demonia, sed quod potestas in eis perseveraret. Hoc Discipulorum gaudium argumento est, eos à ciuitatibus Iudææ multis susceptos fuisse; habuerunt enim præceptum à Christo talia opera faciendi in locis, in quibus fuissent suscepti, ab aliis vero exeundi, & puluerem adhærentem pedibus in eos excutiendi.

ANNOTATIO XXIII.

Gaudium Discipulorum eo, quod in nomine Christi demonia eiecerunt, quodnam fuerit.

Triplex potuit esse Discipulorum gaudium de eo, quod demonia subiicerentur eis. Vnum propter mirabilem potestatem sibi datam, ut gaudij causa, & materia esset bonum sibi collatum à Christo. Alterum; propter Christi gloriam, & exaltationem nominis eius, quippe qui in ipsius nomine tam mira facta erant. Tertium, propter fructum spiritualem auditorum, qui tantis virtutibus commoti prædicationi Christi assentiebant, & ad ipsum conuertebantur. Discipulorum gaudium fuit primi generis; gauisi enim sunt de dono sibi collato, quasi de bono proprio, non quod sibi usurparent, quasi virtute propria id essent affecti, taliaq; opera facerent; fatebantur enim non sua virtute, sed nominis Christi se ea fecisse; gaudebant tamen quod eis eam potestas esset data. Hoc fuisse gaudium Discipulorum testantur Patres sacri. Cyprianus tract. de tentationibus, & ieiunio Christi. Titus Bostrenus in hoc

commentario. Chrysoströmus hom. 33. in Matth. Gregorius in multis locis, nimirum hom. 19. in Ezech. lib. 9. epistol. epist. 58. & lib. 23. moral. c. 4. quorum Patrum verba sequenti annotatione referemus. id ipsum Euangelica verba indicant, nam explicantes causam gaudij dicunt, quod demonia subiiciuntur nobis, quod clarius verba Christi ostendunt: Nolite, inquit, gaudere, quod Spiritus subiiciuntur vobis, & non repetit illud in nomine meo, indicans illos gauisos, quia expellebant demonia, non autem propter nomen Christi, in quo expellebant, quamuis agnoscerent se in eo nomine expulisse. adde, comparationem, quæ sequitur: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis, significare eos gauisos propter donum sibi collatum, cui Christus præcipit, debere censet, ac præcipit bonum, quod vere bonum est, nimirum quod electi sunt à Deo.

ANNOTATIO XXIII.

Gaudium istud Discipulorum an fuerit laudabile.

Posset quispiam interrogare, quale fuerit hoc gaudium Discipulorum, nempe an laudabile, & bonum, an reprehensione dignum, & vituperabile. considerantur hoc patres prius citati, & non eodem modo responderunt. primo quidem Cyprianus loco proximo citato, nempe tract. de tentationibus, & ieiunio Christi, censet fuisse gaudium ex quadam vana gloria, quod non solum reprehensione dignum, sed etiam à Christo reprehensum est verbis sequentibus, quæ postea explicanda sunt. Verba Cypriani sunt hæc: Gloriabantur aliquando Discipuli, & complacabant sibi in miraculis, gratulabundi, quod eis etiam demonia obedirent, sed repressa est, increpante Domino, simplicitatis eorum præsumptio. Hæc ille.

temporali, quam spirituali, non semper est peccatum, aut vitium, nisi quando præfertur minus maiori, & temporale spirituali. potest autem esse maius gaudium absq; prælatione. In eundem sensum Chrysoströmus ire videtur, qui hom. 33. in Matth. docet Christum monuisse, ne gauderent Discipuli in hac potestate, quia maius bonum est virtus, quam potestas miracula faciendi.

Quarto loco Euthymius dicit hoc gaudium fuisse superfluum, ideoq; prohibitum, ut paulo inferius dicemus, fallitur autem; non enim omne gaudium de re ad salutem non necessaria superfluum dici debet, ita ut superfluitas inducat vitium, & culpam.

Hæc sunt, quæ Patres docuere. Pro quorum dilucidatione aduertendum est, inter illa tria Discipulorum gaudia, quæ superiori annotatione distinximus, nempe de potestate miraculorum sibi collata, de fructu prædicationis in iis, qui eos susceperunt, & de gloria, ac exaltatione nominis Christi, hunc esse ordinem; primum enim gaudium ex se non est malum, nec illicitum, quin potius bonum, ac licitum; licuit enim Discipulis gaudere de potestate tali sibi concessa. hoc dictum non est in dubium reuocandum, nam talis potestas donum Dei est, & inter Charismata Spiritus sancti numeratur à Paulo 1. Corint. 14. licet igitur gaudere de eo recepto. Si enim bonum est gaudere de fanitate recepta, & de aliis bonis temporalibus à Deo collatis; multo magis de dono Spiritus sancti. Hinc sequitur gaudium Discipulorum de eo, quod etiam demonia subiicerentur eis in nomine Domini, non fuisse ex se vlla reprehensione dignum. Dico (ex se) quia potuit esse cum elatione, ac vana gloria; aut plusquam oportebat, sicq; fieri vitiosum; tamen ex Euangelio non constat talis circumstantia, unde non est, quod eos arguamus. Quod si à Christo dictum est, nolite in hoc gaudere, non id pronunciat, quasi malum fuerit, sed alia de causa, quæ explicabitur in eorum expositione.

fictione verborum. Secundum gaudium perfectius est, ac melius primo: nam sicut melior est dilectio, qua diligimus proximum quantum ad bona spiritualia, & ad salutem eius spiritualem pertinentia, quam qua diligimus nos ipsos, quantum ad bona temporalia, & quæ ad salutem nostram spiritualem non sunt necessaria; ita & gaudium, quod ex dilectione procedit, perfectius est illud, quo gaudemus de bono spirituali alterius, quam quo gaudemus de nostro bono ad salutem non necessario. Cum igitur potestas miraculorum non sit de artinentibus ad salutem habentis, cum possit esse cum peccato mortali, & possit homo iustificari sine ea, potius est gaudendum de fide, ac penitentia proximorum, quam de hac potestate nobis data, vitium fuisset Discipulis, si præ-

Et ait illis: Videbam satanam, sicut fulgur de celo cadentem.

COMMENTARIA.

Gaudentibus Discipulis de potestate sibi collata subiiciendi dæmones, respondit Christus, primo quidem magnificando potestatem talem: deinde docendo non eam esse de qua præcipue illis gaudendum est, sed de eo, quod electi sunt, nominaque eorum scripta in cælis. Ad magnificandam autem, ac ostendendam potestatis huius magnitudinem, declarat Satanæ, ac dæmonis formidabilem potestatem, dicens: Videbam Satanam cadentem de celo, sicut fulgur; fulgur enim lucidum est, timorem hominibus, terroremque magnum incutiens, breui tamen durans; talis cecidit Satan, lucidus quidem, quia amplissimum in terris obtinuit principatum, fereque totum orbem ad se conuertit, eique timorem incussit, quia gentes vulneravit, ut dicitur Isa. 14. Et summopere hominibus nocuit tam corporibus, quam animabus, cum sit tantæ potentia, ut non sit in terra potestas, quæ comparetur ei. Iob. 41. quæ beati ei durabit, nempe huius sæculi tempore, quod collatione æternitatis momentum est. talem ergo videbam à principio Satanam cadentem, quasi diceret: Videte quantus sit, & quam formidabilis hostis, qui vobis subiicitur, hoc sequenti sententia exprimeretur: nomine Satanæ omnes eius milites complectitur.

ANNOTATIO XXV.

Doctores sacri varie hanc Domini sententiam interpretantur, & præcedenti connectunt. Primo Cyprianus tract. de tentationibus, & ieiunio Christi sic explicat; cum enim, ut in annotatione præcedenti diximus, existimauerit Discipulos complacuisse sibi in potestate expellendi dæmones, dicit Dominum eorum præsumptionem increpare, ac reprimere voluisse, hisce verbis, quorum sensus est: videbam à principio Satanam deiectum de celo sicut fulgur, ob affectatæ dominationis ambitionem; hæc enim fuit ruina illius causa, quasi vellet Dominus admonere suos, ne sibi complacent in potestate collata, ne in ruinam incidant etiam ipsi, exemplo Satanæ. Cælum interpretatur Cyprianus orbem cælestem, à quo expulsus est Satan cum Angelis suis, hæc est mens Cypriani, cui adhæsit Hieronymus in illud Isa. 14. quomodo cecidisti Lucifer, ubi sic ait: Saluator ad Discipulos loquitur: Videbam Satanam sicut fulgur de celo cadentem, non modo video, sed prius videbam, quando corruit. Et si ille propter superbiam de tanta magnitudine cecidit, vos quoque non debetis gloriari, quia vobis dæmonia subiecta sunt, sed quia nomina vestra scripta sunt in celo, ut vnde ille cecidit per superbiam, vos ascendatis per humilitatem. Hæc Hieronymus. Eidem consensit Gregorius lib. 23. moral. cap. 4. cuius verba inter alia sunt hæc: Mire Dominus, ut in Discipulorum cordibus elationem premeret, mox iudicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit, ut in auctore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent. Hæc expositio supponit elationem, & vanam gloriationem in Discipulis, quod quidem præcedenti annotatione exclusimus.

posuissent potestatem sibi datam salutem audientium, quibus Christum annunciarunt, tamen eos id fecisse non habemus ex Euangelio, nec nobis persuadere debemus sine causa. quod ergo gaudium perceperunt, & manifestarunt de potestate sibi collata, non præponendo salutem proximorum, non fuit culpa. Tertium gaudium omnium est perfectissimum; sicut enim dilectio perfectior est, qua diligitur Deus, qua diligitur proximus, & qua homo se ipsum diligit, ita perfectius est gaudium, quod concipitur de Dei gloria, & iis bonis, quæ ipsius sunt, quam ea, qua diligitur proximus, & idemmet se ipsum diligit. Si ergo comparemus primum gaudium duobus ultimis, imperfectum quidem est, non tamen propterea malum, & vitium.

Secundo loco Basilius in hom. quod non sit Deus auctor malorum, aliter interpretatur, quasi vellet Dominus confirmare potestatem eis datam expellendi dæmones, inquit, Videbam Satanam sicut fulgur de celo cadentem, id est, de proprio principatu ad ima ruentem, ita ut plane ab iis, qui in Christo sperant, conculcarentur. Hæc sunt verba Basili, qui cælum in hoc loco non accipit pro cælesti orbe, sed pro aere, à quo fulgur emittitur, connectitque non cum participio (cadentem) sed cum nomine præcedenti sic: Videbam Satanam cadentem, sicut fulgur de celo, scilicet cadit, putatque metaphoricam locutionem: qua significatur casus à gloria in ignominiam, à principatu in abiectionem, sicut fulgur ab alto in ima emittitur, quod accidit dæmoni aduentu Christi; prius enim obtinebat in orbe dominatum, per orbem enim adorabatur, ut Deus, obsidebat homines, multaque potestate permessa nocebat eis; at Christi aduentu eiectus est à principatu, ita ut Discipulis subiiceretur. Hanc sententiam Basili secutus est Cyrillus clarioribus verbis eam explicans, quem citat Titus Bostrenus in suo commentario, ubi sic referens Cyrillum, inquit: Videbam Satanam sicut fulgur de celo cadentem, id est, à sublimi in terram, à gloria ad ignominiam à summa fortitudine, ad summam infirmitatem deiectum: nam ante Christi aduentum toto passim terrarum orbe rerum potiebatur, celebraturque ab omnibus propemodum gentibus, & nationibus, ubique extrabant delubra in illius honorem erecta, ubique aræ, ubique sacrificia. Postquam autem unigenitum Dei verbum de celo descendit; ruit ille ut fulgur: nam qui paulo ante eos omnes cultores habebat, quos malis artibus in erro-

rem pertraxerat, is illorum pedibus nunc subiicitur, qui supplices olim, prostrati; illum adorauerunt. Hæc ille. Basilius ergo, & Cyrillus de casu interpretantur, quem dæmon fecit aduentu Christi; Cyprianus vero de casu illo primo, quando ob peccatum de cælis expulsus est. Hæc interpretatio non videtur satis accommodata: nam hoc non esset magnificare potestatem datam Discipulis; parum enim erat subiicere eum, qui ceciderat iam in magnam ignominiam, & in ima. Dominum autem voluisse potestatem eiiciendi dæmonia extollere, indicant verba illa sequentia; Verumtamen nolite in hoc gaudere.

Tertio loco Titus Bostrenus interpretatur, quasi velit Dominus rationem reddere, quod dæmones Discipulis subiiciantur. inquit sic: Videbam satanam de celo cadentem, quasi diceret: si dæmonum antesignanus, & princeps de celo decidit, serui illius in posterum efficere quid poterint? Huic interpretationi consentit Euthymius, cui obstat idem, quod oppositum est contra secundam sententiam. Cur autem fulguri comparetur, idem Titus exponit sic dicens: Tamquam fulgur addit, quia licet prauo voluntatis proposito effectus sit obscurus, & tenebrosus; secundum naturam tamen quandoque illustris, & clarus existit: quod enim Deus condidit, hoc venustum, & pulchrum erat; id autem in quod draco ille infernalis se transformauit, hoc malum, & turpe est. Hæc ille. quod idem docuere Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 7. & ante illum Origenes lib. 1. periarch. c. 5. & hom. 1. in Ezech. & Hieron. in illud Isa. 14. Quomodo cecidit lucifer? & in Michæam cap. 1. & lib. 2. contra Iouinianum, omnes hi docent fulgur dictum propter dignitatem, & pulchritudinem, in qua creatus est, quam perdidit cadens de celo, sicut fulgur lucidum progrediens, statim extinguitur. Basilius autem ut iam diximus, insinuat fulgur comparatum Satan, quia sicut fulgur ab alto in ima descendit; sic Satan à principatu in ignominiam.

Auctoris sententia.

Quid in hac parte mihi probabilius videatur, paucis exprimam. Primo quidem Dominum hisce verbis de casu dæmonum de celo per peccatum mentionem facere, accommodatius, & verius puto, nec sententiæ secundæ in hac parte consentio, & præterquam quod communis est Patrum sententia, in quam Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Origenes, Gregorius, Titus Bostrenus locis citatis conuenerunt, ipsa verba id indicant: quando enim sensus literalis potest haberi ex significatione verborum propria, non est recurrendum ad figuratam; propria autem significatio verborum continet casum illum de celo per

Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.

COMMENTARIA.

Exposita magnitudine, ac fortitudine inimici, explicat potestatem datam, quasi dicat, cum tantus sit Satan, ecce dedi vobis potestatem conculcandi non solum eum, sed omnes eius milites, quos nomine serpentum, & scorpionum appellat, propter multiplicem, & grauem eorum nocendi virtutem. super hos ergo serpentes, & scorpiones, & demum supra omnem inimici, id est, Satanæ virtutem, dedi vobis potestatem, qua eos conculcetis, ut qui prius in celo erant, modo sint sub vestris pedibus per imperium supra eos, expellendo à corporibus hominum, & deponendo illos à suis principatibus, & reprimendo vires eorum. Particula, ecce, admiratio nem indicat, quasi diceret, videte quanta sit potestas vobis data, qua subiiciatis eum, qui de celo ut fulgur cecidit.

ANNOTATIO XXVI.

Per serpentes & scorpiones hoc loco qui significatur.

Serpentum, ac scorpionum nomine dæmones hoc in loco significari affirmat Athanasius hom. in psal. 28. in illud (vox domini præparatis ceruos) om-

peccatum primum. Vnde recte notat Hieronymus loco citato, non dictum, Video, sed videbam; quasi is casus non tunc, sed à principio factus sit. Quamuis autem mentio facta sit Satanæ, non tamen de solo illo sunt verba intelligenda, sed de omnibus Angelis prauis, qui eius peccato consenserunt; nomine enim principis, reliqui qui sub eo militauerunt, & militant, significati sunt. Secundo non etiam videtur satis accommodatum, Dominum hisce verbis voluisse remouere Discipulos à vana gloria, & elatione, sicut doctores primæ sententiæ consenserunt: tum, quia ut probauimus in annotatione præcedenti, non fuit elatio, nec vana gloria in hoc gaudio, tum etiam quia hæc verba de casu dæmonis exposita in eo sensu, non coherent sequentibus: ecce dedi vobis potestatem: dicendum enim erat, nolite ergo gaudere. eadem ratione nec tertia sententia accommodata, quæ non habet coherentiam cum sequentibus. Tertio, licet comparatio fulguris, quam explicauit doctores citati, veritatem habeat in se; tamen non satis accommodatur contextui, in quo non confertur Satan fulguri propter id, quod habuit ante peccatum, sed propter id, quod habuit, & habet post casum: venit enim in mundum inferiorem ut fulgur, & ut fulmen, utrumque enim vocabulum Græcè ἀστρον significat propter tria illa in commentario posita: tum principatum, quem in terra obtinuit; secundum quem Rex dictus est super omnes filios superbiæ, Iob. 41. & princeps huius mundi, Ioan. 14. Luce enim fulguris maiestas, ac principatus significatur. vnde & Christus venturus dicitur ut fulgur Matth. 24: tum potestatem maximam nocendi, fulgur enim terret, & nocet. vnde psal. 17. Misit fulgura, & conturbauit eos. & 2. Reg. 22. misit fulgura; & consumpsit eos: tum breuitatem; potestas enim nocendi data est tempore huius sæculi: nõ ergo Dominus voluit Discipulos à vana gloria, & elatione auertere, nec eos increpare, quin potius magnificare potestatem datam in eum, qui ut fulgur cecidit in terram, quo se ipsum Deum ostendebat, qui talem poterat dare hominibus potestatem. & rursus indicabat se venisse ad destruentum regnum Satanæ. Mounit tamen non esse hoc maximum beneficium datum Discipulis, sed esse aliud longe excellentius, & absque comparatione melius, & eligibilius, de quo potius est gaudendum, quam de illo, nimirum quod nomina eorum in celo essent scripta. Hic sensus mihi videtur legitimus, & contextui accommodatus, qui in sequentium explicatione magis innotescet.

nia, inquit, venenum eiuculantia iniquis, & aduersis virtutibus in sacro eloquio comparantur, dicente Domino; Dedi vobis potestatem conculcandi serpentes, & scorpiones.

piones, & supra omnē virtutē inimici: quin & Psal-
mus promittit Prophete: Super aspidē, & basiliscum
ambulabis. hæc ille. idem asserit Titus Bostrenus
in commentario, idque probat verbum illud se-
quens (supra omnem virtutem inimici) Euthymius
interpretatur virtutem inimici, tentationes dæmo-
nis multiplices: citat etiam quosdam interpretan-

tes animalia fera, quæ nocent hominibus, quia his
etiam videntur inimici dæmon cōtra nos: accommo-
datus tamen intelligimus totam multitudinem, &
exercitum Satanæ, quibus pugnat contra homines;
exercitus enim & multitudo, ac magnitudo bella-
torum, robur est, & virtus Principis.

Est nihil vobis nocebit.

COMMENTARIA.

Connexa est hæc sententia superiori in hunc sensum, conculcabitis scorpiones,
& serpentes, & omnem virtutem inimici, & nihil horum nocebit vobis; non
erit vobis, sicut ijs, qui calcant scorpiones, & alia similia; solent enim veneno in-
ficere conculcantes: at non sic vobis, calcabitis, & nullum inde detrimentum pa-
tiemini. Ostendit Dominus hac sententia Discipulos ita futuros victores, & con-
culcatores dæmonum, vt ab eis nihil mali repatiantur, agent sine repassione, vincant
sine diminutione.

Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur.

COMMENTARIA.

Magnificata potestate eiiciendi dæmones, monet ne gaudeant in ea. sensus est,
quamuis mirabilis, & magnifica sit potestas hæc, qua spiritus vobis subiiciun-
tur; tamen nolite de ea gaudere, non debet esse hoc præcipuum, de quo vobis est gau-
dendum, aliud vobis datum est, de quo verum, & solidum gaudium est. non prohi-
bet absolute gaudium hoc, quasi malum, & vitiosum, sed ostendit non esse id, de
quo præcipue gaudendum erat, nec eam esse rem, pro qua vehemens gaudium concipi
debeat, quod in annotatione magis elucidabitur.

ANNOTATIO XXVII.

Hæc sententia probat expositionem nostram, &
infirmat cæteras; hæc enim aduersatiua par-
ticula (verumtamen) indicat suppleendam esse alte-
ram, nempe. (quamuis) sic: quamuis hæc potestas
data sit vobis, tamen nolite in ea gaudere, quæ sup-
pleta particula probat Dominum magnificasse pote-
statem subiiciendi dæmones, in præcedenti senten-
tia, vt nos sumus interpretati, cæterisq; expositio-
nibus non accommodatur hæc aduersatiua. Quod
autem ad rem attinet, aduerte Patres illos, qui Di-
scipulorū gaudium reprehendunt, quasi vanæ com-
placentiæ, aut elationi coniunctum, quos in anno-
tatione superiori vigesima quinta allegauimus, cen-
sere esse absolutam prohibitionem tanquam de re
vitiosa, ne omnino in ea gauderent. Titus Bostrenus
& Euthymius censent absolutam prohibitionem,
non quia gaudium illud vitiosum erat, sed propter
periculum, ne ex eo gaudium incidere in aliquam
elationem, addit Euthymius prohibitionem etiam, quia
superfluum. Huic expositioni argumentum non par-
ui momenti obstat, quod etiam militat contra eos,
qui censent prohiberi gaudium, quia vitiosum: est
autem argumentum, nam ratio, ob quam dicitur,
nolite gaudere in hoc, insinuat sequenti verbo, ni-
mirum; Gaudete autem, quia nomina vestra scri-
pta sunt in cælis, quasi diceret; dico, ne gaudeatis,
non quia malum gaudium, non quia periculosum,

sed quia non est solidum; aliud enim est, de quo ma-
gis est gaudendum. Vnde iuxta sententiam nostram
dicendum est, non tam prohibitionem hanc esse,
quam instructionem, nempe hanc dæmonum subie-
ctionem non esse causam magni, ac præcipui gaudij,
sed aliud esse de quo magis esset gaudendum illis,
verbaque sunt sic exponenda; Non tam de hoc gau-
dete, quam de eo, quod nomina vestra scripta sunt
in cælis. quæ phrasis familiaris est Scripturæ sacræ.
1. Reg. 8. non te abiecerunt, sed me, id est, non te
præcipue, seu non tam te, quam me abiecerunt,
Matth. 10. Non estis vos, qui loquimini, sed spiri-
tus patris vestri, id est, non tam vos, quam Spiritus
Patris. & est similis omnino locutionis forma in ver-
bis præcedentibus apud Matthæum: Nolite, inquit,
cogitare quomodo, aut quid loquamini. non hic
prohibetur omnis cogitatio, sed ea, qua quis cogi-
tat, quasi ex sola sua cogitatione assecutus sit, quid
respondeat. est etiam communis loquendi modus,
quando aliquis est, quem de bono minori gaudere
videmus, cui scimus maximum aliquid præpara-
tum, dicere solemus, non est cur de hoc gaudeas,
aliud te expectat, de quo maxime tibi est gauden-
dum. quibus verbis non excludimus gaudium pri-
mum; sed significamus comparatione sequentis,
quasi non esse gaudendi causam; nec illud esse
solidum gaudium.

Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.

COMMENTARIA.

Ostendit id, de quo illis potius gaudendum est, & de quo certum, & solidum
gaudium est, nimirum, quia ad æternam beatitudinem sunt prædestinati: Qui
potestatem habet expellendi dæmonia, non est securus de sua salute; multi enim qui
talem potestatem obtinuerunt non eiiciendi dæmonia tantum, sed miracula etiam
magna faciendi, in damnationem incurrere, & damnati sunt, de quibus dictum
est Matth. 7. Multi dicent in illa die, Domine nonne in nomine tuo virtutes multas
fecimus, in nomine tuo prophetauimus, in nomine tuo dæmonia eiecimus? & tunc
confitebor

confitebor illis, quia numquam noui vos, discedite a me: at qui prædestinati sunt,
quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, omnino saluabuntur. Ioan. 10. Ego vitam
æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea. Apo-
cal. 20. qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. de hoc
vere est gaudendum; quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, &
animæ detrimentum faciat: non igitur solidum, nec securum est gaudium de eo, quod
ad salutem æternam non est necessarium, & cum quo homo potest eam perdere; dæ-
monia enim eiicere propter salutem aliorum datum est; scriptum vero esse in cælis
propter propriam eorum, qui scribuntur, distinctam Dei scientiam, & prædefinitam
voluntatem eorum, qui ad salutem electi sunt, appellat scripturam in cælis.

ANNOTATIO XXVIII.

Explicatur qd
fit illud, Nomina
vestra scripta
sunt in cælis.

Metaphora quædam est, sicut nomina ciuium fo-
lent in ciuitatibus inscribi, ita notitia, & me-
moria Dei eorum, quos nouit, & voluit futuros ci-
ues cælorum, est velut liber, in quo scripti dicuntur
saluandi, propter permanentiam voluntatis diuinæ,
ac propositi erga salutem eorum: scriptura enim
permanens est. vnde psal. 3. dicitur: In memoria
æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.
Non autem dictum est, Vos scripti estis; sed, No-
mina vestra scripta sunt, propter eandem metapho-
ram; nomina enim scribi solent, & ad significandam
distinctissimam prouidentiam singulorum. Cyril-
lus autem lib. 4. de Adoratione in spiritu. docte hunc
locum interpretatur, exponens illud Num. 1. Accipite
summam omnis cognationis filiorum Israel per
cognationes suas, & per domos familiarum suarum
per numerum, ex nomine ipsorum per capita, omne
masculinum a viginti annis, & supra, omnis, qui
ingreditur in exercitu Israel numerate eos cū exer-
citu eorum; tu, & Aaron numerate eos. Inquit er-

go Cyrillus sic: Qui igitur mas sit, & ad progeniem
aptissimus, & ad iuuentam peruenerit, id est, ad fir-
mitatem spiritualem, & ad mensuram ætatis plen-
itudinis Christi, eum in descriptionem diuinam, &
in librum Dei relatum esse perspicuum esse poterit,
vel maxime ex his verbis, neq; alia de causa nume-
ratur, vt opinor, masculus & vigesimus annus, & su-
pra natus, quam vt nos quoque intelligamus reitici a
Deo, atque improbari, quod imbellis sit, atq; sensu
minime perfecto, quorum vtrumque inesse dicimus
eis, qui adhuc adolescentes sunt, necdum ad iuuentu-
tis mensuram peruenerunt, quam quidem mēsuram
diuersa lex & nouit, & definit, isq; est annus vigesi-
mus. In pretio autem is est, & in numero habetur,
& a Deo cognoscitur per populum, & genus, & ca-
pita, & nomen, quisquis iam ætate adulta, & mascu-
lus est. Sanctis enim Apostolis, qui eiusmodi iam
virili ætate essent, & in eam peruissent rationis
mensuram, dictum a Christo est, gaudete, quia no-
mina vestra scripta sunt in cælis. Hæc Cyrillus.

In ipsa hora exultauit in spiritu sancto, & dixit.

COMMENTARIA.

Eodem momento, quo hæc dicebat, exultauit, ac gauisus est, vt homo, gaudio
efficiendam, & gauisus est lætitia, gaudio animæ resultante in carnem, hoc enim
est exultare, quæ quidem exultatio a Spiritu sancto, & a diuinitate vnita, humani-
tati communicabatur.

ANNOTATIO XXIX.

In quibusdam Græcis exemplaribus non legitur
illud (sancto) nec ab Euthymio, qui solum legit
(in spiritu) interpretaturque pro anima Christi, se-
cundum quam exultasse dicitur; tamen in alijs Græ-
cis habetur (in spiritu sancto) & in Latinis etiam
vetustis, sicque antiqui Patres legerunt, inter Græ-
cos Titus Bostrenus, inter Latinos vero Augustinus
lib. 2. de consen. Euang. cap. 33. sicque legendum est.
Dicitur autem exultasse in spiritu sancto ad signifi-
candum gaudij, & exultationis causam, quia non
erat de humana re, sed de supercælesti mysterio, &
non in viribus hominis, sed per Spiritum sanctum
effecta; eaque phrasi vsus est Paulus 1. Corin. 12. Ne-
mo, inquit, potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spi-
ritu sancto, id est, virtute, & gratia Spiritus sancti.

sunt, & onus legis suæ, & Euangelij suscepturi, re-
quiemque animabus suis inuenturi, pro his confite-
tur Patri, pro ijs lætatur, & exultat, considerans sa-
lutem eorum æternam, & hanc per ipsum, suumq;
aduentum. gaudet etiam in eo, quod hæc abscondi-
ta sunt a sapientibus, vt paulo inferius explicabi-
mus. Aduerte autem quamuis Christus omnino ad
intellectum semper habuerit præsentia omnia obie-
cta, scientia non tantum diuina vt Deus est, sed hu-
mana scilicet animæ, scientia nempe visionis in sua
diuinitate; non tamen semper quantum ad effectum
mouebatur ad gaudium particulare de hoc, vel illo,
nisi quando, quantum, & quomodo volebat, sicque
nunc ex consideratione saluandorum voluit exulta-
re, non quod antè, ea non considerabat, sed quod nūc
affectum voluerit excitare. Aduerte rursus ex Augu-
stino lib. 2. de consen. Euang. cap. 33. eandem esse
hanc historiam cum ea, quam narrat Matthæus c. 11.
Hic tamen dicit: In illo tempore. at Lucas in
hac ipsa hora. Causa autem mihi videtur, quia Lu-
cas ordinem temporis, rei que gestæ seruabat, coha-
rent enim hæc antecedentibus, Matthæus autem,
non, vt sæpe notatum est Euangelistas facere.

Quid sit illud
de quo Chri-
stus nunc exul-
tasse dicitur.

Interrogabit autem quispiam, quid est, de quo
Christus nunc exultasse dicitur? Euthymius re-
spondet exultasse propter eorum salutem, qui a Di-
scipulis iuuandi erant. Mihi ex ijs, quæ sequuntur,
elici videtur causa exultationis huius: in sequenti-
bus autem tractat de reuelatione mysteriorum salu-
tis facta Apostolis, & Discipulis suis, & eorum vo-
catione ad Euangelium, etiam de ea, quæ facienda
est cæteris credituris in eum, qui ad ipsum venturi

Confiteor tibi Pater.

COMMENTARIA.

Narrat Euangelista, quæ Christus in Spiritu sancto exultans protulit. Confiteor, inquit, tibi Pater, id est, gratias ago tibi, & laudo te simul, o Pater. quid sit id, pro quo agit gratias, quodque laudat, & commendat, sequentia declarant. Christus confitetur quidem, quia homo, Patrem vero appellat, quia Deus, gratias enim agere, & laudare humanitatis erat, Patrem habere Deum, diuinitatis.

ANNOTATIO XXX.

Confessio in Scriptura quatuor modis dicitur.

Quadruplicem in Scripturis legimus confessionem. Vna est peccatorum, de qua dicitur psal. 32. Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino. & Matth. 3. Baptizabantur in Iordane confitentes peccata sua. Altera est fidei, de qua dicitur Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. 1. Ioan. 4. Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet. Tertia est laudis, de qua psal. 48. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei, id est, laudabit te. & psal. 106. Confitemini Domino, quoniam bonus. Quarta est gratiarum actionis, de qua dicitur psal. 117. Confitebor tibi Domine, quoniam exaudivisti me. In primis, hæc non esse peccatorum confessionem nemo dubitat, ut dicit Aug. ser. 8. de verbis Dom. Christus enim nullum habuit peccatum. 1. Petr. 2. Qui peccatum non fecit, nec in-

uentus est dolus in ore eius. Certum etiam est non esse confessionem fidei: Christus namque auctor est fidei, non confessor, qui non habet fidem, sed clarum visorem. Superfunt alia duo, de quibus est varia opinio: nam Hilarius in psal. 137. & Aug. ser. 8. de verb. Dom. affirmant hanc confessionem esse laudis, ut sit idem confiteri, quod laudare. at Hieronymus Mat. 11. & Chrysostomus hom. 39. in Matth. asserunt esse gratiarum actionis. Mihi accommodatior visa est sententia, si utrumque complectamur, nempe laudem, & gratiarum actionem; in his enim, quæ sequuntur, utriusque materia reperitur, ut in eorum expositione manifestabitur. Vtrumque autem facit, ut homo, nempe gratias agere, ut notat Chrysostomus, similiter etiam laudare, hæc enim actiones sunt humanitatis. Patrem autem, quia hoc est personæ, vocat ut Deus est.

Domine cæli, & terræ.

COMMENTARIA.

Quem Patrem appellavit, nempe suum, hunc Dominum cæli, & terræ, id est, omnium creaturarum nominat, ut se super omnem creaturam esse significet, filius enim est Dei, ipsi connaturalis, & consubstantialis, idem cum eo habens in omnem creaturam dominium. Cur autem his epithetis vtatur, in annotatione require.

ANNOTATIO XXXI.

Notationes aliquot ex Patribus hunc locum explicantibus præcipue colleat.

Notanda sunt nonnulla. Primo quidem ex Ambrosio Epist. 47. ad Irenæum illud, Pater, ad Christum: illud vero, Domine, ad cælum, & terram referri, quasi diceret. O Pater mi, qui es Dominus cæli, & terræ. Hinc est, legendum esse absque copulatione. Pater, Domine cæli, & terræ. non autem. Pater, & Domine. ne utrumque ad cælum, & terram, aut ad Christum referri videatur.

perfectioris esse fidei Deum Patrem confiteri, quam Dominum: illud enim est articulus Trinitatis; hoc creationis: illud in Euangelio maxime omnibus credendum propositum est; hoc in veteri testamento: Trinitas enim paucis reuelata tunc fuit, ut alias notauimus.

Secundo ex Cyrillo lib. 5. thesaur. cap. 5. quando dicitur, cæli, & terræ. omnem comprehendere creaturam: sic enim Scriptura solet loqui sapere, hoc Deo tribuere, quod fecerit cælum & terram, omnium creaturarum vniuersitatem comprehendens à loci vniuersitate, in qua omnes continentur. hinc infert Cyrillus Christum hoc sermone significasse se esse Deum, dum se sequatur, & separat ab omnibus creaturis. Hoc idem etiam notauit Hieronymus Mat. 11.

Quinto, non sine magni mysterij significatione Christus his nominibus vsus est, Pater, & Domine cæli, & terræ: in primis quod ad primum spectat, nempe, Pater loquens Christus de reuelatione Euangelij sui, & de ijs, qui ad ipsum vocandi sunt, Patris nomine Deum appellat, ad significandum, se ad Euangelium vocatos in hanc dignitatem euecturum, ut filij Dei sint, ipsum Patrem appellent, ut quod ipse habet per naturam, nobis conferat per adoptionis gratiam, quasi diceret: Patrem te voco, quia quod tu mihi es per naturam, & essentia communionem, per me, & Euangelium meum communicaturus es per gratiam, ut filij tui sint. Ioan. 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. 1. Ioan. 3. Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & simus Galat. 4. Misit Deus filium suum, clamantem Abba pater. Quod autem ad secundum pertinet, nempe, Domine. aduerte nunc vocasse Dominum, ut ostendat Christum iustitiam Dei in eo, quod narrat, nempe abscondisse hæc quibusdam, alijs vero reuelasse, non esse aliquid iniustitiæ, cum Dominus sit omnium, & pro sua voluntate liceat ei quodcumque facere. Sic Eli 1. Reg. 3. respondit Samueli reuelanti punitionem futuram: Dominus, inquit est, quod bonum est ante oculos suos faciat. Sic Paulus Rom. 9. Numquid, inquit, dicitur figmentum ei, qui se finxit, cur sic me fecisti? numquid non habet figulus potestatem lutum, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Ecce cur Dominus Pater

Tertio, ex Irenæo lib. 4. cap. 2. hoc loco conuincitur hæresis Marcionem, & eos, qui affirmabant Deum, qui fecit cælum, & terram, alium esse ab eo, qui Pater est Christus; at ex hoc loco contrarium deducitur: quem enim Patrem appellavit Christus, eundem Dominum cæli, & terræ vocauit.

Secundo loco idem Ambrosius in præfati commentario, August. serm. 8. de verbis dom. Hilarius can. 11. in Matth. latius extendunt hoc, nempe tam ad Iudæos, quam ad Gentes; inter hos enim qui sibi sapere visum sunt, suoque ingenio iudicare de rebus fidei voluerunt, non sunt assecuti Christum, eiusque mysteria; qui vero paruuli fuerunt, id est, humiles, nec suo intellectui innitentes, sed subdentes se prædicationi diuinæ, hi nouerunt Christum, & Euangelium receperunt; iuxta illud. 1. Cor. 3. Si quis est inter vos sapiens in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens, id est non regulet diuinam sapientiam humano ingenio, regulisque humanæ sapientia.

Quarto, inter hæc duo, Pater, &, Domine cæli, & terræ, latissimum est discrimen: nam maius est, ac perfectius in Deo esse Patrem, quam esse Dominum, sicut maius est generasse filium, quam creasse creaturas; immo summa perfectio est in Deo Filium esse; creasse autem mundum, & Dominum esse creaturarum, in Deo ipso, non ad perfectionem, qui æqualiter perfectus erat etiam ante creationem, & etiam si non creasset. Præterea esse Patrem, æternum est, Dominum autem, quantum ad relationem dominij, temporale est, et ab extrinseco dicitur Dominus, nempe quia creaturæ ipsius sunt. Adiungo his maioris, ac

Qui sapientes & prudentes in hoc loco dicuntur.

Nonnullæ dubitationes occurrunt discutiendæ, & elucidandæ pro perfecta præcedentis sententia explicatione. Primum est, quid per sapientes, & prudentes significetur, in quo sunt varij doctores. Primo enim loco Ambrosius serm. 17. in psal. 118. Hieronymus Mat. 11. & Chrysostomus hom. 39. in Matth. interpretantur Scribas illos & Phariseos, qui sibi sapientes, ac prudentes videbantur; per paruulos autem, Apostolos, & simplices, qui de sapientia, ac prudentia nõ præsumebant, illis reuelatus non est Christus, his vero sic.

Secundo loco idem Ambrosius in præfati commentario, August. serm. 8. de verbis dom. Hilarius can. 11. in Matth. latius extendunt hoc, nempe tam ad Iudæos, quam ad Gentes; inter hos enim qui sibi sapere visum sunt, suoque ingenio iudicare de rebus fidei voluerunt, non sunt assecuti Christum, eiusque mysteria; qui vero paruuli fuerunt, id est, humiles, nec suo intellectui innitentes, sed subdentes se prædicationi diuinæ, hi nouerunt Christum, & Euangelium receperunt; iuxta illud. 1. Cor. 3. Si quis est inter vos sapiens in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens, id est non regulet diuinam sapientiam humano ingenio, regulisque humanæ sapientia.

Tertio loco quidam recentiores, sapientes, & prudentes interpretantur illos antiquos Patriarchas, &

nunc appellatur. Quod ad tertium spectat, nempe, cæli, & terræ, tria mysteria in eo significare voluit. Primum est vocatio omnium, non solum Iudæorum, sed etiam Gentium ad Euangelium, ut qui pro omnibus mortuus est, omnibus salutem impertiret. Vnde omnes vocat, dicens paulo inferius; Venite ad me omnes, qui onerati estis. hoc significant verba hæc quasi diceret: Dominus est cæli, & terræ, & omnium non solum Iudæorum, sed etiam Gentium, ideo omnes ad salutem per meum Euangelium vocas, omnibus reuelare eius gratiam voluisti. Hoc argumento vsus est Paulus ad probandam vniuersalem Gentium, & Iudæorum ad Euangelium vocationem, ad Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis. An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? immo & Gentium, quoniam vnus est Deus, qui iustificat circumcissionem, ex fide, & præputium per fidem. Alterum, quod per hoc significatur, illud est, per Euangelij gratiam aperiri ianuam cæli, ut qui in terra per eam iustificati fuerint, in æterna cælorum tabernacula recipiantur, statim ac à peccatorum maculis, vel hic, vel in Purgatorio fuerint purgati, quasi diceret, Domi-

nũ cæli, & terræ te voco, quia quos per Euangelium meum saluos feceris, ad cælestia habitacula transferes, cælosque tuos per me eis aperire voluisti; quod Paulus 2. Cor. 5. docens, inquit: Scimus, quoniam si terrestribus domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis. Tertium, quod his vocibus significatur, id est, diciturus enim Christus de iudicio in terris factum, nempe quod absconditum est mysterium aduentus eius sapietibus, & reuelatum paruulis, depositumque sunt superbi, & exaltati humiles, Dominum cæli, & terræ appellat, significans iudicium simile discretionis factum in cælis de Angelis, quasi diceret: o Domine cæli, & terræ, id est, qui quod iudicium in cælis fecisti inter Angelos, nunc in terris, facis, repulsis superbis, & electis humilibus; immo sicut loco repulsorum Iudæorum Gentes accersis. Rom. 11. Diminutio Iudæorum diuitia sunt Gentium; ita, etiam ruinas Angelorum in cælis, reparas hominibus; sicque instaurator es omnium, per me filium tuum, siue quæ in cælis, siue quæ in terris, ut habetur Ephe. 1. Hæc omnia hæc verbis significatur.

Quod abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus: & reuelasti ea paruulis.

COMMENTARIA.

Exponit ea de quibus Patrem laudat, ac commendat, pro quibusque gratias agit. Hæc autem duo sunt. Vnum est quod sapientibus, ac prudentibus abscondita sint hæc, id est, sacramenta aduentus sui, quæ Discipuli partim prædicauerant, quæque ipse statim explicat. Sapientes autem ac prudentes, Phariseos, & Scribas, primosque illos Iudæorum appellat, qui sibi sapientes, ac prudentes, nulliusque doctrina, ac consilio egere videbantur. His Pater æternus mysterium aduentus Christi, gratiaque ipsius abscondit, ob eorum peccata: dictus est autem abscondere, quia lumen, quo de facto id agnoscerent, non concessit. Alterum est, quia quæ illis abscondita sunt, paruulis, id est, Apostolis, Discipulis, cæterisque similibus, qui coram proprijs oculis, ac ipsius etiam mundi, videbantur paruuli, reuelata sunt; et nouerunt Christum, non quidem propter eorum merita, sed ex reuelantis gratia. Hæc sunt, pro quibus Christus Patrem confitetur, gratias agendo, & laudando. Sapientes dicuntur à peritia, & scientia, prudentes vero à praxi, & vsu rerum. Sic enim hæc duo distinguuntur.

ANNOTATIO XXXII.

Qui sapientes & prudentes in hoc loco dicuntur.

Nonnullæ dubitationes occurrunt discutiendæ, & elucidandæ pro perfecta præcedentis sententia explicatione. Primum est, quid per sapientes, & prudentes significetur, in quo sunt varij doctores. Primo enim loco Ambrosius serm. 17. in psal. 118. Hieronymus Mat. 11. & Chrysostomus hom. 39. in Matth. interpretantur Scribas illos & Phariseos, qui sibi sapientes, ac prudentes videbantur; per paruulos autem, Apostolos, & simplices, qui de sapientia, ac prudentia nõ præsumebant, illis reuelatus non est Christus, his vero sic.

Prophetas, qui vere sapientes, ac prudentes fuerunt, paruulos autem Apostolos, & Discipulos; illis autem dicuntur hæc abscondita, quia Christum videre oculis corporeis non obtinuerunt, hoc autem paruulis istis datum est. Hæc sunt, quæ doctores sentiunt in hac parte.

Secundo loco idem Ambrosius in præfati commentario, August. serm. 8. de verbis dom. Hilarius can. 11. in Matth. latius extendunt hoc, nempe tam ad Iudæos, quam ad Gentes; inter hos enim qui sibi sapere visum sunt, suoque ingenio iudicare de rebus fidei voluerunt, non sunt assecuti Christum, eiusque mysteria; qui vero paruuli fuerunt, id est, humiles, nec suo intellectui innitentes, sed subdentes se prædicationi diuinæ, hi nouerunt Christum, & Euangelium receperunt; iuxta illud. 1. Cor. 3. Si quis est inter vos sapiens in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens, id est non regulet diuinam sapientiam humano ingenio, regulisque humanæ sapientia.

Quæ autem mihi probabiliora, & accommodatiora sunt visa, proponam. Primum quidem, tertia expositio recentiorum non videtur probabilis: tum, quia est contra antiquos Patres: tum quia verba antecedentia, & sequentia cum hac sententia sic explicata, non conueniunt; nec enim Christus gratias ageret, quod illis Patribus sit negata præsentia sua corporalis, & quæ sequuntur: Nemo nouit Patrem, nisi filius, & cætera. Vnde non de corporali præsentia, sed de notitia, quæ per fidem est, intelligi possunt: nec reuelatio ista est visio corporalis, quæ communis fuit bonis, ac malis, fidelibus, & infidelibus; quæ vero fidei est, & ad salutem necessaria, etiã data fuit illis Patribus: tum etiã, quia nõ est cur illi dicti sint sapientes, & prudentes, non autem Apostoli, & Discipuli; nõ si de mundi sapientia sermo est, fuerunt etiã inter illos aliqui ea sapientia, ac prudentia nõ præditi, sed pastores, & simplices; si autem de vera sapientia loquimur, quæ est per fidem, fuerunt etiam Apostoli sapientes. Ista igitur expositio recens non est probanda.

Tertio loco quidam recentiores, sapientes, & prudentes interpretantur illos antiquos Patriarchas, &

Secundo: Secunda expositio veram continet doctrinam, diuina enim sapientia mysteriorum Christi ignorata est à sapientibus mundi in re Gentes, atque paruulis, et humilibus reuelata; tamen presentibus verbis id non significauit Christus, sed tantum de Iudæis loquebatur, quibus iam de præterito facta erat discretio hæc, vt quibusdam mysterium aduen-

A N N O T A T I O XXXIII.

Reuelare quid sit, quid etiam abscondere.

Quæ sint ea, quæ per nomen illud, hæc significat hoc loco.

Altera dubitatio est, quid reuelare, quid abscondere sit. in cuius rei declarationem aduerte, abscondere, & reuelare metaphorice sumi: quod ignoratum enim est, dicitur absconditum: quod vero agnitum, reuelatum. Lucae 19. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, id est, tibi ignorata, & incognita Galat. 1. vt reuelaret filium suum in me, id est, vt faceret me cognoscere filium suum, siue vt per me faceret filium suum cognosci ab alijs. Aduerte rursus fidei nostræ mysteria cognosci non posse solo naturali intellectus lumine, nec humana sola ratio-

A N N O T A T I O XXXIII.

Quæ sint ea, quæ per nomen illud, hæc significat hoc loco.

Tertia dubitatio est, quid per illud, hæc, quando dicitur, abscondisti, & reuelasti hæc, intelligendum sit. Respondet Hieronymus Matth. 11. hæc esse sacramenta sui aduentus, quod quidem verum est: tamen ad literam illo, hæc, etiam significantur, quæ ipse statim explicat sequentibus sententijs, cum dicit: Omnia tradita sunt mihi à Patre, & nemo no-

A N N O T A T I O XXXV.

Quid sit illud, pro quo hic Patri Christus confitetur.

Quarta dubitatio est de sensu huius sententiæ, nimirum quid sit, pro quo Christus Patri confitetur. Chrysostomus hom. 39. in Matthæum dicit hanc confessionem, quam ipse gratiarum actionem interpretatur, non comprehendere vtramque partem huius sententiæ, sed posteriorem, hoc est, Christum non agere gratias Patri, quod absconderit hæc à sapientibus, sed solum quod reuelauerit ea paruulis; vt sit sensus: o Pater ago tibi gratias, quod cum hæc absconderis à sapientibus, reuelaueris ea paruulis. Illud enim primum non videtur materia gaudij, nec gratiarum actionis. simile illud est. Rom. 6. Gratia Deo, quod serui fuistis peccati, nunc autem obedistis in eam formam doctrinæ; non est sensus, quod gratia sit Deo pro vtroque per se, nimirum, quod serui fuerint peccati, & quod obedierint Evangelio, sed quod cum prius fuerint serui peccati, nunc obedierint Evangelio. Ita etiam nunc intelligenda est præsens sententia. Mihi accommodator, & verior intelligentia videtur, si verbi confessionis vtrique per se applicemus, & non solum vt confessio gratiarum actionem, sed etiam vt laudem significat; itaque gratias agit Patri, eumque laudat pro absconssione, & similiter gratias agit, & laudat pro reuelatione. Quomodo autem hæc sint intelligenda, explicandum est. Aduertenda igitur est doctrina vera Augustini lib. de prædesti. sanct. cap. 6 & lib. de bono perseuer. cap. 8. cui consensit Gregorius lib. 25. mora. cap. 13. nimirum hæc duo, scilicet diuina mysteria quibusdam abscondi, quibusdam vero reuelari; & quod prædicato verbo Dei hi credant, illi autem non credant, non procedere ex eodem principio ex parte Dei; vnum enim misericordiæ, alterum iustitiæ est; nam quod Deus vni lumen suum infundat, quo veritatem agnoscat, & eam prædicanti credat, misericordiæ est, cum nullum in homine præcedat meritum, immo demeritum præexistat, cum peccator sit. Quod autem alteri neget lumen illud, & gratiam, quæ si darentur, vtique crederet, & conuerteretur, iustitiæ est, ob eius peccatum, & arbitrij resistentiæ. Potuisset ergo Deus

tus fuerit absconditum, quibusdam reuelatum, iuxta illud Ioan. 9. In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant: & qui vident, cæcificent. quæ sententia etiam si Gentibus accommodari possit, tamen Christus Iudæos per eam significare voluit, ita existimo in præsentem factum.

ideo necessarium est supernaturale lumen. Christum quidem in terris existentem potuerunt oculi corporum videre, eum tamen esse Christum promissum, ac Dei filium humana mens supernaturali, ac caelesti lumine destituta, assequi non valuit. Io. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Matth. 16. Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus. Quando igitur Deus lumen infundit, quo mysteria ignorata agnoscantur, dicitur reuelare: quando vero id negat, abscondere. de hac tamen re plura dicemus in sequentibus commentarijs.

uit Filium & c. quæ licet Discipuli nondum omnia perfecte tunc assecuti essent; tamen in suo principio iam intelligebant, credentes Christum esse verum Messiam promissum, cuius aduentum prædicauerant, & paulo post Spiritu sancto adueniente perfectissime edocendi erant. Quæ forsitan Hieronymus intellexit sub illis verbis (sacramenta aduentus sui.)

Pharisæis, & Scribis illis eam gratiam dare, idque lumen infundere, quo de facto consensissent, ac credidissent verbo suo, Christumque recepissent; tamen ob eorum superbiam, & abusum eius gratiæ, & auxiliij, quæ concessa illis fuere ad credendum, illa negauit iusto iudicio. Potuisset etiam hijs paruulis, quia peccatores erant, negare lumen datum, tamen in misericorditer largiri dignatus est, non quidem ex iustitia, sed ex gratia, quia nullum solum præcessit in eis meritum. De his duabus virtutibus Paulus Rom. 11. dicit; Vide seueritatem, & bonitatem Dei: seueritatem in ijs, qui ceciderunt: bonitatem autem in te. Cum igitur in absconssione iustitia Dei, in reuelatione misericordia splendat, recte in vtroque per se laudatur, & commendatur Deus: nam laus est manifestatio quædam virtutis. Non solum autem iustitia, & misericordia in hac discretione elucet, sed etiam summa Dei sapientia in contemperanda iustitia, & misericordia, modis, & vijs inuestigabilibus, dicente de hoc mysterio Paulo Rom. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. confitetur ergo, & commendat Christus Patris iustitiam, misericordiam, ac sapientiam. Inuenimus etiam in his duobus, pro quo Christus vt homo gratias agit Patri: nam gratiæ aguntur pro beneficijs acceptis, Christus autem beneficium à suo Patre accepit, & in absconssione, & in reuelatione ista. Nam in absconssione facta Deus vindictam sumpsit de incredulis, ac persecutoribus Christi; ob eorum enim iniuriam, quam Christo sua infidelitate, ac malitia intulerunt, priuati sunt lumine veritatis, & permisi sunt in sua cecitate, ac peccato permanere. Ioan. 7. si enim non credideritis, quia ego sum, in peccato vestro moriemini. Christus ergo gratias agit Patri ob vindictam pro eo sumptam; licet enim vindicta non sit petenda, tamen si à Deo inferatur, qua parte Deus vltor noster est, beneficium est, & pro collato licet gratias agere. 2. reg. 25. dixit David benedictus Deus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal; ita nunc Christus gratias agit

agit Patri, qui duritiam, ac superbiam Pharisæorum contra Christum, veritatis absconssione puniuit. Quam prædixit Deus per Moysem Deutero. 18. Qui non audierit, inquit, verba, quæ loquetur in nomine meo, ego vltor existam. Ioan. 8. hoc Christus confirmans dixit; Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet: in ipsa etiam reuelatione beneficium à Patre accepit Christus vt homo, credentes enim, Christi serui sunt; pro ipsius honore, ac nomi-

ne sanguinem effundere parati sunt, & multi defæcto profuderunt, in quibus omnibus clarificatus est Christus. Vnde de ijs, tamquam de dono sibi à Patre collato dicit Io. 17. Rogo pro ijs, quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia tua sunt: & tua, mea sunt, & clarificatus sum in eis. Ex omnibus his liquet confessionem tam laudis, quam gratiarum actionis inueniri in absconssione hac, & reuelatione.

Etiam Pater: quoniam sic placuit ante te.

C O M M E N T A R I A.

Causam exultationis suæ exprimit Christus, nam in Spiritu sancto exultans confessus est Patri. Etiam, inquit, Pater. Vox est consentientis, & applaudentis, quasi diceret, o Pater huic tuæ discretioni absconssionis, & reuelationis consentio, applaudo, eam probo, & cum gaudio suscipio, ac manifesto, ea de causa, quia sic tibi placuit, sic bene visum est tibi, ea est voluntas tua, quam solam ego vt homo ante me habeo, hanc facere studeo, eam quæro, non enim veni facere voluntatem meam, sed tuam, quæ tibi placita sunt, mihi placent, & facio semper. Hæc respondent superioribus, Dominus cæli, & terræ, vt ibi notauimus: quia enim Dominus est, ideo pro ratione, & causa sufficit voluntas eius. Nam Dominus est sub nullius alterius potestate, sed primus, & supremus.

A N N O T A T I O XXXVI.

Conformitas humanæ voluntatis Christi cæli diuina.

Eadem verba habentur apud Matthæum Græcè, quamuis interpret alijs verbis interpretatus fuerit apud Lucam, quam illi, idem tamen significantibus; Græcè nomen est *εὐδονία*, id est, beneplacitum, seu bona voluntas, quasi diceretur ad verbum, sic fuit beneplacitum tuum. Quod autem ad rem spectat, hisce verbis exprimit conformitatem humanæ suæ voluntatis cum diuina etiam in eo, quod sapientes, & prudentes puniti sunt, absconssione diuinarum mysteriorum, in qua non solum Christus

consentit voluntati Patris, sed etiam gaudet; quamuis enim non sit gaudendum in poena, & vindicta illata alicui; tamen qua parte diuina voluntas impletur, & iustitia Dei in eo exaltatur, gaudere licet. sic Basilus, & Theodoretus interpretantur illud psal. 55. Lætabitur iustus, cum viderit vindictam. & lætabitur, inquit, propter diuinam providentiam. Sic etiã dictum est psal. 144. Iustitia tua exultabunt. De hac tamen re alibi est plenius tractandum.

Omnia tradita sunt mihi à Patre meo.

C O M M E N T A R I A.

Exponit, quæ sint hæc, quæ abscondita sunt sapientibus, & reuelata ea paruulis à Patre. omnia, inquit, tradita sunt mihi à Patre meo, quasi diceret, sacramenta abscondita sapientibus, & reuelata paruulis sunt, mihi esse omnia à Patre tradita. Christus Dei filius, & homo, redemptor fuit hominum, & doctor; venit enim vt à peccatis liberaret, Deoq. reconciliaret hominem, sicque æternam conferret salutem. Venit etiam vt doceret viam assequendæ salutis, erroribus, & ignorantijs expulsis. De priori officio, inquit, omnia tradita sunt mihi à Patre meo, quasi diceret, constitutus sum à Patre Redemptor, & Saluator, & in mea manu, ac potestate posuit vniuersa, vt ea reparem, & restaurem, vt sicut per me vt Deum omnia creauit, sic per me carne assumpta, recreet, & reparet. Ad hoc veni, & ad hoc sum homo factus. Abscondita igitur sunt à sapientibus sacramenta, scilicet, legatio mea, incarnatio mea, finis aduentus mei, officium meum; paruulis autem ex parte iam reuelata, postmodum verò perfecte reuelanda sunt. Hic est sensus, & connexio huius sententiæ.

A N N O T A T I O XXXVII.

Christus Saluator, & doctor noster.

Aduerte pro maiori explicatione commentarij, Dei filium ad hoc maxime carnem sumpsisse, vt saluaret, & vt doceret. Saluauit redimendo suo sanguine à peccatis, Patri reconciliando, ea merito, & satisfactione sua obtinendo, & conferendo, quibus liberamur à peccato, iustificamur, bene operamur, eo digni efficiamur vita æterna, demum iudicando, & vitam æternam conferendo. Hæc omnia

facit Christus, vt saluator est, Docuit autem fidem, veram Dei, ac mysteriorum eius, aperiendo suum aduentum, & quæ per eum gessit manifestando, præcepta morum, & eorum, quæ ad salutem faciendâ sunt, tradendo, illuminando etiam hominum mentes supernaturali lumine, vt doctrinæ per eum traditæ consentiant. Hæc omnia ad duo hæc reducuntur, quod Saluator, et Magister, seu doctor noster fuit.

De priori officio in Euangelio dicitur Ioan. 3. Misit Deus filium suum, ut mundus saluetur per ipsum, & Mar. 10. Venit Filius hominis, ut ministraret, & daret animam suam in redemptionem pro multis, & in veteri testamento scriptum est. Isa. 48. Deus redemptor tuus, sanctus Israel, & Isa. 35. Ipse veniet, & saluabit nos. De posteriori autem dicitur in Euangelio Ioan. 3. Vos vocatis me Magister, & bene dicitis. Ioan. 18. Ego veni ut testimonium perhibeam

ANNOTATIO XXXVIII.

QUOD ad verba spectat, in quibusdam Graecis exemplaribus ante hanc sententiam legitur haec verba (& conuersus ad Discipulos dixit) sicque legit Euthymius; ad vero Latina non habent, nec etiam multa Graeca, nec nos censemus legenda, praesertim, quia paulo inferius ea habentur, nec possent illic legi, si in loco hoc legerentur: si enim conuersus nunc est, non erat, cur post haec conuersus diceretur. De hoc tamen inferius aliquid aliud notabimus. Quod autem ad rem pertinet, celebris est ista sententia, super quam Athanasius longam habuit orationem contra Arianos, quos refert hoc loco abusus, ad probandum Filium minorem Patre, cum illi tradita fuerint omnia; argumentabatur enim: Si Pater tradidit illi omnia, ergo prius non habuit ea Filius: igitur minor est Patre. Dux autem sunt huius sententiae interpretationes. Una est eorum, qui interpretantur de Christo ratione diuinitatis, cui Pater tradidit omnia: nam communicando ei propriam essentiam, communicauit potentiam, dominium, & omnia, quae habet. verbum autem traditionis non est humano more intelligendum, quasi Filius prius non habuerit, aut Patri se omnibus priuauerit, sed indicat filij à Patre processionem, secundum quam Deus est de Deo, Dominus à Domino, habens eandem naturam cum Patre, sed Pater à se, Filius à Patre absque vlla prioritate, aut posterioritate durationis. Haec interpretatio est Athanasij. ser. 4. contra Arianos. Irenaei lib. 4. cap. 37. Hilarij lib. 6. de Trinit. Ambrosij lib. 3. de Spirit. san. cap. 12. Chrysostomi hom. 39. in Matthaeum. Altera expositio est eiusdem Athanasij in oratione super hanc Lucae sententiam, ubi affirmat eam intelligendam de Christo ratione dispensationis per carnem gerendae, censetque tunc tradita omnia ad reparandum, & instaurandum, quando homo factus est: Quamuis enim ut Deus est, omnia sint ei tradita semper, tamen ut homo est, accepit, quando carnem sumpsit, quae prius ut homo non habebat. Verba Athanasij, quia eius mentem declarauit optime, referam ex parte; sic enim inquit. Postquam peccarat, & lapsus, esset homo, eiusque lapsu perturbatis omnibus, mors inualuisset ab Adā vsque ad Christum, terraque execrationis data esset, Infernus apertus, Paradisus clausus, caelum infernum, & tandem corrupto, & interempto homine, insiluisse diabolus contra nos: tunc Deus hominum amator, ac nolens perire hominem ad suam imaginem conditum, in haec verba locutus est, quem emittam? Et quis proficiscetur? omnibus obtinentibus locutus est filius, Ecce ego, emittē me. Quo tempore illi respondit Pater, vade ergo. Tunc dedit illi hominem, ut ipsum verbum caro fieret, carnemque assumptam in omnibus instauraret: tradita enim sunt illi ut medico, qui sanaret morsum serpentis: &

ANNOTATIO XXXIX.

In connectenda hac sententia cum antecedentibus est aliquid discriminis inter doctores; Chrysostomus enim hom. 39. in Matt. dupliciter connectit, primo sic; Ne dum Christus confitetur Patri, videretur

veritatis; in veteri autem testamento. Isa. 55. Ecce testem populis dedi eum, ducē, & praeceptorem gentibus. Iohel. 2. Dedit vobis doctorem iustitiae. Sunt saecula testimonia in Scriptura de his duobus Christi operibus, seu officijs. De priori igitur dicit, omnia tradita sunt mihi à Patre. De posteriori est sequens sententia, atque haec sunt, quae abscondita fuerunt sapientibus, & reuelata paruulis. Hi nouerunt Christum, illi vero non.

ut vitæ, qua excitaret mortuum: & ut luci, quo illuminaret tenebras: & ut rationi, quo redintegraret vim rationalem. Postquam igitur tradita sunt illi omnia, & factus est homo, correctae sunt omnia, & perfecta, terra pro maledictione benedictione obtinuit. Paradisus reuerterat: Infernus se metu contraxit, monumenta aperta sunt resurgentibus mortuis; Portae caeli clausae sunt, ut intraret ille ex Edem; Haec & alia multa Athan. quibus significat omnia tradita Christo homini, in reparationem, instauracionem, & maxime homines in redemptionem, & salutem: ad hoc enim venit Christus, hic fuit scopus, & finis aduentus sui in carnem. Huic interpretationi consensisse videtur Hieronymus Matth. 11. quamuis per illud, omnia, censet non esse intelligenda caelum, & terram, ceterasque creaturas, sed eos, qui per filium accessum habent ad Patrem; qui ante rebelles, postea Deum sentire coeperunt: at Athanasius generaliter interpretatur: nam Christus omnia instaurauit, quae in caelis, & quae in terris, ut habetur Ephe. 1. licet non eodem modo instauratio omnibus competat; quamuis etiam possumus hominibus accommodare, pro quorum redemptione, ac salute venit: omnia autem dicuntur, quia propter hominem cuncta sensibilia facta sunt. Haec interpretatio mihi vix est accommodata, eamque secuti sumus in commentario, multisque Scripturae sacrae locis consonat, dicitur enim Io. 3. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius, nempe omnium reparationem fecit, ac quae ad hominum salutem spectat, ei commisit. simile est illud Ioan. 13. sciens, quia omnia dedit Pater in manus; & Ioan. 17. dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. Hoc idem docuit Paulus Ephe. 1. Ut notum, inquit, faceret sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporis, instaurare omnia, quae in terris, & quae in caelis sunt. Nota beneplacitum suum, id est, voluntatem salutis hominis, & reparationis vniuersi, positam à Deo in Christo, quia ipsum constituit reconciliatorem, mediatorem, doctorem, medicum, redemptorem, ac reformatorem. Hoc est tradidisse omnia illi; id ipsum praedixit David psal. 3. postula à me, & dabo tibi gentes in hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae. Huic ergo existimo sensum legitimum huius sententiae. Adde cum omnia creata sint in tempore, nec fuerint, quando Pater genuit ab aeterno Filium, non ita proprie dici Patrem Filio tradidisse omnia, quando genuit, quia tunc non erant. Proprius tradidit, quando hominem fecit; eumque eorum instauratorem constituit, & praecipue hominum, qui per peccatum ceciderant, & reparatione summopere indigebant.

illo minus potens, & à natura paterna alienus, dixit, omnia tradita sunt mihi à Patre meo, sicque ostenderet aequalitatem cum eo. Huic priori connectioni consentit Euthymius. Addit etiam Chrysostomus

stomus alteram connectendi rationem, dicens hanc sententiam dictam esse ad Discipulos, qui laetabantur, quoniam daemones sibi parerent, quasi diceret, quid ita gaudetis frustra, potestate vobis data? mea omnia sunt, tradita mihi à Patre meo. Voluit enim Christus Discipulos diligentiores, & moderatores facere, ideo hoc dixit; sic Chrysostomus connectit. Neutra autem connectio mihi videtur accommodata; non quidem prior, nam innititur in eo, quod haec sententia intelligenda sit de Christo ratione diuinitatis, quam intelligentiam superiori annotatione non probauimus. Non etiam posterior: tum quia Christus iam huic gaudio respondit, & noua aggressus est, nempe Patris confessionem: tum quia dura videtur expositio, non enim apta ratio est, propterea non esse gaudendum Discipulis de potestate eis data, quia omnia tradita sunt Christo à Patre; immo tanto maius gaudium esse debuit, cum scirent Christo, in cuius nomine daemones expellebant, omnia tradita esse à Patre; sic enim potestas

eis data nobilior, & firmiter videbatur. Igitur connectio in commentario posita visa est mihi accommodatior; cum enim confessus fuisset Patri gratias agendo, & eum laudando, de absconione, & reuelatione horum, nec explicuerit, quae ea sint, sed indistincte pronunciauerit (haec) nunc exponit, & reuelat Discipulis. Potest etiam alia connexionis ratio adiungi: cum enim dictum esset; Sic placuit aetate, Graece; sic fuit bona voluntas, seu beneplacitum ante te, explicat sequentibus his verbis hoc beneplacitum, quasi diceret, hoc beneplacitum Patris ego veni implere, Paterque meus in me posuit, ac decreuit hoc beneplacitum complere, omnia tradendo mihi. Paulus huic fauet veritati Ephe. 1. dicens: Secundum beneplacitum eius, scilicet Patris, quod proposuit in eo, nempe Christo. Quod Paulus dixit, Pater proposuit beneplacitum suum in Christo, hoc nunc ipse Christus significat, dicens; Omnia tradita sunt mihi à Patre meo. Haec de connexionem.

Et nemo scit, quis sit filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius.

COMMENTARIA.

Praecedenti sententia ostendit se redemptorem omnium, nunc declarat se doctorem, & ad haec duo venisse, nempe saluare, & docere veritatem Dei; ut autem doctrinae suae veritatem, & certitudinem commendat, praemittit se scientiam habere diuinam, eam nempe, quam Pater habet, cum sit eius Filius, eiusdem cum eo substantiae, & scientiae, & dicit, nemo scit quis sit Filius, nisi Pater, nec quis Pater nisi Filius. sermo est comparatiuus, scilicet, sicut nemo scit quis sit Filius nisi Pater, sic nemo scit quis sit Pater, nisi Filius, quasi diceret. Patris, & Filij cognitio, & notitia ipsius est Patris, & Filij, nemoque extra eos id assequi potuit, potest, aut poterit à se, aut ex se, sed talis notitia eis est propria. Attende non excludi ipsas personas à notitia, & scientia, cum enim dicitur, nemo scit quis sit Filius nisi Pater, non excluditur Filius à sui cognitione: nam & Filius se ipsum cognoscit. Similiter cum dicitur nec quis sit Pater nisi Filius, non excluditur Pater à sui notitia. Id ergo significatur, personarum harum notitiam ipsarum earundem esse, nec ullum alium quempiam id nosse quasi à se, nisi deriuata, & comunicata cognitione à Patre, & Filio. Attende etiam non excludi à notitia eadem Spiritum sanctum, sed cum non sit nunc facta mentio tertiae personae, non exprimitur eius notitia, sed non excluditur, sed tantum id, quod extra Deum est, quod notitiam Patris, & Filij, & Spiritus sancti habere non valet, nisi ab ipso Deo sit emanata, & reuelata. Ratio enim nulla naturalis, nec vlla creatura ex se arcanum hoc, & sacramentum assequitur. Iuxta illud Matth. 16. caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis. Attende postremo supplendum esse, eos etiam nosse, quibus Pater reuelauerit, nam dictum est Patrem reuelasse paruulis.

ANNOTATIO XL.

Patrum expositio contra Macedonianos hoc loco Euthymij abuten-tes.

Aduerte Ambrosium lib. 2. de Spirit. san. cap. 12; refert Macedonianos hoc abusos loco ad probandum Spiritum sanctum minorem esse Patre, nec eiusdem substantiae cum eo, quia dictum est, Nemo nouit Filium, nisi Pater: inferebant, ergo Spiritus sanctus non nouit, cum non sit Pater. Huic autem cauillationi respondit ipse Ambrosius docte, & vere, his exclusiuis locutionibus non remoueri personas, sed creaturas; quod loco Pauli manifesto probat. 1. Cor. 2. Nemo, inquit, nouit, quae sunt Dei, nisi Spiritus Dei. Ecce Spiritus nosse dicitur, quae sunt Dei, non igitur excludatur Spiritus ab hac locutione. quod si persona excluderentur, nec Pater cognosceret, quia dictum est, nemo cognoscit, nisi Spiritus Dei. Haec doctrina Ambrosij est etiam

Basilij. lib. 3. contra Eunotium, aliorumque patrum, & omnino verissima. Aduerte praeterea, Athanasium in oratione contra Gregales Sabellij, hanc sententiam connectere sic, inquit, enim: Cum dicit, confiteor tibi Pater Domine caeli, & terrae, homo esse videtur. recte tu quidem: habet enim humanitatem sibi adiunctam deitas illa, quae in mundum venerat, sed ne ob praetextum carnis ignorares Deum, statim de seipso ita subiungit, & in hunc modum loquitur: Nemo cognoscit Filium, nisi Pater: neque Patrem cognoscit quispiam nisi Filius, & nisi cui uoluerit Filius reuelare. Haec Athana. Chrysostomus autem hom. 39. in Matthaeum sic nectit: Quoniam, inquit, dixit: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo; intulit, quasi diceret, quid mira-

Quomodo omnia tradita Christo à Patre.

Connexio sententiae proxime cum praecedentibus.

miramini, si omnium ego sum Dominus, qui & aliud quid multo maius possideo, quod Patrem nouerim, quod eiusdem cum eo substantiae sum? Hæc ille. At utraque sententia consideranti dura.

Et cui uoluerit Filius reuelare.

C O M M E N T A R I A.

EXposita notitia, & scientia, quam habet sui, & Patris, manifestat suum magisterium, & se esse doctorem, & uenisse, ut Dei nobis notitiam daret. Sensus est, hanc notitiam, & scientiam Patris, & Filij ego doceo; ego cui uolo, reuelo, nec assequi ullus poterit, nisi meo magisterio, & doctrina. Idem est sensus huius, & illius Ioan. 1. Nemo Deum uidit unquam, Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse reuelauit. Hoc est, quod nunc dicitur, ego sum ille, qui uideo me, & Patrem, & nemo alius, nisi is, quem docuero, uidere poterit; quæ uidimus testamur. loquitur hic de se, ut homine, & de sua doctrina per se tradita, quæ uerissima est, & certissima, quia Deus est, & dei Filius, qui unam cum Patre habet scientiam. Hæc sunt, quæ abscondit Pater sapientibus, & reuelauit paruulis, me esse Filium eius, me redemptorem, me doctorem uitæ.

A N N O T A T I O X L I.

Connexio superiorum uerborum, & explicatio.

HAnc sententiam sic connectit Chrysoströmus hom. 39. in Matthæum: Quia, inquit, de Patre dictum erat, Reuelasti ea paruulis; idcirco de se dixit: Cui uoluerit Filius reuelare, ut eiusdem potestatis cum Patre se esse significaret. Notatque non esse dictum, cui iussus sit reuelare, aut, cui iniunctum sit reuelare, sed cui uoluerit. Sic enim ostendebatur æqualitas. Ambrosius autem lib. 2. de Spir. san. cap. 12. consentire uidetur, hæc enim uerba recitans ait: Plus dixit de Filio, non quod plus habeat, quam Pater, sed ne minus habere uideretur. Hæc ille. Hi duo doctores hanc sententiam interpretantur de Christo, ut Deo, qui, quibus uult, reuelat, ut Pater. Quod etiam affirmat Irenæus lib. 4. cap. 14. notans illud (uoluerit) non tantum futurum, sed etiam præteritum, tempusque omne complecti, ut significet, & ante Incarnationem per Filium reuelatam fuisse Dei notitiam. Mihi certe uidetur in hac sententia Christum de se loqui, ut homo est, & ratione carnis suæ, secundum

uidebitur, & uolenta. Mihi magis probatur ea, quæ posita est in commentario, meliusque in sequenti explicatur.

quam, seu per quam redemptor, & doctor est hominum factus, sicut etiam illud Ioan. Unigenitus enarrauit nobis, scilicet per carnem, ad hoc enim uenit, ut doceret salutis uiam, & Dei perfectam notitiam; præmisit enim se habere scientiam Dei unam cum Patre, ut ostenderet doctrinam, quam per carnem, & in carne tradebat esse uerissimam, & infallibilem, & eam cui uult reuelat, & cui uult abscondit, non solum ut Deus, sed etiam ut homo; cui sensui illud consonat Ioan. 14. Ego sum uia, ueritas, & uita, nemo uenit ad Patrem, nisi per me, & illud Ioan. 3. Quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, nempe quod uidimus, & scimus diuinitate, & ut Deus, loquimur, & testamur in carne. Hebr. 1. Nouissime locutus est nobis in Filio. Declarat etiam his uerbis se, ut homo est, conformem habere cum Patre uoluntatem, & potestatis exercitium, cui Pater reuelare uult, ipse etiam uult, cui Pater abscondit, etiam & ipse, quia Deus est, qui in carne, & per carnem docet, & operatur.

A N N O T A T I O X L I I.

Expositio huius sententiae contra Marcionem ea abutentem.

Irenæus lib. 4. cap. 14. & Chrysoströmus hom. 39. in Matthæum, referunt Marcionem hæreticum hac superiori sententia abutentem esse ad probandum Deum Patrem Christi non esse Deum ueteris testamenti, & Prophetarum, sed alium ab hoc argumentabatur autem sic; Si nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare; igitur antequam Christus carnem indueret, Pater hic non erat ab ullo agnitus, cum Christus nemini reuelauerit antequam homo esset; at ille Deus ueteris testamenti multo prius notus, & reuelatus est; igitur alius est à Patre Christi. Ad hanc obiectionem si recte perpendimus, aliter respondet Chrysoströmus, aliter Irenæus. Primo quidem Chrysoströmus dicit, non de qualibet cognitione hic haberi sermonem, sed de perfecta, & exquisita notitia Patris, & Filij, qualem de Filio, & Patre, solus Filius, & Pater habent, nos enim ex parte cognoscimus. Vnde cum dicitur, Nemo cognoscit Filium nisi Pater; neque Patrem nisi Filius, non dicitur Deum ignorari ab omnibus alijs, sed ab alijs non cognosci ea cognitione, qua Pater, & Filius se cognoscunt. Hæc est responsio Chrysoströmii, quæ mihi uidetur nec accommodari posse textui, nec satisfacere obiectioni; non quidem textui accommodatur, nam dicitur, Nemo cognoscit, nisi cui reuelatur; igitur cui reuelatum est, is cognoscit Filium, & Patrem, & tamen non

est ista reuelata cognitio exquisita illa, & perfecta; non ergo loquebatur Dominus, quando dixit, nemo Patrem cognoscit nisi Filius, de perfecta, & exquisita cognitione, si enim de hac sermo esset, non oportebat excipere eum, cui reuelatum est; exceptio enim non fit, nisi ex eo, quod est commune. Vnde necessario est dicere, Dominum absolute loqui de scientia, & notitia, qua Pater, & Filius cognoscuntur, siue à se, siue ab alijs, hæc enim non est nisi in ipso Filio, & Patre, & ijs, quibus per Patrem, & Filium reuelatum fuerit. Verum quid est aliter Filium à Patre, & Patrem à Filio cognosci, quam à nobis; illi se comprehendunt, nos fide, & participata notitia nouimus; tamen in his sententijs absolute loquitur Dominus de cognitione Patris, & Filij, & sic usus est exceptione, nimirum neminem nosse nisi eos, quibus reuelatum fuerit. Vnde interpretatio Chrysoströmii, cui etiam adhæsit Euthymius, non accommodatur contextui. Nec etiã satisfacit difficultati, & obiectioni Marcionis; nam si nemo nouit Patrem, nisi cui uoluit Filius reuelare, si Filius quantum ad carnis assumptionem, fuit post Patres ueteris testamenti: igitur hi non nouerunt Patrem, quia Christus non dum homo, nondum potuit uelle reuelare illis. Huic obiectioni non satisfacit per ea, quæ Chrysoströmus dicit.

Secundo loco respondet Irenæus, dicens Verbum, Filiumque Dei existisse ante carnem, & per eum, Patrem

Patrem reuelatum esse Patribus, & omnibus à principio mundi, quibus reuelatum est: cum igitur dicit, neminem nosse Patrem nisi Filium, & cui uoluerit Filius reuelare, id loquitur ratione suæ diuinitatis, secundum quam uerum est neminem nosse potuisse unquam Patrem, nisi cui ipse reuelauit, aut reuelauerit: una enim cum Patre ut Deus, reuelat, & Pater per ipsum ut Verbum reuelauit Patribus illis, & reuelat nunc omnibus, quibus reuelatio datur. Sic satisfactio obiectioni Marcionis, qui hæc sententiam humanæ Christi naturæ accommodabat. Sic Irenæus respondet: nam notitiam hanc Patris, & Filij absolute interpretatur, non ut Chrysoströmus de perfecta, & exquisita, quæ propria est ipsis personis Patris, Filij, & Spiritus sancti, non autem communis creaturæ.

Auctoris expositio.

Mihi autem non probatur hæc responsio, eo quod hanc sententiam, cui uoluerit Filius reuelare, de Christo ratione diuinæ naturæ interpretatur; existi-

mo enim intelligendam de Christoratione humanæ naturæ. cum enim Christus unica sit persona, diuinam, & humanam habens naturam, modo ratione unius, modo ratione alterius loquitur sicut Ioan. 3. Quod, inquit, scimus loquimur, & quod uidimus testamur. Quod scimus, & uidimus ut Deus, loquimur, & testamur ut homo, & per carnem. sic nunc dicitur; Nemo scit quis Pater, & quis Filius, nisi Filius. hoc ut Deus dicit; cum autem additur, Et cui uoluerit Filius reuelare: loquitur ut homo. Obiectioni autem hæreticorum respondetur, hic loqui de cognitione comprehendente aduentum suum in carne, quam ipse primus docuit, & quam nemo habet, nisi cui Christus homo reuelat. hanc Patres non habuerunt, qui solum nouerant eum uenturum, eo autem ueniente noua doctrina efulsit de aduentu iam existente, quæ ad Euangelium pertinet, cuius primus Magister, & doctor Christus est in carne. Sic obiectioni hæreticorum nullus est momenti.

Et conuersus ad Discipulos suos, dixit.

C O M M E N T A R I A.

Conuersus dicitur quia corporis aspectu, & gestu quodam ad Discipulos se conuertit, ut solent hi facere, qui aliquid cupiam loquuntur quod ad ipsum pertinet. locuturus igitur cum Discipulis de ijs, quæ ad eos spectabant, ad ipsos conuertitur.

A N N O T A T I O X L I I I.

Conatio exemplarium.

Quædam Græca habent (conuersus ad Discipulos seorsum) sicque legit Euthymius, quæ lectio consonat illi, cuius meminimus in Annot. trigesima septima, ubi notauimus quædam Græca exemplaria habere. Et conuersus ad Discipulos dixit: omnia tradita sunt mihi à Patre meo. cum autem hæc quæ sequuntur etiam conuersus dixisse legatur, uidetur illud superfluum fuisse: nam si tunc conuersus est, non est cur modo conuertatur. Ob id quidam legunt conuersus ad Discipulos seorsum, quasi primo conuersus sit ad Discipulos, & alios adstantes, modo uero ad solos Discipulos. At Latina exemplaria, & nonnulla etiam Græca non legunt illud, seorsum,

in hoc loco, nec etiam legunt priora illa uerba. conuersus ad Discipulos. Mihi uidetur legendum esse sicut uulgatus legit, quantum ad uerba ipsa; nec epim priori loco legimus: conuersus ad Discipulos; nec in hoc, illud, seorsum; existimo enim Christum quando conuertebatur Patri, ad ipsum conuersum fuisse oculis corporeis; cum uero docuit, omnia sibi tradita à Patre, & neminem nosse Patrem, nisi Filium, ad omnes respexisse, quibuscum loquebatur, etiam si absentes essent; quod, quæ sequuntur uerba apud Matthæum, indicat, nempe: Venite ad me omnes, qui onerati estis. Post quæ conuersus ad Discipulos dixit quæ sequuntur. Beati oculi &c. quia illis tunc proprie loquebatur.

Beati oculi, qui uident, quæ uos uidetis.

C O M M E N T A R I A.

Erant Discipuli de eorum numero, quibus Christus Filius Dei proprio ore reuelauerat mysteria salutis, & aduentum suum; idcirco conuersus ad eos, beatos appellat, quod inter illos omnes, qui aduentum eius crediderunt, ipsi tanto beneficio, & priuilegio cumulati sint, ut obtinuerint Christum ipsum uidere, miracula conspiciere, prædicantem audire. Modestiae causa, non dixit, qui me uidetis, sed qui uident, quæ uos uidetis, se ipsum significans. Hoc autem dixit, & ut illos in fide magis confirmet, & ut ipsi beneficium Dei magnum in se recognoscant.

A N N O T A T I O X L I V.

Patermisit Lucas multa, quæ adiunxit Matthæus, consequentia ad præcedentes sententias, nimirum. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam uos: tollite iugum meum super uos &c. cum enim dixerit sibi omnia tradita, & se reuelare cui uult, incipit opere complere uocando ad se omnes. hæc Lucas omittit, & ad alia post hæc narranda se conuertit. Beati, inquit, oculi &c. Similem fere sententiam refert Matthæus cap. 13. sed alio tempore à Christo prolata: non enim hæc historia est eadem cum illa Matthæi, sed longe diuersa; immo Matthæus non eisdem utitur uerbis, sed sic: Vestri oculi beati, quia uident, & aures, quia audiunt; possetque non improbabilius uideri alicui non eadem; comuniter tamen existimantur eadem, bis à Deo pronunciata, idemque est sensus apud utrumque Euangelistam.

Est autem difficultas, de quibus oculis sit sermo. Chrysoströmus enim hom. 46. in Matthæum existimat non de visu corporeo, sed de spiritali esse sententiam intelligendam. At uero sequentia uerba interpretans, ubi dicuntur multi propheta desiderasse uidere, quæ Discipuli uidebant, & non uidisse, quæ tamen Propheta oculis spiritalibus uiderunt. quibus uerbis significatur, Discipulos prælatos esse illis, & beatos appellatos, quia visu corporeo Christum uiderunt. Fatetur etiam de visu corporeo intelligi. Quare ut utrumque dictum Chrysoströmii coniungamus, sentire uidetur, de utroque visu, seu oculo intelligendam esse sententiam, ut beati dicti sint, quia spiritali, & corporeo oculo Christum uiderunt, crediderunt enim in eum, & corporali præsentia fructi sunt. Eadem omnino habetur apud Hieronymum Matth. 13. quamuis Hieronymus aliam adiungat

De quibus oculis hoc loco Euangelista loquitur.

adiungat solutionem, vt sustineat de solo spirituali oculo sententiam hanc esse intelligendam; dicit enim non omnes prophetas, & iustos vidisse spiritualiter omnia, quæ Discipuli videbant, & intelligebant, & sic prapostiti sunt illis in hoc sæculo etiam visu spirituali. at se ipsum Hieronymus corrigat, ne videatur iustos conferre velle, dicitque idem, quod & Chrysolomus, Eadem cum Hieronymo habet Euthymius.

Auctoris sententia.

In hac parte mihi videtur dicendum, Christum loqui de visu corporeo, similiter de auribus corporis, feliciterque ac beatos appellare Discipulos, quod viderint, & audierint Christum ipsum prædicantem, & mira facientem, sicut viderunt, & audierunt. De rebus oculis, & auribus Christum loqui verba sequentia omnino demonstrant: nam propheta, & iusti multi, qui Christum secundum carnem antecesserunt, dicuntur desiderasse videre, & audire, quæ audiebant, & videbant Discipuli. hoc autem desiderium non fuit de visu, & aure spirituali, nam fide, & visu spirituali Christum viderunt; oportet igitur de corporali oculo, seu visu hæc intelligere, in quo præserunt Discipuli, & in eo beati dicuntur, sicut Ioannes Baptista dicitur plusquam propheta, quia non solum Christum prænucciavit venturum, sed præsentem indicavit.

Obiectioni factis.

Quod si obijciat quispiam illud, quod permouit doctores, ad affirmandum de visu spirituali intelligi sententiam, nempe quia etiam persecutores, & increduli Iudæi visu hoc corporeo, & aure, Christum viderunt, & audierunt, & tamen non ob hoc beati fuerunt, respondeo dupliciter. Primo quidem Christum loqui de Discipulis, qui credebant in eum, vnde non conferebat nisi solos fideles, & credentes in eum, nempe præsentibus cum præcedentibus, & inter eos, qui Christi fideles erant, censet beatos eos, qui non solum crediderunt in Christum, sed etiam eius præsentia corporali frui sunt, miracula aspererunt, prædicantem audierunt. De solo ergo oculo corporis, & aure sermo est, tamen beatificatio, & comparatio est inter credentes in Christum. Respondeo secundo, sententiam extendi posse etiam ad omnes, tam credentes, quam non credentes, qui corporalem Christi præsentiam viderunt, omnesque beatos eo privilegio appellatos, quantum est ex parte beneficij, & privilegij huius, non enim quia

illi non crediderunt; ideo desinit esse magnum beneficium, quod eis collatum est; immo eo damnatione dignos fuerunt, quod tanto privilegio abusi sunt, quod Christus præsentialiter eis prædicavit, & miracula fecit. magna igitur felicitas spiritus hæc, qui tamen abusi sunt, maiorem inde culpam, & poenam contraxerunt: qui vero bene vsi sunt credentes, vere beati fuerunt. Sicut etiam beati dicuntur, & sunt credentes, & fidem Christi habentes; tamen si opera non habeant, peius illis est habuisse fidem: hoc quidem non ex se, sed eorum vitio, nam quantum ex se est, beatitudo quadam est, credere, & fidem habere.

Beati dicitur de causis dicuntur in Scriptura.

Advertendum enim est in Scriptura beatos dici dicitur de causis, non quod singula in eorum, & perfectam faciant beatitudinem, sed partem aliquam dicuntur enim beati, qui intelligunt saper egenum, beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, beatus qui non offendit verbis singula per se non faciunt totam beatitudinem, sed partem aliquam, aut ad eam conducunt; Sic nunc vidisse Christum beatos facit, non ex hoc solo est integra beatitudo, sed maxime ad beatitudinem consequendam id faciebat. Sic est illud Luca. 11. Beatus veter, qui se portavit, & vbera, quæ suxisti. hoc solum non erat integra beatitudo, immo Christus respondens huic soli aliud prætulit, nempe beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, quasi diceret, hæc quidem beatitudo fuit, tamen si sola consideretur, maior est alia, nempe credere in Christum, & mandata eius servare. Sic mihi ista sententia de visu corporeo explicanda videtur. Huic tamen posset quispiam obijcere illud Ioan. 20. Beati, qui non viderunt, & crediderunt: Respondeo non esse similem rationem in his sententijs: nam Thomas ipsum visum sumpsit pro argumento credendi, quia vidit enim Christum viventem, ideo credidit resurrexisse, & in hoc præponuntur, qui cum non viderint, crediderunt, quia non sunt innixi ad credendum visui; at vero in nostra sententia non fit sermo de argumento credendi, sed simpliciter, & absolute consideratur aspectus, & præsentia Christi: hoc autem fuit insigne beneficium, & privilegium, nec ob eam præsentiam Discipulorum fides minor fuit: nam etiam si Christum viderunt, ipsam tamen Messiam, & Dei filium esse non viderunt, sed crediderunt.

Obiectioni alia contra auctoris sententiam soluitur.

Dico enim vobis, quod multi propheta, & reges, voluerunt videre, quæ nos videtis, & non viderunt, & audire, quæ nos auditis, & non audierunt.

COMMENTARIA.

Causam, cur beatos ex visione illa appellauerit, profert; ea autem est, quia reges multi, & propheta, qui ante eos fuerunt, hoc desiderio flagarunt, nempe videndi Messiam, & audiendi verba ipsius, & non obtinuerunt, quod tantopere desiderarunt: id autem Discipulis concessum est. Argumentum est magni beneficij ex tanto, multiplicique desiderio Regum, & Prophetarum, qui Deo charissimi fuerunt. Quibus negatum esse, Discipulis vero datum, argumentum est insignis prærogatiuæ.

ad id est illud quod dicitur in Mattheo.

ANNOTATIO XLV.

Genes. 49. appellatur Messias à Jacob, desiderium collium æternorum, quia eius aduentus à principio mundi desideratus est à patribus illis. Pleini sunt libri psalmorum, & Prophetarum hoc desiderio. Recte Irenæus lib. 4. cap. 24. interpretans de desiderio Christi præsentiam videndi locum hunc sic deducit. Si autem inquit desiderarunt videre Dominum, igitur credebant in eum, fidemque aduentus ipsius habebant. Aduerte Bedam affirmare, quos nunc Lucas Reges appellat, apud Matthæum iustos vocari. mihi non videtur satis accommodatum, nam

Explicatio copiosior superioris sententiæ.

distincta sunt hæc, per Reges enim David, Salomon, & alij, quibus reuelatus est aduentus Messie, significatur; per iustos autem multi alij, qui Reges non fuerunt; licet enim aliqui ex Regibus fuerint iusti, non tamen omnes iusti, fuerunt Reges. nec omnes Reges, iusti. Adde hanc, & illam Matthæi non esse eandem historiam: Posset quispiam opponere huic loco illud Ioan. 8. Abrahâ exultavit, vt videret diem meum, vidit, & gaudens est. Si Abrahâ vidit, quomodo nunc dicitur, non viderunt. Respondeo non dici Abrahâ desiderasse, seu exultasse, vt videret Dominum, nec

Quomodo Abraham dicitur Dominum vidisse.

nec dici vidisse Dominum, sed diem Domini seu Christi, quod longe distinctum est: nam vidisse diem Domini est nouisse tempus signatum, quando carne erat sumpturus, & hoc vidit Abraham, non visu corporeo, sed spirituali, reuelante Deo, quæ reuelatio non fuit omnibus concessa; credebant quidem

venturum Christum, tempus autem præcisum non sunt asecuti omnes. id autem concessum est Abraham. Locus autem noster procedit de visu ipsius Domini, nempe, quia eius corporalem præsentiam, & verba ipsius audire, & videre cupierunt, quod non fuit illis datum.

Et ecce quidam Legisperitus surrexit.

COMMENTARIA.

AD alia describenda se conuertit Euangelista, quæ prædictis non ita cohærent, quasi statim post ea hoc gestum sit, sed alio tempore, quod à nobis ignoratur. Vt autem videtur, cum Dominus populo prædicasset, quidam Scriba, seu legis doctor surrexit, vt Dominum alloqueretur; verisimile enim est multos Dominum auscultasse sedentes, quod forsan in Synagoga factum est, cum hic surrexisset dicitur.

ANNOTATIO XLVI.

Sit ne Legisperiti illius historia eadem cum ea, quam Matthæus, & Marcus referunt de legis doctore.

Quidam recentiores existimant hanc historiam esse eandem cum ea, quam Matthæus cap. 22. & Marcus cap. 12. referunt, de legis doctore illo, qui Dominum interrogauit, quod esset mandatum magnum in lege. At vero Augustinus lib. 2. de consen. Euang. cap. 73. contrariam tenet sententiam, eamque rationibus hisce confirmat. Prima est, quia apud Matthæum, & Marcum Christus dicitur interrogatus à Legisperito, respondisse duo illa mandata, diligendi Deum, & proximum. Apud Lucam autem Legisperitus dicitur interrogatus à Chri-

sto, ea respondisse. Hæc autem sunt omnino contraria, nec ad eandem possunt pertinere historiam. Alia duo argumenta profert Augustinus, quæ apud eum lege. Quibus adde apud Matthæum, & Marcum Legisperitum interrogasse, quod esset mandatum magnum in lege; apud Lucam vero, quod faciendo vitam æternam possideret. Tenendum igitur est, aliam hanc esse historiam, cuius illi duo Euangelistæ non meminerunt, sicut nec Lucas meminit historiam ab illis descriptam. Huic sententiæ accessit etiam Euthymius.

Tentans illum, & dicens:

COMMENTARIA.

NON discendi animo interrogatus accedit, sed tentandi an aliquid de se, suæque doctrina contra legem responderet, vnde calumniandi occasionem haberet. Christus enim legis transgressor ab illis reputabatur.

ANNOTATIO XLVII.

Qualis fuerit tentatio legisperiti.

Ille legis doctor, cuius Matthæus, & Marcus fecere mentionem, quemque recentiores quidam hunc eundem esse existimant, de quo nunc Lucas scribit, vt in annotatione præcedenti diximus, etiam tentans accessisse legitur; nos autem credimus hunc, etiam si distinctus ab illo sit, simili tamen tentandi studio interrogasse, licet ille de primo mandato, hic de vita æterna interrogauit, idcirco quæ de illius tentatione scribit Hieronymus, referam. Hieronymus ergo Matthæ. 22. illius tentationem explicans sic inquit; Interrogat vnus ex legis doctoribus, non scire desiderans, sed tentans an interrogatus nosset, quod interrogatur. Hæc ille. Existimo Hieronymum hoc idem de hoc Legisperito sensisse; mihi tamen non admodum probatur; non enim Christus ita legis ignarus tenebatur, vt suspicari ille posset eum nescire primum mandatum, & idem etiam de hoc dicimus, cuius Lucas meminit. Chrysolomus

hom. 72. probabilius de illo dicit, quod suspicabatur aliquid Christum de se dicturum, quia Deum se faciebat; simile nos de hoc Legisperito dicimus, vt in commentario expositum est. Augustinus autem lib. 2. de consen. Euang. cap. 73. de illius tentatione loquens dicit fieri potuisse, vt bono animo accesserit; non enim omnis qui tentat, calumniandi studio accedit, sed aliquando discendi. At vero cum Hieronymo consentit Chrysolomus hom. 72. in Matthæum, nimirum illum non animo discendi, sed calumniandi accessisse, quod nos de hoc nostro asserimus. Apud Euangelistas enim semper tentandi verbum, cum de his qui ad Christum accesserunt, sermo est, in malam accipitur partem. Et Basilius hom. in diuites auaros de hoc Legisperito Lucæ tractans; Hic, inquit, tentator erat, simulatorias, & ironiæ plenas proponens interrogationes. Hæc ille.

Magister, quid faciendo, uitam æternam possidebo?

COMMENTARIA.

Hoc est, quod interrogat, quid nempe oporteret illum facere, ad consequendam vitam æternam. Commendanda est interrogatio, qua non curiosa petuntur, sed necessaria; non quæ ad alios, sed quæ ad se spectant: non leuia, sed maximi momenti, quæ ad animæ salutem pertinent: non is interrogatur, qui nesciat respondere, ob id enim Magistrum appellat. Hæc autem omnia, quæ interrogationem commendabilem reddunt, animum interrogantis condemnant, quia his omnibus artificiose vsus est, quæ ad respondendum inuitent, & quasi compellant, vt ex responsione ad quam trahebat, calumniatur.

ANNOTATIO XLVIII.

A Dolefcens quidam Lucae. 18. hanc eandem... quæftionem Chrifto propofuit, fed vt dicit Bafiliius hom. in diuites, auaros, non animo eodem. Nam hic falubriter interrogauit, licet non fuit fe perfuaderi; at nofter Legisperitus tentandi caufa, vti fupra diximus. Aduerte Iudæos in veteri teftamento habuiffe notitiam vitæ æternæ, quam Deus iuftis daturus erat: non folum notitiam, fed promiffionem etiam, & fpem. Tobia. 2. Filij, inquit, fanctorum fumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eft illis, qui fidem fuam numquam mutant ab eo. & cap. 12. elemofyna, inquit, à morte liberat, & ipfa eft, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam. Ecclefiast. 24. qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Daniè. 12. euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium. Sunt plurima huiufmodi teftimonia, quibus & refurrektionis, iudicij vlti-

Judei in veteri teftamento vitæ æternæ notitiam, promiffionem, & fpem habuerunt.

mi, æternæ vitæ, & fupplicij fidem habuiffe illos conftat; vt enim nobis fides Chriftri eft, etiam illis fuit, fed illi venturum fperabant, nos veniffe iam, & redemptionem compleuiffe confitemur: tam vero illis, quam nobis fides Chriftri ad falutem neceffaria fuit, & eft, vt paulo inferius magis explicabitur. Hoc vero difcriminis eft in vita æterna conftituenda, quod illi iufti ante Chriftri aduentum etiam purgati non admittentur ad vitam æternam, nec beatitudo eis conferebatur, fed detinebantur in limbo, donec Chriftus redemptione peracta eos liberaret. Modo vero iufti purgati admittuntur ad vitam, nobifque ianua cæleftis aperta eft, de qua re fupra etiam locuti fumus. Condemnat autem Legisperitus hic hæreticos noftri temporis, qui in fola fide falutem, & vitam collocant: at hic non fola fide contentus interrogat, quid faciendo vitam æternam poffidebo? cuius interrogationi confenfuit Dominus.

Hæreticos noftri temporis negantes opera fola fide contentos legisperitus ille condemnat.

At ille dixit ad eum: in lege quid fcriptum eft? quomodo legis?

COMMENTARIA.

CHRISTUS fapienter priufquam respondeat, interrogantem Legisperitum interrogat de lege, cuius fe doctorem profitebatur. Hic enim petebat, quid illum facere oporteret ad vitæ confecutionem; Chriftus quærit ab eo, quid diuina lex faciendum iubeat, quid, inquit, in lege fcriptum eft? & non folum hoc, fed quomodo legat, id eft, quæ fint verba legis. Volebat enim Chriftus vt non tantum nude responderet præceptum legis, fed cum fuis circumftantijs, & modis, ficut Legisperitus respondit, idcirco quomodo legat, inquit. Chriftus de lege fine additione (Moyfis) interrogans, non quæ Moyfes, fed quæ Deus per fe ipfum præceperat, quæque ad Decalogum fpectant, intellexit: nec interrogat quid lex fignificet faciendum ad vitam æternam, hoc enim ipfe Chriftus pofttea docturus erat, fed tantum quærit, quid fcriptum fit in lege, quafi diceret; tu petis à me quid te facere oporteat, vt vitam poffideas æternam, tu qui legis es peritus responde mihi prius, quid lex diuina homini præcipiat facere, & quomodo, quibusque circumftantijs faciendum iubeat. Dum autem legi ipfi detulit, fe non efle legis transgrefforem oftendit, occafionemque calumniandi tentanti abftulit.

Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.

COMMENTARIA.

INTELLEXIT Legisperitus Chriftri interrogationes, & recitat quid fcriptum fit, & quomodo legat, diligendus, inquit, eft Deus. Ecce quid in lege primum fcriptum fit. Modus autem hic eft, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex omni mente. Ecce quomodo lego. Horum explicationem in annotatione fequenti inuenies.

ANNOTATIO XLIX.

NONnullæ dubitationes occurrunt, ex quarum elucidatione propofitæ fententiæ declarationem aflequi quisque poterit. Prima, quid fit diligere Deum corde, anima, viribus, & mente. Respondeo, quando fic diligimus Deum, quod omnes partes noftas eius obfequio accommodamus, & ijs omnibus ipfi inferuimus. Sunt autè partes hominis quatuor: mens, seu intellectus: voluntas, seu affectus, quæ dicitur cor: fensus, seu pars fenfitiua, in qua appetitus fenfitiui funt, & fensus, quæ appellatur anima: corpus diuerfa, & multa membra habens, quod fignificatur per vires, seu virtutem. Hæc funt hominis partes. qui ergo ex Dei amore, ac dilectione, quæ in voluntate eft, omnes has accommodat Dei feruitio, & implèdæ eius legi, is diligit mète, corde, anima, ac viribus, seu virtute. De primis duobus dicitur pſal. 1. In lege Domini voluntas eius, & in lege Domini meditabitur die, ac nocte. Prior eft dilectio

Quid fit diligere Deum corde, anima, viribus, & mète.

cordis, pofterior mète. Diligit enim corde, qui vult legè Domini facere, diligit mente, qui meditat, & inquit in lege omnia, quæ facienda funt, vt ea impleat. De anima dictum eft pſal. 34. humiliabam in ieiunio animam meam. & pſal. 43. humiliata eft in puluere anima mea. quamuis enim anima multiplicem in Scriptura habeat fignificationè, hoc tamen in loco, quem nunc explicamus, pro fenfitiua complectente fensus, & appetitus vfurpatur. De mèbris corporis dicit Paulus Rom. 6. Exhibete membra veſtra arma iuſtitia Deo. Ecce quid fit diligere Deum mente, corde, anima, & viribus, seu virtute. Auguſt. autè lib. de ſpiritu, & anima, c. 35. cor, intellectus: animam, voluntatem: mentem, memoriam in hac ſententia interpretatur: alij alias adhibent interpretationes. Mihi autè accommodatiſſima, & ad dilectionis præceptum, & ad eius generalitatè, & ad verba ipſa, ea interpretatio viſa eſt, quæ poſita eſt in commetario.

ANNO-

ANNOTATIO L.

ALtera dubitatio occurrit, quid fit toto corde, tota anima, omnibus viribus, & omni mente diligere Deum. Dupliciter autem poteſt hoc explicari. Vno modo, vt nec intellectu, nec voluntate, nec ſenſu, nec corporis membris aliquid fiat, quod Deo diſpliceat, ſicque volûtati eius contrarium: nec ſolum hoc, ſed his partibus omnia adhibebantur, quæ Deo placeant, voluntatique eius ſunt conſonæ. talis dilectio eſt ex toto corde, tota anima, viribus omnibus, & omni mente; ea tamen in hoc æculo, vbi Deus per fidem, & ænigma cognofcitur, non poteſt haberi. Non enim eſt homo quantuncunque iuſtus, qui ſine peccato viuat, puruſque ſit ab omni macula etiam leui; ſi dixerimus enim quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, vt dicitur. 1. Ioan. 1. Altero modo dilectio exhibetur, vt nihil nec intellectu, nec voluntate nec ſenſu, nec corporis membris committatur, quod ſit contra Dei præcepta, nihilque prætermittatur, quod ſit mandatum. Qui ergo mente, voluntate, ſenſu, corpore, quæ præcepta ſunt, implet, nullique transgreditur, vel omittendo, vel comittendo, potiuſque omnia dimittere, quam mandatum transgredi, paratus eſt, etiam ſi vita ſit exponenda propria, ille diligit Deum, vt in hac ſententia continetur, & hæc dilectio reperitur in via hac, in qua per fidem ambulamus, quæ etiam ſi comparata priori, quæ in Patria eſt, imperfecta ſit; tamen collata vitæ huic, & cognitioni Dei per fidem, perfectæ eſt, & ad iuſtitiã ſufficiens. Deus autem vt ſignificaret nobis, quantum ſit diligendus, quantumque amore dignus, præceptum illis verbis vniuerſaliſſimis edidit, toto corde, tota anima, omni mente, & omnibus viribus: non autem quod in via hac eſſet ſic obſeruandum, vt verba pure ſignificant, ſed vti diximus, habita ratione vitæ huic. Hinc doctores deducunt Deum diligendum ſuper omnia, etiam ſupra nos ipſos. Doctrina hæc eſt ſumpta ex Auguſtino lib. de ſpiritu, & litera cap. 36. & lib. de perfecti. iuſti. vbi quod dicit impleri hoc præceptum non poſſe in hac vita, non intelligas, non poſſe impleri, quod præcipitur faciendum: nam præceptum non eſt de impoſſibili.

Auguſtinus explicatur contra hæreticos huius temporis.

Concordia Scripturæ de hoc præcepto.

ANNOTATIO LI.

TERTIA occurrit dubitatio; nam in Deuteronomio cap. 6. vbi hoc continetur præceptum, non leguntur niſi tria, nimirum, toto corde, tota anima, & tota forritudine. Apud Matthæum autem cap. 22. aliter legitur, nempè, toto corde, tota anima, tota mente: Lucas autem quatuor numerat. Ad hanc difficultatem reſpondeo primo, Lucam concordare cum Deuteronomio quantum ad ſenſum, nam in Scriptura cor, aliquando pro mente, aliquando pro voluntate accipitur, aliquando vtrumque complectitur, ſuntque multa teſtimonia Scripturæ ad hoc confirmandum, quæ prætermitto, quia res eſt aperta, & ſine controuerſia. In Deuteronomio cor, vtrūque complectitur, ideo tria numerantur in verbis, quia cor,

vt male intellexerunt hæretici noſtri temporis: ſed hoc voluit ſignificari, quantum ad verborum abſolutam ſignificationem, non poſſe impleri in hoc ſæculo, vt dictum eſt. Quod autem præceptum quo ad integritatem præcepit, impleri poſſit in hoc ſæculo, Scriptura aperte ſignificat, teſtificans de ijs, qui in hoc ſæculo id præſtiterunt. 3. reg. 14. Non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo. 4. Reg. 23. de Iofia dicitur, quod conuerſus ſit ad Deum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in vniuerſa virtute ſua iuxta omnem legem Moyſis. Hoc ipſum Dauid de ſe affirmat ſæpe pſal. 118. Conſitebor tibi in toto corde meo, & deprecatus ſum: faciem tuam in toto corde meo, & exquiſiui te in toto corde meo, & conſonat doctrinæ Pauli, inquit enim Rom. 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Non dicit, non ſit, quia ſine peccato omnino non viuunt homo in hoc corpore, ſed non regnet, quod tunc eſt, & regnare dicitur, quando præponitur aliquid creatum diuino mandato, & vt nobis placeamus, Dei præceptum transgredimur. & ad Rom. 7. Mente ſeruo legi Dei, carne autem legi peccati. Nihil ergo damnationis ijs, qui ſunt in Chrifto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulat. Hæc ille. Carere igitur omni concupiſcentiæ motu non poteſt homo, at non conſentire, nec ſecundum concupiſcentias carnis ambulare, hoc poteſt per gratiam; illud in Patria, hoc in iſto ſæculo ſit. Vnde Rom. 6. quando dixit Paulus; Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, adiunxit, ad obediendum concupiſcentiis eius. Sic nobis hanc dilectionem declarauit Chriftus Ioan. 14. Qui ſeruat, inquit, mandata mea, ille eſt, qui diligit me. & Ioan. 1. canon. 5. Hæc eſt, inquit, charitas, ſi mandata eius cuſtodiamus. Hoc in via impleri poteſt etiam ſi non ſimus in omnibus plene conformes voluntati diuinæ, quæ conformitas omnimoda eſt in patria. Hæc, & alia multa docent, & Paulus, & alia Scripturæ teſtimonia, Patrum doctrinis comprobata, quæ longius proſequi non eſt inſtituti huius, alibi diſſuſe diſcuſimus.

duo comprehendit: at Lucas diſtinguere volens, cor, pro volûtate, & affectu poſuit, quæ eſt frequentiſſima ſignificatio, ideo adiunxit alteri, tota mente; ſicque in ſenſu cõcordat cõ Deuteronomio. Reſpõdeo ſecundo, etiã cõcordare cõ Matthæo, nã hic nõ omnia numerat, ſed tria, reliquit vnũ, quod Marcus eadem ſcribens hiftoriã expreſſit, quatuor partes referens, ſicut Lucas facit; nõ enim Euangeliftæ ſinguli omnia narrant. ſicque eſt concordia etiã cum Matthæo. Quod autè Lucas dicit, omni mète, omnibus viribus, Marcus autè, & Matthæus, tota mente, tota virtute, parum momenti id eſt, idèque ſignificatur, & Græce idem eſt nomen in omnibus his quatuor, non ſolum apud Lucam, ſed etiam apud Matthæum, & Marcum.

Et proximum tuum, ſicut te ipſum.

COMMENTARIA.

SAPIENTER Legisperitus poſt primum præceptum legis, ſecundum expoſuit, quod complectitur ea, quæ de proximo in Decalogo præcepta ſunt. ſenſus eſt, petis Domine, à me, quid in lege ſcriptum ſit faciendum, & quomodo legam; ecce ſic ſcriptum eſt, ſic lego, vt diligamus Deum ex toto corde, tota anima, tota mente, tota virtute; Et diligamus proximos, non vtrumque, ſed vt nos metipſos diligimus, non quidem quantum nos, quia ordo eſt in dilectione, ſed ſicut nos, vt quæ nobis nolumus fieri, alijs non faciamus, & ſicut nobis bonum volumus, ita & alijs velimus, & quando opus fuerit, faciamus.

ANNO-

ANNOTATIO LII.

Nomine proximi, qui comprehendatur; & quod sit discrimen inter hæc duo præcepta.

Sumptum est hoc præceptum, non ex Deuteronomio, ubi primum de diligendo Deo continetur, sed ex Leuit. 19. ubi dicitur; Diliges amicum tuum, sicut te ipsum. In Hebræo est nomen יך quod Septuaginta vertunt, φίλος, id est, proximus, eoq; vsi sunt Evangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas. Quod nomen generalius est, quam nomen amici. Significat autem non cognatos modo, & amicos, ac familiares, aut qui aliqua nobiscum necessitudine coniuncti sunt, sed etiam eos, qui nobis incogniti sunt, etiam inimicos; sunt enim omnes proximi, cum ad imaginem Dei creati simus, & ad vnum finem destinati, & vno redempti pretio. Sunt hi omnes diligendi non tantum quia homines sunt, sed etiam propter ipsum Deum. De qua dilectione supra tractauimus, cum de dilectione inimicorum egimus. Nunc autem illud est notandū, inter hæc duo præcepta esse discrimen magnum, nam præceptū diligendi Deum non impletur sine gratia, & charitate; cum enim Deus diligendus sit super omnia, qui sic Deum diligit, à Deo diligitur, & charitas Dei manet in eo. At proximi dilectio impleri potest etiam ab existēte in peccato, quia non diligitur super omnia, & ad diligendum eum, etiam si diligitur propter Deum, satis est diligere Deum modo aliquo: nam qui sunt in peccato diligunt Deum, & propter eum multa faciunt, quātuis non ex toto corde, tota anima, mente, & virtute, sicq; ex hoc imperfecto amore possunt etiā diligere proximum, sicut etiam, qui in eodē sine peccato, possunt facere eleemosynam propter Deum. Multa erant tractanda de huiusmodi dilectione, quæ tamen prætermittimus. tum quia partem diximus supra: tum etiam, quia in scholasticis diligentissime ut puto, omnia discussimus.

Dixitque illi, recte respondisti.

COMMENTARIA.

Probat Christus responsionem Legisperiti: tum quia vera respondit: tum quia responsio fuit ad interrogantis mentem, & intentionem: tum etiam ut legem commendat: tum demum ut eum commendatione alliciat, & deposito animo tentandi conuertat eum ad se, inducatque ad facienda, quæ subiungit.

ANNOTATIO LIII.

Quomodo recte Legisperitus respondisse dicatur.

Cum multa sint præcepta, Dominusq; interrogauerit absolute, & generaliter, quomodo recte dicitur respondisse, si duo tantū respondit? Dico duo hæc cætera complecti, eorumq; causam esse: nam ex dilectione Dei consequitur complementum cæterorum, quæ ad Deum pertinent, nam qui diligit Deum, ut oportet, non iurabit vana per eum, sabbataq; eius sanctificabit; qui etiā diligit proximum sicut se, non occidet, non furabitur, nec alia committet, quæ sunt contra proximum, immo qui diligit sic Deum, omnia cærimonialia præcepta seruat, quæ non aliud sunt, quam cultus Dei expressio, quomodo nimirum sanctificandus sit. Sicut qui diligit proximum, seruat

bit iudicialia mandata, quæ maxime iustitiam proximo exhibendam continent. Vnde velut epilogus legis totius sunt hæc duo mādāta, quod ille legis doctor Matth. 22. dixit; In his, inquit, duobus mandatis vniuersa lex pendet. & Paulus Rom. 13. Qui diligit proximum, legem, inquit, impleuit, nimirum de his, quæ ad proximum pertinent. Vnde subdit: nam non occides, non furaberis, non falsum testimoniū dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum sicut te ipsum. plenitudo ergo legis est dilectio. Hæc Paulus. Recte igitur respondit, qui recapitulationem legis in duobus primis mandatis respondit.

Hoc fac, & viues.

COMMENTARIA.

Acta responsione à Legisperito, respondet Christus ad eius interrogationem; Interrogauerat enim quid faciendo vitam æternam possidebo, dicit Christus, fac quæ tu dixisti secundum legem facienda, & viues, id est, consequeris vitam æternam. Quasi diceret, dilige Deum, & proximum tuum, eo modo, quo lex à te recitata præscribit, & hac via vitam æternam possidebis.

ANNOTATIO LIIII.

Nec opera sine fide, nec fides sine operibus sufficiunt ad salutem, sed utraq; necessaria.

Aduertendum est maximè Dominum interrogatum esse à Legisperito de faciendis, ideo respondisse de operibus; supponebat autem credēda, & fidem præcedere debere, sine fide enim impossibile est placere Deo. Hebr. 11. nec de credendis est interrogatus, Iudæus enim fidem habēs veri Dei, & Messiaē promissi, nō interrogauit de credendis, sed de ijs

quæ facere oportebat, idcirco Christus ad vitā consequendam æternam respondit, Deum, & proximum ut oportet, diligendos, sub his reliqua præcepta, ut diximus, significare volens: Ut igitur sine fide opera non sufficiunt, sic nec fides sine operibus. Vtraque ad salutem necessaria sunt, nec in hoc sæculo diligipotest Deus, ut oportet, sine fide.

Ille autem volens iustificare se ipsum, dixit ad Iesum; Et quis est meus proximus?

COMMENTARIA.

Prosequitur Legisperitus interrogare, non quidem ut ante, nam prius tentans interrogauit, nunc vero audita Christi responsione, ac sui ipsius commendatione, animum mutauit, & iterum interrogauit, volens se ipsum iustificare, id est, animo, & studio incumbendi iustitiæ, & bene operandi, sicque quæ ignorabat, à Christo explicari petit. Particula (&) scilicet, & quis est meus proximus? augmentum significat,

significat, quasi diceret, dixisti quid faciam, ut vitam æternam possideam, dic etiam, & declara, quis sit meus proximus, quem docuisti me diligere debere ad vitam consequendam.

ANNOTATIO LV.

An interrogatio hæc Legisperiti sit in bonā vel in malam partē intelligenda.

Asilius homil. in diuites auaros, hanc etiam in interrogationem in malam partem interpretatur, quasi tentando, & simulando propositum, ut in annotatione superiori 48. ex ipso notauimus, ipsius verba recitantes. Titus autem Bostrenus explicat sic, nimirum, quod hic Legisperitus laudatus à Domino in superbiam arrogantiamque proruperit, putarique se nullum habere in virtute, & scientiā parem, cui comparari posset, ideoque interrogauit, quis meus est proximus? quasi diceret, ostende mihi aliquam tantam, quantus sum ego, non enim inuenietur, hoc est, quod Evangelista dicit: Volens se iustificare, id est, se iustum demonstrare, quantoque in virtutibus, & iurisprudētia profectus haberet, ostentare. Consentit Tiro in hac explicatione Isidorus Pelusiotā, dicens: Hunc legisperitum putasse solum iustum iusto proximum esse, eum autem iustam censebat, qui ad vestigium virtutum peruenisset. Non enim hominum cognationem, aut excellentiam ex natura, aut naturæ similitudine spectandam arbitrabatur, sed ex dignitate, & actione. Cumque neminem in his æqualem sibi iudicaret, dixit, quis meus est proximus? Hæc ex Tiro, & Pelusiotā. In eadem sententiā est Euthymius, in qua fateor id verum esse, verbū iustificandi in Scriptura sæpe usurpatum esse, ut idem significet, quod iustum se, vel alium ostendere, & declarare, iuxta quod Luc. 16. dicitur: Vos estis, qui iustificatis vos corā hominibus. Quod autem iste Legisperitus sic se voluerit iustificare, ut neminem sibi æqualem iudicaret in iustitia, aut scientia legis, istque sensus interrogationis; Quis meus est proximus, non videtur accommodatum: tum quia ad parabolam Domini respondens dixit; Si naturam fuisse proximum Iudæo illi, cui benefecerat, nec ex virtutis æqualitate rationem proximi accepit: tum quia ea accessio proximi, quam hunc arbitratum fuisse dicunt isti doctores, est contra Scripturas, quas ille Legisperitus recte nouerat: tum quia talis tumor; & superbia, ut neminem

sibi æqualem putaret, non est verisimilis: tum demum quia Christus notasset verbo aliquo tantam hominis arrogantiam, si in eo inuenta fuisset. Non ergo interrogat, quis meus est proximus, ex tumore, & superbia. Nec in hac significatione verbum iustificandi accipiendum est, sed ut in commentario diximus, ut idem sit, quod iustitiæ incūbere, & bonis operibus studere, quam significationē etiam verbum hoc in Scriptura habet: nā in Eccle. 18. dicitur ne rearis, vsq; ad mortem iustificari. & Apoc. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc. Ita nunc accipiendum est verbum hoc. recta igitur intentione hic Legisperitus interrogat. Vnde nec sine fructu fuit Domini commendatio, qua dixit: Recte respondisti, mutauit enim animum hominis, & ex tentante conuertit in studiosum voluntatis diuinæ implendæ, ut se à Domino obtinuit explicationem perfectam, & mirabilem suæ interrogationis. Habuit autem legisperitus magnam occasionem interrogandi, quis proximus esset, iuxta præceptum Domini, nam nomen proximi in Hebræo יך multipliciter in Scriptura accipitur. aliquando enim significat amicum, vnde vulgatus interpretatus est Leuit. 19. Diliges amicum tuum sicut te ipsum; ubi Septuaginta, & Evangelistæ legunt proximum. Et inde Iudæi doctrinam hauserunt illam, quam Dominus Matth. 5. reiecit: Dicitum, inquit, est antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Aliquando significat socium, aliquando proximum, vnde non videbatur manifestum, quis esset proximus; si enim amicus, vel socius, censendus tantum est proximus, non omnes homines sibi inuicem sunt proximi: si vero generaliter accipiat proximus, scilicet naturæ similitudine, tunc etiam inimici sunt proximi, & quicumque homines: interrogat autem iste, quis eius proximus, non quidem ex superbia, aut hypocrisis, sed studio iustitiæ faciendæ, & veritatis addiscendæ uti diximus. Hæc mihi videtur huius sententiæ accommodatior interpretatio.

Suscipiens autem Iesus, dixit:

COMMENTARIA.

Christus respondet non quidem Legisperiti arrogantiam, aut tumorem reprimēs, quia non ea dispositione ille interrogabat; sed benigne, & exacte explicans, quis esset proximus. Dicitur autem suscipiens, supplendum est (sermonem): nimirum sermonem accipiens, id est, exorsus: nam longa parabola id explicaturus erat, vnde quasi à radice incipit exponere.

ANNOTATIO LVI.

Quædam exemplaria corrupte legunt (suscipiens) cum legendum sit ut in emendatis multis legitur. Suscipiens, Græce ὑπολαβών, quod aliquando significat idem, quod (respondens) sicque quidam verterunt. Aliquando idem quod sermonem excipiens, sicque Euthymius interpretatur, eamque significatio-

nem accommodatam censui: nā Christus non tantum respondit, sed etiam quadam parabola mirabili, quis esset proximus, declarauit. Sicque Num. 23. legimus de Balaam, qui ter respondens dicitur, assumpta parabola: seu assumens parabolam dixit. ita nunc sermonem assumens, seu suscipiens dixit.

Homo quidam descendebat de Ierusalem in Iericho.

COMMENTARIA.

Parabola est, qua explicatur, quis sit proximus, quem diligendum præcepit Deus. Est igitur parabolæ narratio: Quidam homo descendebat de Hierusalem in Iericho. Illa ciuitas est Iudææ, hæc vero Galilææ, cumque Galilæa inferior sit

rior sit Iudæa, hinc est, vt venientes è Galilæa in Hierusalem, dicantur ascendere. Matth. 20. Ecce ascendimus Hierosolymam. contra autem profecti de Iudæa in Galilæam dicuntur descendere, quod nunc huic homini accidit, qui de Iudæa in Galilæam profectus est.

Es incidit in latrones.

COMMENTARIA.

IN via incidit in latrones, id est, casu, & inopinate latronibus occurrit. Sunt autem latrones, qui in viis depradantur. non autem in vnum, sed in plures latrones incidit, idcirco defendere se non valuit, sed eorum viribus succubuit.

Qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impostis abierunt semiuuio relicto.

COMMENTARIA.

HOC effecerunt latrones, depradati sunt omnia, quæ ille habebat. Rursus despoliauerunt eum, nempe exuerunt vestibus; nec his contenti, grauer perculserunt, multisque sic affecerunt vulneribus, vt semiuuius, seu semimortuus maneret. Demum abierunt, & reliquerunt eum in via iacentem. Solent hæc latrones sæpe facere, ne is, quem depradati sunt, possit ad loca circumuicina cito confugere, & auxilium, ac opem contra latrones inuocare. Particula illa (etiam) nempe (etiam despoliauerunt eum) indicat præcessisse aliquid, quod latrones fecerunt homini, hoc est, quod communiter, ac primo faciunt, scilicet depradari, ac pecunias, cæteraque similia rapere. Quatuor ergo mala intulerunt, bonorum depradationem, vestimentorum spoliū, vulnera, derelictionem absque vlla ope.

ANNOTATIO LVII.

Varia lectio Patrum.

Bafiliius homil. in aliquot Scripturæ locos, prope finem, legit ordine inuerso, nempe plagis impostis despoliauerunt eum, notatque mysterium in hoc significari, nempe prius peccati plagam fuisse in homine, deinde nuditatem, & immortalitatis eraptionem, & gratiæ priuationem. Sic enim inquit: Post plagas spoliatus est. Si corporea fuisset veitis, prius spoliasset, deinde plagas addidissent, vt vestis seruaretur; nunc autem plagæ præcedunt, vt plane discas quemadmodum culpa gratiæ priuationem, atque amissionem præcedit. Hæc ille, hunc locum Lucæ interpretans. At vero non inuenitur exemplar etiam Græcum, vbi sic legatur, omnia prius legunt despoliatum, postea plagas impostas fuisse. Titusque Bostrenus antiquissimus Græcus sic legit, & ponderat, dicens: Dæmones hominem illum temperantia,

fortitudine, cæterisque virtutum indumentis misere exutum, peccatorum vulneribus fauciatum, semiuuio relicto; neque enim facile est illis lethalia vulnera prius alicui inferre, quam virtutum præsidis, & monumentis ipsum despoliarint, at vbi primum virtutum arma abutulerunt, statim citra intermissionem cædunt, & trahunt. Hæc ille. Tenenda ergo est lectio nostra. Attende rursus illud (semiuiuio) Græce semimortuo legi. sensus autem idem est; si enim semiuuius erat, consequitur vt esset semimortuus. Euthymius legit semimortuo, & ante eum Origen. in prologo, in Cantica. Titus vero Bostrenus legisse videtur semiuuio. Sic etiam legit Ambros. lib. de pænitentia cap. 10. Similiter August. lib. 2. quæst. Euangel. c. 19. & Chrysol. hom. de hac parabola, quæ habetur tom. 2.

Accidit autem, vt Sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo præterit.

COMMENTARIA.

Prosequitur parabolam, illo igitur homine semiuuio iacente, Sacerdos per illam viam descendit, illumque vidit, nec tamen vllam opem ferens transiit. nota autem verba, quibus Dominus huius prætereuntis crudelitatem exprimit. Sacerdos enim erat, cui ex officio, ac dignitate incumberebat misericordiam facere. Rursus descendebat eadem via, sicut ille miser descenderat; si enim vnus ascendisset, alter descendisset, poterat modo aliquo Sacerdos se excusare à subueniendo, nimirum ne iter suum interrumpere, aut reuerti cogere: at non sic fuit; descendebat enim sicut ille percussus, poteratque Sacerdos secum illum ducere sine itineris detrimento. Rursus etiam vidit; si enim non vidisset, culpa non esset: at Sacerdos erat, eadem via descendebat, & vidit, ac præterit, nulla lata ope, neque verbo, neque opere, nec vlla misericordia commotus. Maxime igitur immisericorditer erga hominem illum se gessit.

ANNOTATIO LVIII.

Verbum Græcum *ἀπὸ πρὸς ἄθεν*, quod interpretatur, præterit, maiorem habet significationem ratione illius præpositionis; significat enim ex aduerso præterit, velut descedens à via, ne quasi

mortui contagione pollueretur, aut quasi abhorrens semimortuo accedere, & qui maiori charitatis vinculo tenebatur ferre opem, magis ab ea ferenda abfuit.

Similiter

Similiter & Leuita cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit.

COMMENTARIA.

HOC idem Leuita fecit, qui etiam si minister sit sacerdote inferior, in hoc tamen magis deliquit, quod secus locum, in quo homo iacebat, fuit, viditque illum; & pertransiit, poteratque ex vicinitate maiori loci, minori suo incommodo aliquam opem ferre, saltem verbum consolationis aliquod impendere.

ANNOTATIO LVIII.

Græce habetur idem verbum, quod superius de Sacerdote, interpretis verò illic verit, præterit; hic verb pertransiit. Græce tamen *ἀπὸ πρὸς ἄθεν*, habentque eandem energiam. Sacerdos enim, & Le-

uita, quippe qui in templo ministrabant, deflexerunt à via, ne modo aliquo polluerentur, irreligiosumque existimarunt facere cum semiuuio, quod religioni maxime consentaneum erat.

Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit secus eum, & uidens eum, misericordia motus est.

COMMENTARIA.

Samaritanus eadem via transiit, & dum iter faceret, accidit, vt secus locum, vbi ille iacebat, accederet, accedensque vidit eum, ac misericordia motus est; condoluit nempe iacenti, spoliato, & percusso. Quodque nec Sacerdos nec Leuita fecerunt, cum Ecclesiasticæ, & religiosæ personæ essent, & eiusdem cum percusso nationis, quia omnes Iudæi erant; hoc Samaritanus alienigena, & Iudæis maxime infensus, & irreligiosus, quia cum Deo Israel vero, falsos deos colebat, effecit.

ANNOTATIO LX.

Nota, prius venisse Samaritanum secus percussum, & postea vidisse eum, quod indicat calum, & dum iter faceret, secus illum uenisse, non autem quod à proposito ueniret ad illum: hoc enim facere non poterat; quia nondum uiderat eum, nisi postquam secus locum astitit. Quod ad rem spectat, Hieronymus Epist. ad Algasium quæst. 5. recte dicit Samaritanum in hac parabola poni pro signo, & miraculo, quod malus benefecerit. Hoc etiam exemplo confirmatur doctrina illa Gregorij in pastor. p. 2. admon. 29. vbi sic habet: Pleurthique actione

secularium, vita continentium confunditur, cum illi vltra habitum assumunt opera, & isti, iuxta ordinem proprium, non excitant corda. Vnde bene per Prophetam dicitur Isa. 23. Erubescite Sidon, ait mare, quasi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparisonem vitæ sæcularium, atque in hoc mundo fluctuantium, eius, qui munitus, & quasi stabilis cernitur, vita reprobat. Hæc Gregorius. Quæ in Sacerdote, & Leuita, ac Samaritano completa legimus.

Samaritanus in hac parabola in cuius reitignum positus.

Et appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum, & uinum.

COMMENTARIA.

NON solo cordis affectu, sed etiam operis beneficio misericordem se exhibuit Samaritanus, appropians enim, & accessit percusso, deinde vulnera vino lauuit, quod putridum sanguinem abstergit, partesque percussas carnis constringit; postea oleum infudit, quod dolorem lenit, partesque percussas mollificat, vt facilius vniantur, ac confortat: demum fascia ligauit, quæ percussas partes ab aere, cæterisque circumadiacentibus defendit, & disunctas comprimit, & conseruat. Vt autem vnico verbo dicam, medicum se erga percussum præstitit.

ANNOTATIO LXI.

Moralis expositio de Samaritano uinum & oleum in plagas effundente.

Gregorius lib. 20. moral. cap. 8. hæc moraliter interpretatur, dicens; Circa subditos suos ineficace Rectoribus debet & iuste consolans misericordia, & pie sæuiens disciplina. Hinc est, quod semiuuii illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est, & uinum adhibetur, & oleum, vt per uinum mordeantur vulnera; per oleum foueantur; quatenus vnusquisque qui sanandis vulne-

ribus præest, in uino morsum distractionis adhibeat; in oleo mollitiem pietatis; per uinum mundentur putrida, per oleum sananda foueantur. Misericordia est ergo lenitas cum seueritate, faciendumque ex vtraque temperamentum; vt neque multa asperitate exacerbentur subditi; neque nimia benignitate soluantur. Hæc Gregorius.

Et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.

COMMENTARIA.

NON reliquit Samaritanus hominem in eo loco, sed impositum in suo iumento, à quo eum descendere oportebat (percussus enim, & semiuuius pedes venire non poterat) duxit in diuerforium, seu hospitium, & illa die apud eum manens, curam eius gessit, prouidendo necessaria ad cibum, & ad lectum, in quo quiesceret, cæteraque, quibus opus illi erat. Insignis profecto hæc misericordia fuit, valde superans conditionem hominis, qui Samaritanus erat, nomini vero apprime respondens: nam Samaritanus custos interpretatur.

Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius age.

COMMENTARIA.

Opus misericordiae Samaritanus adhuc perficit; iter enim die sequenti profecturus duos denarios de suo profert, & hospiti tribuit in usus hominis illius; curam, inquit, illius habe, id est, provide homini necessaria, sint tibi isti duo denarii in sumptum erga eum. Absens, & praesens prouidit egenti.

Et quodcumque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi.

COMMENTARIA.

Nihil praetermisit Samaritanus, quod indigenti necessarium erat: si forte inquit, maiores feceris expensas supra duos hos denarios, de tuoque aliquid insumptis in hominis istius utilitatem, nullum inde detrimentum, aut damnum patieris: nam totum id ego reddam tibi cum rediero. Verisimile est Samaritanum notum fuisse hospiti illi, cuius verbo fidem praestare poterat, securus de restitutione, & reparatione omnium expensarum. idcirco plures Samaritanus nummos non protulit ultra duos. Vide quam perfectam in miserando se Samaritanus praebuit; totum enim fecit, quod ad hominis illius opem necessarium erat.

Quis horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

COMMENTARIA.

Proposita parabola interrogat Dominus Legisperitum, quis ei videretur ex tribus illis, nempe Sacerdote, Leuita, & Samaritano; proximus esse illi homini, qui incidit in latrones, a quibus spoliatus, & vulneratus fuerat, id est, quis tibi videtur magis exercuisse charitatem, seu dilectionem proximi, quam praecipit Deus erga illum hominem? Interrogat autem Dominus, ut ex responsione ipsa magis conuincat respondentem; est enim efficax argumentandi, & docendi genus, quod in interrogatione procedit, quo cogitur interrogatus proprio ore fateri veritatem, nempe proximum esse quemcumque hominem etiam extraneum, & aduersarium.

ANNOTATIO LXII.

Difficultas, quae ex verbis praecedentibus videtur orta, explicatur.

Difficultas occurrit: nam ex hac interrogatione, & responsione Domini videtur colligi proximum esse eum, qui benefacit, seu a quo beneficio affecti sumus. Rursus Sacerdotem, & Leuitam non fuisse proximos illi homini; sed solum benefactorem. Quod si ita est, excusati sunt Sacerdos, & Leuita; cum enim proximi non essent, non tenebantur praepro diligendi proximum erga illum hominem. Respondeo Christum mira sapientia usum esse ad intruendum Legisperitum. Putabat enim hic proximos esse Iudaeos inter se: non autem externos, & maxime inimicos. ut autem Dominus ostendat omnes homines esse proximos, omnesque diligendos, assumit benefactores, & eos, qui benefaciunt quibuscumque etiam extraneis, ut ratione beneficij cogatur Legisperitus confiteri proximum esse eum, qui benefacit; ex hoc enim recte concluditur, si proximus est, qui benefacit etiam extraneo, etiam aduersario, ergo extraneus, & aduersarius proximus etiam est benefacienti. correlatiua enim simul esse, necessarium est. Si enim Samaritanus proximus fuit homini Iudaeo; ergo & Iudaeus proximus erat Samaritano,

quantumuis aduersario, & extero; & si Samaritanus dilexit, & benefecit Iudaeo, ut sibi proximo, profecto cuiuscumque est benefaciendum, si indiget, & quicumque nobis est proximus, etiam si non sit benefactor: nam homo vulneratus proximus erat Samaritano, cui non benefecerat, quin potius ab eo affectus est beneficio. Quando autem interrogat Dominus de tribus, Sacerdote, Leuita, & Samaritano, non significat non esse illos proximos, sed non se gessisse, ut tales, ut sit sensus, quis tibi videtur proximus illi homini? id est, quis tibi videtur magis quantum ad effectum proximus fuisse, quisve magis proximi dilectionem habuisse? Vis igitur argumenti posita est in correlatiuis, nempe, si hic mihi proximus est, & ego illi sum: posita est in effectibus; is enim magis videtur, & iudicandus est proximus, qui signa, & opera proximi, quando necessaria sunt, praestat. Voluit enim Dominus hac parabola significare proximum diligendum non tantum quantum ad affectum animi, sed etiam quando opus est, quantum ad opera, & subuentionem.

At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum.

COMMENTARIA.

Respondet Legisperitus, is, qui benefecit illi homini, nempe Samaritanus, videtur mihi magis illi proximus fuisse: non negat Sacerdotem, & Leuitam proximos, sed non se gessisse, ut proximos, iuxta Domini interrogationem. Propria sua responsione conuictus est, & edoctus Legisperitus. Si igitur Samaritanus Iudaeo proximus est, igitur & Iudaeus Samaritano: non ergo a iustitia, non a cognatione ratio proximi accipienda est; si enim inimicus Samaritanus proximus est; igitur quicumque etiam alius alienigena, & demum omnes homines sibi inuicem

inuicem proximi sunt, & vnicique benefaciendum est indigenti, sicut Samaritanus fecit Iudaeo, & a contrario debuit Iudaeus facere Samaritano, si hic fuisset in ea necessitate. Sacerdos autem, & Leuita non praestiterunt dilectionem, quam debuerunt.

Ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

COMMENTARIA.

Probat Dominus responsionem legisperiti, dicens: Vade, scilicet ad negocia tua alia gerenda, & fac similiter, scilicet benefac cuiuscumque indigenti, curam habere eius, qui tuo auxilio indiget, etiam si sit alienigena, etiam si aduersarius, sicut tu iudicasti recte fecisse Samaritanum cum Iudaeo, sic implebis praecipuum Domini. Diliges proximum, sicut te ipsum, sic cognosces, quis tibi sit proximus ad dilectionem exhibendam.

ANNOTATIO LXIII.

Varie huius parabolae expositiones.

Doctores hanc Domini parabolam primo nostro patri, ac protoplasto Adamo accommodant, interpretantes, ipsum esse, qui in descensu de Hierusalem in Iericho spoliatus, & vulneratus fuit, cui nec Sacerdos, nec Leuita, id est, nec sacrificia vetera, nec lex opem ferre potuerunt; solus Samaritanus, id est, Christus, qui custos hominum est (hoc enim Sarrabianus significat, nempe custodem) sanauit; & super iugentum carnis suae imposuit; per eam enim nostra peccata destruxit, & in stabulum Ecclesiae conduxit, praestatis ratiqum hospitibus curam commisit; vinum, & oleum Sacramentorum reliquit; denarios duos, nouum, & vetus testamentum dedit; innumerata alia dona contulit, quasi supereroganti reddendo. Vide Orig. in prologo in Cantica. Basilium in homil. in aliquot Scripturae locos. Titum Bostrenum in commentario. omnes hi. parabolam Adamo accommodant. Totam autem quo ad suas partes interpretantur Chrysolto. in quadam homil. de hac parabola; quae habetur tom. 2. Similiter Augustinus li-

bro 2. quae st. Euang. cap. 29. & lib. 3. Hypognos. & term. 37. de verb. Dom. quendam alium sensum spiritualement adhibet Ambros. lib. 1. de penitentia. cap. 10. Hanc eandem parabolam Doctores scholastici discutunt, & vires arbitrij humani post peccatum eam explicare conantur. Quae omnia persequi, esset longe ab instituto nostro discedere. Quae dicta sunt, satis esse duxi, solum verba Athanasij referam, quae breuia seu compendiosa sunt. in quaest. ad Antiochum quaest. 5. sic inquit. Homo quidam a Hierusalem descendit in Iericho, & incidit in latrones. Homo ille est Adam; Hierusalem paradysus; Iericho mundus; latrones sunt malae cogitationes, & transgressio; Sacerdos, Prophetae; Leuita, Mosaica lex; Samaritanus est Christus; oleum, & vinum, pretiosum corpus, & sanguis, & sanctum baptisma; Diuersorium autem est Ecclesia; & hoipes sanctus Paulus. Duo denarii sunt vetus, & nouum testamentum. Haec Athanasius. Caeteri Patres latrones interpretantur daemones, multaque alia diffuse tractant.

Factum est autem, dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum.

COMMENTARIA.

Prosequitur Euangelista narrare ea, quae in hoc itinere Christus gessit, nempe in Iudaea; quo misit Discipulos praedicare, priusquam ipse veniret, & vbi ipsi a praedicatione reuersi, Christo obuiauerunt. Dum igitur Christus iter proficeretur cum eis, factum est, ut diuerteret in quoddam castellum, seu in vicum, & pagum Iudaeae, cuius nomen Euangelista tacet, ex narratis tamen deducimus fuisse Bethaniam castellum Marthae, & Mariae.

ANNOTATIO LXIIII.

Ordo temporis, & rei gestae ratio.

AN autem hoc, quod nunc narratur, immediate gestum sit post historiam de legu perito, non est omnino certum, probabile est autem tunc factum, aut paulo post. Non est autem dubitandum euenisse eo tempore, quo Discipulorum missio in Iudaeam, & reuersio facta est, quando Christus proficiscebatur per Iudaeam. Hoc autem castellum esse Bethaniam Ioan. cap. 11. & 12. confirmat, quod distabat stadiis quindecim a Hierusalem, ut ibi dicitur, ibi erant Martha, & Maria. Attende autem non esse dictum sic (factum est, ut intraret in quoddam castellum) sed (dum irent, intrauit in quoddam castellum) ut significaret Euangelista Christum non esse profectum in id castellum, ut ibi maneret, sed in transitu, dum alio proficiscebatur, ut solent ij, qui aliquo euntes diuertunt ad loca intermedia.

Posset autem alicui videri, solus Christus intrasse, non autem Discipuli: nam dicitur, dum irent, nempe Christus, & Discipuli, ipse intrauit, quasi solus ipse, non autem caeteri, qui cum eo ibant, id tamen non est verisimile; non enim diuertisset ad cibum capiendum sine suis Discipulis, quos etiam conuiuio huic interfuisse affirmat Euthymius. Sed id existimo significatum esse, omnibus euentibus solum Christum cogitasse, & voluisse diuertere in castellum, Discipulis non opinantibus, aut existimantibus eum diuersurum, dicitur ergo ipse intrasse, non quod illi non intrarent, sed quod ipse solus in eum locum diuertere voluit, aut quia castellum non erat in recta via, quam peragebat, aut quia nondum erat tunc tempus diuertendi, vnde Discipuli de tali introitu non cogitabant.

Et mulier quaedam Martha nomine, excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria.

COMMENTARIA.

Prosequitur historiam Euangelista. In eo castello erat mulier Martha nomine, quae ibi habitabat. Haec Christum hospitio excepit. Habebat autem Martha sor-

rorem nomine Mariam. Martha autem, aut quia natu maior, dicitur recepisse in domum suam, non autem Maria; aut quia domus ad solius Marthae partem pertinebat. Magna virtus hospitalitas est & Deo grata; Christum autem excepisse valde commendandum est, praesertim apud Iudaeos, qui eum summo prosequabantur odio.

ANNOTATIO LXV.

HAE mulieres sorores Lazari erant, cuius nomen la-nunc sic mentio, quia tunc ibi ille non aderat, quando Christus diuertit; si enim adfuisset, non utique Evangelista praetermisisset: nam & ille aliquid erga Christum fecisset: nec Martha solam se in ministerio relictam doluisset, aut non de sola Maria, sed etiam de Lazaro apud Dominum conquesta esset. Bernardus in hom. huius lectionis adfuisse putat Lazarum, sed alia de causa non esse mentionem factam: nam applicans hanc historiam Beatae Virgini, sic inquit: Intrat domum Saluator, quam Lazarus mundat, ornat Martha, & Maria replet, internae dedita

contemplationi. Sed forte curiosus, quisquam requirat, cur in praesenti Evangelica lectione nulla, prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sane, ne id quidem a proposita similitudine dissidere. Virginali enim domum intelligi volens, spiritus siluit non incongrue penitentiam, quae malum utique comitatur. Absit enim, ut proprii quidquam inquinamenti domus haec aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopula Lazari quaereretur. Haec Bernardus. sunt tamen spiritualiter magis, quam literaliter, & historice dicta.

Qua etiam sedens secus pedes Domini, audiebat uerbum illius.

COMMENTARIA.

PONIT inter sorores discrimen, Maria quidem Domino praedicanti, ac docenti affidebat, ad pedes eius sedens, & audio auditu cordis, & corporis excipiens, quae ille dicebat. Ex hac sententia colligimus duo. Vnum est, Dominum simul ac intrauit, doctrinae suae uerbum effudisse. Alterum est, non solam Mariam audiendo uerbo attendisse, sed etiam Martham. Dictum enim est: quae etiam sedens, particula enim (etiam) indicat alteram sororem etiam confedissee, non quidem sicut Mariam; haec enim, ut statim dicitur, assidua erat audiendo uerbo; Martha uero frequenter distrahebatur ad ministerium eorum, quae ad cibum praeparabantur. Perpende assiduam, & indefinentem Domini uerbi sui praedicationem: nam hospitio exceptas, dum quae ad cibum corporis necessaria erant, parabantur, docere non destitit. Quae autem Christus tunc docuerit. Evangelista non expressit.

ANNOTATIO LXVI.

Martha etiam cum Maria ad pedes Domini docentis co-sedit.

ILLa particula (etiam) cogit nos affirmare Martham simul cum Maria sedisse ad pedes Domini ad audiendum uerbum eius, licet Martha frequenter diuerteret ad ministerium, praeparandasque escas: Maria autem assidua, & permanens sederet intenta doctrinae. Cum enim nulla fiat mentio in hac lectione aliorum, nisi sororum, oportet cum dicitur, Maria etiam sedisse, referre particulam ad Martham, ut etiam ipsa consideret, sed non assidua, ut diximus.

Ratio etiam ipsa id postulat; non enim est uerisimile Christo intranti domum, & sedenti, ac docenti Martham, nec ad minimum temporis confedissee, ut sermonis uerbum aliquod audiret. hoc etiam quadrat uita actiua, cuius Martha figuram gerebat; licet enim magis operi, quam contemplationi studeat, non tamen omni contemplatione, & meditatione vacua est.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium.

COMMENTARIA.

NON sic altera soror Martha, sed satagebat, id est, anxie torquebatur, circa frequens ministerium, scilicet dum frequenter cogebatur distrahi; & diuertere ab audiendo uerbo, & incumbere ministerio, & iis, quae praeparabantur ad conuiuium Christi, & Discipulorum eius. Cum enim Martha esset, quae Dominum exceperat in domum suam, cura, & sollicitudo conuiuij praeparandi magis ei incumberebat.

ANNOTATIO LXVII.

Collatio Graeci, & Latini textus in hoc loco.

ILLud (frequens ministerium) Graece legitur πολλόν διακονίαν, id est, multum ministerium; praeparabat enim multa ad conuiuium tanti hospitis, cui respondet uerbum Domini: uerbaris erga plurima, seu multa, ut Graece legitur, uideturque accommodata interpretatio. Interpres uero uerit, frequens ministerium, seu assiduum, quia assiduo oportebat eam interesse ijs, quae praeparabantur, & manus ad-

mouere ministerio, & a uerbo Christi audiendo disturbari, & hanc secuti sumus cum interprete explanationem, & est expositio non minus accommodata. Nam & Graecum uerbum sic potuit uerit. Illud autem, satagebat, Graece, σαταγω, quidam ueruat, distrahebatur, seu distinebatur: congrue autem interpres noster uerit, satagebat, ut diximus in commentario.

Qua

Qua stetit, & ait.
C O M M E N T A R I A.

MARtha huc, illucque discurrens non laboris pertaesa, sed quod uideret, pro uotis se non posse conuiuium praeparare, cum sola relictam esset in ministerio, sorore apud pedes Domini quiescente, ante Dominum adfuit, ipsiusque sermonem interpellans dixit, quae sequuntur.

ANNOTATIO LXVIII.

Locus Gregorij exponitur, qui cotrauii uideretur sententiae supra-positae de Martha, quod etiam sederet ad pedes Domini.

GREGORIUS lib. 5. in lib. Reg. cap. 4. prope finem haec uerba ponderans, inquit: Martha, quae circa frequens ministerium satagebat; stetit, & locuta est. Quae enim stetit, ei nimirum sedere non liquit: quia si ad audiendum sederet, imparatum fortasse ministerium, & insufficientem impendisset. Haec Gregorius. Videtur autem haec aduersari iis, quae diximus paulo superius, Martham nempe sedisse, sed frequenter ad praeparandum conuiuium discurrens; si enim non sedisset per breuem saltem temporis moram ad audiendum cum sorore uerbum Christi, non diceretur de Maria, etiam sedisse ad pedes Domini. Dico igitur Gregorium sic intelligendum, postquam Martha frequenter a sessione ad ministerium discurrisset, semel stetit, & locutam esse Domino. Quod si haec non possunt accommodari Gregorio, ut pote affirmanti illam semper discurrens, nec unquam sedisse, ut magis ad mentem Gregorij facere uideatur, dico eius sententiam esse probabilem, magis tamen accommodatam nobis esse uisam, quam secuti sumus; uix enim interpretari illa uerba possumus, (quae etiam sedens secus pedes Domini audiebat uerbum illius). Particula namque illa (etiam) probat Martham simul aliquando sedisse, & audiuisse uerbum Christi. Videns autem Gregorius non posse in Martha vitam actiuam significari, nisi aliquo modo Christo adfuisset, quod nos explicamus, dicentes per

aliquot morulas, & interrupte sedisse, & audisse Christum, ipse id accommodat aliter, nempe dum discurrebat Martha huc, & illuc ministrando, uidisse Christum, & in hoc significari ueram actiuam habere aliquando meditationem, & Christo adfuitentiam. Ac uero non legitur in Euangelio, quod discurrens, & transeundo uiderit Christum, habemus autem insinuatum, quod sederet, idcirco hoc probamus magis, quam illud. Verba Gregorij sunt ista, quae nos nostrae interpretationi accommodamus; quod enim Gregorius uisioni transeunti dat, nos damus breuibus sessionibus, & interruptis. Notandum inquit, est, quod Martha transeundo Dominum uidit, non tamen transeundo, sed stando locuta est: nam Evangelista caute expressit, dicens; Quae stetit, & ait. Quo profecto exemplo instrumur, ut qui fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad redemptoris pedes non possumus, per aliquantulam morulam redemptori adfuitere debeamus. Sed bene ei adfuitimus, si transeundo, & seruiendo uideamus. Quid est autem transeundo Dominum cernere, nisi in omni nostro bono opere ad ipsam dirigere cordis intentionem? transemus enim quando huc, illucque discurrendo in membris suis Domino ministramus, sed transeundo Dominum cernimus, si per omne, quod agimus, praesentem nobis ipsum, cui placere cupimus, contemplantur. Haec ille.

Domine, non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare?

COMMENTARIA.

NON incusat Martha Christum, sed sororem apud Christum, quod eam solam reliquerit ministrare, ipsa autem sederet ad pedes Christi; sensus est, Domine non est tibi cura? id est, tua cura est, ad te spectat, tibi incumbit prouidere de hoc, quod solam me soror reliquerit in ministerio.

ANNOTATIO LXIX.

Explicatio superioris sententiae.

QUOD diximus, Martham non incusare Christum, sed sororem apud Christum tanquam iudicem, cononat Augustino ser. 26. de uerb. Domini. Interpellat, inquit, Martha hospitem, ad iudicem deponit postulationem piarum querelarum, quod eam soror deseruerit; & sic laborantem in ministerio adiuuare neglexerit. Haec ille. Illud autem, Non est tibi cura, similis phrasia est apud Marcum 4. Magister non ad te pertinet, quod perimus? Graece eadem sunt uerba in Marco, quae nunc in Luca, non est cura tibi? id est, cura tua est, & ad te spectat aduertere, & prouidere, quia perimus. Ita etiam nunc in praesenti loquitur Martha; interrogationes

enim haec aequivalent affirmatiuis. Notat autem Gregorius lib. 5. in lib. Regum cap. 4. prope finem, haec uerba Marthae processisse ex quadam confidentia erga Christum, quam ei dabat labor pro eo assumptus in cibis praeparandis, accommodatque laborantibus in uita actiua. uerba ipsius sunt: Notandum, inquit, est quia Martha confidenter loquitur, dicens, Domine non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Quod certe perfectis quibusdam operarijs sanctae Ecclesiae conuenit, qui omnipotenti Deo preces tanto fiducialius offerunt, quanto laboriosius ei in membris suis ministrasse meminerunt. Haec ille.

Dic ergo illi, ut me adiuuet.

COMMENTARIA.

PETIT Martha Christum, ut iubeat sorori opem ei ferre; iube, inquit, illi ut una mecum ministerio manum admoueat. Notanda est particula illationis (ergo) ex praecedenti sententia inferens, quasi diceret, cum tibi cura sit, tibi incumbat prouidere, quod me solam reliquerit, iube ergo ut me adiuuet. Prudenter, & reuerenter Martha non ad sororem, sed ad Christum sermonem conuertit; sciebat enim sororem Christi eloquio ita illectam esse, ut nullis dimoueretur precibus,

nisi iussu Christi. Animaduvertebat etiam non decere eam propria voluntate à Christo auerti, nisi ipso iubente, Ideo prudenter, & reuerenter non sorori, sed Christo loquitur.

Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.

COMMENTARIA.

Respondet Dominus ad tria, nimirum ad causam, quæ inducebat Martham ad inculpandam sororem, petendumque ipsius in ministrando iuuamen; & ad ipsam accusationem; & demum ad petitionem. Ad primum quidem respondet dulci quadam reprehensione; taxat enim eam non facti, quia bonum, & laudabile erat, sed nimietatis in rebus, & superfluae sollicitudinis, dicens: Martha, Martha sollicita es, & distraheris in multis plusquam oportet præparandis; si pauciora, & quæ factis essent, parares, non ita sollicita, & distracta esses: modum ergo non tenes, nec in sollicitudine, & distractione, nec in ipsis rebus, quas ad escam præparas. Turbatio, & distractio in multis, causa erat sollicitudinis nimiae. Geminata autem vox, Martha, Martha, familiaritatem & dulcedinem quandam cum reprehensione admissam significat.

ANNOTATIO LXX.

Quod ad literam spectat, Græce non legitur superlatiuum, plurima, sed positiuum, multa, sicque legit Augustinus ser. 27. de verb. Dom. quod autem ad rem attinet, conueniunt Doctores, Dominum reprehendisse Martham, non quidem de opere, quod bonum, & laudabile erat, sed de circumstantia quadam; quæ autem hæc sit, non uniformiter explicant. Chrysostomus enim homil. 43. in Ioan. dicit, esse reprehensam, eo quod temporis rationem non habuit, sic enim inquit: Quod ad Martham locutus est Iesus, non in operando reprehensione dixit, sed quod tempus considerandum sit, & distribuendum, ne audiendi verbi Dei occasio, in carnalium rerum cura consumatur. Non ergo desiderium laudat, sed ad audiendum allicit: Veni, inquit, ut vos docerem; tu autem circa prandium occuparis, variis ciborum generibus me vis excipere, alium cibum para, sermonibus meis attende, sororis desiderium imitare, neque coarguebat Iesus hospitalitatem, absit, sed doctrinæ tempore aliis non esse vacandum negotiis, admonebat. Hæc Chrysostomus. Cuius sententia vix accommodari potest contextui, cum verba ipsa significant Martham reprehensam, non quod eo tem-

pore occuparetur ministerio, cum tunc esset oportunitas præparandi; sed quod nimium sollicita esset, & multa supra necessitatem pararet. Unde recte dixit Titus Bostrenus, Dominum non submouisse Martham ab opere illo. Verius igitur interpretatur Gregorius loco allegato in præcedenti annotat: qui iis, quæ in commentario diximus, consonat: Quia in ipsis, inquit, quæ actiua vitæ deseruiunt, nimietas sollicitudinis cohibenda est, Martha reprehenditur, quæ tam sollicita asseritur, ut erga plurima turbetur. Actionis quidem feruor tunc recte disponitur, cum sic insitimus operi, ut tranquillo corde eum; cui opera nostra conferre nitimur, videamus. Hæc Gregorius. Cui adiungendum est non solum nimietatem in sollicitudine, & turbatione fuisse notatam, sed etiam in ipsis rebus ad escam præparatis superfluitatem; immo hæc erat illius causa. dictum est enim, turbaris erga plurima: Aduerte illius repetitionis, Martha, Martha, duas adferre causas Augustinum serm. 26. de verbis Domini. sic enim inquit: Repetitio nominis est indicium dilectionis; aut forte mouenda intentionis, ut audiret attentius. Hæc ille.

Porro unum est necessarium.

COMMENTARIA.

Connexa est hæc sententia præcedenti; taxat enim multitudinem ciborum, quæ causa erat nimiae sollicitudinis, & turbationis, seu distractionis, Vnum, inquit, est necessarium, quasi diceret; turbatio superflua est erga plurima, cum vnum sit necessarium, id est, cum ad vsum vitæ satis sit vnum, aut alterum, nec tam multis indigeamus.

ANNOTATIO LXXI.

Græca magis explicat expositionem in commentario positam, ad verbum enim verti potest, vno opus est. Est autem multiplex Patrum expositio huius sententiæ. Primo loco Titus Bostrenus in commentario hisce verbis explicat, ut idem sit ac si diceret, paucis natura contenta est. Cui expositioni consentit ea, quam secuti sumus in commentario. Secundo loco Basilii in regul. fusi. dispu. interrog. 20. duas profert interpretationes. Vna est eadem, quæ Titi allegati, scilicet, paucis cibis opus est, quantum ad apparatus, quasi diceret, non est opus tam multa parare, pauca sufficiunt. Altera est, ut vnum non accipiatur pro paucis, sed pro vere vno, referaturque ad vitæ necessitatem, ut sit sensus, non est cur tam multa præpares; vnum enim solum necessarium est, nempe ut vitæ necessitati fiat satis. Unde non est, cur erga multa turberis, cum sine his vitæ necessitati satisfieri possit. Mihi magis placet prior expositio, ut vnum referatur ad cibos ipsos: sicut enim respondet verbo illi, turbaris erga plurima, nempe plura fercula, vno autem opus est, non tam multis. Cum Basilio consentit Hieronymus epistola ad Eustochium, de custodia virginitatis. Tertio loco Augustinus serm. 26. de verbis Domini, & Gregorius lib. 1. in lib. Reg. cap. 4. & alij etiam Patres, ad finem vltimum, qui est summum, & vnicum bonum,

Varie expositiones Patrum circa verba posita.

bonum referunt; in quod nostra mens est dirigenda, & à quo non distrahenda. Quæ quidem expositio magis ad Spiritum, quam ad literam spectat. Quarto loco Euthymius hoc vnum interpretatur auscultationem verbi Christi. Omnia hæc mihi videntur minus accommodata, cum omnium appositis-

ma interpretatio sit, quæ est Titi, Basilij, & in commentario posita. Illa autem particula, porro. Græce est, ἄ, ac si diceret, vnum autem, seu, atqui vnum est necessarium. Augustinus vero serm. 27. de verb. Dom. legit, quando vnum est necessarium.

Maria optimam partem elegit.

COMMENTARIA.

Respondet nunc Dominus querelæ Marthæ contra sororem, quod eam reliquerit solam ministrare; præfert autem quod Maria fecit, illi, quod Martha exhibebat. sensus est, non est, quod queraris de sorore, quod te solam reliquerit ministrare, quasi in hoc minus benefecerit, scito optimam partem elegisse, bonum est, quod tu facis, ministerium melius tamen, & eligibilius est, quod facit Maria; præstat spirituale corporali, & cibus mentis cibo corporis.

ANNOTATIO LXXII.

Positius pro comparatio in Scriptura sæpe videtur.

Græce non habetur superlatiuum, sed positiuum, Bonam, inquit, partem elegit: at positiuum in hoc loco positum est pro comparatio, nam Christus conferebat quod Maria faciebat, Marthæ officio, quia Martha suum preferens petebat Mariam à proposito remoueri, & ad suum trahere. Sicque August. ser. 27. legit, & interpretatur. Maria, inquit, meliorem partem elegit, non tu malam, sed illa meliorem. Sicque notat Euthymius, positiuum hoc vim habere comparatiui. Quæ phrasia Hebræa est, & usurpatur sæpe à Scriptura I. Corint. 7. Dico nuptis, & viduis, bonum est si sic permanserint, id est, melius est. & in psal. 117. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum est sperare in-

Domino, quam sperare in Principibus. Ecclesiast. 20. Quam bonum est argueri, quam irasci. & in Evangelio Matth. 18. Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem, aut claudum, quam duas manus, aut duos pedes habentem mitti in ignem æternum, & bonum est tibi vnum oculum habentem ad vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam, ignis. Sunt multa huius rei exempla. Hoc exemplo Apostoli Act. 6. prætulere prædicationem verbi, ministerio erga pauperes; dicunt enim: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Hoc quidem bonum est; si enim non esset, non elegissent Diaconos, qui ei officio incumberent, illud tamen melius, ac magis necessarium.

Quæ non auferetur ab ea.

COMMENTARIA.

Vltimo loco respondet Dominus ad petitionem Marthæ, nempe, dic illi, ut me adiuuet. Hæc pars, inquit Christus, quæ est ad meos pedes sedere ad audiendum verbum, non auferetur ab ea, quasi apertius diceret: nunquam ego illi dicam, ut deserat, quod facit, & adiuuet te. Non debet quod maius est dimitti propter id, quod minus est. Nec ex hoc est, quod velim te nimio labore consumi, nam vno, aut altero opus est ad viduum meum, si hoc facis, non est, quod Maria adiuuet te. Hæc omnia insinuat Dominus in hac sua responsione.

ANNOTATIO LXXIII.

Quæ sit pars Mariæ quam Dominus dicit ab ea non auferendam.

Augustinus ser. 27. de verb. Dom. hanc sententiam sic intelligit, ut à Maria pars eius non sit in æternum auferenda, quia contemplatio Dei in altera etiam vita perdurat, quæ fuit pars Mariæ. infert etiam ex hac sententia, Marthæ partem auferendam, quia cum in altero sæculo nulla sit futura beatis calamitas, nec necessitas, nec infirmitas, non erit materia, erga quam se actiua vita exerceat, auferetur igitur pars Marthæ, sed in meliorem commutabitur. Hæc omnia exiitimo intelligenda spiritua-liter, secundum quem sensum Patres interpretantur duas in his fororibus vitas significari. In Martha quidem actiuam, quæ laboriosa est, & in iis, quæ ad proximum spectant, operibus versatur, ac bona, & laudabilis, & in Ecclesia necessaria est: In Maria vero contemplatiuam, quæ magis in sui ipsius perfectione, ac progressu posita est, & corporis laboribus, ac operibus magis caret, perfectiorque est priori, similiorque est vitæ beatorum, & erga Deum proximus versatur. Quæ vero ex vtraque componitur, ac de vtraque participat, perfectior censetur, qualis est vita Prælatorum, quæ actionem habet, & contemplationem. de his multa Patres scripsere, quæ prosequi non censui necessarium, quia frequentissi-

me scripta inueniuntur apud plurimos. Quod autem ad locum præsentem spectat, literalem sensum existimo eum esse, qui in commentario explicatus est: cum enim Martha peteret à Domino, ut Mariæ iuberet ab audiendo verbo desistere, eamque in ministerio iuuare, respondit Dominus se hoc nolle facere, cum melius, ac perfectius esset hoc, quam id, cui Martha incumbebat: Non, inquit, auferetur ab ea, & vis est in verbo, auferendi, quasi diceret, dum ipsa voluerit, non eam cogam iubendo discedere. Nec ex hoc infertur (à te autem auferetur, quod facis) non hoc inquam sequitur, immo confirmat Martham in eo monendo, ne superfluo labore fatigetur. Erga plurima, inquit, turbaris, cum vnum est necessarium, huic vni incumbere, & sola perficias, nec erit, quod Maria te adiuuet, Hunc puto ad literam esse sensum. Recte hic Titus Bostrenus notauit, cum Discipuli per orbem essent mittendi, & à multis hospitio excipiendi, voluit Dominus hoc suo hospitio eos insituere, qualiter se gerere deberent. Hoc autem est, à verbi prædicatione quacunque data occasione non desistere, eam omni cibo corporis præponere, superflua corporis vitare, vno cibo necessario esse contentos.

FRANCISCI
CARDINALIS TOLETI
IN SACROSANCTVM
LVCÆ EVANGELIVM
COMMENTARII.



CAPVT VNDECIMVM.



Factum est: cum esset in quodam loco orans, ut cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes Discipulos suos. Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata nostra, si quidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum, & ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseverauerit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: querite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui querit, inuenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis Patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouem: numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona dare filijs vestris: quanto magis Pater vester de calo dabit spiritum bonum petentibus se? Et erat eiciens demonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset demonium, locutus est mutus, & admirata sunt turba. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe demoniorum eicit demonia. Et alij tentantes, signum de calo quarebant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Satanus in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eicere demonia. Si autem ego in Beelzebub eicio demonia: filij vestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei eicio demonia: profecto peruenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quarens quietem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et sunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quadam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Turbis autem concurrentibus cepit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est: signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Propheta. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis: ita erit & Filius hominis generationi isti. Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit à sinibus terra audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon hic. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hæc, & condemna-

demnabunt illam: quia penitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, & ecce plus quam Ionas hic. Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebrae sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. Et cum loqueretur, rogauit illum quidam Phariseus, ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit. Phariseus autem cepit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisei, quod de foris est calicis, & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate. Stulti nonne qui fecit quod de foris est, etiam id, quod deintus est, fecit? Verumtamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. Sed vae vobis Phariseis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium, & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Vae vobis Phariseis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in fors. Vae vobis, quia estis ut monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes supra, nesciunt. Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. At ille ait: Et vobis Legisperitis vae: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito dextro non tangitis sarcinas. Vae vobis, qui edificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem edificatis eorum sepulchra. Propterea, & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur. Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zacharia, qui perijt inter altare, & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione. Vae vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis. Cum autem hæc ad illos diceret, ceperunt Pharisei, & Legisperiti grauitè insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius ut accusarent eum.

CAPVT VNDECIMVM.

Et factum est cum esset in quodam loco orans.

COMMENTARIA.

PREQVENS erat Christus in oratione ad Patrem, ut nobis exemplum & opere prodesset; omnis enim eius oratio meritoria erat & satisfactoria pro nobis, nosque ad orandum pro nobis ipsis exhortatur; si enim ille pro nobis orat; debemus profecto nos ipsi pro nobis orare. si qui liber est, orat pro captiuo; æquum est ut & captiuus pro se ipso oret. illius oratio nostram fecit orationem acceptam: efficaciaque illius nostræ contulit virtutem.

ANNOTATIO I.

Quis locus hic esset, in quo Christus nunc orasse dicitur, quodue tempus, & an post ea, quæ narrata sunt, aliqua alia ab Evangelistis narrata intercesserint, ignoratur à doctoribus, idcirco nihil

de connexionione cum iis, quæ in fine capitis præcedentis dicta sunt, dicimus. Hoc certum est, extra domum Marthæ hæc euenisse.

Vae cessauit, dixit vnus ex Discipulis ad eum.

COMMENTARIA.

Prudenter fecit Discipulus, dum orantem Christum non interpellauit, sed finem orationis expectauit. Erat quidem Christus in perpetua contemplatione ad Deum, nec ab hac vlllo vnquam temporis momento cessauit, de quo scriptum est. Psal. 15. Prouidebam Deum in conspectu meo semper: particulares tamen quasdam preces, & orationes ad Patrem fundebat, corpusque suum orationi accommodabat, quarum vna erat hæc, & ab huiusmodi aliquando cessabat. Quis autem esset Discipulus hic, in annotatione discutitur.

ANNOTATIO II.

Quis fuerit discipulus hic, de quo in hoc loco mentio fit. Augustinus ferm. 28. de verb. Domi. & tract. 7. in Ioannem hanc petitionem, cuius nunc meminit Lucas, ab Apostolis ipsi factam interpretatur, iuxta quam interpretationem necesse est dicere, hunc Discipulum fuisse vnum ex Discipulis, qui non proprio nomine, sed communi ceterorum Christum petierit, vt eum doceret orare. Euthymius autem existimat hunc Discipulum non fuisse Apostolum, sed vnum ex septuaginta.

An hæc historia de orando eadem sit cum illa Matth. 6. Videtur Augustinus sentire hanc historiam de orando eandem esse cum illa Matth. 6. vbi Christus Apostolos docuit eandem orationem, quæ nunc habetur à Luca, cuius sententiæ videtur aduersari, tum quod apud Matthæum Christus non interrogatus, sed multiloquum gentium repellens, docuit Apostolos orandi modum; hic vero requisitus respondit: tum quod illic Apostolos omnes hunc orandi modum docuisse dicitur; hic vero vnum tantum Discipulum: tum quod apud Matthæum dicitur eum orandi mo-

Domine doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos.

COMMENTARIA.

Modum orandi sibi & condiscipulis tradi petit, argumento vtens, quia Ioannes Baptista suis etiã discipulis modum orandi dedit; cum videret enim Christum nouum vitæ institutum docere, nouum orandi modum quæsiuit; oratio enim ad Deum necessaria est, sine qua recte viuere nemo potest. Cum autem dicit, Doce nos orare, rogat quæ in oratione petenda sunt doceri, & merito dicente Paulo Rom. 8. quid oremus sicut oportet, nescimus. dum autem pluraliter, inquit: Doce nos, non pro se solo, sed pro aliis etiam petit.

ANNOTATIO III.

Oratio, quam Ioannes Baptista docuit, quamam fuerit, cur Scriptura non loquatur. Quæ fuerit oratio, quam Ioannes docuit, Scriptura non meminit, vt Tertullianus in tract. de oratione affirmat, eiusque causam reddit: ideo, inquit non extat, in quæ verba docuerit Ioannes adorare, quod terrena cælestibus cesserint, quasi diceret, cessit Euangelio lex, & id quod ad eam quodammodo pertinebat, vt baptisimus Ioannis, ac eius oratio, orationem autem necessariam esse, & vtilissi-

dum tradidisse, cum ascendit in montem, & sedens aperuit os suum, & sermonem ad Apostolos multis documentis, & præceptis referentem habuit; nunc autem cum in quodam loco orasset, tum demum quod hic dicitur, doce nos orare, sicut Ioannes docuit discipulos, quod Christus audiens, orandi modum dedit: at apud Matthæum nulla mentio fit Ioannis Baptiste, nec ea occasione ad rationem motus docuit orare, sed absolute, vt institueret Apostolos non esse orandum, sicut gentes orabant, existimo ergo diuersam hanc historiam esse, primò; Christum Apostolos docuisse hanc orandi formam, quando in mote fuit; postea vero ad petitionem Discipuli huius; qui vnus erat ex Septuaginta, nec tunc aderat, qui pro se & aliis suis condiscipulis, qui modum à Christo non audierant, id petiit. bis orandi ergo hunc modum à Christo traditum Euangelistæ referunt.

Orationis necessitas, efficacia, & antiquitas. mam, multaque per eam impetrari à Deo, antiquissimamque & à mundi exordio, Scriptura sacra frequentissime testatur, actus est virtutis religionis ad eum connexus, & coherens, vt ij etiam, qui fallam religionem tenent, oratione vtantur; vt videre est in idololatriis, & infidelibus. de ea dicemus nonnulla in sequentibus commentariis, & annotationibus.

Et ait illis, cum oratis, dicite.

COMMENTARIA.

Vitæ, & piæ petitioni annuit Christus, & non petenti soli, sed ijs etiam, qui per eum idem scire cupiebant, respondet; ait enim illis, vnus petiit, sed pluribus loquitur, quia in eo vno plures petebant: Cum oratis, inquit, dicite, id est, sic orabitis, hæcque erit oratio, quam vos tamquam meos Discipulos doceo.

Pater.

COMMENTARIA.

Præponitur persona, ad quam dirigitur oratio: Deus autem est sub nomine Patris. Optimum autem orandi principium hoc est, per quod gratia Euangelij nobis declaratur, spes impetrandi roboratur, ad orandum, ac petendum excitamur, religionis cultus commendatur. Gratia quidem Euangelij declaratur, per quod in adoptionis filiorum dignitatem euehimur, qui ante eramus per legem in statu seruorum. Rom. 8. Non accepistis, inquit, iterum spiritum seruitutis in timore, sed accepistis spiritum filiorum Dei. Spes autem impetrandi roboratur; quid enim non dabit Patris amor? quid non obtinebit filiorum affectus? Rom. 5. Gloriamur, inquit, in spe filiorum Dei. Ad orandum vero excitamur; quid enim ad petendum æque excitat indigentes, quam impetrandi fiducia, quam Patris nomen offert, Religionis demum cultus commendatur, in quo cum reuerentia dilectio coniungitur; patres enim & amamus, & reueremur; Domini enim timentur magis, quam amantur. præstat autem amor timori. Malach. 1. Si pater ego sum, vbi est honor meus? Dicit Dominus. Si ego Dominus, vbi timor meus? Hæc omnia prima hæc orationis pars indicat, nempe Pater.

ANNOTATIO IV.

Discrimen noui & veteris testamenti quoad filiorum Dei adoptionem.

Differentia noui & veteris testamenti quantum ad filiorum Dei adoptionem; diximus in commentarijs in Ioannem in illa verba (dedit eis potestatem filios Dei fieri) per gratiam enim quæ per fidem Christi à principio mundi data est, fiebant homines Dei filij adoptione; tamen ante Euangelium erant homines iusti in statu seruorum, dicente Paulo Gala. 4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium: at per Euangelium & Christi aduentum prouecti sumus ad statum filiorum. vnde subiungit ibidem Paulus: Cum venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus, intellige quantum ad statum abiecta seruitute legis, de qua adoptione dicitur 1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. Simus dicite, quantum ad rem ipsam, & rationem filiationis; nominemur autem quantum ad statum. Vt igitur significaret Christus hanc adoptionis perfectionem, iubet nos Deum vocare Patrem, & ad eum orationem dirigere Patris inuocatione; & idcirco Euangelium lex amoris dicitur, quia filiorum est; vetus autem testamentum timoris lex; seruorum enim est timor, filiorum dilectio. Hæc eadem de causa Athanasius in epistola de decretis Nicænæ Synodi contra Arianam hæresim, docet Christum formam baptismi instituisse sub ijs verbis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quia in eo per Spiritum sanctum in filiorum adoptionem initiatur, & filij Dei Patrem habemus, & vocamus Deum. Nondum autem hæc adoptio suum habet complementum, donec in resurrectione cor-

pus etiam à seruitute, & à corruptione, ac passionibus liberetur. Hanc adoptionis perfectionem expectamus, in hoc sæculo dicente Paulo ad Rom. 8. Gemimus adoptionem corporis nostri. medium igitur est Euangelium inter statum legis & statum gloriæ in iustis: nam iusti & gratia Dei per fidem venturi Christi iustificati, etiam si filij adoptionis essent, in statu seruorum erant corpore & anima, sub elementis huius mundi, vt dicit Paulus Galat. 1. seruientes; in Euangelio autem seruitutis status quantum ad animam remotus est, & in filiorum Dei statum euehimur, expulsis figuris & vmbri, ac oneribus legis illius: ac corpora seruiunt corruptioni, ac mortalitati subiecta; in resurrectione autem erit adoptio omnino perfecta, qualis decet filios Dei, vbi & corpora ab omni seruitute redimuntur; Animæ etiam à quibusdam seruitutibus liberabuntur: nam iusti venialibus culpis velut puluere quodam scindantur, expositi etiam sunt potestati peccandi, & amittendi gratiæ statum, aliisque passionibus; & imperfectionibus subiiciuntur, quæ omnia deponenda sunt in statu illo perfectissimo gloriæ, & filiorum adoptionis Dei. His adiungenda sunt verba Chrysostomi hom. 20. in Matthæum, qui eleganti, & docto compendio ostendit, quæ hoc nomine indicentur. Verba ipsius sunt: Patrem dicendo, & veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & iustificationem, & sanctificationem, & liberationem, & filiorum adoptionem, & hæreditatem, & fraternitatem cum vnigenito copulatam, & sancti Spiritus dona largissima, vnico hoc vocabulo confessus est: impossibile enim est Deum Patrem vocari ab eo, qui non omnia hæc bona fuerit consecutus. Hæc ille.

ANNOTATIO V.

Explicatio particule illius Orationis Dominicæ, Noster, qui es in cælis, à Luca prætermittit, & à Matthæo proponit.

Prætermittit Lucas duo verba, quæ explicuit Matthæus, nempe. Noster, qui es in cælis. Hæc enim duo vulgatus interpretes non habet, vt ex vetustis exemplaribus, etiam manuscriptis constat, & ex nuper impressis emendatis per Sixtum Quintum & Clementem Octauum. Ea etiam Græca exemplaria multa non legunt, licet in quibusdam reperiantur. Cum igitur Lucas non habeat, incertum est, an Christus etiam non dixerit, quando interrogatus fuit à Discipulo hoc; an potius dixerit omnia, sicut prius protulerat, quando docuit Discipulos; Lucas autem non narrauerit omnia, quia iam Matthæus scripserat. Vtrum horum sit, incertum est, verisimilius est Lucam retulisse, quæ Christus pronunciauit interrogatus. quidquid de hoc sit, breuiter hæc duo explicanda duxi.

omnes ipse portauit. Hæc & alia Cyprianus. dum igitur Christus Patrem nostrum singulis in oratione appellare iussit, fraternam charitatem commendauit, significans se non exauditorum eos, qui à charitate fraterna discedunt, nec debent Patrem vocare nostrum, quod & docuit Matthæus illis verbis: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum, quasi diceret, si vis accedere Patri, & impetrare ab eo, fac vt possis vocare eum nostrum, reconciliatione & vnitatem facta cum fratre, aliter non erit accepta oratio, nec oblatio tua. Hæc est vna ratio, cur plurali voce vti nos voluit, dicentes: Pater noster. Altera mihi etiam videretur, nempe ad significandam distinctionem inter nos, ac Christum ipsum; ipse enim filius est naturalis, consubstantialis Patri, ac vnicus, nos vero adoptionis ac plures filij, ad hanc filiationem per vnicum filium prouecti. vnde illius est dicere Pater mi, nostrum autem, Pater noster, quod Christus Ioan. 20. ostendit dicens: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Hinc est, quod in oratione sua Matth. 26. dixit: Pater mi, si non potest calix hic transire: Chrysostomus hom. 20. in Matthæum hanc vocem, Noster, compendio docto exposuit, dicens: Non dicit Pater meus, sed Pater noster. pro communi corpore preces fundens, & vbiq; non tam propria commoda, quam proximorum petens. Quo quidem ipse, & inimicitias interinuit, & superbiam reprimit, & explodit inuidiam, & introducit matrem omnium bonorum charitatem, & humanarum rerum inæqualitatem prorsus eliminat, & miram regis cum paupere æqualitatem honoris ostendit; sicutdem in maximis, & ad æternam gloriam.

gloria necessariis confortibus sumus omnes; quid enim noxæ de terrena cognatione metuendum est, cum celesti cognatione omnes sumus coniuncti? cumque nullus alio amplius de illo honore possideat, neque locuples paupere, neque dominus seruo, neque princeps subdito, neque rex milite, neque Philoſophus barbaro, neque sapiens imperito; cunctis enim vnâ atque eandem cognationem donauit. cum dignatus est omnium ex æquo Pater vocari. Hæc Chryſoſt. Illud autem aliud, quod apud Matthæum habetur, est; (qui es in cælis) postum est aliis de causis, primo quidem ad indicandam hæreditatem, quam ex hac filiatione à Patre Deo speramus; ea autem non est terrena, sed cælestis & æterna; filiorum enim est hæreditas. Rom. 8. Quod si filij, inquit, & hæredes: hanc autem qualis sit, insinuat nunc Christus, & explicat Petrus. 1. epist. c. 1. Regenerauit, inquit, nos in spem viuam in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cælis. hac igitur de causa dictum est: Qui es in cælis. Altera causa est Chryſoſtomi hom. 20. in Matth. nempe, vt orantes à terrenis cogitationibus & affectionibus abstrahat, & transferat in cælestia, iuxta illud Colos. 3. Quæ sursum sunt, querite, vbi Chri-

stus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. & illud Philip. 3. Conuersatio nostra in cælis est. verba Chryſoſtomi sunt hæc: Cum vero dicitur: In cælis, non ibi Deum hoc dicendo concludit, sed à terris abducit orantem; eumque supernis habitaculis ac regionibus affigit excelsis. Hæc ille. Tertia huius causa est, vt significet nobis, quæ sint à nobis præcipue. & ante omnia in oratione petenda, nempe quæ ad cælestem patriam conducunt, & peruenire faciunt, iuxta id, quod Mar. 6. docuit. Primum, inquit, querite regnum Dei & iustitiam eius. Origenes autem lib. 2. Periarchon. cap. 4. aliam adiunxit causam, sic scribens: Quod dicit, quia orantes oportet dicere, Pater noster, qui es in cælis; quid aliud videretur ostendere, nisi Deum in melioribus mundi, id est, creaturæ suæ partibus requirendum. Hæc ille. quæ non sic intelligenda sunt, quasi velit dicere Deum in solis cælis esse præsentem, cum vbiq; esse non neget iste doctor, sed quod ibi sit per suæ gloriæ manifestationem; ibi enim beati eo sciuntur, vnde cum ad Deum oratio dirigatur, & oculos & manus in cælos attolimus.

Sanctificetur nomen tuum.

COMMENTARIA.

HOC est primum, quod orandum & petendum docet, id autem est dilatatio, & propagatio cultus, religionis, ac venerationis Dei, omni idololatria, ac errore, falsoque cultu expulso. Sanctificare enim Dei nomen, est colere, ac venerari Deum, ipsiusque religionem amplecti, quod nemo hominum efficere potest, nisi Deus id præstet, ac propterea id ab eo petimus. conuenienter autem id primo petitur: tum quia ad primum Decalogi præceptum spectat, quodque ad Dei gloriam tendit, & hominibus ad salutem necessarium est; vbi enim non est vera religio, cultusque Dei, salus esse non potest: tum maxime, quia in Euangelio, vbi est filiorum status, & Deum habemus Patrem, nouus cultus in Christo, & per Christum, institutus est. poterat autem dicere, sanctificetur Deus, seu sanctificeris o Pater, at significantius dicitur, nomen tuum sanctificetur, quia in hoc sæculo Deum non visu, sed auditu noscimus; fides enim, quæ religionis est fundamentum, ex auditu est, idcirco dicitur, nomen tuum sanctificetur.

ANNOTATIO VI.

Chryſostomus hom. 20. in Matthæum recte pendit hanc orationis partem dignam eo, qui Deum patrem appellat, nempe nihil omnino prius quam illius gloriam petere; omnia vero reliqua secundo loco ducere, infraque laudes eius numerare. At vero ipsam petitionem varie doctores explicant. Primo loco sic interpretatur; vt sensus sit, dignare nos adeo viuere pure, vt per nos cuncti te glorificent, iuxta illud Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona glorificent Patrem vestrum, qui est in cælis. Sanctum autem Deum confiteri est glorificare: nam Isa. 5. Seraphim hac voce Deum glorificabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sic explicat Chryſostomus hanc sententiam. eodem modo exponunt Hilarius in psal. 134. & Hieronymus Matth. 6. & Gregorius Nyss. tract. de oratione. Secundo loco Augustinus epist. 121. de orando Deo, cap. 11. & 12. paulo differentius interpretatur, nam conuenit cum Chryſostomo sanctificationem hanc esse clarificationem, & glorificationem, tamen non conuenit in modo, nempe vt per bonam vitam nostram Deus glorificetur ab aliis, sed exponit absolute peti Deum clarificari apud eos, qui eum non noscunt. in cap. enim 11. sic ait: Cum dicitur sanctificetur nomen tuum, nos ipsos admonemus

desiderare, vt nomen eius, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est, vt non contemnatur, quod non Deo, sed hominibus prodest. Hæc ille cap. autem 12. hæc verba sic explicat: Qui dicit clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis, quid aliud dicit, quam sanctificetur nomen tuum? Hæc Augustinus: neutra interpretatio satisfacere videtur: nam qui petit Deum glorificari, seu clarificari, petit fidem solam; Deum enim glorificare est de Deo veram, & dignam ac conuenientem notitiam habere, quod fides est. sic Ioan. 16. Ego clarificaui te super terram, & nunc clarifica me tu Pater, id est, manifestaui quis sis, manifesta me etiam quis sim, quæ ad fidei veritatem pertinent: at in hac petitione amplius est, quod petitur, nempe nominis sanctificatio, quod ad fidem simul & religionem ac cultum pertinet; Deum enim is sanctificat, qui non solum in eum credit, vereque de eo sentit, sed etiam in cultu ac religione digna prosequitur. sanctitas enim cultus, ac religionis nomen est. Hæc comprobari possunt ex illo Ecclesiast. 36. Sicut in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis ab eis, nota distinctionem Iudeorum & gentium. Deus in Iudeis sanctificabatur, quia non solum credebatur vera fide, sed colebatur religionis cultu; gentibus autem ma-

Varie expositiones hanc petitionem.

gnificandus dicitur per opera admiranda, quæ videbant eum patrare; propterea enim eum timebant, ac magnificabant. iuxta illud Exod. 15. Magnificatus est in nobis, equum, & ascensorem proiecit in mare, id est, propter insignia facta, quæ pro nobis fecit, magnum, ac potentissimum se declarauit Aegyptiis, talis que reputatus est. Hæc dicta sunt in confirmationem expositionis in commentario posita, quæ ab ea, quæ est Chryſostomi, & Augustini, aliquanto est differentior.

Tertio loco Tertullianus tract. de oratione, exponit, vt absolute petatur Deum in nobis sanctificari, quod idem est, quod sanctos homines facere, ac sanctitatem pro omnibus petere.

Adueniat regnum tuum.

COMMENTARIA.

HOC est secundum, quod in oratione petere docemur, quod Patris appellatio ni quadrat: nam cum filij sumus Dei, & sub Patris appellatione eum inuocamus, hæreditatem filiorum petimus, quæ est regnum cælestis, & gloria illa sempiterna, in qua filij adoptionis regnabunt cum Deo sine fine, dicente Paulo Roman. 8. Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. & 2. Timo. 2. Si sustinebimus & conregnabimus, præterea cum patrem habeamus Deum, ipsius faciem desideramus. hoc enim filiorum est, nempe desiderium manendi cum Patre, dicente Paulo Rom. 8. Intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes, & Philip. 7. Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. merito autem in hoc Euangelico statu petitur regnum cælestis; eius enim ianua per Christum aperta est, vt qui à peccatis omnino purgati sint siue in hoc sæculo, siue in purgatorio, statim in regnum cælorum admittantur: illis autem, qui sub veteri testamento concludebantur quantumuis iustis, ac purgatis, vsque ad Christi aduentum ianua hæc clausa erat, detinebanturque in limbo donec Christus veniens post mortem liberauit eos, & regni participes effecit.

ANNOTATIO VII.

Gregorius Nyssenus lib. de oratione. apud Lucam loco huius (adueniat regnum tuum) quod Matthæus refert, legit sic: Adueniat sanctus Spiritus tuus super nos, & purificet nos. quam lectionem nec Latina, nec Græca nostra exemplaria habent, nec apud aliquem alium doctorem reperi, cum omnes legant, Adueniat regnum tuum. Quod autem sit regnum hoc, duæ inueniuntur explicationes. vna est de regno spirituali, quo regnat Deus in hominibus, qui eius volûtati, ac præceptis obsequuntur; id enim est Deum regnare, & dominari in homine; qui suis vero obtemperant appetitibus, Dei postposita voluntate, ac mandato, in iis peccatû, & dæmon regnant, ac dominantur, de quo regno, ac dominio dicit Paulus Rom. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. & c. 5. Sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam. de Hoc regno Dei dicitur Rom. 4. Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. petimus hoc regnum aduenire, id est, vt homines Dei voluntati obediant, eius præcepta ac mandata seruent, abnegatis propriis concupiscentijs, & dæmonum suggestionibus. hanc expositionem amplexus est Hieronymus lib. 3. aduersus Pelagianos, vbi in comprobationem adducit locum Pauli allegatum: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. consensit etiam in eandem expositionem Euthymius Math. 6. quamuis etiam probet eam, quæ modo recitabitur. Altera ergo explicatio est de regno cælesti, quod expectamus, quando de uicta morte, ablati omnibus peccatis, expulsi omni miseria, & corruptione iusti Deo fruuntur corpo-

Quarto loco Cyprianus in tract. de oratione Dominica, diuersam adfert interpretationem, quæ talis est, sanctificetur nomen tuum, id est, sanctificatio, quam in baptismo accepimus, per quam à peccatis abluti, iustificati, & sanctificati sumus, conseruetur in nobis, ac in eo quod esse cœpimus perseueremus: opus, inquit, nobis est quotidiana sanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Hæc interpretatio, sicut & ea, quæ est Tertulliani, non videtur satis accommodata; qui enim sic petit, non tam videtur immediate petere sanctificationem nominis Dei, quam propriam sanctificationem, licet hæc tendat in Dei nominis honorem, ac sanctificationem.

Quod sit regnum, quod sit petimus vt adueniat, in orac. Dom.

ribus reasumptis in cælo in vitam æternâ; hoc regnû est, quod Christus petere nos vult quotidie, quod Paulus Rom. 8. vna cum iustis cum gemitu desiderabat: Intra nos, inquit, gemimus, adoptionem filiorum expectantes redemptionem corporis nostri. Hæc est expositio cõmunis Patrum, quam amplectitur Chryſostomus homil. 20. in Matthæum, & homil. 44 in Ioan. Gregorius Nyss. lib. de oratione. Tertullianus tract. de oratione. Cyprianus in eodem tractatu, & Augustinus Epist. 121. cap. 12. addens hanc eandem petitionem fuisse Dauid dicentis Psal. 79. Domine virtutum conuertere nos, ostende faciem tuam, & salui erimus, eadem est expositio Hieronymi Matth. 6. & reuera hæc est multo accommodatior, quam prior: nam hæc non distinguitur à petitione sequenti (sicut voluntas tua) quæ regnum spirituale continet. si igitur distinguenda hæc sunt, oportet de cælesti futuro regno interpretari hanc, Adueniat regnum tuum. Addit Cyprianus post hanc expositionem quandam aliam, quæ re non differt à secunda, nimirum vt Christus sit regnum hoc, & petere regnum Dei aduenire, idem est ac petere Christi aduentum posteriorem, quando iudicare venturus est, & iustis reddere præmium. At vero secunda expositio propriorem locutionem habet; & eundem sensum, idcirco ea est amplectenda, & vult autem sapienter Christus nos petere quotidie aduentum huius regni, vt sic viuere semper studeamus, vt digni simus eo regno, atque vt continua memoria eius postponere nos faciat terrestria, quippe qui continuo petimus cælestia, quæ non sequemur, nisi illis posthabitis.

ANNOTATIO VIII.

Pætermisit Lucas, quod apud Matthæum est: fiat voluntas tua, unde nec habetur in antiquis exemplaribus etiam Græcis, nec legitur à Bedæ, aliisque doctoribus, nec habetur in emendatis vulgatis, nos vero interpretabimur, inquit igitur, fiat voluntas tua. Petito regno iubet nos petere id, sine quo regnum adipisci non valeamus, id autem est voluntatem Dei facere mandatis eius omnibus obtemperando, nam Matth. 19. dicitur: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, quod quidem à Deo petimus, quia ea sine auxilio eius implere non possumus. dictum est Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. merito autem Patris appellatione conuenit eius voluntatem implere; hoc enim est filiorum, nec filius Dei quisquam aliter erit; dicit enim Christus Mar. 3. Qui fecerit voluntatem Dei, hic meus frater est; si igitur frater Christi non est, nisi qui facit Dei voluntatem, nec erit Dei filius; Christus autem frater noster, ac Dominus hoc idem fecit, qui Ioan. 6. dixit: Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. multo ergo magis id facere debemus, qui filii, & serui sumus. Voluntas hoc loco non pro potentia seu facultate, sed pro re ipsa, in quam voluntas tendit, accipitur, nempe fiat, quod tu vis, seu quæ nos facere vis. Tertullianus tract. de oratione prius legit (fiat voluntas tua) posteriori autem (adueniat regnum tuum) huic vero lectioni nulla fauent exemplaria tam Græca, quam Latina, nescio quo fundamento eam sit secutus lectionem. posset in eius aliquam defensionem ea adduci ratio, quia prius est facere voluntatem Dei, quam adipisci eius regnum: huic tamen facile respondetur, prius quidem id esse in executione, tamen posteriori in intentione, sicut de fine, & medius ad finem dici solet: prius enim volumus sanari, posteriori ea exhibere, quæ conducunt ad sanitatem, quamuis prius sit adhibere media, quam sanitatem recuperare, ita prius intendimus, & appetimus re-

ANNOTATIO VIII.

Dei voluntas
semper fit, &
quomodo, pro
explicatione
illius particu-
laris, sicut in cæ-
lo, & in terra.

A pud Matthæum etiam adiecit Dominus (sicut in cælo, & in terra) id est, fiat, quod tu vis, in terra, sicut quod tu vis, fit in cælo, in cuius declaratione aduerte semper fieri Dei voluntatem; nisi enim Deus vellet, nihil fieri posset tam bonorum, quam malorum, tamen non eodem modo; quædam enim vult Deus permittendo fieri, qualia sunt peccata; hæc enim nisi Deus permitteret fieri, nunquam fierent: quædam vero vult volendo, & complacendo in eis, qualia sunt reliqua præter peccata, omnia tamen à diuina pendent voluntate, semperque diuina impletur voluntas & in cælo, & in terra. Differentia autem est, quod in cælo, quia nullum ibi peccatum committitur, fit voluntas Dei beneplaciti, & quæ ibi sunt à Sanctis, semper Deo placent, at in terra cum multa peccata fiant, non semper fit quod Deo placet, sed impletur voluntas eius permissiua, perpetranturque ea, quæ sunt contra voluntatem Dei complacentiæ: petimus ergo ut fiat voluntas Dei in terra, sicut fit in cælo, ut scilicet homines conformes sint in omnibus diuinæ voluntati, ac mandatis, quæ ex ipsa procedunt, nihilque admittant, quod Deo displiceat, sed fit pax & gratia cum Deo, sicut est in cælestibus. Merito autem hoc petitur, ut notat Chrysostomus homil. 20. in Matthæum, ubi sic inquit: Cum desiderium imperauerit futurorum, (nempe adueniat regnum tuum) atque ad peregrinationem illam nos iusserit semper contendere: quaudiu tamen illuc non pergamus, etiam hic degentes iubet conuersationem cum

gnum, & postea adhibere volumus media, licet ordine executionis media præcedunt. Christus ergo præmisit, quod prius est in intentione, quasi finis, postea media adipiscendi illud: in explicatione autem huius sententiæ concordantes sunt sacri Doctores. Est autem aduertendum petitionem hanc, qua petimus fieri voluntatem Dei, id est, ut nos faciamus, quæ Deus vult, nostraque voluntas sit subdita diuinæ voluntati, esse iustiorum, ac meliorem & utiliore, quam si absolute peteremus, ut fieret quod nos volumus, iustius, inquam, illud est; cum enim serui, filij, creaturæ simus, omnis iustitia postulat, ut voluntas nostra conformetur, & subdatur voluntati Patris, Domini, & creatoris, ut faciamus, quod ipse vult. non autem ut ipse faciat, quod nos volumus, nec ipsi quod volumus. melius etiam id est, quoniam cum nostra voluntas sæpius per se in malum vertatur, si fieret quod volumus, in infinita peccata nos laberemur, & à recto & vero recederemus tam per malitiam, quam per ignorantiam: at voluntas Dei semper est recta. Si ergo voluntas nostra ei conformabitur, semper erit recta & bona, unde qui petit diuinam voluntatem fieri, id est, ut nos velimus & faciamus, quod Deus vult, petit omnium peccatorum expulsionem & omnium virtutum inductionem, ut Chrysost. hom. 20. in Matth. & Cyprianus lib. de oratione docuerunt. Id etiam est vtilius nobis, quia sæpissime volumus, quæ nobis maximo sunt nocuendo, sæpe ignoramus quæ profectura sunt nobis, unde voluntas nostra cæca, & periculosa frequenter est, si sibi relinquatur: at Deus omnia scit & nos amat, plusquam nos ipsi nos: erunt ergo vtilissima nobis, quæ Deus nos vult velle, & facere. Nostra igitur voluntas iuste, optime, vtilissime subditur diuinæ, & regulatur & dirigitur per eam, ut non quod nos volumus fiat, sed quod ipse nos facere & velle vult, idcirco docet nos Christus petere, fiat voluntas tua.

cæli habitatoribus habere communem; nam desiderare quidem cælos conuenit, & ea quæ habentur in cælis, tamen antequam superna illa præstetur habitatio, cælum quodammodo facere iussit terram, ut scilicet tales sint, etiam dum in ea degunt, in diuitis, & & factis, quasi qui conuerterentur in cælo. Denique pro hoc etiam esse Dominum deprecandum. Nihil est enim quod propter terrenarum rerum habitaculum ad supernarum virtutum perfectionem homines prohibeat peruenire; est quippe possibile, ut in terrarum adhuc regione degens, quasi iam in cælis habitet, ita cuncta perficiat, quod igitur dicit, hoc tale est, sicut omnia ita fiunt: libere, & non in his quidem obtemperant Angeli in aliis immorigeri sunt, sed voluntati cedunt diuinæ, & in omnibus obsequuntur: Sic nos effice dignos, qui non ex dimidio, sed prorsus ex integro ea, quæ in tua sunt voluntate, faciamus. Hæc Chrysostomus, cuius vltima verba de Angelorum similitudine habet etiam Hieron. Matth. 6. similiter Augustinus epi. 121. c. 2. Hæc, quæ diximus, non sic intelligas, quasi in omnibus possit esse conformitas: nam in terra sine venialibus peccatis non viuunt, quæ præter diuinam voluntatem sunt, nec ei placent. sunt etiam multæ aliæ imperfectiones; tamen quoad obseruantiam diuinorum præceptorum, quæ Deus nos vult implere omnino, potest esse aliqua similitudo, ut plene & sine diminutione faciant homines, quæ vult Deus, ipsomet auxiliante. Tertullianus tract. de oratione, dupliciter hæc interpretatur, vno modo ut idem sit, fiat voluntas

voluntas tua sicut in cælo, & in terra, ac dicere, in nobis; nos enim figurate propter spiritum & carnem dicimur cælum & terra. Legit enim Tertullianus, fiat voluntas tua in cælo & in terra. altero modo ut

fit hic sensus, fiat voluntas tua in terra, ut sic possit fieri in cælo, id est, ut obediamus in terra, ut salui esse possimus, & ad cælos perducatur. at prior expositio accommodatior est; legitur enim particula sicut,

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

COMMENTARIA.

Cura ac desiderio regni cælestis præposito; hoc enim ante omnia desiderandum, & petendum est, fragilitati carnis condescendens, iubet victum corporis necessarium petere: Panem inquit, id est, cibum & victum: nostrum quidem, quia Pater, & qui in cælo sunt, non eo vtuntur, sed nos, qui in terra sumus: quotidianum autem, quia singulis diebus eo indigemus. Nunc ergo panem da nobis; non enim tantum ad te pertinet dare regnum cæleste, sed etiam terrenum cibum, & sustentationem, & à te hæc quærenda & petenda sunt. temperantia & modestia commendatur, dum panis solius ad victum nostrum fit mentio, non quod solo pane vtendum sit, nec quod is solus petatur.

ANNOTATIO X.

Quis sit panis hic, & cur quotidianus dicatur, inquirunt doctores, nec in iis concordant. Quod ad primum spectat, communis sententia patrum est, panem hoc significari victum hominis seu cibum, ad vitam corporis necessarium. in hac sententia sunt Chrysostomus, hom. 20. in Matthæum. Gregorius Nyssen. tract. de orat. Basil. interrog. breu. resp. 252. Tertullianus tract. de orat. Cyprianus eod. tract. Hieronymus, Matth. 6. Augustinus, epi. 121. cap. 2. allegas illud prou. 30. Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed victui meo tantum tribue necessaria, affirmatque hoc idem peti, quando dicimus, panem nostrum da nobis. Solet autem Scriptura nomine panis non solum panem, sed & alios simul cibos significare, quibus ad vitam conseruandam vti solemus quotidie. Gen. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Exod. 16. Vocate eum, ut comedat panem. Mar. 3. Ita ut non possent manducare panem. his in locis & aliis multis pro cibo positus est. Sicque Cyprianus, Gregorius Nyssenus, Hieronymus, & Augustinus interpretati sunt panem, nempe pro victu, quod factum est ad commendandam fragilitatem, ut notant Gregorius & Chrysostomus, & quia is est cibus communissimus, & fere homini necessarius, ac ciborum fundamentum. Huic communi expositioni adhæsimus in commentario, eumque sensum literalem esse existimauimus.

Patres vero alias duas adducunt interpretationes, quas in medium proferam. Primo loco Athanasius

ANNOTATIO XI.

Posteriori loco inuestigandum est, quid sit illud: Quotidianum, quod Græce δηνήσιον dicitur, cuius varias interpretationes Hieronymus Matth. 6. refert. Primo inquit, Septuaginta interpretes, quod nos dicimus δηνήσιον, vertere δηνήσιον; hoc enim nomine solent interpretari illud Hebræum vocabulum סגולה segula, quod vulgatus vertit peculium, seu peculiare, sic dicitur Exod. 19. Eritis mihi in peculium de cunctis populis. Deuter. 14. Ut sitis ei in populum peculiarem. Septuaginta vertunt δηνήσιον, quod idem significat, quod opulentum, seu Peculiare, nam δηνήσιον, idem est quod Latine, supellex, seu opulencia, aut abundantia. refert etiam Hieronymus idem Hebræum nomen à Symmacho aliquando verti peculiare, aliquando ἐξέπερον, id est, præcipuum seu egregium. Erit igitur panis quotidianus, id est, panis peculiaris, seu panis egregius, quem Hieronymus interpretatur Christum, qui panis dicitur, ut in præcedenti annotatione retulimus.

lib. de incarnatione Christi, hunc panem interpretatur Spiritum sanctum, quem panem petimus nobis dari, & cuius primitias nunc in hoc sæculo accipimus in Eucharistia, in qua caro Christi viuificans sumitur. Secundo loco Cyprianus, & Tertullianus locis citatis, & Augustinus epi. 121. cap. 2. Christum ipsum interpretantur, qui in Eucharistia sub speciebus panis accipitur; dicitur enim Ioan. 6. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. ponderat autem Cyprianus illud, nostrum, quasi proprius sit hominibus cibus, sicut enim dicitur: Pater noster, quia credentium pater est; sic panis noster, quia in Sacramento nobis datur. Augustinus Eucharistiam appellat Sacramentum fidelium. Hieronymus Matth. 6. tres has refert sententias, seu interpretationes non citatis auctoribus, ut panis significet Christum in Eucharistia, aut eum, qui super omnes creaturas est, nempe Spiritum sanctum, ut dicit Athanasius, aut victum corporis necessarium, nec vllam harum respuit. Nos vero communem secuti sumus interpretationem tanquam literalem, cæteras autem spirituales reputamus; nec est, quod illud, nostrum, nos deturbet ab ea interpretatione, nam panis noster dicitur ad differentiam eorum, qui sunt in cælo, qui non hoc pane vtuntur, aut etiam quia panis, hominum cibus proprius est; non enim propter alia animalia panis est confectus, sed propter solum hominem.

Secundo loco Hieronymus refert aliam interpretationem: ex Euangelio Matthæi Hebræo, ubi habetur מהר mehar, id est, crastinus seu futurus; petimus ergo panem crastinum seu futurum, quam interpretationem secutus est Athanasius lib. de incarnatione Christi, qui panem interpretatus est Spiritum sanctum, ut in annotatione præcedenti diximus, quo pane in futuro frui speramus, & vocabulum Græcum δηνήσιον, etiā significat idē quod crastinum.

Tertio loco idem Hieronymus interpretatur ex propria opinione δηνήσιον, id est, super substantialem, ut panis hic dicatur, super substantialis, quia super omnes substantias & creaturas fit, cui sit Christus, seu sanctus Spiritus. Hæc ex Hieronymo habentur.

Quarto loco Euthymius Matth. 7. interpretatur sicut Hieronymus super substantialem, non tamen eodem sensu, quasi super substantias omnes sit, sed quod sit ad nostram substantiam & vitam conseruandam necessarius.

Quinto loco Chryostomus hom. 20. in Matth. quem etiam Euthymius allegat, interpretatur, quotidianum. nam & Græca vox id etiam significat, quam interpretationem vulgatus secutus est, similiter Cyprianus tract. de oratione & Tertullianus eodem tract. & August. epist. 121. cap. 2. dicitur autem quotidianus, quia quotidie cibo & pane corpus reficitur.

Sexto loco Basilius interrog. breu. resp. 252 duas significationes complexus est, nempe quotidianum & substantialem, quia panis ad vitæ & substantiæ su-

stantiationem quotidie necessarius est. Hæc sunt, quæ doctores sensere; ex nominis enim Græci varia & multiplici significatione varias & multiplices secuti sunt interpretationes; quidam enim vertunt panem peculiarem, quidam egregium, quidam futurum, quidam crastinum, quidam substantialem, quidam quotidianum; varie etiam panem hunc interpretantes, ut explicatum est, ex quibus omnibus nos communem complexi sumus interpretationem.

Hodie.

COMMENTARIA.

Iubet Christus panem hunc non pro toto vitæ tempore, sed pro præsentis die petere, quippe qui de vitæ tempore futuro nihil certi habeamus; diaria enim est vita nostra, & solum præsens certum est. intendit etiam per hoc inducere nos ad frequentem orationem, & accessum ad Patrem, ut saltem necessitas cibi petendi impellat nos ut recurramus, & mentes ac affectus nostros ad eum frequenter conuertamus. Adde hoc ipso Patris beneficia distinctius agnoscimus, singulis diebus ea repetentes, & ad agendas gratias debitas magis disponimur; & excitamur.

ANNOTATIO XII.

Hodie aduerbium quomodo in oratione Dom. exponendum.

Augustinus epist. 121. cap. 11. hoc aduerbium non pro die, sed pro tempore interpretatur, quasi dictum esset, hoc tempore, nempe huius sæculi. At vero contraria est cæterorum Patrum interpretatio, qui pro præsentis die intelligunt, & causam explicant. Gregorius enim Nyssenus tract. de oratione, & Chryostomus hom. 20. in Mathæum, addunt id dictum esse ad significandum vitæ huius incertitudinem, cuius nihil est certum, nisi præsens. adiungit Chryostomus aliam huius causam, nempe, ut accincti simus ad cælestia quærenda, & de cibo hoc non aliud quæramus, quam necessarium. Hoc autem est pro præsentis. Cyprianus autem tract. de oratione notat Christum noluisse in longum tem-

pus petere cibum, sed pro præsentis die, pulchramque adducit causam, & subtilem: nam cum petamus regni cælestis aduentum, non debemus cibos huius sæculi in longum desiderare aut petere, sed pro tempore præsentis, Hieronymus id etiam affirmat, adiungens causam aliam, quæ etiam est Cypriani & Tertulliani nempe ad remouendam à Sanctis suis curam & sollicitudinem futuri temporis, iuxta id, quod postea Dominus dixit: Nolite, inquit, solliciti esse in crastinum; crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua. Huic doctorum communi interpretationi in commentario ad hæcimus, aliquas explicantes huius rei causas, quarum prima ex allegatis Patribus sumpta est.

Et dimitte nobis debita nostra.

COMMENTARIA.

Quia etiam post gratiam susceptam peccare in hoc sæculo contingit, & non est iustus, qui non peccet, iubet remissionem peccatorum à Deo petere; ipsius enim est peccata dimittere, cui per peccatum debitores efficiamur; cum enim peccata sint offensa Dei, & ipsi per ea fiat iniuria, ad ipsum tamquam ad creditorem spectat peccata dimittere, idcirco veniam & remissionem ab eo petere iubet nobis Christus. quæ petitio ad peccatorum humilem confessionem inducit: nam qui veniam petit, se peccasse fatetur humiliter, simul etiam commendat gratiæ diuinæ magnitudinem, quæ post tanta beneficia recepta, quibus Deum patrem habemus, peccantibus veniam promittat; qui enim petere iubet, tacite dare, quod petitur, pollicetur.

ANNOTATIO XIII.

Cur petitio hæc petitioni victus corporis postposita est.

Nonnullæ dubitationes occurrunt erga postam sententiam. Prima est, cur Christus præposuit petitionem victus corporis petitioni remissionis peccatorum, cum prius sint petenda spiritualia, quam temporalia, & quæ ad animam, potius quam quæ ad corpus spectant, cum dictum sit ab ipso Domino: Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, cætera autem adiciunt vobis. Respondeo, Dominum prius locutum esse de statu filiorum Dei, in quo clamamus, & vocamus Patrem Deum, & in quem ipse gratia sua per baptismum collata nos restituit, & in hoc sanctificari petimus Dei nomen, regnum eius aduenire rogamus, & voluntati ipsius nostram conformamus, & post hæc quæ cor-

poris sunt, petimus: at quia post hæc peccamus, & à gratia cadimus, aut non secundum eam operamur, ab eoque statu declinamus, iubet nos petere ea, quæ tali statui competunt, sicut qui de sano homine loquitur, ea docet, quæ statui sanitatis conueniunt, postea vero quæ ad infirmitatem, si à sanitate cadere contingat. Sic nunc fecit Christus. post baptismum ergo peccantibus penitentia Sacramentum medicina est, unde secunda tabula post naufragium dicitur, & est.

Secunda dubitatio est, quid per debita intelligendum sit. Facilis autem est responsio ex Cypriano lib. de oratione, peccata dici debita, nec est in hoc vlla controuersia, cum doctores in eo sint concordēs: at vero

Per debita, quæ dimitti petimus, quid intelligendum.

vero tur debita dicantur, explicatione indiget. Scindum igitur est, peccatum dici debitum ab effectu, quia inducit debitum, facitque hominem debitorem; qui enim peccauit, Deum offendit, iniuriaque afficit, & inde debitor satisfaciendi remanet pro commissa culpa, quam satisfactionem nisi Christus pro nobis iua morte ac passione Deo Patri obtulisset, semper homo debitor permansisset ac inde reus pœnæ æternæ perseuerasset. cum ergo debita dimitti petimus, peccata deleri & auferri à nobis rogamus, gratis quidem & sine pretio respectu nostri, non tamen respectu Christi, qui pretium pro nobis soluit peccatorum. Merito autem peccata vocauit debita, ut significaret quantum peccata noceant peccantibus, qui debitores fiunt satisfaciendi Deo, & obnoxij pœnæ, nisi remissionem & veniam assequantur ab eo, quem peccantes offendunt. Tertullianus lib. de oratione, peccatum putat figurate dici debitum. Debitum, inquit, in Scripturis delicti figura est, quod perinde iudicio debeatur, & ab eo exigatur, nec euadat iustitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi seruo Dominus debitum remisit. Hæc ille. accommodate id dicitur, sed accommodatius dictum est: nam peccatum proprie debitum est, ut diximus: habet autem similitudinem cum debito inter nos.

Quæ peccata petimus dimitti.

Tertia dubitatio est, quæ peccata intelligantur in hac sententia, ad quod respondendum est generaliter peccata omnia significari tam mortalia quam venialia, sicque Patres vniuersaliter hanc sententiam interpretantur, & verba Saluatoris sequentia id ipsum probant: Sicut, inquit, nos dimittimus debitoribus nostris, at nos dimittere debemus proximis grauiora & leuia, igitur id ipsum petimus Deum. confirmat etiam idem parabola Matth. 18. Omne inquit debitum dimisi tibi, quia rogasti me; at ex eadem parabola constat debitum fuisse decem millium talentorum, quod profecto peccato mortali confertur, ut sciamus non tantum venialia, quæ leuia dicuntur, petenda dimitti, sed etiam mortalia ac grauiora in tan-

ta enim summa etiam quadrans comprehenditur, per quod modicum peccatum intelligitur, ut notat Tertul. tract. de oratione. Hinc est hanc petitionem generalem esse omnibus fidelibus adultis, tam iustis, quam peccatoribus, cum neino viuat sine peccato aliquo. quod multis locis Augustinus probat. ex quibus illum proferam lib. 3. de peccat. meri. & remis. cap. 13. Quisquis, inquit, hanc orationem, dimitte nobis debita nostra, cuiuslibet etiam homini sancto, & Dei voluntatem scienti atque facienti præter vnum Sanctum Sanctorum dicit in hac vita necessariam non fuisse, multum errat: nec potest omnino illi ipsi placere, quem laudat, si autem se ipsum talem putat, ipse se decipit, & veritas in eo non est. 1. Ioan. 1. non ob aliud, nisi quia falsum putat. Hæc Augustinus, nec ex iis Augustini verbis existimes voluisse eum affirmare Virginem matrem vllum tale habuisse peccatum, nam lib. de nat. & gratia cap. 36. ipse palam profitetur se, cum de peccatis agit, nullum de Virgine Matre propter reuerentiam filij, se velle habere sermonem, quod iam Cœcilium Tridentinum tamquam dogma fidei habendum decreuit, declarans Beatam Virginem nullum toto vitæ tempore actuale habuisse peccatum, non ex gratia ordinaria, sed ex singulari priuilegio. nec propter hæc existimes Beatam Virginem non fuisse in hoc seculo usam hac Dominica oratione; via enim est, non quidem in hac parte pro se, sed pro corpore fidelium; petitiones enim hæc sunt communes, uti verba declarant, in quibus generaliter pro omnibus fidelibus petimus, & pro se si quis etiam indiget, cum sit de corpore. Aduerte postremo ex Chryostomo hom. 20. in Mat. duo vnum est, hac sententia aperte concludi post baptismum dari in Ecclesia peccatorum remissionem; alterum est, ex quo primum dictum colligitur, hanc orationem esse fidelium, qui iam per baptismum Deum appellant Patrem, hi post baptismum peccantes veniam petunt, Christo obedientes: Dimitte nobis debita nostra.

Beata Virgo Maria, nisi nullum habuit actuale peccatum, hac oratione vsa est, Dimitte nobis, &c.

Siquidem, & nos dimittimus omni debenti nobis.

COMMENTARIA.

Voluit Dominus hanc petitionem dimissionis debitorum quadam lege coarctare, ut nempe nos dimittamus etiam nostris debitoribus, non vni, aut alteri, sed omnibus, si qui fuerint, significans non solum se non aliter daturum veniam, nec condonaturum nobis, nisi nos pariter condonauerimus nostris; sed etiam nec debere nos accedere ad petendum, nisi condonatione facta, ut dicere possimus, dimitte tu Pater nobis, quia iam dimisimus nos aliis. Magnum profecto lucrum in hoc cambio nobis accedit, qui cum modica sint, quæ dimittimus, maximorum debitorum accipiamus dimissionem. quod parabola illa Matth. 18. indicauit, ubi ille Regi decem millia debebat talenta, ipsi vero à conseruo centum debebantur denarij; quantum enim decem millia talenta excedunt centum denarios, tantum debita nostra erga Deum superant omnia, quæ ab hominibus debentur nobis, & multo plus, positus enim est numerus finitus pro infinito.

ANNOTATIO XIV.

Apud Mathæum legitur: Sicut & nos dimittimus, apud Lucam vero: Quia & nos dimittimus, si quidem & nos dimittimus, omnia eundem habent sensum, nempe causalem, quasi causam impetrandæ veniæ iubeat nos Christus adferre ac proponere. Voluit enim clementissimus Deus non prius dimittere debitoribus, quod etiam expressit, quando Matth. 6. præcepit nos relinquere, iunus ante altare, & prius reconciliari, & postea offerre. Nouit enim

ingenium hominis, qui si prius obtineret pro se veniam, quam dimitteret fratri, lentus esset dimittendo, aut propositum mutaret. Gregorius Nyssen. in lib. de oratione, ponderat tria. vnum est diuina bonitas, qua vult quodammodo se facere imitorem nostri; perinde enim videtur dicere, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus, quasi imitare nos, fac sicut nos fecimus, dimisimus nos, dimitte tu. Alterum est diuina liberalitas, quæ nos enim dimittimus,

His verbis, si quidem nos dimittimus, &c. Bonitas, liberalitas, & æquitas diuina manifestatur.

minima sunt; at quæ dimitti nobis petimus, maxima, quod in commentario notauimus. Tertium est diuina æquitas; si enim nobis clementem Deum ac misericordem petimus, omni profecto iure & nos debemus tales nos exhibere; qualis enim esset amentia, & iniquitas, ut homo diceret Deo, Dimitte mihi debenti, ego autem nolo dimittere meo debitori? Quod eo maxime comprobatur, quia ingentia debita nobis petimus condonari, modicissima autem sunt, quæ nobis dehentur. quæ autem sint hæc debita, & quomodo dimittenda, & quando, explicauimus supra c. 6.

Et ne nos inducas in tentationem.

COMMENTARIA.

Commissorum venia posita, iubet nos Dominus petere à futuris præseruationem, nempe ne deinceps in peccata incidamus: Ne nos, inquit, inducas in tentationem, id est, ne nos patiaris inimico tentanti, & ad peccandum prouocanti consentire. non petimus, ne tentemur, sed ne tentationi succumbamus; tentatione enim probamur, exercemur, certamus, proficimus, ac perficimur; succumbentes autem & consentientes peccamus, vincimur, & ruimus. Admonemur hac petitione infirmitatis, & imbecillitatis nostræ, qua tentationi resistere nostra virtute non possumus, nisi ope & auxilio diuino suffulti: instruimur etiam aduersarium tentantem, nihil in nos facere, nec proficere posse, nisi Deo permittente, idcirco petimus ab eo, ne nos in tentationem inducat.

ANNOTATIO XV.

Sententiæ propositæ multiplici Patrum expofitio.

Multipliciter ista sententia à Patribus explicatur; in primis enim Gregorius Nyssen. per tentationem, ipsum diabolum interpretatur, qui inter alia nomina hoc etiam fortitus est, ut tentatio dicatur, ab effectu scilicet eo, quo homines tentat & ad peccandum inducit. At vero ceteri fere doctores, non ipsum aduersarium, sed actionem, qua inducit ad malum, tentationem intelligunt; Diabolus enim tentare potius dicitur, quam tentatio. res ea, per quam tentat, & inducit ad malum, aut actio ipsa, proprie tentatio dicitur. Non autem omnis tentatio à diabolo est; sicut enim non hic solus, sed etiam caro & mundus nobis aduersantur, ita etiam non solus ille tentat, sed caro etiam & mundus. vnde Iacob. 1. dicitur: Vnusquisque cum tentatur, à propria concupiscentia tentatur. quia vero diabolus per concupiscentiam, & carnem, & per mundum frequentissime nos tentat, idcirco ipse tentator præcipue dicitur, vnde Cyprianus, & Chrysostrus de tentatione à diabolo facta interpretantur hanc sententiam, idque probabilis est, quia ipse est, qui fortius tentat: potest autem generaliter de quacunque tentatione intelligi, cuius non semper diabolus auctor est.

His suppositis doctores varie exponunt sententiam hanc. Primo loco Chrysostrus hom. 20. in Mattheum sic explicat, Ne nos inducas in tentationem, id est, ne patiaris nos à nobis ipsis induci in tentationem, insiliendo in eam, & ipsam prouocando; tentatio enim si ingeratur nobis, fortiter est ferenda, non tamen debemus immittre nos in eam. verba ipsius sunt hæc: Docet quidem nos non recusare certamina, nec tamen in ea audacius insilire. Hoc enim modo & nostra clarior erit victoria, & clades diabolo maiore risu prosequenda: nam protractos in medium viriliter stare oportet, ac fortiter; non prouocatos vero quiescere, & tempus expectare certaminis, ut nos ostendamus vacuos amore gloriæ, & plenos virtute constantiæ. Hæc ille. Eadem expositio videtur Basilij in moral. reg. 62. cap. 2. Quæ quidem doctrina vera est, non tamen accommodatur petitionis huius verbis; potius enim passionem indicant, quam

annot. 70. & 71. vbi retulimus sententiam Augustini in Enchirid. ad Laurentium cap. 73. qui hanc sententiam sic intelligendam censet: Dimitte nobis tentationibus veniam, sicut & nos dimittimus ex corde nostris debitoribus petentibus, quasi Dominus voluerit nos dimittere debitoribus, quando petierint veniam, non autem non petentibus. at vero absque limitatione tali hæc verba esse intelligenda aliis locis Scripturæ ostensum est, quibus absolute Dominus præcipit dimittendum esse, ut in loco allegato dictum est.

actionem. minus etiam ad rem facit, cum petitio sit eius, quod in plurimum accidit; rari enim sunt, rarissimeque euenit, ut homo tentationem aggrediat, frequentissimum autem est pati tentationem, & nobis eam inferri potius, quam nos in eam inferre.

Secundo loco Gregorius lib. 3. moral. cap. 3. aliter interpretatur, nempe: Ne nos inducas in tentationem, id est, ne permittas nos tentari ultra id, quod possumus, iuxta illud Pauli 1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Verba Gregorij sunt hæc: Neque enim in tentationem Dominus inducit, qui semper à tentatione subditos misericorditer protegit, sed tamen in tentationem quasi eius inducere, est à tentationis nos illecebra non munire. Et tunc nos in tentationis laqueos non inducit, cum tentari nos ultra quam possumus, non permittit. Hæc Gregorius, quæ expositio nimis est restricta; quamuis enim verum sit Deum non permittre nos tentari supra id, quo possumus, idque sit beneficium petitione dignum, tamen plus est quod petimus, & quo indigemus; multi enim sunt qui tentati non supra, sed infra id quod possunt, succumbunt tentationi, vincunturque ab eo, quem vincere possent; vix enim est, qui destituatur auxilio diuino, quo posset tentationem superare; multi tamen succumbunt tentationi: nam non omnes agunt, nec faciunt, quod possent, petendumque est à Deo, ut non solum præsto sit dando id, quo possemus vincere, sed impediendo id, quo de facto vinceremus, si occurreret, similiter præstando id, quo non solum possumus vincere tentatione occurrente, sed etiam id, quo vincamus, cum longe distincta sint posse vincere, & vincere, sæpeque separentur, & distinguantur.

Tertio loco Hilarius can. 32. in Mattheum hanc petitionem interpretatur iuxta illam sententiam Matthei 26. Orate ne intretis in tentationem, & vtrunque in hanc sensum explicat, orandum esse ne tentemur; infirmitatem enim nostram sciens Dominus, præcipit orandum, ne tentatio veniat, ut præ fragilitate nostra non succumbamus. Druthmarus Matthei 6. eodem modo interpretatur, sed

sed limitatius & verius, nempe ne in tentationem incidamus, quæ sit futura nociua animæ, vel corpori.

Hæc expositio non videtur accommodata propterea, quæ dicemus annotatione sequenti, idcirco amplectenda est expositio communis, quæ quarto loco ponitur, nempe, ne nos inducas in tentationem, id est, ne nos sinas, nec permittas succumbere tentationi, nec vinci ab ea, sed da victoriam contra insurgentes tentationes inimicorum. Non est autem intelligendum Deum inducere aliquem in tentationem, quasi ipse tentet ad malum, sed inducere dicitur, quoniam permittit eam tentationem insurgere, cui succumbemus; nec dat id auxilium, quo non solum possumus vincere, sed etiam vincamus. ista est expositio Tertulliani, & Cypriani, & Gregorij Nysseni in lib. de oratione. vnde Tertullianus expresse

ANNOTATIO XVI.

In maiorem declarationem eiusdem petitionis, difficultas occurrit, an petendum sit à Deo, ne in vllam tentationem incidamus, nempe ne vlla nobis tentatio accidat. Basilus in reg. breu. respon. 221. tenet id esse petendum; inquit enim sic: Cum Dominus doceat orandum esse, ne intremus in tentationem, numquid orandum nobis est, ut ne in dolores corporis incidamus, & si is inciderit, quomodo in his gerere se debet? respondet: Tentationum Dominus discrimen nullum adhibuit, sed in vniuersum præcipiens dixit, Orate ne intretis in tentationem. Qui autem iam inductus sit, huic à Domino petendus exitus talis est, quem possit sustinere, ut illud compleatur in nobis: Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Hæc ille. & in mora. reg. 62. cap. 2. iterum dicit, petendum esse à Deo, ne incidamus in tentationem, & in probationem allegat idem testimonium Lucae 22. Orate ne intretis in tentationem. Hilarius etiam can. 32. in Mattheum in eundem sensum interpretatur, non solum sententiam Matthei, Orate ne intretis in tentationem, sed etiam hanc: Ne nos inducas in tentationem, nimirum, ut orandum sit, ne nobis veniat tentatio.

Pro huius solutione sunt nonnulla dicenda. Primo licet aliqua negotia, & opera aggredi, etiam si sciamus inde nobis tentationem incutiendam. hoc satis patet illo, Eccles. 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. hinc est quod iusti incubant operibus bonis, etiam si sciant, se persequutionem passuros: persecutio autem tentatio est, multa autem licet facere, licet inde præuideantur impedimenta, & obstacula, quæ tentationes sunt, nec hoc est se ingerere & immittre in tentationem, sed quando id fit, quod omittendum erat, nempe malum aliquod, aut indiferens opus, quam doctrinam docte tradit Origen tract. 11. in Mattheum, docens aliquando obuiandum periculis, & occurrendum tentationibus, aliquando cauendum, idque ibi probat exemplis Christi, & Apostoli.

Secundo non licet ea opera facere eo animo, ut tentatio insurgat; hæc enim est præsumptio quædam, & se ingerere in tentationes.

Tertio, licet aliquando petere à Deo, ut aliquam à nobis tentationem auferat, aut ne proueniat, concedat, quando nempe cognoscimus aut dubitamus, ne nobis nocuum inerat, aut à maiori impediatur bono. hoc fecit Paulus, quando 1. Cor. 11. sibi stimulum carnis auferri rogauit.

ANNOTATIO XVII.

Expositio petitionis vltimæ orationis Domini prætermittit à Luca, videlicet, Sed libera nos à malo.

Apud Mattheum legitur vltima petitio, quæ non habetur apud Lucam, nempe, Sed libera nos à malo. Cuius sensus petitionem præcedentem auget, quasi diceremus: Non solum à Pater petimus, ne per-

dicat, Ne nos patiaris induci in tentationem ab eo, qui tentat. eandem interpretationem sequitur Augustinus, generaliter de quacunque tentatione interpretans hanc sententiam in epist. 121. cap. 11. verba ipsius sunt: Cum dicimus: Ne nos inferas in tentationem, nos admonemus hoc petere, ne deserti eius adiutorio, alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. quibus verbis Augustinus meminit Basilus in hom. in dictum Lucae (Destruam horrea mea) nempe quæ sit per aduersa, & quæ sit per prospera mundi; vtroque enim modo tentamur. & cap. 12. sequenti sic ait, qui dicit: Aufer à me concupiscentias ventris, & desiderium concubitus, ne apprehendat me, quid aliud dicit, quam, Ne nos inferas in tentationem?

Quarto non est rogandus Deus, ut omnem impediat tentationem generaliter loquendo. neutrumque est petendum, nec ut tentemur, neque ne tentemur, quia illud est temeritatis & præsumptionis, hoc formidinis, & pusillanimitatis, quasi certamen refugiamus. vnde in præcedenti annotatione reiecit interpretationem Druthmari interpretantis, Ne nos inducas in tentationem, id est, ne permittas incidere in tentationem, quæ nociua futura est corpori, vel animæ. esset quidem hæc petitio bona, sic limitata, tamen cum verba Christi non habeant limitationem vllam, dicendum est alium esse sensum illius, Ne nos inducas, ut illic diximus. Locus autem Lucae & Matthei allegatus à Basilio, accommodatius exponitur à Hieronymo Matth. 26. qui ea verba interpretans dicit sic: Non ait, orate, ne tentemini, sed ne intretis in tentationem, id est, ne tentatio vos superet, & vincat, & vos intra castes teneat. Martyr, qui pro confessione Domini sanguinem fudit, tentatus quidem est, sed tentationis retribus non ligatur; qui autem negat, in tentationis plagas incurrit. Hæc ille. vbi & doctrinam datam confirmat, & intelligentiam iuxta eam adhibet, eumque esse sensum contextus indicat: nam dixerat Dominus: Ecce Satanas concupiuit cribare vos, & omnes vos scandalum patiemini in me: non igitur præcipit rogare ne tententur: nam prædixerat tentationem. monet ergo orare ne tentationi succumbant, ab eaque superentur, quod est intrare in tentationem. Chrysostrus autem hom. 13. in Mattheum, & sermo 30. in epist. ad Rom. interpretatur, orate, ne intretis in tentationem, id est, ne vos insiliatis in tentationem, & eam aggrediamini. vterque sensus ab eo, qui est Basilij, diuersus est, tamen accommodatior est is, quem Hieronymus adhibet, qui sensus fuit Origenis tract. 35. in Mattheum. vbi duarum expositionum facit mentionem, nempe eius, quæ est Basilij, & Hilarij, & eius, quæ est Hieronymi, hæcque amplectitur. Orate, inquit, ne intretis in tentationem. hoc secundum quod multi intelligunt, tale est, ac si dicat, orate ut non tentemini, si autem placuerit Deo, acquiescite Deo, sicut me audistis orantem. considera autem si possibile est magis sic intelligere, quoniam vita nostra ipsa tentatio est secundum Iob. Intrare autem aut venire in tentationem, est cadere in tentationem, & vinci ab ea. Hæc Origenes, eundemque sensum secutus est Tertullianus lib. de baptismo in fine.

so, & reiecto. Hæc petitio non completur perfecte in hoc sæculo, in quo data est potestas inimicis in sanctos: at in futuro omnis inimicus excluditur, ibi nullus aduersarius erit, nullum malum, nulla tentatio, nihil quod dolorem incuriat. hanc optamus & rogamus liberationem. Tunc implebitur illud Apocalyp. 20. Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia, & pseudo-prophetæ cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. Adiungitur particula Amen, quæ est aduerbium affirmationis, quasi vere & fideliter, quo significatur veritas & certitudo diuinæ promissionis, nempe nos exaudiendos à Patre, si petierimus vt oportet. Hic mihi videtur sensus huius petitionis.

Gregorius autem Nyssen. & Chrysostomus malum in hoc loco interpretantur diabolum, qui nos ad mala perpretanda prouocat, & nobis malum inferre studet. immo Gregorius putat eandem esse petitionem cum præcedente, nempe vt non inducamur in tentationem, sed potius ab ea liberemur, tamque tentatio, quam malum, vt ipse putat, pro diabolo accipitur. Cyprianus autem non pro diabolo, sed pro omni malo, quod contra nos ille molitur, interpretatur, quasi petamus opem contra omnia aduersa, quæ diabolus excitat. Secundum igitur hos Patres petitio hæc in hoc sæculo completur. idem dicit Augustinus epist. 121 cap. 11. & 12. qui generali-

ter de omni malo & inimico interpretatur. verba ipsius sunt: Cum dicimus, libera nos à malo, admonemur cogitare nondum nos esse in eo bono, ubi nullum patiemur malum. & paulo inferius: Qui dicit, erue me de inimicis meis Deus, & ab insurgentibus in me libera me, quid aliud dicit, quam libera nos à malo? Hi omnes Patres de hoc sæculo interpretantur petitionem. quæ sententia est probabilis, mihi tamen videtur accommodatior ea, quæ posita est in commentario: nam illa comprehenditur in præcedenti sententia; omne enim malum tentatio est, in quam non induci petimus: at hæc petitio auget petitionem, vt etiam ab omni tentante liberemur, cunctis inimicis expulsis. Potest autem malum diabolum significare, quia ipse omnes alios aduersarios excitat, ac mundo & carne contra nos vitur, & quando ab eo liberabimur, omnis inimicus, & aduersarius cessabit. Græce est *πονηρός*, cum articulo, quasi ille malignus, qui in se malus est, & alios ad malum trahit, & malum eis inferre conatur. quo vocabulo vsus est Ioannes 1. epist. c. 5. Mundus, inquit, totus in maligno positus est, significans diaboli potestatem, quam multipliciter exercet contra omnes in hoc mundo. Hic eicietur foras, nec locus ei erit in celo, ubi iusti, & sancti regnabunt in sæcula, & in æternum, & cum eo eiecto omnia aduersaria tollentur.

ANNOTATIO XVIII.

Locus Pauli Rom. 8. Quid oremus, sicut oportet, nescimus, explicatur.
Augustinus epist. 121. cap. 14. quæstionem proponit conferens hanc Dominicam orationem cum verbis Pauli Rom. 8. quid oremus, sicut oportet, nescimus. cum autem Paulus non ignorauerit hanc Domini instructionem in petendo, nec mentiat, quomodo dicere vere potuit, Nescimus, quid oremus, sicut oportet? Respondet verba Pauli intelligenda de huius sæculi tribulationibus, à quibus sæpe liberari petimus, cumque sæpe in nostram vtilitatem cedant, sit, vt nesciamus, quid petamus; petimus enim arbitantes liberationem vti-

lem esse, & re vera non est. Exemplum ex ipso Paulo adfert 1 Corinth. 11. qui ter rogabat stimulum carnis sibi auferri, & tamen audiuit à Domino; virtus in infirmitate perficitur; quo ostenditur nesciuisse, quid peteret: expediebat namque stimulum non auferri ab eo. Frequenter hoc accidit hominibus etiam sanctis, vt in his, quæ ex se nec bona sunt, nec mala respectu spiritus, petant, quæ re vera non expediunt, ea expedire existimantes: sicq; nulla est repugnantia inter verbum Christi, & Apostoli.

Et ait ad illos.

COMMENTARIA.

Tradita forma orandi, duabus parabolis dat duo documenta maximi momenti in oratione ante oculos habenda, & obseruanda. vnum est, vt non si continuo non assequamur, quæ petimus, ab orando desistamus, sed perseueremus, & sæpius repetamus orationem instantius; non enim promittitur nobis exauditio semper, si semel petamus. Alterum est, non dari nobis, quæ petimus aliquando, quia non sunt nobis vtilia: hoc autem non est non exaudiri, immo tunc maxime exaudimur, si petentes noxia, quæ arbitramur vtilia, nobis negentur. Hæc duo Christus sapientissime duabus parabolis sequentibus explicat, & hæc sunt, quæ post formam orandi datam, ait ad illos.

Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi:

Amice, commoda mihi tres panes.

COMMENTARIA.

Incipit prior parabola, cuius scopus præcipuus est docere, vt diligenti animo orationi insistamus, neue si forte prima oratione exauditi non sumus, ab orando recedamus; fiet enim vt perseuerantes, & quidem maiore contentione, quæ petimus, impetremus: sicut homo hic, qui intempestiuo noctis tempore ab amico dari sibi mutuo panes rogauit, quod semel non obtinuit, demum insistendo magis consecutus est. Sapienter autem hic homo eum à quo petit, appellat amicum, quod nomen non solum est epithetum, sed etiam impetrandi augmentum; amicorum enim est in necessitatibus mutuo se iuuare. Magna autem in verbo, amici, diuinæ dignationis ostensio, & dandi quod petitur, nobis certitudo indicatur; amicus enim noster Deus dici, & esse voluit.

ANNO-

ANNOTATIO XIX.

Parabolæ scopus propostus sanctorum auctoritate probatur.

Quod ad litteram spectat, verbum commodandi, quamuis proprie ad ea, quæ vsu non consumuntur, referatur, tamen aliquando iis etiam, quæ consumuntur vsu, & mutuo dari dicuntur, applicatur, sicque Plautus semel atque iterum locutus legitur. Scopum autem parabolæ eam esse, quem diximus, affirmat Titus Bostrenus in commentario, ubi sicut inquit: Hæc per modum parabolæ proponuntur, ne ignauo negligentiq; animo precatiōni insistamus, ne si prima forte oratione fusa auditi non fuimus, secundam statim, tamquam quæ nullum nobis operæpretium adferre queat, auersemur, insulse aliquid istiusmodi animo pertractantes; en sæpenumero iam accessi, lachrymatus sum, obtestatus sum, nihil haecenus consecutus sum, non ita ratiocinari decet. Hæc

ille. Basilius autem regul. breu. respon. 261. magis expressit scopum parabolæ, ubi sic inquit, si non audiamur, intelligendum est, opus esse perseuerantia, aut contentione maiore, quemadmodum admonemur ex ea parabola Domini, per quam docemur semper oportere orare, & non defatigari, & quemadmodum alio in loco dictum est ab ipso eodem Domino, cum ait, propter improbitatem eius tamen surget, & dabit quotquot habet necessarios. Hæc ille. in quibus verbis docet, per parabolam hanc non solum perseuerantiam significari, sed etiam quadam contentione, & maiori seruire repetitam, sicut homo hic, qui primo petit verbo, non exauditus autem verbo, & pulsatione institit, de qua re dicemus paulo inferius.

Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.

COMMENTARIA.

Prosequitur parabolam. artificiose autem hic homo impetrare conatur; simul enim se excusat, quod importunus sit media nocte accedens, & impetrando argumenta multiplicat: Amicus, inquit, meus, hoc est vnum argumentum, quo se excusat, & impetrare confidit, amicus, inquit, quasi diceret, ne videar tibi importunus, quia pro amico meo facio: præterea, cum sit amicus meus, ad te etiam, qui simul amicus meus es, eius cura pertinet. Secundum est: Venit de via, quasi etiam diceret, excusandus est, quod media nocte accedat; viæ enim necessitas hoc effecit. præterea, tanto magis subuenire oportet, quia itineris labore fessus venit. Tertium est, non habeo, quod ponam ante illum, hoc etiam argumentum excusationis est, cum media sit nox, nec habeam quicquam domi, nec aliunde conquirere valeam, cogor ad te venire. Similiter etiam argumentum est impetrandi, nimirum vniuersæ necessitas amici; nec enim ego habeo, nec ille. Monemur huius hominis in orando studio, Deo accedere maxima & diligenti consideratione nostræ propriæ fragilitatis ac miseræ, & quantum ipso indigeamus; nemo enim perfecte agnoscit beneficium collatum, nec gratias, vt debet, agit, nisi qui nouit suam indigentiam, & hic multum ad impetrandum dispositus est.

ANNOTATIO XX.

Oratio perseuerans, & perpetua orandi opportunitas, tum etiam hospitalitas in homine istius parabolæ elucet.

Ambrosius in præsentem notat non solum perseuerantem in hoc homine orationem, sed etiam perpetuam orandi opportunitatem significari: media enim nocte vsus est oratione: verba ipsius sunt: Alius præcepti locus est, vt omnibus momentis non solum diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur; vides enim quod iste, qui media nocte perrexit, tres panes

ab amico suo postulans, & in ipsa petendi intentione persistens, non defraudatur orati. Hæc ille. Commendanda etiam mihi videtur huius hominis hospitalitatis charitas, qui media nocte venientem ad se amicum non solum excepit, sed etiam eius causa, tam sapienter, instanti, ac diligenter alterum amicum vsque ad importunitatem requisit.

Et ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.

COMMENTARIA.

Avdians amicus studiosam petitionem, dat ei repulsam, & ne amici officio deesse ac repellere irrationabiliter videatur, causam explicat; ea autem est molestia, quam pati oportebat in commodando: noli inquit hanc molestiam exhibere mihi; nam ostium iam est clausum. & pueri mei, id est, paruuli, & filioli mecum sunt in cubili, idcirco non possum surgere, vt dem tibi, nisi filiolos expergeficiam, & perturbem, quod valde molestum est.

ANNOTATIO XXI.

Illud (pueri) Græce *μυδια*, diminutiuum est, scilicet pueruli, quod nomen, & filiis, & famu-

lis, seu seruis, accommodatur, mihi magis placet pro filiis vsurpatū esse, quos secum in lecto cubare dicit, vt excuset

excuset se à surgendo, ne puerulorum quiete perturberet, posset etiã accipi pro seruis, seu famulis, quos se-
ctum dicit esse in cubili, non quidem in vno lecto, sed in vno cubiculo & conclau. Græca enim vox utramque recipit significationem. huic autem tecun-

da expositioni consensit Augustinus ser. 29. de verb. Domini, vbi seruos interpretatur, at probabilior vi-
sa est prior, quæ efficacior, & iustior reddit excusandi se causam. cui expositioni Titus Bostren. vi-
detur fauere, & aperte adhæsit Euthymius.

Et si ille perseverauerit pulsans.

COMMENTARIA.

Prosequitur parabolam, Audita igitur repulsione amici, adhuc homo perseverat, non tantum voce, vt prius, sed pulsando ad ianuam, vt si non precibus, saltem pulsationis molestia ad surgendum excitetur. Prudenter autem homo hic licet importune, vocibus addidit pulsationem, excusabat enim se amicus à surgendo, ne expergefaceret pueros ac perturbaret, ille autem tollens excusationis argumen-
tum, fores pulsat, vt strepitu expergefaciãt ac perturbet, eoq; magis amicus compellatur surgere. Non ergo desistit à pctendo ob repulsam amici, sed maiori conatu continuauit petitionem, vnde factum est, vt sit exauditus.

Dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

COMMENTARIA.

Concludit parabolam: Dico, inquit, vobis, quod si cupiam vestrum hæc acciderent, quod surgeret, & daret, & quod non fecit ob amicitiam, faceret ob improbitatem illius, id est, assiduam & molestam petitionem; & non solum daret, quod petiit, scilicet tres panes, sed etiam quotquot habebat necessarios, ne forte si tres tantum daret, iterum ille molestiam ei exhiberet. Hic est scopus parabolæ, nimirum docere, assidue & instanter petitionem continuandam: quæ assiduitas tanti fructus est, vt maiora, quam petit, obtineat,

ANNOTATIO XXII.

Improbitas quid hoc loco significet.

Improbitas Græce ἀναιδέα, quæ Latine dicitur impudentia, hoc autem in hoc loco significat assiduam, ac constantem in oratione ac petitione perseverantiam, vt notat Titus Bostrenus, & Euthymius, quam quidam importunitatem vertunt, quæ est effectus impudentiæ; qui enim postposito pudore petit, importunus esse solet: accommodatius autem interpres noster appellauit improbitatem, quam vocem amplexus est Augustinus ser. 29. de verb. Dom. & ser. 171. de tempore; qui enim vrget & non cessat, dicitur improbus, vnde illud est Poetæ: Labor improbus omnia vincit, quæ improbitas non solum assiduitatem, sed quandam habet admixtam afflictionem; labor enim improbus est, qui assiduus est & affligens, ac improba petitio quæ assidua, & quasi tædio afficit eum, à quo petimus, vt sic impellatur ad dandum. Quæ improbitas etiam effectus est impudentiæ, quæ non semper est vitium. Vt enim pudor aliquando vitiosus, aliquando studiosus est, sic & impudentia. Quo significat Dominus nos non statim ab oratione cessare debere, sed instanter, & assiduo perseverare, vt impetremus. Est autem vnum hic

iudicio meo consideratione dignum, quod Dominus etiam docere nos intendit, nimirum oratione hac assidua non solum iustos, & amicos, sed etiam peccatores à Deo impetrare; inquit enim: Si non quia amicus est, propter improbitatem tamen dabit, quasi diceret, licet amicus non esset, exauditus esset assiduitate & improbitate petitionis; exaudit enim Deus etiam peccatores, qui licet in peccato sint, ad eum tamē conuertuntur voluntate peccandi abiecta. Præterea non solum hæc improbitas obinet, quæ petatur, sed adhuc maiora, nam & hic dicitur, quod surget & dabit non tres tantum, sed & quotquot habet necessarios, quod etiam nobiscum Deus agit, qui abundantiora quam petamus, & desideremus, confert, si petamus vt oportet, & maxime si iustus est qui petit, iuxta illud Iacobi 5. Multum valet deprecatio iusti assidua, atque hæc est vna causa, cur Deus rogari ac peti voluerit, vt nimirum petitio ipsa maiora nobis accumularet beneficia. De aliis etiam huius rei causis copiose egimus in commentariis in Ioannem cap. 16.

ANNOTATIO XXIII.

Patrum dicta aliquot circa hanc parabolam.

Reste notat Ambrosius ex hoc colligi diligentes Deum exaudiri, etiam petentes pro aliis: Si diliges inquit Dominum Deum tuum, non solum tibi, sed etiam aliis poteris emereri. Hæc ille. Titus Bostrenus conatur hanc parabolam Anagogice interpretari, ac tres hos panes ad fidem Trinitatis, & petentem ad Angelos refert, aliaq; huiusmodi adducit, quæ difficile accomodantur, vt notat Euthymius nomine tacito. Augustinus etiam ser. 29 de ver. Dom. & ser. 171. de tempore, & lib. 2. quæst. Euag. c. 21. tres hos panes Trinitatis consubstantialitatem significare as-

firmat, multaq; moralia explicat recte, & vtiliter, sicut & Ambrosius, quæ ibi vnusquisque legere poterit. ad sensum autem literalem hoc solum spectat, nimirum assiduam & constantem orationem multum valere, adeo vt & peccatores impetrent, sãtq; etiam plus, quam petant, vt per hæc intelligamus, non si statim orauerimus, nec impetrauerimus, ab oratione esse cessandum. Ne autem omnia prætermittamus quæ Augustinus dicit, illud tantum referam, quod lib. 2. quæst. Euang. c. 21. dicit, non quidem omnia, sed particulam quandam. Amicus, inquit, ad quem

quem venit media nocte, vt accommodet tres panes, vtique ad similitudinem ponitur, secundum quam quis Deum rogat, in media tribulatione constitutus, vt ei tribuat intelligentiam Trinitatis, qua præsentis vitæ consoletur labores, sed comparatio est à minore: si enim amicus homo surgit à lecto, & dat, non amicitia, sed tædio compulsus, quanto

magis Deus dat, qui sine tædio largissime donat, quod petitur. Hæc Augustinus. Notandum autem est in his vltimis eius verbis, non videri argumentum à minore, sed vt supra diximus, significatur hoc, scilicet Deum etiam peccatoribus dare sic petentibus, & non tantum iustis, & amicis.

Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.

COMMENTARIA.

Exponit parabolæ significationem, Ego, inquit, dico vobis, petite, & dabitur vobis, quod petitur. quod si non datur petentibus, non desistatis, sed quærite maiori studio, & diligentia adhibitis; hoc enim est quærite, & quod negatum erat, inuenietis, id est, post studium, & diligentiam præstitam in oratione, obtinebitis. Quod si adhuc non obtinueritis, quia difficile est, quod petitur, vel alia causa dilatatum, non deficiatis, sed pulsate, id est, constanti instantia, & vehementi, quasi importuni petite; aperietur enim vobis, & quod toties negatum erat, quasi intra portas clausum, consequemini velut ianuis apertis, & aditu factò, sicut factum est ab amico cum homine isto, qui pullanti & importune petenti concessit surgens, & aperiens ianuam etiam intempestiuo tempore.

ANNOTATIO XXIV.

Qua ratione orandum.

Matthæus cap. 7. hanc eandem sententiam refert dictam tantum à Domino ipsis Apostolis, quam nunc repetit aliis etiam Discipulis dictã, vt Lucas narrat. Quantũ autem ad sententiæ explanationem Chrysostronus homil. 24. in Matthæum sic explicat, inquit enim; Petere præcepit, eisque daturum sponndit, nec tamen obiter postulare iussit, sed cum sedulitate multa & magna intentione, hoc enim est quod ait, quærite: Siquidem ille, qui quærit aliquid, cuncta alia è mente proiciens, vni illi intentus est, quod quærit, ac præsentium rerum nihil considerat. Ab eo vero, quod dixit, pulsate: cum vehementia, & mente seruida accedere significauit. Hæc Chrysostronus. Druthmarus autem; Math. 7. sic interpretatur, petite animo, quærite verbis: pulsate operibus, rursus: Petite verbo, quærite operibus bonis, pulsate perseverantia, rursus petite fide, quærite spe, pulsate charitate. Hæc ille. Mihi magis placet expositio Chrysostroni, vt hæc tria non differant, quod vnum verbis, aliud operibus, aliud animo fiat, sed quod primum indicet simplicem petitionem, siue animo solo, siue verbis fiat. secundum autem augeat, nempe maiori studio, & attentione fiat oratio. tertium autem vehementi fiat constantia, ac perseverantia, vt faciunt hi, qui ab hominibus importune petunt. Huius orationis habemus exemplum in Moyse. de quo Exo. 32. dicitur. Orabat Moyse, dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populum, quem eduxisti de terra Ægy-

pti in fortitudine magna & manu robusta? ne quæso dicant Ægyptij, Callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat iræ tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. recordare Abraham, & Isaac, & Israel, seruorum tuorum, quibus iurasti per teipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cæli: & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. Hæc Moyse. Qui pulsauit, & quasi importune orauit, & ideo apertum est ei, nam statim dicitur: Placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum. iterum eadem oratione vsus est Moyse ibidem, quando aucter illa protulit verba: Obsecro peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Hæc etiam oratione vsa est Magdalena Luc. 7. ob quam audiuit à Domino; Remittuntur tibi peccata tua. de qua Gregorius hom. 33. in Euang. scribit dicens: Noluit moderari, quid faceret; super conuiuantes ingressa est; non iussa venit; inter epulas lachrymas obrulit. Discite, quo dolore ardet, quæ flere etiam inter epulas non erubescit. Sic Chananaea, sic cæcus iuxta viam petierunt & obtinuerunt, multa passim & in Scripturis, & apud sanctos huius orationis importunæ, & quasi impudentis exempla reperiuntur.

Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.

COMMENTARIA.

Ad petendum, quærendum, & pulsandum excitat, exposita causa, cur petere, & quærite, & pulsare debeamus, nempe ob fructum petitionis, inquisitionis, & pulsationis; nam qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. cum igitur certi simus de assecutione, excitari ad hæc præstanda debemus.

ANNOTATIO XXV.

Quomodo omnis qui petit, accipit.

Opponet quispiam, si omnis, qui petit accipit, non est cur quærendũ & pulsandum sit; sufficit enim petere. Hoc autem dici non potest; nã & homo hic in parabola petit, & tamen nisi quæsiuisset, & pulsasset, vtique non accepisset panes. non igitur omnis, qui petit accipit. Mihi videtur respondendum, hæc tria in-

uicem colligata esse in hunc sensum, qui petit, accipit, quod si petitione simplici nondum accipit, quærat; quod si adhuc non assequitur, pulset: certissime autem obtinebit, si hæc præstiterit: distincta autem, & separata sunt hæc, quia Deus aliquando petentes exaudit, etiam si non quærant, aliquando quærentes

zentes, etiam si non pulsant; aliquando expectat usque ad pulsationem.

Explicatio Tertulliani contra hereticos hoc loco abstrahit.

Aduertendum est Tertullianum lib. de praescript. aduersus haereses, aliter hanc sententiam interpretari; refert enim haereticos ea abuti ad indaganda noua dogmata, praeter ea, quae in Euangelio, & ab Apostolis tradita sunt, quasi semper quaerere, & pulsare debeamus; Catholicos etiam abuti ad curiositatem ineundam; ipse vero Tertullianus sic intelligendam censet, nempe dictam Iudaeis solis antequam Petrus Christum filium Dei esse pronuntiaret, vt hac sententia illi monerentur inquirere de Christi veritate, & pulsare ianuam Scripturarum, Legis, & Prophetarum, vt veram agnitionem assequi possent, eundemque putat huius sententiae esse sensum cum illa Ioan. 5. Scrutamini Scripturas. nobis autem iam fide manifestata aliter haec sententia conuenit, qui alia non debemus inquirere, quam quae fide iam nobis sunt notificata. alia adfert Tertullianus in hunc sensum. At vero ex iis, quae & in commentario, & in annotatione dicta sunt, constat haec verba non ad inquisitionem intellectus, sed ad conatum voluntatis referri debere, vt petamus magna intentione, & constantia, vt dictum est: idque contextus manifesto indicat, Chrysostomusque, ceterique Doctores sunt interpretati.

Quis autem ex vobis Patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petieris ouum: numquid porriget illi scorpionem?

COMMENTARIA.

Post primum documentum, nempe non si statim, quod petimus, non obtinemus, ab oratione, & precibus cessandum, sed perseuerandum esse quaerendo, & pulsando; adhibet secundum documentum in oratione obseruandum, nempe Deum non dare petentibus, quae petunt, quando illi putant se bona petere, ac conuenientia, & re vera non sunt; saepe enim ignorant homines, quae petunt, arbitantes petita sibi conducere; Deus autem, qui nihil ignorat, tamquam verus, & clementissimus Pater, ea non dat, quae si sciissent, qui petunt, ea non peterent. haec autem sunt triplicis generis, nempe inutilia, nocua, & mala, puta peccata, & illicita. quando ergo aliquid petimus Patrem, existimantes bonum nobis, & tamen aut inutile, aut noxium, aut malum est, non dat Deus, quia patris est consulere filiis, & ignorantias eorum emendare. Hoc documentum tribus explicat exemplis. Quis est, inquit, qui petat patrem panem, & dat illi lapidem pro pane? quis est, qui petat piscem, & ille dat serpentem? quis est, qui petat ouum, & ille dat scorpionem? profecto nullus pater sic se gerit erga filios: nec ergo Deus, quem patrem oramus, per lapides inutilia, per serpentes noxia, per scorpionem mala, & illicita significantur. docemur igitur orationem debere esse assiduam, & quasi importunam; & Deum aliquando negare petita, quia non sic petimus. rursus orationem debere esse vtilium, & bonorum, vt exaudiamur a Deo tamquam a Patre; si enim illa non dat, quando sub specie boni, & vtilis petuntur, nempe panis, piscis, & oui, multo minus dabit, quando talia esse agnoscentes petimus.

ANNOTATIO XXVI.

Quae decet, quaeque vtilia sunt a Deo petenda.

Aduertendum est Cyprianum epist. 52. ad Antonianum, quae habetur lib. 4. ad epist. 2. affirmare, scopum huius parabolae, seu exempli eum esse, scilicet docere pietatem Patris caelestis, qui si viderit filium, a quo offensus est, conuersum, & penitentem, non irascitur contra eum, sed misericorditer suscipit, non scorpionem, non serpentem, aut lapidem porrigendo. connectit enim Cyprianus hanc parabolam, seu similitudinem cum illa de filio prodigo, eundemque scopum vtriusque tradit. At reuera contextus hic non admittit hanc explicationem; loquitur enim de qualitate, & modo orandi, ac petendi, vt assidue, & constanter petamus, & sciamus petenda vtilia, & conuenientia, non noxia, & inutilia. Rectius Chrysostomus homil. 24. in Matthaeum, scopum, ac finem horum exemplorum explicat, nempe eum esse, petenda esse, quae decet, & quae vtilia sunt, Deumque tamquam Patrem negare petita, quia talia non sunt sicut & patres apud nos negant filiis suis. non tamen Chrysostomus distinguit hos tres gradus inutilium, noxiorum, ac illicitorum, seu malorum, quae his tribus exemplis indicantur, vt in commentario exposuimus; licet apud Matthaeum duo priora tantum legantur, scilicet de pane, & lapide,

vt veram agnitionem assequi possent, eundemque putat huius sententiae esse sensum cum illa Ioan. 5. Scrutamini Scripturas. nobis autem iam fide manifestata aliter haec sententia conuenit, qui alia non debemus inquirere, quam quae fide iam nobis sunt notificata. alia adfert Tertullianus in hunc sensum. At vero ex iis, quae & in commentario, & in annotatione dicta sunt, constat haec verba non ad inquisitionem intellectus, sed ad conatum voluntatis referri debere, vt petamus magna intentione, & constantia, vt dictum est: idque contextus manifesto indicat, Chrysostomusque, ceterique Doctores sunt interpretati.

ac de pisce, & serpente. Lucas solus addidit tertium de ouo, & scorpione. Aduertendum autem est non sic dictum esse. quis est, qui si petat lapidem, serpentem aut scorpionem, det illi? quia nemo est, qui talia petat, sicut nemo est, qui petat noxia, mala, & inutilia a Deo, agnoscens esse talia, & si peteret, vituperabilis esset oratio, & vti que non exaudiretur a Patre Deo; quod si Deus concederet, aut permitteret talia, non exaudiret vt Pater, sed potius puniret, vt iudex. His ergo exemplis intendit Dominus docere, homines saepe petere, quae vtilia putant, bona ac conuenientia, etiam oratione laudabili, (excusantur enim ignorantia) petita vero talia non sunt, qualia existimantur, quae Deus cum Pater sit, non dat, cum nec qui petit, talia petere, aut obtinere intendat, neque hoc est non exaudire rogantes, immo maxime exaudiuntur, si eorum intentio consideratur: non enim vellent obtinere noxia, mala, & inutilia, immo vt diximus, talia petentibus dare, non exaudire, sed punire est. Hanc doctrinam extendimus & exemplis confirmauimus in commentariis in Ioannem cap. 16. Anno. 31. idcirco nunc hac breuitate contenti sumus, quae ad explicationem praesentis sententiae sufficere censuimus.

ANNOTATIO XXVII.

Quid Dominus significauerit his tribus exemplis propositis.

Debitatio occurrit, quid Dominus his tribus exemplis significauerit. ad quam respondet Augustinus lib. 2. quaest. Euang. cap. 22. & Epist. 121. ad Probam. cap. 8. nempe pane charitatem significari, cui opponitur cordis durities per lapidem significata: pisce vero fidem. vt enim piscis aquarum vndis non retinetur, sic fides fluctibus huius saeculi non frangitur; cui opponitur serpens, significans fallaciam, quam primo homini male suadendo praeseminavit. Ouo autem significauit spem; ouum enim nondum est factus perfectus, sed fouendo speratur, cui opponitur scorpio, cuius aculeus venenatus retro timendus est, quod contrarium est spei, quae respicit ea, quae ante, non quae retro sunt. Sensus igitur est. Deus petentibus charitatem, fidem, & spem, non dat duritiam cordis, fallaciam, & ea, quae contraria sunt spei. Hec ex Augustino. Quae non videntur scopo harum similitudinum respondere, qui vt ante diximus, est, Deum non semper petita concedere, eo quod quae petuntur, conuenientia non sunt, etiam si talia petentibus videantur, quod de charitate, fide, ac spe dici non potest. Idcirco aliter dubitationem soluendam duximus. quae enim petimus, bona sunt: bonorum autem quaedam honesta, quaedam vtilia, quaedam delectabilia sunt, il-

la nempe honesta pane significantur: vt enim panis bonus est solidus, & quotidianus, sic honestis vti potioribus, & solidioribus continuo pasci debemus. Vtilia autem significantur pisce, qui obsonium potius est, non ad victus necessitatem, sed ad quandam vtilitatem pertinens. Ouo autem delectabilia indicantur, cibis enim delectabilis, & communis etiam pauperibus est: Christus enim exempla posuit eorum quae ad victum moderatum spectant. Haec tria bona petitione digna sunt, & tam in spiritualibus, quam in temporalibus reperiuntur. opposuit autem Dominus his tribus, panem, piscem, ouum, lapidem, serpentem, scorpionem, non solum quia his tribus significantur tria mala opposita, inhonesta, inutilia, & noxia: sed etiam, quia istae locutiones sunt prouerbiales. Existimo enim sicut apud Latinos, & Graecos sunt prouerbia haec, nempe (Altera manu fert lapidem, altera panem ostentat) & (pro Perca scorpionum) est enim perca genus quoddam piscis: ita apud Hebraeos fuisse haec tria, quae Saluator proponit, quibus significat, filijs petentibus bona non solere patres reddere mala & contraria ijs, quae petantur. vnde concludit, multo minus Deum id facere cum ijs, qui eum petunt, vt oportet.

Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?

COMMENTARIA.

Ex similitudinibus positis infert, & concludit per locum a minori. Si igitur, inquit, vos, qui mali estis, id est, soliti, & inclinati alii malum inferre, nostis, id est, consueuistis filiis vestris data, & munera bona dare, quanto magis Pater vester de caelo, id est, qui de caelo est, seu caelestis, scilicet non malus, sed bonus, benignus, & beneficus (in caelo enim nihil malum est) dabit spiritum bonum, id est, bona spiritualia, ac caelestia iis, qui petunt ab eo? argumentum a minori est, nempe si ij, quibus minus inest bona dare, dant, potius dabit is, cui magis inest. Spiritum bonum appellat bona vera, & spiritualia, quae non inutilia, noxia, aut inconuenientia sunt, sed necessaria, vtilissima, & salutifera, quae Matthaeus bona simpliciter vocauit. quod si dat maiora, dabit & minora, quae sunt temporalia.

ANNOTATIO XXVIII.

Varia lectio nes superioris sententiae.

Deus dicitur esse Pater in caelo, & de caelo.

Quod ad litteram spectat, Ambr. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 5. testatur apud Lucam legi, Pater vester de caelo dabit. sicque legunt aliquot exemplaria Latina, eamque lectionem recepit editio praesens emendata. in multis vero exemplaribus Graecis, quae nunc sunt, legitur. Pater vester, qui est de caelo; sicque legit Euthymius, vnde aliqui vertunt, Pater vester caelestis; quaedam habent vtrumque, scilicet. Pater vester caelestis de caelo dabit. Nos autem emendata exemplaria secuti interpretati sumus (de caelo) connectentes tamen cum verbo (Pater) tum vt exemplaribus Graecis conformaretur Latina editio (in illis enim est articulus relatiuus, nempe, qui de caelo) tum quia Matthaeus in eadem sententia habet, (qui est in caelo), tum demum vt responderet illi, vos cum sitis mali, Pater autem vester bonus, vt pote de caelo. Dicitur autem Deus pater esse in caelo, & de caelo, in caelo propter praesentiam, quia ibi est, & ibi videri solet a beatis: de caelo autem propter bona caelestia & spiritualia, quae ad nos inde mittit, vnde in Litanis Ecclesiae canimus, Pater de caelis Deus miserere nobis. Dicitur autem de caelo Pater ad significandum Deum vera bona dare; in caelo enim malum nullum est, sed quod vere bonum. Adhaere rursus illud (Data) esse substantiuum nomen, ac si dicere-

mus, bona dona. Aduerte praeterea ex Ambrosio in citato loco, vbi affirmat in quibusdam exemplaribus non legi (spiritum bonum) sed (bonum datum) Augustinus vero Epist. 121. cap. 8. legit, bona. sicut apud Matthaeum cap. 8. legimus (bona) absque alio substantiuo adiuncto. Communis tamen lectio, quam ipse Ambrosius magis sequi videtur, habet (spiritum bonum) & interpretatur Spiritum sanctum ipsum, qui dicitur dari ratione donorum, & gratiarum, quae sunt ipsius effectus: ac accommodatius intelligemus spiritum hic appellari dona ipsa, & gratias Spiritus sancti, sic enim Lucas cum Matthaeo conueniet, qui non spiritum, sed bona in plurali numero dixit. Quamuis enim quae Matthaeus narrat, dicta fuerint Apollolis, & alio tempore; quae vero Lucas Discipulis postea; eadem tamen sunt.

Superest ergo explicare, cur mali dicantur homines. quando enim dicit, vos cum sitis mali, omnes homines significare voluit. Chrysostomus hom. 24. in Matthaeum, dicit homines dici malos comparatione bonitatis diuinae; & eorum amorem, malignitatem respectu dilectionis Dei, verba eius sunt: Malos dicit non vituperans humanam naturam, neque mortalium genus malum esse pronuncians, sed ad exprimentum bonitatis inter Deum & homines pergrande

Cur homines dicantur mali.

grande discrimen, amorem patrum malignitatem vocat; tanta quippe est in illo excellentia charitatis. Hæc ille. Hieronymus autem Matth. 7. eodem modo interpretatur; causam tamen in comparatione exprimit, nempe homines dici malos respectu diuinæ clementiæ, propter eorum inclinationem ad malum, sic enim inquit. Notandum quod Apostolos malos dixerit, nisi forte sub Apostolorum persona omne hominum damnatur genus, cuius, ad comparationem diuinæ clementiæ, ab infantia cor ad malum positum est. Nec mirum si homines huius sæculi dixit malos, cum & Apostolus Paulus memoret, Ephe. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Hæc ille. Aduerte autem Græce haberi nomen. *πονηρός*, quod non malum, sed malignum, id

est, qui malus est, & malum infert, significat, unde hoc vocabulum dæmoni tribui solet in Scriptura, qui per antonomasiam malignus dicitur. dicuntur autem maligni homines, quia malignitatis capaces sunt, & ad malignitatem procliuēs, & soliti iniuriam sibi iniure nocere. At Deus ab his longe abest, qui natura malignus esse non potest, sed benignus, & misericors, hinc argumentum à minori affirmatiue deducitur: Si homines tales cum sint, filiis suis peccatis bona tribuunt, non mala; quanto magis Deus Pater non bona, qualia homines dant, sed maiora, cælestia nempe & spiritualia dabit? & si dat maiora, consequens est, ut det etiam minora, qualia sunt temporalia, quibus iusti opus habent.

Et erat eiciens dæmonium.

COMMENTARIA.

TRansit Euangelista ad miraculum quoddam narrandum, quod quantum ad ordinem temporis, cum præcedentibus non habet connexionem, quod etiam significat Euangelista, dum non vitur particula aliqua tempus indicante, sed absolute sermonem continuat: immo miraculi huius historia tempore præcedit missionem Apostolorum, & eam, quæ Discipulorum fuit, cuius meminit Lucas. Erat ergo Christus eiciens dæmonium à quodam homine obsesso ab illo. Modus hic locutionis per verbum imperfectum, nempe (erat eiciens) notat Phariseos protulisse verba sequentia contra Christum tunc, quando Christus dæmonium hoc eiecit.

ANNOTATIO XXIX.

Series, & ordo
rei gestæ.

Refert hoc idem miraculum, & historiam Matthæus, sed non seruato ordine temporis cum præcedentibus: nam ut ex Marc. 3. deduci videtur, hæc gesta sunt ante missionem utramque Apostolorum, & Discipulorum ad prædicandum: Marcus autem solus ordinem temporis in hac parte seruasse videtur. nec enim semper Euangelistæ tempora obseruauerunt in narrandis Christi gestis. Aduerte autem

Matthæum cap. 9. Simile miraculum alterum referre, nempe de dæmonium habente, & muto, quem curauit Christus, sicut & hunc; tamen is non est, cuius nunc meminit Lucas, sed alter, quem etiam Matthæus cap. 12. refert, cuius causa Christus sermonem copiosum habuit, probans se non dæmonium virtute dæmonica eijcere, quem sermonem narrat Matth. cap. 12. in præsentia.

Et illud erat mutum.

COMMENTARIA.

Dicitur dæmonium mutum ab effectu, quia hominem, quem obsidebat, effecerat mutum, impedita loquendi, vocemque proferendi facultate. potest enim dæmon Deo permittente membrorum corporis, ac eorum facultatem, actiones, motus, & opera impedire. non ergo natura, sed dæmonij malitia homo iste mutus erat.

ANNOTATIO XXX.

Qualis fuerit
is, quem dæmonis malitia
mutum fecit.

Chryostomus hom. 41. in Matthæum, & Euthymius in præsentia asserunt hunc hominem naturam, sed dæmonij malitia mutum fuisse, idque Euangelista significat, dicens dæmonium fuisse mutum, quod non est, nisi quia dæmonium effecerat hominem mutum. Aduerte præterea Matthæum affirmare hunc hominem non tantum mutum, sed & cæcum fuisse. oblatum est, inquit, dæmonium habens, cæcus, & mutus. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. Chryost. hom. 41. & Titus Bostrenus in Lucam, ac Euthymius in præsentia, addunt fuisse etiam surdum, quod deduci videtur ex vocis significatione: nam *κωφός*, mutum, & surdum significat. idque videtur factum, quia qui natura muti sunt, auditu etiam carent. Huic consentit Augustinus lib. de vera, & falsa penitentia cap. 9. vtens enim hoc testimonio ad ostendendum vnum mortale peccatum non dimitti manente altero, sed simul vtrumque, inquit: Sunt plures, quos penitet peccasse, sed non omnino, reseruantes sibi quædam, in quibus delectentur: non animaduertentes, Domi-

num simul surdum, & mutum à dæmonio liberasse, per hoc docens nos numquam, nisi de omnibus sanari. Hæc ille. At non mihi videtur hoc esse adiungendum, cum Lucas vocabuli Græci ambiguitatem, & multipliciter tollat, dicens, locutus est mutus. Si enim nomen præcedens *κωφός*, pro muto, & surdo accepisset, vtique dixisset, locutus est, & audiuit. Nec oblat mutos natiuitate esse surdos: nam qui accidente aliquo muti fiunt, auditu facultate non priuantur. quod si supra diximus, Zachariam patrem Ioannis opera Angeli mutum effectum, fuisse etiam surdum, id ea ratione affirmamus, quia Scriptura insinuabat; dicitur enim, inuebant patri eius, quasi verbum non posset percipere auditu. at de hoc muto potius indicat Scriptura surdum non fuisse, vt diximus. Huic consentit Hieronymus Matth. 12. & post eum Beda. Tria, inquit, signa in vno homine perpetrata sunt, cæcus videt; mutus loquitur; possessus à dæmone liberatur. Hæc illi. Permittit autem dæmonio hæc facere exte-

rius,

rius, vt significet ea, quæ facit interius in iis, qui per peccatum se ipsos illi dedunt; procurat enim tenebras multiplices inducere in intellectum, ne videant, nec considerent mala, quæ agunt, & bona, quæ perducunt: ac voluntatem, quantum potest indurare, & retardare, ne ad Deum se affectu, quasi voce, se conuertant. sicque mutum, & cæcum facit

peccatorem. Augustinus lib. 1. quæstionum, Euang. cap. 3. hunc cæcum, & mutum significare dicit eum, qui non credit corde, nec confitetur ore, quæ duo ad salutem necessaria docet Paulus, dicens: Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem Rom. 10.

Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus.

COMMENTARIA.

AD dæmonis expulsionem mutus locutus est; iam enim impedimentum remotum erat; non enim hic homo mutus erat natura, sed extrinseco obstaculo dæmonis. muti autem locutio circumstantibus liberationis eius à dæmone manifestum fuit argumentum. Quid autem locutus sit, Euangelista non explicat: probabile tamen est fuisse verba laudis, & encomium illius, qui eum à tanto malo liberauerat.

ANNOTATIO XXXI.

An ad solam
expulsionem
dæmonis locu-
tus fuerit iste
mutus.

Matthæus, qui hominem hunc cæcum, & mutum dixerat, ab vtroque liberatum fuisse refert. Curauit, inquit, eum ita, vt loqueretur, & videret. Difficultatem autem facit, quod dicit (curauit eum ita vt loqueretur, & videret) verbum illud (curauit) videtur non ad solam expulsionem dæmonij illum hominem locutum fuisse, & vidisse, sed vltra eiectionem aliquid aliud Christum fecisse, vt loqui posset ille homo, ac videre, eo maxime, quia dicit: Curauit eum ita vt loqueretur, & videret. Respondeo primo, verbum curandi etiã extendi ad liberationem à dæmone, ita vt qui ab eius vexatione ereptus est, dicitur curatus, idque ex Matth. 4. constat, vbi sic dicitur: Obtulerunt ei omnes male habentes, varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & Lunaticos, & paralyticos, & curauit omnes. Ecce verbum curandi ad omnia antecedentia refertur, inter quæ narratur, qui erant à dæmonibus obsessi, & dicuntur curati. Respondeo secundo (quod probabilius existimo) dæmonium effecisse hominem mutum, non solum detinendo organum, & instrumenta loquendi, sed

etiam nocentem & læsionem inferendo; vtroque enim modo dæmonium facere potuit, ne homo loqueretur: posteriori modo factum esse cum hoc homine existimo: vt enim dæmonium Deo permittente nocet corporibus hominum, ac membris, ita permittitur vt læderet organa vocis, & visus hominis huius. Vnde eo eiecto remanserunt læsa, & percussa, vt non posset homo loqui ac videre, nisi Christus repararet, & refecisset, quod faucium erat, ob id Mattheus dicit, curauit eum ita, vt loqueretur, ac videret. Lucas autem cum ait: cum eiectum esset dæmonium mutum esse locutum, intelligendus est, quia simul Dominus vtrumque præstitit, & expulsionem dæmonij, & læsionem instrumentorum sanationem. Huic doctrinæ consonat, quæ supra ex Hieronymo, & Beda retulimus, nempe tria miracula in vno homine conuenisse: mutum loqui, cæcum videre, obsessam liberari. Si autem ex solo dæmonis extrinseco impedimento mutus & cæcus ille esset, vnicum tantum miraculum esset, scilicet liberatio à dæmonij obsessione.

Et admiratae sunt turbæ.

COMMENTARIA.

Simplices turbæ, quæ nullo inuidiæ, aut odij contra Christum tenebantur affectu, tam insigne, & insolitum effectum cernentes, admirantur; nondum enim eum esse Christum, filiumque Dei crediderant, ideo admiratae sunt.

ANNOTATIO XXXII.

Admiratio tan-
ti miraculi
quid in turbis
effecerit.

Matthæus magis hoc explicat, dicens, & stupabant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est filius David? admiratio tanti patris miraculi induxit turbas in suspensionem, & inquisitionem quædam, an esset Messias promissus, quem soliti erant Iudæi per quandam excellentiam appellare filium David, quia ipsi promissus, & de eius semine venturus erat, quem admiranda effecturum ex prophetarum oraculis dicerant; solet enim admiratio magni & insoliti alicuius effectus inducere homines in causæ inquisi-

tionem, indagacionem, & notitiam, sic istæ turbæ admiratæ veniunt in suspensionem, & disceptationem eum esse Christum ac Messiam. Aduerte turbas admiratas etiam fuisse, quando similem alium hominem dæmonium habentem mutum liberauit Christus, tunc autem turbæ nodixerunt, Numquid hic est Christus; sed aliud minus, scilicet, Numquam sic apparuit in Israel: at vero in hoc miraculo maius quid conceperunt dicentes; Numquid hic est filius David?

Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe dæmoniorum eiecit dæmonia.

COMMENTARIA.

QVI vero odio, ac inuidia Christum prosequerantur, tanto miraculo viso non in suspensionem, ac disceptationem, an esset Messias, inducti sunt; sed in malam partem accipientes, affirmarunt Christum dæmonia eiecere in virtute superioris cuiusdam dæmonij, dicti Beelzebub, quasi cum eo conuenerit, pactusque sit, vt dæmonia inferiora sic iste expelleret, vt ipse Christus expellere videretur; sunt enim dæmonia superiora, & inferiora, nec omnia æqualem habent virtutem, vnumque

que superat alterum, sicut fit inter homines. Videbant hi Iudæi maligni opus factum esse supra vires hominis, & præ odio nolentes diuinæ adscribere virtuti, in dæmonij superioris potestatem retulerunt, peiores multo in hoc, quam Magi Pharaonis, vt recte notauit Athanasius in tractatu de blasphemia in Spiritum sanctum ad Serapionem: nam Magi videntes signa Moysis dixerunt: Digitus Dei est hic. at Pharisei maiora opera Christi experti sunt, & dixerunt: In Beelzebub eiicit dæmonia.

ANNOTATIO XXXIII.

Matthæus sic habet: Hic nõ eiicit dæmonia, nisi in Beelzebub Principe dæmoniorum. quæ verba eundem habent sensum cum verbis Lucae. Marcus autem cap. 3. Sic scribit: Beelzebub habet; & quia in principe dæmoniorum eiicit dæmonia. illud, Beelzebub habet, idem significat, ac Beelzebub familiarem, & amicum habet, & cum eo pactum fecit, inde est, quod in eius virtute eiicit dæmonia. Hanc blasphemiam Matthæus dicit Phariseos protulisse, Marcus autem Scribas, veritas ex utroque colligitur, nempe hos & illos hæc verba protulisse. Lucas vero generaliter dicit, quosdam sic dixisse; Matthæus autem explicat occasionem verborum; Audientes, inquit, hoc Pharisei dixerunt: nimirum cum audissent turbas, dicentes: Nunquid hic est filius David? Pharisei, vt ab hac crudelitate turbas auerterent, dixerunt: In Beelzebub eiicit dæmonia. Scelus profecto, & peccatum grauissimum hoc est; qui enim debuerant turbas docere, & ad agnitionem Christi eas adducere, non tantum hoc non præstant, sed à recta

via auertunt, & lumen accensum in eis extinguere conantur, vt verum sit, quod contra eos dixit Dominus Matth. 23. Clauditis regnum cælorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare.

Beelzebub quid.
Aduerte autem Beelzebub nomen fuisse idoli Accaron, quæ est ciuitas Palæstinæ, vt constat ex 4. Reg. 1. dicebatur enim Baal, seu Beel; at Hebræi, vt testatur Hieronymus Matt. 9. nomine spurcissimo illud nominabant, nempe Beelzebub, id est, idolum, seu deum muscarum; musca enim spurcum est animal, vt dicit Hieronymus, quæ exterminat suauitatem olei. Vt autem ex hoc loco constat, is princeps dæmoniorum putabatur, qui supra omnia dæmonia erat. Iudæi enim existimabant dæmonia Palæstinæ fortiora his, quæ erant in Iudæa. Illud autem Accaron, quod omnium putabant primum, Beelzebub forsitan ironice appellabant, fallam diuinitatem eius illudentes, cum ipsi eum, qui verus est Deus, colerent.

ANNOTATIO XXXIIII.

Dubitatio est, an quispiam in principe dæmoniorum possit dæmonium eiicere. Origenes hom. 23. in Nume. & Athanasius lib. de corporali aduentu Christi hunc locum adducunt, idque fieri posse affirmant, & ratio est, quia sicut inter nos homines vnus alio potentior est, maioribusque viribus præditus potest ab aliquo loco alterum expellere; sic etiam dæmones id inter se efficere valent. Duobus igitur modis potest vnus alterum expellere. aut vi, quia potentior est; aut pacto aliquo, quia vt homines peccare faciunt, ac perdant, conueniant inter se, vt ad imperium vnus alius recedat, de priori modo isti blasphemi Iudæi locuti sunt; idcirco principi dæmoniorum id adscripserunt, qui potentior est alijs. Est etiam altera causa, cur principis huius meminerunt, nempe quia Christus multa genera dæmoniorum, & plurima eiiciebat, ideo non alteri, quam principi

eorum, id tribuerunt, qui omnium est robustissimus; non enim dixerunt in singulari, eiicit dæmonium, sed eiicit dæmonia. Attende autem Athanasium in decretis Nicænæ Synodi contra Arianam hæresim, ponderasse horum calumniatorum malitiam, qui non timuerunt, nec erubuerunt tantum miraculum adscribere dæmoni apud eos, qui propter illud in opinionem veniant, Christum esse Messiam. Verba illius sunt hæc: Malebant se potius impios haberi, dum Beelzebub operum Christi auctorem volunt, quam repudiare suam ipsorum malitiam. Hæc ille. De calumniæ huius falsitate dicemus paulo inferius in explicatione argumentorum Christi contra calumniatores hos. Aduerte adhuc alias eandem calumnia hos Christo imposuisse, nam Matthæi 9. Christo eiiciente simile dæmonium, dixerunt, In principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

Et alij tentantes, signum de celo quarebant ab eo.

COMMENTARIA.

Priores miraculum dæmonij eiecti calumniati sunt, virtuti principis dæmoniorum adscribentes; hi vero, de quibus nunc est sermo, non sic calumniati sunt, sed de eo miraculo non contenti, maiora miracula à Christo exigunt, nempe de cælo, sicut Elias fecit, qui ignem de cælo descendere fecit in quinquagenarios viros, & sicut Iosue, qui Solem stare fecit, aliaque similia; hæc autem petunt tentantes Christum, non vt ei credant, sed potius vt confundant; putabant enim illum talia facere non posse. aut etiam tentantes dicuntur, quia experiri virtutem eius volebant per talia signa, priusquam ei crederent.

ANNOTATIO XXXV.

Diuersi effectus ex eisdem miraculis in animis Iudæorum. Dæmonio eiecto, & homine muto statim loquente, tres effectus valde diuersi consecuti sunt: turbæ enim admirantur; quidam vero Scribæ & Pharisei dæmoniorum principi miraculum adscribunt;

quidam autem alij etiam ex Phariseis, & Scribis tentant Christum, miraculum de celo petentes, pro quo rum declaratione sunt aliqua notanda. Primo quidem, vt ex Matthæo constat, cap. 12. hi,

Tentantes isti ex Scribis & Phariseiserat.
hi, qui sic tentant, ex Scribis, & Phariseis erant, nec statim accesserunt ad petendum signa hæc de cælo, nisi post verba Christi, quibus calumniatores redarguit, ostendens se non in principe dæmoniorum eiicere dæmonia. post hunc enim sermonem, inquit, Matthæus, tunc responderunt ei quidam de Scribis, & Phariseis, dicentes: Magister volumus à te signum videre; quibus etiam Christus responderet, eosque arguit. Lucas autem vtrumque prius coniunxit, nempe calumniam, & tentationem, postea vero ad vtramque, responsum Christi.

Quomodo hi tentasse dicantur.
Secundo Euthymius existimat hos dici tentasse, quia credebant Christum talia signa non posse facere, quasi vt ex impotentia eius eum confunderent, & subannarent. hoc probabile est. Possimus etiam dicere, tentasse dictos esse, quia experiri volebant virtutem eius, nondum certi an id facere posset, siue facerent ob fidem, sibi ob curiositatem, arguendi tamen & reprehendendi erant, vt inquit, Hieronymus Matth. 12. quia sic petunt noua signa, quasi quæ facta erant, signa non fuissent; aut vt dicit Chrysostomus homil. 44. in Matth. petunt signa, quasi nulla facta fuissent.

Quid nomine celi intelligatur, cum petunt isti signa de celo.
Tertio idem Euthymius cælum interpretatur ipsos cælestes orbes, quasi peterent signa circa Solem, Lunam, aut stellas fieri: at Hieronymus & Beda aerem interpretantur, qui in Scriptura sæpe cælum

dicitur: petebant, inquit, de cælo signa, siue quia in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis tempore æstiuo contra naturam loci mugire tonitrua, corrufcare fulgura, imbres ruere. Hæc Hieronymus. At nos in commentario vtrumque complectimur: nam in Scriptura vtraque miracula per Prophetas tam de cælo, id est, aere, quam de cælo, id est, orbe cælesti facta leguntur: nam Iosue Solem stare fecit, & per Isaiam Dominus reuerti fecit Solem decem lineis in horologio, vt habetur Isa. 38. & Isaias cap. 7. dixit Achaz: Petite tibi signum, siue de cælo sursum. de aere autem iam retulimus exempla ex Hieronymo. Hæc ergo isti per Christum fieri cupiebant, & vt recte Hieronymus dicit, vane, quia calumniari etiam ista potuissent, dicentes etiam magos signa de cælo dedisse, potuissent etiam alijs modis calumniari, sicut fecerant de alijs miraculis.

Quarto. hoc ipsum postea petierunt quidam ex Phariseis, & Saducæis, vt refert Matthæus cap. 16. accesserunt, inquit ad eum Pharisei, & Saducæi tentantes, & rogauerunt eum, vt signum de cælo ostenderet eis. Cur autem Dominus huic petitioni annuere, de cæloque signa dare noluerit, dicemus inferius, cum explicauerimus, quæ Dominus ad hos responderit.

Ipsæ autem vt vidit cogitationes eorum.

COMMENTARIA.

Respondet primo iis, qui calumniabantur eum in Beelzebub eiicere dæmonia. respondet autem ad cogitationes illorum; quamuis enim quidam eorum verbo calumniam protulere; alij tamen siue ab his seducti, siue propria malitia excitati, eandem calumniam corde solo conceperunt, ipsamque mente retinebant. ad omnes autem hos Dominus respondet, ideo cogitationes vidisse dicitur. per hoc etiam Euangelista significat hos Phariseos, & Scribas, qui exterius calumniati sunt, non solum verbo adscripsisse Beelzebub opus Christi, sed etiam mente, quia ita credebant, sicuti loquebantur. cætera lege in annotatione.

ANNOTATIO XXXVI.

Hos calumniatores non tantum cogitatione, sed etiam verbo protulisse calumniam Euangelista significat: Quidam, inquit, ex eis dixerunt, in Beelzebub eiicit dæmonia. Verbum, dixerunt, loquelam indicat exteriorem. Dicit autem Chrysostomus homil. 42. in Matthæum, hos summissa inter se voce protulisse ita, vt putarent Christum audire non posse. verba eius sunt: Arcana; inquit, cordium ipsorum, quæque inter eos secrete agitabant, profert. Cur autem non fuerint ausi palam hæc loqui ita, vt scirent Christum audire, factum puto tum timore, ne tam falsa, & impia calumnia à Christo repelleretur cum ipsorum dedecore; tum ne locum darent Christo sua responsione dedocendi turbas, quibus illi persuadere tentauerat in Beelzebub eiicisse dæmonia. Hæc ille. Quod autem Christus ad cogitationes eorum responderit, vt virtutem suam, in qua miracula edebat, manifestaret, sicque illos conuinceret se non in Beelzebub eiicere dæmonia, testantur Hieronymus Matth. 12. & Chry-

stomus homil. 42. in Matthæum. verba Hieronymi sunt hæc: Dominus non ad dicta, sed ad cogitata respondit, vt vel sic compellerentur credere potentia eius, qui cordis videbat occulta. Hæc ille. Chrysostomi autem verba sunt: Quod ideo peregit, vt hoc signo mentitos eos esse aduersus ipsum, confirmaret, quoniam non sit dæmoniaci arcana hominum nosse. Hæc ille. Huic doctrinæ posset opponi, quia Pharisei calumniatores non cogitatione sola, sed verbo etiam calumniam protulerunt, quamuis occulto, & inter se: hoc autem scire non erat argumentum virtutis diuinæ: nam & dæmon verba occulta nosse potest. respondeo vt in commentario, nõ omnes verbo protulisse calumniam, sed sola mente; Dominus autem omnibus responderet: aut etiam quia plus malitiæ mente retinuerunt, quam verbo expresserunt; Christus autem etiam ad ea, quæ cogitarunt, responderet. hoc autem est argumentum diuinæ virtutis, vt hi doctores notarunt,

Dixit eis.

COMMENTARIA.

Ne calumnia tam impia, & falsa Phariseorum, & Scribarum, turbæ remouerentur à sua admiratione, & opinione recta, quam de ipso conceperant, Christus respondet, efficacibus argumentis refutans, & diluens oppositam calumniam. Similiter

liter etiam, vt quantum est in se, à calumniantium mentibus tam perniciosas auerteret cogitationes, eos de falsitate, & impietate conuincens; demum vt suam mansuetudinem, & clementiam omnibus manifestaret, qui tanta iniuria affectus, nec ira commotus est, nec veritatem docere reuult.

ANNOTATIO XXXVII.

Summa sua clementia, & mansuetudine Christus docet se non eijcere demonium virtute.

M Arcus cap. 3. refert Christum conuocasse hos calumniatores, vt conuinceret eos calumnia: Conuocatis, inquit, eis, in parabolis dicebat illis, parabolis appellat exempla, quæ subsequuntur. Chrysofostomus homil. 42. in Matth. notat non sola cogitationum notitia, sed etiam hac tanta clementia, & mansuetudine Christum ostendisse, se non in virtute demonis dæmonium eiecisse, & miracula facere: Non est, inquit, dæmonij, tanta clementia, mansuetudine, humanitateque, vt. docet nos etiam Christus ita nos mites erga inimicos esse, vt quamuis aduersus nos ea dicant, quæ nulla ratione nituntur, quorumque ipsi nequaquam conscij simus; non conturbemur tamen, neque commoueamur, sed æquo animo ipsi

omnium rationem referamus. Hæc ex Chrysofostomo. Qui rursus inquit, cur cum alias hæc calumniam Pharisæi protulerint, vt constat Matth. 16. non responderit Christus tam efficacibus rationibus, sicut nunc respondet autè, dicens: tum quidem non increpauit, nec quicquam ad hoc respondit, sed partim à dignitate doctrinæ ad cognoscendam omnipotentiæ suam inducebat: verum quoniam in nequitia eorum perseverantes eadem dicitabant, respondit nunc, vt deitatem suam ostendat. Hæc Chrysofostomus. Adde, si nunc etiam distimulasset calumniam repetitam efficaciter refellere, & illi audaciores efficerentur ad eandem inferendam, & turbæ in suspensionem aliquam venire potuissent tanto silentio viso.

Cur Christus alias hac calumnia à Pharisæis affectus non ita efficaciter responderet, vt nunc.

Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

COMMENTARIA.

Probat Dominus, se non eijcere dæmonia in virtute Beelzebub, sumitque argumentum à communiter accidentibus, accommodans se audientium capacitati, ac propositionem argumenti statuit. Regnum, inquit, in se, id est, aduersum se diuisum discordia, & mutua contentione, non stabit diu, sed desolabitur: domus etiam supra domum, id est, contra se ipsam diuisa, cadet; si enim domus partes non cohærent, cito domus corruit. concordia enim paruarum res crescunt, discordia autem maximæ dilabuntur. hæc est argumenti, & syllogismi propositio.

ANNOTATIO XXXVIII.

Illa sententia: Domus supra domum, sic intelligenda est, vt subintelligatur participium (diuisa) nempe domus aduersum se diuisa cadet. sic interpretatur Euthymius, & ad sic interpretandum inducunt verba Matthæi 12. Omnis, inquit, ciuitas, vel domus aduersum se diuisa non stabit, vt sint duo exempla regni, & domus. eodem modo dicit Marcus c. 3.

Si domus, inquit, super semetipsum dispartiat, non potest domus illa stare. quæ verba declarant apud Lucam non intelligenda esse hæc sic, quasi domus sint multæ, vna contra alteram, sed vna contra se diuisa. more autem Hebræo loco relatiui ponitur idem antecedens, domus supra domum.

Si autem & Satanæ in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia.

COMMENTARIA.

Perficit argumentum, & syllogismum, assumpta secunda propositione, & facta illatione sic; Satanæ diuisus est in se ipsum, id est, regnum Satanæ, & dæmoniorum in se diuisum est: igitur regnum eius stare, & perdurare non potest; totus igitur syllogismus hic est: omne regnum in se diuisum desolabitur: regnum Satanæ est in se diuisum. igitur eius regnum desolabitur. illam autem secundam propositionem probat ex ipsorum Pharisæorum dictis: Quia, inquit, vos dicitis me in Beelzebub eijcere dæmonia, quasi diceret, si verum est, quod dicitis, me eijcere dæmonia in Beelzebub, consequitur regnum eius in se ipsum esse diuisum, & sic non potest diu permanere. Huic argumento supplendum est sic. at cum notum sit regnum Satanæ diu mansisse, & permanere; necessario sequitur non esse diuisum, & consequenter me non eijcere dæmonia in Beelzebub. argumentum enim hoc est deducens calumniatores ad confitendum, quod aperte falsum est. Satanam appellat omne dæmonium, quod nobis aduersatur, id enim nomen Hebræum significat. dicit autem Satanam, id est, regnum dæmonij.

ANNOTATIO XXXIX.

Satanæ nomen varia apud Patres interpretatio.

Quod ad nomen Satanæ spectat, varia est apud Patres interpretatio, nomen enim est Hebræum. Primo quidem Irenæus lib. 5. cap. 21. Satanam idem significare dicit, quod apud nos apostatam, seu desertorem. Hic enim doctor videtur hoc nomen deri-

uasse à verbo Hebræo: שטן quod significat preuaricari, auertere, declinare inde שטן Satan, seu Satanæ, quasi declinator, auersor, seu desertor, & apostata apud Græcos.

Secundo loco Iustinus in dialogo cum Tryphonem conue-

conuenit ex parte cum ista interpretatione, differt tamen quia compositum putat à Sata, à verbo שטן quod significat deferere apud Hebræos, & à Vas, quod significat serpentem; שׂוּמַך nachas enim apud Hebræos significat serpentem, eoque nomine appellatur Gen. 4. & ab utroque nomen compositum est Satanæ.

Tertio loco Hieronymus in epist. ad Marcellam, de ægrotatione Blefilla, & in Matth. cap. 16. & ante ipsum Origenes tract. 1. in Matth. Satanam interpretantur aduersarium, seu contrarium; deriuant enim à verbo שׂוּ, quod significat detrahere, aduersari, contra ritum esse, & hæc est communis interpretatio, cui Scriptura fauet, quæ in ea significatione videtur nominis isto. dicitur enim. 3. Reg. 5. Non est Satanæ neque occurfus malus, & 1. Paralip. cap. 21. Consurrexit Satan aduersus Israel; & Matth. 16. vade post me Satan. quibus in locis apertum est significare aduersarium, neque illa terminatio, Satanæ, mutat nomen, est enim additio Græca, sicut in multis nominibus Hebraicis assumuntur in Græco, &

Latino quædam terminaciones; quod enim Hebræi Satan vocant, Græci, & Latini dicunt Satanæ, sicut quod est apud Hebræos Saul, dicitur Græce, & Latine Saulus, non autè quod sit nomen compositum, vt putat Iustinus. Est autem aduertendum nomen hoc esse commune, nempe vt significet aduersarium, vt in locis allegatis constat, per quamdam autem excellentiam appropriatur dæmoni, qui supra omnes aduersarios contra nos est, sic dicitur. 1. Pe. 5. Aduersarius vester diabolus circumquærens, quem deuoret, sicque accipitur Zach. 3. Satan inquit, stabat aduersus eum, vt aduersaretur ei: Hoc igitur in loco non accipitur pro aliquo dæmonio singulari, quasi sit nomen proprium vnus, sicut Beelzebub nomen est principis, sed significat omnem genus dæmoniorum, vt sit sensus, si dæmonia nobis aduersaria, inter se diuisa sunt, regnū eorū non stabit; non enim dixit Beelzebub, quia vnus cum sit, non potest esse diuisus in se, sed nomine vsus est communi, & principi, & omnibus sequacibus, & ministris eius, inter multos namque diuiso, & pugna est.

ANNOTATIO XL.

Quid sit Regnum Satanæ.

Regnum huius Satanæ appellatur potestas permissa dæmonibus à Deo in homines, qua eos tentant, & ad peccandum inducunt, quam maxime in eos exercent, quos ad peccatum trahunt. ab hac potestate dicitur princeps huius mundi Ioan. 14. & princeps potestatis aeris huius, spiritus qui operatur in filios dissidentie, vt dicit Paulus Ephes. 2. de qua potestate, & principatu alias plura diximus, & adhuc infra dicemus. Dicit ergo Christus, si dæmonia inter se diuisa essent, ac mutuo pugnarent, non esset potestas hæc tandiu in mundo perdurans: cum igitur regnum dæmoniorum istud tam antiquum, & perseverans sit, argumentum est ipsa non dissidere, sed concordia esse in his, quæ contra homines sunt. Huic rationi, & argumento posset quispiam obiecere, quod supra diximus, & verum est, posse vnum dæmoniorum eijcere alterum; Huic obiectioni respondeo primo, non negari à Domino posse per vnum dæmonium potentius expelli alterum, sed non posse id fieri sine diuisione, & ruinâ illorum regni, sicut non negat Christus posse vnum regnum esse in se ipsum diuisum, sed posse sic esse sine desolatione sui. Secundo non est sermo de vno aut altero dæ-

Confirmatur magis ratio eorum Iudæos ex solutione obiectiois.

Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt?

COMMENTARIA.

Altero argumento calumniam eorum repellit, est autem argumentum, quod Logici appellant ad hominem, quando ex dictis, aut factis proprijs quispiam conuincitur. Erant apud Iudæos multi exorcistæ, qui adiurabant dæmonia, & expellebant; cum enim ille populus fidelis esset, ac verum cultum Dei haberet, non deerant in illo, qui Dei inuocatione talia facerent. Iudæi igitur viderant hos dæmonia multa eijcere, nec talem calumniam illis inurebant, sed eorum facta commendabant. argumentatur ergo Dominus, si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijcient? quasi diceret, vnum, & idem opus in illis probatis, quia filij vestri sunt, in me autem damnatis. non igitur rem, sed personam respicitis, cum & illi multo inferiores sint me in hoc ipso opere præstando. nam ego in propria, ac virtute mea, non vnum, aut alterum, sed innumera dæmonia eijcio, & hominibus ipsis confero sanitatem.

ANNOTATIO XLI.

Qui dicantur à Christo cum Iudæis loquente, filij vestri.

Chrysofostomus hom. 41. in Mattheum illud (filij vestri) interpretatur Apostolos, & Discipulos Domini, qui iam eo tunc tempore dæmonia eijciebant. superiori enim cap. dictum est: Dominus in nomine tuo etiam dæmonia subijciuntur nobis. Addit Chrysofostomus non dixisse Dominum: Discipuli mei, aut Apostoli mei. sed filij vestri. vt siquidem,

inquit, ad eandem cum illis animi nobilitatem venire velint, magnam hinc opportunitatem, & occasionem nanciscantur. si autem ingratitude ac sapore mentis in nequitia permanent, nulla sibi ratio ad excusationem relinquatur. Hæc ille: quasi diceret, vt nomine filiorum Iudæos calumniatores aut conuertat, aut inexcusabiles faciat.

Hieronymus autem Matth. 12. duas profert interpretationes, vna est, vt per filios hocce intelligantur exorcistæ, qui in eo populo erant, & dæmonia ad Dei inuocationem eiicere solebant, vt sit sensus: Si dæmonum expulsionem in filiis vestris non dæmoni, sed Deo tribuistis, cur in me idem non facitis? Altera est, vt per filios intelligamus Apostolos, qui de stirpe gentis illius erant, & dæmones eiiciebant. quæ interpretatio magis à Hieronymo probatur, & est Hilarij can. 12. Matthæi, & Athanasij lib. de communi essentia Patris, Filij, & Spiritus sancti, & conuenit cum Chrysostomo aliqua ex parte. dico autem, aliqua ex parte, quia Hieronymus Apostolos interpretatur, at Chrysostomus, Apostolos & Discipulos, qui plures erant, quos dæmonia tunc temporis expulisse superius ostendit Lucas, quando à prædicatione reuersi dicebant: Etiam in nomine tuo subiiciuntur nobis dæmonia. Quamuis autem non negemus vtramque sententiam Chrysostomi nempe, & Hieronymi, probabilem esse, mihi tamen magis accommodata videtur ea, quam priori loco refert Hieronymus, nempe populi exorcistas appellari filios, non quidem generaliter intelligendo, sed de exorcistis Christo aduersariis, quibus Pharisei calumniam imponere non poterant. At iuxta illam alteram sententiam de Apostolis, & discipulis, eidem calumniæ expostum est argumentum; cum enim exos haberent Apostolos, & discipulos Christi propter ipsum, dicebant etiam ipsos in Beelzebub eiicere dæmonia: cum præsertim dictum sit Matth. 10. Si Patrem familias Beelzebub vocauerunt, quæto magis domesticos eius? quam calumniam non inuenerunt Christo non adhaerentibus, sed potius partes cæterorum Iudeorum, & Phariseorum sequentibus, quos ideo Christus vocauit filios eorum, non solo sanguine, sed etiam moribus & incredulitate. fuisse autem exorcistas in illo populo etiam ante Christi aduentum, constat ex actis Apostolorum c. 19. vbi legimus lepræ filios cuiusdam

Sacerdotis, qui appellantur exorcistæ: refert etiam Iosephus lib. 8. Antiquitat. c. 12. quendam Eleazarum nomine de illo populo, coram Vespasiano, & toto exercitu illius, dæmonia eiicisse; cum enim ille populus veram fidem, & cultum Dei habuerit, etiam prophetas, & exorcistas à Deo obtinuit. Druthmarus vero affirmat quod à Iosepho sumpsit, nempe Salomonem docuisse quosdam adiurandi modos per inuocationem nominis Dei, quibus illi vsi expellebant dæmonia, quod probabile est: iam tamen apud eos virtus hæc defecit fide & cultu Dei ablato. De horum exorcistarum numero existimo fuisse illum, de quo supra cap. 10. dixerunt Apostoli: Vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. existimoque non hunc solum, sed alios multos hoc idem fecisse, qui in nomine Christi dæmonia expellebant, quamuis ipsum non sequerentur, quod etiam illi filij Sceuæ tentarunt post resurrectionem facere. Act. 19. Vt autem virtus Christi manifestaretur, placuit Deo etiam per illos, qui Christum non sequebantur ante resurrectionem & mortem, dæmonia eiicere, & forsitan de his est sermo nunc, filij vestri in quo eiiciunt? quasi diceret, multi eiiciunt dæmonia, nec eos criminati estis, quin potius recepistis, & eorum opera vsi estis, quia filij vestri sunt, & partes vestras sequuntur, & tamen illi in meo nomine ea expellunt, quomodo ergo potestis hanc mihi calumniam imponere? iuxta istam explicationem argumentum Christi efficacius est, & magis conuincit aduersarios. Recte autem notat Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, non esse hoc dictum, quasi Christus sugillaret filios istorum in Beelzebub eiicere dæmonia; tunc enim argumentum procederet, nempe si Satanus aduersus Satanam diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quin potius significare voluit illos etiam in virtute Dei eiicere dæmonia.

Ideo ipsi iudices vestri erunt.

COMMENTARIA.

Deducit ex argumento facto hos filios eiicientes dæmonia futuros argumentum iudicij & damnationis calumniatorum, non quod ipsi iudicabunt eos, quasi iudices, sed quod argumentum & ratio iustæ damnationis accipietur ab illis; iuste enim damnantur isti calumniatores, quia dæmoniorum expulsionem per Christum adscriperunt Beelzebub, & eandem per filios suos factam tribuerunt Deo, cum hi & Christo inferiores multo essent, nec tam mirabiliter ea expulerint, immo eorum multi in nomine Christi eiecerint. Sumitur ergo ratio iustæ damnationis, & iudicij contra calumniatores Christi ex filiis istis.

ANNOTATIO XLII.

Hieronymus Math. 12. duas interpretationes adfert, vna est, vt dicantur iudices, non quod ipsi proferant iudicium, sed quod erant quasi & causa, & ratio, ex qua sumetur argumentum iustitiae iudicij, & damnationis calumniatorum; cui interpretationi adhærere videtur Chrysostomus hom. 41. in Matthæum Altera est, vt dicantur iudices, quia ipsi iudicabunt, sicut dictum est de Apostolis: sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. & huic interpretationi accedit Hieronymus ipse, & est Hilarij can. 12. in Matthæum, & quadrat eorum expositioni: nam per filios vestros ipsi interpretantur Apostolos: at vero nobis magis placet prior interpretatio, eaque phrasis frequens est in Scriptura; dictum enim est Matth. 12. de Nimuitis, & Regina Aultri, quod in iudicio surgent, & condemnabunt generationem Iudeorum, non quod sententiam damnationis proferent, sed quod ab eorum penitentia, & opere, apparebit iusta damnatio Iudeorum, suntque alia multa loca in Scriptura in hac significatione, conuenit autem hæc interpretatio cum nostra expositione, qui per filios interpretati sumus exorcistas, quorum non erit in iudicio proferre sententiam.

Porro, si in digito Dei eiicio dæmonia: profecto peruenit in vos regnum Dei.

COMMENTARIA.

Postquam calumniatores falsa, & impia dicere conuicit, ex rationibus & argumentis factis tacite infert, se in digito, id est, virtute Dei expellere dæmonia, vt sit sensus, & connexio sic: Cum non eiiciam dæmonia in Beelzebub, consequitur me eiicere in Spiritu sancto & virtute Dei, id est, & Messias promissus, cuius aduentu regnum

Ante Christi aduentum fuerunt in populo Iudaico exorcistæ.

Quomodo hi futuri iudices dicantur calumniatorum.

Collatio variarum lectionum huius loci.

Quantum valeat hæc consequentia, si in digito Dei, &c.

Quid per Spiritum & digitum Dei intellegendum. Et quare Spiritus sanctus dicitur digitus.

Quid per regnum Dei hoc in loco significetur.

gnum Dei, id est, gratiæ, & iustitiæ, ac sanctitatis futurum est, quasi diceret, expelletur regnum diaboli, quod in homine exercuit, & regnabit Deus in hominibus; si enim virtus Dei est, quæ dæmonia eiicit, regnumque eius destruit, consequitur aduentasse regnum Dei, desolans dæmonij regnum; non enim hoc nisi per illud potuit destrui & desolari, particula (porro) loco (autem) posita est, vt ex Græco nomine constat.

ANNOTATIO XLIII.

In primis, quod ad verba spectat, notanda est lectio, quam sequitur Augustinus, eamque interpretatur lib. 1. quæst. Euang. cap. 3. nimirum sic: Quod si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. interpretatur autem in hunc sensum, si ego vt vos dicitis, eiicio dæmonia in Beelzebub etiam secundum vestram opinionem peruenit in vos regnum Dei, nam Beelzebub regno diuiso & consequenter desolato, necesse est Deum regnare, regnumque eius aduenire. Hanc lectionem habet Euthymius in commentario in Lucam, licet ipsemet in commentario Matthæi. affirmet legendum, si ego in digito Dei, vt nos legimus. quæ lectio est communissima in Græcis, & Latinis exemplaribus; ac Hieronymus Matth. 12. ac

Chrysostomus hom. 41. in eundem affirmant, quod apud Matthæum dicitur: Si in Spiritu Dei, apud Lucam haberi; si in digito Dei. sicque legit Athanasius orat. 2. contra Arianos; & in lib. de incarnatione Christi, & Ambrosius in præfati, & Tertullianus lib. 4. contra Marcion. & Gregorius hom. 10. in Ezech. & hæc lectio amplectenda est, adde illam lectionem facere sensum incongruum; non enim tantum mysterium aduentus regni Dei probandum erat ex suppositione tam impia, si ego in Beelzebub eiicio dæmonia. Aduertendum etiam est Tertullianum lib. 4. contra Marcion. legere interrogatue posteriorem partem, nimirum, ergone appropinquauit in vos regnum Dei? at nostra exemplaria legunt affirmatiue, & sensus est idem.

ANNOTATIO XLIII.

At interrogabit quispiam, cui principio nitatur ista consequentia, scilicet si in digito Dei eiicio dæmonia, peruenit in vos regnum Dei, nonne ante aduentum Christi in carnem, eiiciebantur dæmonia ab exorcistis, vt prius diximus? non tamen inde sequebatur aduenisse regnum Dei. sensit hanc difficultatem Chrysostomus hom. 41. in Matthæum, idcirco dixit, quia prædictum fuit per prophetas hæc futura tempore aduentus Christi, ideo recte deduci, si eiiciebantur dæmonia, regnum Dei, id est, Christum aduenisse. Hæc responsio non omnino quadrat; non enim hoc signum aduentus Christi expresse in prophetis legimus. facilius dici posset, Christum dæmonia eiicisse, sicut & alia signa faciebat, nimirum in suæ prædicationis veritatem, & testimonium, quo se missum à patre probabat, seq; esse Messiam ostendebat, si autem id ita non esset, non vrique in digito Dei dæmonia expulisset; non enim miracula virtute diuina sunt, in falsitatis testimonium. Hæc autem in commentariis in Ioannem plenius discussimus.

gorius hom. 10. in Ezech. possumus, & alteram rationem assignare; vt enim notat Athanasius lib. de incarnatione Christi, & Hieronymus Matth. 12. Sicut Spiritum sanctum Scriptura appellat digitum: ita Filium vocat brachium, Isa. 53. Brachium Domini cui reuelatum est? aut vt dicit hic Ambrosius, dextera Patris dicitur, dicimus ergo, sicut brachium à corpore, digitus autem ex brachio & corpore, ita filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, & Filio, procedunt. vnde infert Hieronymus, sicut corpus, brachium, & digitus, vna sunt substantia, ita etiam Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nec est attendenda inequalitas membrorum, quia omnes personæ æquales sunt, sed vnitas potius corporis & substantiæ. adiungit Hieronymus hunc esse illum, quem Magi Pharaonis confessi sunt in Moysè, quando Exod. 8. dixerunt digitus Dei hic est, & in quo tabule lapideæ scriptæ sunt in monte Syna. Deuteron. 9.

Hæc sunt, quæ isti Patres docent. At vero possumus dicere, tam Spiritum, quam digitum significare virtutem Dei, vt idem sit, in Spiritu, & digito Dei facere, quod in virtute Dei facere, & non in virtute dæmonis, vt illi calumniabantur. vnde per Spiritum non persona Spiritus sancti, sed virtus Dei significatur, sicq; interpretatur Euthymius Matth. 12. & videtur id sentire Chrysostomus hom. 41. quod nos in commentario recepimus, & huic magis consonant loca allegata à Hieronymo Exod. 8. & Deut. 9. in quibus Moyses dicitur in digito operatus, & tabulæ in eodem digito scriptæ. Hoc etiam sensu antiquissimus Tertullianus lib. 4. contra Marcion. vbi affirmat digitum Dei hoc in loco appellari virtutem creatoris, eaque voce vti voluisse Christum, vt ostenderet se commemoratorem, non obliuiscitorem vetustatis suorum; dictum enim erat à Magis Pharaonis, digitus Dei hic est, id est, virtus & potentia creatoris. subiunxit etiam Tertullianus causam, cur virtus Dei digitus appelletur, ad significandum, inquit, quod vel modicum virtutis Dei fortissimum est.

ANNOTATIO XLV.

Explicandum adhuc est, quod sit hoc regnum Dei, & quid sit quod regnum hoc dicatur peruenisse ad eos, scilicet Iudeos, quibus loquebatur Christus. Quantum ad primum, scilicet regnum Dei, Hieronymus tres interpretationes adfert, vna est, vt regnum hoc sit ipse Christus, de quo Luc. 17. dictum est: Re-

gnum Dei intra vos est, quia scilicet, medius vestrum stetit, quem vos nescistis. Altera est, vt regnum hoc sit id, de quo Matthæi 3. dictum est, Appropinquauit regnum cælorum. Tertia est, vt regnum sit sacra Scriptura, de quo dicitur Matthæi 20. auferetur à vobis regnum Dei. Hæc

Hieronymus . Primam interpretationem sequitur Chrysostomus homil. 41. in Matthæum, vt idem sit peruenisse regnum Dei, quod aduenisse Messiam & Christum . secundam interpretationem non explicat Hieronymus; nam cælorum regnum potest intelligi vita æterna, quæ est in cælesti patria, sicq; intellexit Druthmarus, aut potest intelligi Ecclesia militans euangelica, in qua regnat Deus in hominibus data remissione peccatorum & reconciliatione facta hominis cum Deo, & data gratia per quam iustificatur, & digni sunt Deo, & victoriam contra dæmones, cæterosque inimicos consequuntur. sicque intellexit & interpretatus est Augustinus lib. 1. quæst. Euang. cap. 4. nos in commentario primam & secundam interpretationem Hieronymi complexi sumus, nempe Christum aduenisse, & statum Ecclesiæ eius, in qua regnat Deus, dæmonis potestate constricta & debilitata, quam exercet contra eos, qui volunt ei adherere, & gratia Christi vt nolunt.

A N N O T A T I O XLVI.

Solutur argumentum quod ex verbis Christi possit aliquid retorqueri in ipsum.

Diligenter consideranti hunc contextum occurret difficultas quædam circa eius intelligentiam, nimirum . Christus sic argumentatus est contra calumniatores . si Satanas in se ipsum diuisus est, quomodo statit regnum eius; significare volens, si in Beelzebub eiiceret ipse dæmonia, tunc diuisum regnum esse, nec stare posse, quod tamen stare ac permanere norum erat. Hoc argumentum posse retorqueri nunc, alicui videri posset, nempe si regnum Dei peruenit, si virtus Dei est contra dæmonia, quomodo stat regnum Satanæ? nam multo efficacior est virtus Dei ad desolandum regnum Satanæ, quam virtus Beelzebub pugnantis contra alia dæmonia. Ad hanc difficultatem tollendam respondeo nonnulla, primum est . argumentum Domini procedere de præterito tempore, nimirum si dæmonia inter se diuisa sunt, & inter se exercent dissidia, ac mutuas habent pugnas, quomodo stat hæc enus regnum eorum, nam si in Beelzebub Christus dæmonia eiiciebat, id esse non poterat, nisi quia dæmonia etiam ab antiquo inter se diuisa erant, vt eaturque Christus vna parte nempe eorum principe contra aliam. Secundum est, argumentum hoc de digito Dei est de tempore futuro, quod in Christo incipiebat, per quem regnum dæmoniorum erat desolandum, multo potentius

Cū fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autē fortior illo superueniens vicerit eum: vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.

C O M M E N T A R I A.

Tertio argumento calumniam eandem refellit, quod ab exemplo & similitudine quadam sumit, & vtrumque probat, nempe se non in Beelzebub, sed in digito, ac virtute Dei expellere dæmonia. argumentum tale est: Ego Beelzebub alligo, eius arma in quibus confidebat, aufero, vasa diripio, spolia distribuo, ergo eo fortior sum. probat hanc consequentiam similitudine, quia cum fortis armatus defendit atrium, conseruat, quæ habet, at si fortior eum inuadit, & vincit, eius arma auferit, cæteraque facit, quæ dicta sunt, nec ea efficeret, nisi eo fortior esset. igitur in virtute atque in digito Dei eiicio dæmonia, non humana, quæ inferior est virtute dæmonis, nec in eius virtute, quia ipse vincitur, ligatur & spoliatur, & hinc consequitur regnum Dei iam aduentasse, nempe Messiam & regnum eius. Hæc est argumenti vis & explicatio, & perpende efficaciam eius, illi dicebat: In Beelzebub eiicere dæmonia: at Christus probat non solum non in eo eiicere, quin potius ipsum ligasse, vicisse. arma abstulisse, & cætera. fortem appellat Beelzebub principem dæmoniorum propter vires, & potentiam eius, quia non est potestas in terra, quæ comparetur ei, vt dicitur Iob. 41. Armatus dicitur armis peccatorum nostrorum; tanto enim maiores vires exercet in hominem, tantoque minus ei resistere, eumque lædere possumus, quanto magis peccatis inficimur, & debilitamur. atrium suum in pace possidebat, quia homines peccato subiugatos habebat, nemine eorum valente ab eius tyrannide se liberare.

Hinc sequitur responsio ad secundum, nempe, peruenit ad vos regnum Dei, idem enim est quod aduentasse Messiam, & eius regnum, ac Ecclesiam in ipso fundandam. sic Hieronymus, sic Chrysostomus explicarunt. At vero Druthmarus exiltimans illud, peruenit ad vos regnum, significare illos impios & incredulos Iudæos de regno esse, interpretatus est hæc verba, quasi per ironiam dicta, & in sensu contrario, nimirum, si in digito Dei eiicio dæmonia, non peruenit ad vos regnum Dei, propter incredulitatem & impietatem vestram. ista autem interpretatio præterquam quod singularis est, & contra communem interpretationem Patrum, dura est, & vix accommodata sententiæ, nam peruenisse ad eos regnum Dei, est iam Messiam ad eos missum esse, iam Euangelium illis prædicari, ad Christi fidem, & Ecclesiam eos primos ante omnes gentes vocari, quæ omnia vera sunt, etiam si ipsi increduli, & impij exiterint.

rius, quam si dæmonia inter se dissiderent. Tertium est, argumentum primum procedere de integra desolatione regni dæmoniorum, si enim diuisa essent, periisset iam omnino regnum, quod in hominibus tenent, tentando, persequendo, inducendo in peccata, nihil horum efficerent occupati mutuis dissidiis, & alterutrum se impediuntibus, his eiicientibus illa, & quibusdam defendentibus, ac protegentibus, quibusdam oppugnantibus homines, & maxime priorem partem sequentibus potentioribus, nempe eorum principe cum sequacibus. Omnino ergo desolaretur regnum eorum tali diuisione. At regnum Dei hoc præsentis tempore non omnino tollit regnum dæmonis; adhuc enim tentat, adhuc nocet, adhuc in peccatum inducit, sed diminutum est magna ex parte, data hominibus virtute per gratiam, vincendi, & resistendi, & dæmonis opera in propriam utilitatem conuertendi, hoc est regnum Dei, quod tunc incipiebat peruenire ad Iudæos, postea vero in fine temporis omnino desolabitur regnum dæmonis, quando ablata potestate tentandi, & nocendi iustis, dæmonia in infernum detrudentur, iusti autem in vitam æternam, & in cælestem patriam transferentur, vbi nullus est aduersarius, nunc ergo manet dæmonis regnum cum regno Dei, sed debilitatum, & conuassatum.

Quomodo nunc regnum dæmonis a regno Dei non sit omnino sublatum, postea in fine temporis omnino desolandum.

fortior hoc est Christus, qui inuadens eum, & vincens abstulit arma; agnus enim est, qui abstulit peccata mundi, in quibus dæmon confidebat se victoriam consequi contra hominem, spolia eius distribuit; magnam enim hominum partem, quæ illius imperio vincita tenebantur, liberauit, eos qui in limbo detinebantur, educendo, & plurimos, qui in terra illius partem sequebantur, ad se conuertendo, & variis gratiæ ac Spiritus sancti donis, muneribusque implendo.

A N N O T A T I O XLVII.

Ex collatione cū alijs Euangelistis locus hic explicatur.

Misit Lucas quædam, quæ Matthæus cap. 12. & Marcus c. 3. referunt, quibus, si quæ Lucas dicit, connectamus, sententiæ fiet manifestior. Matthæus sic habet: Aut quomodo potest quisquā intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem, & tunc domum eius diripiet? Hæc eadem dixit Marcus non interrogando, sed negando; interrogatio enim æquiualeat absolutæ locutioni, sic enim inquit: Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum eius diripiet. His adiungit Lucas, quasi reddens causam, nempe, cum enim fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt, quæ possidet; si autem fortior illo superue-

niens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia distribuet. Hic est totus contextus huius argumenti. ex Matthæo autem constat hoc esse nouum argumentum ad probandum, nõ eiici à Christo dæmonia in Beelzebub; illa enim particula (aut) postea loco (alioqui) id indicat, quæ fidei ceteris, alioqui si in Beelzebub, & nõ in digito Dei eiicio dæmonia, quomodo possem ipsum ligare, & eius vasa diripere? ex toto hoc contextu colligimus, quæ Christus aduersum hunc fortem effecit, ipsum inuasit, vicit, arma abstulit, ligauit, ingressus domum eius, vasa diripuit, spolia distribuit, quorum singula explicanda sunt.

A N N O T A T I O XLVIII.

Dæmoniorum princeps quare cum forti armato comparatur.

In primis Beelzebub principem dæmoniorum esse eum, qui comparatur forti armato custodienti atrium suum, testantur Chrysostomus hom. 41. in Math. & Augustinus lib. 1. quæst. Euang. c. 4. & ex ipso met contextu argumenti deducitur, quauis in ipso qui caput est, totum reliquum corpus inferiorum dæmoniorum quæ ipsi adherent, & contra nos cum eo conueniunt intelligatur, dicitur autem fortis, vt explicat Irenæus lib. 3. c. 8. respectu nostri, quia fortior est nobis, iuxta illud Iere. 3. 1. Redemit Dominus Iacob, & eripuit eum de manu fortioris eius. Christus solus Deus & homo, est absolute fortis; quæ autem fuerit fortitudo hæc, exponit Augustinus lib. 1. quæst. Euang. c. 4. quia tenebat homines in peccato, ne se ab illo possent viribus suis eruere; nemo enim a peccato, nec a tentatione inimici propria virtute liberatur, sed succubere necesse est; gratia autem per Christum facti sumus illo fortiores, & vt a peccato liberemur, & tentationibus illius resistamus. Dicit etiam posset diabolus fortis absolute, quia re vera magnæ potentie est & virtutis, quamuis finitæ; vt enim ex Aristotele habemus, quædam dicuntur magna respectiue; granum enim milij magnum dicimus respectu alterius minoris, licet re vera parum quantitatis habeat, at montem magnum absolute dicimus, quia absolute quantitatis & molis plurimum habet: ita dæmonium fortem vocare possumus absolute, sicq; Hieronymus & Chrysostomus appellant, licet Christus sit illo fortior; non enim obstat aliquè dici absolute fortem, quod sit alter eo fortior. Ecce quis sit fortis hic, nimirum princeps dæmoniorum. Armatus autem dicitur, & recte; habet enim arma offensiuæ, quibus nocet nobis, & quibus defendit se etiã, ne legatur a nobis. In cuius declarationem notandum est, quod dicit Basilus in hom. quod non si-

mus affixi his rebus temporalibus. vbi assimilatur dæmonem latronibus viarum, qui se abscondunt sub arboribus, ne videantur a viatoribus, prius quam deprædentur. sic dæmones faciunt cū suo principe, abscondunt se sub specie bonorum huius sæculi, nemo enim consentiret dæmoni tentanti, si per se ipsum accederet; appetitus enim hominis refugeret, & abhorreret; sed accedit proponendo delectabilia, vtilia, & apparentia bona huius sæculi, vt ad vere malum, scilicet peccatum, attrahat; aut deterrendo sub specie apparentium malorum, vt a vero bono retrahat, sicq; tentat tamquam latro, vnde Saluatorem tentaturus accessit panes præsentando, & gloriam huius mundi offerendo. aut demum per aliqua, quæ in creatura sunt bona, in errorem inducendo. sic persuasit multis, creaturas esse deos. Hæc sunt arma huius fortis offensiuæ, quibus nocet ad peccatum inducendo, & defensiuæ, quibus se tuetur, ne repellatur, & repulsus vincatur ab homine. propter hæc omnia dictum est à Salomone sap. 14. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentatione animabus hominum. & in muscipulâ pedibus insipientium. Præter etiã affectiones animi nostri sunt potentissima arma defensiuæ & offensiuæ dæmonis contra nos; nostris enim prauis concupiscentijs appetitibus, ac disidijs abutitur sub iis se abscondit. ea contra nos excitat, ac per ea ad perniciem trahit. sunt etiã vitia ac peccata arma ipsius offensiuæ, nam per vnũ vitium trahit ad multa. mirum est, quæta mala in homine per ambitionem, & auaritiam operetur. Demum nostra membra corporis arma sunt ipsius offensiuæ, de quibus dicit Paulus Rom. 6. neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. His omnibus diaboli cum suis satellitibus, armatus est contra hominem, & hæc dicuntur arma fortis.

A N N O T A T I O XLIX.

Dæmonis arma quæ.

Domus fortis huius quæ.

Explicandū nunc est, quæ sit huius fortis domus, Matthæus enim & Marcus domus istius meminerunt. Hieronymus hanc domum interpretatur mundum istum sensibilem, in quo diabolus versatur decipiens homines, vnde Ioan. 14. dicitur princeps huius mundi. & Ephe. 2. dicitur princeps potestatis huius aeris. Irenæus lib. 3. c. 8. domum hanc interpretatur homines, qui erant in apostasia, nempe idololatræ, in quibus habitabat dæmo per peccatum, & apostasiam a vero Deo, & hæc interpretatio accommodatior est, nam paulo inferius dicitur: Reuertar in domum meam,

vnde exiui. quæ verba sunt dæmonis respectu hominis, quem possidebat. cum igitur ante Christi aduentum maximam hominum partem detineret in idololatria, & diuersis scelerum & peccatorum generibus, dicebarur habitare, quasi in domo quadã in homine. possumus vtranque interpretationem coniungere, vt & domus principis dicatur hic sensibilibus mundus, in quo ille versabatur cum suis ministris, & homines etiam, in quibus modo particulari per peccatum inhabitabat. Hæc de domo.

A N N O T A T I O L.

Quid atrium fortis armati.

Dicitur etiam, vt ex Luca constat, habuisse atrium, cum inquit, Fortis custodit atrium suum.

Atrium Græce αυλή dicitur: Est autem atrium locus quidam apertus, & vacuus ante ædes ipsas expositus, sicut

fitus, Itali *Corsile*, vocant, soletque esse in magnis & amplis domibus. Quidam recentiores positum putant pro domo ipsa, at reuera distinctio est: nam custodia solent poni ante primam portam domus, vbi atrium est. Hoc dicitur fortis iste custodisse, & dum hoc custoditur, aditus in domum non patet inuadenti. Atrium igitur dæmonis erant ignorantia, & tenebræ, quibus totus fere mundus inuoluebatur, notitia veri Dei, & eorum, quæ ad salutem necessaria.

erant, exclusa; hoc atrium conabatur diabolus custodire, & conseruare, ne lux cælestis intraret, sciendum hoc atrium custodiebatur, & tenebatur, in pace esse omnia, quæ possidebat, nec ab hominibus; in quibus habitabat, expelli se posse, nec Deum in homine habitaturum. De harum tenebrarum atrio dictum est Isa. 60. Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. sunt etiam alia multa Scripturæ loca, tamen noui, quæ veteris testamenti, satis cuilibet nota.

ANNOTATIO LI.

quos tamquam per instrumenta suum principatum conferuabat, & promouebat, eos nimirum, qui alios decipiebant, falsam eius religionem tuebantur, quales erant philosophi illi gentium, qui graues, & perniciosos errores seminarunt in populis contra salutis veritatem; quales etiam principes terreni, qui idololatriam tuebantur, populosque in ea tenebant, & promouebant; hi vasa dæmonis dicuntur, & vasa iniquitatis. tales sunt nunc hæresiarchæ, & alij similes. in hac significatione accipitur Gene. 49. vas. Nā Simeon, & Leui, qui homicidia in populo Sichen multa commiserat, Iacob vocauit vasa iniquitatis, quia aliis nocuerunt. & Act. 9. Paulus dicitur vas electionis, quia per ipsum populi innumerabiles erant ad Euangelium conuertendi. nam nomen hoc tam in bonam, quam in malā partem accipitur; vt enim sunt vasa dæmonis, sic sunt etiam vasa Deo. At hæc significatio non satis accommodatur huic contextui, sicut nec vlla ex allegatis, præter eam, quæ est Chrysostromi, prior, nempe dæmonia inferiora appellari vasa, per quæ princeps eorum nocebat hominibus; idem tenet Euthymius, licet hic arma, & vasa idem significare existimet. Hæc expositio accommodatissima est contextui; vis enim argumenti Christi hæc est: Quomodo ego possem dæmonia innumerabilia diripere expellendo ea ab hominibus, nisi prius fortem principem eorum alligassem? non ergo in eo eiicio dæmonia.

ANNOTATIO LII.

quando per Christum liberati sunt, dicuntur spolia dæmonis, non quæ ipse accepit, sed à quo accepta sunt; sic etiam homines mali, infideles, idololatræ conuersi ad Dei fidem, & cultum, dicuntur spolia: sic etiam innumera loca, templa, prouincia, in quibus dæmon prius colebatur, ab eo iam erepta, & cultui Christi deseruientia, vocantur spolia.

ANNOTATIO LIII.

ne Baptista Matth. 3. prædicatur: Fortior, inquit, me est. cuius fortitudinem Habacuc eleganter descripsit; dicens, cap. 3. Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius; ante faciem eius ibit mors; & egredietur diabolus ante pedes eius. iste ergo fortis noster inuasit, seu superuenit, quando carne indutus venit in hunc mundum; maxime autem incæpit inuadere, quando abiit in desertum, tentandus à principe dæmoniorum, & cum eo certamen initurus, tunc vicit eum, & nobis in tentatione victoriam contra illum obtinuit, quam passione, & morte, & resurrectione, cæterisque actionibus mirandis compleuit, ac perfecit.

ANNOTATIO LIIII.

ligatus teneatur. Tertio, cum diabolus nihil aliud desideret, quam deceptionem hominum, quando per custodiam Dei omnipotentis, qui electos suos custodire, & defendere non desistit, ab eorum deceptione arcetur, quasi quibusdam vinculis eius impiissima voluntas re legata tenetur. Hæc Ambrosius, qui de hoc loco Evangelij non tractat, sed de loco Apocalypsis, cuius paulo post faciemus mentionem; vbi

vbi etiam de alligatione diaboli sermo habetur, vnde de qua colligatione Ambrosius hanc nostram sententiam Euangelicam intellexerit, non constat; eam vero, quam in Apocalypsi legimus, tripliciter interpretatur, licet paulo post de prima intelligendū eum locum censeat, cuius verba paulo inferius citabimus.

Secundo loco Augustinus lib. 20. ciu. cap. 7. & 8. multa dicit, ex quibus ea proponam, quæ mentem ipsius; & sensum significant. In primis connectit hunc locum Euangelij cum illo Apocalypsis 20. ad eandemque sententiam pertinere arbitratur. Verba autem Apocalypsis sunt ista: Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hoc oportet illum solui modico tempore. Hæc ibi. Augustinus ergo existimat hanc esse alligationem, de qua nunc dicit Dominus, nemo potest ingredi domum fortis, nisi prius alligauerit eum. Secundo loco explicat Augustinus hanc alligationem sic, vt ligatus dicatur dæmon, ne noceat quantum potest, nec secundum totas vires suas dolos ac fraudes tentet; vt sic ligato dæmone locus detur iis, qui ad Christum conuertendi sunt, ac saluandi. verba ipsius in cap. 8. sunt hæc: Alligatio diaboli est non permitti exercere totam tentationem, quam potest vel vi, vel dolo ad seducendos homines in partem suam, cogendo violenter, fraudulenterue fallendo. Quod si permitteretur in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles deiceret, & ne crederent, impediret. Hæc ille. Et in cap. 7. magis explicat dicens ligatum, & impeditum esse, ne electas gentes ad Christum venire vetet, quas vocat vasa erepta a dæmone. Tertio inquit Augustinus diabolus dici missum in abyssum, quia permissus est & restrictus in infidelibus illis, qui electi non sunt, vt eorum possideat corda, quasi respectu horum non sit ligatus. Quarto dicit soluendum in vltimo tempore, nimirum Antichristo veniente, tuncque permittetur tentare secundum totas vires, ob causas quas cap. 8. narrat. Interrogat autem Augustinus, si tunc impediet infideles omnes, ne conuertantur ad Christum, ex iis, qui nondum conuersi sue runt, quando ligatus erat, & responderet, quod etiam tunc conuertentur multi. Obicit autem sibi hunc locum Matthæi, seu Luca. Quomodo potest quis rapere vasa fortis, nisi prius ligauerit? Si igitur solutus est, quomodo vasa aliqua rapiuntur ab eo? responderet autem satis esse, quod semel ligatus fuerit, licet aliquo tempore postea solutus sit, sicque istam sententiam intelligendam censet. multa alia in iis duobus capitibus dicit Augustinus; hæc tamen sunt præcipua, quæ ad nostram rem faciunt. Cui sententiæ consenit Gregorius lib. 32. moral. cap. 12. explicans alligationem diaboli, & abyssum, in quam deiectus est, sicut Augustinus. Hæc sententia iudicio meo patitur difficultatem. Primo quidem, si non aliud est ligari diabolum, quam impedire eum, ne secundum totam suam potentiam & vires sæuiat in homines, eosque tentet, iam ligatus diceretur & esset, multo ante aduentum Christi secundum carnem; cum à principio mundi nõ permiserit vnquam Deus tentari homines supra vires, & supra id, quod poterant, dicente Paulo 1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. cum igitur Deus semper fuerit fidelis, numquam tale fieri passus est, Quis autem non videt si diabolo permissum esset secundum totam suam potentiam sæuire, multos ten-

tatos fuisse supra id, quod potuerunt, cum non omnibus tanti auxilij diuini sit datum, vt omnem inimici virtutem superare valerent? confirmatur hoc exemplo Iob, in quem non est datum dæmoni sæuire nisi cum limitatione: animam inquit, illius serua. at in hac sententia tam Euangelij, quam Apocalypsis sermo est de ligamine diaboli post Christi aduentum. Secundo hoc ipsum probatur, quia etiam ante Christi aduentum non est permissus diabolus impedire electos, quo minus conuerterentur, & salui fierent: nam Iudæi multos habuerunt profelytos ex gentibus, & inter ipsas gentes, qui electi fuerant, à Dei veri notitia non sunt exclusi: ergo diabolus ligatus fuerat, si alligatio non aliud est, quam facere ne diabolus gentes electas impediatur, quo minus saluæ cõsequantur. Tertio, quod vrgentissimū est argumentum, ea alligatio Augustini cõmunis est omnibus dæmonibus: at hæc, de qua nunc & in Apocalypsi agitur, particularis est, & solius principis dæmoniorum, vt ex ipso contextu satis constat. Quarto abyssum non posse intelligi corda reprobõrum, in quæ diabolus religatus sit, Ambrosius Apocalyp. 20. probat argumento potentissimo, retractatque se quia eam sententiam paulo ante tenuerat. verba ipsius sunt hæc: Superius inquit, quorundam opinionem sequens dixi per abyssum impiorum corda designari, in quibus diabolus à cordibus fidelium expulsus, religatus teneatur. Si ergo per abyssum corda reprobõrum designantur, quomodo de abyssu, id est, de reprobõrum cordibus exire dicitur, quos numquam derelinquet? Nūquid reprobos derelicturus est, & inuasurus electos? Alligatione ergo diaboli secundum litteram intelligendam puto, vt in aliquo abyssi loco virtute diuina religatus teneatur, vel certe in inferno vsque ad diem solutionis suæ. Hæc Ambrosius, cui interpretationi consonat illud Luc. 8. vbi rogabat dæmones Christum ne eos in abyssum detruderet. propter hæc & alia, quæ ad rem nostram non faciunt, sententia Augustini non videtur accommodanda.

Tertio loco Hilarius can. 12. in Matt. & Iren. lib. 5. cap. 21. locum Euangelicū interpretantes, duo dicunt. vnum est hanc alligationem euangelicam esse quandam contusionem, & contritionem potestatis Satanæ. Alterum est, hanc alligationem factam fuisse, quando tantauit Christum, & in tentatione victus repulsius est, inde princeps dæmoniorum ligatus est. quo autem modo vires illius contritæ & confusæ dicantur, non explicant hi doctores.

Quarto loco Hieronymus Matth. 12. aliter sentit, cuius hæc sunt verba: Alligatus est fortis, & religatus in tartarum, & Domini contritus pede. Hæc ille, quibus adiungimus verba ipsius Matth. 4. explicans illud: Vade Satana: Non, inquit, vt plerique putant, eadē sententia Satanas & Petrus Apollolus condemnantur, Petro enim dicitur: Vade retro me Satana; id est, sequere me, qui contrarius es voluntati meæ; hic vero audit, Vade Satana, & non ei dicitur, retro me, vt subadiatur; vade in ignem æternum, qui præparatus est tibi, & angelis tuis. Hæc ille. Ex quibus colligimus Hieronymi sententiam hanc esse, nimirum principem Satanā detrusum in abyssum, id est, infernum, vt iam amplius, donec in vltimo tempore soluatur, per se non valeat tentare quenquam, sed per suos tantum satellites, hancque esse alligationem eius, nimirum detentionem, ne per se ipsum nocere aut tentare valeat; rursus hanc alligationem tunc esse factam per Christum, quando in deserto Satanam tẽtare præsumentem deuicit, & victum repulsi, dicens: Vade Satana. Hæc est mens Hieronymi iudicio meo fideliter iuxta ipsius verba explicata Huic sententiæ nonnulla obstat primo quidem, quia etiam post tentationis illius tempus adhuc princeps in mudo erat, & in Christo insurrexit, mortem eius procurado, quod ex Ioanne colligimus, c. 12.

Que sint huius fortis, vasa.

ADhuc explicandum est, quæ sint vasa huius fortis. Primo loco Irenæus lib. 3. c. 8. interpretatur eosdem homines, qui dicti sunt domus fortis. domus quidem, quia inhabitat in eis dæmon per peccatum, & maxime per idololatriam; vasa autem, quia vtiuntur eis dæmon, quemadmodum vult. Hoc idem Hieronymus sentit.

Secundo loco Chrysostronus homil. 41. in Matth. dupliciter interpretatur; vno modo, vt vasa diaboli; & Beelzebub dicantur dæmones inferiores eius ministri, quorum opera vtiuntur cõtra nos; altero modo, vt vasa dicantur omnes homines, qui male viuendo adhærēt illi, & vtraque interpretatione cõplectitur.

Tertio loco August. lib. 1. quæst. Euangel. c. 5. & lib. 20. ciuit. c. 7. & 8. vasa dicit esse infideles, eos maxime, qui ad Christum conuertendi sunt.

Quarto loco Euthymius in Matth. dicit, vasa apud Matthæum idem significare, quod arma apud Lucam; nam in Scriptura arma dicuntur vasa. Psal. 7. In eo parauit vasa mortis, nempe sagittas: at vero non sic est; distincta enim sunt, vt ex interpretatione cõstat.

Quinto loco Druthmarus putat ipsos homines à dæmonio vexatos dici vasa illius, cuius sententiæ meminit Euthymius nomine tacito. adducit Druthmarus aliam interpretationem, nimirum homines potentes, per quos diabolus multa operatus est, dici vasa eius. In cuius declarationem nota, vasa dæmonis non dici quoscumque malos, sed quosdam, per

Que sint dæmonis spolia.

VLtimo loco explicandum est, quæ sint spolia dæmonis, vbi notandum est, non dici spolia respectu dæmonis tantum, sed etiam respectu Christi: quæ enim prius sub dæmonis erant potestate, & postea ablata sunt ab eo per Christum, & Deo reddita, dicuntur spolia; sic Patres in limbo detenti olim, & quodam modo ad dæmonis potestatem attinentes,

Christus Dominus, quid contra hunc fortem eo fortior fecerit.

Consideremus modo, quæ aduersum hunc fortem Christus noster eo fortior fecit; superuenit enim, id est, inuasit, vicit, ligauit, arma abstulit, domum ingressus vasa eius rapuit, spolia distribuit. Hæc ex Matthæo, Marco, & Luca simul, colliguntur facta per Christum. In primis Christus noster dicitur fortior Beelzebub principe dæmoniorum, sicuti reuera est, non solum vt Deus, sed etiam vt homo propter diuinitatem humanitati vnitam, in qua, & per quam vicit, ac superauit omnem inimici potestatem. vnde Isai. 7. dictum est per excellentiam de Christo: vocabitur nomen eius fortis, & Psal. 23. Dominus fortis, & potens, Dominus fortis in proelio. merito à Ioan-

Quomodo diabolus sit à Christo alligatus.

QUO autem modo Christus hunc principem alligasse dicatur, non parua est difficultatis explicare. Primo loco Ambrosius Apocalyp. 20. docet alligationem diaboli tribus modis posse intelligi. Primo, vt virtute Dei omnipotentis in abyssum re legatus teneatur vsque ad tempus præfinitum. Secundo, vt per abyssum corda impiorum intelligamus, vt à cordibus electorum exclusus intratus, angustias cordium reprobõrum constrictus, & al-

Nunc, inquit, iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras. igitur ante hoc tempus non erat eiectus. & cap. 14. Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. quæ verba cum de presenti sint, indicant principem hunc nondum ligatum, ut per se nocere non valuerit; de eo enim dictum est Luc. 22. Ecce Satanas expetitur cribrare vos sicut triticum. simile est illud Ioan. 13. cum Diabolus misisset in cor Iudæ. hæc enim de principe dicta sunt.

Secundo, quia Apoc. 20. legimus eundem per Angelum detrusum & ligatum in inferno, quod postea factum esse Ioannes vidit, nondum ergo ista alligatio facta erat, eo maxime, quod non per Angelum, sed per Christum fortis hic nunc ligatus dicitur, licet Ambrosius Angelum hunc interpretetur Christum ipsum, non tamen ea interpretatio videtur accommodata.

Tertio, quia expediebat relinqui principem hunc, ut totas vires suas exerceret in Christi passione, ut illustrior de eo victoria per Christum reportaretur. quod Christus significavit, quando dum à militibus comprehenderetur, dixit Luc. 22. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. propter hæc omnia mihi videtur dicendum, non esse eandem alligationem hanc cum ea, quam Ioannes in Apocalypsi enarrat; in hac enim sic ligatus est princeps dæmoniorum, ut nequeat per se quemquam tentare, nec solum hoc, sed etiam in tartarum eum coniectus; nec inde egredi permittitur, usque ad ultimum tempus quando egrediendi dabitur facultas, & permittetur per se ipsum nocere & tentare, & quod potest, efficere aduersus homines. Quæ quidam alligatio facta est post Christi mortem, quando ad inferos descendit, & prædam sanctorum de manibus eripuit; tunc enim probabile est factum esse, quod Ioannes

narrat in sua Apocalypsi, & quod significat Ambrosius in Apoca. cap. 20. At vero, quæ in hoc Euangelio narratur alligatio, facta erat, quando Christus hæc protulit verba, in quibus eius fit mentio, quasi iam ligatus esset fortis, & ideo vasa diripere, & arma ablata. in quo Hilarius, Irenæus, & Hieronymus conueniunt, affirmantes hanc alligationem factam tempore tentationis Christi. Est autem hæc alligatio, non qualis facta fuit postea, sed ut Hilarius & Irenæus docuerunt, si modo eos explicemus, nempe Principem ex illa victoria à Christo contra eum obtenta mansisse debilitatum timore, & horrorem diuina Christi virtute, tum efficacia illius verbi, & præcepti (Vade) incusso, ut non amplius auderet accedere Christo ad eum tentandum, nec per se ipsum resistere operibus illius, nec valeret exequi multa, quæ desiderabat contra Christum, ac eos, qui eum sequebantur; sicut enim passioni proximis, verbum illud (ego sum) sic perterrefecit aduersarios ut abierint, & ceciderint retrorsum, sic etiam illud: Vade Satana, in deserto diaboli vires timore & virtute repressit, & debilitauit, ut diximus. Sic ligatus dicitur nunc in Euangelio princeps hic, nondum tamen plene ligatus, nec tunc in tartarum relegatus, ibique detentus. & iuxta hanc expositionem argumentum Christi procedit: Quomodo potest quisquam fortis domum ingredi, vasa diripere, nisi prius vincat, & liget fortem? Aduertendum autem est, post Christi aduentum dæmones minores habere vires contra fideles, non quod illorum diminuta sit virtus, sed quod fidelibus per Christum abundantior sit concessa gratia; quo enim fideles robustiores sunt, eo minus possunt dæmones contra eos; sicque dicuntur minus posse, quam ante.

ANNOTATIO LV.

Superest reliqua explicare, nempe, quomodo Christus arma fortis abstulit, vasa eius diripuit, & spolia distribuit.

Quod ad primum spectat, exposuimus ante varia armorum genera, quibus princeps, & fortis iste utebatur, quibusque fidebat, quorum aliqua Christus, cum hæc protulit verba, abstulerat: nam peccata multorum remisit, & quos à dæmonibus liberarat sanctificauerat; his enim armis multum fidebat fortis iste contra homines, ut & animabus & corporibus noceret; ac quando fortem omnino ligauit, tunc omnia arma abstulit, iam enim relegatus & inferni carcere detentus per se neminem tentat, nec armis utitur, quibus prius utebatur, mundumque fere totum captiuauerat.

Quod ad secundum de vasis, si per vasa intelligamus dæmonia, quæ sub forti illo militant, Christus ea diripuisse dicitur, quia à multis hominum corporibus expulerat, & disperferat, & in varias par-

tes relegauerat, dissipatis legionibus eorum. Quod si intelligamus homines peccatores, hos etiam rapuit quasi violenter, & eripuit a tyrannide fortis, & ad Deum conuertit, quod perfectius & abundantius effectum est post resurrectionem.

Quod ad tertium de spoliis, quæ dicuntur hi homines à potestate dæmonis erepti, & ad Dei partes attracti, hæc distribuisse dicitur, quia variis donis Spiritus sancti ornauit, quæ in diuersa munera elegit; quosdam enim Discipulos, quosdam Apostolos, quosdam credentes conuertit. Hæc omnia cumulatissime post resurrectionem facta sunt, quando non solum innumerabiles populos quasi spolia ad se traxit; sed & infernū, ubi Patres erant, spoliavit; & templā, locaque insinita, in quibus impius cultus principi, & forti huic impendebatur, in iuum cultum conuertit, variisque modis Deum in ipsis honorari fecit. Optime ergo omnia hæc probant Christum non in principe dæmoniorum, sed in digito Dei eicere dæmonia.

Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.

COMMENTARIA.

HOC est quartum argumentum, quo calumniatores eosdem confutat, & falsitatis conuincit. Sensus est, quorum opera sunt contraria, non sunt concordia; at opera mea, & opera Beelzebub contraria valde sunt; igitur non potest esse mihi concordia cum illo. dicit ergo. Qui non est mecum, contra me est, id est, qui meis operibus dissentit, & aduersatur, contra me est, nec vllam mecum habet concordiam; at princeps dæmoniorum cum suis, meis operibus aduersatur; ego enim prædico penitentiam peccatorum, obseruantiam mandatorum Dei, humilitatem, patientiam, sobrietatem, ceterasque virtutes, ab innumeris & multiplicibus infirmitatibus corpora hominum libero; ille vero ad omnia contraria animos sollicitat hominum, corporibus multipliciter

Christus quomodo arma fortis abstulit, vasa diripuit & spolia diuisit.

Explicatur magis superior sententia ex dictis Patrum.

ter nocere conatur; quomodo ergo possum cum eo habere concordiam? Præterea, qui non colligit mecum, dispergit, id est, ego colligo homines ad vnitatem fidei, ad charitatem, ad vnius Dei religionem, ad pacem; at fortis hic & princeps dæmoniorum dispergit in multiplices Idolorum cultus, & impietates, seminat diffidia, discordias, & contentiones, auocat ab obedientia Dei, & à legis obseruantia: fieri igitur non potest, ut vllam cum eo habeam concordiam.

ANNOTATIO LVI.

Chryostomus hom. 42. in Matthæum, hanc sententiam supradictam existimat esse quartum argumentum, quo Christus vsus est contra calumniatores eum eicere dæmonia in Beelzebub, & in eodem sensum interpretatur, dicens: Quid ego quero; aut quid volo, inquit; vniuersos ad Deum reducere, vera ipsis virtutum tradere documenta, regnum celorum cunctis annunciare. Quid autem diabolus, aut dæmones ipsi quarunt; quippe quæ eis opposita sunt? Quomodo igitur, qui mecum non colligit, neque mecum omnino est, sua me operatione iuuat; cur non iuuare ipsum dixi solum, qui etiā spargere, atque dissipare mea desiderat? Quoniam, qui non iungit solum, verum etiam cuncta mea dispergit, quomodo mihi adeo assentiret, ut mecum vellet dæmonia eicere? Hæc ille. Hieron. etiam

Matth. 12. eodem modo interpretatur, inquit enim; Non putet quisquam hoc de hæreticis dictū, & Schismaticis, quamquā & ita ex superfluo posset intelligi. sed ex consequentibus, textuque sermonis ad diabolum refertur, eo quod non possint opera Saluatoris Beelzebub operibus comparari. ille cupit animas hominum tenere captiuas, Dominus liberare: ille prædicat Idola, hic vnius Dei notitiam: ille trahit ad vitia, hic ad virtutes reuocat. Quomodo ergo possunt inter se habere concordiam, quorum opera diuersa sunt? Hæc ille. Notare videtur Ambrosium, qui lib. 2. de penitentia, cap. 4. hanc Domini sententiam de hæreticis, & Schismaticis interpretatus est. Similiter Cyrilianum, qui lib. 3. ad Quirin. nu. 86. de Schismaticis etiam intelligit.

Cum immundus spiritus exierit de homine, perambulatur per loca inaquosa, quærens quietem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam unde exiui.

COMMENTARIA.

Refutata argumentis efficacibus calumnia Scribarum, & Phariseorum, Christus mira sapientia ingratitude, incredulitateque eorum, cæterorumque similium Iudæorum, punitionem prædicit, totusque & integer sensus propositæ, & sequentium sententiarum hic est: Cum ego Spiritus immundos, seu dæmonia à vobis expellam, vos & increduli & ingrati ita estis, ut me in virtute Beelzebub ea eicere calumniemini; prædico ergo vobis hoc euenturum, ut agitemini à dæmonibus pluribus & peioribus, quam ante; nec erit, qui vos liberet. populus enim Iudaicus incredulus traditus est potestati dæmonis, grauiusque se habet, ac in peiori statu est, quam ante, quando in Dei populum nondum erat vocatus. Huius argumenti prius ponit exemplum hominis à dæmonio vexati, qui cum liberatus esset ab eo, nec diligentiam vllam adhibuerit, sed otio vacauerit, peius est à dæmonio vexatus quam ante. Applicationem autem omisit Lucas, quia hoc eodem exemplo significabatur; tamen Matthæus eam expressit, inquit ergo, Cum ab aliquo homine expellitur dæmonium (quod ob peccatum, quo infectum est, & ad quod homines trahere conatur, spiritus immundus dicitur,) sic eiectum dæmonium recedit in loca inhabitata, arida, & inaquosa, ubi non est commercium hominum, cumque non inueniat ibi quietem, eius enim quietus est nocere hominibus, quos iis in locis non inuenit, procurat reuerti quantum in se est ad hominem, quem prius vexabat. reuertar inquit in domum meam, unde exiui prius expulsus, & eiectus.

ANNOTATIO LVII.

Singula verba propositæ parabolæ explicantur.

Verba singula huius exempli, seu parabolæ, aut similitudinis explicanda sunt. primo, cum exierit, inquit, ab aliquo spiritus immundus, non quod sponte exierit, sed virtute diuina, eiectus, & expulsus, ut notauit Euthymius Mat. 12. nā exisse dicitur dæmonium, etiam si vi expulsus sit Mat. 17. Increpauit illum, & exiit ab eo dæmonium. & Luc. 8. Exierunt ab eo dæmonia, & intrauerunt in porcos. his in locis dæmonia exisse dicuntur, & tamē Christi virtute expulsa sunt. Secundo; Perambulatur per loca inaquosa, apud Mat-

thæum legimus loca arida, idem tamen est Græcum vocabulum apud vtrumque Euangelistam. Quæ autem sint hæc loca arida varie explicant Doctores. Primo Hieronymus Matth. 12. interpretatur gentium populos, antequam ad Christum conuersi essent, in quas recessit dæmon à populo Iudæorum, quando fidem Dei recepit, expulsus; huius sententiæ fuit Gregorius Nazianzenus in oratione in sanctum baptismum, appellans gentes inaquosas, & aridas, quasi nondum aqua baptismi irrigatas.

Secundo loco Gregorius lib. 33. moral. cap. 3. loca hæc arida, & inaquosa interpretatur corda iustorum, quæ per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur, in hæc abiens dæmon, non inuenit requiem, vt paulo inferius explicabimus. Hæc duæ interpretationes potius ad spirituales sensum, quam ad literalem faciunt: nam Dominus hoc exemplo significare intendit, quæ populo Iudaico euenirent ob incredulitatem eius, vnde exemplum non est spiritualiter, sed literaliter interpretandum, vt postea applicetur, & accommodetur significato à Domino intento. Tertio loco magis accedens ad litteram Origenes hom. 9. in Leuit. interpretatur hæc loca arida, infernum ipsum, in quod dæmonium eiectum ab homine detruditur. hoc quidem magis accommodatur, tamen probabile non videtur; raro enim dæmonia eiecta, in infernum detruduntur. vnde Luc. 8. rogantur Christum dæmonia, ne ea in abyssum abire cogeret, & obtinuerit. Adde si locus hic aridus infernus esset, non ita facilis esset egressio, nec assumptio septem aliorum dæmoniorum, vt paulo inferius dicitur. Existimo ergo loca hæc inaquosa esse loca solitaria, & deserta, & à communione hominum sequestrata: vbi enim aqua non sunt, ab hominibus loca talia non habitantur. vnde Hieronymus interpretatus est solitudines; in hæc loca solent ij, qui virtute diuina dæmonia expellunt, ea abigere, vt nec hominibus, nec eorum rebus nocere valeant. sic legimus Tobia 8. Angelum ligasse dæmonium in deserto Ægypti; ad litteram enim intelligenda sunt sic loca hæc arida, in quæ expulsi dæmon recedit, & abiicitur. Tertio dicitur in iis locis requiem non inuenire, quod etiam verbum varie exponitur: nam Hieronymus dicit dæmonium non inuenisse requiem in gentibus, quando Christo credere cœperunt, & sic reuersum esse ad Iudæos incredulos, à quibus expulsum fuerat à principio,

Et cum venerit inuenit eam scopis mundatam.

COMMENTARIA.

Prosequitur exemplum & similitudinem. Dæmonium igitur venit ad hominem illum, à quo eiectus erat, ac non statim ingredi audet, sed statum eius considerat, inuenit autem eum quasi domum scopis mundatam, id est, præparatam suæ habitationi, nempe virtutibus, ac donis Spiritus sancti carentem, vitiisque incumbentem absque vlla vitæ emendatione. Nota non prius dæmonium tentare ingredi in hominem, nisi negligentem, ac vitiis incumbentem viderit. hæc sunt, quæ locum parat diaboli ingressui, & ipsum animosum faciunt ad introeundum.

ANNOTATIO LVIII.

Explicatio copiosior verborum præcedentium.

Matthæus plura habet verba, inquit enim. Inuenit domum vacantem scopis mundatam, & ornata, quæ quidem per proprietatem dicuntur de domo materiali, per metaphoram autem de homine, significantque dispositionem prauam in eo, propter quam permittente Deo dæmonium semel exclusum reuertitur, peius quâ prius, vt habetur paulo infra. Dicitur autem domus vacare, quando non est qui habitet in ea: sic homo huic domui similis est, quando Deo vero habitatore priuatur, nempe quando sine gratia & charitate est, per quas Deus inhabitat in nobis; adhuc etiam otio & negligentia deditus est homo. Dicitur autem scopis mundata, quando non habet immunditiam, quæ solet remouere homines ad habitandum: mundities vero inuitat, & trahit animos ad habitationem. sic per similitudinem homo dicitur scopis mundatus in malam partem, quando

quando ad fidem & cultum Dei vocati sunt. Quæ interpretatio est spiritualis, & non potest accommodari, nam postea Christus dicit: Sic erit generatio huic scilicet Iudæorum. oportet ergo exemplum hoc in eum sensum exponere, cui simile sit, quod factum est cum Iudæis. Idem dicimus ad Gregorij interpretationem, qua iustorum corda explicat loca arida, in quibus non inuenit requiem diabolus, quia non consentiunt operibus eius. accommodatius est, quod secundum Origenem dicere possumus, in inferno dæmonia non inuenire requiem, quia ibi magis torquentur, idcirco deprecabantur in eum locum non detrudi. Vera tamen & germana intelligentia mihi videtur, dicitur dæmonium non inuenire requiem in iis locis desertis, quia studium & cibus eius, ac desiderium est nocere hominibus; vbi igitur non inuenit, cui noceat, requiem non habet: non quod dæmonia, quæ in statu damnationis sunt, requiem habeant veram, sed requies eorum est maioris fastidij, & tormenti priuatio: sicut inuidus requiem dicitur habere in malo proximi, quando non torquetur bono illius; sic dæmonia torquentur bono hominum, & eorum prospero successu: cum autem nocent, eo tormento carent, sicque requiem habere dicuntur. Quarto cum non habeat requiem, vbi non nocet, prematurque desiderio, & appetitu vehementi nocendi, tentat reuerti ad hominem, quem prius vexabat, hoc est (dicit: reuertar in domum meam, vnde exiit) non quod liberum sit illi reuerti, sed quod tentat & conatur, & Domino permittente id efficit, non autem tentat in aliam domum ire, sed ad eundem reuerti hominem, quia expertus est iam se præualuisse in eum, & sperat denuo posse, quod prius iam potuit. Perpende conatum & studium dæmonis ad nocendum hominibus, & quantum sibi promittat in eos, quos semel subiecit. Hæc de sensu literali huius sententiæ.

caret virtutibus, & supellestilibus spiritualibus, non quod hæc sint immundities, sed quod horum priuatio prouocet dæmones ad habitandum in eo, sicut mundities domus inuitat ad habitationem hominum. Ornata autem dicitur, quando ornamenta habet, quæ spectabilem eam faciunt, & delectant oculos inhabitantium: sic homo dicitur ornatus, sed respectu dæmoniorum, quando prauis habitibus & consuetudinibus vitiis plenus est, ipsique inhæret. Demum similitudo sumpta est à domo disposita, quæ solet facilem ingressum habitatoribus facere, sic homo, qui dispositus est ad dæmonis habitationem, huic domui assimilatur, qua de causa permittit Deus vt iterum regressus dæmon habitet in eo. Hæc omnia conueniunt, & adaptantur Iudæis. explicabimus autem ea in huius exempli accommodatione.

Tunc

Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi; & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

COMMENTARIA.

Complet exemplum, & parabolam. Videns ergo dæmonium prius eiectum, dispositionem hominis, à quo eiectus erat, prauam, accommodatamque sibi, inuitat secum alia dæmonia septem nequiora se, vt secum ingrediantur in hominem illum, ne ita facile iterum eiciatur, sicut prius fuerat eiectum; quæ dæmonia vt pote ad nocendum paratissima, consentiunt, veniuntque cum illo, & Deo permitte simul ingrediuntur in hominem; vnde fit vt multo peius se habeat homo ille, quam prius ante liberationem se habebat; ante enim ab vno dæmonio possidebatur, & torquebatur, nunc vero ab octo, illo nempe primo, & septem alijs nequioribus. Dicuntur autem dæmonia nequiora, non solum quia sceleratiora, sed etiam quia fortiora, & promptiora erant ad nocendum, & torquendum, ac ad peccata, & scelera prouocandum, vt homo ille nocementum grauius, & in anima, & in corpore pateretur, fierentque nouissima peiora prioribus, quia beneficium liberationis non agnouit, nec eo, vt debuit, vsus est.

ANNOTATIO LIX.

Triplici modo potest quis à dæmone possideri.

Pro huius exempli intelligentia sunt aliqua notanda. Primo tripliciter aliquem posse à dæmonio possideri, vno quidè modo spiritualiter, scilicet propter peccatum lethale; qui enim in tali peccato est, seruus est peccati, ac sub dæmonis potestate, à qua proprijs viribus se eripere non valet, nisi per gratiam Christi. Altero modo corporaliter tantum, quando dæmonium in corpus hominis intrat, Deo permittente, ipsumque vexat, ac torquet, hique homines dicuntur energumeni, id est, exercitatus vexatio enim ea data est in exercitium, & in probationem hominum eorum frequenter. dixi autem corporaliter tantum, quia non semper, qui sic à dæmonio vexantur, in peccato sunt, vt affirmat, & probat Augustinus lib. 21. ciui. c. 14. & lib. 22. c. 22. vbi testatur nonnullos baptizatos infantes etiã huiusmodi pati vexationem. Tertio, corporaliter, & spiritualiter simul, quando homo in peccato est, ac propter ipsum traditus corporaliter dæmonio, qualis fuit ille fornicarius. 1. Cori. 7. quem Paulus tradidit Satanae corporaliter vexandum, vt spiritus saluus fieret; commiserat enim pessimam fornicationem. Origenes hom. 2. in Iudic. dicit hoc aliquando fieri à Deo solo propter peccatum hominis aliquod graue, quomodo Saul. 1. Reg. 16. permissus est à dæmonio vexari; aliquando autem per potestatem Ecclesiæ, vt factum est per Paulum vt diximus, & refert Origenes in primitiua Ecclesia hoc ipsum fieri solitum. cum igitur sint tria genera eorum, qui à dæmonio tenentur, in præfenti sermo est de tertio, nempe de homine, qui propter peccatum aliquod traditus erat dæmonio corporaliter vexandus, à quo liberatus iterum propter negligentiam illi traditus est dæmonio. Huius generis enim erant omnes fere, quos Christus liberauit à dæmonio, eos corpore, & anima sanans.

Secundo notandum est ex Origene hom. 15. in Iosue. licet omnes fere dæmones hominibus nocere, eosque ad peccandum excitare studeant, tamen non omnes ad omnia peccata præcipue tentant, sed diuisum est studium eorum; quidam enim ad luxuriam potius, quidam ad avaritiam, quidam ad ambitionem, quidam ad rixas, & homicidia tentant, sicque de alijs peccatorum generibus. quod etiam docent Ambrosius lib. de Paradiso. cap. 12. & Augustinus lib. Quæst. ex utroque mist. cap. 105. addens quosdam dæmones ad peccata tentare, quosdam corpora

Dæmones omnes hominibus nocere student, sed non omnes ad omnia peccata præcipue tentant.

vexare. quod intelligendum puto de studio præcipuo eorum: nam omnes quantum possunt, eisque concessum est, ad peccandum trahere homines querunt. Non solum hoc est, immo sunt diuersa capita, sub quibus militant multi inferiores dæmones, vt vnus sit, cui præcipue cura incumbit tentandi ad gulam, sub quo sunt multi inferiores, alius ad superbiam, alius ad avaritiam, & sic de alijs; quamuis enim mutuo se odio habeant, ad nocendum tamen homini contra Deum sunt omnes concordēs, suntque alijs alijs potentiores, & nequiores, ac sceleratiores, vt refert Athanasius in vita sancti Antonij. Vt enim ante peccatum erat ordo, & inæqualitas inter eos in bonum, sic etiam manet ordo, & distinctio eorum ad malum, quæ Paulus insinuat Ephes. 6. dicens: Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebarum harum, contra spiritualia nequitia, in cælestibus. Existimo Pauli vocare spiritualia nequitia dæmones inferiores, qui sub principibus, & rectoribus militant. hinc licebit intelligere, quod in hoc exemplo dicitur, vnū scilicet dæmonium sumpsisse secum alia septem nequiora se, nimirum potentiora ad nocendum tam corpori, quam animæ, & sceleratiora; non enim omnes æqualiter peccarunt.

Tertio notandum est ex eodem Orig. hom. 8. in Exod. quado aliquis homo ab vno spiritu seu dæmonio nepe luxuriæ, aut avaritiæ possidetur, non abhorret, quin etiã ab alio dæmonio alterius peccati possideatur simul, immo mutuo se inuitant; adducitque causam; cū enim dæmon non sit spūsus verus animæ, non est Zelotypus, nec curat vt idem homo pluribus dæmonijs teneatur; adde mutuo se iuuare ad nocendum. pluribus autem dæmonibus vnum simul possideri posse testatur historia Evangelica: nam supra cap. 7. legimus à Maria illa septem eiecta, & legitur à quodam integram legionem expulsam.

Quarto notandum est, huius hominis grauiorem fuisse culpam, quam erat prius, cum post beneficium liberationis adhuc peccato incubuerit, & ingratus existens liberum ingressum fecerit dæmonio, propter quod Deus permisit, & in grauiora eum incidere, & peius torqueri. Ex his omnibus exempli huius sensus expositus est, cuius accommodatio postea sequitur.

Dæmones mutuo se iuuant ad nocendum hominibus.

ANNOTATIO LX.

Protermisit Lucas exempli applicationem, quia in ipso exemplo insinuabatur; tamen Matthæus

eam explicuit: narrato enim exemplo adiecit verbum Christi; Sic, inquit, erit generatio huic pessima,

Exemplum allatū à Christo populo Iudæorum appli- catus.

mæ, id est, hoc eueniet populo Iudaico incredulo, qui prius spiritualiter a dæmonio tenebatur, cum in idololatria uiuebat, à quo liberatus fuit, cū ad verā Dei fidem, & religionem in Abraham, & prioribus illis vocatus est; qui non agnoscens beneficia Dei, & vocationē suam, ac promissiones factas, nec legem seruauit, nec fidem custodiuit, incredulus Christo existens; propterea iterum dæmonio traditus est, non vni sed multis, & peioribus, id est, in peiori statu est, maioribusque tenetur peccatis, quam antequam à principio liberaretur, & vocaretur. Non ergo exemplum hoc vni, aut alteri Iudæo accommodatur, sed ipsi populo, & nationi incredulæ, vt notat Hieronymus, quam pessimā merito appellat ob multa peccata, & scelera, & ob perfidiam, & obstinationem eius contra Christum.

Populi Iudæici quatuor status.

Distinguendi igitur sunt quatuor status in populo, primus, quādo spiritualiter a dæmone possidebatur, ante vocationem suam, & legem, ac fidem susceptā, nondū separatus ab idololatrijs, sed cum eis viuens; sic Hieronymus, & Chrysostomus hom. 44. in Matt. hunc statum explicant. Secundus post vocationem suam ad fidem veram Dei, & legem postea susceptam, in quo a dæmone liberatus est, accepta fide vera Dei, & religione, & cultu, ac lege, in quibus uiuebat placens Deo, huncque esse secundum statum, in quo liberatus dicitur populus a dæmone, docet Hilarius. can. 12. in Matth. Tertius, quādo legis obseruantia neglecta non audiuit voces prophetarum, & vltimo venientem Christum non suscepit, immo

occidit, & resurgentem spreuit, Euangeliumque prædicatum respuit, & prædicatores persecutus est. in hoc tertio statu se præparauit domū apertam reuertenti dæmonio: in eo enim vt exponit Grego. hom. 9. in Ezechi. dicitur domus vacans, quia desinit esse populus Dei iuxta illud Dani. 9. Non erit populus eius, qui eum negaturus est, & iuxta prophetiam Ose. 1. Vos non populus meus. templū etiam vacabat vt dicit Hieronymus, quia iam Christum hospitem non habebat, vacabat etiam vt idem Hieronymus dicit, quia angelorum custodia antiqua populus erat destitutus. Dicitur scopis mundata; quia mansit sine fide, spe, charitate, cæterisque virtutibus, vt ibidem interpretatur Gregorius: dicitur ornata secundum Hieronymum, propter superfluas obseruationes legis, & traditiones Pharisaorum, non solum autem legis obseruationes sunt nūc superflue, sed etiam perniciosæ, quia antiqua sacrificia, & carimonix, quæ ante Christi aduentum signa erant vera Christi venturi, erātque veræ religionis opera, adueniente Deo, iam sunt illis incredulis mendacia, & impiæ religionis opera, seruiuntque per ea, non Deo, sed dæmonio. Huic statui succedit vltimus, in quo a publicato illis Euangelio nunc sunt perfidi Iudæi, in quo a salute remotissimi sunt, a primo dæmone cum alijs septem dæmonijs, id est, plenitudine vitiorum vt dicit Hieronymus referti, de quo statu dicitur, Erunt nouissima hominis peiora prioribus, quod quidem in sequenti annotatione magis explicatur.

ANNOTATIO LXI.

Quomodo populus Iudæicus in peiori nunc statu esse dicatur, quam fuit in statu primo idololatriæ.

Vbitabit forsan quispiam, quomodo populus Iudaicus incredulus dicatur nunc in peiori statu esse, quam fuit in idololatriæ statu, priusquam a Deo in patribus illis vocaretur. Multa enim videntur huic assertioni contradicere.

Obiectiones assertioni contrariæ.

Primo, ratione diuinæ veritatis, tunc enim quando in idololatria uiuebat, plures deos colebat, notitiamque veri Dei non habebat: at nunc vnum Deum creatorē cæli, & terræ confitetur, nec idololatra est, quod quidem prædictum est Ose. 3. Multos, inquit, dies expectabis me, non fornicaberis, & non eris viro. quæ verba ibi Hieronymus interpretatur sic: Non eris idololatra, nec tamen meā religionem, quæ vera est, habebis. Ecce igitur, quomodo minus errat in cognitione Dei nunc, quam prius.

quæ notitia huiusmodi multo magis vtilis.

Secundo ex parte notitiæ Christi; ante enim nullam Christi notitiam habebat, at nunc Christum, & Messiam confitentur, licet errant, existimantes nondum venisse.

Tertio ex parte legis naturalis, legem enim naturalem, & Decalogi præcepta agnoscunt ex Scriptura sacra: at gentiles non sic notam habebant; vt enim dicit Hieronymus Isa. 24 propterea per Moysen Deus hanc legem iterum euulgauit, quia in hominibus multum erat propter peccata obscurata.

Quarto ratione veteris testamenti, quia Scripturas sacras habent nunc, legem, & prophetias, cate- raque veteris testamenti, ob quam causam Paulus Rom. 3. affirmat Iudæos in hoc præferri gentibus, quod illis eloquia Dei tradita sint.

Quinto ratione facilitatis, & viæ conuertendi se ad Christum, & salutem assequendi: nam habet Iudæus Scripturas communes nobiscum, ex quibus conuincit potest veritatis, quando enim quidam in principijs conueniunt aliquibus, facilius fit inter se persuasio, quam si non conuenirent, qua de causa Irenæus lib. 4. cap. 41. interpretatur Paulum plus laborasse in conuersione, quam cæteros Apostolos, qui cum Iudæis conuersabantur; quia ille gentibus prædicauit, qui nec sacræ Scripturæ veritatem, nec

prophetias admittebant, quorum testimonio conuincere possent.

Sexto, quia non apparet, quæ peccata nunc committant, quæ ante non committebant; immo multa prius faciebant, a quibus nunc abstinent: sacrificabant enim falsis dijs; a tali autem sacrificio nunc abstinent, quomodo ergo dicuntur peius nunc se habere, quam prius?

Aduertendum est pro resolutione vnum infidelem posse in peiori statu, seu peioris conditionis esse altero tripliciter. primo ex parte intellectus, quia vnus in pluribus errat, quam alter, qui enim plures errores habet altero, magis a luce veritatis remotus est, tenebrisque obscurioribus tenetur, idcirco peioris conditionis est, ac in peiori statu. Secundo ex parte affectus, quando vnus errat malitia, aut pertinacius inhæret erroribus, peioris est conditionis, quam qui errat ignorantia, aut non ita pertinax, & obstinato est animo, etiam si in pluribus errat. Vnde rusticus ignoranter in pluribus errans melioris est conditionis, minusque peccat, quam vir doctus, qui nouit, quæ Ecclesia tenet, etiam si errat in paucioribus; similiter inter doctos, aut rusticos, minus obstinati animi excusabilior est, & melioris conditionis. Tertio ex parte facilitatis conuersionis, & recipiendæ veritatis; fieri enim potest, vt quispiam minus errat, tamen difficilior est via conuersionis eius, ideo erit in peiori statu; sicut si quis homicida sit, alter carnalis, licet ille grauius peccet, tamen facilius conuerti potest, cum ab homicidij peccato facilius homo abtineat, quam a carnali. hac de causa Hieronymus in commentario Matthæi hunc locum explicans affirmat hæreticos peioris conditionis esse, quam gentiles, quia in illis minor est spes fidei recipiendæ, cum pugnent contra veritatem sibi iam notam, eamque respuant; gentiles vero non norunt, faciliusque quispiam recipit, quod prius ignorauerat, quam quod nouit, & respuerat, contraque ipsum contenderit. In his tribus modis aduerte rationem peccati, & culpæ magis attendi ex parte

Vnus infidelis peioris conditionis esse potest quam alter tripliciter.

parte voluntatis, & affectus, quam intellectus; qui enim ex malitia errat, aut qui pertinacior est, & obstinacior, grauius peccatum committit, licet in paucioribus errat. Similiter etiam aduertendum est, non semper, qui difficiliore via, & modo emendari potest, grauius peccare, quando difficultas nascitur ex qualitate peccati, vt in exemplo posito satis constat; grauius enim est periurium, & homicidium, quam fornicatio, tamen difficilius est abstinere ab hac, quam ab illis.

His suppositis ad propositam dubitationem sequentibus dictis respondemus. vno quidē. Iudæus etiam si pauciores errores habeat, quam idololatra, tamen peius se habet, quam ille, etiam ex parte intellectus. hoc dictum sic confirmo, & explico. Gentilis quidē, & idololatra habet, & habuit multos errores contra veritatem Dei, contra statum animarum, erga mundi creationem, & alia multa dogmata fidei nostræ, in quibus non errat Iudæus; tamen habet vnum aliud in quo peioris est conditionis; nam Gentilis nullam habens Christi notitiam, nec Euangelij, nec mysteriorum, solum habet ignorantiam simplicis negationis, at Iudæus horum habens notitiam, & incredulus, ignorantiam habet contrariam, & prauæ dispositionis, expresse negans Christum, & totum Euangelium, & in hoc peius se habet etiam ratione intellectus, & veritatis fidei; quæ enim Gentilis non credit, non solum non credit, sed iis dissentit, & mente aduersatur, & ex hac parte peius se habet nunc, quam cum Gentilis erat.

Secundo, ex parte affectus Iudæus peiori in statu est, quam Gentilis: tum quia sciens, & prudens errat, & notæ veritati Euangelicæ, ac multipliciter confirmatæ malitiose resistit, vnde excusationem nullam habet sui erroris. Ioan. 15. Si non venissem, & locutus fuisset, peccatum non haberent; at nunc excusationem non habent: tum quia obstinatissimus est in sua perfidia, odio habens Euangelium: tum quia ex proposito non vult aures aperire veritati, nec intelligere, nec aduerrere, quod Act. 7. factum est, quando prædicante Stephano Iudæi aures contineuerunt.

Tertio ex parte etiā facilitatis & remedij Iudæus est in peiori statu, quam quando erat gentilis, idque multipliciter, tum ex parte intellectus, quia contraria tenet Euangelio, tum ex parte affectus, quia odio habet Christum ipsiusque veritatem, tum etiam quia ipsi Scripturis sacris, quæ datæ sunt ad eius illuminationem, propter peruersas suas interpretationes, ac corruptiones magis obscuratur; tum præterea, quia innumeris traditionibus impijs & contra Euangelium, ac perniciosis, falsisque fabulis Talmudicis & contra Dei veritatem, & naturale lumen ab infantia est imbutus; tum demum, quia est immersus peccatis grauissimis vsurarū, & aliorum criminū, quibus maxime tenetur, ne ad Euangelium conuertatur, postremo quia est sub ira Dei, & vindicta, expulsus, & eiectus a Deo propter ipsius perfidiam. Psal. 68. Effunde super eos iram tuam, & Ose. 3. Voca non populum meū, quia vos nō populus meus, & ego nō ero vester Deus, vnde dictum est a Domino. Luc. 21. Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. & Matth. 23. Relinquetur domus vestra deserta, & Isa. 5. multa narrantur contra hunc populum, quæ ostendunt difficillimam eius conuersionem, sub vineæ parabola. diruam maceriem eius, & erit in conuultationem, auferam fepem eius, & erit in direptionem, ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, ascendent vepres, & spinæ super eam, & nubibus mandabo, ne pluant super eam. Horum singulorum explicatio non est præsentis instituti. Hoc satis est

significari omnia ista difficultatem conuersionis populi post negatum Messiam. propter hæc & alia difficillime conuerti potest populus Iudaicus. Ex quibus omnibus satis liquet eum esse in peiori statu, quam cum gentilis erat.

Solutio obiectionum.

Soluamus igitur argumenta proposita, quorum solutione res ista magis explicatur. Ad primum respondeo, licet plures errores habeat gentilis, non inde sequitur eum esse peioris conditionis, quia Iudæus in iis, quos habet ex maiori malitia peccat, pertinaciorque est, ac etiam quia minor est spes conuersionis Iudaicæ, viaque salutis magis est ei præclusa vt diximus. adde Iudæum plures errores expressos habere contra Euangelium; cum enim eius habeat notitiam contradicit, & aduersatur, vnde etiam ex hac parte peius se habet, quam cum gentilis erat.

Ad secundum respondeo, prius non habuisse notitiam Christi eiusque ignorantiam fuisse simplicis negationis; at nunc cum notitiam habeat Christi, eum negat, quæ est ignorantia, & error prauæ dispositionis, quod peius est.

Ad tertium, fateor legem naturalem notioerem esse Iudæo, & eorum quæ facere oportet, maiorem habere notitiam, quam gentilem; ex hoc tamen potius sequitur Iudæum magis, ac grauius peccare, sciens enim voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis. notitia enim legis non facienti eam, maius infert nocumentum.

Ad quartum dicimus eos habere sacras Scripturas, non tamen eorum sensum assequi, ideo magis obcæcantur eorū culpa, quam per ipsas illuminentur. vnde dictum est Psal. 68. Fiat mensa eorum ipsis in scandalum, obscurentur oculi eorum ne videant. Lex autem veteris testamenti, vt circuncisio, & alia legalia, seruantibus sunt mortifera, quia ea obseruare, est profiteri Christum non venisse; non enim iam habent suam significationem, quod si non obseruat Iudæus, peccat, non quia obseruanda sint; sed quia contra conscientiam agit, nam putat obseruari debere. hæc igitur potius constituunt Iudæum in peiori statu, meliusque esset illi non nosse legem hanc.

Ad quintum responderetur, quamuis habeant Scripturas communes, & ex parte intellectus habeant Iudæi, quantum est ex parte Scripturarum maiorem facilitatem, vt doceantur veritatem tamen obstinatio, & pertinacia maior est. Adde ipsis Scripturis obcæcari culpa eorum, & illæ impedimento sunt conuersionis eorum, non ex se, sed propter eorum malitiam. de qua cæcitate scriptum est Isai. 29. Erit vobis visio omnium; sicut verba libri signati, & cetera. Quod autem Irenæus dicit, verum est, nam multa sunt, quæ Iudæi admittunt, nec opus est probatione ad eos instruendum, seu conuincendum; nam confitentur Messiam a Deo promissum, negant tamen venisse; admittunt etiam multa alia, quæ gentes negant, & hoc est, quod Irenæus dicit, eam tamen, in quibus errant, pertinacissime tenent, difficillimeque persuaderi possunt, & Euangelium Christi odio summo prosequuntur, qua de causa dicuntur in peiori statu.

Ad sextum responderetur, Iudæum, licet non habeat peccata quædam, quæ cum idolatra erat, habebat, multa tamen habere nunc grauissima, & quæ eū inexcusabilem faciunt, nam errat ex malitia, odio habet Christum, contradicit Euangelio, Scripturas sacras peruertit, miracula innumera Christi spernit, signa manifesta Christi aduentus facti contemnit, aliaque multa perpetrat, propter quæ vere dictum est de illo: Erunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

A N N O T A T I O L X I I .

Ordo narra-
tionis diuer-
sus non mutat
veritatem.

DVO sunt in hoc exemplo, seu parabola notanda. Vnum est in narrationis ordine differre Lucam à Matthæo, nam Matthæus eius meminit post historiam, quæ sequitur, nempe quod quidam accesserunt tentantes eum, & signum de celo quærentes, quasi hac parabola voluerit Dominus tam calumniantes, quod in Beelzebub dæmonia eiiceret, quam hos tentantes, & petentes signa de celo, hac comminatione comprehendere. At vero Lucas exemplum hoc describit, quasi dictum ad eos, qui calumniabantur eum, eiicere dæmonia in Beelzebub. Hæc autem differentia non mutat veritatem rei, nec Euangelistæ semper sequantur ordinem rerum gestarum. Probabile autem est Matthæum seruasse ordinem, vt quidam existimant, mihi tamen non videtur minus probabile Lucam ordinem seruasse, nam exemplū ipsū de immundo Spiritu habet quandam accommodationem cum calūnia illa, quod in Beelzebub dæmonia eiiceret, scilicet vt ij, qui calumniabantur Christum in Spiritu immundo dæmonia eiicere, merito audiant in eos Spiritum immundum cum septem aliis reuersurum.

Hoc loco mul-
ta prætermis-
sa à Luca,
quæ Matheus
retulit.

Alterum in hoc loco notandum est, Lucam prætermisisse multa, quæ Dominus protulit aduersus eos, qui calumniabantur eum eiicere dæmonia in virtute Beelzebub, nam postquam eos argumentis efficaci-

bus falsæ calumniæ conuicit, quæ etiā Lucas narrat, adiecit grauitatem huius peccati, dicens esse blasphemiam contra Spiritum sanctum, quia, quod Spiritus sancti erat, tribuebant Spiritui immundo, nec tale peccatum remittendum in præsentī, nec in futuro sæculo. postea arguit eos, quod loquerentur incomposita, & implicantia; Aut facite, inquit, arborem malam, & fructum malum, aut facite arborem bonam, & fructum bonum, quasi diceret, vos implicantia loquimini, si bonum opus est dæmoniorum eiectio, nec id negare potestis, non debetis tribuere malo principio, quia hoc est facere arborem malam, & fructum bonum. post hæc adiecit causam, à qua procedebat ista calumnia, & sermo implicans, à malitia nempe eorum; Progenies, inquit, viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? post hæc addidit, quam seuerè puniendi erant in vltimo iudicio; Si enim verbi otiosi reddenda est ratio in eo iudicio, quanta reddetur de verbo tali, ac calumnia contra Spiritum sanctum? Hæc omnia prætermisit Lucas, & retulit, quod post illa, secutum est, nempe exemplum, & parabola de Spiritu immundo, quæ explicata iam est. ad commentaria autem in Matthæum spectat illorum, quæ Lucas omisit, perfectior explicatio.

Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quadam mulier de turba dixit illi:

C O M M E N T A R I A .

Efficax iste, & copiosus Christi sermo, nullum fecit fructum in calumniatoribus Phariseis ac Scribis, sed in vna quadam muliere, & quidem de media plebe, in illorum confusionem, & damnationem. Hæc enim audiens verba Christi, non erubuit, nec timuit palam, & alta voce inter medios calumniatores, qui ab omnibus magnificabant, & doctores habebantur, vocem extollere, & Christum mirifice laudare; & quem illi dæmoniacum prædicabant, ista non solum beatum, sed & ventrem eius, quæ eum portauerat, & vbera, quæ suxerat, beata pronunciare, & profiteri. Conuersa igitur ad Christum, cæteris omnibus posthabitis, protulit, quæ sequuntur verba.

Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.

C O M M E N T A R I A .

Conceptionem Christi, ac natiuitatem commendat; si enim beatus est venter, qui Christum portauit, igitur venter ille non portauit peccatorem; quomodo enim beatus esset venter, qui concepit, & gestauit peccatorem? conceptio igitur Christi fuit sancta. Præterea, si beata vbera, quæ lactarunt Christum, igitur eadem de causa non lactarunt peccatorem, sed sanctum. sancta ergo natiuitas eius fuit. Non autem commendauit mulier virum, sed matrem; insinuabat enim Spiritus sanctus per mulierem hanc, Christum per carnem, ratione cuius portabatur in ventre, & lactabat vbera, non habuisse Patrem, sed Matrem solum. Non autem Christum ipsum beatificauit dicendo, Beatus es tu, sed matrem; sic Christum magis laudabat, quem talem, ac tantum prædicabat, vt matrem efficeret beatam. Perpende, quam opposita, & contraria calumniatoribus mulier ista proferat verba: quem enim illi dæmoniacum blasphemantes dicebant: hæc non tunc solum, cum dæmonia eiiciebat, sed ab ipsa conceptione, & natiuitate sanctum proclamat.

A N N O T A T I O L X I I I .

Augustinus tract. 10. in Ioan. non vnus mulieris, sed multorum vocem hanc esse affirmat; inquit enim sic: Cum Dominus in turba admirabilis videretur, faciens signa, & prodigia, & ostendens, quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt:

felix venter, qui te portauit. Hæc ille. hoc autem intelligendum sic est, credibile esse voci mulieris, alios etiam consensisse, non quod plures sic exclamauerint; cum Euangelium vnus tantum mulieris meminerit.

At ille

At ille dixit: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei.

C O M M E N T A R I A .

Transfert Dominus beatitudinem ad eos, qui audiunt, & custodiunt verbum Dei, quod Christus prædicabat, quasi diceret: Tu prædicas matrem meam beatam, quia me portauit, & lactauit, ego potius dico illos beatos, qui quæ prædico, & doceo, audiunt credendo, & custodiunt complendo: illa beatitudo magna est, sed hæc maior. Inuitat his verbis & mulierem, & audientes omnes ad sermone suo credendum, & obediendum, quasi diceret: Beata prædicas matrem meam, quæ me portauit, & genuit: hæc beatitudo solius illius est. at est alia maior, quæ & tibi, & omnibus dari potest, si nempe verba mea audiatis, & custodiatis. magnum dicis lactasse me, & portasse me, maius, & felicius profecto est mihi credere, & sermones meos custodire.

A N N O T A T I O L X I I I .

Reste Titus Bostrenus notauit, opportune Christum hæc verba pronunciaſſe, nempe quando multi erant, qui eum non solum non audiebant, sed etiam eos, qui audiebant, arguebant, in ius vocabant, & damnabant, adde, his verbis & illos persecutores incredulos reprehendisse, & eos, qui audiebant, confortasse omnesque ad audiendum sermones eius excitasse. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem hac sententia probat Christum veram habuisse matrem, quo veritas carnis eius comprobatur; Felicitate inquit ab utero, & ad vberibus Matris suæ transfuit in discipulos, à qua non transfuisset, si eam non haberet. Hæc ille.

An hisce verbis negauerit Christum matrem suam beatam, ex qua parte eum genuit, & lactauit.

Posset quispiam dubitare, an hisce verbis negauerit Christum Matrem beatam ex ea parte, quia ipsum generauit, & lactauit. Augustinus enim videtur, ita sentire tract. 10. in Ioan. cuius verba sunt hæc. Felix venter, qui te portauit; at ille; immo felices, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: hoc est dicere. & mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodit. non quia in illa verbum Dei caro factum est, & habitauit in nobis, sed quia custodit ipsum verbum Dei per quod facta est, & quod in illa caro factum est. Hæc ille. Mihi verius & accommodatius dicendum videtur, non esse hæc verba negatiua, sed comparatiua, non negare beatitudinem, sed præferre in hunc sensum; Beata quidem mater mea est, sed si hoc tantum consideratur, quod mater est, maior est beatitudo, & beatiore sunt, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, negari enim non potest magnum fuisse beneficium Dei Sanctissimæ Virgini collatum, quod sit effecta mater Dei, maximamque hanc esse dignitatem, & consequenter ex hoc solo dici potuit bea-

ta, nam beatum appellamus locutione communi, qui bonis abundat: at maior est beatitudo esse charum, & gratum Deo, si vnum alteri præcise conferatur; nam beata virgo cumulatissime gratiam habuit, & verbum Dei custodit, vnde simpliciter beata est; quod etiam confirmatur ex superioribus illis verbis; Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, si beati erant, qui viderunt Christum oculis corporeis, quanto magis, quæ genuit eum? non enim semper beatus dicitur, qui integre, & complete beatus est, aliter enim non essent dicendi beati, qui audiunt, & custodiunt verbum Dei, quia nodum gloriam assecuti sunt, quæ est perfecta beatitudo; cadere etiam possunt à gratia, Adde verbum ipsius Beatæ Virginis: Beata me dicent omnes generationes, quod proculdubio non solum est propter gratiæ abundantiam, sed etiam propter alia multa beneficia, inter quæ vnum fuit singulare, quod nempe Dei mater effecta est: Quia fecit, inquit, mihi magna, qui potens est. Non ergo Christus mulieris huius verba negauit, sed corripuit adiungendo, quod per se beatus erat. Quod autem Augustinus verbum hoc interpretatur ipsum filium Dei, de quo dictum est: Verbum caro factum est, violenta est interpretatio: nam non de hoc verbo sermo est, sed de Christi prædicatione, & doctrina, quam qui audiunt, & custodiunt, beati dicuntur.

Quid sit illud, qui audiunt verbum Dei.

Posset autem quispiam interrogare, quid per auditum hunc intelligendum sit. Respondere ad hoc possumus illos dici audire, qui credunt: eos autem custodire, qui quod credunt, opere complent; aut etiam illos audire, qui auditum exteriorem præstant; illos vero custodire, qui quæ audiunt, credunt, & quæ facienda sunt, faciunt.

Turbis autem concurrentibus cepit dicere.

C O M M E N T A R I A .

DVM quæ dicta sunt contra calumniatores, loqueretur, turbæ existenti, & audienti maior copia accessit; tuncque cepit omnibus dicere, respondens ad eos, qui eum tentantes signum de celo quærebant, quorum supra mentio facta est. Turbæ igitur hæc, quæ nunc concurrere narrantur, non aderant, quando illos, qui in Beelzebub eum dæmonia eiicere calumniabantur, coram aliis turbis calumniæ conuicit, quæ autem nunc locutus est Christus, tam illa, quam hæc audierunt.

Generatio hæc, generatio nequam est.

C O M M E N T A R I A .

Scribas, & Phariseos signum de celo petentes acriter reprehendit, exprobrando eis inueteratam nequitiam ab ipsis patribus, & genitoribus tractam. eos igitur nequam appellat, id est, homines non solum malos, & sceleratos, sed etiam ad nocendum, & malefaciendum aliis paratos; tales enim hi erant, qui Christum tentare,

tare, & populos ab eo auertere, quantum in ipsis erat, procurabant, fidem, & auctoritatem illius minuendo; tentabant enim quasi ij, qui Christum non posse talia facere existimarent, vt sic apud turbas illum vilescere facerent. Appellat autem generationem, vt malitiam, & nequitiam eorum magis explicet, quasi qui ab auis, & a matre eam haereditassent, illis similes se reddentes. ob quam etiam causam, & a Ioanne Matth. 3. dicti sunt progenies viperarum, & ab ipso met. Domino Matth. 12. sensus ergo est; vos sicut patres vestri nequam estis.

ANNOTATIO LXV.

Copiosior expositio superioris sententiae. **A** pud Mattheum legimus: Generatio mala, & adultera illud autem (mala) Graece est (πονηρός) eodemque vocabulo vitur hoc in loco Lucas; interpretis autem varie interpretatus est, illic enim (mala) hic vero (nequam) vertit, eundem tamen sensum vtrumque habet, cum vni, & eidem voci Graece respondeat. Mattheus autem adiecit (adultera) quod Lucas praetermisit, idque saepe Euangelista facere solent. vtrumque autem explicabimus in praesenti. Quod ad primum spectat; Chrysostomus hom. 44. in Matth. verbi Graeci significationem sequens; malos interpretatur dictos, quia beneficijs acceptis ad malignitatem excitantur, quod extremae vitiositatis esse dicit. Euthymius autem interpretatur dictos malos, quia animo tentandi acceperunt, quasi prauis, & distorti, aliud verbis, aliud corde gerentes. aduerte vocabulum Graecum πονηρός significare multa, scilicet, prauum, malignum, scelestum, improbum, noxium: mihi autem praecipua significatio ea videtur, qua significat hominem sponte, & sine causa malum alijs facientem, quasi inclinatum consuetudine, aut mala affectione non solum ad vitia, sed etiam ad alijs nocendum; hos homines malignos appellamus, & Graecum vocabulum his accommodatur, qua de causa diabolus in Scriptura πονηρός vocatur; tales erant hi, qui dolo, & animo tentandi Christum acceperunt; Ad hanc significationem respexit Chrysostomus; nec nomen latinum alienum est, nam finalum aliquando significat etiam prauum, & malignum; nisi velimus dicere Graecum vocabulum secundum omnem suam significationem hoc in loco esse positum, sicut & Latinum, vt dicti sint

Cur Christus malitiam Iudaeorum horum reprehendens patrum suorum meminit, quibus similes erant.

ANNOTATIO LXVI.

Dabitur quispiam, quid est, quod dominus malitiam praesentium Iudaeorum arguens, patrum eorum mentionem facit, quibus hi similes erant, cum videntur minus esse vituperabiles filijs, qui parentes habent malos, quam qui bonos; filij enim bonorum patrum male viuentes vituperabiliores sunt, malis filijs improborum parentum. Respondeo absolute loquedo ita esse, tamen ex circumstantijs quibusdam, quales erant in his Iudaeis, non sic esse: nam malitia parentum Iudaeorum in Scriptura est acriter reprehensa, & comminatio facta contra imitatores eorum filios; ob id filij, ipsorum vitia sequentes grauius multo peccarunt, cum scripturarum admonitiones, & comminationes haberent. rursus ipsi filij acceperunt beneficia magna a Deo, quibus omnino indigni erant: nam viderunt Christum, eius mi-

Signum quarit.

COMMENTARIA.

Haec est causa, propter quam tam acriter eos carpsit, nimirum quia signum quarebant. miracula signa appellat, quia ad significandam, & confirmandam veritatem eduntur. Attende autem, quam sapienter Christus illos reprehendat; ipsi enim signum de caelo quarebant: at Christus eos acriter increpat, quod vel signum aliquod petant; non enim repetiuit illud (de caelo) scilicet, signum de caelo quarebat; arguuntur autem vel quod signum aliquod petant; tum quia multa, & magna

signa

signa iam facta essent, propter quae illi potuerant, & debuerant credere; tum etiam quia male animo, & studio tentandi petebant: tum demum, quia accedebant cum infidelitate, existimantes Christum facere non posse, quae ipsi quarebant, signa.

ANNOTATIO LXVII.

Quamobrem Christus reprehendit Iudaeos, quod signa quarebant.

Dabitur quispiam, quid est, cur Dominus reprehendat Iudaeos, quod signa quarebant. Primo quidem, quia Iudic. 6. Gedeon signum petiit: Si inueni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum, quod tu sis, nec fuit ob hoc reprehensus, immo signum obtinuit. Secundo Achaz Isai. 7. redargutus est, quod signum non petierit. Pete tibi, inquit, signum a Domino Deo tuo. & dixit Achaz: Non petam. dictumque est ei: Non fatis vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo. Tertio per prophetas praedictum erat Messiam facturum multa miracula, quasi signa sui adueatus; non igitur videntur illi reprehensione digni, quod signa petant ab eo. Diximus multa de hac materia in commentarijs in Ioan. cap. 4. annot. 17. idcirco breuius nunc respondebimus dicentes, non reprehendi hos nunc, ob id tantum, quod signa petant, sed alijs de causis, quarum vnam adfert Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 3. 2. nimirum tentationem, quia tentantes Christum petebant. Alteram tradit Hieronymus Matth. 12. & Chrysostomus hom. 44. scilicet, quia signa petebant, quae non acceperunt. in quo similes sunt Regulo. Ioan. 4. cui dictum est per improprium a Domino: Nisi signa, & prodigia videritis, non credetis; quasi diceret, acceperitis plurima signa, quibus debueratis

iam credidisse. His duabus adieciimus tertiam, nimirum quia ex infidelitate petebat, non vt crederent, sed potius existimantes illum non posse signa talia facere. Has tres causas insinuauit Dominus in reprehensione facta in illos, quam Mattheus refert: Generatio, inquit, mala, & adultera. mala appellauit ob malum animum tentandi; adulteram autem, id est, infidelem, ob perfidiam, & incredulitatem, qua nec tot, ac tantis signis factis crediderant; nec signa de caelo eum facere posse credebant. His igitur de causis merito illi carpuntur. nec obstant, quae in principio diximus: Gedeon enim non animo tentandi signum petiit, sed studio discendi, & credendi, vt fecit, nec vlla ante acceperat signa. Achaz vero signum renuebat, ne si fieret, Deus exaltaretur supra Idola, quae ipse colebat; credebat tamen oblata signa illa fieri, potuisse a Deo: in quo isti Iudaei peiores sunt, qui non credebant Christum facere posse signa de caelo. Quod si per Prophetas praedicta erant signa, iam Christus effecerat ea, quibus omnino poterant, & debuerant credere. vnde non crediderant, quia noluerant. Quod Christus illis obiecit Ioan. 25. Si non, inquit, venissem, & opera non fecissem, quae nemo alius fecit, excusationem haberent de peccato suo, nunc autem excusationem non habent.

ANNOTATIO LXVIII.

Cur Dominus Iudaeos blasphemantes, in Beelzebub ipsum eicere demonia non reprehendit; & hos quarentes signa acriter increpauit.

Altera dubitatio se offert: cur Dominus blasphemos illos, qui calumniose eius miracula Beelzebub tribuebant, non reprehendit; hos vero, qui minus peccare videbantur petentes signum, tam acriter increpauit. Responder Chrysostomus hom. 44. in Matth. id factum esse, vt Dominus ostenderet se superiorem esse affectionibus, & comotionibus animi: cum enim ab illis iniuria esset grauissima affectus, noluit acriter sic carpere; ne ex ira, & vindicta potius, quam ex zelo veritatis loqui visus esset. Hos vero si non increpasset, visus esset id fecisse, quia adulatione agebatur: hi enim petebant signum de caelo, quasi magnifice de eo sentientes. Hae causa Chrysostomi non est vniuersaliter probanda: nam & illos blasphemos acriter reprehendit; & reprehensionij addidit maiorem comminationem: nam dixit in

eos: Progenies viperarum, quomodo potestis loqui bona, cum sitis mali? & Spiritus blasphemiae non remittetur, multaque alia, quae Mattheus narrat. Hoc tamen fecit prudentissime Christus, quod blasphemos prius rationibus conuicit, & demonstrauit sibi non posse talem calumniam impingi, & in hoc se animo sedato, & non ira commoto respondere ostendit; postea vero, vt auditores caeteros, & ipsos etiam calumniatores deterreret, & a talibus calumnijs auerteret, reprehensionem, & comminationem adiunxit. cum his autem, qui eum tentantes signum petebant, aliter egit: eos enim statim reprehendit, & dolum, peruersamque intentionem illorum aperuit; vt omnibus innotesceret se iuste in eos agere, negando signa petentibus.

Et signum non dabitur ei.

COMMENTARIA.

Iusta poena eorum, qui signorum abundantia accepta, non solum non crediderunt, sed etiam noua quarebant tentantes, vt omnibus priuentur, nec amplius signum vllum accipiant. signum, inquit, non dabitur, non solum ex iis, quae petunt, sed nec vllum aliud, excepto vno, quod statim explicat.

Nisi signum Ionae Prophetae.

COMMENTARIA.

Excipit ab vniuersali negatione vnum, quasi diceret, non dabitur generationi huic signum iam vllum, praeter vnum, illud nempe, quod significatum est per signum Ionae; Iona enim in ventre ceti tribus diebus detentus, & euomitur inde signum fuit Niniuitis, cum a Deo missum esse ad praedicandam: sic Christi mors tridua, & resurrectio signum fuit eum vere esse Christum. Hoc igitur est signum, quod solum Christus se daturum Iudaeis his dicit, nempe mortem, & resurrectionem suam, signum profecto admirandum, & efficacissimum Christi.

Quod ad litteram spectat, Iustinus in explicat. quæst. gentium, resp. 64. sensum literalem sic exponit: non dabitur signum, nisi signum Ionæ, id est, signum simile signo Ionæ; signum enim Ionæ fuit typus & figura signi Christi, nempe mortis, & resurrectionis eius. Interpretatur ergo Iustinus sic: sicut Ionam fuisse in ventre ceti, & postea euomitum, datum fuit in signum Niniuitis, quod ipse esset à Deo missus, sic Christus mortem, & resurrectionem suam post triduum, dedit in signum, & in testimonium, quod ipse Christus esset. Hæc expositio confirmatur verbis sequentibus; dicitur enim (sicut Ionas fuit signum Niniuitis) quæ verba non aliud significant, quam Ionam euomitum à ventre ceti fuisse datum in signum Niniuitis, ut crederent eum à Deo missum. Signum ergo Ionæ fuit signum Niniuitis, quod Ionas à Deo missus erat, & fuit simul ty-

pus & figura signi dati per Christum: miracula namque, qua ratione in veritatis attestacionem fiunt, dicuntur signa. Hoc autem signo, nempe quod Ionas viuis ex ventre ceti euomitus fuit, Niniuitas per-motos fuisse, licet Scriptura non dicat expresse, as-firmat tamen Chrysostronus hom. 25. in Genes. Di-cet quispiam, cur Christus hoc voluit signum dare Iudæis dolose, & tentandi animo petentibus? respon-det Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 3. dicens id factum, quia mortis, & resurrectionis mysterium erat in salu-tate humani generis. Ideo id signum non negavit etiam illis: aliter illud etiam negasset. verba Cyrilli loquentis de hoc signo sunt hæc: Quod, inquit, si-gnum, nisi propter salutem omnium futurum omni-no esset, numquam tentantibus illis dedisset. Hæc il-le. paulo autem inferius aliam etiam causam huic adiungemus.

Cur Christus signum Ionæ dare voluerit Iudæis dolose petentibus.

ANNOTATIO LXX.

Cur Christus aliud signum non daturum Iudæis dicat, nisi signum Ionæ, cum post hæc verba multa ediderit miracula.

Grauior est difficultas in hac sententia: nam Christus ante mortem, & passionem suam post hæc nunc narrata, edidit miracula multa, quæ à Matthæo, & Luca sequentibus capitibus describuntur: quomodo nunc dicit, se non daturum amplius aliud signum, nisi signum Ionæ. Ad hanc primo loco respondet Glossa ordin. restringendum esse hoc verbum, nimirum, non dabitur signum de cælo, quale petebant illi. ista vero responsio non satis accommodata est; nam Christus absolute negavit signum: causam autem in commentario explicui-mus. rursus, quia restrictæ sententiæ non quadrat exceptio (nisi signum Ionæ) signum enim hoc non erat de cælo, quale illi querebant; id autem quod excipitur, debet esse eiusdem generis cum eo, à quo fit exceptio. rursus licet sic esset, adhuc non potest accommodari: nam post hæc signum de cælo datum est: legimus enim Ioan. 12. vocem Patris intonuisse de cælo, Christumque dixisse, non propter me vox ista venit, sed propter vos.

tibus, nisi signum Ionæ; ut sit sensus. Generatio hæc signum quærit, & non dabitur ei petenti signum aliud, nisi signum Ionæ. quæ ergo alia miracula fecit, non fecit petentibus, & querentibus illis; petentibus enim non aliud dedit signum, nisi hoc. Ista expositio parum firmitatis habet; absolute enim non negat Christus se non daturum generationi huic signum aliud, præter signum Ionæ, siue petierint, siue non.

Mihi igitur aliter dicendum videtur: in cuius gratiam, aduerte, Iudæos ter petiisse à Christo signum. Primo, quando Ioan. 2. Christo euertenti eos de templo dixerunt: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? tunc Christus non aliud signum dedit, quam mortem, & resurrectionem suam: Soluite, inquit, templum hoc, & tribus diebus excitabo illud. Secundo, quando post liberatum hominem à dæmonio acceperunt Scribæ, & Pharisei tentantes eum, quod nunc narrat Lucas, & Matthæus c. 12. quibus respondit per mortis, & resurrectionis signum in Iona significatum. Tertio, quando Mat. 16. acceperunt ad eum Pharisei, & Saducæi, tentantes, & rogauerunt eum, ut signum de cælo ostenderet eis, quibus eadem respondit, quæ secundo responderat, adiectis aliis, quæ ibi refert Matthæus. cur autem hoc signum proposuerit, causa est, quia ipsi petebant signum, quo agnoscerent eum esse Christum; at inter omnia talia hoc fuit, nempe passio, mors, & resurrectio: quamuis enim cætera signa prius facta sufficientissima fuerint ad agnosendum, & credendum, tamen de facto populus ille non agnouit eum, nisi morte, & resurrectione eius commotus: tunc enim eum agnouit, quod & ipse Dominus prædixit eis, Ioan. 8. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. & Ioan. 12. Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc etiam ipsum factum ostendit: nam, ipso adhuc in cruce existente, multi reuersi sunt percipientes pectora, & dicentes: Vere hic filius Dei erat, Luc. 23. & post aduentum Spiritus sancti, Petro prædicante mortem, & resurrectionem illius, maxima multitudo conuersa est, & penitens baptizata est, ut dicitur Act. 2. Tanta autem virtus huius signi fuit, ut increduli etiam, & persecutores agnoscerent eum esse Christum; ut notat Euthymius Ioan. 8. licet propter duritiam quidam non confiterentur, quod patet etiam in illis senioribus populi Matth. 28 qui audientes à militibus Christum resurrexisse, pecuniam dederunt eis suadentes, ut dicerent Discipulos venisse, & furatos esse corpus. agnouerunt ergo, & præ malitia negauerunt. Sensus igitur est: signum petunt, ni-mirum

Auctoris sententia.

Secundo loco Chrysostronus hom. 44. in Matth. hanc excitauit dubitationem, & respondet signa quidem multa facta fuisse post hanc petitionem ante mortem, tamen non esse facta propter illos incredulos, quos sciebat obstinatos esse, sed propter alios, ut eos alliceret. sicque verum est, quod nunc dicitur, signum non dabitur ei. Huic consentit Euthymius Matth. 12. Hæc autem ratio non videtur probabilis: cum enim post hæc omnibus prædicauerit, etiam incredulis; nec à prædicationis suæ auditu quemquam retraxerit, consequenter miracula, quæ erant in confirmationem doctrinæ, omnibus communia fuere. præterea, quia, si negata sunt miracula incredulis post hæc, eadem ratione multa ex iam factis negari debuerant; nouerat enim Christus semper, qui in eum erant credituri.

Tertio loco idem Chrysostronus ibidem aliam exhibet interpretationem, nimirum, nõ dabitur signum, quale Ionæ: nam signa omnia facta, fuerunt beneficia, quibus alliciebatur Populus ad credendum. at post resurrectionem cõtra factum est cum illo: quem enim populum nõ allexit beneficiis, innumeris calamitatibus affixit; ut videre est in captiuitate à Romanis facta. & tunc, quem non agnouit beneficiis allectus, agnouit calamitatibus prostratus & humiliatus. tale ergo signum non dabitur, nisi signum Ionæ. Hæc expositio non omnino accommodatur: calamitates enim & afflictiones populi non sunt similes signo Ionæ, sed mors, & resurrectio.

Quarto loco quidam recentiores respondent, Christum non dedisse post hæc signum vllum peten-

mirum quo de facto agnoscant me, & quo de facto mundo manifestet; non autem dabo aliud signum tale, nisi mortem, & resurrectionem meam. tunc ipsi vel nolentes me agnoscent; tunc populi in me credent, & ad me conuerterentur. hic mihi videtur accommodatissimus sensus, à quo non multum differt, quod Chrysostronus dicit: nam loquitur ip-

se, de signo, quo de facto agnosendus erat Christus; at hoc signum calamitates extulimatur esse, quas passi sunt Iudæi post Christi resurrectionem; ego vero etiam ante calamitates agnitum esse dico; signumque hoc mortem, & resurrectionem pato, quæ & facta, & prædicata, innumerabilem multitudinem Iudæorum Christum agnoscere, credere, & confiteri effecit.

Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis: ita erit & Filius hominis generationi isti.

COMMENTARIA.

Causa est, & explicatio, cur signum Ionæ dicatur dandum; ea autem est, quia sicut Ionas fuit Niniuitis signum, ita & Christus Iudæis: ille enim factò illo mirando, quod tribus diebus extitit in ventre ceti, & postea viuis est euomitus, tantam fidem prædicationi suæ conciliauit, ut Niniuitas ad pænitentiam conuerterit, sequè à Deo missum esse eis persuaserit; sic Christus morte sua, & resurrectione post triduum, se filium Dei, & Christum verum esse ostendet, agnoscatque generatio ista eum esse Messiam.

ANNOTATIO LXXI.

Quomodo quidam impegerunt in hæc Domini verba

Matthæus cap. 12. apertius hoc scripsit: Sicut, inquit, Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. quæ verba sunt connectenda post ea, quæ Lucas refert; sunt enim omnia à Christo prolata, in quorum declarationem. Aduerte, nonnullos in hanc sententiam Domini impegisse. Primo quidem Augustinus epist. 49. ad Deogratias. quæst. 6. refert Paganos irrisisse, & cachinnos excitasse cõtra hanc historiam Ionæ, quasi impossibile esset tribus diebus viuum hominem permansisse in ventre ceti, unde id fabulosum reputarunt. Eorum meminit Hieronymus in commentario Ionæ 2. contra quos opponit Augustinus quædam facta maiora, quæ tamen Pagani non irrident, nec subsanant, maius, inquit, fuit tres pueros in ignis fornacem iniectos viuos, & illæfos permansisse: potentior enim erat ignis ad comburendum, quam ventris ceti. Maius etiam fuit Lazarum quatuoriduanum in sepulchro viuificare, quam viuum in ventre ceti triduo conseruare. qui igitur hæc potuit efficere, potuit etiam Ionam in ventre ceti custodire. Theodoretus in Ionæ commentario cap. 2. adfert ad hoc idem confirmandum vnum quid naturale; nempe infantem in ventre matris non tribus diebus, sed nouem mensibus in femine angustissimo ventre viuum seruari. multo maius est hoc, & quod nisi vnusquisque experiretur, fabulosum reputaret, & impossibile. si igitur natura hoc facit, quanto maiora efficiet auctor nature ipsius, Deus. Radix erroris Paganorum illorum illa est, quam notat Hilarius lib. 3. trini. quod enim suo ingenio, & intellectu non assequuntur, impossibile ducunt; Deique potentiam infinitam, & incomprehensibilem mensura limitata, & deficiente propriæ rationis coarctant.

gens viuus, argumentum fuit virtutis, & diuinitatis suæ, & veritatis doctrinæ ab ipso prædicatæ. Athanasius serm. 4. contra Arianos, huius figuræ meminit, notatque illam particulam (sicut) non significare omnimodam similitudinem, alias Christus debuisset in mare mitti, & à pisce deglutiri, unde recte notat Origenes Matth. 13. parabolas, & figuras non esse in omnibus similes rebus ipsis; sed sicut figuras, & imagines in pictura, quæ non in omnibus similes sunt rebus ipsis. Adde quod dicit Theodoretus Ionæ 2. Ionam lege viuentium mortuum esse; diuina enim sola virtute seruatus fuit: in hoc autem quod lege & omnium opinione mortuus est, figura fuit Christi: sicut etiam sopor ad quem fuit etiam figura mortis Christi, quamuis Adam mortuus tunc non fuerit. Adde etiam Ionam viuum in ventre ceti representasse corpus Christi in sepulchro, quod licet anima non erat vnitum, erat tamen diuinæ personæ coniunctum, & non quale est corpus hominis meri. Unde Ionas viuus magis representabat corpus Christi in sepulchro, quam si mortuus esset. paulo inferius hoc magis explicabitur. Tertio loco quidam in eandem sententiam impegerunt, quorum meminit Origenes tom. 3. in Ioannem in fine; legentes enim filium hominis fuisse in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, reiecerunt tanquam apocryphum ab Euangelio Luca 23. illud: Hodie mecum eris in Paradiso; putarunt enim non posse hæc concordari; si enim fuit Christus tribus diebus in corde terræ, quomodo potuit esse primo die mortis in Paradiso. Origenes respondet illud, Hodie, non vnum diem significare, sed totum tempus huius sæculi. Theophylactus autem Luc. 23. refert quosdam illud (Hodie) coniunxisse cum verbo præcedenti, nempe; ego dico tibi; Hodie mecum eris in Paradiso. ipse vero Theophylactus Paradisum interpretatur locum amœnum, in quo conseruantur anime iustorum purgata, vsque ad diem iudicij, in quem admissus est latro ille bonus cum iustis illis Patribus, quos Dominus à limbo extraxit. At vero, salua fide catholica, hæc doctrina non potest iam sustineri. Augustinus tract. 3. in Ioan. & epist. 57. ad Dardanum, longissimam habet disputationem super hæc rem. Quidquid de hoc sit, quia ad nostrum præsens institutum non spectat, in illiusque loci explanatione plura dicenda sunt: dicimus Paradisum appellari beatitudinem, quæ est in visione, & fruitione essentia diuinæ posita. ad quam latro ille eo tunc die prouectus est vna cum animabus sanctorum Patrum;

qui enim diuina fruuntur essentia, vbicumque sint, beati sunt, & in Paradiso, licet non dum peruenerint ad locum illum caelestem. Vnde, & angeli, qui in terras descendunt, videntque Deum, in Paradiso esse dici possunt. Locus enim non facit ad essentialem beatitudinem, & gloriam.

Quarto demum loco: quidam alij impegerunt: legentes enim Christum tribus diebus, & tribus noctibus fuisse in corde terrae: cum surrexerit die Dominica ante lucem; vt hos tres dies assignarent, dixerunt eum mortuum fuisse die Iouis in caena, quando obtulit sub speciebus panis, & vini carnem, & sanguinem suum, tunc separata est anima à corpore, praeuenitque mortem, quam illaturus erat inimicus, quamuis non apparuerit tunc mortuus. ita sensit Gregorius Nyffe. in orat. 1. de resurrectione, motus verbis praesentibus. eius tamen sententia non est à catholico amplectenda: contradicit enim scripturis multis: nam, & post caenam vere dixit: Tristis est anima mea vsque ad mortem; & in cruce: In manus tuas commendo spiritum meum,

& emisit spiritum, aliaque sunt multa opposita huic sententiae. Doctores communiter hos tres dies per synecdochen interpretantur dictos, posita parte pro toto: est enim communis, & vfitatissimus loquendi modus, etiam in Scriptura. Sic Hieronymus Math. 12. & Augustinus Epist. 49. ad Deogratias, quaest. 6. & alij respondent. & in hoc est similitudo rei cum figura; licet non sit in aequalitate temporis, seu integritate dierum: Ionas enim tribus integris diebus mansit in ventre ceti, cuius rationem reddit Tertullianus lib. de resurrect. carnis, nimirum vt toto eo tempore mansisset in ventre, quo naturaliter solet venter digerere cibum illum; vt sic miraculum appareret, quod post tale tempus viuus esset euomitus. at Christus, cum in cruce mortuus omnibus esset manifestus, non indigebat ea probatione: voluit autem non prolongare tempus, sed partem minuere dierum, ne, vt dicit Leo ser. 6. de resurrect. turbatos discipulorum animos longa moestitudo cruciaret.

ANNOTATIO LXXII.

Quid sit illud matthaei in corde terrae. **S**uperest explicandum illud verbum, quod apud Matthaeum habetur, nimirum, (in corde terrae) quidam cor terrae interpretantur sepulchrum, quam interpretationem sequuntur Chrysof. hom. 44. in Matth. Augustinus Epist. 49. ad Deogratias, quaest. 6. & Glossa interline. & insinuat etiam Iustinus explicat. quaest. gen. resp. 64. quidam alij interpretantur limbum, in quem descendit secundum animam Christus, qui est in medio terrae, ideo cor dicitur. huic interpretationi adherent Origenes lib. 5. in Epist. ad Rom. Gregorius Nyssen. orat. 1. de resurrect. Theodore. Ionae. 2. Vtraque sententia est accommodata; mihi tamen accommodatior ea visa est, quae vtrumque complectitur. nam Christus filius Dei, & homo, quando mortuus est, animam quidem à corpore separauit; tamen diuina persona animam, & corpus vnita sibi seruaui; idemque Dei filius secundum animam in limbo, secundum corpus in sepulchro fuit. idcirco dicitur

secundum vtrumque fuisse in corde terrae: tam enim limbis, quam sepulchrum, dici possunt cor terrae, quia subter terram sunt. & in hoc etiam procedit aliqua ex parte similitudo: vt enim Ionas secundum animam, & corpus fuit in ventre ceti, ita vnus, & idem Christus fuit in corde terrae quantum ad animam, & quantum ad corpus, licet non eodem modo, quia anima in Christo fuit separata à corpore, & illa in limbo, hoc in sepulchro fuit, quorum vtrumque cor terrae est. Hanc interpretationem visus est probare Augustinus in Epist. citata: cum enim cor terrae interpretatus esset sepulchrum, per disunctionem addidit (vel profundum, inquit, terrae) profundum autem terrae, & limbum, & sepulchrum comprehendit. Vltimo loco notandum est: licet ad hoc inducta sit similitudo Ionae, nempe vt mors, & resurrectio Christi significaretur; in multis tamen alijs procedit, quae docte, & copiose explicat Augustinus Epist. 49. quaest. 6. illic legere facile est.

ANNOTATIO LXXIII.

Cur Christus hoc signo Ionae vsus ter id opposuerit Iudaeis. **I**nterrogabit autem non immerito quispiam, cur Dominus hoc signo Ionae contra incredulos Iudaeos vsus sit adeo, vt ter id opposuerit: ad quod nonnulla respondeo. primo quidem cum Chrysof. hom. 44. in Matth. vt significaret Iudaeorum incredulorum subuersionem, & ruinam propter eorum perfidiam. Ionas enim praedicatione sua illa facta Ninuitis, nempe, Ab hinc quadraginta dies Ninive subuertetur, indicabat ob Iudaeorum perfidiam contra Christum, in quem non solum credituri non erant, sed etiam ipsum occisuri, eos esse subuertendos, & calamitatibus summis opprimendos, quas post annos quadraginta à morte Domini à Romanorum exercitu passi sunt. Vt enim Deus dedit Ninuitis quadraginta dies ante subuersionem, vt poenitentiam agerent, haberentque poenitendi tempus, sic, & Iudaeis post Christi mortem dedit quadraginta annos: illi autem poenitentiam egerunt tam breui tempore; hi vero non, in tot annis. Idcirco Iudaei puniti sunt; illi autem veniam obtinuerunt. Signum ergo Ionae à Salvatore propositum, erat comminatio futurae punitionis.

zianzenus in Apologet. 1. scripsit, à quo Hieronymus mutuatus est in commentarijs Ionae. cap. 2. nimirum, Ionam iustum à Deo praedicare Ninuitis, ea de causa fugisse, quia Gentiles erant: eique reuelatum fuerat reprobandos Iudaeos; gentiles vero vocandos. fugit ergo, non quidem inuidens salutem gentium, sed nolens populum suum Iudaicum perire: fugiebatque, ne tanta populi sui ruina in eo significaretur. Dominus ergo, hoc proponens exemplum Ionae, in se implendum significat: ac post mortem, & resurrectionem suam, celerem eorum subuersionem futuram indicabat; similiter gentium vocationem; vt impleretur illud, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Tertio, hoc vsus est signo, vt scandalum futurae mortis suae minueret, & spes breuissimae resurrectionis conciperetur ab ijs, qui eum mortuum conspexerunt. Nouerunt hoc impij, & perfidi Iudaei, quando post mortem adierunt Pilatum dicentes, Seducitor ille, cum adhuc viuus esset, dixit, post tres dies resurgam. hoc autem non habuerunt isti, nisi ex verbis illis Ioan. 2. soluite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud; & ex istis, quae nunc per signum Ionae expressit. His igitur de causis hoc exemplo vsus est Christus.

Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos.

COMMENTARIA.

Post negata signa, vno excepto, inuehitur contra incredulitatem Iudaicam, quae tot ac tantis visis signis, tamque mira audita doctrina, adhuc non vincebatur. ea igitur de causa inuehitur in eos, & gentium collatione facta, seuiorem praedicit poenam supra gentiles. Regina, inquit, Austri in die iudicij (quando & illa, & viri generationis huius, id est, aetatis, seu temporis huius, qui signa petunt, & sunt increduli, surgent iudicandi) condemnabit eos, id est, erit argumentum efficax iustae damnationis istorum; in eaque apparebit, quanta isti digni sunt punitione.

ANNOTATIO LXXIII.

Huius Reginae, & eorum, quae fecit, ob quae Iudaei hi digni punitione, ac damnatione apparebunt, mentio fit 3. Reg. 10. & 2. Paralip. 9. Dicitur autem ibi Regina Saba, quae nunc appellatur Regina Austri: Hieronymus autem in traditione Hebraea in Genesim duplicem distinguit Saba: vna est ciuitas Arabiae felicitis, quae non multum distat à terra promissionis, & in Hebraeo scribitur cum Schin; altera est in Aethiopia, & scribitur cum Samech. vniusque fit mentio in Psal. 71. Reges, inquit, Arabum, & Saba dona adducent. In Hebraeo, loco illius, Arabum habetur Saba, cum Schin, quae est ciuitas Arabiae, à qua Iustin. in dialog. cum Triphone existimat Magos venisse ad adorandum. communis autem sententia doctorum tenet Regiam hanc venisse ex Saba, Aethiopiae, ita putant Origenes homil. 2. in Cant. Hieronymus Iohe. 3. Augustinus ser. 233. de tempore, Anselmus lib. de imaginibus cap. 19. & Iosephus lib. 3. antiquit. cap. 3. Idque ex Euangelio deducitur: nam dicitur venisse à finibus terrae, id est, de partibus longioquis. Arabiae autem Saba non multum distat à terra promissionis. Dicitur autem regina Austri: nam duplex est Aethiopiae pars, vna Orientalis, altera Meridionalis, seu Australis, in qua sita est Saba; aut quia Aethiopia respectu terrae promissionis est Meridionalis, seu Australis; aut vt dicit Anselmus loco citato, quia Aethiopia est pars Arabiae meridionalis. Haec igitur est regina Austri, seu Saba, quae in iudicio dicitur condemnatura Iudaeos incredulos. Dicitur autem condemnatura non quidem potestate, aut actu iudicandi, quasi ipsa prolatura sit sententiam damnationis, aut iudicium

pronunciatura aliquid; sed collatione; quia comparatione eius, isti increduli dignissimi damnatione apparebunt: illa enim minori cognitione, & beneficiis paucioribus diuinis acceptis, plura bona fecit, quam Iudaei, qui cumulatiuè receperunt. Sic Hieronymus Mathaei cap. 12. & Chrysof. homil. 44. in eundem interpretantur hanc condemnationem. Similiter Basiliius hom. in Psal. 71. ibi (Dominus iudicabit populos.)

Aduertere igitur ex Scriptura condemnationem tribus modis fieri posse. primo, ex potestate. sicut quando iudex in reum proferit sententiam: sic Dani. 13. dicuntur illi iudices condemnasse Susannam: condemnauerunt, inquit, eam ad mortem. & Matth. 20. & condemnabunt eum morte. Secundo, quando non ex potestate, sed ex proprio iudicio, quo vnus tempore apud se iudicat alterum dignum poena: sic dicitur Mar. 7. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Tertio, comparatione, seu collatione; quando ex facto vnus declaratur, aut conuincitur grauitas malitiae alterius: sic dicitur cap. 4. Condemnat iustus mortuus impios viuos; & inuentus celerius consummata longam vitam iniusti. Iob. 15. Condemnabit te os tuum, non ego, id est, ex tuis verbis conuinceris reus, & punitione dignus. In praesenti autem loco, non primo, nec secundo modo accipitur, sed tertio, vt dictum est, & in sequenti sententia magis explicabitur: comparatione enim Reginae huius Iudaei increduli apparebunt; & conuincuntur maxime rei, & grauissima poena digni; eorumque culpa maxime innotescet, si, quae facta sunt cum Regina, & cum impijs, conserantur.

Condemnatio tribus modis fieri posse ex Scriptura.

Quia venit à finibus terra audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon, hic.

COMMENTARIA.

Causam exprimit, ob quam Regina Austri condemnabit incredulos Iudaeos. ea autem est, quia illa venit à finibus terrae, id est, de longinquo, puta ab Aethiopia. venit autem ad audiendam sapientiam, & doctrinam Salomonis; at hi Iudaei non longe, sed praesentem habent me, qui sum plusquam Salomon: praestantior enim, & vtilior est doctrina Christi, quam Salomonis: hic purus homo; Christus filius Dei est. perpende ergo, quae fecit Regina: primo venit de longinquo; secundo audire doctrinam Salomonis; tertio, hominis cuiusdam: Salomon enim erat vnus homo, sicut & nos. at Iudaei habuerunt Christum filium Dei, qui plusquam Salomon erat: rursus, hic, id est, praesentem: rursus cuius doctrina erat salutifera, & viuifica; & tamen audire detrectauerunt. conuincuntur ergo rei, & digni damnatione, exemplo, & facto Reginae huius: si enim cum Salomone talia fecit, quid faceret, si notitiam habuisset Christi: notanda est Saluatoris modestia, qui de se in tertia loquitur persona; ne diceret: ego sum plusquam Salomon. illud, hic, aduerbium est loci.

NE deducas ex hac Domini sententia Reginam Autri saluam esse: non enim id ex hoc sequitur: nam non solum boni, sed etiam mali, & reprobi in die illo condemnabunt alios multos, collatione, ut dictum est: malus enim habere potest aliquid boni, vel minoris mali, quo conuincatur malitiae grauioris alter malus. Quamuis enim Regina illa mala, & reproba esset, id tamen laudabile fuit, quod de finibus terrae venit audire Salomonem. quo facto ar-
Viri Niniuita surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia penitentiam egerunt ad praedicationem Ionae; & ecce plus quam Ionas, hic.

C O M M E N T A R I A.

Quod facturam dixit Reginam contra Iudaeos, hoc ipsum facturos affirmat Niniuitas illos, ad quos missus est Ionas: hi enim crediderunt praedicationi Ionae, & penitentiam egerunt de peccatis suis; Iudaei autem isti habentes, & audientes Christum, qui plusquam Ionas erat, non solum quia Dei filius, sed quia excellentior eius erat doctrina; & mirabiliora, ac plura opera; nec penitentiam egerunt, nec ei crediderunt. Adde Ionam non praedicasse illis penitentiam, nec spem veniae dedisse, sed absolute pronunciaffe ruinam eorum post dies paucos; & tamen illi penitentiam egerunt, nec veniam desperarunt. at Christus penitentiam praedicauit, & veniam promisit; & tamen non receperunt: in iudicio ergo, horum collatione facta, iusta, & digna Iudaeorum damnatio apparebit.

ANNOTATIO LXXVI.

Matthaeus cap. 12. horum duorum exemplorum meminit, non tamen eodem ordine; sed priori loco Niniuitarum exemplum descripsit: qui ordo videtur is, quem Christus habuit, ut continuaret sententiam hanc cum praecedenti signo Ionae. Lucas autem rem ipsam considerauit, non ordinem; quod saepe Euangelistae faciunt. In his autem duobus exemplis considerandum est vnum; quod recte notauit Clemens Rom. epist. 3. nempe significata esse duos genera Iudaeorum, qui Christum non receperunt, nec in eum crediderunt: quidam enim fuerunt, qui notitiam eius habentes non curarunt doctrinam eius audire, nec sermones percipere; & hi significantur exemplo Reginae: haec enim venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis: isti vero Iudaei contempserunt ac neglexerunt diuinam, & viuificam Christi sapientiam, ac doctrinam: ac de talibus explicat hoc Reginae exemplum Basiliius hom. in Psal. 7. Quidam alij ipsum audierunt, sermones de eius ore perceperunt, & tamen

ANNOTATIO LXXVII.

Posset cuiquam dubitatio suboriri, quomodo Regina Austri, & Niniuita, qui infideles fuerunt, dicantur surrecturi in iudicio, cum scriptum sit Psal. 1. Non resurgent impij in iudicio. Respondeo duo in hac parte esse certa fide tenenda, vnum est omnes homines, etiam infideles, & absque vlla exceptione resurgere debere. Hoc Paulus expresse testatur 1. Corinth. 15. Sicut, inquit, in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificabuntur. Si igitur non est homo; etiam infidelis, in quem peccatum. Adae non sit transfusum, mortique corporis sit obnoxius, ita omnis homo virtute Christi a mortuis resurget, quod iterum confirmat Paulus dicens: Omnes quidem resurgemus; sed non omnes immutabimur. Alterum est, omnes, etiam infideles comparituros in iudicio illo extremo, ac iudicandos esse a Christo iudice supremo, & vniuersali omnium. Hoc idem Paulus docuit Rom. 14. Omnes, inquit, stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim: Mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. citat testimonium Isa. 45. iterum idem

guitur Iudaeorum infidelitas, qui Christum filium Dei sapienterem, & maiorem Salomone, quem praesentem habuerunt, audire noluerunt. Sic etiam in die illo multi damnabunt alios, qui cum minus auxilium recepissent, paucioresque occasiones benefaciendi fortiti essent: minus tamen mali egerunt, quam alij, qui maiora bona praestandi facultatem habuerunt.

non crediderunt, nec, quae audierant, fecerunt. isti autem indicantur per Niniuitas: ut enim illos Regina condemnabit, sic istos Niniuita. Attende etiam hos, scilicet tam Reginae, quam Niniuitas fuisse gentiles, qui maiora praestiterunt, quam Iudaei, qui erant de populo Dei. quibus exemplis notat Hieronymus Matth. 12. Christum occulte praetulisse fidem futuram gentium Israel. Nota rursus, quod etiam de Regina diximus, ex hac sententia non deduci illos Niniuitas saluos fuisse: nam etiam mali condemnabunt alios. de his autem Niniuitis dicit Hieronymus in proemio Ionae, & Naum; post hanc penitentiam ad Ionae praedicationem factam, rediisse ad vomitum; & ideo post Ionam missum esse ad eos Naum, & destructos, & euersos fuisse a Deo, quia in bono non perseuerarunt. Nota demum a multis aliis iudicandos fore Iudaeos istos; at Christus horum duorum exemplorum meminit, quia erant notissima omnibus.

Paulus 2. Corinth. 5. Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat vnusquisque, prout gessit in corpore. Sunt multa alia testimonia huiusmodi pro his duabus veritatibus confirmandis. Surgent ergo in iudicio Niniuita, & Regina Austri cum omnibus etiam infidelibus, & idololatriis. locus autem allegatus ex Psal. 1. non est contrarius huic doctrinae, quem Gregorius lib. 26. moral. c. 20. interpretatur, distinguens duplex iudicium, vnum est discussionis, alterum est sententiae. dicit ergo infideles, & impios resurrecturos quidem iudicio, non quidem discussionis, quia eo ipso, quo sine fide fuere, absque alia discussione, damnationis obnoxij sunt: qui enim non credit, iudicatus est; surgent tamen ad iudicium sententiae, quia tunc in eos feretur sententia damnationis aeternae. Sic Gregorius locum interpretatur, & ex interpretatione tollitur omnis dissonantia inter locum psalmi, & hunc praesentem. Est tamen interpretanda doctrina Gregorij, ac limitata: nam discussio duplex est, vna quidem ad damnationem, vel approbationem; & quantum ad hoc non est

no est necessaria discussio in infidelibus: nam eo ipso, quo infideles fuisse apparuerint, rei erunt mortis aeternae absque alia discussione factorum, & operum: & hoc est, quod Gregorius dicit, & verba psalmi significant. Altera est discussio ad quantitatem poenae inferendae: non enim damnati poenam aequalem patientur: & quantum ad hoc erit discussio etiam in infidelibus: licet enim omnes damnabuntur; non tamen poena sensus aequali; cum non fuerint aequalia eorum peccata, sed quidam minus, quidam magis peccarunt: vnde discutientur opera omnia singulorum; ut vnusquisque referat, prout gessit in corpore, siue magis, siue minus, quam doctrinam tradidit Hieronymus Iere. 25. in illud (iudicium Domini cum gentibus) similiter Basiliius homil. in psal. 7. & est certissima, & in praesenti loco insinuada: nam nec Niniuita, nec Regina damnare poterunt incredulos Iudaeorum; nisi tam horum, quam

illorum singula facta discutiantur, surgunt igitur impij in iudicio damnationis, & discussionis, ut parem factis poenam recipiant; non tamen surgunt, ad discussionem absolutam damnationis: nam eo ipso, quod increduli, & sine fide fuerunt, sine alio examine damnationis sententiam ferent. Sic licet locum psalmi interpretari, & recte: quamuis possemus alteram interpretationem non minus accommodatam adhibere, si vim verbi Hebraei attendamus; idem enim significat: quasi si diceremus, non stabunt, seu non subsistent impij in iudicio: nam repellentur a facie iudicantis, quando audient; Ite maledicti. haec autem interpretatio conuenit cum verbis antecedentibus; nimirum non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proicit ventus a facie terrae. siue igitur hoc, siue illo modo interpretemur, certum est impios, & infideles venturos in iudicio aetate tribunalis Christi.

Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio; sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.

C O M M E N T A R I A.

Postquam multipliciter arguit Phariseos, & Scribas calumniantes, & signum quarentes, radicem & causam manifestat, a qua haec omnia, & similia procedebant; nimirum, quia eorum mens obscurata erat infidelitate, & affectionibus prauis: si enim eam haberent veritate succensam, non vti que talia perpetrarent. sicut qui oculum habet luce carentem, corporis motus & actiones inordinate, & peruerse efficit; qui vero oculum sortitur sanum, & lucidum, corporis actiones recte exercet: haec enim omnia parabola sensibilis Lucernae explicat. Dicit ergo: Nemo accendit lucernam, & ponit in abscondito, aut sub vase, sed in manifesto, & sine obstaculo, ut omnibus ingredientibus lumen spargat. quasi diceret; si vos haberetis lucernam accensam, id est mentem sanam, & veritate ac virtute ornatam, vti que omnia vestra exteriora opera, & sermones lucidi, & recti essent: nemo enim lucernam accendit, nisi ut alijs omnibus luceat: at non sic est in vobis. sequenti sententia hoc explicat; praesens vero est velut maior quaedam propositio in argumento, quae sequenti determinatur, ut in eius explicatione constabit.

ANNOTATIO LXXVIII.

Connexio, & interpretatio superioris sententiae.

Hanc sententiam Dominus ter protulit. primo ad discipulos in monte, docens doctrinam Euangelicam (cuius discipuli futuri erant praecones) non ad vnum populum & gentem esse praedicandam, sed per totum mundum: idcirco eos lucem mundi, & salem terrae appellauit, ac lucernas positas super candelabrum. Haec refert Matthaeus cap. 6. quo in loco possumus etiam per lucernam accensam intelligere ipsum Christum: quasi per ea verba reddat rationem, & causam, cur Apostolos lucem mundi dixerit; nimirum quia ipse Christus magister lucerna est accensa, quae super candelabrum posita est, ut omnibus luceat. Discipuli igitur doctrinam eius praedicantes debent esse lux non vnus, aut alterius, sed totius mundi. Secundo hanc eandem sententiam repetiuit eisdem Discipulis, post parabola illius explicationem, de semine in diuersas terrae partes spargendo, tunc adiunxit eadem verba, significans se esse lucernam accensam, quae omnibus luceat, doctrinamque ipsius tradendam esse omnibus, bonis, & malis. Haec referunt Marcus cap. 4. & Lucas cap. 8. Tertio hanc eandem sententiam replicauit hoc in loco contra calumniatores, & signum quarentes: quod solus Lucas refert; ut significaret radicem, & causam, a qua talia eorum dicta, & facta prouenerent; vti in commentario diximus. Haec mihi huius sententiae & cum praecedentibus connexio, & explicatio videtur.

Quidam vero Patres aetiqui aliter interpretantur. primo quidem Ambrosius in praesenti, lucernam

accensam intelligit intellectum hominis fide, ac verbo Dei lucentem: quam fidem dicit non esse ponendam sub modio, id est, non coarctandam lege illa veteri, sed transferendam ad Euangelium, & Ecclesiam. quae interpretatio, quantum ad hoc, quod lucernam interpretatur mentem fide, & veritate accensam, mihi visa est accommodatissima caeterarum, quae sequuntur; & accedit proxime ei, quae in commentario posita est: quantum vero ad reliqua, & ad accommodationem, non videtur mihi apta.

Secundo loco, Theophylactus hanc, & sequentem sententiam de Phariseis interpretatur in hunc sensum: o Pharisei, vos estis lucernae accensae, quia vobis est datum lumen, & scientia, ut alios instruat; quia nemo accendit lucernam, & abscondit, sed ponit in candelabro, ut luceat omnibus: at vos sub vitio eam absconditis, dicentes me in Beelzebub eijcere demonia. Haec interpretatio, qua parte vtramque sententiam ad eisdem refert, & lucernam mentem, scientia, seu veritate ornatam intelligit, mihi placet, & conformis est nostrae expositioni; qua parte vero eam accommodat interpretans Phariseos esse lucernam accensam, non probo: erant enim obtenebrati incredulitate, perfidia, & prauis affectionibus.

Tertio loco, Beda diuidit hanc sententiam a sequenti, & interpretatur de Christo: ipse enim est lucerna ardens, & accensa super candelabrum, lucens doctrina, & operibus mirandis. sic autem Beda connectit. quia dixerat Christus se non daturum signum nisi

nisi Ionæ, incredulis, subdit se non denegaturum fidelibus; sed lumen lucis suæ diuinitatis eis daturum promittit; quia lucerna est succensa posita super candelabrum. Hæc interpretatio, qua parte diuidit hanc sententiam à sequenti, quasi duæ sint parabolæ, non videtur mihi multum accommodata, vt paulo post dicemus. adde quod infidelibus non denegauit etiam signa, vt prius diximus.

Quarto loco, quidam recentiores diuidunt etiam hanc à sequenti parabola, & de Christo interpretantur cum Beda; aliter tamen connectunt, nempe velle Christum reddere causam, cur infidelibus, quos arguerat, non obstantibus calumnijs, & tentationibus eorum, non desistat prædicare, & miracula facere; nimirum, quia ipse est lucerna succensa, lucens omnibus; vt pote posita super candelabrum. ista explicatio in hoc non probatur, quia diuidit sententiam hanc à precedenti: & re vera, si diuidenda est, possumus accommodatorem adhibere interpretationem, & connexionem; nimirum, vt hac priori sententia Christus rejiciat à se culpam calumniarum, & tentationum factarum, quasi diceret, cur vos calumniam inferatis, & à me signa queratis, tot ac tantis iam factis spreis. non sum ego causa, nec mea est culpa, quia

Lucerna corporis tui, est oculus tuus: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum

lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

COMMENTARIA.

Applicat sententiam præcedentem. lucerna, inquit, corporis oculus est. perseuerat in eadem metaphora, & similitudine: sensusque est, dixi, neminem accendere lucernam, & eam abscondere, sed ponere in propatulo, vt omnes videant lumen. Quod in lucerna exteriori fit, id etiam in oculo corporis fieri contingit: est enim oculus velut lucerna, quædo hic oculus simplex, id est sanus est, nõ permittit humoribus malis, tunc totum corpus lucidum est, id est illuminatur; vt eius membra recte operentur: sicut lucerna accensa omnes qui ingrediuntur domum, vident lumen. at si oculus nequam est, & infirmus, tunc corpus tenebrosam est: partes enim eius non efficiunt opera sua; vt videre est in cæco: sicut lucerna non accensa in tenebris versatur, qui in domo sunt, nec operationes suas dirigere valent. significat hæc metaphora, mente, quæ oculus est animæ, sana, & veritate omni ex parte instructa, exteriores operationes hominis rectas esse; illa vero obcæcata errore, aut prauis affectionibus operationes consequenter esse prauas, & obliquas: non enim stat mentem sanam esse, & operationes esse prauas: sicut non contingit lucernam accensam, & poni sub modio, aut in abscondito.

ANNOTATIO LXXIX.

Superiori annotatione retulimus eos, qui hanc esse parabolam diuisam à precedenti sentiebant; quasi quæ ad duo genera personarum referatur, & diuersa significet: nobis autem visum est durum, ac violentum, vñ & idem vocabulum lucernæ in tam paucis verbis ad diuersa referre; cui possit facile, & accommodare ad vñ & idem pertinere, vti expositum est. si perest ergo pro presentis sententiæ explicatione, quæ metaphora quædam est, inuestigare, quid per oculum significetur; in quo doctores nõ consentiunt. Beda in præsentis commentarii oculum significare dicit intentionem animi, quæ interpretatio sumpta est ab Augustino lib. 2. quæst. Euang. c. 15. & lib. 2. de sermo. domini in monte c. ... & à Gregorio lib. 28. mora. c. 6. qui similia verba apud Matthæum interpretantes, oculum intentionem explicant. Verba Gregorij sunt hæc: Quid per oculum exprimitur, nisi opus suum præueniens intentio, quæ priusquam se in actionem exercent, hoc iam, quod appetit contemplatur? Hæc, & alia Grego. cui expositioni nonnulli ex recentioribus consenserunt. At vero Chrysostomus hom. 21. in Matthæum, & Hieronymus Matth. 6. eadem verba explicantes, mentem ipsam seu intellectum interpretantur.

inter vos sum vt lucerna accensa, non sub modio, nec in abscondito, sed super candelabrum, lucens omnibus doctrina diuina, & efficacissimis operibus diuinitatis. posteriori vero & sequenti sententia culpam in eos rejicit. lucerna, inquit, corporis tui est oculus tuus: quasi diceret, tenebræ vestræ, & mentes obscuratæ infidelitate, ac vitio, causa sunt, quod vos ista in me faciatis. iste sensus forsan prædictis accommodatior est. verumtamen omnium accommodatissimus visus mihi est, quem in commentario exposuimus; vt vna & eadem sit sententia, & parabola contra Phariseos, & scribas illos, qua Christus docet eorum mentem errore, & vitio obscuratam; indeque esse, vt calumnias inferant, signa petant, aliaque multa mala faciant: quam si haberent illuminatam sine tenebris erroris, infidelitatis, ac prauarum affectionum, vtique corpus, id est omnia exteriora eorum opera lucida, & recta essent; quia nemo lucernam habet accensam, & abscondit, sed ponit in candelabro, vt luceat intrantibus domum: sic est omnis, qui mentem omni ex parte lucidam habet, nec vllis obscuratam tenebris; huius opera profecto lucida etiam sunt. Hæc in sequentis sententiæ expositione magis explicabuntur.

Et re vera si per intentionem intelligamus actum voluntatis erga finem, non possumus oculum interpretari intentionem, non solum quia oculus est potentia agnoscendi, & lumen ad cognitionem pertinet, quæ magis intellectui, ac menti accommodantur, quæ voluntatis; sed etiam quia si per oculum intelligatur intentio, sententia Domini patietur oppositionem: nõ enim intentio etiam recta, & bona facit opus exterius bonum: nõ contingit malum opus ex bona intentione procedere: mendacium enim, etiam ob bonum finem, malum est. nec satisfit huic obiectioni per responsionem recentiorum dicentium, de operibus bonis ex se, aut indifferentibus, intelligendam esse sententiam Domini: hæc enim si ex bona intentione procedant, recta sunt. Hæc inquam responsio parum satisfacit; tum quia generalis est sententia Domini; tum quia etiam in bonis operibus ex se, & in indifferentibus, non sufficit bona intentio. nam posita bona intentione finis, & operibus bonis ex se, aut indifferentibus, contingit fieri opus malum, & peccatum, si fiat indebito tempore, aut loco: ad bonitatem enim operis multæ circumstantiæ necessariæ sunt præter intentionem bonam. Rectius igitur, verius, & accommodatius cum Hieronymo, & Chrysostomo

sofomo sentiemus, si per oculum interpretemur mentem: hæc enim si sana est, absque vlllo errore, & vitio, opera exteriora vtique bona sunt; nec contingit malum opus exterius, nisi præcedente vitio aliquo in intellectu, nempe errore, aut falso iudicio, saltem pratico, aut inconsideratione aliqua. vnde qui facit bonum opus ex se, etiam bono fine, sed tempore indebito, aut loco, aut deficiente aliqua circumstantia necessaria, opus vitiosum est. Ideoque si consideret quispiam, inueniet errasse intellectum, dum iudicauit id opus sic debere fieri: denique ge-

Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.

COMMENTARIA.

Concludit ex metaphora. vide, inquit, ne lumen, quod in te est, id est, lucerna, & oculus, ac mens, quæ ad illuminandum data sunt, tenebræ sint, id est, tenebræ; & tenebris obfuscata: multum enim id refert. nam si oculo existente nequam, totum corpus in tenebris versatur; contra vero simplex si sit, totum corpus lucidum est; sic etiam si mens tenebris affecta sit, actiones exteriores, quæ à tenebris procedunt, tenebræ sunt, ac vitiosæ; contra vero si lucida sit, actiones rectæ sunt; interest profecto mentem lucidam habere. vide igitur, ne in mente tua, quæ ad lumen data est, tenebræ sint erroris, ignorantia, & infidelitatis.

ANNOTATIO LXXX.

Apuð Matth. c. 6. hæc sententia magis explicatur; dicit enim, si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, tenebræ quantæ erunt? id est, magnæ erunt in te tenebræ, si quod ad lumen tibi datum est, tenebrosum sit: si enim oculus exterior talis est, totum corpus est tenebrosum; si autem mens, actiones, quæ ex iis tenebris procedunt, vitiosæ erunt. lumen in hac sententia appellat oculum in corpore, & mentem in anima, quæ ad illuminandum data sunt; quo verbo

Lumen quid hoc loco.

probatur non posse per oculum intelligi intentionem; hæc enim non est lumen, sed procedit ex lumine: recta enim intentio procedit à mète veritate informatæ, & illustrata. Quidam recentiores interpretantur particulam, *in*, loco, num, seu, an: nempe, considera num lumen, quod est in te, tenebræ sint; particula enim Græca, *in*, non, & num significat. Vtraque tamen lectio in eundem recidit sensum.

Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

COMMENTARIA.

Hæc est conclusio totius similitudinis, seu metaphoræ. si igitur, inquit, totus oculus lucidus fuerit, non habens aliquam partem tenebrosam, id est, nihil habens, quod lumen eius obscuret, erit totum corpus lucidum, & illuminabit te, scilicet oculus talis. sicut lucerna fulgoris, id est, sicut lucerna lucida, & perfecta; sic est in anima: quando tota mens lucida est, nihil habens ignorantia, erroris, falsitatis admistum, actiones exteriores rectæ, & lucidæ sunt. in hac sententia illud (corpus) ad oculum refertur; pars enim corporis etiam corpus dicitur: sic enim sensus fit perfectus, & absque vlla battologia.

ANNOTATIO LXXXI.

Interpretes illud (corpus) ad totum corpus referunt, & tunc sensus efficitur parum accommodatus, & cum battologia quadam, nec verba vltima respondent; non enim corpus totum est, quod illuminat, sicut lucerna, sed oculus. idcirco visum est mihi id referre ad oculum: nam & oculus corpus quoddam est, eo maxime, quod mihi suspicio est illud nomen Græcum, *ὄμμα*, quod corpus Latine dicitur, positum forsan à Typographis, aut ab aliquo, loco *ὄμμα*, quod significat oculum: quod si non positum est, debet intelligi pro oculo, tuncque quadrat illi, quod

sequitur (& sicut lucerna fulgoris illuminabit te. non enim totum corpus est, quod illuminat, sed oculus. Aduertendum autem est Græca nunc exemplaria habere sic (erit lucidum totum, sicut si lucerna fulgoris illuminet te) quæ lectio magis conuenit cum præcedenti lectione, si corpus pro toto corpore accipiatur. sicque legit Euthymius, cum quibusdam recentioribus; non tamen vitatur battologia: at vero vulgatum non sic legisse, certum est: qua lectione stante, oportet per corpus interpretari oculum, fitque sensus verbis valde accommodatus.

Et cum loqueretur, rogauit illum quidam Phariseus vt pranderet apud se. Iesus autem ingressus recubuit.

COMMENTARIA.

Non sunt hæc connexa superioribus, sed alio tempore euenerunt. loquebatur igitur Christus verba doctrinæ, vt solebat; quo absoluto sermone, à quodam Phariseo inuitatus est ad prandium, quod Christus non recusans, ingressus est domum illius, & recubuit ad mensam. acceptauit autem Dominus Pharisei conuiuium, vt instruendi eum occasionem haberet; & vt ostenderet se communia hominum officia nõ spernere.

ANNOTATIO LXXXII.

Connexio superiorum.

Quod ad connexionem spectat. Euthymius cum præcedentibus coniunxit, quasi dictum esset, cum hæc, quæ dicta prius sunt, loqueretur Christus, eum Phariseus quidam rogauit, ut apud se pranderet. Beda vero ponderans non esse dictum, cum hæc loqueretur, sed absolute, cum loqueretur, affirmat non referendam esse hanc sententiam ad verba immediate præcedentia, sed ad alia, quæ post illa Matthæus cap. 12. & Marcus cap. 3. explicant; nimirum, dum quæ dicta sunt, loqueretur, accessisse quendam, & dixisse: Mater tua, & fratres tui foris stant, & querentes alloqui te. at ille dixit: Quæ mater mea, & fratres mei? & extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Cum igitur hæc loqueretur, inquit Beda, Phariseus hic accessit. Aliis non placet hoc, sed existimant, nec post hæc, quæ Matthæus narrat, Phariseum hunc accessisse, sed alio post tempore, quod incertum nobis est. & reuera id probabilius est: nam post illa verba verisimile est cum matre, & fratribus quæretibus eum abiisse: non autem cum Phariseo hoc inuitante.

Phariseus autem cepit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.

COMMENTARIA.

Accubuerat Dominus mensæ priusquam manus ablueret, quod videns Phariseus, cepit intra se dicere: Quare non est ablutus ante prandium, idque dicebat in corde suo reputans, id est, iudicans, & in malam partem accipiens, ac damnans. Dominus autem id fecerat, ut occasionem acciperet dedocendi errorem, & superstitionem Phariseorum de huiusmodi ablutionibus, & baptismatibus in capiendis cibis.

ANNOTATIO LXXXIII.

Varia lectio- nes discutiuntur.

Græca exemplaria duas habent lectiones; vna est, ac si Latine diceremus: Phariseus cum vidisset, admiratus est, quod non esset lotus ante prandium. quæ lectionem sequitur Euthymius. Altera est, quam sequitur vulgatus, quæ habetur apud Titum Bostrenum antiquissimum doctorem Græcum; & hæc est, quam nunc interpretamur. Illud autem reputans, Græce est à verbo, διακρίνομαι, quod idem interpretatur apud Marcum vertit per verbum, hæsito: tale enim verbum multas habet significationes; idem enim significat, ac diiudico, discerno, discepto, iudico, reputo, hæsito. hoc in loco positum puto, pro, diiudico, seu iudico, quod sæpe in Scriptura in malam accipitur partem: vnde reputasse intra se dicitur, id est, iudicasse, & in malam partem accepisse. à qua interpretatione non discessit Titus Bostrenus, explicans Phariseum offensum fuisse eo, quod manus Christus non lauisset. De hac traditione Pharisaica, me-

Quod autem ad litteram pertinet, verbum illud (rogauit) Græce, ἠρώτα, quod Euthymius dupliciter interpretatur; aut rogabat, aut inuitabat. priorem interpretationem secutus est vulgatus: ea enim est frequentior verbi significatio.

Quod demum ad rem ipsam attinet. Euthymius existimat hunc Phariseum inuitasse Christum, ut ostenderet se præstantiorem cæteris Phariseis, atque ab eorum inuidia liberum. Titus Bostrenus vero, eum de numero persecutorum, ac peruersorum fuisse arbitratur, cuius conuiuium dicit Christum non recusare, non quod ignorasset Phariseorum peruersitatem, sed ut causam, & occasionem instruendi illum haberet. Quo autem animo Christum inuitauerit, bonone, an malo, Titus non explicat. mihi magis placet, si dicamus, hunc bono, & beneuolo animo inuitasse Christum: si enim aliter esset, Evangelista explicuisset, ut fere semper facere solet: quæuis enim plurimi ex Phariseis de Christi doctrina, non recte sentirent; non tamen omnes eo odio ipsum prosequerentur; ut à communibus officiis erga illum abhorrerent, talem existimo hunc fuisse Phariseum.

Phariseus ille, bonone, an malo animo Christum inuitauerit.

minit Matt. c. 15. Accesserunt, inquit, Scribæ, & Pharisei, dicentes: Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus cum panem manducant. Similiter Marcus cap. 7. Conueniunt, inquit, ad eum Pharisei, & quidam de Scribis venientes à Hierosolymis, & cum vidisset quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, non lotis, manducare panem, vituperauerunt. Pharisei enim, & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum, & à foro venientes, nisi baptizentur, non comedunt; & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & aramentorum, & lectorum. Hæc Marcus. Hac igitur de causa offensus est Phariseus, & male accepit, quod Christus illotis manibus mensæ accumberet. cur autem Dominus eam traditionem neglexerit, dicemus in sequentibus.

Et ait Dominus ad illum.

COMMENTARIA.

Respondet Dominus ad ea, quæ Phariseus in corde dicebat, ut sic ei persuadeat veram esse doctrinam suam: qui enim scrutator est cordium, dignus est profecto fide; ac quæ docet, vera esse, eo facto comprobatur.

Nunc vos Pharisei quod deforis est calicis, & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate.

COMMENTARIA.

Increpat Dominus Phariseos omnes in hoc vno præsentem; quia vitium commune erat ei cum cæteris: mundabant enim quod deforis est calicis, & catini, id est, vasorum exteriorum munditiei, & lotioni incumbabant, animæ autem munditiam negligebant, cum essent pleni rapinis, & iniquitatibus. rapina ad ea, quæ ab aliis vi extorquebant; iniquitas vero ad ea, quæ ab aliis dolo ac fraude accipiebant, refertur. quod igitur deforis est, corpus; quod autem intus est animam significat. Hoc ablutionis genere comple-

complectitur Dominus ablutiones alias, quibus utebantur Pharisei, quasque ex Marco retulimus. Obiurgantur ergo, quod corpora mundabant, animam vero immundam relinquebant; corporis enim ablutio animam non lauat, nec mundat, particula autem (nunc) indicat tempus præsens, quasi hæc superstitiosa lotionum traditio ipsorum sit inuentum, non autem antiquorum patrum doctrina.

ANNOTATIO LXXXIV.

Similia habentur apud Matthæum c. 23. alio tempore dicta. Inquit autem Origenes tract. 25. in Matthæum, cur Lucas catinum, Matthæus autem paropsidem dixerit, sed ea subtilia sunt, & ad spiritualia spectant. Illud (iniquitate) Græce πνευμα. Theophylactus interpretatur, inuidia; at vox potius significat malitiam, quam vetus interpres expressit iniquitatem: forsitan enim aliter legit, nempe ἀδυσία. cui interpretationi fauet Basilius in reg. breu. resp. 271. interpretatur enim defraudationem, iuxta illud Zacchæi: Si quem defraudauit. Fauet etiam Augustinus ser. 30. de verb. Domini, ubi legit. Rapina, & dolo. Aduertendum est, tam Latina, quam Græca verba pati duos sensus: vnus est, quæ secuti sumus in commentario, quiq; communior est. Alter est, si illud (vestrum) non referatur ad præcedens, sed ad sequens, sic, vestrum plenum est rapina; ut sit quædam traiectio, qua aliquando vitur Lucas, quasi dictum esset, quod intus est nempe calicis, & catini; rapina ac iniquitate vestra plenum est; ut vtrumque ad calicem, & catinum referatur: eritque sensus, quod de foris est calicis mundatis; quod vero intus est, rapina & iniquitate plenum est, quia cibos & potus rapinis, & iniquitatibus comparat. Huic lectioni consonat, quod apud Matthæum cap. 23. legitur: Mundatis, inquit, quod deforis est calicis, & paropsidis; intus autem pleni estis rapina, & immunditia quibus verbis metaphorice significabat Christus eos corpora lauare, animam autem plenam habere vitis, & illotam relinquere. at vero prior lectio apud Lucam est communior, & eam sequitur Basilius loco proxime citato. & Augustinus. ser. 30. de verb. Domini, ubi legit: Intus pleni estis rapina, & dolo, & ad eundem spectat sensus: nã per id, quod intus est calicis, significatur anima per id, quod deforis est, corpus. Increpatur autem isti, quod corporum munditiã habere curent, animarum autem spernant.

Ter Dominus de lotionibus ante cibos reprehendit Phariseos, & quibus de caulis.

Quod autem ad rem spectat, considerandum est Dominum ter Phariseos reprehendisse de huiusmodi lotionibus in cibis capiendis. Primo apud Matth. 15. & Mar. 7. Secundo nunc apud Lucam. Tertio apud Matthæum 23. non autem vitio dat huiusmodi ablutiones absolute, & per se: pertinent enim ad ciuilitatem, & munditiam exteriorem, quæ laudabilis est, si sit moderata. non hoc prohibet Christus, nec hac de causa Phariseos increpauit, sed quatuor aliis de causis: Vna est error: Pharisei enim non percipientes, nec intelligentes Scripturas, quibus Deus præceperat de animalibus immundis non vescendis, existimauerunt immunditiam corporalem ciborum, vasorum, & corporum, immundam facere animam; & quod exterius est, inspicere & coinquinare quod est interius: eaque de causa propria sua inuentione instituerunt in cibis sumendis multas lotiones, ut retulimus ex Marco, quasi im-

pedientes immunditiam animæ: sicque turbis tradiderunt; & obseruari ab eis fecerunt. Hac de causa Dominus inuehitur contra eos, ipsorumque baptismata & lotiones; quia contra veritatem Dei errorem continebant. Hanc causam ex Matthæo cap. 15. habemus; Carci, inquit, sunt, & duces cacorum. Audite & intelligite, non quod intrat per os, coinquinat hominem, sed quod exit à corde, nepe peccata. Hæc sunt, quæ coinquinat animam. Altera causa, propter quam Christus has lotiones spreuit, fuit illorum superstitio: Pharisei enim introduxerunt has lotiones, non ob naturalem, & ciuilem quandam decentiam, & munditiam; hæc enim non indigebat tam variis & multiplicibus lotionibus; sed introductæ sunt, quasi ad religionem pertinentes; ut qui contemnerent, contra Dei cultum agere censerentur; qui vero seruari, Deum in eis colere viderentur. hoc autem eis nõ licebat, quibus prohibitum erat a Deo Deuter. 4. ne quicquam adderent; detraherentue legi ex iis, quæ Deus instituerat: ob id, quasi superstitiosas, lotiones huiusmodi Christus reiecit. quam causam indicat Matthæus cap. 15. De iis enim lotionibus loquens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Similiter Marcus cap. 7. In vanum, inquit, me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum, id est, quæ propria inuentione instituant contra Dei mandatum. Hanc causam, cur Dominus lotiones istas spreuerit, tradit Chrysostomus hom. 52. in Matth. eaq; de causa ab Hilar. can. 15. Matth. appellantur superstitiosæ, quasi quod ad religionem non pertinet, & proprio hominum arbitrio contra diuinum mandatum, inductum sit ut religiosum. Tertia causa fuit, quia in iis obseruandis summo studio incumbabant; & immunditiam animæ, quæ turpior est, grauiusque malum, negligebant: versabanturque in auferendis quibusdam immunditiis corporum; nullam autem adhibebant curam in auferendis ab anima rapinis, inuidiis, & aliis multis sceleribus. Hanc causam habemus à Luca in præsentem. Quod deforis, inquit, est, mundatis; quod autem intus est, plenum est rapina & iniquitate. Similiter Matth. 23. Quarta causa generalis est, tam de his ablutionibus, quam aliis similibus traditionibus Phariseorum, quia præferabant eas diuinis mandatis: erant enim nonnullæ earum contra præcepta Dei ipsius, quæ causa habetur Matth. 15. & Mar. 6. Transgredimini, inquit, mandata Dei propter traditiones vestras. Ut igitur Christus occasionem caperet docendi veritatem, noluit lauare manus iuxta traditionem Phariseorum, ne consentire videretur eis, probaretque facta tales lotiones; & ut ansam acciperet illas reprehendendi, & veritatem docendi, vitamque Phariseorum increpandi.

Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit?

COMMENTARIA.

Arguit Phariseos stultitiæ & imprudentiæ, ac insipientiæ, in eo, quod lauabant exteriora calicis, & quod intus est, nempe animam negligebant. Nonne, inquit, qui fecit, quod deforis est, fecit etiam quod intus est? si igitur lauantes, quod deforis est, putatis vos cultum exhibere auctori Deo, debetis profecto lauare, & mundare animam: nam etiam hæc à Deo est; nec minor cultus exhibetur Deo in lauandis exterioribus, quam in mundandis interioribus, immo maior.

Stulti quomodo appellatur Pharisaei a Christo.

Sultos appellat, vel quod non agnoscant, non minoris momenti esse animas mundare, quam corpora, vel si agnoscant, quod non faciunt illud insipientiae, & cecitatis mentis, hoc imprudentia est, utrumque autem dicitur, & est stultitia. Aduerte autem hoc verbum, stulti, a Christo vero Domino, & magistro, non esse contumeliae; sed reprehensionis, & increpationis: quod imitatus Paulus Apostolus Gala. 3. ipsos Galatas insensatos appellauit: O, inquit, insensati Galatae, quis vos fascinauit, quo autem modo fiat hoc, paulo inferius explicabimus, cum exposuerimus obiectionem illam factam a Pharisaeis: dixerunt enim Christo: (Hoc dicens, contumeliam nobis facis) Aduerte etiam illud (quod deintus est) referri ad animam, de qua dictum est prius, quod intus est vestri, plenum est rapina. Si autem sequamur expositionem in annotatione explicatam, ut in praecedentibus illud, vestri, connectatur cum sequenti, ut illud, quod deintus est, re-

Verumtamen quod superest, date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis.

COMMENTARIA.

Modum legitimum mundandi exponit reiecto illo, quem illi amplectebantur: nam illi lauabant exteriora relicto interiori: Christus vero contra docet. Sensus igitur & connexio sunt haec: vos lauatis tantum, quod deforis est; quod vero intus est, plenum est rapina, & iniquitate: idcirco non estis mundi. verumtamen loco rapinarum, & iniquitatum, ex his, quae habetis, date eleemosynam; & tunc omnia munda erunt; totiq; mundi eritis, corpore & anima: corpore quidem lotionibus vestris; anima vero, eleemosynis. immo si interiora munda sint, omnia munda erunt: haec enim est mundities, quae absolute hominem mundum reddit. Similis est sententia Matthaei 23. Munda, inquit, prius, quod intus est calicis, & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. quibus significat, quantumuis homo sit exterius mundus, si anima est immunda, absolute non esse dicendum mundum. quod apud Matthaeum Dominus dixit, hoc apud Lucam expressit, modum mundandi interiora explicite docens, nempe eleemosynis.

ANNOTATIO LXXXVI.

Locus hic difficilis est, & diligentiori indiget explanatione ultra eam, quae in commentario adhibita est. Quod ergo ad litteram spectat, diuersitas quidem est: nam apud nonnullos non legitur illud (quod superest) sed tantum (verumtamen date eleemosynas); & ecce omnia munda sunt vobis) sic inter Graecos legitur Origenes hom. 2. in Leuit. Chrysostr. hom. 51. in Mat. & hom. 32. ad Populum Antiochenum. Inter Latinos autem Cypri. lib. 3. ad Quintinum cap. 1. Ambrosius in hoc commentario, & Augustin. ser.

30. de verb. Domini, & lib. 2. contra Cræcon. Gram. cap. 12. Alij vero legunt, inter Graecos quidem Basil. reg. breu. resp. 271. Cyrillus, lib. 2. in Leui. Theophylat. & Euthy. in hoc commentario. inter Latinos autem idem Augustinus Enchi. c. 76. vbi legit (quod superest) & Be. Jas. hrc est lectio, quae vetus interpret est secutus, quamq; nos etiam sequimur; & quae in Latinis, ac Graecis exemplaribus communiter habetur, cuius lectionis explicationem, simul etiam totius sententiae, sequentes duae annotationes continent.

ANNOTATIO LXXXVII.

Connexio, & sensus superiorum verborum.

Hoc supposito, sensus, & connexio sententiae inuestiganda sunt; in qua re varia dicuntur. Primo quidem recentiores nonnulli hanc sententiam per ironiam existimant dictam a Christo, contra Pharisaeos illos, quasi diceret: Pleni estis rapina, & iniquitate; & putatis per eleemosynas quasdam eorum, quae adsunt, seu quae habetis, omnia vobis esse munda. ut autem haec ironia verbis sit accommodatior, illud, Date, Graece δωρεν, interpretatur per verbu indicantis, nempe, datis. Inducuntur recentiores ad affirmandū hanc sententiam ironice dictam; non autē absolute, & proprie; quia cū Pharisaeos plenos rapinis, & iniquitatibus dixerit, non videbatur consentaneum Christum docuisse eos eleemosyna mundandos esse; cum plura, & maiora opera essent necessaria. At vero haec interpretatio recens est contra comunem antiquorū Patrum sensum; qui omnes, ut in eorum sententiis recitandis apparebit, interpretantur hanc Domini sententiā absolute, proprie, & absque vlla ironia dictam. Adde vix

reperiri apud Graecos imperatiuum δωρεν. accipi in sensu indicante pro δωρεν. nec est argumentum recentiorum istorum alicuius momenti; ut ex sequentibus facile constabit.

Hac igitur dimissa interpretatione, Secundo loco Beda in commentario duas adfert expositiones: illud enim (quod superest) dupliciter interpretatur; vno modo sic, quod superest, id est, pro rapina, & iniquitate date eleemosynam: hoc enim solum remedium superest vobis. Altero modo, ut idem sit (quod superest) id est, quod est superfluum, ut sit sensus, verumtamen quod victui necessarium vestro superfluum est, date in eleemosynam; & ecce omnia erunt vobis munda, id est, a peccatis mundabimini. at vero neutram interpretationem illius (Quod superest) admittunt verba Graeca: habentur enim Graece τα εὐδύνα: est enim participium numeri pluralis verbi substantiui cum prepositione, quasi si latine diceremus, inexistencia, seu, quae inest, haec date in eleemosynam.

Tertio igitur loco Euthymius in commentario sic interpretatur (quod superest) id est, de diuitijs repositis, & de ijs quae habetis recondita, date eleemosynam, & sic erunt omnia munda, nempe corpus, & anima. sic autem connectit hanc sententiam; ut, postquam ostendit Dominus vanam Pharisaeorum abluitionem, in eorum auaritiam inuehatur, exhortaturque illos per eleemosynam corpus, & animam purgare.

Quarto, loco Basilus reg. breui. resp. 271. non multū dissimilis est ab Euthymio allegato, nisi quod illud (omnia munda sunt vobis) non ad corpus, & animam refert, sed ad peccata paulo ante narrata: dictum enim est, plenum est rapina, & iniquitate, subiungit ergo Dominus, verumtamen ex ijs, quae vobis adsunt, date eleemosynam, & ecce omnia, quae rapina, & fraude commisisistis, nuda erunt, id est mundabimini a talibus rapinis, & defraudationibus perpetratis.

Quinto loco doctores illi, qui non legunt illud (quod superest) sed absolute, date eleemosynā, & ecce omnia munda sunt vobis, non ad peccata praecedētia, rapina, & iniquitate, sed generaliter ad peccata quaecūque referunt; quae dicunt eleemosynis tolli. sic Origenes, Cyprianus, & Ambrosius locis in praecedenti annotatione citatis docēt. de qua re particularis fiet cōsideratio in sequenti annotatione. Mihi expositiones Basil. & Euthymij magis accommodatē videtur, si aliquantū declarentur. ea igitur, quae in eleemosynā danda monet, sunt quae inest, id est quae propria eorū sunt, quod vulgatus dixit quod superest, id est, quod est extra ea, quae rapina, & iniquitate possidebatur. Horum eleemosynis recōpensatio fit eorum, quae ablata erant, sicque mundabatur anima a culpis rapinae, & iniquitatis. sensus igitur est: vos mundatis, quod deforis est, immundities interna relicta; verumtamen dico vobis, de proprijs facultatibus, & ijs, quae vestra sunt, facite eleemosynam, sicque omnia erunt munda vobis, nepe vasa, & animae; interiora, & exteriora; aqua quidem exteriora, quod vos facitis; eleemosyna autē interiora, quod ego doceo: aliter mundatis tantū, quod deforis est, non autem quod intus. Hunc sensū secutus est Tertullianus lib. 4. cōtra Marcion. c. 27. vbi sic legit: Date quae habetis eleemosynā, & omnia munda erunt vobis. Hic mihi videtur intellectus huius sententiae, supposita expositione praecedentium sententiarū, quae secuti sumus, amplectētes

ANNOTATIO LXXXVIII.

Eleemosynis quomodo animam mundetur.

Explicandum nunc est, quomodo eleemosynis anima mundetur, & purgetur, in quo sunt variae patrum sententiae. primo quidem Augustinus Enchirid. cap. 71. & 72. hanc Domini sententiā adducens duo dicit: vnum est, peccata venialia, & scelera, ac moralia peccata, quae per penitentiam quantum ad culpam remissa sunt, mundari per eleemosynam, quod intellige quantum ad penam remanentem, ut paulo inferius declaratur. Alterum est, per eleemosynam hanc non tantum intelligi debere, quae communiter fit in pauperes, sed etiam generaliter omne officium, & opus, quod in vtilitatem proximi fit; ac si clarius diceret, opera misericordiae tam corporalia, quam spiritualia dicuntur hoc in loco eleemosyna; & per talia mundatur ac purgatur anima a venialibus culpis, & a mortalibus, quo ad culpam, per penitentiam remissis.

Secundo loco idem Augustinus ser. 30. de verb. Domini, absolute hanc sententiam interpretatur, nimirum, ut omnia peccata purget eleemosyna, etiam quoad culpā; ut tamen hoc verificet, eleemosynā significatione extendit ad omne opus bonū, quod homo siue in vtilitate propriam, siue in alterius facit, sic qui credit, qui penitentiam agit, qui alia facit,

communē doctōrū lectionē. At vero, si quis planiorē, & forsā veriorē horum interpretationē desiderat, poterit recipere sequentē, si incipiamus ab illa prima sententia. nunc vos Pharisaei, quod deforis est, calicis & catini mundatis; quod autem intus est vestri, plenum est rapina, & iniquitate, id est, o Pharisaei, quod deforis est calicis, & catini mundatis; & quod intus est calicis, & catini vestri, rapina, & iniquitate plenum est; quia potū, & cibū, qui intra calicem, & catinum sunt, rapinis, & iniquitatibus cōparastis, sicque quod intus est calicis, immundū est. o stulti, non consideratis, quod qui fecit exteriorē partem calicis, & catini, fecit etiam quae intus est. hoc dicit, quia Pharisaei his abluitionibus putabant se cultum exhibere Deo: cum igitur Deus vtriusque partis sit auctor, vtraque mundanda erat. cur ergo lauatis exteriora vasorum, & quae intus sunt, immunda facitis rapiendo, & fraude comparando ea, quae in illis reponitis? non sic ablutio facienda est, non sic mundities verā comparatur; verū, quod superest, id est, quod super vasa est, seu quae inest, seu inexistencia in calice, & catino, date in eleemosynam: & sic omnia erunt munda; nempe pars calicis, & catini exterior, & interior. illa quidem lotione vestra exteriori, quā facitis; haec vero, si quae apponitis intra vasa, munda sint, refarciendo eleemosynis, quae male comparata reponitis in vasis. consonant huic expositioni, eaque confirmant, quae apud Matthaeum habentur c. 23. Ecce munda prius, quod intus est calicis, & paropsidis; ut fiat id, quod deforis est, mundum. quibus verbis, illud intus, & deforis, ad vasa referuntur. idē nunc Lucas dicit, nisi quod Dominus adiecit modum mundandi, quod intus est calicis, & catini, seu paropsidis; nempe si eleemosynis mundentur, quae rapina ablata sunt, & bene comparatis vasa replentur. Hac metaphorā significat Dominus, quae fieri debent cum corpore, & anima nostra: corpus enim significatur per id, quod deforis est calicis; anima vero per id, quod intus est. illud igitur, quod superest, ad id, quod in vasis continetur, referendum est; idque Graeca magis significant, nempe inexistencia, id est, existencia in calice, & catino. non quod illa eadem debeant dari in eleemosynas; sed quod tunc munda sunt, & desinant esse male parata, cū reparatio prius fit per eleemosynas, uti in sequenti annotatione magis explicatur. Haec expositio videtur non spernenda; quantumuis interpretum auctoritate sit destituta.

quibus etiā culpa deletur, dicitur sibi facere eleemosynam: suae enim animae miseretur, qui ei benefacit. talis eleemosyna absolute mundat animā a quocūque peccato. Hac ratione soluit Augustinus argumentum contra hanc sententiam oppositum, nempe cū fides in Christū esset necessaria ad mundanda peccata, & hi Pharisaei non crederent in eum, quomodo per eleemosynā mundādi dicerent? respondet Augustinus, eleemosynā etiā fidem cōplecti: nā qui assentit fidei, miseretur, ac eleemosynā facit animae suae. At vero non videtur ista generalis significatio, accommodata praesenti sententiae: nō enim absolute dicitur, date eleemosynā, & ecce omnia munda sunt vobis, ut ipse Augustinus legit; sed, quod superest, seu de vestris facultatibus date eleemosynā, quod aperte ostendit Christū loqui de eleemosyna corporali, quae pauperibus erogatur; idque intendit Saluator docere contra Pharisaeorū auaritiā. verba etiam antecedentia, & sequētia id cōprobant: nā de rapinis, & iniquitatibus Pharisaeorū locutus est, eisq; opponit eleemosynā ex proprijs; sicque refarciunt peccata, quibus aliena rapuerūt. Adde ceteros Patres sic interpretatos esse hanc eleemosynā: vnde eā cōputarūt inter illa opera, quibus a peccatis mudamur; ut habent Origenes lib. 2. in Leu.

in Leu. & Cyrillus hom. 2. ibidem, cui consonat illud Dani. 4. Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiam pauperum. & Tobia 4. Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

Tertio igitur loco Basilius reg. breu. resp. 27. eleemosynam, quæ fit in pauperes interpretatur, allegatq; illud Luc. 19. de Zachæo, dimidium bonorum meorum do pauperibus. dicit tamen hanc eleemosynam non mundare à quocunque peccato, sed à rapina, & defraudatione commissis, de quibus locutus est Dominus: peccata enim, quæ regi posunt, contrariis factis bonis recompensantur. rapina ergo, & fraudatio retegantur, si homo contraria faciat; ut ex iis, quæ habet, det pauperibus: qui enim aliena rapuit, retexit malum factum, si sua det, ut Zachæus faciebat. & re vera ista expositio accommodata est, quantum ad Saluatoris intentum, qui de rapinis, & defraudationibus Phariseorum locutus, quibus anima eorum immunda erat, hanc protulit sententiam. tamen quantum ad rem ipsam generalis est: eleemosyna enim mundat à cæteris etiam peccatis, uti loca Scripturæ proxime citata probant: non quidem à culpis mortalium; hæc enim fide, dilectione, ac penitentia delentur, sed à pænis relictis ex culpa. sicque vera est doctrina, quam Augustinus in primo eius dicto docuit, cui consensit Gregorius lib. 12. moral. cap. 23. immo Basilius id ipsum in-

Sed vae vobis Phariseis, qui decimatis mentam, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium, & charitatem Dei:

COMMENTARIA.

Cominatur Phariseos, quod non sic faciant, nec sic interiora eleemosynis mundaent: Vae, inquit, vobis, qui minima quædam legis seruatis: decimatis enim, id est, soluitis decimas minorum quorundam, puta mentæ, rutæ, & olerum; & tamen grauiora, & maiora mandata præteritis; nempe iudicium, & charitatem: iudicium quidem nocendo aliis, & rapiendo aliena, contra leges iustitiæ; charitatem vero non miserando proximi, nec eleemosynam pauperi conferendo. non solum ergo rapinas, & iniustitias non recompensatis eleemosynis, sed & illas perpetratis contra iudicium; & eleemosynas non facitis contra charitatem, quæ sunt maioris momenti, quam decimas dare tales. Addit, Dei, quia charitate Deus diligendus est, & proximus: Pharisei autem, nec Deum, nec proximum diligebant: qui enim non diligit proximum, nec diligit Deum. 1. Ioan. 3. Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? & 1. Ioan. 4. Qui non diligit fratrem suum, quem videt, quomodo Deum, quem non videt, diligere potest.

ANNOTATIO LXXXIX.

Decimare Latine, quid Hebrais, & Græcis, & qua significatione hoc loco accipiendum.

Quod Latine dicimus decimare, Hebræi significant verbo דעם Græci autem verbo δέσμιον. est autem utrumque verbum ambiguum, nempe pro eo, quod est decimas soluo, & pro eo, quod est decimas exigo. In priori significatione accipitur Gen. 28. Cunctorum, inquit, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. in Hebræo, & Græco habentur verba prædicta, in posteriori vero significatione usurpatur 1. Reg. 8. Greges, inquit, vestros addecimabit, ubi prædicta verba in Hebræo, & Græco habentur. Hinc fit, ut Latinum verbum ambiguum sit ad significationem utramque; sicut scelerari ambiguum est: nam significat vsuras soluo, & vsuras exigo. Est igitur difficultas in præsentis sententia, quæ eadem habetur Matth. 23. utro modo verbum hoc accipiendum sit: sunt enim duæ oppositæ sententiæ. Hieronymus enim primo loco, & Druthmarus Matth. 23. in priori significatione interpretantur, nempe pro eo, quod est exigere, seu accipere decimas, quam sententiam secutus videtur Augusti-

nuauit, dicens eleemosynam per se solam non mundare, sed egere misericordia Dei, sanguine Christi, & penitentia fructibus. Hinc soluitur argumentum Augustini superius factum; non enim eleemosyna sola mundat absolute à culpis, sed supponit fide, dilectione, & penitentia delentur; ipsa vero à relictis pænis mundat. Quodam etiam modo etiam culpas delet, non quidem per se, sicut penitentia, sed quia impetrat a Deo ea, per quæ remissio culparum fit.

Vnum tamen dubiolum restat: quomodo rapinae compensantur eleemosyna; cum restituenda sint, quæ male ablata sunt, iis, quibus ablata fuerunt: non enim eleemosynæ fieri debent ex rapinis, & male ablatis, nisi quando ignoramus eos, a quibus abstulimus: tunc enim in pauperes erogare debemus. Respondeo Christum supponere alienam rem reddendam Domino; nec de hoc est sermo, sed de peccato, quod manet, etiam reddita re aliena. ab hoc igitur peccato mundat eleemosyna: quod quidem declarare possumus factis Zachæi. Si quem, inquit, defraudauit, reddo quadruplum: nempe restituo, quæ abstuli, & quidem multiplicatam ratione iniuriæ, & ut legi satisficiam. ac pro ipso peccato quod manet, subiunxit: dimidium bonorum meorum do pauperibus. hoc est, quod nunc dicit Dominus, quod superest, id est, de bonis vestris, rapinis iam restitutis, date eleemosynam, & ecce omnia munda erunt.

Rapinae quomodo eleemosyna compensantur.

fitum est: non enim lex, tam implebatur in exactione, quam in solutione; præceptum enim erat soluendi: deo dicitur: Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

Tertio, quia hæc est communior Patrum sententia, ut ex dictis liquet. Quod autem ad connexionem huius sententiæ spectat. Augustinus Enchi. cap. 76. & Beda, existimant Christum voluisse significare, se non ignorare eleemosynas Phariseorum, quæ erant oblationes decimarum; tamen eas non esse sufficientes ad mundandum, quia præteribant iudicium, & charitatem, ut sit sensus: date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis; sed vos non eas eleemosynas facitis, ut oportet, quia præteritis iudicium, & charitatem. probabilis est connexio, & sensus, &

videtur consentire Chrysostomus homil. 74. in Matth. qui decimas eleemosynas appellat. at hoc vnum displicere potest, quod non videtur computari inter eleemosynas, de quibus nunc est sermo, decimarum oblationes: idcirco aliter connexionimus in commentario. Vnum non est prætermittendum, quod Gregorius 3. p. past. admoni. 34. Spiritualiter considerat; nempe factam mentionem decimarum in minimis quidem, sed bene olentibus, quia simulatores Pharisei, neglectis maximis, ea minima implebant, quæ humano iudicio late, longeque redolent, quærentes hominum applausum, & opinionem sanctitatis, postposito timore Dei.

Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

COMMENTARIA.

Ne calumniæ locum Phariseis daret, quasi qui reprobareret decimas, subdit, eas quidem probando; tamen iustitiam, & charitatem præferendo. Hæc, inquit, oportuit facere, nimirum seruare iustitiæ leges, & charitatis, quod magis est necessarium; nec tamen omittere illa, nempe decimarum solutiones, quæ bonæ sunt, & faciendæ, sed illa grauiora. Hoc apud Matthæum cap. 23. magis explicatur: cum enim præmississet eandem sententiam de decimis, iudicio, & charitate, adiunxit, reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium, charitatem, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

ANNOTATIO LXXX.

An decimæ minorum mentæ, rutæ, & olerum fuerint lege præceptæ.

Quidam recentiores existimant decimas horum minorum, nempe mentæ, rutæ, & olerum non fuisse lege præceptas; sed Phariseos, ut se legis obseruantissimos ostenderent, talia decimasse. Hæc tamen opinio non videtur mihi probanda, cui obstant, primo verba Christi: Oportuit, inquit, illa non omittere, si oportebat tales decimas non omittere, igitur tenebantur eas dare. Secundo, verba Christi apud Matthæum: Reliquistis, inquit, grauiora legis, hæc comparatio fit cum leuioribus, sed tamen legis: utraque enim lege erant præcepta. Tertio verba Leui. 27. Omnes, inquit, decimæ terræ, siue de pomis arborum, siue de frugibus, Domini sunt. loco illius, de frugibus, in Hebræo est: De femine terræ. quod verbum comprehendit etiam

prædicta. Præterea Deuterono. 14. Decimam, inquit, partem separabis de cunctis frugibus tuis, quæ nascuntur in terra, per singulos annos. in Hebræo est, decimando decimabis omnem prouentum seminis tui, quem producit ager annuatim. quæ verba etiam complectuntur prædicta. Quarto, quia non darent decimas, nec eas offerrent Deo, nisi secundum legem essent; hoc enim illi vehementer ambiebant, videri nempe legis obseruatores. Demum quinto, ita Hieron. sensit Matth. 23. hanc exponens sententiam, & allegati Patres ita de his decimis locuti sunt, ac de cæteris, quas nemo dubitat fuisse secundum legem. atque ita sentiendum videtur, cum in contrarium nulla ratio probabilis faciat.

Vae vobis Pharisei, qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.

COMMENTARIA.

Prosequitur explicare crimina Phariseorum, qui corporum lotionibus intenti referri erant sceleribus. Incusat autem eos superbiæ, & ambitionis, qui antecellere omnes alios cupiant. Diligitis, inquit, in Synagogis, in quibus conuentus fiunt ad orandum, & ad legem prædicandum, primo sedere loco, quasi præsides, & super alios. & in foro, locisque publicis, ubi ab omnibus videri possitis, diligitis salutationes hominum, ut vos reuerentur, ac plurimi faciant. non autem dicit, qui primas cathedras habetis, sed qui diligitis, & cupitis, affectum, & desiderium vestrum in hoc conuertentes, nec aliud præ oculis habentes, quam præcellere, & magnificari ab hominibus. Hoc ipsum Matthæi 23. dicitur: Amant, inquit, primos accubitus in cænis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

Vae vobis, quia estis ut monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes supra, nesciunt.

COMMENTARIA.

Hypocritism, ac simulatam Phariseorum sanctitatem arguit: erant enim ut sepulchra, quæ quid intus sit, homines ambulantes supra ea non vident; tales

les erant Pharisei, qui intus erant spurcitia peccatorum pleni; ea tamen non appar-
rebat hominibus, qui foris considerantes illos, ignorabant quid intus lateret. Hoc
intelligendum est, non tantum iuxta verba, sed ex intentione illorum, qui cum tales
essent intus, summo studio procurabant fictis quibusdam exterioribus operibus occul-
tare scelera, & reputari sancti; hoc autem hypocrisis est.

ANNOTATIO XCI.

Consensus
Matthæi, &
Lucæ.

A pud Matthæum cap. 23. explicatior habetur hæc
sententia: *Væ*, inquit, vobis Scribæ, & Pharisei
Hypochritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis,
quæ à foris parent hominibus speciosa; intus vero
plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia:
sic & vos, à foris quidem paretis hominibus iusti,
intus autem pleni estis Hypocrisis, & iniquitate. nec
est contrarietas vlla, quod Lucas dicit monumenta
non apparere; Matthæus vero apparere hominibus,
quia hic loquitur de eo, quod est extra, ille vero de
eo, quod est intra monumenta.

Aduerte eum, qui peccata habet occulta, & bo-
na opera facit manifesta, non semper peccare, nec

Hypocritam esse: si enim is ea faciat, vt saltem bona
talia faciat, satisfaciatur præcepto de talibus operi-
bus, non peccat. vt qui in peccato mortali est, & ta-
men ieiunat, audit sacrum, aliquid facit elemo-
sinam intentione beneficii, is non peccat in istis.
Rursum, si ea faciat, ne scandalizet alios, qui eius ope-
ra obseruant; aut vt aliis talia faciendi exemplum
det, non peccat; nec hypocrita est. At vero cum
ea facit, vt iustus, & sanctus videatur, aliisque re-
putetur, quam sit; nec alium finem intendit, is pec-
cat, & hypocrita est: & tales erant hi Pharisei,
qui cum intus similes essent sepulchris, quædam ope-
ra exteriora faciebant, vt sancti reputarentur.

Qui peccata
habet occulta
& opera bona
facit manife-
sta, non sem-
per hypocrita
est.

*Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister hæc dicens etiam
contumeliam nobis facis.*

COMMENTARIA.

A derant quidam Legisperiti, quando hæc Dominus aduersus Phariseos lo-
quebatur, aut forsitan solus iste, qui audiens, quæ contra Phariseos diceban-
tur, de Christo conqueritur, dicens: Magister his tuis dictis non solis Phariseis, sed
nobis etiam Scribis, Legisque doctoribus contumeliam facis. hæc iste dixit, siue
conscientia propria motus, quia eadem faciebat, quæ Phariseus; siue quia Legis-
periti, & Scribæ, socij erant Phariseorum, eorumque vitam probabant. Errabat iste
iudicans Christi verba contumeliosa esse; non enim contumeliæ, sed reprehensionis
erant; non ex odio, sed ex zelo iustitiæ, & charitatis procedentia.

ANNOTATIO XCII.

Contumelia
quid, & quo à
conuicio dif-
ferat.

Contumelia Græce *ὕβρις* est, quando quispiam
aliquem verbis, aut factis in honore lædit: dif-
fert autem à conuicio, quod Græce dicitur *λοιπὸς*;
quod hoc verbis tantum; illa autem etiam factis com-
mittitur, vt notauit Basilus in Isai. cap. 2. est etiam,
aliud discrimen: nam per contumeliam inhonoramus
aliquem, opponendo crimina, & ea, quæ culpâ con-
cernunt: per conuicium autem non tantum hæc, sed
etiam vitia naturæ, qualia sunt, mente captus, fur-
dus, calaus, & similia, quæ animo irridendi, & in-
iuria afficiendi sunt. Notat autem doctus Basilus
homil. in Psal. 14. in illud (opprobrium non accep-
it,) contumeliam, seu conuicium conuenire cum
correctione, quæ virtus est in materia: nam sæpe quæ
per contumeliam, & conuicium alicui dicimus, eam-
dem corrigentes proferimus: si quis enim aliquem
insensatum, hypocritam, aliudue simile appellet, po-
test & per correctionem, & per contumeliam hæc
iactare. differentia igitur est in fine: nam qui contu-
meliam afficit, vt confundat proximum, ea profert,
& ibi sistit: at qui corrigit, ea profert, vt emendet,
& sanet. Ultra hanc differentiam à Basilio notatam

est etiam altera, nempe in principio, & radice: nam
contumelia, & conuicia ex odio, & iniustitia proced-
unt; vnde & contra charitatem, & iustitiam sunt;
at correctio ex dilectione, & zelo iustitiæ emanat;
vnde illa vitia, hæc virtus sunt. Hinc etiam sequit-
ur alia differentia: nam contumelia, & conuicium
animo perturbato, & irato sunt, nec modum ser-
uant; at correctio, cum mansuetudine, & modestia.
Ex his facile est videre, quomodo iste Scriba decep-
tus sit: audiens enim verba acra Christi, & quibus
posset quispiam aliquem contumelia afficere, iudi-
cauit Christum contumeliosum; nec considerauit,
vt debuit, non eo animo esse prolata à Christo, vt
confunderet, & læderet eos, sed vt sanaret, & emen-
daret. vt sæpe solitus erat; idque verbis, & factis alias
ostenderat. vnde cæcus, quod virtutis erat, adscripsit
vitio; & de eo, pro quo debuerat agere gratias, do-
luit, & conqueitus est, non alter, ac si infirmus in-
iuriæ tribuat, quod medicus cibum, & potum neget,
vt eum à morbo graui liberet, quod phrænetico-
rum est.

Contumelia,
& conuicium
à correctione
quo differant,
& in quo cadē
conueniant.

*At ille ait: Væ vobis Legisperitis: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non
possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas.*

COMMENTARIA.

Christus videns malitiam eius, qui conscientia propria percussus, nolebat agno-
scere veritatem, etiam ad eum dirigit reprehensionem, & in ipso cæteros etiam
Scribas increpat. *Væ*, inquit, vobis legisperitis, qui oneratis homines, id est, im-
ponitis

ponitis populo, & turbis dura præcepta facienda, & vos digito non tangitis sarcinas,
id est, leuiores non facitis, nec quicquam, vel paruum, ex iis, quæ aliis iubetis, imple-
re vultis. methaphorica est sententia.

ANNOTATIO XCIII.

Similem sententiam Christus protulit contra Pha-
riseos, & Scribas apud Matth. 23. vbi sic in-
quit: Alligant onera grauiora, & importabilia, & im-
ponunt in humeris hominum, digito autem suo no-
lunt ea mouere. Hæc onera existimo esse illa, quæ
ipsi Scribæ, & Pharisei in propriam vtilitatem con-
gebant, aut contra, aut præter mandata Dei, legem
proprio arbitrio declarantes, de quibus dicitur Matth.
23. Transgredimini mandatum Dei propter traditiones
vestras: nam Deus dixit: Honora patrem tuum, & matrem
tuam; vos autem dicitis: quicunque dixerit patri, vel ma-
tri: Munus quod siue ex mo, si tibi proderit, & non
honorauerit patrem, & matrem. Hoc profecto onus gra-
uissimum erat, quod imponebant populis; ipsi vero non
obseruabant, vt in minimo. Adiungit etiam ibi Domi-
nus ex illa, sine causa colunt me: docentes doctri-

nas, & mandata hominum. De his igitur arbitror
loqui nunc Dominum, non de præceptis legis, de
quibus non diceret Dominus: Alligant onera gra-
uia, & importabilia: hoc enim proprium erat Scri-
barum, & Phariseorum, qui alligasse dicuntur onera,
quia præceptis Dei, ac legis adiungebant durissi-
ma, & de talibus interpretatur hæc sententiam Euthy-
mius Matth. 23. & ante eum inter Latinos Tertul-
lianus lib. 4. contra Marcion. cap. 27. vbi hanc ci-
tans sententiam, inquit: quæ onera taxat? quæ ipsi
de suo exaggerabant docentes præcepta doctrinas
hominum, commodorum suorum causa, iungentes
domum ad domum; vt quæ proximi suar, aufer-
rent, clamantes populum, amantes munera, sectantes
retributionem, diripientes iudicata pauperum.
Hæc ille.

Væ vobis, qui edificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos.

COMMENTARIA.

Increpat eisdem ram Legisperitos, quam Phariseos, quod edificabant splendida
sepulchra Prophetis, quos eorum patres occiderant. cur autem hanc ædificatio-
nem vituperet, eiusque illos increpet, sequentibus explicat verbis.

ANNOTATIO XCIII.

Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 27. di-
cit, non fieri comminationem istis ea de causa,
quia edificabant monumenta, quia id erat laude di-
gnum; cum per id detestarentur peccatum patrum:
sed comminatio facta est, quia erant filij illorum,
qui occiderunt: Deus autem castigat in quartam ge-
nerationem: vnde peccatum parentum in eis punien-
dum, & vindicandum erat. Hæc sententia non po-
test accommodari: nam verba, quæ sequuntur, ostendunt

causam; nempe quia hoc ædificio testificaban-
tur isti se consentire delicto patrum, vt inferius ma-
gis explicabitur. Adde Deum non castigare in
quartam generationem peccata patrum, nisi quan-
do filij imitantur illos. præterea etiam, quia non
solum quarta generatio erat, quæ punienda dice-
batur, sed multo distantior: nam ab Abel iusti occi-
sione puniuntur omnia homicidia iustorum in
hac generatione.

*Profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos
occiderunt; vos autem edificatis eorum sepulchra.*

COMMENTARIA.

Quid mali, ac reprehensione, ac comminatione dignum contineat hoc opus
ædificandi Prophetarum sepulchra, explicat. profecto, inquit, hoc ædificio
testificamini, & ostenditis vos parentu operi, & delicto consentire, ipsumque vo-
bis complacere: nam illi occiderunt Prophetas, & iustos; vos autem edificatis eo-
rum sepulchra. Quod, & si verbis significetis facere in detestationem delicti patrum,
honoremque Prophetarum, tamen reuera eo facitis animo ac intentione, vt dum
videmini zelum iustitiæ habere, ac detestari delictum occidendi, ac persequendi Pro-
phetas ac iustos, me, meosque discipulos iuste persequi, ac occidere credamini; ac me
Prophetam, & iustum populo credenti dissuadeatis. consentitis ergo patrum ho-
micidiis, in eisque complacetis; quia ipsis vos vtimini, per hæc ædificia fingentes
abhorre illorum peccatum, vt videamini me, meosque persequi, & occidere zelo
iustitiæ; & vt sine timore id faciatis: nam vt dicitur Matth. 21. sæpe nocere
Christo tentarunt, sed timebant populum, quia eum sicut Prophetam habebant. Vo-
luerunt igitur videri iuste persequi, & ipsum occidere posse.

ANNOTATIO XCV.

Cur Christus
reprehendit
Phariseos
quod sepul-
chra Prophe-
tarum ædificent,
cum id lauda-
bile videatur.

Non modica difficultas est inuestigando sen-
sum huius sententiæ: nam ædificare sepulchra
splendida martyribus, & his, qui pro iustitia passi
sunt, laude dignum est, vt pote opus religionis, &
pietatis, & qui ex gentibus conuersi sunt, martyri-
bus à maioribus occisis & templis, & sepulchra ædi-
ficarunt: in eoque valde commendantur; cum id sit,
non quidem comprobare peccata maiorum, sed po-
tius reprobare, & detestari. legimus etiam 1. Ma-

chab. 13. Simonem magnificentissimum sepulchrum
ædificasse patri, & fratribus; nec id vituperatur. quæ
igitur ratione Scribæ, & Pharisei nunc acriter incre-
pantur, quod ædificent sepulchra Prophetis, qui à
patribus occisi erant; quomodo dicuntur, pecca-
tis consentire patrum, eo maxime, quod apud Mar-
thæum scriptum legimus sic: ædificatis sepulchra Pro-
phetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non
Zz essemus

essimus socij eorum in sanguine Prophetarum. quæ verba indicant hos ædificasse sepulchra in honorem Prophetarum, & in detestationem peccati parentum; non autem per hoc consentire, aut comprobare illud.

Pro huius difficultatis dilucidatione advertendum est varias esse interpretum expositiones. Primo loco Sanctus Bonaventura interpretatur consentire operi patrum idem esse, ac consentire patres occidisse Prophetas; ut idem sit cum illo, quod dicit Matthæus: Testimonio estis vobis, quod filij estis eorum, qui occiderunt Prophetas. dura autem videtur ista interpretatio: nam plus significat verbum consentientium, nempe assentiri & probare opus, & peccatum patrum: idem enim est verbum Græcum Roman. i. Non solum qui agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Præterea si non aliud significaretur, quam consentire patres deliquisse, non erant ob hoc reprehensione digni: cum igitur sit acris reprehensio, & comminatio; fatendum est hos consentisse peccato parentum; sicque omnes citandi doctores intellexerunt verbum hoc, licet variæ interpretationes sint.

Secundo ergo loco Ambrosius, & Beda interpretantur hos Scribas non reprehendi, quod ædificarent sepulchra Prophetarum; sed quod patrum scelera imitarentur tenendo occidere Christum: & dum ædificabant sepulchra, & patrum scelus ædificando detestarentur, in se ipsos sententiam damnationis retorquebant, qui similia perpetrabant, dicuntur igitur testificari se consentire operi patrum, ipso suo opere, quo in Christum insurgentibus sic Ambrosius & Beda interpretantur. At hæc expositio non videtur accommodata verbis Evangelistæ: nam per ea significatur Iudæos testificari se consentire peccato Patrum hoc ipso; quod ædificabant sepulchra occisorum; non autem dicitur de opere, quo imitabantur peccatum illorum: nam reddens causam Dominus, cur testificentur consentire operi Patrum malo, inquit: Quoniam illi occiderunt Prophetas, vos autem ædificatis sepulchra eorum; non autem dicit, vos autem imitamini opus, seu delictum eorum.

Tertio loco Euthymius Matth. 23. ubi verba Lucæ hæc interpretatur, sic exponit: comprobatis facta Patrum, id est, ea quodam modo suscipitis, utpote ædificando his, qui occisi sunt splendida monumenta, prædicatis audaciam homicidarum: id enim est de ea gloriantium, eamque probantium. videremini siquidem in honorem eorum, qui occisi sunt, ornare monumenta ipsorum, & ad accusationem patrum vestrorum prædicta facere, nisi homicidium eorum imitarem. Hæc Euthymius. sumpta autem sunt à Chrylostomo hom. 75. in Matth. cuius sensus est, hos Iudæos, per hoc quod ædificabant monumenta Prophetarum dictos esse consentire peccatis patrum, qui eos occiderunt, quia imitabantur eorum homicidia Christum persequendo; non quidem quod ædificando consentirent, sed quod viderentur consentire: ille enim videtur in honorem occisi ædificare, qui non imitatur peccatum occidentis. Hæc sententia accommodatior est, quia magis accedit & conformatur verbis in hoc, quod interpretatur, eo ipso, quod ædificant, Iudæos dictos esse consentire peccato patrum. tamen non omnino satisfacit: nam Christus non de eo, quod apparebat, sed de ipsa veritate loquebatur, nempe Iudæos hos vere consentire peccato patrum per hoc, quod ædificabant monumenta: & non tantum videri consentire, aliter non ita comminatus esset eos, nisi vere peccata patrum comprobarent.

Quarto loco quidam recentiores sic interpretantur, nimirum hos Iudæos sepulchra Prophetarum ædificasse intentione honorandi, non quidem occisores pa-

tres, sed occisos Prophetas; tamen quia id ob vanam gloriam, & laudis ambitionem faciebant, & simul patrum peccata imitabantur, ea de causa Dominum attribuisse eis, quod in honorem patrum facerent, & eorum peccato consentirent. Hæc autem expositio non videtur mihi probanda: nam quod in honorem patrum fiebat, & in detestationem peccati parentum, non potest tribui illis vere, quia ex vana gloria fiebat: nec ea de causa dici potuerunt consentire patrum peccato: imitatio etiam peccati non efficit ædificatum factum in honorem Prophetarum contra peccatum patrum, esse in honorem parentum.

His igitur omnibus prætermisissis, ea expositio, quæ in commentario allata est, mihi visa est accommodatissima. In cuius declarationem & confirmationem advertendum est, ædificium sepulchrorum, si id tantum quod exterius est, consideremus, ambiguum esse, nam fieri potuit & in honorem, ac gloriam occidentium, ac etiam in laudem & defensionem occisorum, & homicidarum detestationem attendenda est igitur intentio ædificantium, per quam actus exterior modo vno, alit modo altero fieri potest, ut facile est viciniquè intelligere, & quamvis signis quibusdam exterioribus possit præsumi, interpretatio sic, aut aliter: nam Christiani edificantes martyrum sepulchra, ex eo quod Christiani erant, & martyres constabantur, visi sunt expietate & religione ædificasse; ac si gentes id fecissent, utique viderentur ex odio religionis, & in laudem homicidarum ædificasse; tamen rei veritas ex ipsa intentione pendet. Hoc supposito, dico, Phariseos, & Scribas hos ædificasse sepulchra, exterius quidem præ se ferentes religionem & laudem Prophetarum, delicti patrum detestationem: nam apud Matthæum legitimus eos dicentes: Si essemus tempore patrum nostrorum, non essemus socij eorum in occisione Prophetarum; tamen interius intentio eorum præcipua non erat hæc, sed longe contraria: non quidem quod intenderent patres honorare, quos sciebant peccasse, & malefecisse occidendo Prophetas, sed quod vellet peccata patrum detegere, & in memoriam populi revocare, ut eo se protegerent, & armarent ad occidendum Christum, & Discipulos eius, eo modo quem explicuimus in commentario; nimirum, ut dum se iustos simulant, finguntque abhorre a peccato occidendi Prophetas, & iustos, Christum persuadeant non esse Prophetam, nec iustum, quem ipsi persequantur; sicque iuste persequi crederentur. Qui igitur hac intentione ædificabant, consentiebant peccato parentum per ipsum ædificium; non quod crederent patres benefecisse occidendo Prophetas: sciebant enim illos peccasse, sed quod ea intentione & animo ædificabant, non ut peccatum tale detestarentur, sed ut iusti existimarentur in persecutione Christi, uterenturque peccato eorum ad persequendum, & occidendum Christum, ac discipulos. hoc autem est delectari, & consentire peccato tati: & ut Chrylostomus hom. 57. in Matthæum interpretatur, complacere in operibus patrum. Christus igitur cognitor cordium, licet ipsi verbis proferrent se in detestationem delicti patrum ædificasse, & in honorem Prophetarum; quia id simulatum erat, & intentio præcipua alio tendebat, ob id iuxta veritatem illos increpavit idcirco apud Matthæum ante hanc comminationem præmisit verbum illud: Hypocritæ, significans illos in hoc ædificio simulasse iustitiam, & religionem; cum re vera maxime contra iustitiam, ac religionem agerent. verba etiam quæ post hanc sententiam sequuntur apud Lucam, hinc eundem confirmant sensum, ut in eorum expositione manifestabitur. atque hæc mihi videtur vera, & accommodata huius loci interpretatio. non ergo ambitione, ad captandam vulgi gloriam isti ædificabant sepulchra, ut asserunt Beda, & quidam recentiores; nec minus avaritia, ut dicit Albertus magnus,

Magnus, nempe, ut populus excitaretur ad vota, & oblationes faciendas: non enim isti erant Sacerdotes, quibus aliquid ex oblationibus obveniret: præterea etiam, quia istæ intentiones non efficiunt, ut illi peccato parentum consentirent; sed intentio illorum.

Propterea & sapientia Dei dixit:

C O M M E N T A R I A.

Confirmat testimonio sapientiæ diuinæ, quod dixerat. sensus autem est: quia vos consentitis, & applauditis operi patrum, ædificantes sepulchra occisorum prophetarum; ut sic facilius, & tutius possitis & me, & meos discipulos occidere, similiaque opera patrare; idcirco diuina sapientia, quæ omnia præscit, ac prænoscit, etiam sicut ego nunc dico, prædixit; nempe quæ sequuntur, quibus præsignificavit cædes à vobis perpetrandas, quas etiam nunc ego prænuncio. More prophetarum loquitur Christus: illi enim dicebant: dicit Dominus; Christus autem non Dominum appellat, quia filius erat, sed sapientiam Dei. nec etiam dicit: Deus dixit, sed Dei sapientia; tum ut se ipsum significaret, qui, ut Deus, sapientia est Patris; tum ut certitudinem futuri indicaret: Dei enim sapientia non fallitur. cætera in annotatione require.

A N N O T A T I O X C V I.

Quid hic per Dei sapientiam intelligendum n. & quando hæc sunt dicta.

Difficultas est, quid per hanc sapientiam Dei intelligendum sit, & quando hæc dicta sint. Primo loco Ambrosius, & Beda interpretantur Christum, per sapientiam hanc, seipsum intellexisse: ipse enim est sapientia Dei. confirmat hoc ex verbis, quæ apud Matthæum habentur; ubi ait Christus: Ecce ego mitto ad vos prophetas, sapientes, &c. ipse igitur est, qui nunc de se dicit: Sapientia Dei dixit. Quando autem Christus hæc dixerit, nam verbum præteriti est, nec Ambrosius, nec Beda explicant. Lira autem respondet tunc dixisse, quando apud Matthæum pronunciant: Ecce ego mitto ad vos Prophetas. quasi nunc allegat, quod ante dixerat. tam hoc non potest defendi, quia Matthæus narrat, facta & dicta sunt post hæc, quæ habentur à Luca, quando nondum Christus dixerat, quæ Matthæus scribit.

Secundo loco Sanctus Bonaventura, licet referat primam interpretationem, tamen adfert alteram; nempe ut Dei sapientia sit ipse Deus, qui ab æterno disposuit, & decrevit mittere Prophetas, & Scribas, &c. hæc etiam interpretatio non est accommodata: nam quæ referuntur, dicta sunt per modum locutionis externæ: Mittam inquit ad illos Prophetas, & ex illis occident.

Tertio loco Albertus Magnus hanc sapientiam interpretatur Scripturam sacram, per quam Deus locutus dicitur, quæ sequuntur, nimirum: Mittam ad vos Prophetas, &c. & quia non vnus, sed plures loci Scripturæ simul allegantur, ideo dictum putat (Dei sapientia.) Sensus igitur est: Deus ipse per Scripturas dixit: Mittam ad vos, &c. quam etiam interpretationem probat Bonaventura. testimonia autem quæ ad ducuntur, sunt, tum ex illo Ierem. 7. Misi ad vos omnes seruos meos prophetas per diem, confurgens diluculo, & mittens, & non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam; sed induraverunt cervicem, & peius operati sunt, quam patres eorum, tum ex illo. 3. Reg. 19: Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt. & Psal. 78. effuderunt sanguinem tamquam aquam in circuitu Hierusalem. Hæc etiam interpretatio non videtur accommodata: nam quæ referuntur in allegatis testimoniis,

præcipua erat, ad Christum occidendum, discipulosque persequendum, ut dictum est. & sic edificantes, peccato parentum consentirebant, eo se protegentes ad similia, & peiora homicidia perpetranda contra Christum, & eius Discipulos.

impleta erant iam multo ante, quam Christus hæc diceret. quæ autem dicuntur, tamquam futura narrantur: nec etiam leguntur facta, quæ nunc dicuntur, nempe: flagellabitis in synagogis vestris.

Quarto loco Calletanus opinatur per hæc verba citari à Christo Scripturam quandam authenticam, in qua talis prophetia continebatur; quæ Scripturæ nunc non habetur à nobis: at hoc sine fundamento dicitur. Exitimo igitur aliter esse dicendum, Christum hanc sententiam pronunciasse antequam hæc diceret; unde nunc loquitur confirmans quæ prius dixerat per diuinam suam sapientiam, quæ in eo, & per eum loquebatur. Evangelistæ autem non id scripserunt; sicut nec multa alia, quæ dixit, & fecit Christus: nec est novum in Scriptura, quæ aliquando nonnulla refert quasi ante dicta; & tamen non sunt scripta. exempla habemus Ioan. 11. dicit Martha ad Mariam: Magister adest, & vocat te; & tamen non est scriptum vocatam fuisse Mariam à Christo. Ibidem etiam dicit Dominus ad Martham: Nonne dixi tibi, quod si crederis, videbis gloriam Dei; & tamen hæc non scripsit Evangelistæ, quando dixit fuisse. Simile nunc est: Dixit, inquit, sapientia Dei; & tamen non est scriptum ab Evangelistæ. sci-mus tamen ex hoc verba illa prius dicta esse à Christo. Ioan. etiam 8. dixerunt Iudæi: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes: quando hæc dixerit prius, non habemus scriptum. Unde notant Orig. tom. 26. in Io. & Chrylost. hom. 54. Iudæos sæpe illa dixisse, & tamen scripta non esse. hoc etiam confirmatur ex act. 20. ubi dixit Paulus: Oportet meminisse verbi Iesu; quoniam ipse dixit: Beatius est dare, quam accipere; & tamen quando, & quibus dixerit, non est scriptum. Hoc etiam in veteri testamento factum est: nam Gen. 42. habetur: peccauimus in iracundiam, videntes angustias illius, cum deprecaretur nos, & non audiuimus; & tamen non legimus hanc deprecationem Ioseph prius esse factam. hoc dicimus nunc: Christus enim dicit sapientiam Dei dixisse, quæ sequuntur: ipse enim iam id dixerat; tamen scriptum non est. existimo autem ea dixisse discipulis suis.

Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur.

C O M M E N T A R I A.

HOC est, quod sapientia dixit: prænucciavit enim quæ Populus Iudæorum facturus erat contra prophetas, & Apostolos, quos ipse Christus missurus erat ad eum: ex ipsis enim quosdam occiderunt, quosdam persecuti sunt. Prophetæ dicti

sunt, qui futura prænuntiabant; aut qui mysteria fidei, & Scripturas interpretabantur: Apostoli vero, quos nunc speciali nomine Apostolos dicimus, à Christo primo missos ad illuminandum mundum, & gubernandum Ecclesiam. erant Apostoli omnes Prophetæ, sed non omnes Prophetæ Apostoli; vtrique tamen ad nouum testamentum pertinent, de quibus nunc est sermo.

ANNOTATIO XCVII.

Illud, ex illis, ad quos referatur. Et qui dicantur Apostoli, quæque Prophetæ. E Vthymius Matth. 23. illud (ex illis) refert ad eos, ad quos missi sunt Prophetæ, & Apostoli; ut sit sensus: quidam ex Iudæis occiderunt, & persecuti sunt Prophetas. dicuntur quidam, ut significetur non omnes talia perpetrasse. At vero convenientius refertur ad Prophetas, & Apostolos in hunc sensum; quosdam ex illis occisos, quosdam autem persecutionem passos, ac expulsos fuisse ab eis, ad quos à Deo missi erant, vel quibus prophetauerant. Adverte Bedam inter Prophetas, & Apostolos distinguere: ut illi ad veteris, hi ad nouum testamentum referantur; puto tamen id accommodate non dici: nam tota hæc sententia spectat ad eos, qui à Christo missi sunt, quosque constituit in Euangelica sua Ecclesia. hæc eadem distinctio in veteri etiam testamento fuit: nam quidam dicti sunt Prophetæ, & Apostoli, nempe ij qui non tantum prophetauerunt futura, & occulta prænunciarunt, sed etià à Deo missi sunt ad alios: sic Moyses Propheta, & Apostolus fuit, qui non

tantum prædixit futura, sed etiam missus est à Deo, iuxta illud Exo. 3. Ego mittam te ad Pharaonem. Similiter Isaias, de quo dicitur Isa. 6. Quem mittam? ita notauit Hieronymus Gala. 1. probans sententiam & doctrinam hanc Hebræorum, adiungens prædictis Ioannem Baptistam fuisse etiam Apostolum, quia fuit etiam missus: dicitur enim Ioan. 1. de eo, Fuit homo missus à Deo: Apostolus enim Græce idem significat, quod Latine missus. non autem omnes antiqui Prophetæ missi fuerunt ad nunciandum aliquid alijs: & hi tantum Prophetæ dicti sunt, & quamuis idem Hieronymus in Epist. ad Damasum superfluum hoc dicat, tamen veram esse doctrinam negari non potest. in nouo autem testamento propter excellentiam missionis iam simpliciter dicuntur Apostoli. in hac igitur sententia vtrumque nomen accommodatur ijs, qui in nouo testamento sunt: dicitur enim Ephes. 4. & ipse quosdam dedit Apostolos, quosdam Prophetas.

Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista.

COMMENTARIA.

Prædicitur grauitas pœnæ, ac punishmentis diuinæ contra Iudæos, qui occisuri, & persecuturi erant Prophetas, & Apostolos. sensus est; Fiet, vt quia hæc generatio occidet, & persequetur Prophetas, & Apostolos, ipsa puniatur, & pœnas det pro omni cæde, non solum à se patrata, sed etiam pro perpetratis contra Prophetas à mundi exordio. particula, vt, non causam finalem, sed consecutionem significat: vt sit sensus; consequetur, vt propter homicidia committenda à Iudæis his in Prophetas, & Apostolos, puniantur ipsi, non tantum propter hæc, sed etiam propter omnia alia perpetrata in alios Prophetas à mundi exordio. Illud (à generatione ista) connectitur cum verbo (inquiratur) pertinet autem hæc sententia cum præcedenti ad prædictionem per Dei sapientiam factam.

ANNOTATIO XCVIII.

Sanguine alicuius de altero requirere, quid significet in Scriptura. P Hrafsis est Scripturæ, sanguinem alicuius de altero requirere, siue inquirere, pro eo quod est pœnas dare pro cæde perpetrata: sic enim scribitur Gen. 9. De manu hominis, & de manu viri, & de manu fratris requiram animam hominis. & Gen. 42. Dixit frater Ioseph: en sanguis eius exquiritur, id est, ecce punimur, & pœnas datus propter peccatum commissum in Ioseph. & Ezech. 33. sanguinem eius de manu tua requiram. dicitur igitur nunc requirendus sanguis omnium prophetarum à generatione ista, quia pœnas dabit, ac punietur pro cæde omnium Prophetarum. Est autem non parua difficultas, qua ratione Iudæi puniendi dicantur pro omnibus homicidijs in Prophetas perpetratis, cum plura ipsi non fecerint. Primo quidem videtur ob stare illud Deuterono. 24. Non occidentur patres pro filijs, nempe filij pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo mouetur. Vnde 2. Paralip. 25. Amasias Rex Iuda dicitur occidisse seruos, qui occiderant patrem eius, non tamē filios seruorum, quia scriptum est in lege: filij non occidentur pro patribus. Secundo, est illud Ezech. 18. Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris. Tertio Exo. 20. dicitur Deus vindicans peccata pa-

trum in filios vsque ad tertiam, & quartam generationem; at hic dicitur à mundi constitutione peccata vindicanda in posteros, quod est in quamplurimas generationes vindicare. Quarto, quia iam fuerant vindicata patrum illorum homicidia: nam Iudæi in captiuitate Babylonicam traditi sunt propter cædes perpetratas Prophetarum; vt notat Hiero. Throno. 1. quomodo igitur nunc sanguis occisorum Prophetarum à mundi constitutione, inquirendus dicitur à generatione hac?

In hac parte, quod ad loci huius interpretationem spectat, multa dicunt doctores, quæ referam. Primo loco Hilarius ca. 24. in Matthæum, dicit Iudæos hos, quia imitati sunt peccata eorum, qui occiderunt Prophetas, non solum pœnas pro proprijs peccatis debitas daturus: sed ijs pœnis aggregandas esse aliorum homicidarum præcedentium pœnas, huic sententiæ accessit Euthymius Matth. 23. quæ nō tollit difficultatem propositam, sed potius confirmat. & videtur idem sentire Greg. lib. 15. mora. cap. 31. qui generaliter loquens docet filium, qui peccatum patris imitatur, etiam peccato patris cogringi. Secundo loco Hieron. Matth. 23. cui consentit Beda ibidem, & in commentarijs huius loci, duas distin-

Quomodo Iudæi puniendi dicantur pro omnibus homicidijs in Prophetas perpetratis, quorum plura ipsi nō commiserunt.

guit generationes; vnā bonorum, alteram malorum: hæc enim simul procedunt ab exordio vsque in finem mundi: sicut autem hi, qui occisi sunt ad priorem, sic homicidæ ad posteriorem pertinent. cum ergo in præfenti dicitur sanguinem Prophetarum à principio mundi occisorum requirendum esse à generatione hac, non intelligitur à solis Iudæis pœnam omnem exigendam; sed accipitur hic generatio pro tota generatione malorum, à qua omnium pœna exigitur; hæc ab his, alia ab alijs, non vt singuli pro omnibus puniantur; omnes tamen, à quibus sanguis requiritur, ad generationem malorum vnā spectat. sicque cessat omnis difficultas proposita. At hæc interpretatio non videtur posse accommodari huic contextui, tum quia particularis memio fit de Iudæis: dicitur enim, Hierusalem quæ occidis Prophetas, & relinquetur domus vestra deserta, & non me videbitis à modo; tum etiam quia comminationis huius terror contra Iudæos factus est, qui imitabantur patres suos, in quos punishmentis venturæ magnitudo significatur iuxta peccati ac sceleris grauitatem: acerbiores enim daturus pœnas Christus prænunciat; sicut grauius peccarunt, quam patres.

Tertio loco, accommodatius Chrysofostomus hom. 75. in Matthæum, de Iudæis præsentibus, qui Christum, & ab eo missos Prophetas, & Apostolos occiderunt, sententiam interpretatur: qua autem ratione sanguis omnium Prophetarum præcedentium ab ijs exquirendus sit, explicat sic, nempe quod hi, quia aliorum præcedentium peccata, & qualiter pœnas dederint, nouerunt; & tamen emendati non sunt; sed eorum potius peccata imitari, grauiores, quam illi pœnas dabunt. Exemplum ponit de Cain, & Lamech, quia post illum peccauit, nec peccatum, ac pœnam illius agnoscens se emendauit, septuagies septies punitur. Sic isti Iudæi grauius super omnes priores puniendi prænunciantur: & hoc est sanguinem occisorum Prophetarum omnium ab hac generatione requiri debere. Doctrina ista Chrysofostomi vera est, nimirum grauius peccare, grauiorque dignum pœna, qui peccato, & punishmente alterius agnitis non respicit, sed cum imitatur: eamque docet, & eodem exemplo Cain, & Lamech confirmat Basilius reg. breu. resp. 47. tamen non videtur satis accommodata huic loco expositio: dicitur enim hic, omnium Prophetarum occisorum à mundi exordio sanguinem requirendum à generatione hac; nec tamen singulorum homicidia nouerat: plures enim multo occisi sunt, quam Scriptura sacra meminerit: immo sæpe puniuntur multi ob peccata aliorum, quæ illis ignota fuerunt; quod & Basilius loco citato notauit. nam Iosue. 7. ob peccatum Achæ, priusquam detectum esset, multi sunt percussi. Præterea peccatum vnus in alijs punitur, etiam si non sint id imitati: nam 2. Reg. 24. Dauid numerauit exercitum; & tamen exercitus percussus est. præterea maius quid in comminatione hac continetur, quam sit illud; nempe grauius peccasse Iudæos hos, acerbiorique esse dignos pœna: hoc enim non dicitur proprie sanguinem occisorum præcedentium exquiri à posterioribus.

Quarto igitur loco Auctor imp. refert in Matt. qui Chrysofost. tribuitur hom. 46. tres profert interpretationes, quarum vna, quæ quarta est in ordine, sic se habet: vt sicut iustis prioribus promissit Deus Christum venturum, non tamen eum exhibuit, nisi generationi posteriori, ita Deus comminatus est malis, & iniquis hominibus mala multa, quæ intulit postea huic generationi Iudæorum, contra quam Christus loquebatur; sicque dicuntur peccata præcedentium ab ea exquiri. Altera, quæ ordine est quinta: vt sicut bona opera iustorum præcedentium non potuerunt mo-

neri tantum bonum, quantum in Christo datum est posterioribus; sic scelera priorum iniquorum non meruerunt tantam pœnam, quanta illata est Iudæis occisoribus Christi: illorum enim peccata simul non æquarunt grauitatem peccati occidendi Christum. Tertia, quæ est ordine sexta, nimirum, Deus non statim castigauit, sed expectauit, distulitque punishmentem; quanto autem diutius expectauit, tanto seuerius postea puniuit generationem vltimam Iudæorum: sicque dicuntur peccata præcedentium puniri in ea. Hæc sunt tres interpretationes ab Auctore imperfecti traditæ, contra quas multa dici possent, quæ libens omitto, eo solo contentus, quod facile erit vnicique comprehendere, ea omnia accommodari vix posse verbis Saluatoris.

His igitur prætermisiss, aliisque quæ quidam alij proponunt, quæ mihi omnium accommodatissima intelligentia, & explicatio visa est, exponam. Duobus modis vnus peccatum in altero vindicari potest; vno quidem, quando pœna debita committenti tale peccatum, transfertur, & infertur alteri. Altero, quando propter peccatum vnus, ab altero exigitur pœna propriæ peccati, quæ aut nulla, aut non tanta exigeretur, nisi ille alius peccasset. hoc secundum declaratur exemplo tali: sunt multa homicidia in aliqua ciuitate perpetrata, quæ Princeps aut distulit, aut leuiorem pro eis intulit pœnam: post hæc quispiam alius homicidium commisit, quod Princeps facile condonasset; aut parum pœnæ inflixisset delinquenti; at tot homicidijs irritatus & exacerbatus, non tantum non condonat, sed seuerissime delinquentem punit, integram pœnam pro scelere commisso inferens. Hoc casu dicitur hic vltimus homicida puniri pro multis; & illorum homicidia exigi affirmamus in eo; non quod pœnæ singulorum homicidiorum ab illis perpetratorum huic infligantur, sed quod proprio peccato totam debitam recipiat pœnam, quam non reciperet, nisi illorum homicidia præcessissent. nulla hic iniustitia fit cum hoc vltimo homicida; quia quidquid patitur, ipsius peccato debetur: sed negatur ei misericordia ob aliorum crimina. Simile quid est in casu nostro, non intulit Deus pœnam Iudæis occisoribus Christi, & Discipulorum eius, ob peccata præcedentia, quasi quæ illis debebantur, istis infligeret: sed quia tot ac tantum homicidia patrata sunt ab hominibus prioribus, nec ab eis cessare voluerunt, decreuit Iudæos hosce posteriores seuerissime punire, & pœnas ab eis exigere, quæ tanto sceleri debebantur; quæ, sicut eorum peccatum fuit omnium grauissimum, fuerant etiam acerbissima: & eo magis, quia post tot ac tanta homicidia noluerunt respicere, sed in peius profecerunt: si enim credidissent Christo, nec fecissent ea, quæ dicuntur, vtrique sanguis præcedentium non esset in eis requisitus. Quod doctè Hilarius can. 24. in Matthæum notauit dicens: Si creditum ei fuisset, non solum extra pœnam necis Prophetarum fides credentium fuisset, sed illam ipsam Dominicæ passionis sententiam esset venia consecuta. Hæc illi, vbi nota: etiam si occidissent Christum, si postea credidissent, nec occidissent missos à Deo, sanguis nō esset Prophetarum requisitus. Sic dicitur sanguis omnium Prophetarum occisorum à principio mundi exquiri ab ista generatione Iudæorum incredulorum: solet enim apud nos, quo magis multiplicentur peccata, etiam si puniti sint peccantes, seueriores exigi pœnas ab ijs, qui vltimo delinquant; nihilque remitti pœnarum, quæ ijs debentur.

Hæc expositio visa est mihi omnem difficultatem euacuare propositam; & huius dominicæ sententiæ sensum elucidare: quod etiam in solutione propositorum

Peccatum vnus duobus modis potest in altero vindicari.

torum argumentorum perfectius ostenditur : quam etiam indicauit Origen. tract. 26. in Matth. & videtur eadem cum illa tertia allata ab Auctore imperfe-
cti, vt supra diximus, non tamen ab eis ita explicata.

Solutio obie-
torum.

Ad primum facilis est responsio : prohibet enim ibi lex, ne poena debita peccato vnus, inferatur alteri, qui in eo peccato partē nō habet; quomodo non dicuntur peccata eorum, qui occiderunt Prophetas à principio mundi, exquiri ab his Iudæis, qui ob propria homicidia puniti sunt : diciturque sanguis illorum requiri ab ipsis, quia proprii peccati pœnas, aut tam acerbas & graues non sustinissent, si non tot homicidia præcessissent.

Ad secundum de Ezechiele, Cyprianus epist. 52. & Augustinus lib. 5. in Pentatheu. cap. 42. verba Ezech. de culpa interpretantur; nimirum neminem peccatorem effici, reumque culpæ peccato alterius, nisi proprio tantum. S. Tho. autem 2. 2. q. 108. ar. 4. de pœna spiritali interpretatur : at vero contextus Ezech. aperte indicat procedere de penis temporalibus, quas sæpe Deus pro peccatis infert : de his enim conquerebantur Iudæi, quod ob patrum peccata ipsi affligerentur. nos igitur facile soluimus, nempe procedere verba hæc modo priori; scilicet Deum non castigare nec punire filios ob peccata patrum, nisi & ipsi peccatum habeant, propter quod digni sunt poena, quam Deus exigit aliquando ob parentum culpas. Aduertendum autē est in Scriptura legi infantem aliquando punito ob parentum delicta : nam Numer. 16. Dathan. & Abiron peccantes cum omnibus suis, etiam paruulis absorpti sunt, nihil tamen in his sine peccato fit; nam infantes ob peccatum originale temporali pœna digni sunt, etiam morte; vt norarunt Ambros. lib. 1. de Abraham. cap. 6. & Augustinus lib. 22. ciuit. c. 22.

Ad tertium de vindicta sumpta à Deo in tertiam, & quartam generationem, dicimus primo eam vindictam non accipi, vt ibidem constat exod. 20. nisi generatio similiter peccet, & peccato sit infecta. Dicit quispiam, sit hoc sane; non tamen sumetur, nisi in quartam generationem; at hoc loco sumitur in multo remotiorem generationem. Aduertendum ergo est, dupliciter exigere Deum pœnas propter aliorum peccata, loquor autem iuxta modum explicatum, nempe quando propter peccata vnus, aut quorundam exigit pœnas ab aliis debitas propriis ipsorum peccatis. vno quidem modo puniendo priores in posterioribus, nempe patres, quatenus filij sunt res patrum, & ad eos pertinent : sic non punit nisi vsque in tertiam, aut quartam generationem, iuxta id, quod allegatum est exod. 20. ad hanc enim generationem communiter peruenire possunt superstitēs. patres. sic etiam Principes punit in populo præfenti, quia res eorum est; quod docet Iustinus in explicat. quæst. gen. resp. 138. affirmans punire hos in his tanquam

in rebus eorum. Altero modo punit Deus posteriores ob priores; vt fit in casu nostro; sicque nullus est terminus præscriptus : immo quanto plures præcedunt peccantes, tanto à posterioribus suorum criminum grauiores exquiruntur pœnæ. & hæc est legitima solutio euacuans difficultatem, quæ oriri potest ex his duobus locis Scripturæ.

Ad quartum, fatemur multos dedisse pœnas homicidiorum ab ipsis, & à patribus perpetratorum : hoc tamen non impedit, quod posteriores modo prædicto puniantur : immo eo acerbiori sunt pœna digni, quod peccato aliorum à Deo etiam vindicato nō respuerunt. per hanc ergo doctrinam non solum sententia præfens elucidatur, & difficultates euacuantur, sed etiam satisfit oppositionibus Paganorum, & Hæreticorum, & Iudæorum. Pagani enim, vt refert Iustin. in explic. quæst. gen. resp. 138. arguebant Deum iniusticiæ, quod ob aliorum peccata tam multos puniisset. respondet Iustin. punisse quosdam ob aliorum delicta, quatenus illi ad ipsos peccantes pertinebant : hæc autem responsio non plene satisficit. ideo dicimus, punitos quidem multos ob alios, tamen non sine proprio peccato, propter quod ea pœna digni erant. exacta autem est aliorum causa, vt explicatum est; in quo nec vestigium iniusticiæ est, etiam apud homines, à quibus sæpe similia fiunt. de Hæreticis autem refert Origenes hom. 8. in Exodum, quosdam audientes Deum castigare Patres vsq; ad quartam generationem, & similia, finxisse duos Deos; vnum iustum, sed non bonum, qui talia faciebat; huncque dixerunt auctorem veteris testamenti. Alterum autem bonum, auctorem noui testamenti, & Patrem Domini nostri Christi. idem refert Hieronymus Ezech. 18. hæc fuit hæresis Marcionis, vt tradit Tertullianus lib. 1. contra eundem : & plane est contra catholicam veritatem : quam impugnarunt multi antiqui patres. omittis omnibus, quæ ad rem præfentem non faciunt, apparet stoliditas eorum : nam militat argumentum contra eos : nam quomodo ille Deus iustus esse potest, vt ipsi dicunt, si pro aliorum peccatis punit quosdam? Adde hanc præfentem sententiam militare contra ipsos : nam Christus ipse, qui auctor est noui testamenti comminatur puniendos Iudæos post se ob peccata, & homicidia perpetrata à principio mundi contra Prophetas : de qua sententia dicemus in expositione sequenti. Nos autem respondemus, ita pro aliorum peccatis quosdam puniri, vt ob propria peccata tali pœna ipsimet digni sint. De Iudæorum autem querela habemus ipsorum verba Ezech. 18. dicebant enim, via Domini non est æqua : patres enim peccauerunt, & dentes filiorum obtupuerunt. quibus idem dicimus, quod & Paganis, & Hæreticis dictum est. atque hæc præfentis sententiæ explicatione satis esse duximus

Ab Abel, vsque ad sanguinem Zacharia, qui perijt inter altare, & ædem.

COMMENTARIA.

Connectitur hæc sententia præcedenti; explicat enim quæ peccata præcedentia punienda sunt in generatione hac præfenti. sanguis igitur occisorum Prophetarum, incipiendo ab Abel, qui occisus est à Cain, primo, vsque ad Zachariam vltimum, qui inter ædem, id est, eam partem templi, quæ dicitur Sanctum; & altare, id est, altare holocaustorum, occisus est, exquiretur à generatione incredula, quæ occidit Christum; ac persecuta est discipulos eius; nonnullosque eorum interfecit. propter homicidia ergo hæc, quæ perpetravit, sanguis omnium occisorum iustorum requiretur; dum eius peccatorum pœnæ vsque ad vltimum exigentur.

ANNOTATIO XCIX.

Epiphanius hære. 42. refert Marcionem erasisse, & deleuisse totam hanc integram sententiam.

ab illis verbis inclusiue; propterea Dei sapientia, &c. vsque ad hæc : quæ proposita sunt. per ea enim cogebantur

gebantur fateri Deum vnum, & eundem noui, & veteris testamenti, qui puniebat peccata priorum in posterioribus; at nō potuit cæcus eradere multa alia, quæ illum de errore conuincunt. occurrunt autem duo examinanda, vnum est in Abel, alterum in Zacharia.

Abel hic nominatus frater Cain est, & quomodo propheta dicitur.

In primis Abel hunc esse illum, qui à fratre Cain in mundi exordio occisus est, docet Hieronymus, dicens, nullam in hoc esse ambiguitatem; idque ostendit verbum illud (à constitutione mudi.) sunt autem aliquot in hac re difficultates. vna est, quia dicitur sanguis Prophetarum exquirendus, ab Abel vsque ad Zachariam, & tamen non legimus prophetam fuisse Abel. Respondeo, Lucam nomine Prophetarum comprehendisse iustos, qui vitæ exemplo veritatis fuerunt doctores: propheta enim etiā dicitur veritatis interpret. cui consonat, quod apud Matthæum scribitur: vt veniat, inquit, super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti.

Cur de Abel hic facta mentio.

Alterā difficultas est, quare mentio facta sit de Abel. Theophylactus, & Euthymius respondent id factū, quia occisus est per inuidiā à fratre Cain, quod significabat eadē Christi factā à Iudæis per inuidiā. Beda dicit id factū, quia Abel pastor erat, & interfectus in agro; Zacharias autem in templo: vt vtroque significaretur martyres Christi assumendos ex vtroque statu, Laicali, & Ecclesiastico. Quidā alij respon-

Quis fuerit iste Zacharias a Christo hoc loco nominatus.

Maior difficultas est in Zacharia; scilicet quis iste fuerit: in quo sunt multum discordes antiqui Patres: legimus enim in Scriptura tres nomen Zachariae sortitos esse. primus fuit summus Sacerdos, filius Ioiaz, qui à Ioas rege Iudæ fuit interfectus in atrio domus Domini, de quo fit mentio Paralip. 24. Alter fuit post ipsum, qui inter Prophetas minores vndecimus nominatur, diciturque filius Barathia, qui fuit in vltimis temporibus captiuitatis Babylonicæ, & Zorobabel filij Salathiel. Tertius fuit in diebus Christi, nempe pater Ioannis Baptistæ, summus Sacerdos, & propheta, de quo Lucas cap. 1. scripsit. Est igitur difficultas, de quo horum nunc sit sermo.

Primo loco Hieronymus in præfenti existimat esse se primum, qui à Ioas fuit interfectus; cuius ratio potissima est : nam huic conuenit, quod nunc dicitur, nempe occisum esse inter templum, & altare. consentiunt huic sententiæ Beda, Druthmarus, & recentiorum maxima pars.

Secundo loco Chrysostomus in homil. de natiuit. Ioan. Baptistæ, quæ habetur tom. 2. opinatur esse Zachariam secundum, nempe prophetā inter minores computatū: huic enim quadrat nomen: dicitur enim filius Barachia, vt ex eius propheta constat; existimatque Chrysostomus huic esse, cuius meminit Isa. cap. 8. dicens : Adhibui mihi testes fideles, vnam sacerdotem, & Zachariam filium Barachia.

Tertio loco quidam alij tenent esse tertium Zachariam, patrem Ioannis Baptistæ, quem occisum dicunt inter templum, & altare. Hæc autem opinio est communis Græcorum Patrum, quam sequuntur Origenes cap. 13. in Matth. & tract. 26. in eundem. Petrus Martyr Archiepiscopus Alexandrinus, in suis canonibus approbatis in 6. Synodo, can. 7. Basil. in hom. de humana Christi generatione, Gregorius Nyss. in orat. de sancta Christi natiuitate, & Titus Bostrenus, in commentario huius loci. Epiphanius in lib. de vita, & interitu prophetarum, patrem Ioannis Zachariam refert inter templum, & altare occisum. Tertullianus etiam in Scorpiaco idem dicitur nam Zachariam affirmat occisum inter templum, & altare; & perennia reliquisse cruoris signa in siliabus quod non potest intelligi, nisi de patre Ioannis. refert has tres

dent, quia sanguis Abel dicitur clamasse vindictam de terra. Omnia autem hæc non videntur accommodate dici: ea potissima causa videtur; nimirum, quia ille fuit primus occisus iniuste, & iniuste, ac primus omnium martyr. Christus autē volens significare magnitudinem pœnæ Iudæis infligendam ob aliorum cædes iustorum, meminit primi omnium.

Quomodo sanguis Abel à Iudæis exquirendus.

Tertia difficultas est, qua ratione sanguis Abel exquirendus est à Iudæis; cum Abel non sit occisus ab vllo generationis Iudæorum: nam Cain nō fuit parens huius generationis, quæ non à Cain, sed à Seth originem ducit. Quidam recentiores respondent, generationem Iudæorum fuisse ab Exordio mundi, & à Cain trahere originē ex parte matris : nam filij Seth coniuncti sunt cum filiabus Cain. at vero non est, cur ad hæc recurramus; cum & primus Iudæorum pater in Scriptura dicitur sit Abraham. dicendum ergo est, quando Deus punit quosdam ob peccata aliorum modo prædicto, non solum vindicare peccata parentum, sed aliorum quorumcumque. sicque exquiri sanguis iustorum occisorum à Iudæorum parentibus, & ab ijs, qui præcesserunt à constitutione mundi, eo maxime quia Iudæis manifestata erāt per Scripturas scelera illorum omnium, & multorum pœnæ, quorum exemplo à talibus se continere debebant. atque hæc de Abel dicta sint.

ANNOTATIO C.

sententias Chrysostomus, tacitis auctoribus, in hom. 75 in Matth. & in nullam inclinat. Est autem aduertendum, quamuis hi citati doctores conueniant Zachariam patrem Ioannis esse eum, de quo Saluator loquitur nunc, esseque occisum inter templū, & altare; tamen discordant in causa interfectionis eius. nā Petrus Martyr tenet occisum fuisse Herodis iussu; quia quando hic occidi iussit infantes propter Christum, ille occultauit infantem suum Ioannem Baptistam. de qua re diximus supra c. 3. consentire videtur Epiphanius loco citato, affirmans ab Herode fuisse interemptum. Origenes vero, & Basilus dicunt occisionis eius causam esse, quia Mariam matrē Christi, postquam filium peperit, quod omnibus notū erat, eam in locum templi virginibus deputatū recepit, nouam natiuitatem cum virginitate affirmās; idque dicunt nō ex Scriptura, sed ex antiquis traditionibus ad eorum tempora peruenientibus cognouisse. Gregorius autem Nyssenus confirmat eandē traditionem, dicitque Zachariam ita fecisse cum Beata Virgine; tamen occisum fuisse, quia Christum natum asseruit naturæ totius regem. Iudæi autem timentes nomen Regis propter Cæsarem, interfecerunt eū inter templum, & altare. Consentit cum Gregorio Cyrillus Alex. lib. aduersus Antromorphitas. Titus Bostrenus causam cædis vtramque dicit; nempe & eam Basilij, & Origenis, & hanc Gregorius licet vtramque adscribat Gregorio, quasi duas dederit causas necis. at reuera Gregorius, licet referat primum, nempe Zachariam in locum Virginum recepisse matrem Domini; tamen causam cædis ponit doctrinā illam, Christum regem esse naturæ. Hæc sunt, quæ patres Græci de causa interfectionis sentiunt; qui tamē conueniunt in interfectione inter templum, & altare, & quod hic Zacharias sit, cuius nunc fit mentio à Domino. Epiphanius autem hære. 26. Gnosticos hæreticos causam interfectionis huius Zachariæ adduxisse refert, quæ, quia vana est, & blasphæma, silentio præmitto hoc notans, etiam illos hæreticos consensisse in interfectione Zachariæ, licet miscuerint cum veritate impietatem, & errorem; fuerunt tamen proximi temporibus Apostolorum.

Quarto loco Alcuinus in homilijs per se collectis

riis doctoribus, in quadam homil. ex Henrico, in verba Matt. 23. videns quantum ad historiam firmum sensum haberi non posse, ad allegoricum confugit, dicens per Abel intelligi omnes iustos occisos ab exordio mundi vsque ad Christi aduentum, & passionem; per Zachariam autem omnes martyres a passione Domini vsque ad finem mundi, qui dicuntur occisi inter templum & altare, id est, passionem & mortem Christi: & templum, id est, ingressum in regnum caeleste, quando corporibus reassumptis iusti recipientur in caelum. nomina autem quadrare dicit: nam Abel interpretatur luctus, vapor, funiculus. quae nomina conueniunt iis, qui ante aduentum Christi fuerunt: considerantes enim se exules a Paradiso, in luctu & maerore erant, praesentemque vitam tanquam vaporem, & transitoriam contemnentes ad finem mundi, & forte supernae hereditatis properabant. Zacharias autem interpretatur memoria Domini, siue memorans, & recordans Domini, quod accommodatur sanctis post Christi aduentum: hi enim considerantes se Domini passione redemptos, eum semper in memoria habere, ac dignas gratiarum actiones illi agere student. Hae ille. Quae non ad literalem, sed ad spiritualem sensum faciunt. nos autem illum inquirimus nunc; non autem hunc. Hae omnia sunt, quae ex antiquis Patribus habemus. Vt autem quid in hac controversia mihi probabilius visum sit aperiam, nonnulla proponam. primo Zacharias, cuius nunc mentionem Dominus facit, non est ille, qui a Ioas fuit occisus, cuius historia refertur 2. Paralip. 24. Multa sunt, quae mihi persuadent a sententia Hieronymi recedere: in primis, hic dicitur filius Ioaidae, at Zacharias noster filius Barachiae. conatur Hieronymus respondere huic argumento dicens, Ioaidam apud Hebraeos significare iustitiam, Barachiam autem benedictum Domini. quid ex hoc concludat Hieronymus non video: si enim vult dicere idem esse nomen, quia idem significat, stare non potest: sunt enim diuersae significationes. si vero velit dicere, dictum Barachiam, quia fuit benedictus a Domino, non satisfacit: nam dicitur sic fuisse nuncupatus, & vt vno verbo dicam, argumentum non soluitur. confugit Hieronymus ad aliam solutionem, nempe in Euangelio, quo Nazaraei videntur, legi non Barachiam, sed Ioaidae filium, at cum nostra lectio sit canonica, qua vtitur Ecclesia, ea amplectenda est, non alia. Quidam alii, aliud respondunt, nempe fuisse Binomium: nam vocabatur Ioaidas, & Barachias. haec responsio antiqua est, quam refert Chrysostomus hom. 75. in Matth. ista autem euasio non videtur alicuius momenti: cum ex Scriptura hoc solum nomen Ioaidae habeatur: nec est credendum Christum alio nomine vsurum, si hunc nominare voluisset, quam eo, quod erat in Scriptura, manet ergo argumenti efficacia; nempe Zachariam illum a Ioas interfectum, non Barachiam, sed Ioaidae filium fuisse, vnde constat diuersum fuisse ab hoc nostro. Est etiam aliud argumentum. nam ex Scriptura non constat illum interfectum inter templum & altare: nam 2. paralip. c. 24. vbi solum historia haec describitur, interfectus refertur in atrio domus Domini: constat autem tria atria fuisse in templo; in quo autem sit occisus, Scriptura non exprimit. immo ex genere interfectionis videtur potius in atrio alius esse occisus: nam lapidatus est; nec est probabile inter templum, & altare, vbi sacerdotes solent, iniectos lapides: nec Christus, si huc significare voluisset, aliis verbis vsus esset, quam Scripturae, vt Iudaei intelligerent, de quo sermo erat. Adde etiam aliud argumentum, quod me multum mouet. nam cum post illum Zachariam fuerint interfecti Esaias, Hieremias, & alij multi, non inuenitur ratio efficax, cur Christus sanguinem Prophetarum requirendum dicat vsque ad Zachariam: cum reuera etiam sanguis posteriorum Prophetarum sit requisitus, non minus, quam Zachariae. propter haec, sententia Hieronymi non est visa mihi accommodata.

Abominosus est, qui dicitur in scriptura

Auctoris sententia.

Secundo Zacharias hic noster non est ille Propheta, qui inter duodecim minores numeratur, in hoc recedo a sententia Chrysostomi, idque mihi persuadent nonnulla. primo quidem quia non legimus Zachariam hunc occisum esse: de morte enim eius non constat in Scriptura; nec verisimile est Christum affirmasse Iudaeis, quod alias illis erat ignotum. Adde Epiphanium lib. de vita Prophetarum asserentem, hunc Zachariam decessisse in vltima senectate, & cum Aggæo in Iudaea sepultum. idem dicunt Dorotheus lib. de vita Prophetarum; scilicet obiisse in graui senectate. Secundo, quia Zacharias hic non erat Sacerdos, vnde non videtur occisus esse inter templum, & altare, qui locus erat Sacerdotum trium. Tertio quia ab hoc vsque ad Christum multi intercesserunt anni, in quibus iusti multi persecutionem passi sunt inter Iudaeos; & alios occisos fuisse probabile est: non ergo erat, cur vsque ad hunc sanguis occisorum requirendus diceretur a Iudaeis. Hieronymus adiungit aliud argumentum: nam, inquit, tempore huius Prophetae vix ruinae templi erant, non ergo occidi potuit inter aedem, & altare. hoc tamen argumentum non videtur multum efficax: nam templi reaedificatio completa est anno sexto Darij; vt constat ex lib. 1. Esdrae c. 6. at ex eodem Propheta c. 7. habemus ipsum prophetafse anno illius quarto: facile ergo est illum peruenisse vsque ad sextum, aut eo anno quarto iam esse templum, & altare constructum. Posset quispiam pro hac opinione opponere, quia iste Propheta dicitur filius Barachiae, quod nomen quadrat dicto Saluatoris. dico verum esse; tamen non is solum dicitur filius Barachiae: nam Isaias c. 8. testes adhibet Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiae. qui quidem Zacharias non fuit ille Propheta, vt putauit Chrysostomus: nam Propheta fuit multis annis post Isaiam, cuius tempore fuere Vrias, & Zacharias. non igitur ex nomine sumitur argumentum, nam potuit etiam alius esse Zacharias filius Barachiae praeter praedictos, quale doctores multi existimarunt fuisse Zachariae patrem Ioannis Baptistae. Tertio, mihi probabilissima omnium sententia visa est, Zachariam hunc esse patrem Ioannis Baptistae: quod mihi persuasi propter nonnulla quaedam. primo quidem, quia plures Patres antiquissimi ita senserunt, vt supra visum est. Secundo, quia cum ex vna parte Christum mentionem fecerit Abel iusti, qui fuit in mundi exordio, videbatur consonum esse altera parte referre alterum vicinum, & proximum aduentui Christi, post quem aduentum erat sanguis horum requirendus. at illi duo Zachariae praecesserunt aduentum supra quingentos annos; & post illos multi sunt interfecti iusti, quorum sanguis erat exquirendus. Tertio quia Christus apud Matthaeum loquens cum Scribis, & Phariseis praesentibus de hoc Zacharia, dixit: Quae vos occidistis, significans praesentem, & proximum Zachariam: illos enim isti non interfecerunt. quo argumento vtitur Origenes tract. 26. in Matth. ad probandum hunc Zachariam fuisse Patrem Ioannis. Quod si dicas, Scriptura non narrat filium Barachiae, nec occisum esse inter templum, & altare. respondeo, illo tunc temporis ea fuisse manifesta illis, quibus cum loquebatur Christus, qui viderunt, & occiderunt. Quarto propter traditionem antiquam, quam Origenes, Basilus, & alij testantur. nec obiectio Hieronymi efficax est: inquit enim, sumpta esse ex apochryphis libris. fateor apochryphos esse; quia non sunt canonici; non tamen ideo sequitur omnia in eis contenta esse falsa: nam & Iudas in sua epistola ex Apochrypho citauit prophetiam Enoch, quae verissima est. antiquissimi autem illi patres non ita facile receperunt, nisi ex multorum testimonio tunc accepissent veritatem traditionis. Adde duo esse in hac historia, quae diuersa sunt. vnum est interfectio Zachariae, in quo

omnes

omnes illi concordant. alterum est causa interfectionis; & in hac varij sunt: certius igitur est illud, quam hoc, nosque probamus interfectionem; causam autem non ita certo affirmamus, licet probabile sit nobis omnes simul causas concurrisse. atque haec sunt, quae de huius sententiae explicatione sentimus. Dicit quis-

quam, cur non meminit Christus de interfectione Ioannis Baptistae? respondeo id factum, vt Iudaeorum praesentium culpam impropere, quorum opera Zacharias erat interfectus; Ioannes autem potius ab Herode, & Herodiade, & matre eius, interfectus est.

Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

COMMENTARIA.

Confirmat, quod per Dei sapientiam praedictum erat: nam supra dixerat: propterea Dei sapientia dixit, mittam, &c. recitata ergo sapientiae Dei sententia, eam confirmat dicens: ita profecto, sicut dictum est per Dei sapientiam, requiretur omnis sanguis iustus ab Abel vsque ad Zachariam, a generatione ista praesenti, nempe ab ipsis, & filiis, ac filiorum filiis: hi enim omnes ad vnam pertinent generationem.

ANNOTATIO CI.

NON expressit Dominus apud Lucam, quomodo sanguis exquirendus erat; at postea apud Matthaeum, eadem repetens, ex parte explicuit dicens, relinquatur domus vestra deserta. quo verbo duo indicauit. vnum est malum spirituale: populus enim ille futurus erat non populus Dei, sine fide, sine Euangelio, sine gratia. quod Daniel. 9. praedixit: Non erit, inquit, populus eius, qui eum negaturus est. & Oseas cap. 1. Voca nomen eius, non populus meus; quia vos non populus meus, & Saluator Matth. 20. minatus est dicens: Auferetur a vobis regnum Dei. Alterum est, illud excidium insigne per Romanos factum, quo populus vastatus est, & in captiuitatem, ac miseriam extremam reductus: quae poena, ac punitio superauit omnem captiuitatem, & omnem afflictionem, quam ante passus erat populus. vtrunque malum indicat hoc verbum, seu ista sententia: relinquatur domus vestra deserta. quod Isaias cap. 1. pulchre indicauit tribus exemplis, siue similitudinibus: Derelinquetur, inquit, silita Sion, vt vmbra calum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas, quae de-

Expositio verborum Matthaei, quibus ostenditur poena infligenda Iudaeis

uastatur. duo significat primum; tertium autem indicat secundum. Adiecit alteram sententiam Matthaeus: Non, inquit, me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini; per quam significauit punitio praecedentis durationem, quae erit vsque ad secundum aduentum Christi in fine saeculi. toto hoc tempore erunt Iudaei derelicti, & non populus per perfidiam, & incredulitatem, eruntque toto orbe dispersi, & exules, donec in fine temporum agnoscant verum Christum, & conuertantur ad eum. quod Oseas cap. 3. praedixit: Dies, inquit, multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine theophanis; & post haec reuertentur filij Israel, & quaerent Dominum suum, & Dauid regem suum; & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius, in nouissimo dierum. Hae ille. Hoc est, quod nunc dicit Dominus: non me videbitis amodo, id est, post paululum, nempe passionem meam, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini, id est, donec in fine saeculi me agnoueritis, & confiteamini verum Messiam. Hae satis de his

Va vobis Legis peritis, quia tulistis clauem scientiae, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.

COMMENTARIA.

Comminationem dirigit in Scribas, & legis doctores: quia tulistis, inquit, id est, vsurpatis, & arrogatis vobis clauem scientiae, scilicet potestatem, & munus interpretandi legem, & Scripturam populo, & per eas indicandi Messiam; at non tantum vos non introistis per fidem credendo in me, sed etiam populum per meam doctrinam, & miracula dispositum ad credendum prohibuistis; & doctrinis falsis, ac minis impedistis, ne crederet, nec reciperet eum, qui recipiendus erat, nempe metaphoram est clavis, per quam res clausae & occultae aperiuntur, & manifestae fiunt.

ANNOTATIO CII.

Ambrosius serm. 8. legit: abscondistis clauem scientiae; & clauem hanc interpretatur Christum ipsum, quem legis doctores occultarunt, & absconderunt, ne a populo crederetur. Euthymius autem Matth. 23. aliter exponit: tulistis nempe fidem de populo: fidem Christi dicit esse clauem, quae introducit ad rectorum dogmatum scientiam. Beda cum Ambrosio conuenit in verbi significatione; tamen clauem scientiae intelligit Christi humilitatem, quam Scribae, & Pharisei in lege, & prophetis intelligere noluerunt, nec ab aliis intelligi permiserunt. Vltimo loco Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 27. clauem scientiae dicit esse legis, seu Scripturae interpretationem, quam Scribae habebant; & tamen nec ad intellectum eius peruenierunt credendo in Christum, nec alios peruenire suerunt, nec aditum eis praestiterunt. verbum Graecum κλει, significationem recipit Euthymij, & Ambrosij; vt idem sit, quod de

Quid sit clavis scientiae.

medio tollere, & abscondere. Mihi in hac parte, quantum ad clauis explicationem, visa est sententia Tertulliani recta, & accommodata; vt idem sit, quod potestas interpretandi legem, & Scripturas, per quam veritas Christi agnoscenda erat, iuxta illud Ioan. 3. Scrutamini Scripturas; ille enim sunt, quae testimonium perhibent de me. quod etiam sequitur Ambrosius hoc in loco: clauem enim explicat doctrinam diuinae cognitionis, quam Scribae vsurpasse sibi dicit. quod autem ad verbum (tulistis) spectat, maiorem existimo esse significationem, quam expressit Tertullianus, nempe habetis clauem: verbum enim Graecum κλει, amplius significat; scilicet, eripulistis vobis, & arrogastis, non quod non haberent potestatem, cum doctores essent legis, sed quod sic sibi eam tribuerint, quod neminem permitterent Scripturas interpretari, suamque sententiam omnium sensui praeponebant, quasi soli essent, qui eas intelligerent. Christum

rent: quod ad peccati grauitatem eorum pertinet. cum enim tantam sibi usurparent auctoritatem; nec crediderunt in eum, quem Scripturae indicabant; nec alios credere volentes, & ad fidem dispositos, permiserunt: quod fuit grauissimum scelus: qui enim alios docere veritatem debuerunt, non solum errare fecerunt, sed volentes discere veritatem, ab ea auerterunt. Huic interpretationi consensit Ambrosius in cōmentario: nā hanc explicans sententiā dicit Scribas vsurpasse doctrinā diuinā cognitionis. Matthaeus c. 23. alio verbo vsus est: Clauditis, inquit, regnum caelorum ante alios, id est, sensum Scripturarū, per quas ad Christum agnoscendum perueniendum est, obsecu-

ratis, & peruertitis, vt nec ipsi credatis, nec alios credere sinatis: nam doctrinis falsis, ac minis retinebant populum, ne crederet in Christum; dicebant enim turbis: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Ioan. 9. & ibidem dicitur, eos conspiciasse, vt si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret. Dicit quispiam: Apud Mattheum hanc sententiā Christus protulit contra Phariseos, & Scribas; quomodo nunc ad solos Scribas loquitur? Respondeo, horum fuisse Scripturas, & Legem interpretari; quod si Phariseis etiam hoc idem opposuit, ideo factum est, quia multi ex Phariseis erant etiam Legisperiti, & Scribae.

Cum autem haec ad illos diceret, coeperunt Pharisei, & Legisperiti grauius insistere.

COMMENTARIA.

Pharisei de iustitia praesumentes; & Legisperiti scientiam Legis iactantes, cum Christi reprehensiones, & comminationes audirent, praesuperbia, quae correctionem ab altero non patitur, coeperunt grauius Christo insistere, id est, urgere cum variis quaestionibus, & interrogationibus dolose propositis, vt statim dicitur.

ANNOTATIO CIII.

Græcorum exemplarium lectioes variz in hoc loco.

Varia reperitur lectio in Græcis exemplaribus. vna est, cuius meminit Euthymius; habetur enim ἐλέγχειν, id est, arguere, & disputare. Altera est, quae habetur in Complutensi, & alio quodam exemplari, σιωπᾶν, id est, comprimere. Tertia est communis, quam sequitur vulgaris ἐλέγειν, quod Euthymius vertit, molestos esse, & irasci; vulgaris

autem insistere, & simul interrogationibus ei immingere; vt confunderent, ne valeret singulis respondere; & fieret, quod statim sequitur, nempe, vt conarentur extorquere ab eo responsiones non consideratas, nec ex animo praeparato emanantes; vt ipsi se id obtinere posse falso sibi persuaserant.

Et os eius opprimere de multis.

COMMENTARIA.

Coeperunt etiam os eius opprimere de multis, id est, ab ore eius extrahere responsiones de multis interrogationibus repentinas, & extemporales, ac non praemeditatas; vt sic haberent aliquid, de quo eum accusarent: quod verba sequentia explicant. caeci isti minus sentiebant de Domino, quam par erat, putantes Christum aliquid inconsiderate posse loqui, si repente ad multa responderetur.

ANNOTATIO CIIII.

Graecum verbum est, ὀσσομαρτία, quod apud Græcos idem significat, quod ex memoria dicere. recte autem Euthymius interpretatur, nempe extemporales, & non consideratas responsiones dolosarum interrogationum expetere. existimabant isti, si sic, Christus responderet, posse eum aliquid

proferre. vnde illum possent accusare: Non autem sic est intelligendum, os opprimere, quasi coeperint os Christi claudere, id est, silentium indicere: tunc enim non quadrarent sequentia, nempe: quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent eum.

Insidiantes ei, & querentes aliquid capere de ore eius vt accusarent eum.

COMMENTARIA.

Ecce cur de multis interrogantes, extemporales, & non consideratas responsiones expetebant: ei enim insidiabantur, & solliciti incumbabant; vt si aliquid possent verbum venari, vt accusarent eum. non attendebant vitia, & scelera propria, de quibus benigne corrigebantur, vt se emendarent: & ab ore corrigentis pendentes, vel minimum verbum expiscari volebant, vt ei nocerent. quæ autem ista sint, quæ interrogabant; quæ vero Christus responderit, Euangelista non exposuit.

ANNOTATIO CV.

Insidiantes cur dicantur Iudaei.

Insidiati dicuntur, quia singula verba obseruabant, in animo doloso, vt anam, & occasionem arriperent nocendi ei. idcirco ea interrogabant, in quibus sibi persuadebant, posse se aliquid ex responsione arripere, de quo accusaret. Dices, cur Dominus cum his inemendabiles nouerit, correxit? Respondeo, id

factum; tum vt quod ex parte sua erat faceret, & in suis actionibus iustitiam ostenderet; tum etiam vt talis turba eorum hypocrisis, & simulata iustitia non falleretur; nec crederet conatibus eorum auertentium illam à Christi sequela.

FINIS CAPITIS DVODECIMI.

FRANCISCI CARDINALIS TOLETI IN SACROSANCTVM LUCAE EVANGELIVM COMMENTARII.



CAPVT DVODECIMVM.



MULTIS autem turbis circumstantibus, ita vt se inuicem conculcarent, cepit dicere ad Discipulos suos: Attendite à fermento Phariseorum, quod est hypocrisis. Nihil autem opertum est, quod non reuelatur: neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quae in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, predicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post haec non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. ita dico vobis, hunc timete. Nonne quinque passeris vaneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus plures estis vos. Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei: qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaueit, non remittetur. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. At ille dixit ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hereditatem. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Dixitque ad illos: Videte, & caute ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quae possidet. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quae nata sunt mihi, & bona mea, & dicam anima mea: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quae autem paraasti, cuius erunt? sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues. Dixitque ad Discipulos suos: Ideo dico vobis: Nolite solliciti esse anima vestra quid manducetis: neque corpus, quid induamini. Anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum. Considerate cornos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos plures estis illis? Quis autem vestrum cogitando potest adiacere ad staturam suam cubitum vnum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis? Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. Si autem fennum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos pusilla fidei? Et vos nolite querere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli: haec enim omnia gentes mundi quaerunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. Verumtamen quaerite primum regnum Dei, & iustitiam eius: & haec omnia adiacentur vobis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis

vobis regnum. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in calis: quo fur non appropriat: neque tinea corrumpit. ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Sint lumbi vestri praecincti, & lucerna ardentis in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptiis: ut, cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quod praecinet se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem sciote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur ueniret; uigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et uos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis ueniet. Ait autem ei Petrus: Domine ad nos dicis hanc parabolam: an & ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus, inuenerit ita facientem. Vere dico uobis, quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum. Quod si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus uenire: & cæperit percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: ueniet dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. Ille autem seruus, qui cognouit uoluntatem domini sui, & non preparauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo nisi ut accendatur? Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor usquedum perficiatur? Putatis quia pacem ueni dare in terram? Non, dico uobis, sed separationem: erunt enim ex hoc quinque in domo una diuisi, tres in duos, & duo in tres diuidentur: pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. Dicebat autem & ad turbas: cum uideritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbis uenit: & ita fit. & cum austrum flantem, dicitis: Quia aestus erit: & fit. Hypocritæ faciem cali, & terra nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem, & a uobis ipsis non iudicatis quod iustum est? Cum autem uadis cum aduersario tuo ad principem in uia da operam liberari ab illo ne forte trahat te ad iudicem, & index tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam uisissimum minusum reddas.

CAPUT DVODECIMVM.

Multis autem turbis circumstantibus, ita, ut se inuicem conculcarent, cæpit dicere ad discipulos suos.

COMMENTARIA.

HÆC sententia continua est præcedentibus: completo enim conuiuio, & egresso Domino cum discipulis è domo Pharisei inuitantis, ubi multi ex Scribis, & Phariseis interfuerant, ad quos sermonem narratum in vltima capituli præcedentis parte habuit, factum est, ut multæ turbæ ad Christum concurrerent, ipsumque circumstarent: nouerant enim eum in domum Pharisei diuertisse; & expectabant ipsius egressum. tanta autem erat multitudo, ut se inuicem conculcarent, dum singuli accedere Christo contenderent. tunc Dominus cæpit dicere ad Discipulos suos, quæ statim refert Euangelista.

ANNO TATIO I.

GRÆCE habetur, & ois, id est, interea, ad significandum, quæ nunc dicuntur continua esse superioribus, non quod hæc multitudo conuenerit in domum Pharisei, sed quod expectabat Christum

egredientem, quo egresso statim concurrunt circumdantes eum. Interpres non videtur legisse talem particulam, sed loco eius, & idcirco vertit (autem) sensus idem est. Quidam recentiores existimant com-

minationes præcedentes non fuisse factas in domo Pharisei, sed alio in loco: inde, quæ nunc dicuntur, facilius coniungi posse putant: tamen qui considerat contextum, agnoscat omnes illas comminationes factas occasione abluitionis manuum prætermittæ à Christo in Conuiuio; & ex prima illa reprehensione ortum habuisse. Verius autem dicemus, omnia illa, quæ in capite præcedenti notantur, gesta esse in loco conuiuij; quæ uero nunc sequuntur, post

egressum ab illo loco euenerunt, ut diximus. Est autem Græce, *μυριάδων*, id est, erant myriades turbæ: myriades autem vna decem millia significat. Est autem Phrasis Græca, erant myriades turbarum, ad significandam magnam multitudinem; ideo interpretis vertit, multis turbis. Loco illius (circumstantibus) quædam exemplaria legunt (concurrentibus) parum hoc refert: nam in eundem fere sensum tendunt.

Attendite a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis.

COMMENTARIA.

Occasione eorum, quæ narrata sunt in capite superiori, Christus cautos efficit Discipulos suos, ne errent, decipiantur, aut turbentur. Duo enim gesta sunt. Vnum est multiplex, & acris increpatio aduersus Phariseos, & Scribas. Alterum est prænuntiatio persecutionis, & cædis futuræ contra mittendos à Christo. Poterant hæc duo incautos Discipulos in errorem inducere, ac in turbationem, & timorem. In errorem quidem, quia Pharisei, & Scribæ simulabant iustitiam exteriorem, maxime interrogationibus vltimo narratis, quibus se discere, ac instrui uelle ostendebant exterius; quamuis interius infidiabantur, & obseruabant, ut accusarent. In turbationem autem, quia audierunt Discipuli persecutiones, ac cædes contra ipsos perpetrandas. Dominus igitur his duobus obuiat: & primo quidem contra simulationem Phariseorum. Attendite, inquit, à fermento Phariseorum, quod est hypocrisis; id est, cauti estote, & aduertite hypocrisim istorum, quæ est veluti fermentum: hoc enim latet intra massam, & occulta actione, & virtute totam corrumpit. Tales sunt isti, qui etiam si videantur exterius iusti, & zelum Religionis, & legis prætexere, tamen eorum malitia latens, & occulta est, & alios corrumpit: in hoc enim incumbunt toti, ut populos auertant à me, ne credant, ut debent; studentque exteriori quadam iustitia uerborum, & ceremoniarum, conciliare sibi opinionem vulgi; ut persuadeant illis contra me, & contra ea, quæ in Lege, ac Prophetis de me prædicta sunt. vos autem attendite, & cauti fitis, ne erretis; & ut cognoscatis, quam iusta de causa in eos inuectus sum in ijs, quæ audistis.

ANNO TATIO II.

QUOD ad uerba spectat. Græce habetur aduerbium *πρῶτον*, id est, primum, siue prius. Quidam connectunt sequentibus, nempe, primum attendite; quidam autem antecedentibus: in qua sententia est Euthymius; nimirum: dixit ad Discipulos suos primum, siue prius. & hæc mihi accommodatior lectio videtur: nam post hæc locutus est ad eos, qui circumstantabant. Præterea Græce habetur: Attendite uobismetipsis, quod significat cauere eos debere, ne decipiantur hypocrisis Phariseorum. Sensus idem est, etiam si ea particula præmittatur. Quod autem ad rem pertinet, legimus apud Matthæum, capite 16. & Marcum, capite 3. hæc uerba, Apud illum quidem sic: Intuemini, & cauete à fermento Phariseorum, & Saducæorum. Et paulo inferius, fermentum hoc explicatur esse eorum doctrina. Apud hunc autem sic legimus: Videte, & cauete à fermento Phariseorum, & Herodis. quæ historia vna & eadem est in utroque Euangelista; distincta tamen ab ea, que præfens est apud Lucam, diuerso tempore, & loco à Christo prolata. Illud enim fermentum Matthæi, & Marci, doctrina erat Phariseorum, Saducæorum, & Herodianorum Christi doctrinæ contraria. Hoc autem fermentum Lucæ, ipso Domino explicante, est hypocrisis; scilicet simulata iustitia, qua, sub zelo legis, & iustitiæ, defendentem Christum impugnabant; ut sic populum à fide in eum auerterent: a qua hypocrisis cauendum monet discipulos; ne decepti, uera, & iusta putent ea, quæ illi præ se ferebant. Opportuneque Discipu-

los admonet; quia paulo ante illi per hypocrisim studuerant multa in errogare insidiantes in occulto: atque etiam eos acriter increpauerat, cum se defenderent, dicentes: Nobis iniuriam facis. ea igitur de causa Discipulos monet, ut ab eorum hypocrisis caueant; nec fidem dent eorum uerbis, & simulatis operibus. sub nomine autem Phariseorum etiam Scribas complectitur: erant enim multi de illorum numero.

Quod uero ad huius sententiæ explicationem attinet, quidam recentiores existimant huius sententiæ sensum esse; ut uelit Dominus exhortari Discipulos, ne Phariseorum hypocrisim imitentur; quasi diceret: nolite imitari hypocrisim illorum, quæ est uelut fermentum; ut enim hoc totam massam corrumpit; sic hypocrisis inficit omnia opera, quæ exterius fiunt; etiam si ex se bona sint. cui interpretationi Beda adhaeret. & ante omnes ita exponere uidetur Tertullianus libro 4. contra Marcionem, capite 28. & fauet sequens sententia, si cum particula causali legatur, ut in eius expositione declarabimus. At alium esse existimo sensum accommodatorem, cui consentiunt Theophylactus, & Euthymius, nimirum ut Dominus cautos efficiat discipulos, ne hypocrisis Phariseorum fallantur, existimantes eos esse tales, quales exterius esse ostendunt, prætexentes iustitiam, & zelum legis; ne si tales eos reputent, illorum dolo decepti acquiescant ipsorum doctrinæ, & operibus. Hunc sensum secuti sumus in commentario, & uerba ipsa indicant. Attendite, in-

Sensus superioris sententiæ.

te, inquit, seu intendite: hoc enim verbum Graecum significat. Consideratione igitur, & vigilantia ista, quam Dominus requirit a suis, ostendit, non de imitatione, sed de canenda deceptione, & fallacia se loqui. eaque causa etiam est, cur praesentibus turbis Dominus Discipulis haec sit locutus, nimirum ut turbae ab eodem errore, & fallacia cauerent; ne,

dam Pharisaeorum Zelum, & iustitiam probant, verbis eorum, & doctrinae incauti credant, & a Christo illorum opera auertantur, & pereant cum illis, non autem haec omnibus locutus est Christus, sed Discipulis, quia eorum magis intererat hypochrismum Pharisaeicam detegere; cum magistri, & doctores aliorum futuri essent.

Nihil autem opertum est, quod non reueletur, neque absconditum, quod non sciatur.

COMMENTARIA.

VT hypochrismum Pharisaeorum magis confirmet, praedicat futurum esse, ut illud detegatur; & manifesta fiat, dicens: Nihil occultum, quod non reueletur: cogitationes enim, & animorum intentiones, quae occultae nunc sunt, reuelabuntur & manifestabuntur omnibus. nihil etiam absconditum, quod non sciatur, id est, opera etiam exteriora, quae in abscondito fiunt, scientur, & in lucem prodibunt, Haec duo hypochrismum manifestant: nam hypochritae, quae secreta cordis sui sunt; occultant, dissimulatis intentionibus, & cogitationibus, cumque intus mali sint, boni apparere procurant; idcirco dicitur nunc, quod occultum est, reuelandum. Praeterea hypochrita, cum a nemine videtur, opera etiam exteriora mala facit, turpiterque viuit, contentus ea bona exteriora facere, quae apparent: per haec enim existimant se gloriam hominum adipisci: idcirco adiungit Dominus, abscondita etiam sciri debere, ac propalanda esse. Quando autem haec futura sint, Dominus non exposuit aperte; in annotatione autem sequenti id explicabitur.

ANNOTATIO III.

Cōnexio verborum.

Multa exemplaria Latina impressa loco (autem) legunt (enim) quasi haec sententia sit causa praecedentis: idque forsitan recentiores induxit, ut existimarent praecedentem illam sententiam (attendite a fermento Pharisaeorum, quod est hypochrismus) esse interpretandam in illum sensum: ne imitemini hypochrismum Pharisaeorum, ut diximus in annotatione superiori. causa autem est, quia detegenda sunt, & reuelanda omnia: sicque detegemini vos, si hypochritae fueritis. At vero Graeca exemplaria habent, id est, autem; & aliquot etiam manu scripta Latina: & ita legitur in nouiter emendatis biblijs: exque lectio quadrat tecum expositione illius dictae sententiae, quam in eius commentario secuti sumus. Adde, etiam si particula causalis legatur, adhuc pro eodem sensu facere: sic enim connecti debet: Attendite, ne decipiāmini hypochrismi Pharisaeorum. causa autem cur debetis attendere ea est; quia reuelanda est, & manifestanda per vos ipsos: de hac enim reuelatione loquitur, ut statim dicemus. conuenit igitur is maxime, hypochrismum aliorum agnoscere, per quos est detegenda, & reuelanda. Quod si sit sermo de reuelatione in die iudicii, etiam sic recte con-

uenit cum praedicto sensu; nimirum: Attendite a fermento, & hypochrismi Pharisaeorum, ne per eam decipiāmini: nam detegenda est, & reuelanda: & si vos eorum errore decipiāmini, & reuelabitur, & detegatur error vester. Particula igitur (enim) non aduersatur expositioni praecedentis sententiae, quam secuti sumus. Cur autem Dominus geminatione vult sit, nempe de occulto reuelando, & abscondito sciendo, diximus in commentario: vnum enim ad mentis actus, alterum ad opus exterius secretum refertur. quae duo sunt multum contraria operibus manifestis hypochritarum: nam & mens eorum, & secreta opera eorum pessima sunt, & dissimilia iis, quae palam faciunt, ut gloriam hominum veniant. hanc differentiam probant verba Pauli. 1. Corinth. 4. Illuminabit, inquit, Dominus abscondita tenebrarum, scilicet opera occulta: & consilia cordium, scilicet actus mentium. Graece utrumque verbum est in futuro indicatini, nempe (reuelabitur) & (scietur.) idem est sensus cum Latino; qui quidem sensus in sequenti annotatione examinabitur, & explicabitur.

ANNOTATIO IIII.

Quis sit sensus verborum praecedentium.

TER Christum similem sententiam pronunciat se legimus diuersis temporibus, & locis. semel apud Matthaeum cap. 10. Nihil, inquit, est opertum, quod non reueletur, & occultum quod non sciatur, idemque habetur supra Luc. 3. iterum apud Marcum cap. 4. Non est, inquit, aliquid absconditum, quod non manifestetur; nec factum est occultum, quod non veniat in palam. Tertio nunc apud Lucam: cuius sententiae nunc inquiritur sensus. Beda enim, & Euthymius interpretantur de reuelatione, quae fiet in die iudicii, quando omnia facta, dicta, & cogitata erant manifesta: de qua reuelatione dictum est 1. Corin. 4. Quotiesque veniat Dominus, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. fauet huic expositioni generalis sermo: dicitur enim: Nihil opertum, quod non reuele-

tur. Similem interpretationem affert Hieronymus verbis Matthaei allegatis; licet Chrysostomus hom. 30. interpretetur ea de reuelatione Apostolorum futura in Ecclesia militante, qui enim a principio seductiores reputati sunt, & contempti a Mundo, post paululum temporis agniti sunt Apostoli Dei, Magistri veritatis: & in pretio, ac honore magno habitus; ut nunc experimur. eandemque interpretationem adhibet Victor Antiochenus verbis Marci. Quidquid autem sit de Matthaei, & Marci verbis, existimo Lucae sententiam praesentem, non de reuelatione futura in die iudicii, sed de ea, quae facta est in Euangelio per Apostolos, esse intelligendam: per hos enim hypochrismus, dolus, technae, & vitia Pharisaeorum, Scribarum, & persecutorum Christi manifestata sunt toti orbi; & quae illi occulta, & abscondita putantur

tarunt, per Scripturas, & per praedicatorum iam sunt reuelata; & Christus, quem abscondere, & occultare studuerunt, per fidem gentium, & populorum agnitus est praedicatione Apostolorum. Haec expositio videtur accommodatior, & sequentibus magis consona: nam quod sequitur de Apostolorum persecutione non in die iudicii, sed Euangelij tempore futurum praedicitur. nec est probabile voluisse Christum Iudaeorum hypochrismus reuelationem tam diu differre, sed de proximo, ut sic discipulis magis persuaderet attendendum sibi esse a tali hypochrismi. nec generalitas huic expositioni obstat: restringitur enim iuxta materiam, de qua loquebatur: praecessit enim sermo de hypochrismi Pharisaeica, qua illi Christum occultare populis praetendebant, iustitiamque si-

mulabant. de his igitur continuans sermonem, inquit: Nihil occultum quod non reueletur, nimirum ex ijs, quae ad hypochrismus illorum, & Christi iustitiam spectabant. Reuelata autem est illorum hypochrismus, & veritas Christi etiam hoc tempore: frequens enim est, Scripturae sermones generales multipliciter restringendos esse. Huic expositioni nostrae consentit Chrysostomus citatus in cathena S. Thomae, qui reuelationem hanc de tempore Euangelij interpretatur. & Tertullianus libro 4. contra Marcionem, cap. 33. hunc enim Lucae locum explicans: Quae, inquit, inter se mustitarunt, vel tractarunt, scilicet super ipso dicentes: Non expellit demones, nisi in Beelzebub, in apertum processura, & in ore hominum futura, ex Euangelij promulgatione.

Quoniam quae in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, predicabitur in tectis.

COMMENTARIA.

CAUSA est praecedentis sententiae; quasi diceret: quae occulta haecenus sunt de hypochrismi Iudaeorum, deque mea iustitia, reuelabuntur, & nota fient; quoniam quae nunc vos in tenebris dicitis de me, meisque sermonibus ac doctrina, fiet ut in lumine, id est, in manifesto coram toto mundo publicentur: & quae in aurem loquimini ad inuicem in cubiculis, id est, secreto, nec audetis palam loqui, & praedicare omnibus, erit tempus cum in tectis & propatulo praedicentur; ut omnes audiant, & intelligant. Hinc fiet: ut mea doctrina, iustitia, veritas, quae nunc latent, & velut intra parietes continentur; similiter & Iudaica hypochrismus, dolus, & malitia nunc cooperta, aperienda, & propalanda sint mundo per vos ipsos. tecta dicit, quia Iudaeorum mos erat solaria habere supra a tecta, quae loca eminentia, & aperta erant.

ANNOTATIO V.

Expositio copiosior verborum proxime praecedentium.

QUOD ad litteram spectat, illud dicentur, Graece est; audientur. illud autem in aurem, multi codices legunt, in aurem emendatores autem, in aurem; idque Latinae phrasae accommodatius est. quod vero magis ad rem attinere videtur, id est, quod loco particulae illius (quoniam) quidam legunt; propterea, quasi sit illatio ex antecedentibus, scilicet, nihil occultum, quod non reueletur. idcirco quae dixistis in tenebris, manifestanda erunt. Vulgatus legit, Quoniam; quae longe diuersum efficit sensum, cum causalis sit; sicque in Commentario exposuimus. particula autem Graeca ἀντὶ αὐτῶν, admittit utramque significationem; idem enim significat quod propterea, idcirco, & eo quod. Prior sensus illauius fauet exponētibus praecedentem sententiam de reuelatione futuri iudicii; posterior vero interpretantibus de tempore Euangelij, quae interpretacionem secuti sumus. idcirco cum vulgato legimus particulam causalem. Declarat enim Dominus modum & causam, qui-

bus reuelandae erūt hypochrismus Pharisaeorum, & suae doctrinae veritas, & iustitiae. Puto autem eundem sensum facere hanc sententiam cum illa Matthaei 10. licet aliis verbis prolata. Inquit enim Matthaeus postquam dixit: Nihil est opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non sciatur, adiunxit: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis praedicate super tecta. Hoc nunc mutatis verbis repetit Dominus, quasi Discipuli quae a Domino dicebantur in abscondito, in abscondito repeterent. Euthymius aliter, & quidem probabiliter interpretatur. Ad Discipulos, inquit, factus est sermo hic; verum de illis potius dictus est, nempe de Pharisaeis hypochritis; quod quaecumque apud se cogitarent, vel etiam inter se mutuo clam communicarent, omnia a Deo publicabuntur, qui cuncta cognouit. haec ille, qui de reuelatione in die iudicii intelligit. Nos autem de tempore Euangelij, sicut & Hieronymus etiam, verba Matthaei interpretamur.

Dico autem vobis amicis meis.

COMMENTARIA.

POSTquam admonuit Discipulos ne hypochrismi Pharisaeorum fallerentur, quod erat vnum ex ijs duobus, quae supra diximus, nunc confortat eos, ne occasione illius dicti in fine capitis superioris: Persequantur scilicet Prophetas, & Apostolos, deterrerentur, & conturbarentur. Dico, inquit, vobis amicis meis. Amicos appellat Discipulos, non solum ob dilectionem, qua eos diligebat, & ab ipsis ille mutuo diligebatur, sed etiam ut significet ea de causa, quia amici eius erant, eos persequendos, & occidendos: hoc enim magni solatij erat illis argumentum; & ut hortetur eos ad eam persecutionem, quam amici dilectio postulat: maiorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis: haec enim ratio plurimum habet vigoris ad fortificandum animos contra omne malum inferendum. Demum ut infinet se parem cum illis habiturum persecutionem; ut sicut vna inter eos amicitia, sic etiam persecutio, quod etiam ad deponendum timorem, & terrorem multum valet.

ANNOTATIO VI.

Cur nunc Discipuli à Christo amici appellentur.

Theophylactus, & Euthymius censeant Discipulos dictos nunc amicos à Christo, propter dilectionem, qua eum amabant ex toto corde, anima, & mente. At vero, cum amicitia plus sit, quam dilectio, nam mutuum ex utraque parte complectitur amorem, conuenientius dicemus Apostolos amicos, quia diligebant Christum, & ab eo diligebantur, mutua

etiam intercedente familiaritate: qua significatione usus est Dominus. Ioan. 10. Maiorem, inquit, dilectionem nemo habet, quam, ut ponat, quis animam suam pro amicis suis. & Ioan. 15. Vos dixi amicos, quia quicumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.

Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.

COMMENTARIA.

Argumentis utitur quibusdam ad confortandos animos. Discipulorum, vltra id, quod nomine amici insinuauit, primum est à leuitate mali, quod persecutores inferre possunt: ne terreamini, inquit, ab his, qui non possunt nocere nisi corpori, quod cum semel occiderint, non possunt malum amplius inferre, nec animam postea lædere; in hac nimirum vita tantum nocere valent. Terror hic quem Discipulis Dominus dissuadet, non simplicem timorem significat, sed eum, qui retrahit à bono, & à sequela, & obedientia Christi: licet enim mala corporis timere; sed non sic est deterreri. Sensus igitur est: Ne timeatis, præcipue eos, qui corpus tantum occidere possunt: sicut enim malum, quod inferant, non est præcipuum; nec maximum, sic non sunt ipsi præcipue, nec maxime timendi.

ANNOTATIO VII.

Explicantur magis verba prædicta.

A pud Matthæum cap. 10. scribitur sic: Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem occidere non possunt. in utroque autem loco, tam hoc, quam illo non prohibet Dominus timere homines propter malum, quod inferre possunt: homines enim sancti aliquando timuerunt eos; nam Matth. 2. dicitur: Ioseph audiens, quod Archilaus regnaret pro patre suo, timuit illuc ire; si enim licet mala huius mundi vitare, licebit etiam timere. Prohibitio autem est comparatiua; ne

timeamus homines plus, aut æque ac Deum; nec totam timendi rationem in ijs ponamus, quasi non sit aliud, quod magis timere debeamus, quem sensum Matthæi verba indicant: nam post ea, quæ recitata sunt, adiungit: Potius timete eum, qui potest animam, & corpus mittere in gehennam. Ille autem agit contra hoc Domini mandatum, qui timore hominum, ne corpori noceant, recedit a iustitia, fide, mandati sue Dei: hic enim magis timet homines, quam Deum.

Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.

COMMENTARIA.

Docuit postponendum hominum timorem. ostendit nunc cuius timor sit præponendus: huius enim collatione, malum omne ab hominibus illatum leuissimum est. Ostendam, inquit, vobis, quem timeatis, id est, quem timere debeatis magis, quam homines. timete ergo eum, qui postquam occidit, nempe corpus in hac vita, potest mittere in gehennam; id est, qui potest corpus in hac vita interficere, & tam hoc, quam animam mittere in infernum. Homo temporaliter corpus occidit, non animam, & quidem in hac vita; Deus vtrumque: nam corpus occidit in hac vita; & hoc, ac animam in infernum mittere potest. Insinuat Dominus persecutionem inferendam Discipulis, ob Dei causam, duoque concurrere, aut Deum derelinquendum propter homines, aut homines propter Deum: cum igitur maius malum inferat Deus, quam homo, postponendus est timor hominum propter timorem Dei. Attende verba: non enim dicit, potest animam mittere in gehennam, sed absolute loquitur, quod tam animam, quam corpus in infernum mittere potest Deus. Vnde apud Matthæum dicitur: Timete eum, qui potest corpus, & animam mittere in gehennam, id est, totum hominem. non autem dictum est: Timete eum, sed præmittit: Ostendam vobis, quem timeatis; ut significaret supra humanam cognitionem esse malum, quod Deus infert desertoribus iustitiæ. vnde consequitur, quantum debeat præponi timor Dei timori hominum, cuius ratio subiungitur, quia, sine comparatione vlla, Deus inferre maius malum potest, quam homo; non tantum animæ, sed etiam corpori: nam hoc & vita temporalis priuat, & æterna inferni poena torquet.

ANNO-

ANNOTATIO VIII.

Gehenna quid sit.

Quod ad nomen gehennæ spectat, multa dicit Hieronymus, tum in traditionibus Hebraicis in librum 2. Paralip. tum in commentariis Ierem. 7. tum deum in Matthæum cap. 10. quæ omnia ordinate referuntur adiunctis quibusdam aliis. Antea omnia gehennam accipi pro loco, in quo mali, & damnati puniuntur, & in æternum punientur, qui dicitur communiter infernus, non solum Euangelistæ, sed Patres sæpissime ostendunt. Quod autem ad nomen primo loco attinet, inquit Hieronymus Matth. 10. in veteri Scriptura non inueniri, sed à Salvatore nostro primum esse positam. Hoc quidem verum est, nimirum non inueniri in veteri Scriptura, sed tantum in nouo testamento; non autem sic hoc est intelligendum, quod Christus primus hoc nomine sit usus, sed quod in Scriptura Sacra non inueniatur hoc nomen: In uerisimile enim est Christum vsum eo tempore vocabulo ignoto audientibus, sed eo, quod in tali significatione usurpatum erat tunc à Iudæis. Vnde Origenes lib. 6. contra Celsum; notat in libris Hebræorum antiquorum reperiri vocabulum gehennæ, pro Tartaro, seu Inferno acceptum.

Secundo notat Hieronymus in tradition. in Paralipom. nomen hoc tractum esse à vocabulo gehennon, quod Hieronymus interpretatur vallem filiorum Ennon, licet verba Hebræa solum significant vallem Ennon. cuius nominis sit mentio Iosue. 15. & 4. Reg. 23. & Iere. 7. ab hoc igitur nomine gehennon dicit Hieronymus tractum nomen gehennæ.

Tertio idem Hieronymus in Matth. 10. vallem hanc describit: inquit enim sic: Non procul à Hierusalem in radice montis Moria, vbi fons Sitoe fuit plantam quandam fuisse irriguam, & nemorosam, plenamque delitiis, dicebaturque gehennon: in hac valle lucus erat, in quo filij Israel, deserto templo Dej vicino, hostias immolarunt Baal, seu Molocho Idolo Moabitarum; in eoque filios, filiasque suas concremarunt in holocaustum huic Idolo.

Quarto idem Hieronymus Ierem. 7. causam exponit, cur ab huius loci nomine Gehennon, tractum sit nomen gehennæ pro loco poenarum, dicit id factum, tum quia filij Israel ibi perierunt offendentes Deum, & sacrificantes Idolo; tum etiam, quia ibi filij, & filia eorum concremabantur. Hoc idem Hieronymus dicit in commentario Matth. 10. Ea igitur est causa originis, & deriuationis vocabuli huius.

Hic adiungendum est quinto loco ad maiorem declarationem, quod idem Hieronymus tradit in Commentario Ierem. 7. locum hunc, in quo filij Israel sacrificabant Idolo, dictum esse Tophet, quem ipse Hieronymus interpretatur significare latitudinem; sicque ab ipso Hieremia nominatur; per quem Prophetam Deus comminatus est Iudæis se locum impleturum cadaveribus mortuorum. in quo dicto Hieronymi notandum est, quantum ad nominis interpre-

tionem, quosdam Hebræos aliter interpretari nomen Tophet; aliamque rationem nominis afferre: dicunt enim Tophet תפת trahi à תפ, quod significat tympanum, idemque significat aræ cum ipso. sicque interpretantur illud Iob. 17. exemplum sum coram eis. illud exemplum habetur in Hebræo, Tophet, vertuntque tympanum, id est in me lætabantur, meque utebantur, quasi instrumento ad exultationem suam, & gaudium. dicunt ergo hunc locum ea de causa dictum Tophet, quia immolantes Idolo utebantur tympanis; ut sic voces filiosum qui comburebantur, non audirent; ne compassione mouerentur; aut retraherentur ab immolatione: & ad hoc videtur Ieremias alluisse, cum refert Deum comminantem dixisse: Non vocabitur Tophet, sed tumulus mortuorum; quasi tophet significaret tympanum, quod est instrumentum lætitiæ.

Sexto hunc locum Iosias Rex Iudææ contaminasse scribitur. 4. Reg. 23. ut auerteret hæc impia sacrificia. Iosias, inquit, contaminauit Tophet, quod est in valle filiorum Ennon; ut nemo consecraret filium suum, aut filiam suam per ignem, Molocho. Hæc sunt, quæ de gehennæ nomine notanda diximus. hoc autem certum est significare locum poenarum damnatorum: cui fauet illud Isa. 30. præparata est ab heri Tophet; à Rege præparata, profunda, & dilatata; nutrimentum eius ignis est, vbi Tophet pro inferno, & gehenna accipitur. & forsitan Isaïas alludit ad significationem Tophet, quam sequitur Hieronymus; nempe ut significet dilatationem: dicit enim Isaïas, Tophet dilatata est; quasi diceret, latitudo amplificata est. Hieronymus autem Matthæi 10. distinguit duas gehennas: vnam ignis, alteram frigoris; quibus poenis, modo his, modo illis, damnati torquentur: idque probat ex illo Iob. 24. ad nimium calorem transiet ab aquis niuium, & vsque ad infernum peccatum illius. quem locum idem Hieronymus in iis commentariis exponens, rem hanc explicatius scribit, sic dicens: Quasi duas gehennas Sanctus Iob mihi dicere videtur, per quas diabolus, hæreticus, & homo impius commutetur. forte in ipsa gehenna talis sensus cruciatuum fiet illis, qui in ea torquebuntur; ut nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc niuium algoris incendium; & poenalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nunc calor fit; ut quasi de loco ad locum transitus ætinent. Et fortassis inde Dominus ait in Euangelio: Mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium; ut hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur. Vbi & similitudinem quandam in nostris corporibus possumus inuenire, in quibus rufi abundantia, quod est calidissimum, in typicis motibus intolerabilis rigor præcedit ignem febrium ardentissimum secuturum: & dicuntur à medicis hæc duo, quæ sibi contraria dignoscuntur ex vna fellis materia in homine procreari. Hæc Hieronymus, quæ de gehenna sufficient.

ANNOTATIO IX.

Animam rationalem incorpoream & spirituales esse vera fide tenendum.

Hieronymus Matthæi 10. interpretans illa verba: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt; sed potius timete eum, qui potest, & corpus, & animam perdere in gehennam, sic inquit: Si, qui corpus occidunt, animam non possunt occidere, ergo anima inuisibilis, & incorporea est, secundum crassiorem, dico, nostri corporis substantiam; vel eo

certe tempore punietur, & supplicia sentiet, quando pristinum corpus receperit, ut cum quo peccauit, cum ipso & puniatur. Hæc ille, quibus significat animam corpoream esse; subtiliorem tamen multo, quam sit corpus hoc visibile: quod si corporea non est, non statim puniri in inferno, quousque corpus reassumat; quasi quod igne torquetur, debeat esse corporeum, aut in corpore. adiungit quandam ve-

lut æquitatem; nimirum, vt quæ cum corpore peccauit, cum eodem torqueatur, & peccati pœnas luat. Hæc omnia existimo Hieronymum, quasi aliorum sententiam recitasse, nec examinasse: sunt enim falsa, & fidei Catholicæ aduersaria.

Primo quidem Tertullianus libro de Resurrectione carnis, & lib. de anima, cap. de innata, existimauit animam esse corpoream; habereque soliditatem, per quam sentire, & pati possit: idque illa historia diuinitis, & Lazari probat. Luc. 16. vbi diues linguam habere dicitur, & cruciatum in ea sentire. Fuit & multo ante error hic Philosophorum antiquorum, vt refert Gregorius Nyssenus libro 2. de Philosophia cap. 2. vbi cum doctè impugnat, ostendens animam esse incorpoream, ac spirituales: idque sine vlla dubitatione tenendum esse à catholico, multis alijs prætermisiss, confirmat definitio Ecclesiæ in Concilio Lateranen. 1. sub Innocentio 3. quod translatum est in cap. firmiter, de Sum. Trin. & fide Catholica. Deus, inquit, ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, corporealem, & Spirituales; Angelicam scilicet, & mundanam; deinde humanam, quasi communem, ex Spiritu, & corpore constitutam: nec est quod in hac re discutienda longius demoremur, cum sit ab instituto remotum.

Secundo, iniquorum animæ ante corporum reasumptionem puniuntur, & torquentur in infer-

no. Probat hanc veritatem testimonium Luc. 16. de diuite illo Epulone: hancque veritatem, vti certissimam, affirmant Angustinus lib. 13. ciu. cap. 3. Cyril. lib. 12. in Ioan. cap. 36. & Gregor. lib. 4. dialog. cap. 23. qui vtitur argumento ex loco Lucae allegato. eamque veritatem a quam, & consuetudinem esse Tertullianus, licet animam putet esse corpoream, lib. de anima, cap. vltimo, probat duabus rationibus. vna est, quia anima multa peccata sine corpore committit, licet sit in corpore; vt pote hærefes, ac peccata spiritualia: debuit igitur non expectato corpore puniri. Altera est, quia etiam in iis, quæ cum corpore committit, ipsa est quæ prior peccat per consensum: à corde enim exeunt iniquitates omnes, etiam exteriores. Tertio, animæ, etiam si spirituales sint, torquentur igne corporeo, tam in inferno, quam in purgatorio; nec de hoc locus datur Catholico dubitandi: Ignis enim vt Dei est instrumentum, animas etiam torquet, sicut & dæmones. quod si animæ expectarent corpora, quia sine illis torqueri non possent, locus purgatorij non daretur, nisi post resurrectionem. Video hæc omnia esse grauissima, & longissima indigere disputatione, non vna, sed multis; tamen quia institutum nostrum longe transgredemur, satis esse duximus, succincte veritatem proposuisse, quam, si liceret, manifestis confirmarem argumentis.

Ita dico vobis, hunc timete.

COMMENTARIA.

Verba sunt confirmantis sententia in superioribus, quasi diceret: Sane dico vobis, quasi rem certissimam, hunc timete potius, quam homines: quæ confirmatio indicat Deum maxime supra omnes timendum. Conuincuntur hæretici nostri temporis hac sententia. Si Christus monet timere eum, qui nocere potest in hac vita, & in ventura, corpori, & animæ; timere igitur pœnam non est malum: dummodo non sit tota causa timendi; quasi homo Dei voluntatem non facere paratus sit, nisi pœnam timeret: hoc enim malum est.

ANNOTATIO X.

Postponere hominum timorem, nec à iustitia auerti propter quæcumque mala, quæ illi possunt inferre, ob Dei timorem, ne in iram Dei incidamus, si hominibus consentimus, bonum est; melius tamen, & perfectius est, si Dei amore, & dilectione Christi id faciamus: perfectæ enim charitatis erga Deum, & Christum est, si eius dilectione mala omnia ab hominibus illata, quibus nos. voluntati Dei aduersarios facere conantur, perferamus. Christus autem nunc de timore loquitur, quod minus perfe-

ctum est; tum quia quod perfectius est iam insinuauerat, cum paulo ante discipulos amicos appellauerat; tum etiam, quia in Discipulis eos omnes instruebat, qui cum secuturi erant, quorum multi imbecilles, & imperfecti sunt, qui magis timore, quam amore excitantur: tum demum, quia, cum de timore hominum loqueretur, conueniebat timoris Dei mentionem facere; vt, quantum hic ab illo distet, quantumque debeat præponi, doceret.

Nonne quinque passeris veneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo?

COMMENTARIA.

Hoc est secundum argumentum, quo Discipulos confortat aduersus timores hominum, & persecutorum. Sumptum autem est partim à diuina scientia, & voluntate: nihil enim est, quod Deus ignoret, aut quod sine eius nutu, ac voluntate fiat. Est autem argumentum à minori. Quinque, inquit passeris dipondio, id est, duobus assariis, siue duobus assibus minutis veneunt; & tamen cum apud homines sic vilescant, vt multi simul vendantur, nec pro singulis moneta vel minima inueniatur; apud Deum tamen nec vnus est in obliuione, id est non ignoratur; sed singulorum habet scientiam: nec ideo veneunt, quod in obliuione

Animæ impiorum ante reasumptionem corporis puniuntur in inferno.

Timere Deum bonum est, melius & perfectius amare.

obliuione sint apud Deum, sed ipso sciente, & disponente. Supplendum est: Vos ergo, qui præstantiores estis passeribus, non eritis in obliuione apud Deum, nec ideo interficiemini, quasi Deo nesciente, aut non cogitante de vobis; sed eo sciente, & disponente omnia iuxta suum beneplacitum. Non ex hoc solo argumentum conficitur ad timorem remouendum, sed ex alijs simul, quæ sequuntur. Valeant ergo gentes, quæ Deum ignorantes, eius prouidentiam negant; cum vel vnus passeruli memor sit, & prouidus.

ANNOTATIO XI.

Græce diminutium est, non passeris, sed passeruli; vt tanto magis diuina prouidentia ostendatur, quæ vel minimorum est. Græce etiam non habetur dipondio, sed duobus assariis. Est autem assarium Romani nummi genus, cuius meminit Varro lib. 1. de Analogia. Est autem diminutium ab Assè. Assis autem ænei species aliquot refert Plinius lib. 33. cap. 3. primo erat moneta vnus libræ, seu duodecim vnciarum; postea facti sunt asses minores, vnus nempe vnciæ, seu vnciales. Vltimo confecti sunt semiunciales. Quidam recentiores existimant assarium esse vnus vnciæ: mihi autem magis placet, cum sit diminutium ab assè, esse minorem semiunciali assè, quæ est vilis, & infima moneta ænea. dipondium ergo hoc, quo interpret est vnus, continet duo assaria, quorum vtrumque simul semiunciam conficiunt. Vnde Euthymius dicit fuisse genus oboli diminutium ab Assè: nisi velimus dicere vltimum assè, qui semiuncialis erat, dictum esse assarium ob pretij paruitatem. Quidquid sit. Certum est genus fuisse monetæ infimæ; vt significaret Dominus, quanta sit diuina prouidentia, quantoque magis curam Discipulorum haberet; cum sit prouidus de passeribus, quorum vel duo nec assarium valeat, quæ est infima moneta: quinque enim duobus veneunt assarijs.

Assis quid.

Concordia inter Matth. & Luc.

Aduertendum autem est apud Matthæum aliter haberi huiusmodi sententiam: inquit enim: Nonne duo passeris assè veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Illud apud Interpretem, assè, Græce est assarion, quo Lucas vtitur; nec est vlla contradictio inter hos Euangelistas: nam quæ refert Matthæus, alio tempore & loco dicta sunt à Domino: cum enim arduum valde esset persecutionem pati, & interfici, sæpe Dominus id Discipulis repetit, & argumenta consolationis renouat; vt minus ardua eis videantur. Dubium tamen facere potest alicui, cur Dominus dixerit apud Matthæum duos passeris vendi assario; apud Lucam vero pretium minuatur: nam quinque assarijs duobus venire affirmat: duo igitur passeris apud Lucam nec vnum as, seu assarium valent. Euthymius in Lucae commentarijs respondet, tunc temporis, quando illud Dominus protulit apud Matthæum, duos passeris venisse assario vno; cum vero hæc, quæ Lucas narrat, dixit, minori vendebantur: duo enim passeris minoris assario vno veniebant. Potuit profecto id ita euenisse, vt dicit Euthymius: sæpe enim pretia rerum vendibilium variantur, maxime in passeribus, quando minori, aut maiori copia capiuntur. Tamen ego aliter responderem, nempe pretium non esse variatum; sed venisse quinque passeris duobus assarijs, etiam tunc, quando dicta sunt, quæ Matthæus narrat: nam quando quispiam nolebat duos assaria expendere, sed vnum, tunc habebat duos passeris: non enim passeris diuiduntur, sed integri, & sæpe viui venduntur. Euenit autem sæpe, quan-

do quispiam multa simul emit, minoris emere; quasi diuidat, cum sæpe nequeant diuidi, nec inueniatur moneta inferior, soluit plus, quam si in maiori emeret copia: sicut si quinque oua venirent duobus assibus, duo oua vno assè venderentur. Sensus autem sententiæ, quæ est apud Matthæum, licet diuersus videatur, in idem tamen incidit cum Luca. Ille sic inquit: Nonne duo passeris assè veneunt, & vnus ex illis non cadet in terram sine patre vestro? quasi diceret: licet vili pretio veneant, tamquam res parui momenti; tamen non capitur à venatore vel vnus, nisi ex Dei voluntate, & dispositione, ac prouidentia. Lucas autem dicit: Non est in obliuione, id est non ignoratur a Deo, sed curam illius habet; nec venditur, nisi Deo sic disponente, apud quem in obliuione non est. Hieronymus Matthæi 10. reijcit quorundam expositionem, qui duos passeris apud Matthæum ad corpus & animam; quinque vero passeris apud Lucam ad quinque sensus referunt. hoc autem dicit contextui coaptari non posse: & quidem ita est; cum id tantum intendat Dominus docere, Deum, si minimorum passerum habet prouidentiam, multo maiorem habere de hominibus; & inter hos de suis Discipulis. Interpretatio autem, quam repellit Hieronymus, est Tertulliani in Scorpiaco aduersus Gnosticos.

Possit quispiam huic sententiæ Saluatoris opponere quod dicitur 1. Corinth. 9. Numquid Deo est cura de bobus? si igitur non curat de bobus, multo minus curabit de passeribus. Respondet Beda, aliud esse scientiam, aliud curam. Deus omnium habet notitiam, & scientiam, sed non omnium curam: vult Beda curam particularem quandam prouidentiam significare, qualem Deus de hominibus habet. Ambrosius in illum locum Pauli sic interpretatur: Curat quidem Deus de bobus, sed propter nos: cuncta enim propter nos creauit: ideo dicitur non curare de illis, quia non propter eos curam ipsorum habet. Mihi sensus Pauli facilius videtur hic, nempe Deum non præcepisse in veteri testamento illud: Non alligabis os boui trituranti, propter boues ipsos, quasi curam eorum gerens; sed propter nos; vt per tale præceptum significaret alia, quæ erga nos aguntur, quæ ibi à Paulo explicantur. Hoc autem non tollit quin Deus omnium habeat curam & prouidentiam; cum dictum sit: Lilius, quod hodie est, & cras in gloriâ mittitur, sic vestitus sicut vnum ex lilijs. Quæ autem scripta, & mandata sunt, non propter boues scripta, & mandata sunt, sed propter nos; alia tamen via, ac modo bouum, & cunctorum Deus prouidentiam, & curam habet. Vtitur hoc loco Cyrillus libro 5. Thesauri cap. 2. & libro 12. cap. 12. contra hæreticos negantes prouidentiam Dei in his minimis.

Obiectio.

Solutio obiectiois.

Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.

C O M M E N T A R I A.

Dixerat nec vnum passerem esse in obliuione apud Deum, tacite indicans, consequenter nec discipulorum vnum esse in obliuione. ac ne existimarent Discipuli, se non aliter in obliuione non esse apud Deum, quam passeribus; Deumque non aliam curam; ac rationem habere de ipsis, quam de passeribus, quos non propter eos, sed propter homines creauit, si enim ita esset, timendum erat illis, sicut timent passeribus; idcirco præcedenti sententiæ adiicit, dicens: sed &, id est, quinimmo etiam capilli capitis vestri omnes numerati sunt; quasi diceret: multo, & maior cura, & prouidentia est apud Deum de vobis, quam de passeribus: sunt enim omnes capilli capitis vestri numerati, id est, etiam eorum, quæ minima vestri sunt, qualia capilli, Deus curam habet, omniaque ad vos attinentia prouidet, gubernat, dirigit, & conseruat. Hoc quod dicit, capillos omnes numeratos esse à Deo, non solam scientiam significat: nam omnes etiam plumæ passerum, & singulæ arenæ maris, & omnia demum indiuidua mundi sunt apud Deum numerata, eorumque numerus distinctissime à Deo notus est: sed hæc numeratio coniunctam habet particularem quandam æstimationem, & affectionem, quam Deus gerit suorum supra cætera omnia creata, quos non propter alios diligit: quæ enim pluris facimus, & diligimus, distinctius memoria retinemus, &, si plura sint, numeramus. Est autem prouerbialis locutio, licet vera sit ad literam, ad significandam singularem prouidentiam, quam Deus habet de suis seruis, ac Christi discipulis.

A N N O T A T I O X I I.

Particula, sed, Græce *αλλα*, aliquando est augmenti, idem significans, quod Latine immo, seu quinimmo. sic vsurpatur à Ioanne cap. 16. sed venit, inquit, hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. & paulo inferius: sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. suntque alia huiusmodi testimonia; vt notauimus in commentarijs in Ioannem. illa autem particula (&) quæ sequitur, loco (etiam) posita est, connectiturque cum sequentibus, scilicet; etiam capilli capitis vestri; quasi diceret: omnia vestra, etiam capilli, & quæ minima sunt, apud Deum sunt in notitia, & pretio. Matthæus capite 10. eandem refert sententiam. Vestri autem, inquit, & capilli capitis omnes numerati sunt. Origenes homil. 1. in Numeros aliter interpretatur; eius tamen interpretatio potius est spiritualis, quam literalis. inquit sic: Saluator non solum discipulos suos electos sub numero statuit, velut capillos capitis eorum dicit esse numeratos; in quo vtique non illos capillos dicebat esse numeratos, qui vel ferro attonderi, & proijci solent; vel temporis ætate desfluere, ac perire: sed illi capitis capilli apud Deum numerati sunt, qui in Nazaræis erant, quibus inerat Spiritus sanctus, ad prosternendos alienigenas. Virtutes ergo animi, & multitudinem sensuum, qui de principali

mentis, tamquam de capite Apostolorum producebantur, capillos capitis appellauit. Hæc Origenes. Quæ omnia non sunt ad literam, sed potius ad spiritum dicta: Christus enim locutus est de capillis illis exterioribus, qui omnes dicuntur numerati apud Deum; ad significandum singularem prouidentiam, & affectionem, quibus Deus suos prosequitur. quod optime Hieronymus Matthæi 10. interpretans inquit sic: Quod autem ait: vestri capilli capitis omnes numerati sunt, immensam Dei erga homines ostendit prouidentiam, & ineffabilem signat affectionem; quod nihil nostrum lateat Deum, etiam parua. & otiose dicta scientiam eius non effugiant. Hæc ille. Idem notauit Cyrillus libro 4. de adoratione in spiritu. Prosequitur Hieronymus contra illos, qui resurrectionem carnis negant, & hoc loco contra nos abutuntur. Derident, inquit, intelligentiam ecclesiasticam hoc loco, qui carnis resurrectionem negant; quasi nos, & capillos qui numerati sunt, & à tonsore decisi, omnes dicamus resurgere; cum Saluator non dixerit: Vestri, & capilli capitis omnes saluandi sunt, sed numerati sunt. Vbi numerus est, scientia numeri demonstratur, non eiusdem conseruatio. Hæc ille, & recte: nec enim in resurrectione superflua capillorum, & vnguium ressecata resurgunt.

Nolite ergo timere.

C O M M E N T A R I A.

Concludit argumentum, inferendo conclusionem ex præcedentibus. si tanta cura est Deo de vobis, tantique vos facit, vt capillos capitis omnes numeratos habeat, ergo nolite timere homines, nec ea, quæ ab ipsis possunt vobis inferri mala: si enim hæc non possunt inferri sine Dei prouidentia; & quod magis est, Deo non numerante capillos capitis vestri, plurimique vos faciente, profecto talia mala non nocebunt vobis, sed plurimum proderunt. non er-

go ex

go ex sola prouidentia, quam habet erga passeribus Deus; sed etiam ex affectu, & æstimatione, quibus prosequitur suos, deducit Christus non esse eis timendum. dicit autem: nolite timere, quia non prohibet timorem naturalem, sed eum, qui est ex electione, & voluntate.

Multis passeribus pluris estis vos.

C O M M E N T A R I A.

Refertur hoc ad id, quod dixerat: Capilli capitis vestri omnes sunt numerati: nam pluris facit Deus singulos ex vobis, quam multos passeribus; idcirco non solum prouidentiam habet erga vos, sicut erga passeribus, sed etiam magnificat vos, & diligit singulari dilectione, & amore, quo vobis prospicit; & quæ ad vestram utilitatem faciunt, quasi Pater amantissimus, & protector potentissimus, & prouidus, curat. non igitur est cur timeatis homines.

A N N O T A T I O X I I I.

Ex quo sumatur
efficacia
argumenti hu-
ius.

Huius argumenti efficacia non consistit, vt quidam recentiores interpretantur, in sola diuina prouidentia, per quam omnia Deus disponit, & gubernat: hæc enim non præbet causam non timendi: nam eadem prouidentia Deus pœnam æternam infert impijs, & animam, ac corpus mittit in gehennam; & tamen exhortatur nos Christus, vt Deum inferentem talia timeamus; cum tamen verum sit: ea non inferri nisi Deo sciente, & prouidente. Adde, si fieri posset, vt passeribus scirent, se non esse in obliuione apud Deum, non prohiberetur eis timor, ne caperentur laqueo. Efficacia igitur argumenti huius sumpta est ex duobus. Vnum est commune omnibus; nempe scientia, & prouidentia Dei, quam nihil latet, quæ omnia disponit, nutuque eius omnia fiunt: & ad hoc inducitur exemplum de passeribus. si enim cum tam parui fiant, vt quinque dipondio veneant, Deus vel de vno illorum cogitat, nec cadit in rete, nec venit Deo non disponente, & sciente; profecto recte deducitur Deum cogitare de hominibus, & maxime de suis, nihilque illis euenire posse; quod à Deo non sit notum, & dispositum. Ex hoc autem solo non colligitur non esse timenda mala ab hominibus inferri solita. Alterum est existimatio, & amicitia, dilectioque particularis, quibus Deus prosequitur suos, quos non diligit, nec in æstimatione habet sicut passeribus,

& alia, quæ magis propter homines, quam propter seipsa creata sunt. suos enim diligit Deus, & quæ eis vtilia sunt, prospicit, ipsisque consulit, quos non propter alios vult, sed propter se, & propter eorum bonum. hoc significatur illis verbis: Etiam capilli capitis vestri numerati sunt; & multis passeribus pluris estis vos. horum Deus non tantum Dominus, vt cæterarum creaturarum, & passerum; sed Pater, protector, & amicus est. ex his recte concluditur: Nolite timere: nam si Deus omnia scit, ac nouit; igitur non est ignarus, nec oblitus eorum, quæ erga Discipulos aguntur; eoque sciente mala euenient ab hominibus illata. Si etiam Pater est, & amicus est, plurimi facit suos, profecto quæ illis vtilia sunt, curabit, & quæ vere nocent, auertet. non igitur est eis, cur timeant hominum persecutionem: nam mala, quæ isti inferent, Deus in maxima bona conuertet; & quæ nocere videntur, vtilissima efficiet; diligentijs enim Deum omnia cooperantur in bonum; quod non fit, nisi quia eos diligit Deus. Ex his duobus recte consequitur: Nolite timere. parum proderat hoc secundum; si Deus oblitus esset suorum, nec cogitaret, nec sciret, quæ cum eis aguntur: parum etiam proderat primum; si non esset diuina hæc æstimatio, & affectus, vtrumque simul causam præstat non timendi.

Dico autem vobis: Omnis, qui confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis suis.

C O M M E N T A R I A.

Tertium argumentum hoc est, quo Discipulos suos Christus à timore hominum retrahit. sumptum autem est argumentum à magnitudine præmij, quod consequuntur ij, qui, postposito hominum timore, confitentur eum, ipsumque sequuntur, præponentes fidem, ac Christi sequelam omni malo, quod inferre possunt homines: similiter à magnitudine damni, in quod incidunt, qui timori hominum succumbentes retrahunt se à fide, & sequela Christi. Prior pars continetur in proposita sententia: Qui confessus fuerit me coram hominibus, id est, qui coram hominibus, qui corpus occidunt, se esse Christianum, meamque fidem aperte corde, & ore confessus fuerit, illorū timore postposito, ego profecto hunc confitebor coram Angelis Dei, id est, fatebor ego eum esse meum, & tanquam meum recipiam, & vt meo mercedem dabo: coram Angelis Dei, id est, in iudicio, quando venero cum

Angelis iudicare mundum. hanc sententiam, quia magni momenti est, & quia futura in ea praemittuntur, & quae longe absunt, & quia ad animos confortandum efficacax, idcirco asseueratione praenunciat dicens: dico vobis, id est, asseueranter praenuncio.

ANNOTATIO XIV.

Consensus Matth. & Lucae in hoc loco.

Nonnulla notanda sunt in praecedentis sententiae explicationem. Primo quidem Matthaeus cap. 10. eandem refert sententiam, hoc solo differentem, quod non habet (coram Angelis Dei) sed (coram Patre meo, qui in caelis est; non autem est vlla contradictio, cum Christus vtrumque dixerit. tunc enim, quando loquebatur, quae narrat Matthaeus, protulit (coram Patre meo, qui in caelis est; cum vero iterum sententiam repetit, dixit (coram Angelis Dei;) non enim eodem tempore dicta sunt, quae Matthaeus, & quae Lucas scribunt. Cyprianus vero de laude Martyrij vtrumque testimonium coniunxit: Qui me, inquit, confessus fuerit in terris coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo, & coram Angelis eius. licet autem non sit vno tempore dictum; tamen vtrumque verum est: quando enim venerit Christus iudicare, veniet cum Angelis, & in maiestate diuinitatis, quae dicitur gloria Patris: idcirco dicit, coram Patre, & coram Angelis Dei. Aut etiam dicere possumus Christum confiteri suos coram Patre, qui in caelis est; & coram Angelis, idem significare, quod est admittere, & introducere suos in gloriam Patris, & beatitudinem in Angelorum consortio. aut sic: (coram Angelis) id est, quando venerit iudicare Angelorum multitudinem comitatus; Tunc confitebitur suos coram Patre introducendo in gloriam, quando dicit: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.

Secundo notandum est, hanc sententiam, tam apud Matthaeum, quam apud Lucam non habere casum accusandi, nempe (me) nec (illum) sed casum dandi cum praepositione *in*, quod Latine verti debet, qui in me confessus fuerit, confitebor & ego in illo. qua lectione vsus est Tertullianus in Scorpiaco aduersus Gnosticos, & Cyprianus etiam epistola 37. licet aliis lectionibus vsus sit: nam in epistola 10. habet: qui me confessus fuerit, confitebor ego in illo: sic enim in nouo volumine legimus; quamuis in veteribus legatur: qui in me confessus fuerit, confitebor ego in illo. At libro 3. ad Quirin. numero 16. & in libro de laude Martyrij legit sicut Vulgatus noster, in casu accusandi, vtrumque absque praepositione. Chrysostramus autem hom. 35. in Matthaeum, non solum legit cum praepositione, (in me,) & (in illo;) sed causam, cur cum praepositione legatur, exhibet: nempe neminem confiteri posse Christum, nisi per gratiam, & virtutem ipsius: ideo dicitur: Qui in me confessus fuerit; nec Christus confitetur nisi eum, qui in eo existit per

gratiam. Subiungit autem causam, cur in sequenti sententia non sit dictum, qui in me negauerit; nimirum, quia negare Christum opus est hominis arbitrij sine gratia, & virtute Christi: mala enim sine gratia, & ex nobis facimus; bona vero in gratia, & virtute Christi. Haec sunt, quae notat Chrysostramus erga hanc lectionem. Tertullianus autem loco citato multa dicit in declarationem, cur dictum sit, qui in me confessus fuerit: dicit enim, qui Christianum se esse confitetur, testatur se esse Christi; & si Christi est, in Christo est; si in Christo est, igitur Christus in illo: & rursus; qui in Christo esse testatur, Christianum se esse fatetur, & similiter Christum confitetur. Sicut enim qui dicit diem, fatetur lucem, quamuis non exprimat: nam dies est effectus lucis; sic qui confitetur se Christianum, dicit se in Christo: si enim non esset in Christo, non confiteretur se esse Christianum. qui igitur in Christo confitetur esse, consequenter confitetur esse Christianum, & Christus confitetur se in illo esse. hoc idem tenet Tertullianus dicendum de sequenti sententia: quamuis enim dictum sit: Qui me negauerit, tenet Tertullianus dici potuisse: Qui in me negauerit: nam qui negat se esse Christianum, negat se in Christo esse, & Christus negat se in eo esse. Haec sunt, quae Tertullianus dicit, cuius interpretatio violenta est, & parum accommodata: non enim dicitur: Qui in me esse confessus fuerit, quasi quod homo confitetur, aut negat se esse in Christo, sed dicitur, qui in me confessus fuerit, vt illud (in me) teneatur ex parte subiecti, vnde accommodatior est interpretatio Chrysostrami, si conferatur cum ea, quae est Tertulliani. at nec ista videtur satis accommodata: nam si id sit: qui in me confessus fuerit, id est mea virtute, & gratia nixus, & adiuuus confessus fuerit, deest id, quod debet confiteri, & remanet sententia imperfecta; vnde necessario est illud (in me) intelligi ex parte praedicati, nempe, qui confessus fuerit in me: sic autem idem est sensus, ac si dictum esset, qui me confessus fuerit, vt recte affirmat Euthymius, qui Chrysostrami interpretationem recitat; tenet autem idem esse, in me, ac me; quod manifeste probat sequens sententia: Si negauerit me. nec est mysterium aliquod, cur sit dictum, qui confessus fuerit in me, sed est Hebraea phrasim: sic enim dictum est psalmo 43. In nomine tuo confitebimur, id est nomen tuum confitebimur; & psalmo 19. In nomine Dei nostri inuocabimus, id est nomen Dei nostri inuocabimus: idcirco vetus interpretis recte vertit (me) sensum attendens.

ANNOTATIO XV.

Hanc sententiam non solum ad Apostolos, sed etiam ad omnes, qui Christum secuturi erant, prolata esse a Domino affirmat Chrysostramus hom. 35. in Matth. idque sine controuersia est. oportet enim corde, & ore Christum confiteri aduersus quoscumque persecutores, vitamque exponere, omniaque tormenta subire potius, quam a fide auerti. Roman. 10. Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Pa-

tres ergo antiqui, & Theologi ex hac, & sequenti sententia deducunt praecipuum Martyrij subeundi, quando occasio se praesentauerit. immo Origenes tractatu 12. in Matthaeum colligit Martyrium esse baptismum quendam, & remissionem inducere peccatorum: quam doctrinam multi Theologi scolastici amplexi sunt; & Patres Martyrium baptismum sanguinis appellarunt. Verba Origenis sunt haec: Quoniam remissio fit peccatorum omni martyrium

Martyrium baptismus sanguinis appellatur a Patribus

martyrium sustinenti, manifestum est ex eo, quod ait: Omnis, qui confessus fuerit in me coram hominibus, & ego confitebor in illo coram Patre meo, qui est in caelis. confitetur ergo Christus Saluator coram Patre omnem hominem, qui confessus fuerit eum coram hominibus, etiam si fuerit ante confessionem aliqua habens peccata: si enim eos, qui aliqua habentes peccata confessi sunt, non confitetur & Christus coram Patre suo, iam non erit verum, quod dixit: Omnis, qui me confessus fue-

rit, & caetera. Haec Origenes. Quae autem sit haec confessio explicat Origenes, subiungens: Confessio filij coram Patre gloriantis est in conspectu Paterno super eo, quem confitetur, quasi digno confessione ad Patrem. Haec ille. Attende autem, quantum excedat retributio. Homo est, qui confitetur Christum Dominum coram hominibus; ac Christus filius Dei est, qui confitetur hominem seruum coram Patre, & Angelis eius.

Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.

COMMENTARIA.

Altera pars argumenti est opposita sententia, qui metu tormentorum fidem meam abiecerit; a meque propter homines recesserit; hunc etiam ego negabo, repellendo, & separando eum a me in vltimo iudicio coram Angelis Dei; quando dicam: Ite maledicti in ignem aeternum.

ANNOTATIO XVI.

Hac sententia conuincitur haeresis Helicetarum; qui affirmabant licere in tormentis Christum negare ore, dummodo retineatur fides eius in corde. Meminit huius haeresis Eusebius lib. 6. histor. Ecclesiastic. cap. 33. referens eam ex Origene in Psalmum 32. contradicit autem huic errori, quod nunc dicitur a Christo: Qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram Angelis. Confessione autem est haec negatio contraria: si igitur ore fit confessio; ore etiam erit negatio: vult enim Christus nos eum corde, & ore; interius, & exterius confiteri, & amplecti. Cuius rei Chrysostramus homilia 35. in Matthaeum, duas profert causas. vna est ad dilectionis perfectionem; quae eo maior est, quo magis etiam exteriora exhibet signa; & vsque ad sanguinem Christum amplectitur. Altera est ad fortitudinem exercendam; vt Christianus ostendat se inuictum, qui nec morte, nec vilo tormentorum genere potuit a Christo diuelli. Rom. 8. Neque mors, neque vita, nec Angeli, neque Principatus poterunt nos separare a charitate Dei, quae est in Christo.

Christum quare ore, & corde tentatur confiteri.

Quomodo opere etiam debeamus confiteri Christum

ceptaret ab hominibus illatam, Christum diceretur confessus, Martyrque esset; quem Christus cum Angelis veniens confitebitur; contrariumque facientem negabit. Ponderat in his duobus sententiis vnum Ambrosius lib. de penitentia cap. 2. nempe priorem sententiam de confessione prolata esse generaliter: Omnis, inquit, qui me confessus fuerit; posteriore vero particulariter: Qui me negauerit. quod tam apud Matthaeum, quam apud Lucam dictum esse non ociose affirmat: nam in confessione generalitas significat gratiae amplitudinem: omnes enim confitentes Christus confitetur: in negatione autem particularitas indicat non de omnibus hominibus negantibus vindictam sumendam; vt significetur misericordiae abundantia: nam per penitentiam etiam negantibus remittit culpam; nec penitentes negat, etiam si prius negauerint: quod est contra Nouatianum veniam penitentibus dari negantem. Haec Ambrosij doctrina vera est; sed contextui non accommodatur: nam vtraque sententia generalis est, tam de confessione, quam de negatione: illa enim particula (omnis,) vtramque comprehendit; nimirum, omnis, qui me confessus fuerit; & omnis, qui me negauerit. nec ratio Ambrosij efficax est: nam sicut quidam negarunt, & postea penitentiam egerunt, sic etiam quidam confessi sunt, & postea retrocesserunt: generaliter ergo vtrumque intelligitur, nec obstat si multi negarunt, & postea penitentiam egerunt; & quidam post confessionem negarunt: loquitur enim Christus secundum praesentem iustitiam, aut iniustitiam; negans enim, negatur; & confessus recipit confessionem; quod si mutetur status, mutatur & sententia. Hoc autem in sequentibus annotationibus fiet manifestius.

Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.

COMMENTARIA.

Dixit se negaturum illos, qui eum metu hominum abnegauerint, a susceptaque eius fide recesserint: nunc de ijs loquitur, qui eum nondum susceperunt, nec fidem ipsius sermonibus habuerunt; quales erant Iudaei illi increduli; qui non solum non ei credebant; sed etiam contemnebant, conuitiisque afficiebant. Distinguit autem duo genera conuitiantium, seu blasphemantium: quidam enim opera humanitatis eius considerantes; nec eum agnoscentes, illa calum-

habantur, vitioque dabant; quales erant, qui propter nouitatem doctrinae, eum seductorem appellabant; & propter vitam communem cum ceteris hominibus, eum vini potatorem, voracem dicebant; & propter paupertatem, per contemptum filium fabri vocabant, aliaque similia in ipsum iactabant: & haec dicuntur verba, seu blasphemiae in filium hominis. Quidam alij opera diuinitatis considerantes, Deique esse cognoscentes, qualia erant, daemonia eiicere, morbos curare, & cetera; & adhuc non credentes calumniabantur illa, daemonio adscribentes, eumque virtute daemonij ea facere blasphemantes, hoc peccatum dicitur blasphemia in Spiritum sanctum, quia quae virtute Spiritus sancti Christus efficiebat, contrario spiritui nequam, & immundo tribuebantur. Comparans ergo vtramque blasphemiam, ait, priorem remittendam, non autem posteriorem, id est, de priori non sumetur vindicta, nec ultio: non enim Deus punit semper eos, qui in filium hominis blasphemauerint; at vero de eis, qui in Spiritum sanctum blasphemauerint, ultionem, & vindictam semper sumet; atque in hoc, & in futuro saeculo eos poenis afficiet. Alludit ad legem Leuit. 24. vbi blasphemus morte mulctandus praescribitur. at Deus non sic ultionem accipiet de blasphemantibus in filium hominis; eos autem, qui in Spiritum sanctum sunt blasphemii, & in hoc, & in futuro saeculo punit. Sermo est de peccato ipso per se: si enim per poenitentiam tollatur, comminatio etiam tollitur; stante vero blasphemiae vtriusque statu, priores non semper Deus in hoc saeculo punit; posteriores vero semper & in hoc, & in futuro saeculo.

A N N O T A T I O X V I I .

Difficultas sententiae superioris explicatur.

Gravis admodum se offert difficultas, quod sit peccatum in filium hominis, & quae sit blasphemiam in Spiritum sanctum, & quomodo haec non remittatur, illud vero sic. Tam grauis & ardua est difficultas haec, vt Augustinus tract. 2. de verb. Domini, talia de ea proferat verba: Forte, inquit, in omnibus sanctis Scripturis nulla maior quaestio, nulla difficilior inuenitur. Addit Augustinus: Vt vobis, inquit, aliquid de me ipso fatear, semper in sermonibus, quos ad Populum habui, huius quaestiones difficultatem, molestiamque vitari; non quia nihil haberem; quod inde vtrumque cogitarem, neque enim in re tanta petere, quaerere, pulsare negligerem, sed quia ipsi intelligentiae, quae mihi aliquantulum aperiebatur, verbis ad horam occurrentibus me posse sufficere non putarem. Haec Augustinus.

In hac igitur tam ardua quaestione, primo loco, quae Patres antiqui scripserunt, fideliter, & perfecte exponam. Secundo loco, quae mihi post multum, & longum studium visa sunt, aperiam. vt igitur a Latinis Patribus ordiamur. Primo Hilarius can. 12. in Matthaeum de praepostis dubitationibus, sic sentit: blasphemiam enim in Spiritum sanctum eam esse dicit, qua quispiam negat Christum esse Deum. huic veniam non dari docet: Quid, inquit, tam extra veniam est, quam in Christo negare, quod Deus sit, & consistentem in eo Paterni Spiritus substantiam adimere. Reliqua omnia peccata dicit esse in filium hominis, quibus omnia non negatur, nec remissio intercluditur. peccatorum, inquit, omnium veniam promittit, & blasphemiae Spiritus indulgentiam abnegat: nam cum cetera dicta, gesta que liberali venia relaxentur, caret misericordia, si Deus negetur in Christo. Haec sunt, quae sensit Hilarius. Idem Hilarius can. 5. in Matth. peccatum hoc eodem modo explicat. Peccatum, inquit, in Spiritum sanctum est, Deo virtutis potestatem negare, & Christo substantiam adimere aeternitatis: per quem, quia Deus in hominem venit, homo rursus fiet in Deum; cum ceteris Deus veniam largiatur, hoc solum extra veniam est. Haec ille.

Secundo loco Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. peccatum in filium hominis illud esse inter-

pretatur, quo quispiam de Christo remissius aliquid, quam dignum sit, sentit, deceptus specie corporis, nempe sineget eum esse Deum: sic enim Hieronymus explicare videtur, apud quem Ambrosij verba legimus, vt paulo inferius dicemus: Blasphemiam autem in Spiritum sanctum dicit eam esse, quando quispiam Spiritus sancti diuinitatem negat, Deum non esse dicens; & in Beelzebub, non in Spiritu Dei daemonia eiici affirmat. hanc blasphemiam dicit Ambrosius non habere veniam a Deo ullam. Verba ipsius sunt haec: Si quis corporis specie deceptus humani remissius aliquid de Christi carne sentit, quam dignum est, (neque enim nobis vilis videri debet, quae aula virtutis fructus est Virginis) habet culpam; non est tamen exclusus a venia, quam fide possit assequere. Si quis vero sancti Spiritus diuinitatem, maiestatem, & potestatem abneget sempiternam, & putet non in Spiritu Dei eiici daemonia, sed in Beelzebub, non potest ibi exoratio esse veniae, vbi sacrilegij plenitudo est; quia qui Spiritum negauit, & Deum Patrem negauit, & Filium; quoniam idem est Spiritus Dei, qui Spiritus Christi. Haec Ambrosius. in cuius verbis ambiguum est, an ad blasphemiam huius peccatum duo haec concurrere debeant, nimirum, negare Spiritum sanctum esse Deum; & daemoniorum eiectioem, quae virtute Spiritus sancti sit, adscribere daemonio; an vnum horum sufficiat; ita vt sint tam hoc, quam illud blasphemiam Spiritus sancti: na separari possunt: potest enim quispiam negare diuinitatem Spiritus sancti, vt fecerunt haeretici multi; non tamen dixerunt daemonia eiecta virtute daemonij. similiter etiam potest quispiam dicere daemonia eiecta virtute daemonij; non tamen negare Spiritus diuinitatem; sed in eo, qui eiicit, esse Spiritum sanctum; quod & Iudaei fecerunt: licet enim calumniarentur Christum in Beelzebub eiicere daemonia; non tamen negabant Spiritus sancti diuinitatem; sed dicebant hunc spiritum non esse in Christo. haec igitur duo non sunt ex se connexa; nec qui vnum dicit, ob id alterum affirmat. Verba Ambrosij videntur significare ad blasphemiam hanc constituendam vtrumque concurrere. Conuenit autem Ambrosius cum Hilario in hoc, quod blasphemiam

in Spiritum sanctum quoddam peccati genus ponit; & in hoc etiam, quod omnino hoc peccatum a venia, & remissione exclusum dicit; discessit tamen in hoc, quod eum, qui Christum negat Deum esse, specie carnis deceptus, non censet dictum esse blasphemare in Spiritum sanctum.

Tertio loco idem Ambrosius lib. 2. de poenit. c. 4. multo aliter de hoc peccato, & eius remissione sentit. In primis asserit Christum duo genera blasphemiae possuisse: vnum Iudaeorum, qui in Beelzebub eum eiicere daemonia dicebant, & illius potestatem diabolico fultam suffragio vindicabant; quod peccatum blasphemiam in Spiritum sanctum appellauit, ac venia carere. Alterum Haereticorum, & Schismaticorum, quos significauit illis verbis: Qui mecum non colligit, dispergit. Hi Ecclesiam Christi dispergunt, atque eis veniam negat; quia hoc genus peccati in vniuersos est; & de eisdem pronunciat, in Spiritum sanctum blasphemare, & veniam non habere. Non multum ab hoc recedit Philaster, qui in Haeresi Rhetoriorum dicit, Haereticos blasphemos in Patrem, Filium, Spiritum sanctum, & perseverantes in haeresi a Christo condemnatos, cum dixit, blasphemiam in Spiritum sanctum non remittendam, nec in hoc saeculo, nec in futuro. Tertium genus blasphemiae in Spiritum sanctum ponit Ambrosius illud Simonis, qui Act. 3. voluit gratiam Spiritus sancti pecunia comparare. Addit Ambrosius omnibus his peccatis dari locum veniae, si peccantes conuertantur ad Ecclesiam, & poenitentiam agant: vnde Petrus, dicit, etiam eos, qui Christum in Beelzebub daemonia eiicisse blasphemauerant, & eos, qui Christum crucifixerunt, ad baptismum vocauit. Probat etiam Ambrosius aditum veniae etiam his non interclusum ex verbis Christi praecedentibus Matth. 12. Omne, inquit, peccatum, & omnis blasphemia remittetur hominibus. Probat etiam Act. 3. quia Simoni blasphemanti in Spiritum sanctum dictum est: Poenitentiam age ab hac nequitia tua, & deprecare Dominum, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. Quomodo autem blasphemiam dicatur non remitti, neque in hoc saeculo, neque in futuro; si remittitur, & venia per poenitentiam datur, non explicat Ambrosius. si enim dicat quispiam, quia non remitti dicitur blasphemiam, nisi sit poenitentia, & conuersio ad Deum, hoc non satisfacit: nam omne peccatum, etiam in filium hominis, non remittitur sine poenitentia. Quod autem Ambrosius notat ex illis verbis Matthaei: Omne peccatum, & blasphemiam remittetur hominibus, inde deducens, etiam blasphemiam Spiritus remitti, non videtur recte colligi: nam blasphemiam in ea sententia generaliter sumitur, quando remitti dicitur; ac statim limitatur sequentibus verbis, vt notat Hilarius: sequitur enim: blasphemiam autem Spiritus, id est in Spiritum sanctum, non remittetur. Haec sunt, quae ex Ambrosio habentur.

Quarto loco idem Ambrosius in commentario Lucae, citat quosdam dicentes, eundem dici filium hominis, & Spiritum sanctum; Christum nempe, qui ratione humanitatis filius hominis est; ratione vero Diuinitatis Spiritus sanctus est, non quidem sumpto hoc nomine particulariter pro persona Spiritus sancti, quae distincta est a filio, sed generaliter: nam Deus Spiritus est, non corpus. Pater ergo Spiritus est; Filius Spiritus est; Spiritus sanctus Spiritus est: & rursus Sanctus est Pater; Sanctus Filius; Sanctus Spiritus sanctus. vnde propter diuinitatem Christus Spiritus sanctus est. est ergo blasphemiam in Spiritum sanctum, quando Diuinitas Christi negatur: & sensus huius sententiae in hoc tendit, non licere Diuinitatem Christi negare; & qui negauerit,

sine venia esse. hanc sententiam recitat Ambrosius, nec impugnat eam.

Quinto loco Hieronymus Matthaei 12. & in epistola ad Marcellam de blasphemia in Spiritum sanctum: blasphemiam in Spiritum sanctum interpretatur peccatum illud; quod comiserunt Iudaei illi, quando dixerunt: In Beelzebub eiicit daemonia; opera Saluatoris, quae Spiritus sancti virtute facta manifeste sciebant, deputantes Principi daemoniorum. quam interpretationem, in commentario, probat illo Mar. 3. Qui blasphemauerit, inquit, in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti. Adiunxit Marcus: Quoniam dicebant Spiritum immundum habere. quae verba explicare videntur, quae fuerit blasphemiam in Spiritum sanctum: nimirum ea, quae dicebant, Christum habere Spiritum immundum, in quo eiicere daemonia. Ambrosius in commentario Lucae affirmat plerisque sic interpretari blasphemiam in Spiritum sanctum. Extendit Hieronymus in commentario eodem hoc peccati genus ad omnes eos, qui manifeste intelligentes opera Dei, cum virtutem negare non possint, eadem stimulat invidia calumniantur; & Christum, Deique verbum, & opera Spiritus sancti dicunt esse in Beelzebub. Hoc inquit non dimitti, neque in hoc saeculo, neque in futuro. Demum peccatum, seu verbum in filium hominis Hieronymus interpretatur, quando quispiam scandalizatus carne Christi, eumque hominem arbitrans, dicit quod filius sit fabri, quod fratres habeat Iacobum, Ioseph, & Iudam; quod vorator, & vini potator sit: talis ergo blasphemiam, quamuis culpa non careat, erroris tamen habet veniam, propter corporis & carnis vilitatem. Haec sunt, quae dicit Hieronymus, quibus consentit Beda in commentariis Lucae, eisdem fere verbis Hieronymi vtens. Obijcit autem Beda, quomodo peccatum hoc irremissibile sit, cum per poenitentiam omne peccatum deleatur, respondet id verum esse; per poenitentiam nimirum omnia deleri peccata; tamen qui in hanc incidit blasphemiam, demeritis eius exigentibus, numquam ad fructum dignae poenitentiae peruenire. Sicque vtrumque simul verum est, & quod per poenitentiam omnia peccata dimittantur poenitentibus, & quod qui sic blasphemauit, veniam, & remissionem nunquam consequatur. Diuus Pacianus Barcelonensis episcopus epistola 3. ad Symphronianum Nouatianum, eodem modo, quo Hieronymus, interpretatur blasphemiam in Spiritum sanctum. Habes, inquit, scriptum, cum Dominus verbo daemonia fugaret, & virtutes multas spiritali vigore completeret, dixisse Phariseos: Hic non expellit daemonia, nisi in Beelzebub Principe daemoniorum. Hoc est in Spiritum sanctum deliquisse, blasphemasse, quae in ea per Spiritum sanctum gerebantur. Haec ille.

Sexto loco Cyprianus lib. 3. ad Quirin. num. 28. multo aliter haec omnia interpretatur: hanc enim sententiam Domini similem facit ei, quae habetur. 1. Reg. 2. Si delinquendo peccet vir aduersus virum, orabunt pro eo Dominum; si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo? Sic Cyprianus vertit, nostra vero versio habet: Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? dicit ergo Cyprianus verbum in filium hominis esse peccatum, quo in proximum peccamus; blasphemiam autem in Spiritum esse peccatum, quo in solum Deum peccamus; quod peccatum dicit in Ecclesia non remitti. quo autem modo in Ecclesia non remittatur, Cyprianus non explicat; in eo autem differt ab omnibus praedictis Doctoribus, quia filium hominis

nis, non interpretatur Christum, vt illi, sed quemlibet hominem.

Septimo loco idem Cyprianus in Epistola 10. quae in veteri volumine habetur libro 3. Epist. 14. aliter interpretatur hanc blasphemiam, eam nempe, quando quispiam in persecutione Christi fidem negat; quod peccatum, quomodo non remittatur, non exponit expresse; tacite tamen insinuat: dicit enim non de facili, qui sic peccauit, admittendum, & reconciliandum esse Ecclesiam, etiam si eum poeniteat; non tamen omnino, & semper excludendum esse; quia veniam habet etiam tale peccatum: qua doctrina potest explicari, quod dixerat lib. 3. ad Quirini citato; nempe blasphemiam hanc non remitti in Ecclesia, nimirum facile; sed graui, & diuturna probatione, & multis adhibitis; quae in Epistola allegata narrat Cyprianus.

Octauo loco Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 44. blasphemiam hanc sic interpretatur: quando quispiam post Euangelij gratiam susceptam; & Christianus factus est, ex quadam inuidentia Euangelij veritatem oppugnat; fraternae charitati iniudens, id est, ne alijs communicetur Euangelij gratia. Hanc esse blasphemiam, de qua Dominus non remittit vnquam dixit, Augustinus interpretatur; cuius verba si consideres, inuenies ad hoc peccatum perpetrandum concurrere haec omnia; nempe veritatem Euangelij oppugnare; eique resistere; & quod hoc sit postquam ad Euangelij fidem conuersus est: si enim fiat oppugnatio a non fideli, non censetur blasphemia in Spiritum sanctum. demum, quod facit ex inuidentia quadam fraternae charitatis: tale peccatum Augustinus affirmat perpetrasse Alexandrum illum; cuius fit mentio a Paulo, 2. Timo. 4. Alexander, inquit, ararius multa mala mihi ostendit; reddet illi Dominus secundum opera eius; quem tu deus: valde enim restitit sermonibus nostris, interrogat autem Augustinus; an illi; qui Christo calumniati sunt, dicentes: In Beelzebub eijcit daemonia, inciderint in hanc blasphemiam: nam defuit illis vnum ex tribus: non dum enim susceperant Christi fidem, nec Christiani erant. respondet Augustinus duo: vnum est posse affirmari istorum Iudeorum peccatum fuisse blasphemiam in Spiritum sanctum, propter magnitudinem inuidentiae eorum; licet Christiani non fuerint: alterum, quod magis Augustino placet, non fuisse tale eorum peccatum blasphemiam in Spiritum sanctum, quia vero ex Marco deduci videbatur peccatum illorum fuisse blasphemiam, vt notauius ex Hieronymi sententia superius; nam post verba illa: Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum non habebit remissionem, adiunxit Marcus: quoniam dicebant eum habere Spiritum immundum; quasi explicans peccatum illud dici blasphemiam, vt Hieronymus notauit, respondet Augustinus non solum in hoc loco, sed etiam tractatu. ij. de verbis Domini, haec Marci verba posita esse, non quasi explicaret, quod esset peccatum blasphemiae; sed quasi Christus ijs verbis reddiderit causam, cur blasphemiam dixerit non remittendam: ac si diceret: quoniam dicebant eum spiritum immundum habere, idcirco dixit blasphemiam in Spiritum sanctum non remittendam; vt cauerent sibi, ne tale quid dicerent post conuersionem: nam si id ipsum proferrerent post susceptum Euangelium, esset iam blasphemiam in Spiritum sanctum, & nullam veniam amplius obtinere possent; dum autem non dum sunt Christiani, conuerti possunt, & talis peccati habere remissionem: existimat enim Augustinus non remitti vnquam blasphemiam in Spiritum sanctum; quando habet rationem blasphemiae; illis

nempe tribus concurrentibus. Hoc vltimum idem Augustinus lib. 1. retractat: cap. 19. retractauit; nempe tale peccatum non habere remissionem; cum tamen nullum sit; quod remitti non valeat. excusat se, quod non id affirmat; sed cu dubitatione, dicendo (fortasse.) quod si affirmandum est, declarat id intelligi, quando in eo peccato vique ad vltimum vitae obstinatus recessit. Quidquid autem sit de opinione Augustini de blasphemia; eius tamen interpretatio in verbis praedictis Marci, violenta, & extorta mihi visa est: caetera autem peccata, quae cumque sint, ab infideli commissa, seu a Christiano, excepta praedicta veritatis oppugnatione ex inuidentia charitatis fraternae, existimat Augustinus esse peccata in filium hominis.

Nono idem Augustinus de verbis Domini, tract. ij. mutauit sententiam; aliterque interpretatur, plurimaeque dicit, vt tem hanc explicet: breui tamen compendio, eius sententia est, blasphemiam in Spiritum sanctum, quae nunc non remittenda dicitur, esse impoenitentiam cordis, qua post peccatum quispiam remissionem peccati, aut oppugnat, aut contemnit: quae impoenitentia dicitur in Spiritum sanctum blasphemiam; quia remissio peccatorum per Spiritum sanctum fit, iuxta illud Ioannis. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis. Non autem quaeuis impoenitentia dicitur blasphemiam in Spiritum sanctum; sed ea solum, qua quispiam vsque ad finem vitae protrahit, in eaque recedit: quam dicimus finalem impoenitentiam. haec est, quae numquam remittitur: nam quae ad tempus vitae aliquod est, potest per poenitentiam remitti; illa vero nunquam, cum careat poenitentia, per quam peccata remittuntur. negat autem Augustinus illud peccatum, quo Christi opera attributa sunt Beelzebub, dici blasphemiam in Spiritum, de qua est sermo in Euangelio; quod etiam tenuit Epiphanius, vt paulo inferius citabimus; licet aliter explicet blasphemiam hanc in Spiritum sanctum. fatetur quidem Augustinus multa esse peccata, & blasphemias in Spiritum sanctum; non tamen esse irremissibiles, de quibus nunc est sermo; sed eam, quae dicta est, nempe impoenitentiam finalem, per quam aut oppugnatur, aut negligitur peccatorum remissio. In declarationem, & confirmationem huius suae opinionis multa adest Augustinus ibi, quae ad praesens nostrum institutum referre nihil facit; & in progressu huius tractationis nonnulla referemus.

Decimo Richardus de sancto Victore, in quodam tractatu de hac blasphemia, eam esse censet; quando quispiam scienter, & ex odio, quo Deum prosequitur, ipsum conuicio afficit, & blasphemat: per Spiritum sanctum enim Deum intelligit ipsum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Vndecimo quidam Doctores minus antiqui, verbum in filium hominis appellant blasphemiam ex ignorantia; eam autem quae est ex malitia, in Spiritum sanctum; addentes, quando quispiam ex coactione blasphemat, eam esse blasphemiam in Patrem.

Haec sunt, quae Latini Patres senserunt de blasphemia in Spiritum sanctum, & de verbo in filium hominis, ac de non remittenda blasphemia.

Vt autem ad Graecos Doctores deueniamus. Origenes primo loco in tom. 30. in Ioannem, blasphemiam in Spiritum sanctum, quae remissionem nullam habet, interpretatur quodcumque mortale peccatum, commissum post gratiam Spiritus sancti acceptam, quae in baptismo confertur: qui enim praesente Spiritu sancto peccat, in ipsum blasphemat. Quodcumque igitur peccatum ante aduentum Spiritus sancti commissum

non

non erat blasphemiam in Spiritum sanctum, quia non dum erat spiritus datus, cum non esset Iesus glorificatus nec etiam modo ante baptismum, quia gratia Spiritus sancti nondum est accepta. Adducit in eundem sensum illud Hebr. 6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gutaerunt etiam donum coeleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renouari ad poenitentiam. Sic Athanasius in tract. super hunc locum Euangelij de blasphemia in Spiritum sanctum, ad Serapionem, citat Origenem; eandemque sententiam dicit fuisse quorundam Priscorum, inter quos etiam erat quidam vir admirandus dictus Theognostus. refert autem Athanasius ibidem causas diuersas ab Origene, & Theognosto expositas, cur blasphemiam hanc censerent non remittendam; quas licet vnicique apud illum legere. libri autem Origenis, ex quibus quae dicit Athanasius sumpta sunt, apud nos non extant. ista tamen sententia non intra opiniones recensenda videtur, cum error sit contra fidem, qua tenendum est post baptismum peccantibus dari sacramentum poenitentiae: vnde recte Athanasius dicit hanc Origenis doctrinam non differre ab errore Nouati, qui negabat post baptismum poenitentiam, & remissionem peccatorum: quem errorem multae Scripturae, immo totum Euangelium condemnat. de Nouati haeresi scripsit Eusebius lib. 6. Histori. Cap. 43. locum autem ad Hebraeos respondet Athanasius intelligendum esse de baptismo, qui vnus est in Ecclesia; & qui post eum peccat, renouari non potest alio baptismo. opponit autem Athanasius Origeni, & Theognosto contextu Euangelij huius: nam ex Matthaeo, & Marco habemus hanc sententiam prolatam contra Phariseos calumniantes, & adscribentes Christi miracula daemonio, quos Dominus notat tamquam blasphemos in Spiritum sanctum; & tamen non acceperant baptismum.

Secundo igitur loco Athanasius in loco proxime citato aliter hanc explicat blasphemiam. distinguit duo genera operum Christi: quaedam enim faciebat vt homo, quaedam vt Deus: quamuis enim omnia opera essent Diuinae personae vnicae humanitatis; tamen quaedam operabatur ratione humanitatis, quaedam ratione Diuinitatis: nimirum ambulabat, loquebatur, lachrymabatur, aliaque operabatur, quae communia sunt hominibus, vt homo; mortuos autem suscitabat, visum caecis praebat, caeteraque admiranda faciebat, vt Deus. hinc est duplicem blasphemiam prolatam fuisse, aut proferri posse in Christum. vna est eorum, qui propter hominis opera, quae videbant in Christo, male de illo sentiebant, & loquebantur, quales illi, qui dicebant: Vorator est, vini potator, filius fabri, vnde huic sapientia? & alia similia: & haec dicuntur blasphemiam in filium hominis, nempe in Christum propter eius carnem, & humanitatem existimatum hominem tantum. Altera blasphemiam est eorum, qui propter miranda opera, quae faciebat, eum daemonium habere dicebant, adscribentes opera Diuinitatis daemionum principi: sicut enim, vt dicit Athanasius, per hominis opera eum esse hominem confitebantur, ita per Deitatis opera debuerunt eum confiteri Deum. Haec blasphemiam dicta est contra Spiritum sanctum, id est, contra Diuinitatem. Inquit ergo Athanasius Phariseos illos, contra quos Dominus hanc protulit sententiam, in Spiritum sanctum blasphemasse: vtramque autem blasphemiam contra Christum esse certum est; sed vnica ratione humanitatis, alteram, ratione Diuinitatis; quae si inuicem conferantur, haec multo grauior est, maiorque punitione digna, quam illa: idque Dominus voluit significare docens, quae est in filium hominis, remissionem habere; quae vero in Spiritum sanctum carere venia.

Haec sunt ad mentem Athanasij: & eadem est sententia cum illa, quam ex Hieronymo retulimus.

Tertio loco Basilius in Regu. breui. resp. 273. de verbo in filium hominis nihil dicit; de blasphemia autem in Spiritum sanctum idem sentit cum Athanasio: nam blasphemiam illam, qua Pharisei Christi opera tribuebant daemonio, appellatam dicit contra Spiritum sanctum. Adiungit autem Basilius, etiam nunc illos blasphemare in Spiritum sanctum, licet non ita graui blasphemiam, quicumque Spiritus sancti fructus & effectus aduersario ipsius tribuunt: vt qui temere temperatum appellant auarum, zelantem iracundum; & denique studiosa opera per quamdam similitudinem adscribunt vitio. Verba Basilius sunt haec: Quid, inquit, est quod faciens aliquid, blasphemiam in Spiritum sanctum respondet, ex ea blasphemiam, quam Pharisei tunc vsurparunt, de quibus etiam lata est huiusmodi sententia, perspicuum est eum etiam nunc blasphemare Spiritum sanctum, hoc est derahere Spiritui sancto, quicumque effectus & fructus Spiritus sancti aduersario ipsius attribuit: quod peccatum incurrimus plerique nostrum, qui securi periculi strenuam se penumero appellamus ambitiosum; & ei, qui iusta indignatione per zelum moueat, eam re indicans, iracundiam calumniam impingimus: & ad eundem modum alia iniquis suspitionibus, ementitis nominibus de aliquo dicimus. Haec Basilius, quae si vera sunt, frequens est nunc peccatum, & blasphemiam ista: & si in eam incurrunt, qui temere talia faciunt, quanto magis qui ex malitia expositi autem sunt huic periculo, qui facile mala suspicantur de proximis.

Quarto loco Chrysostronus hom. 42. in Matthaeum, & blasphemiam in Spiritum sanctum, & verbum in filium hominis eodem explicat modo, quo Athanasius; addens tamen non esse hanc blasphemiam in Spiritum sanctum omnino irremissibile, immo multos per poenitentiam remissionem obtinuisse; sed id tantum significari, hoc genus peccati minus esse remissibile, quam caetera. Explicat autem Chrysostronus duo. vnum est hoc peccatum dici non remitti, non tantum quantum ad culpam, sed etiam quantum ad poenam; quia impoenitentes blasphemiam in Spiritum sanctum, in hoc saeculo, & in futuro puniuntur; sicut puniti sunt Iudaei illi, qui sic blasphemauerunt in Spiritum sanctum, nec poenitentiam egerunt: feruerrimas enim per Romanos poenas dederunt in hoc saeculo, & in futuro torquentur grauius in aeternum. Sunt enim, inquit, qui in hoc saeculo tantum puniuntur propter peccata, non autem in futuro; vt ille fornicarius. 1. Cor. 5. & illi, qui sacramentis indigne communicant 1. Cor. ij. sunt etiam qui in hoc saeculo non puniuntur. in futuro tamen poenas dant, vt diues ille Luc. 16. qui in vita recepit bona, postea sepultus est in inferno. alij vero nec in praesenti, nec in futuro, vt Apostoli, & Prophetae, & S. Iob: non enim ad punitionem aliquas passiones in hoc saeculo sustinuerunt. isti igitur, qui talem blasphemiam commiserint, & hic, & in futuro puniuntur, nisi poenitentiam agant. Alterum est, causam, ob quam Iudaei isti puniti sunt ob blasphemiam in Spiritum sanctum, eam esse, quia, & si Christum ob carnem ignorare potuerunt, Spiritum sanctum tamen non poterant ignorare, ex expulsiōibus daemionum, & curationibus admirandis. omnia ergo, quae in Christum blasphemauerunt, vocantes seductorem, aduersarium legis, etiam peccatum crucifixionis dicit Chrysostronus dici in filium hominis, & remitti facilius, quam blasphemiam in Spiritum sanctum. Haec est sententia Chrysostroni, quae omnia recepit Anastasius Episcopus Nicenus in suis quaestionibus quaest. 68. vbi etiam probat sententiam Basilius prius recita-

Doctores Graecorum, de eadem sententia interpretationes.

recitatum, de ijs, qui Spiritus sancti effectus, & fructus tribuunt aduersario, bonum iudicantes malum. Idorus etiam Pelusiotæ lib. 1. Epistol. 59. blasphemiam in Spiritum sanctum eodem modo interpretatur, quo Chrysostomus, adferens eandem causam, cur venia careat; nimirum, quia cum notus esset Iudæis Spiritus sanctus, malitiæ, & ingratitude conuincuntur, ideo indigni sunt venia.

Quinto loco Epiphanius hære. 54. peccatum, seu blasphemiam, in filium hominis eam dicit, qua quidam in Christum maledicta coniungunt, quam quidem asserit per penitentiam remitti; blasphemiam vero in Spiritum sanctum, quæ hoc in loco excluditur à venia, eam esse, qua quispiam Spiritum sanctum seruum, & creaturam docet: quæ sententia eadem videtur, cum illa priori Ambrosij supra relatæ. Aduertendum est autem Epiphanium existimare Iudæos illos omnes Christum blasphemantes non blasphemasse in Spiritum sanctum; immo dicit Christum, ne illorum condemnationem decerneret, per misericordiam veniam significasse, dicendo: Omne peccatum, & blasphemiam, etiam verbum in filium hominis, remittitur illis; propter hæreticos autem, quos futuros præuidit Spiritus sancti diuinitatem negantes, dixisse: qui blasphemauerit in Spiritum sanctum non remittetur illi. citat autem ibi Epiphanius quemdam dictum Theodorum, qui cum prius Christianus esset in fidei examine recessit, & Christum negauit; qui, cum postea argueretur criminis, respondebat se non peccasse, quia non in Deum peccauit, sed in hominem: putabat enim hic impius Christum non esse Deum: allegabat autem locum hunc: qui dixerit verbum in filium hominis remittetur ei. qui quidem ab Epiphanio facile conuincitur: non enim dicitur, quod non peccauit, sed quod peccatum remittetur ei, potius argumentum est contra eum ex hoc loco, illum crimen commisse. Hæc recitauit, ut significarem hunc impium peccatum in filium hominis existimasse esse id, quod homo in hominem committit; blasphemiam autem in Spiritum sanctum esse peccatum in Deum: quæ videntur ad eum sensum pertinere, quem secutus est Cyprianus in priori sententia superius recitata.

ANNOTATIO XVIII.

Asserta aliquot ad propositam difficultatem explicandam.

PRO hac grauissima difficultate explicanda, constituendæ sunt aliquot assertiones, ex quibus maxime dilucidabitur tota ista sententia Evangelica. Prima est: Blasphemiam in Spiritum sanctum, cuius nunc fit mentio, etiam ante baptismum committi potest. Hæc est contra Origenem, & Augustinum superiori annotatione relatos: est tamen Athanasij, Hieronymi, & multorum aliorum, ut in narratione opinionum constat; quam probat Athanasius ex ipso Evangelico contextu: nam, postquam apud Matthæum, & Marcum narratum est Phariseos dixisse: In Beelzebub eiecit demonia, subiunguntur verba hæc: Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei. & clarius apud Marcum id habetur: nam dicitur: Non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti: quoniam dicebant: Spiritum immundum habet: quæ verba vltima significant illos in Spiritum sanctum blasphemasse; & non solum hoc, sed ut paulo post dicemus, eo ipso blasphemasse, quo dixerunt: Spiritum immundum habet. & quamuis Augustinus, ut diximus, conetur aliter hæc verba interpretari; tamen Patres ferè omnes sic intellexerunt, quasi ostenderet Dominus illos blasphemasse in Spiritum sanctum; sicque verba ponderant Athanasius, & Hieronymus: & in hoc ultimo nihil esse dubitationis.

Secunda: Peccatum in Spiritum sanctum, & bla-

Sexto loco Victor Antioche in commentario Marc. 3. blasphemiam, quæ est in filium, interpretatur dici in filium hominis; blasphemiam autem, quæ est in Spiritum sanctum eam esse, quæ est contra Deum, qui hic Spiritus dicitur: illam autem dicit dignam venia, si cum priori conferatur, quia causam aliquam habet, nimirum, quia filius vilem carnem induit; hanc vero indignam venia, quia venia causam nullam in se habet. videtur ergo Victor censere, non simpliciter venia indignam hanc blasphemiam in Spiritum sanctum; sed collatione cum ea, quæ est in filium hominis: grauius enim est peccatum, quod homo committit in Deum, quam quod in hominem. In eo autem, quod Victor dicit, nempe blasphemiam in Spiritum sanctum esse eam, quæ Deus blasphematur, consentit Cyrillus Alex. lib. 6. de adoratione in Spiritu, vbi blasphemiam in Spiritum sanctum interpretatur eam, quæ leui. 24. morte mulctatur; & per Spiritum sanctum Deum ipsum intelligit, cuius natura incorporea, & spiritalis est, consentit etiam Isichius lib. 7. in leui. vbi scribit, quando quispiam Deum scienter blasphematur, tunc secundum legem morte mulctari; hancque Christum appellasse blasphemiam in Spiritum sanctum.

Septimo loco Euseb. emisse. in hom. Domi. 4. post pascha, quæ refertur ab Alcuino, vnum dicit peccatum esse, quod non dimittitur, cum tamen cetera dimittantur; id autem est blasphemiam in Spiritum sanctum; quam eam esse docet, cum quispiam non vult credere veritati, quæ habetur per magisterium Spiritus sancti missi ad docendum omnem veritatem. Iudæi ergo, & Pagani nolentes credere prædicatæ veritati Evangelij, blasphemiam sunt in Spiritum sanctum: similiter & Christiani nolentes obedire Spiritus sancti Magisterio. Hæc sunt, quæ antiqui Doctores senserunt de verbo in filium hominis, & de blasphemiam in Spiritum sanctum, & de remissionis, seu veniæ concessione, aut exclusione, quæ varia sunt, ut ex narratis constat. Quid autem in his grauissimis difficultatibus mihi visum sit probabilius, sequentibus annotationibus explicabo, quas ab hac diuisione, ut distinctio claritatem adferat, & tedium lectionis auertat.

phemia in Spiritum sanctum non sunt idem, sed longe diuersa. Omnis quidem blasphemiam in Spiritum sanctum peccatum est in Spiritum sanctum; non tamen omne peccatum in Spiritum sanctum est blasphemiam in Spiritum sanctum. hæc assertio probatur ratione manifesta: peccatum enim, & blasphemiam non sunt idem; igitur nec sunt idem peccatum in Spiritum sanctum, & blasphemiam in Spiritum sanctum. Antecedens huius argumentationis verba Matthæi confirmant. Omne, inquit, peccatum, & blasphemiam remittetur hominibus, distinguuntur igitur peccatum à blasphemiam. confirmat etiam natura vtriusque: nam, ut recte notauit Athanasius de hac ipsa re loquens, in Epist. ad Serap. de blasphemiam in Spiritum sanctum, Peccatum est, cum quispiam legem transgreditur; blasphemiam autem est, cum legislatori Deo detrahit, aut negando quod in eo est, aut imponendo se gerens. & aliquando fit cum quodam contemptu, & iniuria expressa Dei ipsius, seu Saluatoris, Christi: hoc enim est blasphemare: non igitur omnis, qui peccat, blasphematur. Adde communiter Doctores dicere, qui peccat fragilitate, peccare contra Patrem; qui ignorantia, contra filium; qui malitia, contra Spiritum sanctum; & tamen non omnis, qui malitia peccat, blasphematur in Spiritum sanctum: non quod vnum, & idem peccatum non sit contra totam Trinitatem;

tatem; sed diuersimode fit attributio personis ob specialem quandam earum proprietatem. Præterea, qui diuinis spirationibus non acquiescit; qui vocationibus, & prædicationibus veritatis non assentit, dicitur resistere Spiritui sancto. act. 7. Vos Spiritui sancto resistitis: & consequenter peccat, & in Spiritum sanctum peccat; non tamen blasphemare dicitur: sunt enim multa genera peccatorum, quæ dicuntur à Theologis in Spiritum sanctum; quorum multa non habent rationem blasphemiam; non igitur omne peccatum in Spiritum sanctum censeri debet blasphemiam in Spiritum sanctum.

Tertia: Impœnitentia, siue finalis, siue non finalis, non est blasphemiam in Spiritum sanctum, de qua sermo nunc est. ista est opposita Augustini sententiæ, & sequitur ex præcedenti, videturque efficaci argumento confirmari. impœnitentia non est blasphemiam, nec is, quem peccati non poenitet negligentia quadam, blasphemus est; igitur impœnitentia non potest esse blasphemiam in Spiritum sanctum. Adde, omne peccatum committitur ante mortem, dum homo vivit; igitur impœnitentia hæc erit blasphemiam ante obitum: datur ergo peccatum in hoc sæculo, quod irremissibile est. quod Augustinus renuens admittere censuit impœnitentiam non esse blasphemiam, nisi perseueret vsque ad vltimum vitæ: hoc autem efficaci argumento refutatur. Sit homo, qui non facit poenitentiam de peccato suo; vel hoc peccatum est blasphemiam in Spiritum sanctum, vel non: si est, iam datur peccatum, & blasphemiam, cuius poenitere potest: si non est nisi vsque ad vltimum vitæ, occidatur ille homo repente absque vlla culpa, profecto non videtur, quomodo ob hanc occisionem fiat nouum peccatum, quod antea non erat. Adde etiam, quia qui impœnitens est etiam ante mortem, totum id habet malitiæ, quod est in impœnitentia finali; nempe si voluntatem habeat numquam faciendi poenitentiam; & tamen, secundum Augustinum, hoc peccatum non censetur blasphemiam in Spiritum sanctum, nec est irremissibile; quia potest hominem huius poenitere: ergo illa circumstantia finalis non efficit impœnitentiam esse blasphemiam. eadem ratione consequitur non omne peccatum post baptismum esse blasphemiam in Spiritum sanctum, ut dicebat Origenes; nec omnem hæresim; nec omnem schisma, ut dicebat Ambrosius; neque simoniam, ut idem dicebat Ambrosius; neque peccatum, quo temere studiosum vitij nomine appellamus, ut dicebat Basilus; neque fraternæ charitatis inuidentia, ut dicebat Augustinus. Hæc omnia vnicuique argumento efficaci repelluntur; quia talia peccata non sunt blasphemiam; igitur neque blasphemiam in Spiritum sanctum: longe enim diuersum est peccatum, etiam in Spiritum sanctum, à blasphemiam, ut dictum est; Vnde nec omne peccatum in Deum potest esse blasphemiam in Spiritum sanctum, ut dicebat Cyprianus.

Quarta: Non omnis blasphemiam contra Spiritum sanctum est blasphemiam, de qua nunc agitur, & quam Saluator excludit à venia. Hanc assertionem recte approbat Augustinus tract. ij. de Verb. Dom. ex ipsiusque Evangelij verbis ostendit. Admoneo, inquit, ut aduertatis, & intelligatis non dixisse Dominum: omnis blasphemiam Spiritus non remittetur ei; neque dixisse: quodcumque verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei; sed dixisse: Qui dixerit verbum: illud enim si dixisset, nihil nobis remaneret, vnde disputare possemus, quoniam si omnis blasphemiam, & omne verbum, quod dicitur contra Spiritum sanctum, non remittetur hominibus, ex nullo genere impietatis eorum, qui dono Christi, & sanctificationi Ecclesiæ contradicunt, vel Paganorum, vel Iudæorum, vel quorumcumque Hæreti-

corum, nonnullorum etiam in ipsa Ecclesia catholica imperitorum, quemquam in Ecclesia lucraremur: sed absit, ut hoc Dominus diceret; absit inquam, ut veritas dixerit omnem blasphemiam, & omne verbum, quod contra Spiritum sanctum diceretur, non habere remissionem, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Hæc Augustinus. Adde his Patres omnes in hoc eodem consensisse, quorum hi vnum genus blasphemiam, illi aliud; nemo autem catholice loquens omnem blasphemiam in Spiritum sanctum comprehensam esse in hac sententia affirmavit. Omittimus Origenem. & Theognostum, qui omne peccatum post baptismum blasphemiam in Spiritum sanctum dixerunt: hæc enim doctrina non est Catholica, ut supra diximus. Adiunge etiam manifesto argumento conuinc: nam non omnia peccata, etiam post baptismum, sunt blasphemiam: si igitur non omnis blasphemiam, etiã in Spiritum sanctum, ea est, de qua nunc saluator loquitur, inuestigandum est, quæ illa sit; idque sequentibus assertionibus explicatur.

Quinta: blasphemiam illorum Hæreticorum, qui Spiritum sanctum negarunt esse Deum, affirmaruntque creaturam, & seruum esse, non est blasphemiam, quæ nunc à venia excluditur. Hæc est contra sententiam Ambrosij priorum, & contra eam, quam ex Epiphanio recitauimus. In primis talem hæresim esse blasphemiam affirmat Athanasius Epistola ad Serapionem de Spiritu sancto; vbi eam hoc nomine appellat. Ratio etiam ipsa demonstrat: nam qui id dicit, aut sentit, aufert diuinitatem, quæ vere est in Spiritu sancto; imponit etiam seruitutem creaturæ, quæ aliena est à Spiritu sancto; igitur blasphematur etiam in eum: hoc enim est blasphemare; sicque definitur blasphemiam: neque controversia in hoc est. quod vero talis blasphemiam non sit ea, de qua nunc agitur, & contra quam Dominus protulit sententiam, probatur. Primo quidem ad hominem: isti enim Doctores dicunt talem blasphemiam non habere remissionem, aut veniam; cum igitur Ecclesia receperit omnes Macedonianos, & Arianos tali blasphemiam infectos recurrentes ad eam, ac poenitentes, immo talium conversionem procurauit, non videtur eorum blasphemiam esse, de qua nunc agitur: hæc enim, secundum prædictos Doctores, à venia omnino excluditur. Præterea quia non videtur, cur magis hæc blasphemiam excludatur à venia & remissione, quæ ea, quæ est contra filium; ut si quis eum creaturam, & seruum diceret, quod Ariani dixerunt; & quæ eam, quæ est contra Patrem; ut qui negat eum genuisse filium, quod fecit Macedonius: cum enim omnes tres personæ sint æquales, & co-substantiales, non est minor blasphemiam contra vnam, quam contra alteram; si non aliud consideretur, quam persona ipsa. Præterea quia non videtur accommodari opinio hæc contextui Matthæi, & Marcæ: Pharisei enim non negabant Spiritum sanctum, quem Deum esse non ignorabant, non habentes fidem distinctam Trinitatis personarum; nec propter hoc eos blasphemare in Spiritum sanctum. Christus affirmavit; sed quia dicebant eum In Beelzebub demonia eiecerit; & quæ Spiritus sancti virtute fiebant, demonio tribuebant. Non igitur blasphemiam in Spiritum sanctum, de qua nunc est sermo, est illa, qua Hæretici post fidem Trinitatis explicitam, negarunt Spiritus sancti diuinitatem, dicentes esse creaturam.

Sexta: blasphemiam in Spiritum sanctum, quæ à venia nunc excluditur, ea est, qua quispiam ita negat Christum, ut opera, & miracula, quibus eius veritas confirmatur, & virtute humana fieri nequeunt, tribuit demonio; ac virtute fieri affirmat; idque scienter, & ex malitia: quod Ioã. 9. Cæcus ille exprobrauit Phariseis. In hoc enim mirabile est, quod vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos; scimus autem quia Deus pecca-

peccatores non exaudit. arguit illos mendacij dicentes: Nescimus unde sit. Hæc assertio communis est Patrum; in quam consentire plerisque affirmat Ambrosius in commentario. Eam amplectuntur Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Anastasius inter Græcos; inter Latinos autem Hieronymus, & Beda. Probatur autem illo argumento sumpto ex Marco cap. 3. de quo superius diximus: cum enim dixisset blasphemiam in Spiritum sanctum non remittendam, declarans, quæ esset blasphemia hæc, adiunxit: quoniam dicebant: Spiritum immundum habet. In hanc Phariseorum blasphemiam inciderunt multi Pagani, qui Christum, & Discipulos eius Magicis artibus, ac incantationibus miracula fecisse blasphemarunt; quod idem est, ac opera Christi dæmonio adscribere; sicut & Pharisei isti fecerunt, ut recte affirmat Augustinus tract. 2. de verb. Domini. hoc tamen non existimo generaliter affirmandum: nam Pharisei operalia diuinitatis adscriperunt dæmonio, ex malicia, & odio contra Christum scienter; & non ignorantes esse opera Dei: hoc autem est blasphemiam in Spiritum sanctum; quod non omnes Pagani fecerunt: si qui autem sic blasphemarunt, sine dubio in eandem blasphemiam inciderunt. unde turbæ illæ, quæ Ioannis 7. dixerunt Christo: Dæmonium habes, non blasphemarunt in Spiritum sanctum, sed in filium hominis; tum quia non tribuerunt miracula dæmonio; tum quia non nouerant diuinitatis opera; nec malitiose, sed ignoranter id dixerunt.

Hæc recitata blasphemiam in Spiritum sanctum dicitur.

Est autem quæstiuncula vna, cur hæc blasphemiam in Spiritum sanctum dicta sit; ad quam respondeo Christum quidem virtute diuinitatis, quæ communis est toti Trinitati miracula fecisse; unde modo vni, modo alteri personæ tribuuntur: nam Ioan. 14. tribuuntur Patri; Pater in me manens, ipse fecit opera: Ioan. 5. ipsi Filio: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Ioan. 8. Ego testimonium perhibeo de me ipso. Tribuuntur etiam Spiritui sancto, Matth. 12. In Spiritu Dei eicio dæmonia. Luc. 4. Reuerfus est in Galilæam in virtute Spiritus; id est ad miracula faciendi virtute Spiritus sancti. Quamuis autem ita sit; tamen peculiari quadam ratione attribuuntur Spiritui sancto: ea autem est, quia omnia ea opera fiebant, ad sanctificandum homines, ut liberati à peccato, & gratia reconciliati sanctificationem acciperent. inde est, quod baptizatus, qui nomine Trinitatis confertur, datur Spiritui sancto Matth. 3. Baptizabit vos in Spiritu sancto: & promittitur, ac da-

tur Apostolis Spiritus sanctus, ut Euangelium prædicent; & opera in eius confirmationem faciant. Act. 1. Accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientis in vos, & eritis mihi testes: & Spiritus sanctus est, qui mittendus dicitur, Ioan. 15. ut arguat mundum de peccato: & denique, quæ in Ecclesia sunt, Spiritui sancto adscribuntur; quia omnia in hunc scopum aguntur, ut sanctificemur; sanctificatio autem attributa est Spiritui sancto. Hæc igitur est causa, cur dicitur blasphemiam hæc in Spiritum sanctum; quia opera, quæ in hominum sanctificationem fiebant, & ea causa Spiritus sancti erant, adscribebant illi ex malitia dæmonio, & Spiritui immundo, tollentes Spiritui sancto, quod ipsius erat, idque cum opprobrio, & conuitio maximo tribuentes Spiritui immundo, & nequam. Altera huius rei est etiam causa, quæ mihi accommodatissima videtur; nempe cum Deus sit Sanctus, & mundus supra omnem sanctitatem, & munditiam, isti opera Christi, quæ diuinitatis erant, tribuebant Spiritui contrario immundissimo, & ab omni sanctitate alieno: idcirco eorum blasphemiam dicta est in Spiritum sanctum; quia erat contra Dei sanctitatem, & puritatem. hanc causam nobis insinuauit Marcus illis verbis: Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet; significans ideo in Spiritum sanctum blasphemasse, quia contra Dei sanctitatem, & munditiam loquebantur. Adde etiam Christum de Spiritu sancto conceptum esse Matth. 2. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet in te; & quod nascetur ex te Sanctum: qui ergo miracula, & opera eius dæmonio nequam, & immundo imputabat, in Spiritum sanctum particulari quadam ratione blasphemabat. ex hac assertione sequitur, illos qui tormentis negant Christum, seque esse Christianos, non peccare peccatum hoc, ut docte notat Hieronymus Epist. ad Marcellam; eoque probat argumento; quia illi non negant Christum, opera eius tribuendo dæmonio, quod solum est blasphemiam in Spiritum sanctum, de qua nunc agitur. Hinc etiam sequitur, quod si quis opera Dei cognoscens in Christo, nolit credere, & doctrinam refellat, licet mendacem faciat Deum, iuxta illud. 1. Ioan. 5. Qui non accipit testimonium eius, mendacem facit Deum; tamen non est blasphemiam hæc in Spiritum sanctum, si non tribuat dæmonio opera virtutis Dei: de hac enim sola blasphemiam Evangelica verba procedunt. Hæc dicta sint de blasphemiam in Spiritum sanctum.

ANNOTATIO XIX.

Quod sit verbum in filium hominis.

Explicandum consequenter est, quod sit verbum in filium hominis. Ut autem ex ijs, quæ diximus in annotatione, in qua Doctorum sententias retulimus, constat, multi censent, Verbum in hoc loco idem significare, quod blasphemiam; quod autem sit hoc peccatum, varie interpretantur. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum 28. videtur accipere filium hominis generaliter pro quocumque homine; ut id sit dicere verbum in filium hominis, quod peccare in hominem. Cæteri Patres omnes relati filium hominis pro Christo interpretantur, qui sæpissime in Euangelio sic est appellatus. Hilarius citatus omnia peccata putat esse dicta verbum in filium hominis, præter illud, quo Christus negatur esse Deus, quod interpretatur esse peccatum in Spiritum sanctum. Hieronymus autem, & Ambrosius verbum in filium hominis interpretantur illud, quo quispiam propter carnem assumptam remissius de Christo sentit, quale illud, quo blasphemantes Christum dixerunt voracem, vini potatorem, seductorē; etiam non esse Deum, quam sententiam Patres Græci amplectati sunt, Atha-

sius, & Chrysostomus. cætera lege in annotatione citata.

Pro huius difficultatis resolutione sequentes assertiones constituuntur. Prima est, non omne peccatum, excepta blasphemiam in Spiritum sanctum, dicitur peccatum in filium hominis. Hanc assertionem verba Matthæi firmant: Sic enim dicit: Omne peccatum, & blasphemiam remittetur hominibus; blasphemiam autem Spiritus non remittetur: & quicumque dixerit verbum in filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei. quæ sententia hunc sensum aperte habet: Omne peccatum, & blasphemiam, etiam verbum in filium hominis, remittetur hominibus; at blasphemiam in Spiritum sanctum non remittetur eis. si ergo omne peccatum, excepta blasphemiam in Spiritum sanctum, esset verbum in filium hominis, superfluum erat dicere: omne peccatum, & blasphemiam; & postea addere: verbum in filium hominis. Additum igitur est ad notandum speciale quoddam peccati genus, quod non est omne illud peccatum. nec moueat aliquem. quod

quod dictum est, omne peccatum, & omnis blasphemiam remittetur; & postea additur verbum in filium hominis; cum comprehendatur sub priori generalitate: nam etiam sub nomine blasphemiam comprehendebatur blasphemiam in Spiritum Sanctum; & tamen specialis fit mentio blasphemiam in Spiritum Sanctum, & verbi in filium hominis, propter quandam particularem rationem vtriusque peccati: mos enim est Scripturæ post generalitatem exprimere particularem quoddam sub illa comprehendens, propter quandam eminentiam; & speciale illius particularitatis rationem: dicitur enim Marci 16. dicite Discipulis eius, & Petro; cum tamen Petrus discipulus esset: & in titulo Psal. 17. inquit, quæ eripuit eum de manu omnium inimicorum eius; & de manu Saul; & tamen Saul inimicus eius erat: tamen exprimitur propter quandam eminentiam; quia maximus erat inimicus. sunt alia huiusmodi testimonia. licet ergo omne verbum in filium hominis sit peccatum, non tamen omne peccatum, & omnis blasphemiam etiam, præter blasphemiam in Spiritum Sanctum, est peccatum in filium hominis.

Secunda. Nomine filij hominis non quilibet homo, sed Christus significatur, in hac consentiunt omnes Doctores, præter Cyprianum; immo idem Cyprianus in alio loco acquiescit communi interpretationi: fauet etiam ratio: nam perpetuo filius hominis in Euangelio Christum significat. Adde si filius hominis quilibet homo est, non erat cur ab illa generalitate (omne peccatum, & blasphemiam remittetur hominibus) fieret particularis mentio de peccato, seu de verbo in filium hominis: atque hæc ratio efficaciter videtur probare, non quemlibet hominem, sed Christum significatum esse per filium hominis.

Tertia. Verbum in filium hominis est blasphemiam in Christum hominem prolata. ita interpretantur Athanasius loco citato, & Augustinus tract. 2. de verbo Domini, & Victor, & Hieronymus, quos supra retulimus: dicere enim verbum in aliquem est conuitio eum afficere: conuitia ergo iactare in Christi humanitatem, seu in Christum hominem, est blasphemiam in eum. Vnde Athanasius recte dixit duplici blasphemiam in Christum in hac sententia factam esse mentionem: vna est ratione humanitatis, altera ratione Diuinitatis: illa in filium hominis; hæc in Spiritum Sanctum dicta est. Exemplum blasphemiam in filium hominis, ut prædicti Doctores cum alijs citatis affirmant, est illorum, qui Christum seductorem, voracem, vini potatorem, filium fabri, aliaque huiusmodi iactantes dixerunt. Huiusmodi fuit blasphemiam illorum, qui postquam in Cruce Christum conuiijs afficiebant, dicentes; vah qui destruis templum Dei, & in triduo reedificas illud; de quibus dicitur Matth. 27. prætereuntes blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo reedificas illud; salua te metipsum: si filius Dei es, descende Cruce: similiter, & Principes sacerdotum illudentes eum dicebant: Alios saluos fecit, seipsum saluare non potest. Id ipsum improperebant latrones, qui cru-

cifixi erant cum eo. Hæc omnia blasphemiam sunt in filium hominis, quas etiam Pagani in Christum, & eius discipulos protulerunt.

Quarta. Non omnis blasphemiam in Christum hominem est verbum in filium hominis, de quo nunc est sermo; sicut supra diximus, non omnem blasphemiam in Spiritum sanctum esse eam, quæ à venia excluditur in præsentia sententia, sed vtraque coniuncta est cum infidelitate, nempe prolata ab eo, qui in Christum non credit. Hæc assertio explicatur. Contingit inter nos, multos aliqua passione excitatos in Christum, immo in Deum ipsum, blasphemare conuitia proferendo; blasphemiam hæc non est verbum istud in filium hominis. similiter hæretici multos errores contra Christi humanitatem tradiderunt, sicut etiam contra trinitatem personarum; quæ blasphemiam erant in Christum hominem, & in Trinitatem; nec hæc blasphemiam sunt in filium hominis, nec in Spiritum sanctum. illa autem est blasphemiam in filium hominis, quando quispiam prædicatione Christi audita, non solum non credit, aut se non credere profitetur, sed etiam conuitia in eum iactat, aut blasphemias profert, sed dum dicit eum non esse Christum promissum, esse seductorem, & alia similia. talis fuit Paulus, qui 1. Tim. 1. de se ante conuersionem scribens, ait: Blasphemus fui, & contumeliosus, sed ignorans feci in incredulitate. qui autem adhuc opera eius adscribit dæmonio, contra Spiritum Sanctum blasphemiat. Ista sic explicata assertio ex contextu Lucae, & Matthæi, ac Marci confirmari potest. Ex Luca quidem; nam postquam dixit: qui negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis, adiecit hanc sententiam volens significare eos, qui nondum in ipsum credentes blasphemauerint in filium hominis, veniam consequi posse; qui vero in Spiritum sanctum blasphemauerint, ut supra diximus, à venia excludi. hoc idem contextus Marci, & Matthæi ostendunt: Loquebatur enim contra Phariseos, qui suadentes populis, ne Christum reciperent, dicebant in dæmoniorum Principe eum eijcere dæmonia; contra quos iterum prouolit hanc eandem sententiam; ut intelligamus verbum in filium hominis, & in Spiritum Sanctum tunc dici, quado quispiam Christum negat; non autem quando has profert blasphemias vitio quodam, aut passione excitatus; non tamen ex incredulitate. Hinc pater Petrum passionis tempore ter negantem Christum non dixisse verbum in filium hominis, nec blasphemasse: non enim negauit Christum esse Christum, sed negauit se nouisse eum; quæ negatio generalitate peccati significata est; de quo dicitur: Omne peccatum remittetur hominibus. Qui modo etiam inter nos negaret se esse Christianum timore, aut alio affectu, non diceret verbum in filium hominis, quia non blasphemiat, si nihil aliud dicat. Hæc igitur duo, nempe verbum in filium hominis, & in Spiritum Sanctum addunt aliquid aliud simplici abnegationi Christi; idcirco, post prædictam sententiam de negatione, adiecta est ista.

ANNOTATIO XX.

Quid sit remitti verbum in filium hominis, non autem blasphemiam in Spiritum sanctum.

Postquam explicatum est, quid sit verbum in filium hominis, quidque blasphemiam in Spiritum Sanctum, explicandum est quid sit, illud remitti, hanc vero à venia excludi. Vt autem ex Doctoribus supra citatis constat, varia est interpretatio. quidam enim primo loco arbitrantur absolute hanc blasphemiam esse irremissibilem; inter hos sunt Origenes,

Basilius, Epiphanius, Augustinus, qui idcirco impenitentiam finalem interpretatur esse blasphemiam hanc, ne cogatur fateri esse aliquid peccatum in hoc sæculo irremissibile; quod esset, si post commissum peccatum illud, remaneret peccati aliquod vitæ tempus, in quo remitti non posset: impenitentia autem non remittitur, quia post eam commissam non superest tempus

tempus vitæ huius, in quo remittatur. Non sic autem sunt intelligendi Doctores isti, quasi velint dicere non esse remissibile ex parte potestatis Dei; qui remittere non possit; sed ex parte voluntatis eius; quod decreuerit, & voluerit tale peccatum nunquam remittere. Beda autem explicat blasphemiam hanc absolute non remitti; non quod per penitentiam remitti non valeat, sed quod blasphemus, eius demeritis exigentibus, priuatur iis auxilijs, quibus ad penitentiam peruenitur.

Secundo loco Chrysostronus hom. 42. in Matth. existimat hanc blasphemiam remitti per penitentiam, nec venia carere; dictam autem non remitti, quia si conferatur cum priori, quæ est in filium hominis, grauior est, & multo minus remissione digna: & huius causam adfert Chrysostronus, quia Iudæi de filio hominis, propter carnis humilitatem, aliquam poterant ignorantiam prætexere; non autem de Spiritu sancto, cuius opera aperta erant; & de quo Scripturæ testimonia erant manifesta. Victor Antiochenus idem tenet cum Chrysostrono; eandemque adfert causam, cur hoc sit dictum irremissibile; nempe, quia hæc, inquit, blasphemiam in Spiritum sanctum ex se remissionis causam non habet, sicut habet verbum in filium hominis: nam est Christus Deus erat, tamen vulgo tenuis sortis, obscurique generis habebatur. Anastasius quæst. 68. eadem dicit cum Chrysostrono. Ambrosius vero lib. 2. de penit. cap. 4. affirmat omnino blasphemiam hanc, & omne peccatum remitti; quo autem modo nunc dicatur carere remissione, non explicat.

Tercio loco Richardus de Sancto Victore subtiliter explicat: inquit enim hanc blasphemiam esse omnino sine remissione. Sic quidem; quia vel blasphemus agit penitentiam; & tunc remittitur culpa; nihil tamen remittitur illi de plenitudine satisfactionis, & expiationis, quæ remanet faciendæ post culpæ remissionem: vel non agit penitentiam; & tunc nihil remittitur de plenitudine damnationis, & supplicij culpa non remissa. Hæc sunt quæ Doctores sentiunt.

Pro difficultatis igitur dilucidatione sit Assertio prima. Blasphemiam in Spiritum sanctum, & quodcumque peccatum remitti potest hominibus, dum in hoc sæculo viuunt; nec omnino à venia vllus excluditur. hanc teneo cum communiori Doctorum sententia, eamque mihi persuadeo ratione, & auctoritate Scripturæ: ratione quidem multiplici. Primo Christus satisfecit pro omnibus mundi peccatis, igitur nullum peccatum est exclusum à venia, & remissione. Argumento hoc vsus est Ioannes in Epistol. 1. cap. 2. Si quis, inquit, peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi. Hæc ille. Nota generalitatem. Si quis peccauerit, quid est aduocatum habemus? nempe non desperet de venia, & remissione. causam addit, quia Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi: nullum igitur est peccatum, pro quo non sit Christi satisfactio; & pro quo Christus non sit aduocatus: igitur nullum est à venia exclusum. Secundo. Sacramenta baptismi, & penitentiae neminem excludunt, si, vt par est, accedat: si enim blasphemus in Spiritum sanctum accederet baptismi, nemo auerteret repellere: & si post baptismum accederet ad penitentiae Sacramentum, vtique recipiendus esset: nam Sacramenta applicant virtutem Christi: cum igitur virtus, & satisfactio sit pro omnibus, ita & Sacramenta; non ergo est vllum peccatum sine venia. Tertio: si esset peccatum sine venia, & blasphemus remissione careret, igitur liceret illi desperare, immo teneretur desperare, cum Christus illum omnino repulerit; si verum est quod sit pecca-

Asserta ad elucidationem difficultatis.

tum irremissibile: quis autem audeat affirmare licere alicui, immo teneri desperare?

Quarto: in articulo mortis consuevit Ecclesia per Sacerdotes suos, quoscumque signum penitentiae ostendentes absoluerit à quibuscumque, & qualibuscumque peccatis: non ergo blasphemus in Spiritum sanctum simpliciter à remissione & venia excluditur.

Quinto, quia omnes sine vllò discrimine exhortatur Ecclesia ad penitentiam, nec excipit vllum peccatorem. Adde etiam Christum pro crucifixoribus orasse, quorum præcipui erant Pharisei blasphemii in Spiritum sanctum; frustra autem orasset, si eos omnino à venia exclusisset. His rationibus connecti possunt innumeræ auctoritates scripturæ, quæ generalem Dei misericordiam prædicant; & omnibus peccantibus, quantum est ex parte Dei, veniam promittunt. Iohe. 2. dicitur: Deus benignus, & præstabilis super malitia: quomodo esset præstabilis super malitia, si aliquid malitiæ à benignitate, & misericordia esset exclusum. Ezech. 18. Numquid, dicit Deus, voluntatis meæ est mors impij? & non magis, vt conuertatur & viuat? Sapient. 2. Miserearis omnium Domine; & nihil odisti eorum, quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter penitentiam. Sunt sexcenta huiusmodi testimonia: nullum ergo peccatum est, quod à venia excludatur, quodque remedio careat, dum homo viuat. Et in hoc errauit Tertullianus lib. de Pudicitia, existimans aliqua esse peccata irremissibilia, vt paulo inferius dicemus.

Secunda Assertio: Non semper peccata dimittuntur hominibus, etiam ea, quæ non sunt blasphemiam in Spiritum sanctum. hæc assertio est in declarationem præcedentis. peccata autem multa non remitti manifestum est ex multorum damnatione: si enim omnia remitterentur peccata, nemo periret; cum autem multi pereant, necessariū est fieri multa peccata non dimitti, & venia carere. Aduerte igitur longe aliud esse peccatum aliquod, quod Deus remissionis, & veniæ spe priuauerit, quasi decernens, quicumque illud commiserit, non habiturum remissionem; nec vllum esse remedium pro eo: hoc enim nullatenus est, vt diximus in præcedenti assertionem. Aliud autem est Deum non remittere huic, vel illi homini peccata: hoc enim non est, quod Deus peccata talia absolute decreuerit non remittere; sed quod nolit amplius dissimulare huius, vel illius peccata: non enim expectat peccatores ad veniam nisi pro suo beneplacito; sitque vt vnum, & idem peccatum dissimulet magis in vno homine, quam in alio; immo aliquando grauiora, & plura dissimulat in vno homine, quam in altero: tamen singulis præfixit terminum vitæ, in qua penitere valeant, amplius non expectaturus: nec etiam cessat ea adhibere, quibus si homo vellet, veniam consequeretur. non ergo remittit; non quod decreuerit peccata aliqua nullo modo remittere in quocumque; nec quod priuauerit aliquem remedio salutis, si velit; sed quod non semper dissimulet: nam si Deus misericors est, etiam iustus est; & vtraque, tam misericordia, quam iustitia, locum suum habet; & qui misericordia abutuntur, in iustitiam eius incidunt. Quando ergo dicit Matthæus, omne peccatum dimitti; & Lucas etiam verbum in filium hominis dimitti; non est quod de facto omnia peccata semper dimittantur omnibus, sed quod Deus nullum peccatum a venia excluderit, remedioque priuauerit; quantum est ex se.

Tertia assertio. Probabilis est sententia illorum Doctorum, qui affirmant blasphemiam in Spiritum sanctum dictam esse carere venia; quia collatione facta ad priorem, quæ est in filium hominis, minus est digna venia; non autem quod omnino sine venia sit.

fit. Hæc explicatio est Chrysostroni, Victoris, Anastasij, vt iam retulimus: habent enim quædam peccata, velut quandam excusationem, & quasi causam impetrandi veniam, iuxta illud 1. Tim. 1. Ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. hanc habet verbum in Filium hominis, non autem blasphemiam in Spiritum sanctum, licet omne peccatum absolute sit indignum venia, quantum ex se est. cui explanationi possumus & aliam non minus probabilem coniungere, nempe dictam esse non remitti, quia difficilius remittitur, non quidem difficultate ex parte Dei, cui nihil est difficile, sed ex parte hominis; & hoc non propter solam peccati grauitatem, sed quia hoc genus peccati viam sibi claudit, per quam peruenitur ad veniam: via enim veniæ adipiscendæ, est Christum agnoscere, qui per opera Spiritus sancti miranda manifestatur: qui igitur hæc tribuit dæmonio, videtur ianuam claudere Christum recipiendi, & sic se priuare salutis; nec est in Scriptura inuenerat, quæ difficile viat, negatione comprehendi, aut interrogatione, quæ negationi æquipollet. At vero quia verba Saluatoris sunt ita expressa, ac efficacia, vt absolutam negationem significare videantur: inquit enim: non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro; atque ideo grauissimi, & multi Doctores sic interpretati sunt; idcirco possumus aliter dicere.

Sit igitur quarta Assertio. Cum blasphemiam dicitur non remittenda; non agitur de remissione culpæ, sed de pœna, vt idè sit quasi diceret: de ea blasphemiam vltio sumitur in seculo hoc, & futuro. In cuius declarationem aduerte verbum remittendi, seu dimittendi in Scriptura aliquando vsurpari pro relaxatione, & condonatione pœnæ debite delicto; vt idem sit, quod non punire, non vlceri, nec vindictam sumere. Sic accipitur Exod. 32. Aut dimitte noxam populo huic, aut dele me de libro vitæ. Non perebat Moyses remissionem culpæ toti populo, quorum multi non habebant penitentiam; & contritionem, sine qua illa non dimittitur; sed orabat pœnæ condonationem, ne Deus vlceretur; nec morte afficeret populum peccantem. Isa. 2. Incuruauit se, inquit, homo, & humiliatus est vir, ne ergo dimittas eis; id est puni eos, & vltionem sume. Similiter Iohe. 3. In tempore tribulationis peccata dimittis, id est, non vlceris, nec punis; sed ipe parcis. Thre. 3. Occidisti, nec peperisti; idem est, ac si diceret, nec remisisti. Illud etiam Luc. 7. Remittuntur tibi peccata tua, quidam Doctores interpretantur de pœnæ condonatione: nam per fidem, & contritionem erat iam culpa remissa Mariæ illi. Sunt etiam multa alia huiusmodi testimonia. Aduertendum est præterea sapientissime in Scriptura sermone fieri de peccato, aut iustitia secundum merita presentia, & iuxta ea, quæ debentur illis, non habita consideratione ad ea, quæ euenire possunt, hoc exemplis explicatur. Paulo ante dictum est: Qui me negauerit coram hominibus, negabitur coram Angelis. Denique si iste post negationem penitentiam agat; negabitur? absque dubio non negabitur; sed sermo est de eo, quod negationi tali debeat secundum se nec per hoc tollitur, quin negatio per penitentiam remittatur. Rursus dicitur: Qui me confessus fuerit, confitebor ego eum: quid si post confessionem abneget, confitebitur ne Christus hanc? onis sed sermo est de eo, quod confessione secundum se dignum est. Doctrina hæc est Ambrosij Rom. 9. vbi docet multa.

Remittendi verbum quomodo in Scriptura vsurpatum.

Peccatum ad mortem quod dicitur a sancto Ioanne. 1. ep. 5.

dici secundum iustitiam presentem, non ex presentia futurorum. ita nunc Christus loquitur de blasphemiam in Spiritum sanctum, de qua comminatur vindictam sumendam, & temporalem in hoc seculo, & æternam in futuro; quæ intelligenda sunt secundum statum presentem, quod si postea blasphemus penitentiam agat, remittetur quidem blasphemiam, nec vltio erit. Christus tamen loquitur de peccato secundum statum presentem, vt in exemplis allegatis: sicque factum est cum Phariseis illis, quorum peccatum & blasphemiam, quia in ea perseuerarunt, punita est temporaliter pœna, & æternaliter per parabolam significauit Dominus dicens: Malos male perdet: per Romanos enim cladibus immensis afflicti sunt, & alijs multis miserijs contriti, etiam ante Romanorum exercitum; & tandem damnati: sicque fiet cum ijs, qui similem blasphemiam commiserint, qui & temporaliter, & æternaliter punientur ex debito blasphemiam, verbo Christi sic significante, nisi se correxerint. Iuxta hæc intelligentiam etiã explicatur quod dictum est de verbo in Filium hominis, & de quocumque alio peccato, quod remittendum dicitur, id est, non puniendum in hoc seculo: cum enim absolute dicitur, remittetur, nec additur in hoc seculo, & in futuro, intelligitur de hoc seculo. Est ergo discrimen inter blasphemiam, & alia peccata, & verbum in Filium hominis: illam enim decreuit Deus punire, & in hoc seculo, & in futuro; illa vero alia non decreuit punire in hoc seculo, etiam si non sit penitentia, sed reseruata sunt puniendi in futuro, non quod aliquando Deus non puniat peccata alia etiam temporaliter in multis peccantibus, sit enim hoc sæpe, sed quod Deus non decreuerit punire hæc peccata secundum se in quocumque peccante: nam quæ punit in quibusdam, in alijs non punit; blasphemiam vero in Spiritum sanctum semper punit non in seculo hoc tantum, sed etiam in alio. quæ omnia intelligenda sunt secundum peccatum statum presentem: nec per hæc tollitur, quin per penitentiam omnia remittantur, etiã blasphemiam; & in hoc, & in futuro seculo. Hæc sunt, quæ videtur mihi probabiliora, & Scripturis accommodatiora: cui interpretationi consentire videtur Isidorus Pelusiota lib. 1. Epistol. 59. sic enim habet: Quicumque dixerit verbum blasphemum in Filium hominis, non iudicatur. Nota verbum, non iudicatur: sic enim interpretatur verbum illud, remittetur; & paulo inferius: Homines, inquit, puritate præditus vltio Diuini iudicij non denunciat: vbi illud, non remittetur, interpretatur vltionem. Chrysostronus etiam hom. 42. in Matth. hoc verbum, non remittetur, interpretatur exemplo vltionis, quam fecit Deus per Romanos contra Iudæos blasphemantes. Idem etiam Chrysostronus hom. 3. in 1. Epistol. ad Tim. interpretatur verba Pauli: blasphemus sit, & misericordiam consequens sum, quod idem est cum eo, quod nunc dicitur, remittetur; interpretatur, inquit, quia non fuit affectus pœnæ, nec vltio de eo sumpta: quod nostræ expositioni consentit. Hieronimus etiam lib. 9. in Leu. interpretatur Christum, cum dixit blasphemiam in Spiritum sanctum non remitti, legi se conformasse, quæ blasphemus, morte afficiebat; idem ergo est non remittere, ac punire, & vltionem sumere; contra vero, remittere. Hec dixerim, vt ostendam hanc expositionem non carere etiam Patrum testimonio.

A N N O T A T I O XXI.

Augustinus blasphemiam in Spiritum sanctum interpretatur eam esse, qua quispiam veritatem agnitam impugnat odio fraternæ charitatis, vt supra explicuimus. Est igitur inuestigandum, quod sit peccatum ad mortem: nam Ioannes duo genera peccatorum distinguit, quædam non ad mortem. In hac parte varia Doctores antiqui scripserunt.

Primo loco Orig. hom. 12. in Exo. dicit, quaedam peccata esse, quae inducunt in interitum, & ad gehennam protrahunt; quaedam, quae non inducunt ad interitum, sed faciunt damnum, de quibus dicitur 1. Cor. 3. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse vero saluus erit; sic tamen, quasi per ignem. Videtur Origenes, quae nos mortalia peccata dicimus, interpretari peccata ad mortem; quae vero nos dicimus venialia, peccata non ad mortem. Quamuis arbitretur mentem Originis hanc non esse; sed quae nos mortalia appellamus, ipsum distinguere in ea, quae sunt ad mortem.

Secundo loco Tertullianus lib. de Pudicitia, peccatum ad mortem interpretatur illud, quod est irremissibile; putat enim multa esse peccata, quae in hoc seculo irremissibilia sunt, nec possunt per penitentiam habere veniam, inter quae numerat moechiam post baptismum; quae autem remissibilia sunt, etiam si mortalia, peccata non ad mortem dicta esse interpretatur.

Tertio loco Ambrosius lib. 1. de Penitentia c. 9. leuiora peccata dicit esse non ad mortem, pro quibus cuiuslibet de populo orare pro aliis conceditur, grauiora autem dici ad mortem, pro quibus docet Ioannes non concedi quibuslibet orare, sed iustis, & Deo charis, ac perfectis, sicut Moyses, Ieremias, Stephanus, & similes orarunt pro aliorum peccatis. quid autem per leuiora peccata intelligat; an nempe, quae communiter venialia, an mortalia, quae aliorum collatione leuiora sunt, ipse non explicat; unde ipse mens plane non est aperta; hoc tamen ipse fatetur, neutrum peccatum esse irremissibile.

Quarto loco Augustinus lib. de correctione, & gratia, cap. 12. existimat peccatum ad mortem esse id peccatum mortale, quod vsque ad mortem continuatur, in eoq; moritur; verba ipsius sunt haec: de peccato ad mortem, quonia non est expressum, possunt multa, & diuersa sentiri; ego autem dico id esse peccatum ad mortem, fidem, quae per dilectionem operatur, deserere vsque ad mortem. in eadem sententia est Greg. lib. 26. moral. cap. 28. Peccatum, inquit, vsque ad inferos ducitur, quod ante finem vitae praesentis per correctionem, ac penitentiam non emendatur; de quo peccato per Ioannem dicitur. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis; peccatum namq; ad mortem, est peccatum vsq; ad mortem; quia peccatum, quod hic non corrigitur, eius venia frustra postulatur. Hec ille, qui de hoc eodem peccato interpretatur verba illa Iob 24. Vsque ad inferos peccatum illius.

Quinto loco Hierony. in illud Iere. 14. Noli orare pro populo isto; locum Ioan. allegans videtur peccatum ad mortem interpretari illud, quod Deus punire decreuit: Qui enim, inquit, semel gladio, fami, & pesti fuerit destinatus, nullis precibus erui potest; unde & Propheta dicitur: Ne frustra roget, quod impetrare non potest. Hec ille. Inter hos doctores solus Augustinus expresse affirmat peccatum ad mortem esse blasphemiam in Spiritum sanctum.

Pro rei huius declaratione fit prima assertio: Peccatum ad mortem est illud, quod peccans negligit, seu non curat penitentiam delere; qui ergo peccat, & penitentiam nulla dat signa, nec quae ad salutem faciunt, exhibet, sed, aut in voluntate peccandi permanet, aut commissam peccata mortalia non emendat, ad mortem peccat, non quia veniam impetrare nequeat, & per penitentiam conuertit, sed quod quantum est ex parte sic peccantis, in damnationem, & mortem tendat; contra vero, qui post peccatum, quantumcumq; sit, ad penitentiam recurrit, eius peccatum non ad mortem est, non quod non sit mortale, sed quod ex parte sic peccantis ad vitam tendat, cum remedium penitentiae exhibeat, sine qua peccatum est ad mortem, nec veniam habet. Ista explicatio est Oecumenij in commentario Epistolae huius, ubi sic dicit: Solum hoc peccatum ad mortem

est, quod penitentiam non respicit; & paulo inferius: Illi etiam peccant ad mortem, qui iniuriarum sunt memores; neque enim hi respiscendo conuertuntur, iniuriam memoriam retinentes, & seruantes aduersus proximum. Vbi nota duo genera peccantium ad mortem, & illorum, quos commissi peccati non penitet, & eorum, qui in voluntate, & proposito peccandi permanent; hi enim impenitentes sunt. eodem modo videtur explicare Hieronymus loco allegato Iere. 14. allegatis enim verbis Ioannis, adiungit: Ieiunia, & preces, & victimae, & holocausta tunc proficiunt, cum recedimus a vitis, & flemus antiqua peccata; sin autem in sceleribus permanentes putauerimus votis, & sacrificiis redimere nos, vehementer erramus, iniquum arbitantes Deum. Hec ille. Idem videtur sentire Gregor. lib. 6. in lib. Reg. c. 2. ubi sic habet: Corrigibilia peccata portantur, quia postquam a delinquentis voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt; non autem portantur peccata eorum, in quorum mentibus per impenitentiam inuiserata sunt; unde & Ioannes ait: Est peccatum ad mortem, ne pro illo roget quis; peccatum quippe ad mortem est, quod ab eo committitur, qui respicere nunquam potest; quod nimirum peccatum a praepositis non portatur, quia sacerdotum orationibus, aut oblationibus non deletur. Hec ille. Peccatum ergo, quod penitentia non deletur, ad mortem est, quia ad mortem tendit aeternam, cum remedium necessarium non adhibeatur; unde Ioannes post illam sententiam adiecit: Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem, id est, omnis legis transgressio peccatum est, & potest esse ad mortem, nimirum, nisi penitentiae remedium adsit. Graeca, & Hieronymus legunt, Et non est ad mortem, nimirum quia remedio non caret, cum penitentia deleri valeat, qua adhibita, non est ad mortem.

Secunda assertio: Ioannes non prohibet rogandum pro peccante ad mortem; sed non promittit certam exauditionem, quam dederat oranti pro peccante non ad mortem. Verba Ioannis sunt haec: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis. quibus verbis Ioannem prohibere orationem pro peccatis ad mortem, existimant Tertullianus lib. de Pudicitia, Hieronymus Hierem. 14. Augustinus lib. 2. de sermo. Domini in monte cap. 43. & Oecumenius, adiungens, qui sic oraret, male oraret; quia peteret pro impenitentibus veniam, quae sine penitentia non datur. Nos autem existimamus verba Ioannis non habere hunc sensum: si enim intendisset vetare preces fidelium, & iustorum pro peccantibus ad mortem, vitae dicendum esset, non roget quis, aut sic, dico, ut non roget: si enim sic dixisset, sine dubio rogationem talem prohibuisset; at neutro modo locutus est, sed habet sic: Non dico ut roget quis, & tunc est sensus, dixi ut pro peccante non ad mortem fideles fratres rogent, quia impetrabant a Deo vitam illi peccanti; at pro peccante ad mortem non dico, ut roget; id est, non sic promitto per talem orationem impetrandam vitam, nec eam certitudinem facio oranti pro hoc, quam feci roganti pro illo. Grego. lib. 6. in lib. Reg. vii. citatum est paulo ante, legit, Pro eo ne roget quis; sed aliter Graeca, & Latina exemplaria legunt, nepe, non dico ut roget quis. Similis phrasia est in eodem Ioanne Euangelista c. 16. ubi Christus inquit: Non dico vobis quod ego rogabo Patrem; non negat Christus se oraturum, nec excludit petitiones suas apud Patrem, ut recte notat Cyrill. lib. 11. in Ioan. c. 9. si enim eas excluderet, diceret, Dico vobis, non rogabo Patrem; excludit autem necessitatem; id est, non est necessarium, ut ego rogem, ut interpretatur Hilarius lib. 6. Trinit. sic etiam in praesenti dictum est, quod autem non prohibeatur orationes tales absolute, exempla ostendunt: nam Christus in cruce pro impenitentibus occisoribus oravit, dicens: Ignosce illis,

illis, quia nesciunt, quid faciant: & Stephanus oravit pro lapidantibus, immo impetravit pro Paulo, & Ieremias cap. 14. quando audiuit: Noli orare pro populo, non reprehensus est, quia orauerat; licet ergo orare pro impenitentibus, & in proposito peccandi perseverantibus; non tamen habemus eam certitudinem exauditionis, quae habetur pro penitentibus peccatoribus; non autem orandum est, ut Deus sic impenitentibus dimittat peccata: tunc enim mala esset oratio, ut dicit Oecumenius, sed orandum est,

ANNOTATIO XXII.

Altera dubitatio est, an blasphemia in Spiritum sanctum sit illud peccatum in Deum, de quo 1. Reg. 2. dicitur: Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Cyprianus lib. 3. ad Quirin. num. 28. visus est putasse hoc esse verbum in Spiritum sanctum, ut supra diximus. Oportet ergo locum hunc prius explicare, & antequam ad sensum inuestigandum veniamus, notandum est variam esse lectionem: quidam enim legunt, si peccauerit homo in hominem, orabit pro eo Dominum, seu ad Dominum, ita Ambrosius lib. 1. de penitentia, & Cyprianus de exhort. ad Martyr. cap. 4. & lib. 3. ad Quirin. num. 28. sic enim legunt Septuaginta interpretes, (licet Cyprianus lib. de Aleatoribus legat, orabitur pro eo ad Dominum) in posteriori autem parte legunt etiam: Quis orabit pro eo? Quidam Recentiores legunt loco illius, rogabunt, seu orabunt pro eo Dominum (iudicabit Deus,) Alij, (iudicabunt Iudices) in altera autem parte, quis orabit pro eo, legunt (quis iudicabit, aut quis disceptabit pro eo?) Vulgatus autem noster legit. Si vir in virum peccauerit, placari ei potest Deus; si autem peccauerit in Deum, quis orabit pro eo? Sic habent Hieronymus in quatuor. Hebr. in lib. Reg. & Gregor. lib. 1. in lib. Reg. cap. 2. Varietas autem lectionum processit ex eo, quod verbum Hebraeum חַיַּיִם significat idem quod placare, orare seu iudicare; hinc quidam vnam, quidam alteram significationem amplexus est. Noster autem interpretes in prima parte secutus est significationem placandi, in altera orandi: nam vertit placari potest Deus, & quis orabit pro eo? In Hebraeo enim vnum est utrobique verbum; nos in praesenti versionem vulgatam interpretamur, quae coincidit quodammodo cum ea, quae est Septuaginta interpretum, ut statim ostendemus. Hoc supposito, quod ad sensum spectat, inuestigandum est, quod sit peccatum in hominem, & quod in Deum. & quae sit ratio diuersitatis huius, quod pro illo placatur Deus, pro hoc autem dicitur, quis orabit pro eo? quouo modo ista sunt intelligenda.

Aduerte ergo, sicut duo sunt praceptorum genera, quaedam quae respiciunt, & continent ea, quae erga Dominum immediate agenda sunt, qualia sunt, quae dicuntur praepcepta primae tabulae; vnum nempe Deum colendum, Sabbata sanctificanda, non esse vane, nec falso iurandum; quaedam vero dicta secundae tabulae, quae erga proximum versantur, ut, non occides, non furaberis, ita sunt etiam duo peccatorum genera: quae enim sunt contra priora praepcepta, dicuntur peccata in Deum; quae autem contra posteriora, peccata in hominem, non quod ista non sint etiam in Deum, cum sint contra praepcepta eius, sed quod non immediate sint contra eum, cum versentur erga homines: aliud enim est Deum offendere in se, aliud autem eum offendere in alio. Dubium igitur est, an sit sermo in praesenti sententia de quocumque peccato in Deum: Cyprianus enim lib. de exhort.

ut Deus eorum corda ad penitentiam conuertat, ut furori, & vindictae suae parcat. Cum ergo venia petitur pro illis, intelligitur mediis debitis praestanda. Tertia assertio: Non sunt idem blasphemia in Spiritum sanctum, & peccatum ad mortem. Hae satis manifesta est ex praecedentibus, cum omne peccatum mortale, etiam ipsa blasphemia in Spiritum sanctum, nisi penitentiae remedia adhibeantur, sit peccatum ad mortem, si vero adhibeantur, sint non ad mortem. Hae breuiter dicta sint de hac sententia.

ad Martyr. cap. 4. interpretatur hoc peccatum in Deum, esse idolatriam, idemque videtur sentire Hieronymus, qui hoc peccatum exponens, ait, id esse recedere a cultu Dei, & impietatem. Gregorius autem hoc peccatum interpretatur esse illud, quod Iudaei commiserunt contra Christum, ipsum illum occidendo, & persequendo, quod dicitur in Deum, quia Christus Deus erat.

Pro explicatione huius, & totius sententiae elucidatione fit prima assertio. Peccatum in Deum, de quo in posita sententia sermo est, non tantum est idolatria, aut recessus a cultu Diuino, sed quocumque peccatum, quod immediate in Deum committitur, qualia sunt peccata contra praepcepta primae tabulae, siue sint idolatria, infidelitas, periurium, violatio sabbatorum, & alia similia, quae non erga homines, sed erga Deum immediate versantur: haec enim omnia sunt peccata contra Deum; idq; ex ipsa sententia deducitur: nam distinguit peccata, nempe hominis, & in hominem, & in Deum, quasi ea omnia, quae in hominem non sunt, censentur in Deum; contextus etiam ipse id indicat: ibi enim Heli aduersus peccantes filios suos, id prouult, quorum peccatum non erat idololatria, nec recessus a cultu Dei, sed quod impedimentum adferebant Diuino cultui, ea facientes, quibus homines remouebantur ab oblationibus, & sacrificijs Deo faciendis.

Secunda. Peccatum in Deum ex genere, & natura sua grauius est, quam peccatum in hominem: ratio huius est, quia in peccato in Deum inest maior iniuria, maiorque contemptus, quam in peccato in hominem; dixi autem ex genere suo; quia aliunde fieri potest, ut aliquod peccatum in Deum sit minus graue, quam in hominem: iuramentum enim vanum, aut etiam falsum inconsiderate prolatum, minus est graue, quam homicidium.

Tertia: Cum de peccato in Deum dicitur: quis orabit pro eo? non significatur id peccatum carere remissione & venia; sed quod collatione prioris, quod est hominis in hominem, difficilius est remissio, & veniae impetratio; ista est Hieronymi loco allegato: Non, inquit, eo modo in virum, quo in Deum peccatur, quia in virum peccare, quaecumque peccatum est, leuiorq; remissio; in Deum vero peccare, id est, ab eius cultu recedere, impietatis peccatum est, difficiliusq; remissio. Hec ille. ubi nota ex Hieron. peccatum in Deum grauius esse, quam in hominem, ut in praecedenti assertionem dictum est.

Quarta: Cum dicitur, quis orabit pro peccante in Deum, non excluditur oratio omnis, cum homo etiam oret pro peccante in Deum. ista est Ambrosij lib. 1. de penit. c. 8. ubi hunc locum explicans contra Nouatianum, dicit hac interrogatione, quis orabit? non significari neminem, sed rarum esse, qui oret pro eis, qui in Deum peccant, quia oratio haec est hominum multum iustorum, & insignium, & in signum, & charissimorum: tales enim exaudiuntur pro peccantibus in Deum: mihi autem non videtur satis accommodata doctrina: nam orant omnes fideles, etiam imperfecti, pro infidelibus.

Explicatur locus 1. Reg. 2. cap.

Sicut duo praepceptorum genera, ita etiam duo genera peccatorum.

bus Hæreticis, & aliis peccantibus in Deum, Sensus igitur huius sententiæ mihi is videtur; quando quispiam peccat in proximum, facilius placatur Deus, quia proximus offensus placatus orat Deum pro offedente, & peccante in Deum, multumque valet oratio proximi remittertis apud Deum: si enim homo remittit, in quem peccatum est, Deus, cuius misericordia maior est, non patitur quodammodo ab homine superari, sed remittit etiam; at cum in Deum peccatur, non est homo sic offensus, qui intercedat; & hoc est, quod dicitur, quis orabit pro eo? non quod nemo oret; sed quod non sit, qui oret, tamquam qui remittat, quod in se peccatum est, suoque exemplo inducat quodammodo Deum ad remittendum: remissio enim hominis est argumentum efficacis apud Deum remittendi etiam, quod suum est: ideo ex hac parte difficilius est remissio peccati in Deum, quam peccati in hominem: exemplum habemus in Job, cuius amicis in eum peccantibus Deus non remittit, nisi orante pro eis Job ipso.

Quinta: Non satis est remissio hominis ad remissionem peccantis in hominem, sed etiam necessaria remissio Dei, hæc ex ijs, quæ dicta sunt, patet: qui

A N N O T A T I O X X I I I.

Vltimo loco connectenda est sententia ista cum præcedenti, in cuius gratiam notandum est cum Augustino tract. 11. de verb. Dom. hanc sententiam bis à Domino prolata, semel quando Pharisæi opera eius calumniantes dixerunt: In Beelzebub eicit dæmonia, quibus post multa respondit: Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; & qui dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei: qui vero dixerit verbum, seu blasphemauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei: neque in hoc seculo, neque in futuro. Quod quidem Matthæus cap. 12. & Marcus cap. 3. referunt. Iterum eandem sententiam pronunciauit, cum Discipulis loquens, quibus dixerat, qui me negauerit coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei, statim adiecit prædictam sententiam: idque solus Lucas refert. Inuestigandum igitur est, quo modo connectatur tam apud illos, quam apud nostrum Euangelistam, cum præcedentibus. Et quidem quod ad nostrum Euangelistam: Lucam spectat, Augustinus in prædicto loco sic connectit: Cum dictum esset, qui me negauerit, negabitur; ne Petri salus, qui eum renegaturus erat coram hominibus, desperaretur, idcirco subiunxit: Qui dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei: at qui blasphemauerit in Spiritum sanctum per impietatem, non remittetur ei. Petrus ergo licet dixerit verbum in Filium hominis, non tamen blasphemauit in Spiritum sanctum, quia egit penitentiam. Sic Augustinus connectit Lucæ sententiam. lib. autem 1. de sermone Domini in monte, cap. 44. quæ apud Matthæum, & Marcum dicta sunt, sic coniunxit cum antecedentibus: Cum Pharisæi calumniarentur Christum in Beelzebub eicere dæmonia, adiecit sententiam hanc, præmonens, ne talia dicerent post baptismum, quia esset blasphemia in Spiritum sanctum irremissibilis, quæ nunc ante baptismum in Filium hominis est, & remissionem habet: putat enim August. in eo loco non esse blasphemiam in Spiritum sanctum, nisi post baptismum, ut supra diximus; Pharisæosque illos non blasphemasse in Spiritum sanctum. Epiphanius autem hæres. 54. aliter connectit, & præcipue quæ apud Matthæum, & Marcum sunt, licet hæc etiam accommodentur ijs, quæ à Luca dicuntur, inquit ergo: Volens Do-

enim in hominem peccat, Deum etiam offendit; cuius legem transgreditur; idcirco etiam hominem offenso remittente, necessaria est remissio Dei, quæ non habetur sine penitentia: Vnde etiam si homo remittat, si non penitet eum, qui in hominem peccauit, non habet remissionem à Deo. Ita docet Anastasius in quæstionibus suis, quæst. 76. ubi hunc locum explicat, & doctrinam istam exemplo confirmat Mariæ sororis Moyse, cui non est ante remissum peccatum in Moysem, quam penitentiam ageret, & extra castra ad tempus expelleretur. Ex his omnibus consequitur, non esse idem peccatum in Deum; & blasphemiam hanc in Spiritum sanctum. Omnis quidem blasphemia in Spiritum sanctum, est peccatum in Deum; tamen non omne peccatum in Deum est blasphemia in Spiritum sanctum. Sicut non omne peccatum in hominem est peccatum in Filium hominis; omne tamen peccatum, seu verbum in Filium hominis quodammodo est in hominem, quia Christus homo est. dico quodammodo, quia non est omnino idem: nam Christus Deus est, & homo.

minus munire salutem eorum, qui aliquando in ipsum maledicta iecissent, & ut ad penitentiam reflecterentur, ne decerneret in ijs condemnationem, hunc sermonem præuaticinatur propter excellentem mansuetudinem, ac benignitatem erga homines; & eo quod nosset futurum, ut aliqui insurgerent, & blasphemarent Spiritum sanctum, & serui locum ipsi decernerent, & creatum, ac alienum ab essentia Dei affirmarent; quapropter muniens dicit: Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum non remittetur ipsi, neque hic, neque in futuro seculo. Non laudans blasphemantes ipsum, hoc dicit, sed suam prænotionem, ac benignitatem ostendens, qui certos facit eos, qui à blasphemia eius penitentiam agunt. Hæc ille. Ex quibus constat non solum connexionis ratio, sed etiam ad mentem Epiphanijs Pharisæos blasphemantes in principe dæmoniorum eicere dæmonia, non blasphemasse in Spiritum sanctum, quia non affirmabant Spiritum sanctum esse creaturam, & seruum; & quia omnia hæc de ijs, quæ vetera erant, prædicta sunt à Christo.

In primis connectio Augustini non videtur accommodata, tum quia Petrus, quando Christum negauit, non dixit verbum in Filium hominis: ut enim diximus, verbum in Filium hominis est blasphemia; at nemo affirmabit Petrum blasphemasse in Christum: non enim ipsum conuicio affecit, nec negauit esse Christum, fidem eius abiicit, sed negauit se nouisse eum, quod quamuis fuerit graue peccatum, non tamen fuit blasphemia, & consequenter nec verbum in Filium hominis: non igitur connectitur ista sententia cum præcedenti propter Petrum. Adde Christum non tantum dixisse, qui me negauerit, negabitur, sed etiam, qui me fuerit confessus, confitebor eum ego, vnde non poterat ex negatione desperare salutem, cum liberum ei esset iterum confiteri. Præterea, quia ut supra diximus per illa verba, qui me negauerit, negabitur, non excluditur penitentia, sed loquitur Christus de negatione ipsa secundum itatum præsentem. Demum cum blasphemia in Spiritum sanctum non sit illa impietas finalis, ut arbitratus est Augustinus, illa etiam posterior pars non connectitur cum præcedenti propter Petrum, quem negasse penituit. Connectio autem Epiphanijs non est accommodata: non enim blasphemia in Spiritum sanctum est

est negare Spiritum sanctum esse Deum, ut supra diximus: Vnde sententia hæc non est propheta, & prædictio eorum, qui in eam hæresim lapsuri erant. Ea igitur connectio, quæ in commentario posita est, visa est mihi legitima: nam, cum de ijs, qui fide suscepta eum negaturi erant, Christus locutus esset, consequenter adiecit sermones de ijs, qui non dum

in eum credentes, eius audita prædicatione, eum conuicij affecerant, aut affecturi erant & de ijs, qui in Spiritum sanctum blasphemauerant, aut blasphematuri erant, illorumque peccatum remissionem habere, horum vero venia carere docuit, ut in antecedentibus explicatum est. connectio autem apud ceteros Euangelistas facilius est, nec est nostri instituti.

Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis.

C O M M E N T A R I A.

Quarto argumento consolatur, & confortat Discipulos, quibus predixerat persecutionem, & mortem ipsis inferendam: id autem est; cum in Synagogas Iudæorum, aut ad Magistratus, & potestates trahemini, ut de doctrina vestra rationem reddatis, ne solliciti, id est anxij sitis, quid, & qualiter respondeatis, id est, de rebus, & de verbis, quæ respondere debeatis, nec etiam de ijs, quæ non interrogati, dicenda a vobis sunt. Vult Christus discipulos in conspectu persecutorum positos, & ad eorum tribunalia tractos, non fidere suis viribus, aut ingenio, nec occupari multum in cogitatione anxiorum, qua solent homines multum affligi, & perturbari, maxime in conspectu Principum, aut multitudinis, & præcipue cum iudicium exercetur, & maxime ab inimicis, & persecutoribus, sed oculos mentis in ipsum erigere, cuius doctrinam tradunt, & prædicant, & ab eo expectare defensionem; quod quidem magno solatio est ijs maxime, qui idiotæ tunc erant, & simplices, & ante Spiritus sancti aduentum. Synagoga Iudæorum est; Magistratus autem, & Potestates etiam gentium. Est autem Magistratus subordinatus Potestati, quæ superior est, & Principes, ac Reges complectitur.

Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.

C O M M E N T A R I A.

Cum non debeant solliciti esse, causam adiungit, promittens Spiritum sanctum, qui eo ipso tempore, quo in iudicium adducentur, docebit, & suggeret omnia, quæ eos dicere, tam respondendo, quam loquendo, tunc oporteat.

A N N O T A T I O X X I I I I.

Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 28. hanc sententiam exponens, dicit huius præcepti Domini quoddam in Balaam præcessisse exemplum, qui cum ad maledicendum populo à Balac Rege accersitus esset, respondit se non alud dicturum, aut pronunciaturum, nisi quod Dei spiritus illa hora suggereret; quod & fecit: nam loco maledictionis impertitus est benedictionem, ut habetur Num. 22. Verba Tertulliani sunt: Perductos ad potestates prohibet ad interrogationem cogitare de responsione. Sanctus, inquit, Spiritus docebit vos ipsa hora quid eloqui debeatis. Si eiusmodi documentum Creato-

ris est, eius erit & præceptum, cuius præcessit exemplum. Balaam propheta in Arithmis accersitus à Balac rege ad maledicendum Israel, cum quo prælium inibat, simul Spiritu implebatur, non ad quam venerat maledictionem, sed, quam illi ipsa hora spiritus suggererat, benedictionem pronuntiabat: ante professus apud Nuncios Regis, mox etiam apud ipsum, id se pronunciaturum, quod Deus ori eius indidisset. Hæc illæ. Eandem sententiam refert Matthæus cap. 10. sed alio tempore dictam à Christo.

Ait autem ei quidam de turba: Magister dic fratri meo, ut diuidat mecum hereditatem.

C O M M E N T A R I A.

Dum hæc loqueretur, quidam de turba magis terrenis bonis, quam spiritualibus, & æternis intentus, Christum interpellat, non tam rogans, quam officij eius munus, ut ipse arbitrabatur, exoptulans. Habebat hic substantiam, & hereditatem vna cum fratre communem, & indiuisam, cuius portionem sibi a fratre id recusante dari volebat, petit ergo Christum, ut sua auctoritate fratrem ad eam secum diuidendam compellat.

De homine hoc, quem Lucas refert, notata ab Augustino.

Solus Lucas meminit huius historiae. An autem hac continua sint precedentibus, non est omnino certum, probabilius autem est coniuncta fuisse, ut dum loqueretur Christus, quae dicta sunt; ad Discipulos, iste de turba eum interpellauerit. Quod autem ad rem spectat, Augustinus ser. 196. de tempore, nonnulla de hoc homine notat. Primo quidem, eum bonam causam egisse: nam fratrem habebat inimicum, qui totum patrimonium abstulerat, & fratri suo partem non reddebat; iusta ergo, & bona causa erat: non enim rapere aliena, sed sua a parentibus derelicta querebat. Secundo, venisse ad Christum tanquam ad iudicem, & quidem iustum, & magnum, quem a fratre corruptum primum non posse credebat, maximaque esset auctoritatis, qua id efficere posset. Tertio, venisse ad Christum, quia forsitan frater iudices, cum dignior esset, & raptor, muneribus corrumpebat: natus ergo occasionem hanc loquendi cum Christo, ipsum interpellauit verbis propositis. Ex his tribus primis, & tertium probabiliter dicuntur; secun-

At ille dixit ei: Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?

COMMENTARIA.

Respondit Dominus detrectando haereditatem diuidere; non autem expresse negat se velle facere, quod petebatur, sed tacite, causam exponendo cur id facere non debebat; quis, inquit, me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? responsio est ad mentem hominis petentis: exposulabat enim hic operam Christi, quasi id esset muneris, & officij eius, sicut esse solet aliorum hominum, qui potestatis, quam receperunt, tenentur officia exercere. inquit ergo Christus, non sum ego deputatus iudex, aut diuisor super vos, ut tu existimas, quasi mihi incumbat sic iudicare petentes; non ergo est, cur id a me tu exposules. Non autem vsus est absoluta negatione, nempe, non sum constitutus iudex, ne absolute a se reijceret potestatem iudicandi, sed interrogat, tum ut se ad mentem hominis respondere significet, tum etiam ut ipsum quodammodo reprehendat, qui postpositis ijs, quae a Christo petenda praecipue erant, ea quaeat, quae minima sunt, quaeque ad Christum non spectant, qualiter ille putabat, Christi potestate abuti volens. Quod autem dicitur: Homo, phrasis Hebraea est, qua solent uti Hebraei, ut sermonem se dirigere ad eum, cum quo loquuntur, indicent, eumque ad audiendum excitent. Iudex autem, & diuisor differunt: iudex enim est, qui potestatem habet ordinariam, & communem iudicandi, diuisor est, cui executio diuidendi a iudice tradita est. Possumus etiam diuisorem intelligere Arbitrum.

ANNOTATIO XXVI.

Quod ad verba spectat, illud, Homo, in casu vocandi est, & ut diximus in commentario, phrasis est Hebraea, qua, qui cum personis familiaribus, & communibus loquuntur, uti solent, sicut qui sermonem habent cum maioribus, vtuntur nomine, Domine, ut eos, quibus cum loquuntur, ad percipienda, quae dicuntur, exhortentur, & excitent. Luc. 7. Homo, remittantur tibi peccata tua. & Luc. 22, o homo, non sum. Augustin. ser. 196. sic interpretatur in hoc loco, inquit sic: Homo, ait, qui pro magno habes istam haereditatem, quid es, nisi homo? volebat illum facere plus, quam est homo. Quid plus volebat illum facere, cui volebat auaritiam tollere? ego dixi, Dij estis, ecce quid eum volebat facere, inter Deos numerare, qui auaritiam non habent. Haec ille. Sed ista spiritualia potius sunt. Praeterea Graeca, & Latina exemplaria legunt duo, nempe, iudicem, & diuisorem, ut in commentario expositum est; at Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 28. legit tantum, iudicem; Augustinus autem serm. 196.

dum autem plusquam probabiliter: verba enim, quae Saluator respondit, indicant aperte se tanquam iudicem, & potestatem habentem requisitum esse, ut in eorum expositione dicemus; non enim iste homo venit ad Christum rogans, ut intercederet precibus apud fratrem pro diuisione haereditatis faciendi, sed ut potestate, & imperio cogeret illum; ideo dixit, Dic fratri meo, id est, utere tua potestate, iube, impera illi. Putabat enim iste Christum, quem tanta miracula edere cernebat, quique Messias a plurimis reputabatur, potestatem habere iudicandi, & discernendi in negotio temporali, idcirco ad eum venit. In quo attendenda est fratris istius obstinatio, & iniquitas, quod homo hic a iudicibus communibus se nihil posse aduersum illum obtinere existimabat: Christi igitur auctoritati, ac rectitudini confusus, eum interpellauit, nec vsus est multis precibus, securus de sua iustitia, quam non ignotam Christo sciebat: ideo Magistrum appellauit, quasi scientem discernere inter iustum, & iniustum.

legit tantum, diuisorem; Basilus autem in moral. Regum 70. cap. 29. Titus Bostrenus, & Euthymius in commentario legunt, sicut & Vulgatus, iudicem, & diuisorem; & inter Latinos, Ambrosius in commentario, ubi per diuisorem interpretatur arbitrum, quod recte potest intelligi.

Quod autem ad rem spectat, ex hac Domini responsione satis liquere arbitror, hunc hominem petiisse a Christo, ut potestatem suam interponeret inter ipsum, & fratrem, sicut faciunt iudices, aut ij, quibus a iudicibus potestas, seu executio demandatur: si enim petiisset a Christo, ut intercederet apud fratrem precibus, sicut inter nos saepe fit, tunc non esset accommodata responsio Christi, quis me constituit iudicem, aut diuisorem? diceret enim ille, Domine, ego non peto, ut dicas fratri meo, quasi iudex, aut diuisor, sed quasi intercessor. non ergo homo iste a Christo petebat intercessionem, sed potestatem: arbitrabatur enim Christi muneris id esse: fratrem autem ita obstinatum expertus erat, ut nullis intercedentium preci-

Quid petiit homo iste a Christo.

precibus mouendus esset, sed potentium coactione, & imperio: idque notandum est pro recta intelligentia huius sententiae. Non ergo negat Christus absolute potestatem suam, quam, quia Deus erat, habebat super omnes, & in quocumque negotio si voluisset, sed negat se constitutum iudicem, aut diuisorem, qualem ille putabat, deputatum, & obligatum talia iudicia exercere petentibus. Non autem sic est: non enim venit ad talia exercenda iudicia, licet potestatem haberet plenissimam, qua, quando expedire

saluti hominum nouit, aliquando vsus est: sic enim misit Daemones in porcos, terrae habitatores priuando: sic etiam ficum in vinea cuiusdam exsiccauit: sic adulteram liberauit. non ergo deerat potestas; sed potestatis exercitium assumebatur, non pro voluntate, & arbitrio petentium, sed sua. Quod autem in commentario diximus, nempe Christum reprehendisse hunc hominem ob causam, ibi explicatam, affirmat Euthymius in hoc loco.

ANNOTATIO XXVII.

Expositio Tertulliani contra Marcionem hoc loco abutentem.

Opponebat nobis Marcion, ut refert Tertullianus lib. 4. cap. 28. hanc Domini sententiam, ut probaret alium Deum esse noui, alium veteris testamenti; illum bonum, hunc iustum, sicque ex hac sententia deducebat, collata cum Moysis exemplo Exod. 2. Moyses rixantibus fratribus vltro intercedit, & iniuriosum increpat, quid, inquit, proximum tuum percutis? reijcitur autem ab illo dicente, quis constituit te iudicem super nos? Christus vero postulatus a quodam, ut illum, & fratrem ipsius de diuidenda haereditate componeret, operam suam, & quidem tam probae causae, denegauit. Ex ijs colligebat Marcion, non hoc factum esse, quia Moyses melior esset Christo, vepote paci fratrum studens, & iniuriae occurrens, sed quia Moyses erat minister Dei iudicis, & iusti sub veteri testamento; Christus autem Dei optimi, non autem iudicis: ideo Christus respondit, quis me constituit iudicem? quam autem iste a veritate catholica errauerit, non est nostri instituti praesentis ostendere, quem alias conuicimus, fidei veritatem probantes. Quod vero ad locum praesentem attinet, responderet Tertullianus dicens, immo ex hoc concludi vnum esse Deum vtriusque testamenti, qui in Moysse loquebatur, & nunc carne sumpta ipse Christus est: ut enim significaret se indignae tulisse Moyssem reiectum esse ab illo Iudaeo dicente, quis te constituit iudicem super nos? nunc ipsemet Christus in simili causa reijcit Iudaeum petentem, vtriusque eodem verbo, ut constaret eum, quasi diceret, recordare, quod Moyses seruus meus repulsus est hoc verbo a Iudaeo simili sibi, detrectante iudicium, oblatum; nunc ego eodem verbo detrecto iudicium a te petente. haec sunt, quae obscure, & paucissimis verbis Tertullianus significat, quae subtiliter dicta sunt; & magis ad haereticum argumentum resellendum, quam ad contextum Euangelicum explicandum accommodata.

Possumus autem aliter respondere: perpendamus igitur factum Moysis: erant duo Iudaei rixantes, vnusque alterum percutiebat, Moyses autem volens iniuriam proximi auertere, dixit: Cur percutis illum? respondens autem percussor dixit: Quis te constituit principem, aut iudicem super nos? in primis Moyses tunc erat homo particularis, non iudex, aut princeps, & quae fecit, non ut iudex, sed ex charitate fecit, qua, quando possumus, & necessarium est, subuenire proximo iniuriam patienti debemus: tunc enim non erat iudex, qui potuisset iniuriam auertere; & iniuria erat tunc praesens, nec moram temporis patiebatur, vnde ipse tunc erat subuenire, ille autem Iudaeus percussor inepet respondit, quis te constituit iudicem? non enim Moyses ut iudex id dicebat, sed ut proximus, cuius est diligere proximum. Hoc ergo factum potius est contra Marcionem; quia non ex iudicio iudicis, sed ex bonitate, & charitate Moyses iniu-

riam auertebat. dicendum potius ergo erat hoc ad Deum bonum, non autem ad iustum attinere, contra Marcion, factum autem nostrum aliter se habet: iniuria enim fratris huius erat non ad personam, sed ad rem, & haereditatem spectans; moram patiebatur, quia antiqua erat; aderant iudices multi, qui eam possent, & quibus incumberebat repellere: non igitur pertinebat ad Christum, ut hominem, & proximum vindicaret; sicut nec nos in similibus casibus tenemus nostram operam interponere.

Praeterea errabat ille qui petebat operam Christi, quasi officium expollularet iudicis deputati; merito ergo negat Christus talem operam, idque iustissimis de causis; tum ut doceret hominem petentem, qui errabat petendo a Christo quasi a iudice ad id deputato, & obligato; tum ut instrueret, & conuerteret illum ad ea petenda, quae praecipue a Christo quaerenda erant; tum etiam ut significaret se ad salutem spiritualem hominum praecipue missum, non ad componenda, & tractanda secularia: noluit enimingere se in haec, ne praecipuum finem, in quem missus erat, vel minimum obscuraret: magis autem intererat haec ostendere, quam se in diuidenda haereditate occupare. Non ergo negauit se iudicandi absolutam habere potestatem, quin potius eam affirmauit; sed negauit id, quod homo ille arbitrabatur, nempe deputatum iudicem, qui pro negotijs petentium agere deberet: hoc non ita est; sed ea utebatur, quando expedire pro suo arbitrio iudicabat, idque ad animarum salutem: uti diximus in praecedenti annotatione: potius igitur ex hoc concluditur ipsum Christum esse Deum iustum, & iudicem, non tantum bonum. Titus Bostrenus explicans cur Dominus noluerit hominis huius petitioni annuere, causam secundo loco paulo ante positam adfert: sic enim inquit: quia praetermissis vtilibus, & ad animae salutem facientibus, quae eum vel in primis inquirere oportebat, de terrenis momentaneisque anxius Christum istiusmodi rerum sequestrem deposcebat: ob hoc ergo tanquam importunum, neque quicquam, ut ea, quae scire oportebat, disceret, sollicitum, placido vultu eum a se dimisit. Haec ille. Euthymius consentit in haec verba: Cum pecuniae desiderio flagraret, quod animae necessarium erat, eiusque saluti vtile petere omisit: corporale autem requisitum, maiorem habens curam corporis, quam animae. Haec ille. Basilus autem in moralibus reg. 70. cap. 29. quandam aliam causam profert, nimirum ut significaret Christus, neminem iuuari debere in suscipienda cura de rebus vitae huius, qui nimio plus in his animum suum occupet, iuxta illud 2. Tim. 2. nemo militans regno Dei, implicat se negotijs secularibus. Ambrosius in commentario adducit causam aliam dicens, non quid petas, sed a quo postules intuentum est. Nec maioribus intento animo putes minoribus obstrependum; vnde non immerito refutatur hic frater, qui dispensatorem caelestium

Cur Christus noluerit petitioni huius hominis annuere.

gestiebat corruptibilibus occupare. Hæc Ambrosius. Nota autem hos Doctores tacite fateri Christum habuisse auctoritatem, & potestatem; causas autem afferunt, cur ea uti noluerit: si enim per hanc re-

sponsionem Christus negasset se potestatem habere, non erat cur doctores isti ad causas recurrerent, propter quas noluit diuidere hæreditatem.

A N N O T A T I O XXVIII.

Hæretici nostri temporis hoc loco abutentes referuntur.

Abutuntur hoc loco etiam nostri temporis Hæretici, contententes Prælatos Ecclesiasticos non debere ingerere se, nec miscere in negotijs secularibus, temporalibusque causis discernendis, sed gubernationem ecclesiasticam separandam à politica, iuxta illud 2. Tim. 2. Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, & illud Act. 6. Non est æquum nos relinquare verbum Dei, & ministrare mensis. Et quidem si isti dixissent præcipuam curam debere esse positam in spiritualium administratione, cessandumque esse à temporalibus negotijs, quando impedimento sunt, ne spiritualia administrantur, recte quidem, ac vere dixissent: id enim est, quod Paulus docet monens, ne militantes Deo se implicent negotijs secularibus: verbum enim implicandi plus significat, quam administrare temporalia negotia: id etiam Apostoli comprobarunt, quando dixerunt: Non est æquum relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. quod si verbum non relinquitur, & vacat ministrare mensis, quod tunc Apostolis non vacabat, sicque non implicatur negotijs secularibus, qui administrat ea, non est hoc prohibitum, nec Christus per hanc præsentem sententiam id vetuit, qui non ea de causa, sed alijs, quas exposuimus, recusauit diuidendi hæreditatem negotiorum suscipere, quod si omnino id vetuisset, non audisset eos, qui Adulteram ad eum duxerunt, nec respondisset; cum tamen audierit, responderit, & pro Adultera iudicauerit. Aliter profecto Augustinus ille doctissimus, & Sanctissimus fecit, qui (referente Possidonio in eius vita) multis discernendis secularibus negotijs occupabatur, ipseque de se ipso affirmat, rationemque reddit in lib. de opere Monachorum cap. 29. vbi consentit Paulum quidem non se miscuisse negotijs huiusmodi decidendis, nec Apostolos, qui huc illucque discurrebant, fixam non habentes stationem. At si non ille suo exemplo, suo tamen verbo docuit suscipienda talia negotia à Prælati Ecclesiasticis, quando dixit. 1. Corinth. 6. sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare? verba Augustini sunt ista. Agnoscite labores occupationum nostrarum, & in-

aliquibus nostrorum etiam corporum infirmitates, & Ecclesiarum, quibus seruiamus, consuetudinem, ut nos ad illa opera, ad quæ vos hortamur, vacare non sinant. Quamquam enim dicere possumus, quis militat suis stipendijs vniquam quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? tamen Dominum Iesum, in cuius nomine securus hæc dico, testem inuoco super animam meam, quoniam quantum atinet ad meum commodum, multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monasterijs constitutum est, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum liberam, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati, de negotijs secularibus vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis: quibus nos molestissimis idem affixit Apostolus, non vique suo, sed eius, qui in eo loquebatur, arbitrio; quas tamen ipsum perpeffum fuisse non legitur: aliter enim se habebat Apostolatus eius discursus. Nec dixit, secularia iudicia si habueritis, ad nos deferre; sed nos constituite ad iudicandum, sed eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos, inquit, collocate ad reuerentiam vobis dico: si non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare, sed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infideles. Sapientes ergo, qui in locis consitebant, fideles, & sanctos, non qui hac, atque illac propter Euangelium discurrebant, talium negotiorum examinatores esse voluit. Vnde numquam de illo scriptum est, quod aliquando talibus vacauerit, à quibus non excusare non possumus, etiam si contemptibiles simus, quia & hos collocari voluit, si defuissent sapientes, potiusquam negotia Christianorum deferrentur in forum. Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus pro spe vitæ æternæ; ut fructum feramus cum tolerantia: serui enim sumus eius Ecclesiæ, & maxime inferioribus membris, quantalibet in eadem Ecclesia membra sumus. Hæc Augustinus, quæ longius prosequi non est instituti præsentis.

Dixitque ad illos.

C O M M E N T A R I A.

Occasione petitionis hominis istius, eiusque repulsæ conuertit sermonem, non ad illum solum, sed & ad Discipulos, cæterosque, qui de turba tunc aderant, documentumque salutare tradit, quo aperit, & causam factæ à se repulsæ, & quid hunc hominem à Christo secularia fecerit, postpositis spiritualibus, quærere; quodque ab omnibus est obseruandum, ne in spiritualium detrimentum incidant. Nimia enim cupiditas hunc hominem ad sic petendum mouit, ob eam etiam Christus eius petitionem repulit, atque ab ea summopere fugiendum est ijs, qui saluti animæ incumbunt.

A N N O T A T I O XXVIII.

Euthymius illud relatiuum (illos) ad Discipulos refert. Titus Bostrenus autem ad eum, qui petierat, & ad cæteros omnes, qui tunc adstabant, & in eis, ad nos omnes: isque est sensus verior, & accommodatior. Adiungit etiam rationem senten-

tiæ: inquit enim: Cum hominem propter repulsam, pusillanimitatem effectum animaduertisset, innata grauitate vltus, cum illi ipsi, tum cæteris omnibus, qui vel tunc audiebant, vel in posterum audituri erant, suasisit, ne fluxis, caducisque rebus nimium se de-

derent, neque propter huiusmodi res concertationem aliquam cum fratribus inirent, etiam si plus iusto aliquando habere contenderent, verumtamen dicti illius memores, volenti tunicam tollere, re-

linque & pallium, iniuria vltro cederent, eaque, quæ ad animæ salutem vitia, vel necessaria haberentur, studiose inuestigarent. Hæc ille.

Videte, & caute ab omni auaritia.

C O M M E N T A R I A.

Monet ut exemplo presenti ab omni cupiditate acquirendi temporalia caueant: videte, inquit, id est, considerate hoc præfens factum, nempe fratrum discordiam ob hæreditatis possessionem: Vnus enim retinet non sua, alter à me petit temporalia sua, spiritualis suæ salutis oblitus, quæ præcipue quæranda est. Vtrumque à nimia, & immodica cupiditate profectum est, videte ergo, & perpendite hæc, & ab omni cupiditate, & auaritia abstinete, tam ab ea, qua, quod alienum est retinetur, quam ob ea, qua, quod suum est, homo plus nimio quærit.

A N N O T A T I O XXX.

Quomodo ab omni auaritia cauendum.

Quod ad verba spectat, quædam Græca exemplaria non habent illud (omni) nec legitur ab Euthymio; legunt tamen quædam alia Græca, & vulgata omnia: & Augustinus ser. 196. non solum legit, sed interpretatur, nempe positum esse; quia non solum cupiditas, quod alienum est habendi, sed etiam suum immodice retinendi, amouenda est, ut in commentario exposuimus. legitur etiam in textu apud Titum Bostrenum, & vere contextui quadrat, quem explicuimus in commentario; nam vtrumque fratrem Christus incusauit, & vtriusque exemplo monet ab auaritia cauendum, quorum vnus laborabat cupiditate retinendi partem hæreditatis, quæ sua non erat, alter cupidus erat acquirendi sua, sed nimium & immodice: cum enim à Christo salutis spiritualis auctore petenda essent spiritualia, quibus ille homo plus indigebat, ea, quæ temporalia, & parui momenti erant, postulauit, magis de secularibus, quam de spiritualibus sollicitus. Ab vtraque igitur cupiditate cauendum Christus iubet: hæc enim sententia præceptum Domini est, ut Ambrosius in præfenti, & Augustinus loco citato affirmant. Recte autem Augustinus hanc omnem auaritiam explicat dicens: Forte tu auarum, & cupidum dices, si quæreres aliena; ego autem dico, cupide, & auare non appetas nec tua, hoc est, ab omni auaritia caute. Non solum auarus est, qui rapit aliena, sed ille auarus est, qui cupide seruat sua. Sed si sic culpatur, qui cupide conseruat sua, quomodo iudicaturus est te, cum non solum seruas tua, sed etiam quæris aliena? Hæc, & alia August. Aduertendum est autem illud (auaritia) Græce haberi *φιλαργυρία*, id est amor pecuniæ, de qua dicitur 1. Tim. 6. Radix omnium malorum cupiditas; hoc autem loco est *μεροεξία*, à plus habendo, quam sufficiat, aut necessarium sit; nec tantum in pecunijs, sed etiam in vestibus, frugibus, domibus, aliisque similibus consistit. Vnde Basiliius in moral. reg. 48. c. 4.

hac Domini sententia ostendit non debere nos esse sollicitos, ut rebus ad vitæ vsum necessarijs abundemus; neque in eo nobis occupandum esse studium nostrum, ut aut saturitatem sectemur, aut apparatus magnificos, debereque esse puros à quacumque habendi cupiditate, & omnem exquisitum ornatum fugere. Ex quibus Basilij verbis deducimus significationem vocabuli huius, & multiplicem esse hanc pleonexiam, quam Titus Bostrenus appellat situm inexplebilem habendi; alij etiam interpretantur immodicam acquirendi cupiditatem, etiam cum alterius detrimento. Hanc in vtroque fratre legimus, licet ratione diuersa, vti in commentario explicuimus, quorum exemplo, & factò Dominus ad cauendum ab omni auaritia nos excitat: exitimo enim sic interpretandam esse hanc sententiam. Eodemque modo interpretati sumus illud (videte) cuius interpretationem nemo considerauit: puto autem positum esse, ut præfentes exhortaretur ad considerationem facti illius, in quo apparebat vtriusque fratris auaritia, quasi diceret: animaduerte petitionem hominis huius, & considerate istorum fratrum discordiam, vnus retinet, quæ alterius sunt, alter plus nimio sollicitus, quærit sua; & in vtroque videte, quid faciat cupiditas plus habendi, & abundandi, & ab ea caute. Possumus etiam aliter interpretari hoc verbum, & quidem non improbabiler: monet enim eos, qui caere debent à cupiditate plus habendi, ut videant, id est, considerent, & animaduertant. Fallimur enim sæpe in computatione eorum, quæ nobis necessaria sunt ad vitam, & existimamus indigere ijs, quæ vere superflua sunt: idcirco dicit: videte, & caute, quasi diceret: caere ut oportet non poteritis à cupiditate ista, nisi videritis recto, & iusto iudicio, quæ necessaria sunt, ut non plura quæratis. Vtraque interpretatio videtur accommodata; priorem vero quasi accommodatorem in commentario profecti sumus.

Quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his, quæ possidet.

C O M M E N T A R I A.

Causam quandam cupido, seu auaro conuenientem Christus adfert, cur ab hac pleonexia, & cupiditate plus habendi cauendum sit; quia nempe non in ipsa abundantia vita consistit, quasi cum abundauerit, tunc etiam viuat. Hoc enim cupido sibi falso suadent: quærunt enim solcite plura habere, existimantes, cum abundauerint, tunc victuros, ac bonis fruituros; at non sic est, ut cum abundantia eorum, quæ possidentur, vita sit comes: sæpe enim cum ad abundantiam peruenerunt, vita destituti sunt.

ANNOTATIO XXXI.

Pustior explicatio superioris sententiae.

Obscura est sententia praecedens propter verborum connexionem: illud enim (cuiusquam) non potest connecti cum praecedenti nomine, nempe (in abundantia cuiusquam): nam Graece in casu dandi est, si autem connecteretur cum praecedenti, dicendum erat in accusandi casu, scilicet (in abundare quemquam) Graece enim non est nomen, sed infinitivus. coniungi ergo debet cum sequenti verbo (est) tuncque sensus est, non in abundantia, ex ijs, quae possidet, cuique vita est, siue, cuiusdam vita illi est, ut sit sensus, non quando abundauerit, continuo viuet; nec ex abundantia est vita certa, ut possit frui ijs, quae abundant: & hic est legitimus sensus. Titus Bostrenus sic interpretatur, vita hominis non est posita in abundantia, ut tamdiu viuat, quid diu opes abundant. Euthymius vero sic, non secundam abundantiam accedit vitae mensura. Quae

interpretationes parum a nostra differunt: puto tamen hanc esse accommodatorem, nempe hominem non habere vitam certam, si abundet, ut cum abundauerit, ijs, quae possidet, frui possit: hoc enim est quod opinantur, falsoque sibi persuadent, qui student congregandis opibus. illud autem si consideraretur, nempe, non cum abundantia vitam esse coniunctam, multum sitis ista habendi extingueretur. Quod autem quidam interpretantur, ea quae abundant non esse necessaria ad vitam, nec in ijs esse positam; sed in necessarijs tantum, verum quidem est, sed longe a sensu huius sententiae, quem parabola sequens explicat, cui non accommodatur ea interpretatio: parabola enim est de eo, qui iam abundans iuxta desiderium suum, vita priuatur, quando minus cogitabat.

Dixit autem similitudinem ad illos, dicens.

COMMENTARIA.

Quia ad turbam loquebatur, similitudine, seu parabola quadam vitur: sic enim res melius percipitur, & tenacius retinetur mente: erat enim doctrina haec multum necessaria, & qua plurimi indigent; idcirco perfecte traditur, & efficacius persuadetur. Huius similitudinis, sicut & petitionis factae ab homine isto de turba, solus Lucas inter Euangelistas meminit.

Homini cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit:

COMMENTARIA.

Incipit exponere similitudinem. Erat quidem Diues, cuius ager vberes, & copiosos attulit fructus, pro eiusque votis respondit. Ditiore quidem factus, sed nihilo melior, quin potius auarus auarior euasit. Malis, & reprobis frequenter prospera temporalia succedere permittit Deus, iustis de causis, ut in Annotatione explicatur.

ANNOTATIO XXXII.

Cur malis, & reprobis in hoc seculo bona temporalia concedantur.

Basiliius in homilia quadam supra hanc Domini similitudinem contra auaros composita, & Ambrosius ser. 81. interrogant, cur ager huius nihil boni ex copia facturi abundauit. respondit autem sic, ut maior Dei longanimitas appareret; quando eius bonitas vsque ad tales extenderetur, qui pluit super iustos, & iniustos, & Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Hae illi. Causa ergo ex parte Dei est bonitatis, & benignitatis demonstratio. Gregorius autem lib. 16. moral. cap. 5. generaliter loquens addit huic aliam causam, sic inquit: Malorum domos Dominus bonis implet, quia etiam ingratis sua dona non denegat, ut aut benignitate Conditoris erubescant, & ad bonitatem redeant: aut redire omnino contemuentes, inde illic grauius puniantur, unde hic & bonis Dei largioribus mala reddiderunt: ut duriora eos tunc supplicia puniant, quorum hic malitiam nec dona vicerunt. Hae Gregor. Quod quidem non praeterijt Basilium: dixit enim post verba superius citata: talis bonitas Dei maius colligit supplicium iis, qui perueri agunt. Hae ille. Non quod Deus eo sine malis bona tribuat in hoc seculo, ut magis postea puniat, dum peius agunt: non enim id Deus intendit, qui, quod bonum est, homini vult quantum est ex parte sua; sed quod ita eueniat ijs, qui abutuntur bonis concessis, licet possimus interpretari id a Deo fieri, ut damnationis contra diuites, & malos iustitia magis

appareat. Idem autem Gregorius lib. 15. moral. c. 35. aliam affert causam, cur malis, & reprobis bona temporalia Deus concedat: Saepe, inquit, diuina patientia tolerat, quos iam ad supplicia praecita condemnat: permittit florere, quos adhuc cernit deteriora perpetrare. Qui enim videt ad quam damnationis foueam tendant, hoc eis pro nihilo esse existimat, quod hic peruersi relinquenda multiplicent. Hae ille. Quasi diceret, quia aeterna mala subituri sunt, permittit in hoc seculo his bonis, quae nihil sunt, aliquantum frui. Hae idem Gregorius lib. 16. moral. cap. 9. exemplo manifestat: Nouimus, inquit, nonnumquam bona terrena iustis subtrahi, quae largo munere tribuuntur iniustis, quia & desperatis agris medici, quidquid poposcerint dari praecipunt: & eis, quos ad salutem reduci posse prauident, quae appetunt, dari contradicunt. Hae ille. Idem etiam Gregorius lib. 5. moral. cap. 1. aliam adiicit causam, nempe quia mali, & reprobi aliquando bona quaedam in hoc seculo fecerunt, pro quibus in hoc seculo aliquoties bonis temporalibus remunerantur, ut postea ad sola tormenta trahantur; sicut etiam boni hic mala patiuntur ob aliqua mala, quae fecerunt, ut purgati ab aeterna plenius damnatione liberentur. Ex his omnibus colligimus aliquot causas, ob quas Dominus in hoc seculo malis, & reprobis bona concedit. Primo quidem ex Basilio, in bonitatis, ac benignitatis diuinae manifestationem. Secundo, in iudicij

iudicij sui ostensionem, ut tanto iustior appareat damnatio, quanto maior erga tales essulit misericordia, & bonitas. Tertio, ex quadam misericordiae abundantia, ut bono aliquo temporali fruatur, qui in aeternum damnandi, & torquendi sunt. Quarto, ex quadam aequitatis immensitate, ut bona quaedam,

etiam malorum hominum, & quae nulla sunt digna mercede, aliqua ex parte remunerentur. Non ergo miremur, si diuiti reprobis ager diuino nutu vberes attulit fructus, qui culpa eius maioris damnationis ei causa fuerunt, qui & in malum conuertit, quod in bonum concessum erat a Deo.

Et cogitabat intra se, dicens:

COMMENTARIA.

Veribus fructibus ditior factus est auarus, sed non a cura, & sollicitudine liber, immo copia, & abundantia fructuum auxit sollicitudinem: anxie enim cogitare, & discurrere mente coepit de loco reponendis fructibus accommodato.

ANNOTATIO XXXIII.

Quanta sit diuitis avari anxietas, & miseria.

Basiliius loco prius allegato, hanc diuitis anxietatem, & miseriam ponderat dicens: Quis non misereatur sic miseri curis obsessi? ipsa fertilitate miser erat, & timidulus, miserabilis praesentibus, & paratis bonis, miserabilior ob ea, quae adhuc expectabat. Non enim proventus annui fructuum ei terra ferebat, sed stertus, & suspiria; non fructuum copiam, sed curas, & dolores, & graues anxietates

sibi colligebat. Hae ille. Vnde recte Dominus Matth. 13. cur diuitias spinis comparauerit, exponens, inquit, sollicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Ecce hic sua sollicitudine, & anxietate ex abundantia orta, pungitur mente, quasi acuta, & penetrante spina, ut bonis habitis frui non valeat, nec illis conuiescere.

Quid faciam? quia non habeo qua congregem fructus meos?

COMMENTARIA.

Hae est eius anxia cogitatio, ac ratiocinatio: haerebat ignorans, & inuestigans locum, quo congregaret, ac reponeret novos fructus; quia veteribus horrea plena erant. Copia faciebat inopem. Stulta profecto cogitatio: facile enim erat inuenire locum, si aut veteres fructus euacuatis horreis, aut novos vberes in pauperes distribuisset, quem locum auaritia anxie quarebat, misericordia facile subministrasset. & quidem securiorem, & vtiliorem: scriptum enim erat Ecclesiast. 29. absconde Eleemosynam in corde pauperis, & haec pro te exorabit ab omni malo: super scutum potentis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit. At Diues sine misericordia, & sine charitate aliud cogitabat, & anxie quarebat.

ANNOTATIO XXXIV.

Recte Basiliius loco superiori notat, quod in commentario positum est, dicens: Quid faciam? parata sibi responsio fuerat: esurientium animas explebo: aperiam horrea, & omnes vocabo indigos: imitabor Ioseph praeconio exhibitae hominibus benignitatis celebrem: vocem emitam magnificam: Quicumque panibus egetis, venite ad me singuli participes futuri, quod satis fuerit, gratiae a Deo mihi collatae, quasi proficientis: communibus fontium scatebris. Hae ille. Ponderat etiam idem Basiliius illud, Quid faciam? quod commune est illi, qui nihil habet, ac egestate pressus est: perque, inquit, ac egestate pressus, miser afflictor, & eiulat: an non talis modi edit vocem, cuiusmodi solet, qui angustia pressus mendicat? Quid faciam? alimenta vnde? vnde indumenta? haec secum submurmurat, ac loquitur Diues: cor per haec merore conficit, & afflictor, dum estuat anxia sollicitudine. Hae, & alia Basiliius. Notanda est in his verbis insipientia, & feritas diuitis huius. Insipientia quidem, qui fructus appellat suos, quos nondum collegerat: multis enim periculis obnoxij sunt fruges, antequam domum comportentur; nam saepe grandio elisit, atque comminuit, & aestus ingens e mediis eripuit manibus, & aqua intempestiua e nebulis fluens infrangi reddidit,

& inutiles fructus. Hae quoque Basiliius. Feritas autem, quia nondum collegerat, & sibi iam proximis defraudatis vsurpabat. Gregorius lib. 15. moral. c. 13. hanc anxietatem, & perplexitatem diuitis istius optime exponit, illa verba Iob interpretans: (cum satiatus fuerit coarctabitur.) Prius, inquit, anhelat per auaritiam concupita congregare; & cum quasi in quodam ventre auaritia multa congeserit, satjatus arctatur; quia dum anxietate qualiter acquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustat: Diuitis enim cuiusdam vberes fructus ager attulerat, sed quia, vbi eos tantos reponeret, non habebat, dixit: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos, & dixit: Hae faciam, destrua horrea mea, & maiora aedificabo. Qui ergo ex abundantia coangustatus dicebat: Quid faciam? quasi multo pressus cibo aestuabat. Pensemus quot votis appetijt, ut vberes fructus ager afferret. Ecce autem vota completa sunt; quia vberes fructus ager attulerat: sed quia ad recondendum loca non sufficiunt, multiplicatus Diues quid faciat ignorat. O angustia ex satietate nata: de vbertate agri angustatur animus avari: dicens namque quid faciam? profecto indicat, quia votorum suorum affectibus pressus sub quadam rerum fasce laborabat. Hae Gregorius.

Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam:

COMMENTARIA.

Affectus est diues sua cogitatione, quod faceret, id nempe, antiqua horrea, quae minus erant capacia, destruere, & maiora, amplioraque facere, quae & veteri-

Insipientia, & feritas huius diuitis.

veteribus fructibus, & nouis licet vberibus sufficerent. Quia nihil nisi de se cogitabat, sibi que thesaurizare volebat, illud inuenit, & disposuit, quod sibi vtile videbatur.

ANNOTATIO XXXV.

Particula, Maiora faciam, ponderatur.

Illud, Maiora faciam, Græce habetur, maiora edificabo. Sicque legit Gregorius lib. 15. moral. cap. 13. Ambrosius autem ser. 81. legit (re)edificabo quod non sic est intelligendum, quasi omnino noua, & distincta horrea edificaret: sic enim non oportebat vetera destruere, sed quod vetera capiora fecerit, ea destruendo, & maius spatium vltra vetus edificium occupando. Recte autem Basiliius in hom. citata superior, in hunc diuitem inuenit, ponderat illud (horrea mea destrua) quod bene esset dictum, si non adiunxisset illud (& maiora edificabo.) verba Basilij sunt hæc. Destruam horrea mea. isti ego sane dicerem: Bene facis: nam iniquitatis horrea profecto digna sunt, quæ diruantur.

Euerte miser tuis ipse manibus, quod male edificasti: solve horrea, vnde nullus vnquam solamen vllum consecutus est: à fundamentis excidito auaritiæ custodem, dirue tectum, euerte muros, ostende Soli frumentum, quod cariem, situmue contraxit: educ diutius illigatas hæc diuitias, produc in publicum triumphu tenebris obsita domicilia Mammonæ. Hæc ille. Illud etiam, Maiora faciam, iterum ponderat idem Basiliius sic dicens: vbi vero & ista frumento adimpleueris, quid quæso amplius cogitabis? an rursus destrues, & rursus edificabis? Quid stultius, quam laboribus nunquam finiendis se conficere, ac summo cum studio edificare, nec minori cura eadem demoliri? Hæc ille.

Et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea.

COMMENTARIA.

Ecce ad quid horrea noua edificare cogitauit, vt nimirum in ea congreget vberes agri fructus, qui nati erant, & insimul bona cætera, nempe fructus veteres, qui reseruati, & reconditi in veteribus horreis erant. hos appellat bona mea, quia iam possederat, qui autem nati erant, nondum possidebat, nec recondiderat. Imprudentiam, & infidelitatem suam Diues hisce verbis ostendit; imprudentiam quidem, quia nondum collegerat fructus, nec recondiderat; & tamen sine vllō timore se congregaturum affirmabat: infidelitatem vero, quia fructus sibi natos dicebat, quos non illi soli Deus produxerat, sed vt alijs etiam per eum faceret communes: si enim illi soli Deus produxisset, vtique non dedisset vltra necessarios.

ANNOTATIO XCVIII.

Particula, Bona mea, perpenditur.

Illud (bona mea) quidam recentiores interpretantur cæteras diuitias, quas ille diues habebat vltra fructus. hæc autem interpretatio non videtur accommodata: nec enim in horrea reconduntur diuitiæ omnes, siue pecuniæ, siue suppellectilia, sed tantum fructus agrorum; idcirco exposui bona ea esse, quæ iam reposita habebat in veteribus horreis: tam enim hæc, quam quæ de nouo nascebantur, in illa maiora horrea congregare parabat. De infidelitate autem huius diuitis, qui sibi natos fructus dicebat, exclusis pauperibus, multa dicit Basiliius in prædicta homil. inter quæ sunt hæc. Auaritiæ id genus pessimum est, nolle, ne ea quidem, quæ facile corrumpuntur, inopi dare. Dixeris; cui facio iniuriam, si mea retineo, conseruoque? Quæ illa, dic mihi, tuæ? Vnde accepta hæc ad traducendam hanc vitam præsentem inuexisti? perinde enim facis, ac si quis in theatro, locum spectandi mox vt anteuertit alijs arripere, cæteros arceat ab ingressu, sui vnus vsui id adiudicans, quod ad omnium communem vsu proponitur: tales & diuites existunt. communia namq; cum priores obrinuerint, propria faciunt occupando. Nonne nudus ex vtero matris excidisti, nudusque rursus reuerteris ad humum? hæc tibi bona præsentia vnde? si à casu dixeris, impius es, cum non agnoscens, qui te condidit, neque ei, qui dedit, rependens gratiam. Quod si ex Deo te illa habere fateris, dic mihi, quamobrem hæc sortitus es? non enim iniustus est Deus, qui ea, quæ sunt ad victum, inæqualiter nobis diuiserit, cur tu diues es, ille pauper? profecto non ob aliam causam, nisi vt tu benignitatis, ac fidelis administrationis mercedem acciperes; ille vero patientiæ præmijs maximis honoraretur: tu vero insatiabilis auaritiæ lacertis omnia,

circumplexus, & tot homines illis priuans, neminem te lædere putas? Esarientis est panis, quem tu retines: nudi est vestis, quam in arca custodis: discalceati calceus, qui apud te marcescit: egentis argentum, quod tu terræ infossum possides. Quare tot iniurijs es hominibus, quot poteras operam conferre.

Hæc & alia Basiliius, quæ etiam ab alijs Patribus dicuntur. Ea vero non sic intelligenda sunt, quasi quæ diuiti superflua sunt, non sint eius, iniustitiamq; committat, sicut qui aliena detinet, aut rapit: non enim sic est: nam id contra iustitiam non est; nec restitutioni obnoxia sunt, quasi rapta à proprio domino; sed vitium est contra charitatem, & contra fidelitatem: nam eo fine à Deo diuitiæ vni dantur, vt quod superfluit, communicet alijs non habentibus: Vnde prouerb. 22. scriptum est, Diues, & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est Dominus. quid est, quod vtriusque dicitur operator Deus, nisi quia ipse auctor est diuitiarum, & qui ex voluntate sua dat vni diuitias, alteri negat? si igitur operator est diuitis, diuitias vere dat, & earum dominum constituit diuitem; eo tamen sine dat, vt dispense pauperi, quem etiam ipse fecit, qui igitur non dat, infidelis est, qui non seruat fidem.

Deo danti, non autem iniustus, quasi retineat non sua. De hac tamen re multa alibi scripsimus in nostris theologicis, dum de elemosyna tractamus.

Quæ diuiti superflua sunt, si non det in elemosynâ, contra charitatem peccat, non contra iustitiam.

Et dicam anima mea: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos;

COMMENTARIA.

Postquam congregata iam fuerint hæc omnia in horrea noua, Diues sibi quietem promittit, ac animæ suæ se eam quietem persuasurum apud se cogitat dicens: Anima mea habes iam bona in plurimos annos reposita. Ad animam se conuertit, quia ipsa est, quæ quietis, & perturbationis præcipua est causa. Magnus hic profecto est error, ac mentis cæcitas, putat cum abundantia, & vbertate fructuum, vitæ annos sibi datos, in quibus frui possit illis: & sicut nati erant de terra fructus, credidit vitæ etiam tempus prolongatum; cum tamen non tantum incertum illi esset tempus plurimorum annorum, sed etiam illud, quod intererat vsque ad fructuum congregationem: ad eam enim non peruenit; vt verum sit, quod paulo ante dictum est à Domino: Non in abundantia cuiusquam vita eius est. Immo etiam si vixisset illos plurimos annos, incertum erat, an congregati fructus in eius vtilitatem cessuri essent: plurimi enim ex magnis diuitijs in summam paupertatem inciderunt; vnde recte Paulus 1. Tim. 6. monet: Præcipe, inquit, diuitibus huius seculi, non sperare in incerto diuitiarum. Vide quam multipliciter cæca sit huius diuitis cogitatio, quod & euentus probauit. Errat etiam diues in hoc: bona enim animæ arbitratur terræ fructus, ac quæ corporis sunt.

ANNOTATIO XXXVII.

Anima quid hoc loco.

Anima non pro toto homine sumitur, sed pro parte præcipua, in qua residet ratio, & voluntas, à qua prout vt à fonte & principio omnes humanæ actiones: sicque interpretatur Basiliius hom. allegata. Est autem compellatio hæc familiaris Hebræis. Psal. 42. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? & psal. 102. Benedic anima mea Domino. indicat hæc phrasis vehementiam affectus, quo homo se ipsum excitat ad actum aliquem exhibendum. Animam autem in hoc loco positam esse, non pro toto homine, vt quidam recentiores arbitrantur, probant verba sequentia, quæ his respondent, scilicet, Hac nocte repetent animam tuam à te; vbi aperte constat animam pro hominis parte sumptam esse: in quo magis diuitis huius cogitatio damnatur, qui animam ita dedit corpori fecit, vt, quæ huius sunt bona, illi destinet. Est autem quædam prosopopeia, vt notat Clemens Alex. lib. 3. Strom. quasi enim duæ personæ finguntur, cū vna sit, quæ loquitur, & cum qua loquitur.

Aduerte hoc in loco, si diues iste reseruasset in tempus futurum fructus, quos sibi, & familiæ sufficere posse arbitratur, timens probabiliter suo vsui necessarios futuros, non egisset imprudenter, nec id vitio datum illi esset: Ioseph enim frumentum reseruauit in annos venturos. at iste diues in multis errauit: nam sibi persuasit plus nimio plurimos vitæ annos, non aduertens mortis incertitudinem: rursus superfluos retinebat, nulla pauperibus facta communicatione: præterea in plurimos annos reseruauit sine vlla necessitate probabili ventura: nam agrum habebat frugiferum, & plurimas alias diuitias, quibus sibi subuenire posset, etiam si fructus aliquo tempore deficerent: demum totus erat in temporalium studio, & cupiditate, cælestium omnino oblitus. Hæc profecto vituperantur, & damnantur digne in eo, quæ omnia verba ipsius, quæ sequuntur, significant, & manifestant.

Longe aliter quam Ioseph, hic diues egessit.

Requiesce, comede, bibe, epulare.

COMMENTARIA.

AD hæc seipsum Diues exhortatur securus de abundantia bonorum, & vitæ longitudine: requiesce, inquit, deposita solitudine, & anxietate acquirendi; comede & bibe, indulgendo corporis gustui; & epulare, gaudendo, & exhilarando te in solennibus conuiujs. Nihil nisi terrenum anima diuitis cogitabat; ac cupiebat; idcirco non aliud imperat illi diues, quam voluptates terrenas communes cum bestijs. De hoc, & similibus dictum est à Paulo Philip. 3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusionem ipsorum, qui terrena sapiunt. Diues iste vitare voluit auari vanitatem illam, quæ scripta est Ecclesiast. 5. Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis, & hoc ergo vanitas; dum autem hanc fugit, incidit in plurimas maxime noxias, indulgens cibus, ac potibus, similis iumentis effectus.

ANNOTATIO XXXVIII.

Particula, Epulare, quid Græce.

Illud, epulare, Græce est verbum εὐφραίνω, quod idem significat, quod delecto, exhilaro, seu oblecto; Vnde quidam vertunt, gaude, oblectare; at vulgatus noster interpretatus est, epulare; quod est

quoddam oblectamenti genus. Pulchre autem Basiliius in homil. allegata ponderat verba hæc, & præcedentia diuitis. inquit sic: Habes bona in annos plurimos, comede, bibe, gaude. O verba stultissima,

ma, o dementiam singularem: nam si porcinam habuisses animam, quid aliud ipse enunciare potuisses? ita ne pecunius tu, ita bonorum animæ ignarus, eam vt exceptes carnalibus epulis; & quæ alui secessus

recipit, animæ destines, Si quidem illa virtutem habet, si plena est bonis operibus, si Dei gratiam sibi conciliauit, ac familiariter asciuit; tum sane multa bona habet, tunc lætari poterat bona lætitia. Hæc ille.

Dixit autem illi Deus, Stulte.

COMMENTARIA.

DVM hæc secum cogitat diues, secumque loquitur, oblitus Dei, Ecce Deus illi loquitur irridens eum, atque subsannans, inquit: Stulte, id est, imprudens, & insipiens. & vere talis fuit diues hic, qui incerta tamquam certa sibi persuasit; qui non cogitauit, quæ facile euenire ei poterant, qui non prospexit, nec consuluit sibi, cum potuisset elemosynis de vbertate fructuum sibi Deum reconciliare: qui non animaduertit ea, quæ futuri sunt seculi, quæ in æternum durant, deditus tantum temporalibus; cumque paulo post abripiendus esset à vita, & ad supplicium adducendus, talia inibat consilia, habes bona in annos plurimos, comede, bibe, qui non nouit non in abundantia rerum positos esse vitæ annos plurimos, nec, si positi essent, ea omnia non esse animæ bona: qui demum ob temporalia amisit æterna bona, quod est summa stultitia: vnico ergo verbo multa Deus illi improperat scelera.

ANNOTATIO XXXVIII.

Asilius hom. allegata totam hanc Dei sententiam contra diuitem, asserit per quamdam irrisionem esse dictam: subsannauit enim, & irrisit Deus Diuitem talia cogitantem, qui paulo post æterno igni tradendus erat, digno vocabulo eum appellans stultum. Verba Basilij sunt hæc: Iam quando terrenum sapis, & Deum habes ventrem, totus quoque caro effectus vitiosis affectibus obsequeris, audi te dignam appellationem, quam tibi nullus hominum, sed ipse Dominus indidit, stulte, hac nocte animam tuam abs te repetent, quæ autem parasti, cuius erunt? Superat æternam pœnam irrisio ista stultitiæ. Hæc ille. Nota, & perpende vltima verba, nempe non solum irrisionem esse hanc, sed eam esse grauiorem supplicio ignis æterni. Significat enim Basilius in damnatis illam confusionem, quæ est ex peccato perpetrato, & de stultitia, ac insipientia propria, quæ æterna perdiderunt propter temporalia; ac de contemptu, quo eos Deus prosequitur, maius inferre supplicium, quam tormentum ignis æterni. Huius stultitiæ supplicium expredit nobis Spiritus sanctus per Salomonem sap. 5. quando repræsentat damnatos pœnitentiam agentes, & præ angustia Spiritus gementes, & dicentes: Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum instantia quid contulit nobis? transferunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuncijs præcurrentes, & tamquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus; aut tamquam auis, quæ transuolat

in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aerem commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius; aut tamquam sagitta emissa in locum distantium: diuisus aer continuo in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius, sic & nos nati continuo desuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus: talia dixerunt in Inferno hi, qui peccauerunt. Hæc tibi. De hac autem re alibi plura diximus. Sunt autem in hoc diuite non tantum stultitia, sed alia multa vitia cum illa connexa: nam cogitatio eius fuit cæca; vt enim Origenes hom. 6. in Ieremiam dicit, frumentum, & vbertatem fructuum terrenorum arbitratus est absolute bona, nesciens, quia vera bona non nascuntur ex terra maledicta, sed in cælestibus regionibus: deinde impia, quia nec Deum bonorum illorum recognouit auctorem: ingrata, quia gratias non egit, à quo vbertatem agri receperat: superba, quia Deum non est deprecatus, vt conseruaret, ac perficeret fructus, quos nondum collegerat: irrationabilis, quia æternorum nullam habuit rationem: sed solis terrenis erat intentus: inhumana, quia pauperum, ac miserorum nulla tactus est compassione: infidelis, quia sibi omnia usurpauit, quæ in dispensationem acceperat: vilis, & abiecta, quia cibus, & potibus totus erat deditus: vana, quia sibi promisit, quæ in sua non erant potestate.

Hac nocte repetunt animam tuam a te.

COMMENTARIA.

O Stendit Dominus, & improperat diuiti stultitiam ipsius, hac, inquit, nocte repetent animam tuam à te, quasi diceret, vide stultitiam, & insipientiam tuam, tu tibi plurimos annos vitæ promittis, at ecce vsque ad diem crastinum non peruenies: nam hac eadem nocte, repetunt animam tuam à te. Non dicitur, morieris, sed repetent animam à te; tum quasi ab inuito, & reluctantante, tum etiam non casu, sed iudicio, vt omnium, quæ gessisti rationem reddas: hæc enim duo verbum id indicat. Præterea dicitur in præsentem, repetunt, vt imminentem significet mortem.

tem. Dicitur etiam in plurali numero, vt ministerium Angelorum ostendat; qui sunt velut Dei exactores in hominum iudicio. Si igitur (hac nocte) anima reperenda dicitur, sequitur diuitem hunc noctu cogitasse ea, quæ dicta sunt, quod est proprium diuitum auarorum, qui noctes insomnes ducunt in ijs cogitandis, quæ diu tractant; nullamque temporis partem Deo, animæque salutem concedunt.

ANNOTATIO XXX.

Cur anima diuitis nocte repetatur. Origenes hom. 27. in Numer. spiritualem causam adfert, cur nocte repetatur anima diuitis huius. In nocte, inquit, perimitur, sicut & primogenita Aegyptiorum, tanquam qui dilexerit mundum, & tenebras eius, & particeps fuerit Receptorum mundi

huius tenebrarum harum. Hæc ille. Ambrosius lib. de bono mortis ponderat verbum illud, repetent; inquit: repetitur anima, non interimitur; quod repetitur, manet; quod interimitur, non manet.

Qua autem parasti, cuius erunt?

COMMENTARIA.

Prosequitur Deus stultitiam diuitis impropere, ac subsannare, vanitatem cogitationis illius manifestans: Quæ parasti, inquit, cuius erunt? tu tibi in plurimos annos parasti, at te abrepto nocte hac, non tibi cedent bona, immo nescis, cuius erunt, an hæredis, an extranei; an amici, an inimici: tu arbitratus es tibi recondere, & ignoras, an ventura sint in manus eorum, à quibus tu maxime abhorres: perpende quam stultus fuerit.

ANNOTATIO XXXI.

Clemens Alex. lib. 4. Stromat. legit: Quæ autem ei, scilicet animæ, parasti, idem est sensus; sed illud relatiuum, ei, decorem, & energiam adfert orationi. Quod ad rem spectat comperimus impletum esse in hoc diuite, quod dictum est Psal. 38. Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea; quod scriptum est Ecclesiast. 2. Peccatori dedit afflictionem, vt addat, & congreget, vt tradat ei, qui placuit Deo; sed & hoc vanitas, & cassa sollicitudo mentis: Sæpe etiam, quæ diues congregauit sibi, effecit Deus, vt veniant in manus eorum, qui distribuunt in pauperes, iuxta illud Proverb. 28. Qui coaceruat diuitias vsuris, & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.

non fecit, maius quidem iudicium sibi conciliauit: tamé diuina Dei misericordia, quæ ex parte sua sunt, facientis ostenditur, quæ etiam in flagellando, & condemnando non desuit. Alterum est, quantum homines huius seculi decipiantur: quis non exitimasset diuitem illum beatum, quando diuitijs congregatis adhuc fructus agri vberes acceperunt, quis non iudicasset magnum id Dei beneficium, & donum? fuit quidem, sed quò ille abusus in supplicium incidit æternum, quod ille non cognoscens perdidit omnia, infelicissimusque est effectus. Quanto illi vitius fuisset forsân, si ager nullos illi attulisset fructus; si, quæ habebat congregata, perijissent; forsân ad mentem redijisset afflictione percussus, non saltem in talem incidisset cogitationem, propter quam anima eius ab eo nocte illa repetita est. Discamus non esse minus Dei beneficium, aduersitatem, quam prosperitatem; gratias agamus ipsi, cum corripimur; cum pro votis non succedat temporalia: quis scit, si successissent, quales euaderemus? Discant etiam, quibus prospera succedunt, timere, ne si in stultitiam labantur, simili abripiantur iudicio. Multa de hoc argumento legimus apud scripturas, & Patres, quæ passim habentur: satis sit ea hõc in loco notasse, vbi exemplum huius diuitis ea manifestat.

Quam valde homines seculi huius decipiantur.

Sunt autem hoc in loco duo maxime notanda. Vnum est diuinæ miserationis magnitudo: dum enim diuitem irridet, & minatur, & iudicium indicat, pœnitendi tempus concedit, & ad eam faciendam commouet: potuisset enim Deus animam diuitis, nullo verbo facta, repetere, & in media ipsius vana, & impia cogitatione abriperere, at non sic fecit, ne tempus pœnitentiæ adhuc denegaret, sed imminentem indicat mortem, stultitiam impropere, iudicium minatur, vt hoc medio tempore comperta stultitia, & timore ille compulsus, ad Deum conuertatur, conteratur, & saluetur; quod cum ille

Sic est, qui sibi thesaurizat: & non est in Deum diues.

COMMENTARIA.

Accomodat similitudinem, sic est, inquit, id est, similis est huic diuiti, similiaque euenient ei, omnis is, qui sibi thesaurizat, & non est diues in Deum, id est, qui solis diuitijs temporalibus acquirendis est occupatus, ijs, quæ in Deum diuitiæ sunt, postpositis, qualia sunt opera virtutum: hæc enim sunt diuitiæ in Deum; quia per eas in ipsum tendimus, eum quodammodo lucramur, & nobis acquirimus vitam æternam, per quam ipso fruimur, eam apprehendentes. Hoc declarat, & præcipit Paulus 1. Timo. 6. Præcipe, inquit, diuitibus huius seculi non alta sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo bene agere, & diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, thesaurizare sibi fundamentum bonorum in futuro.

futurum, ut apprehendant vitam æternam. Hæc Paulus. Alta sapere, sperare in incerto diuitiarum ad id pertinet, quod est thesaurizare sibi; at sperare in Deo, diuites fieri in bonis operibus, & reliqua, id est, ditescere in Deum. Quod dicitur diues in Deum, Græce est participium, Ditescens, quod indefinenter motum significat, quia continuo bonis operibus vacare debemus. Vides ergo quomodo similitudo conueniat propositæ illi sententiæ, cauendum ab auaritia, & a studio plus habendi, & non in abundantia rerum positam esse vitam hominis.

A N N O T A T I O XXXII.

Græce sunt participia sine verbo, ac si Latine diceremus: Sic thesaurizans sibi, & non ditescens in Deum. Interpres autem noster obseruauit sensum potius quam verba. Quod autem ad rem attinet, ambiguum est, an posterior pars huius sententiæ sit limitatio, an potius sequela prioris: hæc enim inter se differunt; si enim limitatio est, tunc efficitur iste sensus: sic est, qui sibi thesaurizat, non quidem omnis, sed qui sic thesaurizat, ut non ditescat simul apud Deum, qui cum diuitiarum studio, bonis etiam virtutum operibus non incumbit; iuxta quem sensum non reprobatur absolute sibi thesaurizare, sed limitate, quando homo simul desinit bene agere. Quidam recentiores hunc sensum amplectuntur. Si vero sit sequela, is sensus erit: sic est, qui sibi thesaurizat, qui eo ipso non ditescit in Deum; sicut dicimus, qui delictis carnalibus est deditus, & non studet abstinentiæ, non placet Deo, non quod limitetur prior pars, nam non datur, qui delicijs carnalibus sit deditus, & abstinentiæ, ac continentiæ studeat, sed quod declaratur, quasi sequatur ex prioribus. sic dicimus, qui seruit Mammonæ, & non Deo, Et est phrasia etiam scripturæ familiaris, Deut. 32. Seruierunt Dæmonijs, & non Deo. Psal. 106. Errate fecit in inuio, & non in uia: sic etiam dictum est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues, quasi is, qui sibi thesaurizat, non sit in Deum diues. iuxta quem sensum absolute reprobandum sibi thesaurizare; & in hunc sensum interpretantur sententiam illam Titus Bostrenus, Euthymius, & Beda, & eis adhaerimus in commentario. Iniqui autem sumus ad id affirmandum ea ratione, quia in alijs locis Euangelij absolute Dominus distinet thesaurizare. Matth. 5. Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra; quod igitur nunc prohibet apud Matthæum, apud Lucam hæc uerbis damnat, cum dicitur, qui sibi thesaurizat, esse similem huic diuiti, & qui sic thesaurizat non ditescere apud Deum.

A N N O T A T I O XXXIII.

Est adhuc difficultas in eadem sententia, quid sit diuitem esse in Deum. Titus Bostrenus idem esse in Deum interpretatur; quod secundum Deum. Euthymius uero interpretatur, apud Deum; in eodem tamen sensu, ut is sit diues secundum, seu apud Deum, qui bonis operibus incumbit. Minus autem uidetur Paulus 1. Tim. 6. hoc explicasse: Præcipe, inquit, diuitibus huius seculi, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, &c. diuites ergo fieri in bonis operibus, est ditescere in Deum. Cur autem dicatur, is, qui bonis operibus incumbit, ditescere in Deum, recentiores quidam putant, idem esse in Deum, quod in Deo, ut propositio Græca in loco est, quia uirtute Dei bona opera fiunt. Titus, & Euthymius (in loco apud, aut secundum) poni putant; ut diximus, quia qui bene operatur diuitias spirituales habet, quæ di-

Quid autem sit hoc thesaurizare, explicatur à Paulo 1. Tim. 6. Qui uolunt, inquit, diuites fieri, incidant in laqueum diaboli; ij autem sunt, qui non aliud intendunt, quam diuitias acquirere, & accumulare, id sibi tamquam finem proponentes; quos Dauid Psal. 61. expellit, Diuitiæ, inquit, si affluant, nolite cor apponere. qui ergo cor apponunt, totumque affectum in eo collocant, ut diuites sint, nullamque rationem habent iustitiæ, & honesti, dummodo congregent; ij thesaurizare sibi nunc dicuntur; & tales non sunt diuites secundum Deum. Hoc idem Dominus Matth. 6. alijs significauit uerbis. Non potestis, inquit, Deo seruire, & Mammonæ, thesaurizare igitur sibi, est idem, quod seruire Mammonæ; & non posse simul seruire Deo, & non ditescere in Deum, idem sunt, non igitur damnantur diuitiæ, nec tenentur diuites diuitias abijcere, sed non apponere cor in eis, nec sibi eas tamquam finem proponere præcipuum, eis seruiendo. Vnde Paulus 1. Tim. 6. Præcipe, inquit, diuitibus, non alta sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, & cetera; non autem dixit, ut diuitias expellant, eisque se priuent; qui igitur congregat diuitias in uisum suorum, ac familiarum, & filiorum, prouideque conseruat, ut temporibus suis ditribuat pro emergentium necessitate, & ratione honesta, non sic thesaurizat, ut diues secundum Deum esse non possit; & ita hac significatione accepit Paulus 2. Corin. 12. uerbum thesaurizandi, quando protulit Patres debere thesaurizare filijs; non autem in eo sensu nunc a Domino accipitur, quod optime explicuit, seu potius insinuauit: non enim absolute protulit, thesaurizare, sed thesaurizare sibi, quasi diceret, qui in thesauro congregando non aliud respiciunt, quam se ipsos, suamque propriam utilitatem; non aliorum, non pauperum, non inuitiæ, & honestatis; talis thesaurizandi ratio prohibetur nunc a Domino.

The saurizare
quid sit hoc
loco.

uitæ ueræ sunt, & a Deo tales reputantur; & quia prepositio illa Græca, quasi motum quandam in alium indicat, existimo, per bona opera dici hominem ditescere in Deum, quia per ea tendit in Deum, & in vitam æternam, in qua fruimur ipso, quod uidetur Paulus insinuasse 1. Tim. 6. ut in commentario diximus; de diuitibus loquens, ut supra retulimus, & explicans diuitias has, inquit: Diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonorum in futurum, in vitam æternam; hoc est ditescere in Deum. Quidam recentiores interpretantur de Eleemosyna, ut is sit diues in Deum, qui Eleemosynas dat, & ditribuit in pauperes; quæ enim in eos erogantur, in Deum erogata dicuntur, iuxta illud Prouerb. 19. Fœneratur Deo, qui miseretur pauperi; qua phrasia uis uidetur Paulus Rom. 10. Deus, inquit, diues in omnes, id est,

id est largus in omnes. Huic interpretationi obstat, nihil agi in presenti de eleemosyna, sed generaliter de incumbendo studio in omni bono opere: sermo enim est de diuite, qui totus erat in diuitijs seculi, omni cura, & studio eorum, quæ secundum Deum

sunt, postposito: obstat etiam, quia hæc sententiæ pars est, & sequela prioris; qui autem sibi thesaurizat, non tantum non erogat eleemosynas, sed nec alijs bonis incumbit. Accommodatior ergo est expositio prior, quæ in commentario posita est.

Dixitque ad Discipulos suos.

C O M M E N T A R I A.

Superiora non ad solos Discipulos, sed etiam ad turbas locutus est: omnibus enim conueniebat cauere ab auaritia, & exemplo diuitis illius discere non thesaurizare sibi, sed ditescere in Deum; at quæ nunc seruanda proponit, non omnibus sunt communia, sed Discipulis, eorumque imitatoribus, idcirco ad eos se conuertit, documenta ipsis maxime conuenientia daturus. Qua autem ratione hæc Discipulis, non autem omnibus accommodata sint, in sequentis sententiæ explicatione manifestatur.

Ideo dico uobis: Nolite solliciti esse animæ uestræ, quid manducetis, neque corpori uestro, quid induamini.

C O M M E N T A R I A.

Documentum hoc est, ne habeatis sollicitudinem ullam uictus, & uestitus uestri, quibus in posterum uisuri estis, etiam si uobis necessarij sint: uolo uos adeo rerum temporalium nulla anxietate, & sollicitudine detineri, ut etiam necessariorum sollicitudinem deponatis; nolite ergo solliciti esse animæ uestræ, quid manducetis, nec corpori, quid induamini. Cum Discipuli omnia, quæ habuerant, reliquissent, & in posterum se omnium rerum possessione abdicassent, expositi erant periculo sollicitudinis eorum, quibus indigebant, magis, quam ij, qui res suas non abiecerant, sed potius abundabant; idcirco ad eos maxime hunc profert sermonem. Præterea etiam, quia studio prædicandi Euangelium, ac conuertendi ad fidem, ac Christi sequelam totum mundum intendere debebant, idcirco omni ex parte hanc temporalium sollicitudinem eos abijcere à se uult, ne mentes eorum ea occupata, ac retenta, minus vacent muneri tali quam oportet. Hoc autem documentum ex antecedentibus infert; inquit enim: Ideo dico uobis, quasi diceret; uidetis malum, quod in diuite isto, cuius similitudinem proposui, sollicitudo temporalium operata sit: sibi enim thesaurizauit, & in annos plurimos fructus referuauit, & dum diuitiarum studio incumbit, diuitijs in Deum se priuauit, ob quæ in damnationis iudicium incidit; ideo dico uobis, ut in alterum extremum uos conuertatis, ut nec necessariorum ad uictum, & uestitum sollicitudinem ullam in posterum habeatis. Attende uerba: Nolite, inquit, solliciti esse animæ uestræ, id est, pro anima uestra, quid manducetis, non quod anima indigeat cibo secundum se, sed quod in corpore sine cibo permanere non valeat. Cetera in annotatione require.

A N N O T A T I O XLIII.

Tria sunt in superiori sententia pro eius perfectæ explanatione inuestiganda, nimirum. sensus; cum prioribus connexio; & quorundam uerborum explicatio. Quoad primum attinet Pafilus reg. breu. respon. 207. hunc locum enarrans dicit, non debere hominem sollicitum esse de necessarijs, nec laborare pro se, & hoc est, quod nunc præcipitur; licere tamen sollicitum esse pro alijs, scilicet infirmis, & pauperibus idemque docet respon. 272. Hoc tamen, ut paulo inferius dicemus, non ita est; nec prohibitio consistit in eo, quod pro se, aut pro alijs sollicitudo uerita sit, sed in ipsa sollicitudine, quæ nec pro se, nec pro alijs suscipi debet, ut igitur hoc manifestemus, aduertendum est, sollicitudinem esse; quandam animi anxietatem de aliquo euentu rei, quæ procedit ex

dubio, & incertitudine talis euentus; unde sollicitus is dicitur de cibo, & uestimento, qui animi angore premitur, quia incertus est, ac dubius, an cibum, & uestimentum erunt. Solet ista sollicitudo inducere homines in studium uehemens inquirendi rem, pro qua solliciti sunt; aut cauendi, & remouendi, si forte quod euenturum est nolent: solet etiam animum turbare, & detinere, ne alijs rebus attente vacet. Multum autem differt hæc sollicitudo à cura, & prouidentia: nam hæc consultat futuro absque animi perturbatione, & anxietate, illa uero non sic. Hoc supposito attende non prohiberi per hanc sententiam Domini curam, & prouidentiam cibi, potus, & uestimenti: si enim id esset, non laborasset Paulus manibus suis, ut haberet, unde cibum, & uestitum.

Ccc sibi,

Sententiæ superioris uerior explicatio.

Quid sit esse diuitem in Deum.

Quid sit esse diuitem in Deum.

Sensus superioris sententiæ quis sit.

sibi, & suis compararet; nec ipse Christus admisset loculos, in quibus pecunia reueruaretur in vius necessarios; sed prohibet Dominus animi perturbationem, & anxietatem, quæ nascitur ex dubietate, & incertitudine: vult enim suos non dubitare, sed fiduciam in eo habere, non desuturum. in ijs, quæ illis necessaria erunt. Hoc notauit doctus Hieronymus Matth. 6. explicans hanc Domini sententiam: inquit enim: A cura non penitus liberamur, sed præcipitur, ne solliciti simus; labor exercendus, quia in sudore vultus tui vesceris pane tuo, sollicitudo tollenda. Hæc ille. Vnde recte Augustinus lib. de opere Monachorum. cap. 1. & 2. repellit illos, qui propter hanc Domini sententiam asserbant Monachos ab operibus corporalibus, quibus victus, & vestitus comparatur, abstinere debere, contra illud Pauli 2. Thesalon. 3. qui non vult operari, non manducet; non igitur his Domini verbis negatur opus, & labor, sed sollicitudo vitius, & vestitus; immo non prohibetur, vt asseruatur cibis in posterum, vt notat Augustinus lib. contra Arianos. cap. 24. ubi refert Manichæos ex hoc deduxisse, veteri testamento nouum esse contrarium, in quo valde decepti sunt. lege Augustinum. Ad hanc sollicitudinem deponendam Petrus, ac Paulus exhortantur fideles in Christo: nam 1. Pet. 5. Omnem inquit, sollicitudinem proicientes in ipsum, quoniam ipsi est cura de vobis. & Philip. 4. Nihil solliciti sitis, & 1. Corin. 7. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Est autem duplex sollicitudo: Vna quæ ita tenet hominis animum, vt prætermittat ea, quæ facere tenetur, aut committat illa, à quibus oportet abstinere, vt prouideat iis, pro quibus sollicitus est; talis fuit sollicitudo diuitis iſtius, cuius similitudo proposita est: nam ita intentus fuit, & anxius, ac sollicitus, vt in plurimos annos sibi prouidens, negligeret pauperibus distribuere, quæ tenebatur; nec fideret Deo, nec ipſius recordaretur, nec curaret bonis operibus vaca-

ANNOTATIO XLV.

Conexio horum verborum Christi cum præcedentibus. Secundo loco notanda est conexio huius sententia cum præcedentibus: nam particula (Ideo) quandam illationem ex prioribus indicat. Aduertendum est autem hanc eandem sententiam haberi apud Matthæum cum eadem particula, quamuis alio tempore, & alia occasione à Christo prolata. Chryſostomus autem hom. 22. in Matthæum, eam quæ apud illam legitur, sic connectit, dicens: Postquam dixit: Non potestis seruire Deo, & Mammonæ, intulit, propterea dico vobis; Nolite solliciti esse: per quod ostendit ineffabile detrimentum: non solum noxam in pecunijs, verum etiam plagam in rebus, & quidem in principibus sententis, ac propriæ etiam subuersiõem salutis: si quidem vos excludunt à Deo, qui vos creauit, tunc ac diligit; propterea dico vobis nolite solliciti esse: quia enim inextinguibilem noxam esse monstrauit, deinde præceptum quoque ipsum intulit: neque enim tantummodo ea, quæ parata sunt, abijciat, verum ne super necessario quidem cibo esse sollicitos. Hæc ille, cuius mentem breuissime sic explicare possumus: quia Dominus dixerat, non potestis seruire Deo, & Mammonæ, idcirco intulit, nolite solliciti esse, quasi diceret: sollicitudo enim hæc

ANNOTATIO XLVI.

Tertio loco, quod ad verba spectat, quidam hoc in loco animam censent pro vita positam, quæ

re: hæc sollicitudo est præcepto omnibus fidelibus prohibita, de qua Petrus, & Paulus citatis locis sermonem habent. Altera est, quæ etiam si non prætermittat quæ faciendæ sunt ex præcepto, nec admittat ea, quæ prohibita sunt, tamen detinet mentem, vt non ita perfecte vacet operibus spiritualibus, & aliqua etiam prætermittat bona, quæ, etiam si non sint præcepta, sunt tamen vere bona, & ad perfectionem conducunt. Hæc autem sollicitudo non prohibetur præcepto, sed consilio, quippe sollicitudinis huius abiectio ex maiori charitate, & fiducia erga Deum procedit, & ad perfectiorem virtutum statum conducit. Existimo vtramque Christum Discipulis commendare, qui ad statum perfectissimum vocati erant, & ad summam perfectionem euehendi; ideo vult eos omnem deponere sollicitudinem erga temporalia, & necessaria, Deo fidentes, quem charitate perfectissima prosequi debebant: quo autem quisque magis diligit quempiam; eo magis ei fideat, & ab eo, quæ opus habet, sperat; eo maxime, quod reliquerant omnia, quibus idcirco conueniens erat, vt relinquere etiam omnium temporalium sollicitudinem: illa enim dimissio referebatur ad præterita, quæ habuerant; deponit vero sollicitudinis ad futura, quæ non habebant, sicque fit completa omnium dimissio propter Christum. Adde etiam, tanto maiorem charitatem se Christum erga suos demonstrasse, quanto magis eos sollicitudinem omnem deponere voluit. Atque hæc est causa, cur hoc documentum non ad turbas, sed ad tuos Discipulos conuersus pronuntiatur. Notat autem Hieronymus, licet in cibo corporali sollicitudo esse non debeat, in spirituali vero solliciti esse debemus: nam sollicitudo hæc inducit nos ad cibos spirituales quærendos, ac conseruandos, quod optimum est: vnde Philip. 2. dicitur: qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit, Paulus etiam sollicitus erat pro Ecclesiarum salute, vt ipse testatur. 2. Corin. 11.

ad Mammonam pertinet; ideo abstinendum est ab ea, si vultis seruire Deo. Sic connectit Chryſostomus, eandemque connexionem possumus accommodare præsentis sententia: vt enim diximus paulo superius, quod nunc dicitur, nempe qui sibi congregat, & non est diues secundum Deum, eundem habet sensum cum illo, non potestis seruire Deo, & Mammonæ; inde ergo infert: ideo nolite solliciti esse. At vero quia Discipulis non tantum prohibetur sollicitudo, quæ ex præcepto ab omnibus fugienda est, sed etiam quæ de consilio, & perfectione, possumus connexioni Chryſostomi hoc adiungere, hanc illationem factam ex tota etiam similitudine, & exemplo diuitis, qui præ sollicitudine sibi longam vitam promissit, nec diues fuit secundum Deum, infertque Dominus non debere esse sollicitos, quasi exhortans Discipulos, vt in alterum extremum se conuertant, veluti si diceret: Vidistis sollicitudinem diuitis, & quanta mala ei attulit, eumque diuitijs in Deum priuauit, ideo dico vobis, vt in extremum alterum conuertamini, vt ab omni sollicitudine caueatis, etiam necessariorum, sicque & præceptum, & consilium hæc sententia complectitur: atque hæc est accommodata conexio.

significatio frequens est in Scriptura; quibus fauere videtur, quod dicitur, nolite solliciti esse animæ, quid

manducetis; anima autem non manducat. at vero Chryſostomus homil. 22. in Matth. affirmat animam accipi pro altera parte hominis a corpore distincta, & reuera ita est, sequentia enim verba id satis explicant: nam additur, nec corpori, quid induamini, vbi anima corpori confertur. & rursus adiungitur: Nonne anima plus est, quam esca, & corpus, quam vestimentum? quibus in locis certum est non pro vira, sed pro altera parte hominis intelligi debere; atque hæc est causa, vt dicit Chryſostomus, cur non dixerit Dominus: Nolite solliciti esse, quid manducetis, nec quid induamini, sed distinxit animam, & corpus, quod ea de causa factum est, quia argumenta, quibus ad id persuadendum

vsurus erat, sumebantur ab ipsa anima, & ab ipso corpore. Nec obstat, quod oppositum est de cibo: vt enim recte Chryſostomus dicit, anima absolute non vitur cibo per se, tamen vt in corpore permaneat, necessarius est cibis, ideo cibis tribuitur, ipsi vestimentum autem proprium est corpori, & non necessarius animæ, sicut est cibis; ideo non ascribitur vestimentum animæ, sed corpori. Vltimo notandum est, non dici, Ne solliciti sitis, sed, nolite solliciti esse, vt explicet se prohibere eam sollicitudinem, quam homo libere, & ex proprio arbitrio sibi assumit: hanc enim Dominus vult suos discipulos, se abijcere; vt maior inde in Deo sit fiducia.

Anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum.

COMMENTARIA.

Mltis argumentis probat Dominus non debere esse Discipulos sollicitos de esca, nec de vestimentis, sed sollicitudinem deponendam esse, & abijciendam in Deum. Primum argumentum superior sententia continet. sensus est, anima, multo pluris est, id est pretiosior, quam esca; & corpus, quam vestimentum; qui igitur sine vestra sollicitudine dedit vobis quod maius est, nempe animam, & corpus, dabit etiam quod minus est, escam scilicet, & vestimentum. Ipsius ergo curæ est præstare vtrumque, non autem vestra sollicitudinis.

ANNOTATIO XXXVII.

Chryſostomus hom. 22. in Matthæum, Hieronymus Matthæ. 6. & Augustinus lib. 2. quæst. Euangel. cap. 24. interpretantur superiorem senten-

tiam sic. Qui dedit maiora, seu quod pluris est animam scilicet, & corpus, sine sollicitudine nostra dabit & minora, escam nempe, & vestimentum.

Considerate coruos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos: quanto magis vos pluris estis illis?

COMMENTARIA.

Alterum argumentum hoc est, à prouidentia diuina, qua pascit Deus coruos, qui cum sint voracissimi, nec habeant cellarium, id est promptuarium, in quo esculenta, & poculenta reponi solent: nec horreum, in quo fructus terræ reconduntur, & asseruantur. Deus tamen pascit eos, & tribuit necessaria ad vitam; cum igitur hi multo inferiores sint hominibus, maximeque ijs, qui Christum sequuntur, consequitur profecto, quod multo magis hos pascet, nam si de minimis tantam habet curam Deus, habebit profecto de magnis.

ANNOTATIO XXXVIII.

Cur coruorum magis, quam aliorum altilium sit mentio in superioribus verbis.

Ambrosius loco illius (coruos) legit, volatilia. qua voce vsus est Matthæus. At vero exemplaria Latina, & Græca habent, coruos. Vnde mendum est, quod in quibusdam legitur, ceruos. Quod autem ad rem attinet, interogabit forsitan quispiam, cur magis coruorum, quam multorum aliorum volatilium mentio facta est? Respondeo, id ob nonnullas causas conuenientissime esse factum. Prima est, quia avis hæc est voracissima, quæ qualitas efficacius reddit argumentum ad comprobandum Dei prouidentiam, qui etiam voracissimas aues pascit sine vlla earum sollicitudine. Talem autem esse coruum testatur Aristoteles, cuius testimonium paulo post recitabimus. Hoc etiam affirmat Basiliius hom. in diuites auaros, vbi hoc ipso magnificat Dei prouidentiam, quod per coruos pauit Eliam, cum hi sint rapacissimi, & voracissimi; qui cum alienas soleant escas inuadere, naturæ obliuio seruo Dei ministrarunt.

nifestatur: scribit enim Aristoteles lib. 6. de historia animalium sic de coruis: Corui, inquit, cum sint voracissimi, in regionibus paulo angustioribus, & vbi satis cibi pluribus non sit, duo tantum morantur, & pullos suos, vbi primum volare possunt, nido excludunt, mox etiam tota regione. Hæc ille. Hinc deducitur magnitudo diuinæ prouidentia erga coruos, quod expulsos à patria, & in alienam repulso regionem pascit, nec perire fame prætermittit; hanc prouidentiam commendat Iob cap. 38. dicens. Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos? Hoc idem magnificauit David Psal. 146. Qui dat, inquit, iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.

Tertia est; quia corui vtuntur multiplici genere escarum: nam vescuntur carnibus, stercibus arborum, seminibus, vermibus, & alijs multis, in quo relucet prouidentia diuina, quæ tribuit illis multiplices cibos. Hoc Dominus insinuat, cum dicit, non habent cellarium,

larium, neque horreum, hoc enim ad femina & fructus terræ pertinet, illud ad carnes, & alia huiusmodi.

Quarta est, vt dum coruorum fit mentio, reducat in memoriam Discipulorum prouidentiam illam Dei, qua seruum suum Eliam tempore famis, sine vlla eius opera, & solitudine paui, & quidem laute, & abundanter per coruos, qui singulis diebus panem, & carnem semel in die ad prandium, & semel in nocte ad cenam detulerunt, vt scriptum est 4. Regum 17. quasi hoc exemplo coruorum diceret: Recordamini, qualiter Eliam paui per coruos, & confidite me daturum etiam vobis necessaria ad victum. His de causis existimo Dominum à coruis argumentum sumpsisse, ad confirmandam suam diuinam prouidentiam. Pulchre autem vnum dicit Ambrosius, diuinam prouidentiam erga volatilia ponens: Si volatilibus, inquit, celi, quibus nullum exercitium cultionis, nullus de messium fecunditate prouentus est, indeficientem tamen prouidentia diuina largitur alimoniam, verum est causam inopiae nostrae auaritiam videri; etenim illis idcirco inelaborati pabuli vltus exuberat, quod sibi fructus communes ad escam datos, speciali quodam nesciunt

vindicare dominatu: nos communia amissimus, cum propria vendicamus: nam nec proprium quicquam est, vbi perpetuum nihil est; nec certa copia, vbi incertus euentus. cur diuitias tuas aestimes, cum tibi Deus etiam victum cum ceteris animalibus voluerit esse communem? Aues cæli speciale sibi nihil vendicant: & ideo pabulis indigere nesciunt, quia non norunt aliis inuidere. Hæc ille. Notat autem vnum Chrysostomus homilia 22. in Matthæum, nimirum Dominum non proposuisse exempla Moysis, & Eliæ, Ioannis, cæterorumque, qui sine solitudine cibi fuerunt, ne dicerent Discipuli: Nos non sumus his similes, sed inferiores. Sumit ergo exemplum à coruis, & volatilibus, ut omnem prætextum auferat; si igitur illorum, quæ propter hominē creauit Deus, quæque eo sunt inferiora, tantam gerit curam, multo magis geret hominis, ac Discipulorum suorum. Notat etiam, dum dicitur, (non seminant, nec metunt) non prohiberi omnibus has actiones, & opera, sed vetari solitudinem, & anxietatem animi, vti dictum est. Ego autem hoc verum puto, si præceptum consideremus; at vero, quæ consilij erant, & Discipulis peculiariter, nunc docens, etiam hæc Discipulis distinet.

*Quis autem vestrum cogitando potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?
Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis?*

COMMENTARIA.

Tertium argumentum est hoc: sumitur autem à uanitate, & inefficacia solitudinis humanæ; sensus, & efficacia argumenti hæc est, nemo sua sollicita cogitatione augere potest corpus suum, nec staturæ propriæ addere cubitum vnum; si ergo hoc, quod est minimum opus Dei, sua solitudine homo non potest efficere, frustra anxius, & sollicitus est de maioribus Dei operibus; cum nec hæc efficere ualeat: qui enim minus non potuit, profecto nec maius, & difficilius efficere ualebit. Relinquendum igitur est hoc ipsi Deo, qui fecit illud, nempe qui corpus auxit; ipse enim escam præbebit, quod maius est. Explicationem huius argumenti, & sententiæ sequens annotatio habet

ANNOTATIO XLVIII.

Explicatio vberior præcedentium verborum.

Beda hanc sententiam de vestimento corporis interpretatur, quasi Dominus per eam velit ostendere non debere Discipulos sollicitos esse de vestimento corporis: at vtro accommodator est interpretatio, hanc etiam ventrem sententiam, sicut præcedentem, procedere de esca, & iis, quæ ad victum pertinent. Quod ex Matthæo manifeste colligitur: nam postquam dixit: Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? statim ad vestimenta se conuertit: Et de vestimento, inquit, Quid solliciti estis? quasi præcedens sententia non ad vestimentum pertineat.

Particula, cogitans, perperitur, & particula, cubitum.

Sunt autem duo verba attendenda, vnum est illud, cogitans, quod non mentis cogitationem, aut ratiocinationem significat, sed solitudinem, & anxietatem: nam Græce habetur *μετρωσθαι*, id est, sollicitus existens. Alterum est illud, cubitum: notat enim Euthymius, ideo cubiti Dominum meminisse: quia cubitus est mensura staturæ corporis: nam vnusquisque habet quattuor cubitos proprios, mensuram altitudinis corporis sui. Hæc omnia facilia sunt: at multo difficilius est huius argumenti vim, & sensum apprehendere: non enim videtur argumentum hoc valere, non potestis cubitum staturæ addere, quod minimum est; igitur nec poteritis vestra

solitudine assequi quod maius est, nempe escam, seu victum. Hoc, inquam, non videtur valere: nam augere corpus, non voluntati hominis, nec potestati subiectum est; at cibos, & escam comparare voluntatis, & potestatis hominis est, vt experientia docet; maius ergo, non autem minus est staturæ cubitum adijcere, quam cibos comparare; vnde non valet; si de illo non debemus esse solliciti, quia talis sollicitudo vana est, quod de hoc etiam solliciti esse non debemus: non enim in eo vana erit sollicitudo nostra. Insudant recentiores in explicanda hac sententia: est enim argumentum à minori, nempe, si non potestis facere minimum, nempe cubitum staturæ propriæ addere, nec etiam poteritis escam vestra solitudine dare, cum maius hoc sit; nec ex interpretationibus eorum, vlla apparet accommodata responsio. Nobis visa est commentarij expositio legitima, & accommodata, quæ paulo fusius explicanda, & confirmanda est. Duo sunt opera Dei erga hominē, vnum est augmentum corporis, & staturæ. alterum est escis nutrire, & conseruare. Si vnum alteri conferatur, minus est ad cubitum vnum augere corpus, quam tot escis nutrire, & conseruare: nam in hoc posteriori comprehenduntur multa opera, ciborum nempe, & escarū multiplicium productio, quibus

quibus homo pascitur, quod maius est, quam augmentum vnus cubiti in vno homine; in augmento quidem magis apparet impotentia hominis, quia videmus per hominem id fieri non posse; at in escarum ministerio minus apparet, quia aliquod opus hominis intercedit, nempe labor in seminando, metendo, congregando: at nisi opus Dei intercederet, sed sola opera hominis, nihil prorsus efficere, sed omnia vana essent. 1. Corin. 3. Non enim qui plantat, neque qui rigat, aliquid facit, sed qui incrementum dat Deus. hinc est vt maior sit prouidentia, ac efficacia in esca, quam in augmento cubiti vnus, postquam iam homo consistit. Explicat Augustinus hoc opus Dei, quo cibos, & escas facit, præponitque illud operi, quo quinque panibus quinque millia hominum satiauit: nam hom. 24. in Ioann. sic inquit: Quia miracula Dei, quibus totum mundum regit, vniuersamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita vt pene nemo dignetur attendere opera Dei mira, & stupenda in quolibet seminis grano; secundum ipsam suam misericordiam seruaui sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter vltimum cursum, ordinemque naturæ, vt, non maiora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerunt: maius enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus, & tamen hoc nemo miratur: illud mirantur homines, non quia maius est, sed quia rarum est. Hæc Augustinus. Est igitur argumentum, si homo non potest suæ staturæ vnum addere cubitum,

igitur nec poterit escas multiplices efficere, quibus se nutriat, & conseruet; vnde consequitur, quod sicut sollicitudo in priori vana est, ita in posteriori: vt enim illud non efficit, ita nec hoc: non ergo solliciti esse debemus in escis conquirendis: non quod nostrum est, efficere non debeamus, laborando, & operando, sed quod sollicitudo tantum vana sit in escis habendis, quam est in augendo corpore. Hunc puto esse sensum, qui à Chrysostomo significatus est hom. 22. in Matthæum, vbi: Quis, inquit, cogitando anxie poterit ad staturam suam adijcere cubitum vnum? ex hoc, quod apertum est, illud etiam, quod occultum erat, fecit esse perspicuum: sicut enim corpori ne exiguum quidem augmentum sui potes adijcere curando, ita nec oportet alimoniam congregare, etiam si ita in animum inducas. Ex quo profecto manifestum est, nequaquam nostra industria, sed prouidentia Dei ea perfici, in quibus ipsi videmur operari: quod si ille nos deserat, non sollicitudo vlla, non cura, non labor, nec quicquam horum apparebit, sed cuncta disfluunt. Hæc ille. Hunc eundem sensum vnico verbo insinuauit Augustinus lib. 2. quæstionum. Euang. cap. 28. Quod Dominus, inquit, dicit, si quod minimum est, non poteritis, cum de augenda corporis statura dicit: minimum enim est hoc, sed Deo corpora operanti. Hæc Augustinus, interpretatur enim minimum esse augere corpus ipsi Deo, facta collatione ad opus, quo corpora facit, quando nempe escas ministrat.

Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent, dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis.

COMMENTARIA.

Postquam de sollicitudine in victu etiam necessario deponenda egit, transit ad id, quod minus est, nempe ad vestimenta, argumentumque facit ex liliis, quæ cum sint res parui momenti, Deus absque vlla opera eorum sic vestit, ac ornat, vt Salomon ille Rex, rerum affluentis deditissimus, potentissimus, ac sapientissimus, quando gloriosus, & in maiestate sua apparere volebat, numquam habuit ita pulchra, ac decora vestimenta, qualia dat Deus singulis liliis non laborantibus, nec nentibus; considerate ergo quomodo crescunt: dum enim crescunt, inuolucris, & vestimentis circumdata sunt, vt apparet in ipso flore, antequam aperiatur.

ANNOTATIO L.

Hanc sententiam ad vestimentorum solitudinem deponendam pertinere expresse significat Matthæus: inquit enim sic: De vestimentis quid solliciti estis? considerate lilia agri. Addit illud verbum, agri, quod maiorem argumento affert efficaciam, lilia, inquit, agri, quæ manibus hominum non seminantur, nec coluntur, sed sponte nascuntur ex terra, ac ideo videntur minus debere esse ornata; at Deus non tantum vestit, sed sic vestit, & ornat, vt vincant omnem hominis operam in ornamentis conficiendis. Chrysostomus hom. 23. in Matthæum notat, dum dicitur (non laborant, neque nent) non excludi opus nostrum, sed curam, & solitudinem. Ponderat etiam illud, omni, quo significat Salomonem florum decore superatum esse, non semel atque iterum, sed tota ætate, qua regnavit. Illud etiam, Non sicut vnum ex istis, quia ab

omnibus est superatus. Interrogat etiam, cur non est vltus exemplo auium, sicut in esca vltus est volatiliam, & coruorum exemplo. Cur, inquit, non ex auibus pauum nobis proposuit, aut cygnum, aut ex pecoribus agnum? multa quippe ex animantium genere exempla sumere potuisset. Respondet, id ad exaggerationem diuinæ prouidentie factum esse, quæ herbam, vilis cum sit, tanto ornat vestimentorum decore; quam causam sequens sententia indicat. Euthymius Matth. 6. interpretatur illud verbum (crescunt) nimirum in solis, quæ quantum crescunt, tantum decorem ostendunt. Existimo autem, vt dictum est in commentario, hoc dictum esse, quia flores liliorum, quando crescunt, & nascuntur, etiam inuolucris quibusdam, quasi vestimentis, obvoluntur.

Si autem fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos.

C O M M E N T A R I A.

Colligit argumentum à minori, & vt efficaciam augeat, dimiuit ex vna parte liliorum substantiam; primo quidem à genere suo; appellat enim fœnum, seu herbam, quod vile quid est: rursus à duratione, hodie est, per diem fere arefcit: rursus ab vsu, cras mittitur in clibanum, tamquam ignis fomentum, vt comburatur, non enim in vsus vtilis, aut magnos conducit; rem autem hanc vilem Deus non tantum vestit, sed sic vestit, vt supra Salomonis vestimenta gloriosa ornet ea: quanto igitur magis faciet vobiscum, qui longo interuallo superatis lilia, & propter quos illa creata sunt, prouidebitque vobis de vestimentis necessariis? Illud, Vos, emphasim habet, vos, inquam, qui mei estis Discipuli, propter quos veni in mundum, tantaque Deus effecit.

A N N O T A T I O L I.

Fœnum quid hoc loco. **F**œnum Græce, κάρπος, quod fœnum, gramen, seu herbam significat, positumque est hoc in loco, tamquam genus comprehendens lilia, & alia similia; vt per hoc magis explicet vilitatem substantiæ liliorum, quæ plus demonstratur in suo genere, quam in ipsis, propter pulchritudinem eorum: hæc enim occultat illam. Nec ex hoc loco deducitur, Deum de vestimentis pulchrioribus prouidurum Discipulis: hoc enim non ita est, sed argumentum est, si tantam prouidentiam habet Deus in vestiendis liliis, vt sic ea vestiat, multo magis curabit de vestitu necessario Discipulorum. Chrysof. homilia 23. in Matthæum similem sententiam explicans, inquit sic: Cuius rei gratia tanto etiam herbas decore vestiuit, vt suam sapientiam ostenderet, copiamque virtutis, vt vndique eius gloriam disceremus: non enim cæli tantummodo narrant gloriam Dei, ve-

rum etiam terra: nam hoc quoque David ipse dicit Psalm. 148. Laudate Dominum ligna fructifera, & omnes cedri. Alia quidem fructu, alia vero magnitudine, alia decore laudem Creatori transmittunt. Id autem ipsum maximas designat diuitias sapientiæ, quando etiam in hæc, quæ sunt vilissima, tantum decoris effudit: si igitur fœno, quod non in vsu dedit, quomodo tibi, quod vsui est, non dat? Hæc, & alia Chrysofomus. Per hoc ostendit, non modo nequaquam debere esse sollicitos, sed nec obtupesce- re, & admirari vestimentorum luxum, & sumptum, quandoquidem pulchritudo florum, & decor varius herbarum, ipsumque fœnum tali amictu inuenitur pretiosius: cur igitur ex his in superbiam mentis erigeris, in quibus perfacile de te obtinet etiam herba victoriam?

Pusilla fidei.

C O M M E N T A R I A.

Postquam ostendit non debere eos esse sollicitos de victu, & vestitu, increpat, & ipsa increpatione non solum excitat ad fidem adhibendam dictis, deponendumque sollicitudinem, sed etiam manifestat radicem malam, vnde illa procedat, nempe à paruitate, & modicitate fiduciæ erga Deum: ideo enim sollicitamur, & anxij in his sumus, quia parum fidimus tantæ Dei prouidentia. Hac igitur manifestata radice, ad expellendam sollicitudinem efficacius animus audientium permouetur, confidentiorque in Deo efficitur.

A N N O T A T I O L I I.

Eadem est sententia apud Matthæum, & Græce idem est vocabulum, licet interpres apud Matthæum, Modicæ fidei; hic autem, Pusillæ fidei, verterit. Est autem nomen Græcum vnum ex vtroque compositum. Hoc autem in loco non accipitur fides pro mentis assensu, sed pro voluntatis fiducia, vt recte notat Euthymius, quæ significatio frequens

est in Scriptura, vt aliàs notatum est. recte autem hac vitur interpretatione: nam licet loqueretur Discipulis, audiebant tamen turbæ: erat enim hæc doctrina, qua parte præceptum est, etiam illis necessaria, quibus magis inerat hæc modica fides; licet Discipuli, cum adhuc perfecti non essent, ab ea non essent omnino immunes.

Et vos nolite querere, quid manducetis, aut quid bibatis.

C O M M E N T A R I A.

Alterum est hoc documentum à præcedente: nam in priori prohibita est sollicitudo victus, & vestitus; at nunc prohibet, ne ea inquirantur. aliud autem est sollicitum esse, aliud querere: nolite, inquit, querere; querit autem ille, quid man-

manducet, & bibat, qui præcipuum, ac primum studium in ijs rebus collocat, quod nulla ratione fieri debet: vt enim homo creatus est in æternam vitam, & ad cælestia bona, dataque sunt ei hæc terrena ad tempus, & in subsidium vitæ huius præsentis, ita primum studium collocandum est in illis, non in istis. Non igitur hæc terrena anxie, nec sollicitè sunt cogitanda, immo nec querenda, quasi ad hæc comparanda simus in hoc sæculo.

A N N O T A T I O L I I I.

Hæc sententia non est conclusio præcedentium, nam non habet particulam illatiuam, nec repetitur idem verbum, nempe, Nolite solliciti esse; sed est particula copulans, & continuans; & est verbum longe diuersum: aliud enim est sollicitum esse, aliud querere: illud enim Græce est, *μεινυτε*, hoc, *ζητετε*: id ipsum ex sequentibus patet: Querite ergo primum regnum Dei, & hæc adiiciuntur vobis, quæ ostendunt hanc sententiam non de sollicitudine intelligendam, sed de non querendis temporalibus, etiam ad vsum necessariis, quasi ea sint præcipua bona, & propter quæ alia geruntur. Hanc significationem habere verbum hoc aperte docet Paulus Coloss. 3. Quæ sursum sunt, inquit, querite, vbi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. Illud, non quæ super terram, ad vtrumque refertur, nimirum, querite, quæ sunt sursum, nõ quæ super terram; sapite quæ sunt sursum, non quæ super terram. Quod ergo Paulus dicit, querite quæ sursum sunt, non quæ super terram, hoc est, quod nunc dicit Dominus: Nolite querere, quid manducetis, nec quid bibatis, id est, studium vestrum, & opus vestrum præcipuum non sit in terrenis, etiam necessariis, ad vitam; sed querite primum regnum Dei. hoc idem habetur 2. Corinth. 12. Non quero, inquit, quæ vestra sunt; sed vos, id est, quod pretendo, non est vestra habere, sed vos saluos facere, hic est meus scopus. Huic non est contrarium, quod dixerat 1. Corinth. 9. Si nos Spiritualia nostra seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus: accipiebat hæc Paulus, sed non querebat, nec propterea laborabat apud illos. Hoc igitur est, quod nunc dicitur, Nolite querere quid manducetis, nec quid bibatis. Hæc sunt, quæ mihi videntur accommo-

data huic sententiæ. At vero non omnes ita sentiunt. Beda conuenit nobiscum in eo, quod hæc sententia non est eadem cum illa (Nolite solliciti esse) nec prohiberi hic sollicitudinem cibi, & potus; dicit tamé vitari curiositatē, ac singularitatē in victu, & vestitu; & verba ipsius sunt hæc: Notandum, quod non ait nolite querere, vel solliciti esse de cibo, aut potu, aut indumento; sed expressius, quid manducetis, aut quid bibatis: vbi mihi videntur argui, qui spreto victu, vel vestitu communi, lautiora sibi, vel austeriora, præ iis, cum quibus vitam ducunt, alimenta, vel indumenta requirunt. Hæc ille. Clemens autem Alexandrinus longe antiquior Beda diuersum huius sententiæ sensum assertit lib. 2. de pædagog. cap. 10. nimirum, ne abundantia cibi, & potus studeamus, plus, quam necessarium est, habere cupientes: quod enim amplius est, ex superfluo est: quod autem ex superfluo est, ex diabolo esse declarauit, inquit, scriptura. Iuxta Bedæ ergo sensum, curiositas in victu, & vestitu, singularitasque prohibetur; iuxta Clementem autem, cupiditas superflua habendi in istis. non improbo interpretationes has; mihi tamen accommodatior visa est, quam in commentario explicui. Hinc sequitur diuersam esse hanc sententiam ab illa Matthæi; Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim est velut conclusio illata a præcedentibus, quod denotat particula, ergo, & est de sollicitudine deponenda, de qua prius locutus erat Dominus. at nostra sententia nouum est, vti diximus, documentum, quod cum sequenti habetur apud Matthæum, forsan quia tunc non fuit a Domino traditum: nam quæ Matthæus narrat, alio tempore, & loco dicta sunt, quam quæ nunc a Luca narrantur.

Et nolite in sublime tolli.

C O M M E N T A R I A.

Connexum est hoc documentum priori, quo iubet Discipulis, non solum, non collocare studium suum præcipuum in inquirendis temporalibus ad victum, & vestitum necessariis, vt in priori documento continetur; sed nec obseruare tempora, ac signa superiora elementorum, & cælorum, quasi inde sperantes, aut timentes copiam, vel inopiam alimentorum. Vult autem Dominus suos Discipulos totam spem in Deum ponere, & ab eo sperare sibi necessaria, siue sit inopia, siue copia frugum, & alimentorum, nec dependere à pluuiis, ventis, sterilitate, foecunditate terræ, nec ab influentiis superiorum corporum. Nolite ergo in sublime tolli speculantes futurorum signa. Non verat absolute harum causarum obseruationem respectu effectuum naturalium; sed Discipulis id prohibet, quippe quos vult omnino dependere a Deo, & ab eo sperare alimenta, sine vlllo impedimento talium causarum.

ANNOTATIO LIV.

Pars illa, in sublime tolli, ponderatur.

Illud (in sublime tolli) Graece est μετεωρίζεσθε, à verbo μετεωρίζω; sunt autem multae, ac variae interpretationes. Primo loco Clemens Alexan. lib. 2. de Pædagog. cap. 10. interpretatur sic, nolite à veritate abduci, connectitque cum præcedenti sic: vt enim supradiximus, præcedentem sententiam (nolite quærere quid manducetis) explicat de nimia cupiditate ciborum vltra necessarium, quod ad delicias, ac voluptates spectat: hæc autem solent animos à veritate abducere; ideo subiungit: Nolite in sublime tolli, quod fiet, si non quæratis superfluos cibos, ac potus: sic interpretatur, & connectit Clemens hanc vtramque sententiam.

Secundo loco August. lib. 2. quæst. Euang. c. 29. quem Beda eisdem verbis secutus est, interpretatur de arrogantia, quæ solet ex diuitijs, & affluentia procedere, iuxta illud. 1. Tim. 6. Præcipe diuitibus huius seculi, non sublime sapere, id est non extolli, non superbire; connectunt autem sic, dicentes: Prohibita sollicitudine de alimentis, consequenter, ne extollantur, admonuit: primo enim hæc ad necessitatem implendam homo quærat; cum autem hæc abundauerint, incipit & superbire de talibus. Tale est hoc, ac si vulneratus quis se iactet, quia habet multa emplastra in domo, cum hoc illi bonum esset, vt vulnera non haberet, & ne vno quidem emplastro indigeret. Hæc illi.

Tertio loco Theophylactus dicit in sublime tolli nihil aliud significare, quam distractionem, & mentis instabilem versationem nunc hoc, nunc illud cogitantis, & ab hoc in illud salientis, & semper sublimius quiddam imaginantis secum, vt facere solent, qui præsentibus non contenti ad maiora semper inliant.

Quarto loco Euthymius contrario modo interpretatur verbum, nempe à sublimibus, & cælestibus ad terrena detrahi, quæ interpretatio, si vera est, facile cum præcedenti connectitur. Hæc antiqui dixerunt.

Quinto loco, quidam recentiores dicunt hisce verbis allusum esse ad gestum eorum, qui præ magna sollicitudine anxij vultum ad Cælum attollunt; ideo hoc (nolite in sublime tolli) vertunt sic, ne anxij sitis, id est, ne de diuina prouidentia dubitetis.

Sexto loco quidam alij putant hæc sententia confutari Astrologos, & ex astris sibi prognosticantes vel sterilem, vel fertilem fore Annum, actiones suas se-

cundum astrorum cursum disponentes, ab astris magis, quam à diuina prouidentia dependentes; quod etiam dicunt Deum per Ieremiam venisse: nam cap. 10. inquit: A signis Cæli nolite metueri, quæ timent Gentes ab eis.

Septimo loco quidam alij non aliud dicunt significare hoc in loco μετεωρίζεσθε, quàm ex alto speculari, quod vulgo dicimus facere longos discursus, quasi nullum diuinæ prouidentia relinquentes locum: existimantque isti hanc sententiam in sensu conuenire cum illa Matth. 6. Nolite solliciti esse in crastinum.

Octauo quidam alij putant idem esse nolite in sublime tolli, quod, ne sitis animo suspensio, velut is, qui est suspensus corpore, qui nec terram, nec cælum attingit; sed firmate spem, ac fiduciam in Deo.

Nono, quidam dicunt hic præcipi, vt cum Discipuli hæc omnia, quæ dicta sunt, seruauerint, plurimumque ab alijs laudati fuerint, tamquam sublimiorem vitam ducentes, non consentiant se tolli in sublime: nec solus consensus, sed etiam occasio prohibetur; ne scilicet occasionem dent, vt in sublime tollantur opinionibus, & laudibus humanis, iuxta illud Pauli. 2. Corin. 12. Parco autem ne quis me exultimet supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Hæc sunt omnia, quæ tam Antiqui, quam Recentiores in huius sententiæ expositione ferferunt, quibus significatio verbi Graeci siue per proprietatem, siue per metaphoram sumpta, ex parte aliqua fauet.

Mihi ea interpretatio, quæ in commentario posita est, visa est valde accommodata, non quod hæc sententia veret Christus Astrologiam, sed id, quod communiter homines, etiam non Astrologi faciunt: obseruant enim pluias, Soles, tempestates, grandines, & alia similia, quæ solent aut sterilitatem, aut fertilitatem efficere, & sibi timent, aut sperant, de alimentis proprijs cogitantes; hoc quidem ex se malum non est: cum enim sint naturales causæ, & effectus, non est cur vitio detur eorum speculatio, dummodo super omnia diuina prouidentia agnoscat: at Discipulis hoc prohibet Dominus, quos sibi ab eo pendere vult, vt nec propter sterilitatem quamcumque debeant desperare ab eo alimenta necessaria, qui autem in omni euentu certus est de alimentis, non est cur obseruet superiorum corporum effectus, & mutationes.

Auctoris positio.

Hæc enim omnia gentes mundi quærunt.

COMMENTARIA.

Causam exponit, cur Discipuli non debeant ista quærere; ea autem est ex differentia inter eos, & Ethnicos: gentes, inquit, mundi, id est, Ethnici hæc omnia quærunt, id est, studium suum præcipuum in istis terrenis collocant, quærentes, quid manducet, & bibant, cæteraque similia; in sublime se tollunt, naturalia obseruantes elementa, eisque confidentes: cum enim Dei notitiam non habeant, nec quæ seculi futuri sunt, eis sint reuelata, ad ea, quæ huius mundi sunt, conuertuntur. Vos ergo, qui multum ab ijs diuersi estis, & qui Discipuli mei estis, quibusque reuelata sunt secreta cælestia, verique Dei fides data, aliter debetis facere, nec cum eis communicare.

ANNOTATIO LV.

Argumenti genus in Scriptura valde vitatum.

Solet in Scriptura hoc argumenti genus vsurpari, nempe à discrimine, quod est inter fideles & infideles, quorum mores longe diuersi esse debent, sicut & professiones. Matthæi 5. Si saluaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nonne

& Ethnici hoc faciunt? & cap. 6. Nolite multum orare, sicut Ethnici faciunt. 1. Thessalo. 4. Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Quod enim malum gentes faciunt, fideles id cauere fortiori vinculo

culo obligantur; si autem quid boni faciunt, cumulatius, & perfectius Christianos facere oportet; ac multa quæ illis tolerabilia sunt, aut aliquam excusationem habent, fidelibus inexcusabilia sunt. Quod enim Gentes quærant terrena, & in sublime tollantur, in ipsis fiduciam collocantes, aliquid est, quod quodammodo excuset, minusque reos efficiat: Deum

enim ignorant, sine noticia, & spe cælestium sunt. At fideles, & Discipuli Christi, qui Deum norunt, qui non solum cognitionem, sed etiam promissionem cælestium habent, debent à similibus abstinere, amputando etiam quæ licita, minus tamen perfecta sunt.

Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

COMMENTARIA.

Confirmat id ipsum altero argumento: Deus, qui Pater vester est, scit vos indigere cibo, potu, cæterisque similibus, non ergo est, cur vos in istis quærendis studium vestrum, ac operam præcipuam collocetis. Nota efficaciam argumenti: Deus est, cui confiditis, non igitur deest potentia ad subueniendum: Pater est, non igitur deest voluntas: scit indigentiam vestram, non igitur illi inest ignorantia; omni ergo ex parte sufficienter prouisum est vobis: nam tria hæc necessaria sunt in eo, cui fidere possumus omni deposita nostra inquisitione, vt possit, velit subuenire, sciatque indigentiam nostram, ac quando subueniendum est: cumque in Deum ista maxime concurrant, ipse enim Omnipotens est, quia Deus est; vehementissime amat, quia Pater est; nihil eum latet, quia omnia scit: nolite ergo quærere necessaria ista temporalia, nec euentus temporum consideretis, sed relinquite curam Deo præcipuam.

ANNOTATIO LVI.

Proposita sententia quomodo appetitur ex positionibus prius adductis

Ista verba aduersantur multis expositionibus supra narratis illius sententiæ (Nolite in sublime tolli) cum enim sit argumentum, & ratio præcedentis documenti, aut prohibitionis, non possunt accommodari, nisi parti illi scilicet, nempe, Nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: nam Pater vester scit, quia his indigetis. Alteri autem parti, nempe, Nolite in sublime tolli, si sequamur supra dictas expositiones non accommodantur: non enim hæc connectuntur: Nolite extolli, nec arrogantes esse: quia Pater vester scit, quia his indigetis; similiter non coherent cum alijs multis ex narratis; vnde oportebat hanc sententiam, Nolite in sublime tolli,

iuxta sensus illos, postponi huic; at vero, cum sit ante posita; & hæc sententia ratio sit vtriusque partis, necesse est illam partem posteriorem, scilicet, Nolite in sublime tolli, interpretari vt referatur ad priorem, nempe studium rerum temporalium, & necessariorum: tunc enim optime quadrat: Nolite, inquit, quærere quid manducetis: nec respiciatis elementorum, & cælorum motus, ac euentus, à quibus alimenta depêdent; deponite totum hoc, satis sit vobis Patrè vestrū scire vos indigere: prouidebit enim vobis sine hac vestra inquisitione, & obseruatione, in quocumque euentu, siue sterilitas sit, siue fertilitas, siue prosperum, siue aduersum tempus.

Verumtamen quærite primum regnum Dei.

COMMENTARIA.

Postquam animos Discipulorum à studio, & inquisitione terrenorum auertit, eos de cæli regione commonet docens, quæ sint præcipua quæranda, in quibusque studium, ac cupiditas collocanda: Quærite inquit primo regnum Dei. Venit Christus veterem soluturus vitam, ad cælestemque, ac veram patriam vocaturus; idcirco cuncta perficit, vt nos à terrenorum sollicitudine, & appetitu eximat, & ad æterna transferat: propterea enim Ethnicorum meminit: hæc enim omnia, inquit, gentes quærunt, quorum nimirum erga præsentem vitam labor omnis consumitur, quibus nulla prorsus cura est futurorum, nec cogitatio de cælo, ideo illa præcipue quærunt; vobis autem non sic faciendum est: quærite ergo primum regnum Dei.

ANNOTATIO LVII.

Illud aduerbium, primum, non habent Græci multa, nec legunt Tertullian. lib. 4. contra Marcionem c. 29. Euthymius, nec Ambros. neque Beda; habent tamen plurima latina exemplaria, & est apud Matthæum cap. 6. siue legamus, siue non, sensus idem est, vt nimirum præcipuum studium nostrum non sit in temporalibus, sed in cælestibus: Hæc enim sunt ante omnia, & simpliciter ac absolute quæranda, & appetenda. Regnum autem Dei in Scriptura,

plurimas habet significationes: nam significat Christum, Ecclesiam militantem, patriamque cælestem, beatitudinemque nostram æternam. huic autem loco tertia significatio accommodatur: hoc enim regnum quærendum dicitur, de quo Matth. 25. Scriptum est, Venite benedicti Patris mei, possidete vobis paratum regnum à constitutione mundi; sicque interpretatur Chrysostomus hom. 23. cum alijs, cui interpretationi ad hæc sumus in commentario.

Regnum Dei, plures habet in Scriptura significationes.

Et iustitiam eius.

C O M M E N T A R I A.

HOC etiam est quærendum præcipue, & ei toto studio, ac labore iucumbendum, nempe bonis, ac sanctis operibus, per quæ ad regnum peruenitur: parum enim prodest appetere regnum cæleste, ipsumque inquirere, & in quo positum sit, agnoscere, nisi ea adhibeamus, quibus illud consequi valeamus; ea autem sunt bona opera ex Dei gratia facta, quæ dicuntur iustitia regni, quia per ea habemus ius ad regnum: iustus enim dignus est regno cælesti: unde 2. Tim. 4. dicitur: Corona iustitiæ, quam, inquit, reddet mihi Dominus in die illa, iustus iudex, non solum mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius. Hæc iustitia est quærenda.

A N N O T A T I O L V I I I.

GRæca non habent (iustitiam eius) sicut nec aduerbium superius (primum:) nec etiam legunt Tertullian. lib. 4. contra Marcionem, cap. 29. Ambrosius, Beda, Euthymius; at multa Latina exemplaria legunt, & habentur à Matthæo, & in emendatis Bibliis retenta sunt ista; idcirco ea sumus interpretati: certum enim est à Christo prolata, siue apud

Lucam, siue apud Matthæum. Probat hoc verbum (iustitiam eius) meritum bonorum operum, per quæ ius habent iusti ad regnum, quod ideo coronæ, & mercedis nomen habet: per gratiam enim efficiuntur membrum Christi, & filij Dei, & hæredes, inde opera meritum, & iustitiam accipiunt.

Et hæc omnia adiicientur vobis.

C O M M E N T A R I A.

QUærenti ante omnia regnum Dei, & iustitiam eius, adiicientur temporalia, quæ ad victum, & vestitum necessaria sunt: iusto enim intento, & incumbenti operibus Dei prouidet ipse Deus: Oculi iusti semper ad Dominum, & ipse euellit de laqueo pedes eius. Senior fui, inquit Dauid, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Non dicitur, dabuntur, sed adiicientur, quia ista bona comparata regno Dei, & iustitiæ, minima sunt, & quasi quæ dantur vt corolarium, & additamentum quoddam: hæc ergo adiiciuntur; non autem dicuntur quærenda præcipuo loco: non enim creati sumus, vt edamus, bibamus, & vestiamur; sed vt placeamus Deo, & bonis futuris potiamur: cætera perfunctorie curanda sunt. Attende autem hæc promitti adiicienda, non omnibus, sed quærentibus regnum Dei, & iustitiam eius. Qui quærit igitur futura, consequitur præsentia.

Nolite timere pusillus grex.

C O M M E N T A R I A.

RADICEM sollicitudinis, & inquisitionis potus, cibi, vestimentorum, aliorumque temporalium amputat; hæc autem est timor quidam carnalis, & humanus, quo timet homo, ne sibi deficient ea, quibus ad vitam conseruandam indiget: hic timor est, unde sollicitudo procedit, & qui facit studium, & diligentiam in ijs conquirendis vehementem. ne ergo timor insurgeret in Discipulis, maxime cum audissent se de victu, cæterisque vitæ necessarijs non debere esse sollicitos, nec ea quærere, cum etiam considerarent se esse in paucis numero, & pauperes, & infimæ conditionis, quos mundus in pretio non haberet, idcirco Dominus huic morbo medetur dicens: Nolite timere pusillus grex, quasi diceret, audistis sollicitudinem omnem, ac inquisitionem necessariorum vitæ deponendam; consideratis paucitatem vestram, qui vobis ipsis subuenire non potestis sine aliorum auxilio, nolite ob hæc timere: expellete cum sollicitudine, & studio erga necessaria vobis, etiam hunc timorem; vt radice amputata, rami etiam arefcant. Metaphorice appellat suos credentes, Gregem, qui proprie ouium est, & animalium; Pusillum autem, tum propter paucitatem, tum propter abiectionem, quæ poterant eos timere facere.

A N N O T A T I O L V I I I.

EVthymius, ob vnam ex tribus causis, congregationem Discipulorum ac fidelium gregem pusillum dictam esse censet, aut collatione ad Angelicam multitudinem: in parabola enim Angelos, nonaginta no-

uem oues, hominem vero, vnam appellauit: hanc causam assignat Titus Bostrenus: aut comparatione ad magnitudinem multitudinis infidelium: aut propter voluntariam deiectionem, & humilitatem eorum.

rum. Nos addidimus quartam, nempe propter abiectionem conditionis: nam erant omnes fere plebei, & pauperes. Titus Bostrenus addit aliam, nempe quia in mundo parui fiebant: qui in voluntaria, inquit, paupertate, facultatumque, quas obtinebant,

abdicatione ætatem transigunt, hi plerumque in mundo parui fiunt. Hæc, cum sequenti sententia apud solum Lucam legitur, non apud alios Euangelistas.

Quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

C O M M E N T A R I A.

CAUSAM exponit cur timere non debeant; ea est, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum, nempe cæleste: quod si adeo magnam, ac præcellentem rem vobis dedit, dabit vtique necessaria, vitæque sufficientia. Nota autem verborum energiam: singula enim timorem quemcumque humanum propellunt. (Patri) qui habent Deum, qui omnipotens est, Patrem, non est quod timeant. Rursus (vestro) qui diligit, & amore vos prosequitur: sæpe enim patres irati sunt in filios, at hic Pater vester est, etiam affectu, & dilectione. Rursus (complacuit ipsi) non vestris operibus, non meritis, non dignitate, sed sua voluntate, ac beneplacito vocauit vos, & disposuit rem tantam dare. Rursus (Regnum) non paruum quid, aut vile, sed regnum æternum, cuius collatione vilescunt omnia regna terrena. Demum (vobis) non principibus, non sapientibus, non diuitibus, sed abiectis, indoctis, pauperibus. Si ergo talem se præbuit Deus erga vos, profecto omnis ratio postulat, debere vos deponere omnem timorem erga necessaria, & sufficientia ad vitam hanc temporalem. Titus Bostrenus hoc regnum cælestis patriæ hæreditatem interpretatur.

Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.

C O M M E N T A R I A.

SENSUS, & connexio hæc sunt, si placuit Patri vestro dare vobis regnum, deposito omni humano timore, ne vobis necessaria vitæ deficient, incumbite iustitiæ huius regni, ea faciendo, per quæ ad ipsum perueniatis; vendite ergo quæ possidetis, & pretia in pauperes erogate. Nota non dixisse intendite bona opera facere, sed vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam, non solum quia eleemosyna vnum est ex præcipuis operibus ad regnum obtinendum idoneis, quæque ad iustitiam eius pertinet, vt Psal. 3. scriptum est: Disperfit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, sed etiam vt explicaret, quanta fiducia in Deum esset habenda, quasi diceret: Patri regnum vobis dare complacuisse, ita vos debet facere securos de subuentione in temporalibus, quod volo non solum vos sollicitudinem deponere, & studium abijcere in conquirendis, quæ non habetis, sed etiam priuare vos ijs, quæ habetis, & omnino Deo Patri fidere, incumbendo iustitiæ regni. Vt igitur simul ad iustitiam regni, & ad fiduciam omnem erga temporalia in Deo collocandam exhortaretur, idcirco de eleemosyna habuit sermonem.

A N N O T A T I O L X.

QUOD ad verba attinet. Cyrillus lib. 8. de adoratione in spiritu, huic sententiæ adiicit aliam, nempe, Et ecce omnia prospere succedent vobis, quod impletum dicit. Act. 4. vendebant enim fideles prædia, & domos, & pretia afferebant ad pedes Apostolorum, & distribuebatur singulis, prout opus erat unicuique. At nostra exemplaria, tam Græca, quam Latina, non legunt eam sententiam. Non solos Discipulos præsentem respiciebat Dominus, qui parum, aut nihil habebant, quæ vendi possent, sed multos nouit futuros, ad quos sermonem hunc direxit: vt enim legimus. Act. 4. fideles illi, qui pos-

seffores erant agrorum, aut domorum, ea vendentes afferebant pretia, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Cum igitur Discipuli præsentem futuri essent magistri multorum, eos instruit & pro se, & pro alijs; post hos plurimi exiterunt, qui doctrinam hanc Domini perfectam amplectentes, omnia sua vendiderunt, & distribuerunt in pauperes, totam fiduciam in Deo collocantes; tunc autem temporis, quando hæc locutus est Dominus, non omnes Apostoli se priuarant possessione rerum; Simon enim adhuc retia, & nauim possidebat.

Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.

C O M M E N T A R I A.

CVM ad eleemosynam exhortatus esset, quasi ad iustitiam regni, quanta bona operetur eleemosyna, explicat: Facite, inquit, vobis sacculos, qui non veterascunt.

scunt. Ecce primum bonum. Eleemosyna enim pauperibus erogata, est velut pecunia reposita in sacculo, qui non veterascit: ibi enim multum conseruatur; sic eleemosyna, quæ est pecunia in pauperibus collocata, perdurat: in conspectu enim Dei semper est, pro nobis orat, clamat, impetrat. Ecclesiast. cap. 29. Absconde eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo, hoc est reponere in sacculos, qui non veterascunt, quod alijs verbis dixit Dominus inferius. Luc. 16. Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Et nota illud, vobis: pecunia enim, & diuitiæ sæpe reseruantur, non ipsi possidenti, sed alijs, & aliquando in malum habentis, non sic quod in eleemosynas distributum est.

Thesaurum non deficientem.

C O M M E N T A R I A.

HOC est secundum bonum: pecuniæ, & diuitiæ temporales vsu consumuntur, hæc pereunt, & de vno in alterum transeunt, at eleemosyna non sic: manet enim in conspectu Dei, apud eumque in magno est pretio, comitatur hominem, dum viuunt, quia à Deo impetrat multa; comitatur in morte, quia defendit ab aduersarijs; sequitur post mortem, quia mercedem habet in altero seculo, quæ semper durat. The-saurus igitur est indeficiens, quod Dauid significauit Psal. 3. Disperfit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Illud primum, disperfit pauperibus, idem est ac facere sacculos, qui non veterascunt; secundum autem, nimirum, iustitia eius manet in seculum seculi, idem est ac thesaurus non deficiens.

A N N O T A T I O L X I.

Cõnexio verborum precedentium.

EVthymius hoc secundum arbitratur esse expositionem primi, quasi diceret, hoc est, facite sacculos, qui non veterascunt, nempe habere thesaurum non deficientem in cælis. Mihi autem accommodatius visum est, hæc esse distincta, & prius referri ad pauperes, qui sunt velut sacculi, qui non veterascunt, nec rumpuntur, quia quæ dantur pauperibus, conseruata durant, nec amittuntur in conspe-

ctu Dei, suntque in bonum semper dantis; posterius autem respicit ad mercedem, quam Deus dat pro eleemosyna; vnde dicitur thesaurus non deficiens: quia magna & copiosa est, ob id dicitur thesaurus: & æterna, ideo dicitur non deficiens, iuxta allegatum in commentario: Iustitia eius manet in seculum seculi.

In calis.

C O M M E N T A R I A.

HOC est tertium, & quidem magni momenti, vt eleemosyna data in terris, fiat thesaurus in cælis. Si thesaurus iste esset in terra, magnum adhuc profecto esset, vt parua pecunia distributa pauperibus, conuerteretur in thesaurum etiam in terra; at quod fiat thesaurus in cælis, vbi nihil est ita paruum, quod non sit supra omnia, quæ sunt in terra, id certe maximum, & admirabile est. Est ergo eleemosyna vt arbor, cuius semen minimum iacitur in terra, excrescit autem vsque ad cælos, ubique facit fructus dignos cælo, & ijs, qui ibi sunt.

Quo fur non appropriat: neque tinea corrumpit.

C O M M E N T A R I A.

EXponit securitatem thesauri cælestis, idque est quartum bonum. Thesaurus iste cælestis non est expositus periculis, quæ patitur terrenus thesaurus: hunc enim aut fures rapiunt, aut ipse in seipso corrumpitur, & consumitur: vestes enim pretiosæ, aliaque multa tinea destruantur, & pereunt; at cælestis nulli periculo expositus est: vnde thesaurus terrenus multas sollicitudines, anxietates, ac curas adfert domino; cælestis vero requiem, & omnem securitatem.

Vbi

Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

C O M M E N T A R I A.

CAusam adnectit, cur debeamus thesaurum hunc in cælis collocare, quia vbi est thesaurus hominis, ibi est cor ipsius, nempe cogitatio, amor, desiderium, mens, & voluntatis affectus; si igitur thesaurus est in terra, totus homo erit in terra, cogitabit, appetet, quæret, sollicitus erit pro iis, quæ in terra sunt; at si thesaurus hominis fuerit in cælo, mentem, voluntatem, totumque cor conuertet ad cælestia, & hoc est quintum bonum eleemosynæ, nempe auertere cor hominis a terrenis bonis, & transferre ad cælestia, vt, licet sit in terra, conuersatio eius sit in cælo, impleaturque in eo illud Philip. 3. Conuersatio nostra in cælis est.

Sint lumbi vestri præcincti.

C O M M E N T A R I A.

CONnectuntur hæc, & sequentes sententiæ cum prioribus in hunc modum, dixerat complacuisse Patri Deo dare illis regnum, iusseratque vt omnibus venditis eleemosynas facerent; per quas regnum hoc comparatur, docet nunc non longe abesse regnum hoc, monens eos debere esse iam præparatos, quasi qui expectant Dominum de proximo venturum. Simul etiam modum præparationis demonstrat: sint, inquit, lumbi vestri præcincti, id est, estote parati, & remouete impedimenta vitæ huius omnia, sicut qui ad iter, seu ad opus aliquod faciendum se disponunt; præcingunt enim lumbos, vestesque contrahunt, ne impedimento sint operi, aut vitæ; Sic vos debetis abijcere ea, quæ retardare vos possunt ad adipiscendum regnum cæleste. Reliqua in annotatione perlege.

A N N O T A T I O L X I I.

Sensus verborum precedentium iuxta dicta Patrum.

DE conexione huius sententiæ cum prioribus diximus in commentario, nunc autem sensus inuestigandus est; non enim eodem modo à Patribus explicatur. Primo loco, quidam lumbos hos carnalem appetitum significare dicunt, quos tunc præcingimus, quando castitate, & continentia reprimimus. Existimant ergo Christum suos exhortatum esse ad continentiam contra luxuriam, & carnis appetitum. Sic interpretantur hanc sententiam Basiliius in illud Isai. 15. Lumbus Moabitidis clamat. & Hieronymus illud Ezechi. 16. cinxi te bisso. & Gregorius hom. 13. in Euang. & lib. 28. moral. cap. 4. Secundo loco, quidam alij generalius interpretantur sententiam hanc, dicentes Dominum hisce verbis reprimere appetitum ab amore rerum secularium; vnde non de solo appetitu carnis, sed vniuersaliter de appetitu, & de affectu erga res huius seculi contrahendo sermo est: sic interpretatur Augustinus lib. 2. quæstion. Euangel. cap. 25. & sermo. 39. de verbis Dom.

Tertio loco, alij per hanc sententiam significari dicunt, debere nos esse expeditos ab impedimentis vitæ huius lacinosæ, & implicitæ: sic intelligit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 28.

Quarto loco, alij sic exponunt, nimirum Dominum velle nos hac sententia instituere, vt animo prompto, & ad quoduis bonum, & laude dignum opus obeundum parati simus; sic explicat Titus Bostrenus: Hoc autem videtur cum Tertulliano conuenire: qui enim remouet impedimenta vitæ, promptus & expeditus est ad bene operandum: sicque interpretatur etiam Euthymius.

Hi omnes doctores ad quandam concordiam reduci possunt: sic vere enim est locutio metaphorica: qui enim ad opus aliquod se præparant, lumbos accingunt, vestesque contrahunt, vt omne impedimentum abijciant; sic, qui in regnum cæleste tendunt, debent impedimenta vitæ huius deponere: &

hoc est, quod tertia, & quarta expositione significant; Hæc autem præparatio maxime fit, cum carnem comprimimus, ne in luxuriam dilabatur, quod in prima expositione dicitur, non solum hoc, sed cum nostros affectus erga res huius seculi cohibemus; & diuinis preceptis, ac consilijs coarctamus: & hoc est, quod in secunda expositione dictum est.

Vt autem hæc manifestiora fiant, aduertendum est in Scriptura legi cingulorum, seu præcinctorum quatuor genera. Vnum est mortificationis, de quo habetur Iudith. 4. Vt offerrent, inquit, Deo sacrificia præcincti cilicijs. & 2. Machab. 10. Deprecabantur Deo præcincti cilicijs. Huius meminit Hieronymus Ieremi. 1. & Ezechie. 6. & appellat cingulum mortificationis, affirmatque cingula Eliæ, & Ioannis Baptistæ talia fuisse. Alterum est cingulum vitæ, qui enim iter aliquod, maxime pedites capefere volunt, præcingunt se; additur enim robur corpori: de hoc dicitur Tobiz 5. inuenit Tobias iuuenem splendidum stantem, præcinctum, quasi paratum ad ambulandum, & Ierem. 1. Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi. Tertium est cingulum militiæ, de quo dicitur Psal. 117. Præcinxisti me virtute ad bellum. & Iob 38. Accinge sicut vir lumbos tuos, & Exod. 12. Renes vestros præcingetis. Quartum est cingulum strenuitatis, qui enim ministerium, aut opus aliquod corporis aggreditur, præcingit se, ne in vestimentis impediatur, de hoc dictum est paulo inferius in hoc capite: Præcinget se & transiens ministrabit illis. & cap. 17. Præcinge te, & ministra mihi. Horum duorum cingulorum, nempe militiæ, & strenuitatis, meminit Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Pascha. Hæc sunt quatuor cingula, quibus oportet præcingi spiritaliter, vt parati simus ad regnum cæleste capefendum, & ad recipiendum aduentantem Dominum, ad eaque nos exhortatur Dominus, quando dicit: sint lumbi vestri præcincti. Qui ergo suam carnem

Præcinctorum quatuor genera in Scriptura.

carne domant, ac desiderijs huius seculi obsistunt, dicuntur præcincti lumbos cingulo mortificationis, ad quod nos excitat Paulus Coloss. 3. Mortificat, inquit, membra vestra, quæ sunt super terram, immunditiam, libidinem, concupiscentiam prauam, auaritiam. Qui vero non tantum hæc præstant, sed etiam bonis operibus incumbunt, & virtutum progressus continuos faciunt, quasi per hæc ad Deum iter facientes, dicuntur præcingi cingulo viæ, de quo Petrus 1. epist. cap. 1. inquit: Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam in reuelationem Iesu Christi, quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantia vestra desiderijs, secundum eum, qui vocauit vos, sanctum, vt & ipsi in omni conuersatione sancti sitis. Qui autem vitra hæc resistunt tentationibus inimicorum, fortiter pugnant pro lege, pro gratia, pro Euangelio, pro veritate, hi præcincti sunt cingulo militiæ, de quo Paulus Ephes. 6. inquit: Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Stare ergo

succincti lumbos vestros, in veritate. Qui vero vt omnia hæc præstent, perfecteque Deo in omnibus inseruiant, deponunt, & abijciunt affectum erga res huius seculi, ac multi cum effectu dimittunt, & relinquunt, nihil retinentes, nisi quod vitæ necessarium est, sollicitudinem omnem horum, quæ impedimento sunt, propellentes, ad omne opus bonum, & secundum Dei voluntatem preparati semper, hi sunt præcincti cingulo strenuitatis, de quibus Paulus 2. Tim. 2. Erit vas in honorem sanctificatum, & vile Domino, ad omne opus bonum paratum. & 1. Corin. 7. Qui habent uxores, tamquam non habentes, & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur. His modis contingit quempiam esse præcinctum: & quamuis omnes tacite, ac virtute comprehendantur in hac Domini sententia, præcipue tamen est sermo de cingulo strenuitatis, quod præcinguntij, qui expectant Dominum, parati ei seruire, ac ministrare, omni abiecto impedimento,

Et lucerna ardentes in manibus vestris.

COMMENTARIA.

Alterum præparationis præceptum hoc est, vt lucernas ardentes teneamus in manibus, quod metaphorice significat expectandum esse semper Dominum, non quasi de longinquo, sed iam iam aduentantem. Qui lucernas habent ardentes noctu, expectant quidem Dominum, quasi ea nocte venturum; at qui eas etiam in manibus tenent, quasi iam præsentem, & pulsantem contemplantur: quo monemur expectare Dominum, & præparatos esse debere singulis momentis vitæ, nullamque moram esse persuadendam, cum singulis instantibus mori possimus, quod Matth. 25. dictum est: Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. vigilare etiam oportet, quia inimicus omni tempore contra nos vigilat: aduersarius enim semper circumquærens, quem deuoret. 1. Pet. 5. Vigilandum etiam semper est, quia omni tempore incumbendum nobis est bonis operibus. Gala. 6. Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus: non deficientes ergo, dum tempus habemus, operemur bonum, nimirum lucernas ardentes in manibus habentes, continuo preparati occurrere Domino. Priori igitur præcepto inducimur ad frænandum affectum, deponendaque omnia impedimenta; hoc autem posteriori ad continuam vigilantiam, ac indeficiens studium bonorum operum.

ANNOTATIO LXIII.

Varia lectio præcedentis sententiæ.

Quod ad litteram attinet, in nonnullis exemplaribus Græcis, & Latinis manuscriptis non habentur illa verba: In manibus vestris, sed tantum: Et lucernæ ardentes. Quam lectionem secuti sunt plurimi Patres, Græci, & Latini, inter quos sunt Origen. tract. 31. in Matth. Clemens Alex. lib. 2. de pædag. cap. 9. Basilus in hom. de non adherendo rebus secularibus. Chrysostomus hom. 23. in epist. ad Ephes. Cyril. lib. 4. de adoratione in Spiritu. Titus Bostren. & Euthymius in commentario huius loci. inter Latinos autem Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 29. Cyprianus lib. 2. contra Iudeos num. 19. Ambros. ser. 14. in Psal. 118. Hilarius in psal. 218. lit. num. & August. serm. 39. de verbis Domini. Alij vero legunt, & interpretantur, inter hos sunt Hieronymus Ezech. 16. & Ieremi. 1. Irenæus lib. 4. cap. 70. Gregorius hom. 13. in Euangel. quamuis lib. 28. moral. cap. 4. omitat ea verba, forsitan quia ad rem eius tunc non erant necessaria, sicut etiam idem Irenæus lib. 4. cap. 72. Noster autem interpres sic legit, eaque lectio communis est, & in plurimis exemplaribus recepta. Illam ergo sequi-

mur, existimamusque esse valde accommodatam contextui: significat enim aduentum Domini iam iam imminentem, & quasi præsentem: lucernæ enim accenduntur multo ante, at non in manibus tenentur, nisi quando est proximus aduentus, & ingressus, quod postea paulo inferius explicatur, dicitur enim, Vt cum pulsauerit, confestim aperiant ei. Illud, confestim, probat lectionem hanc, nempe lucernas debere esse in manibus seruorum, qui ianuam aperturi sunt. lectio etiam ista accommodata est significationi: indicat enim nos continuam debere habere vigilantiam: non enim vitæ momentum habemus securum: qui autem lucernas habent ardentes, possunt dormire; ac qui in manibus habent, non dormiunt, sed vigilant.

Quod autem ad sensum spectat, Hieronymus Ierem. 1. interpretatur, prædicare Euangelium, esse tenere lucernam ardentem in manibus. Gregorius autem hom. 13. in Euang. sic exponit: Lucernas, inquit, in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. Duo sunt, quæ iubentur, & lumbos restringere; & lucernas

Quid sit lucernas ardentes in manibus tenere.

cernas tenere; vt & munditia sit castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione; nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum opus aliquid est sine castitate. Hæc ille. Cui expositioni nos consentimus: vt enim per primum præceptum iubemur cohibere nos à malo, & impedimenta omnia retardantia à via Domini remouere; sic per hoc secundum excitamur ad bene operandum, & fidem, quam mente concepimus, quaque mens vt lucerna ardens est, operibus exhibeamus, vt vita sit conformis professioni. Gala. 5. Si spiritu viuimus, spiritu ambulemus. Iubemur etiam hoc præcepto continuo

inuigilare, & ab otio, ac somno negligentia cauere, vt diximus in commentario.

Aduertendum est autem Cyrillum Alex. lib. 4. de adoratione in Spiritu legere vnum aliud post (lucernæ ardentes (nempe (& calcæati in pedibus vestris) nec tantum legit, sed interpretatur cum duabus sententijs præcedentibus, at vero non inuenimus textum Græcum, aut Latinum, in quo ea sententia legatur, forsitan obitus Cyrillus, quod erat Pauli Gala. 6. adscriptæ Christo; aut aliquod assecutus est exemplar, vbi eam sententiam legant.

& vos similes hominibus expectantibus dominum suum.

COMMENTARIA.

HOC est tertium documentum, & præparatio ad regnum Dei capeffendum, vt simus in spe, & expectatione Domini venturi, à quo præmium, & regnum accepturi sumus. Distinguit ergo tria; lumbos iubet esse præcinctos; manus autem tenere lucernas ardentes; hominem vero ipsum viuere in spe, & expectatione Domini venturi ad retribuendum, ac beatificandum: spe enim salui facti sumus. Rom. 8. Et non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus. Hebr. 13. Non igitur existimemus hic, vbi lumbi præcinguntur, & in manibus lucernæ habentur, requiem nos habituros, ac mercedem; speranda ista est. Dicit ergo, similes estote hominibus expectantibus Dominum. Qui expectant Dominum, desiderio flagrant aduentus eius: intentum habent animum in eum cogitatione frequenti: patienter ferunt aduersa, & incommoda spe illius: timet eum offendere, quem iam iam venientem ante oculos habent: facile contemnunt ea omnia, quæ ad aduentum eius non faciunt: in iis delectantur, quæ grata illi esse cognoscunt: vilificiunt temporalia spe æternorum. Estote ergo vos similes hominibus expectantibus Dominum suum.

ANNOTATIO LXIV.

Quidam hanc sententiam disingunt à præcedentibus, quasi non ad eundem scopum tendant. At vero accommodatius omnes hæc tres connectuntur, vt lumborum præcingendorum, & lucernarum ardentium præcepta tenent ad venturum Domini præparationem, sicque antiqui Patres interpretati sunt. Vnde hæc tria præcepta recte Augustinus serm. 39. de verbis Domini breuiter complectens, inquit primum conuenire cum illo, declina à malo; secundum cum illo, fac bonum; tertium, quod ad spem æternorum pertinet, cum illo, Inquire pacem, & prosequere illam. Notat etiam ibidem hæc tria esse illa, quæ legimus Act. 24. Docebat, inquit, eos Paulus de continentia, de iustitia, & spe vitæ æternæ: his namque lumina Euangelicæ vitæ comprehenditur. Primum, & secundum significauit Petrus. 1. epist. 2. Obsecro, inquit, vos, tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersum animam, ecce primum. De secundo subiungit, conuersationem inter gentes habentes bonam. In eadem etiam epist. cap. 1. meminit primi, secundi, & tertij, licet non eodem ordine: Succincti, inquit, lumbos mentis vestræ, sobrii, ecce primum; addit, perfecte sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam, in reuelationem Iesu Christi, ecce tertium; prosequitur: quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantia vestræ desiderijs, sed secundum eum, qui vocauit nos, sanctum, vt in omni conuersatione sancti sitis, ecce secundum. In eadem etiam Epist. cap. 5. meminit eorundem: Sobrii estote, inquit, hoc est primum; & vigilate, & resistite fortes in fide, hoc est secundum. de tertio autem prosequitur: Scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati

fieri; Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet. Plenus est Paulus ista doctrinæ satis sit pro declaratione proposuisse, quæ dicta sunt. Est autem aduertendum, his tribus, quamuis communia sint omnibus fidelibus, parti. ulari tamen quadam ratione, Dominum significasse Discipulis suis, quæ erga eos agenda erant, quæque ipsi post eius recessum in cælum facturi erant: his enim tribus exprimuntur. Primo quidem, sint lumbi vestri præcincti cingulo vitæ, & militiæ, quia mittendi erant per totum orbem terrarum Euangelicæ prædicationis gratia. Matth. 28. Euntes in mundum vniuersum, prædicatæ Euangelium omni creaturæ; præliantur etiam erant contra potestates Inferni, & aduersus Principes huius seculi, expellenda enim erat idololatria gentium, pro qua pugnaturi erant contra Diabolum cum suis satellitibus, & aduersus Reges huius Mundi, Luc. 11. Dedi vobis potestatem calcandi serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici. Recte ergo dicitur eis, sint lumbi vestri præcincti: præcinguntur enim, qui iter longum confecturi sunt; & qui in prælium proficiscuntur. Secundo mittendi erant, vt mundum illuminarent, expulsi mortis erroribus, & aperta vitæ æternæ doctrina, vnde Matth. 5. dictum est illis, Vos estis lux mundi, Matth. 28. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare, quæcumque mandavi vobis. Propter hoc dicitur eis, sint lucernæ ardentes in manibus vestris, vnde Hieronymus Ierem. 1. interpretatur hoc de Euangelij prædicatione: dicitur enim in manibus, quia lumen erat hoc communicandum alijs. Tertio vita eorum futura erat perfecta, mirabilis

bilis, ac caelestis; ideo dicitur, similes estote expectantibus Dominum, quod Paulus explicuit Philip. 3. Nostra conuersatio in caelis est. Addit causam: Saluatorem enim expectamus, quasi diceret, vitam agimus caelestem, abstractam ab omni desiderio mundi huius, positam in aeternorum spe, & contemplatione, & affectu: expectamus enim Dominum Saluatorem, viuimus in spe, & expectatione, sumus similes ijs, qui expectant Dominum suum. Haec igitur tria, missio, munus, & vita Apostolorum,

hisce praecipis exprimuntur. Conuenit in hac expositione nobiscum Origenes hom. 9. in lib. Iud. qui tractans historiam illam Gedeonis, quando contra Madianitas pugnavit, militibus tenentibus lampades in manibus, allegat hanc sententiam Domini, sine lumbi praecincti, & lucernae ardentes, dicens Christum his verbis suos intruxisse Discipulos ad quid simile praestandum, vnde secundum Origenem sermo hic est de cingulo militiae: missi sunt enim Apostoli ad militandum contra Diaboli potentias.

Quando reuertatur à nuptijs.

COMMENTARIA.

NON qualicumque modo vult Discipulos expectare Dominum, sed venientem cum laetitia, & gaudio, liberalem, ac beneficam, quales solent sponsi domum redire: munera enim, ac dona largiuntur seruis; ita est expectandus Christus. Conferatur autem Christus in suo secundo aduentu respectu seruorum, & eorum, qui ipsi ministrarunt, sicut sponsus reuertens à nuptijs: nuptiae enim celebratae sunt Christi cum Ecclesia in sua ascensione, sponsalitia autem in incarnatione. Perfectam autem huius rei explicationem sequens annotatio habet.

ANNOTATIO LXV.

Xistimo, sicut distinctus est status Ecclesiae militantis, & triumphantis, ita etiam Christum caput Ecclesiae, distinctum: habere rationem respectu vtriusque: nam ad militantem, rationem habet sponsi, & vnio ipsius cum Ecclesia in hoc statu confertur sponsalitia; ad triumphantem vero, rationem habet viri; & vnio comparatur nuptiis, & matrimonio: nam ita vnitur cum singulis iustis istius Ecclesiae partibus, vt amplius separari non possint: ibi enim non est peccatum, nec gratiae amittendae, periculum: idcirco, quia Christus per suam ascensio-

nem ascendit ad triumphantem, dicitur nuptias ibi celebrasse; cumque secundo aduentu veniet, à nuptijs dicitur reuerti. Hanc distinctionem indicat Parabola Matth. 25. de decem Virginibus: Ecce, inquit, sponsus venit; dicitur sponsus, quia virgines tunc in militanti Ecclesia erant; additur, & quae paratae erant, intrarunt cum eo ad nuptias. Ecce nuptiae in triumphanti sunt Ecclesia, ad quas euocantur iusti, qui ex hoc mundo in caelum euehantur.

vt, cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.

COMMENTARIA.

Prosequitur explicare, quam diligens debeat esse expectatio, nimirum vt, cum Dominus reuertens à nuptiis domum venerit, & pulsauerit, sine mora vlla, aut dilatione aperiant ianuam; non sicut ii serui, qui in lecto iacent, & impræparati sunt, qui Dominum pulsantem expectare faciunt, tuncque incipiunt se praeparare, cum Dominus pulsat. Significat Christus suos non debere differre opera bona facere ad vitae extremum, sed continuo vacare, & incumbere rectis operationibus, vt qua venerit hora inueniat bene operantes, & non sit necesse tunc se ad studium nouum boni operis conuertere: in hora enim mortis, licet locus sit penitentiae, tamen id rarum, difficile, & periculosum est.

Beati serui illi, quos, cum venerit dominus, inuenerit vigilantes.

COMMENTARIA.

Praemium explicat eorum, qui inuenti fuerint vigilantes, cum Dominus pulsauerit, nempe quorum lumbi fuerint praecincti, & qui lucernas habuerint in manibus ardentes, & similes extiterint expectantibus Dominum reuertentem à nuptiis: praemium autem est beatitudo: beati tales erunt; si autem beati, omni bono replebuntur, & ab omni malo protegentur, quo maius nihil est.

Amen dico vobis, quod praecinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

COMMENTARIA.

Exponit beatitudinem hanc, & perseverat in eadem metaphora, coenam, inquit, lautissimam, & honorificentissimam, & in aeternum duraturam dabit illis. Honorifi-

norificentissimam quidem, quia ipse Dominus est, qui praecinget se, sicut ministri solent facere, & illis ministrabit. Lautissimam, quia transiens ministrabit, non solum quia discurret singulis ministrando, sed etiam quia multiplicia fercula porriget, & haec quidem pro singulorum meritis. In aeternum vero duraturam, quia faciet illos discumbere. Significatur beatitudo, quam Deus ipse seipso donat, continuis, ac indefinentibus, perpetuisque bonis, ac delicijs affluentem. Hanc dicitur praecinctus ministrare, quia nemo iustorum, seu beatorum Deum comprehendit, sed quasi praecinctum videt: incomprehensibilis enim est ab intellectu creato. Dicitur etiam transiens ministrare, non solum ob causam dictam, quia multiplicia, & indefinentia fercula, & delicias donat, sed quia pro singulorum meritis singulis praemia distribuit. Dicitur autem ministrare, non quod serui, aut famuli munus ibi suscipiat, sed vt explicet seruos suos ad supremam, ac mirabilem dignitatem prouectos, quae superat omnem huius seculi principatum, iuxta illud psal. 138. Nimis honorificati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum.

ANNOTATIO LXVI.

Titus Bostrenus explicans illud, transiens ministrabit illis, interpretatur dictum, quia pro meritorum ratione Deus soluet praemia: nam etsi mensam varijs donorum, & gratiarum ferculis magnifice instructam, omnibus promiscue appositurus sit; attamen, pro exhaustorum laborum quantitate, sin-

gulis alias, & alias delicias apponet. Haec ille. Euthymius illud, praecinget se, dictum putat, quia iustitiam in distribuendo seruabit, quod verum est; existimo tamen id etiam positum ob causam in commentario positam, & explicatam.

Et si in secunda vigilia, & in tertia vigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.

COMMENTARIA.

Significat incertam mortis hominum, & aduentus Christi horam esse, vnde oportet continuo vigilare: aliquando enim secunda, aliquando tertia, aliiue vigiliis venit, id est, diuersis vitae temporibus; beati ergo illi sunt, quos, quacumque uenerit vigilia Dominus, inuenit vigilantes, & bonorum operum studio incumbentes. Erat apud Hebraeos nox distincta in vigilias quattuor, singulaeque tres horas continebant, per quas vitae tempus designatur: tempus enim praesens nocti comparatur; quia fide, quae obscura notitia est, ambulamus: quod dicitur de his duabus vigilijs, idem de alijs intelligi voluit. Incertitudo autem mortis perpetuam, & indefinentem vigiliam toto tempore vitae postulat.

ANNOTATIO LXVII.

Bafilus hom. de non adhaerendo rebus secularibus, ex his Domini sententijs deducit omni tempore debere nos esse praeparatos morti: Oportet, inquit, nos quotidie ad migrandum ex hac vita paratos esse, & nutum Domini fixis oculis expectare: Sint, inquit, lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum; quando reuertatur à nuptiis, vt uenienti, ac pulsanti confestim aperiant. Haec ille. Titus Bostrenus has vigilias duobus interpretatur modis, sic inquit: Primae stationis vigiles eos existimari licet, qui quod caeteris accuratorem vitae rationem tenuissent, bonorumque operum studio

pra alijs excellissent, primi ordinis mercedem consecuti sunt. Secundae vero eos, qui infra primorum gradum constiterunt. Tertiae autem, qui his adhuc obscurius vixerunt. Sunt qui primam, secundam, & tertiam vigiliam ad diuersas aetatum qualitates referant, & primam adscribunt pueris infra pubertatis annos adhuc constitutis: secundam iuuenibus adhuc adolescentibus: tertiam adultae, firmataeque aetatis uiris. Haec ille. Dices, cum quattuor sint vigiliae noctis, cur non meminit quartae? Respondeo, quia rarissimi sunt, qui ad extremum vitae differentes bene operari, inueniuntur ita facientes, ne etiam pigros faceret, si eius meminisset.

Hoc autem scitote, quoniam si sciret Paterfamilias, qua hora fur ueniret, uigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.

COMMENTARIA.

Similitudine quadam exhortatur eos ad adhibendam vigilantiam supradictam; ea autem est: Si Paterfamilias sciret quando fur venturus esset, utique uigilaret, vt impediret domum suam perfodi à latrone; essetque imprudentissimus, si id non faceret, imprudentiaeque suae poenam pateretur: fur enim surriperet quaecumque domi inuenisset. Ex hac similitudine deducit, quid Discipuli facere deberent,

vt in sequenti sententia explicatur. Christus diem aduentus sui comparat furis aduentui ob duo. Vnum est, vt ostendat incertum, & inexpectatum fore: summum enim studium est furibus, vt inexpectati surrepant; ideo intempesta nocte insidias struunt, quando putant vniuersam domum alto somno oppressam. Alterum est, vt significet detrimentum, quod patientur illi, quos Dominus impræparatos inuenerit, sicut patiuntur, quibus fur inexpectatus aduenit. Illud autem, hoc scitote, dictum est ad excitandum animos Discipulorum ad similem vigilantiam adhibendam.

A N N O T A T I O L X V I I I .

Aduentus Domini aduentui furis comparatur. **S**imilis parabola habetur apud Matthæum cap. 24. hinc Apostoli aduentum Domini furis aduentui comparant: Paulus enim 1. Thessal. 5. Vos, inquit, fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur comprehendat. Petrus etiam 2. epist. 3. Adueniet, inquit, dies Domini vt fur. Quod autem ad literam spectat, potest esse duplex sensus,

aut de præterito, nempe de eo, cuius domus iam est perfossa, qui, si sciisset aduentum furis, vtique vigilasset, & non fuisset perfodi domum; aut etiam de futuro, scilicet, si Pater sciuerit aduentum furis, non finet perfodi domum, sed vigilabit. Vterque sensus est accommodatus, & ad rem ipsam facit.

Et nos estote parati; quia qua hora non putatis, Filius hominis ueniet.

C O M M E N T A R I A .

Concludit ex parabola, estote etiam vos parati, & vigilate, & subdit causam à maiori: si enim Paterfamilias sciens certum aduentum furis, vigilaret, vos, quibus incertus est, singulisque horis euenire potest, debetis multo magis vigilare: qua enim hora non putatis, id est vobis ignorata, & incognita, Filius hominis ueniet.

A N N O T A T I O L X I X .

Sententia hæc de aduentu Domini secundo procedit, quando venturus est iudicare genus humanum, quamuis accommodetur etiam singulis hominibus, quorum dies mortis incertus est, diciturque Dominus venire quoad effectum: à singulis enim ratio exigitur, & factorum præmium, aut poena reddetur. Est autem vitium hoc imprudentiæ, & stultitiæ, quo non prouidet homo, quæ futura sunt, tanti momenti cum sint; vnde Ecclesiast. 7. scriptum est: Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo; ille autem moritur in tempore non suo, qui moritur impræparatus, & quando non cogitabat: qui enim semper moriturum se cogitat,

& in singulas horas præparatus est, moritur in tempore suo. Notat autem Chrysostomus hom. 78. similia verba apud Matthæum ponderans, totam hanc similitudinem ad erubescenciam desiderii hominum dictam esse: inquit enim sic: Hæc ad erubescenciam desiderii mihi dicta videntur: maiorem enim diligentiam habent furem expectantes, quam nos salutis animæ: vigilant enim tunc, ne aliquid sibi furripiatur, nos autem quamuis certo sciamus venturum Dominum, non perseueramus, neque ita vigilamus, vt possimus non impræparati ex hac vita discedere. Hæc, & alia ille.

Ait autem ei Petrus: Domine ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?

C O M M E N T A R I A .

Sciens Petrus quasdam parabolas Discipulis electis aptari, quasdam vero communiter omnibus, merito de tota hac parabola, Sint lumbi vestri præcincti, vsque ad vltimam sententiam, interrogat, an pro ipsis solis, an pro omnibus etiam in Christum credentibus sit prolata. Quid autem permouerit Petrum ad id interrogandum, sequens annotatio declarat.

A N N O T A T I O L X X .

Cur Petrus de hac parabola sic interrogauerit Dominum.

Quid autem mouerit Petrum ad hanc interrogationem, inuestigant recentiores. Quidam autem eorum existimant Petrum sollicitum, ne ex hoc Christi mandato necesse haberet plus, quam alios homines, oneris, & molestiarum ferre, id petiisse: audiebat enim Christum summam vigilantiam exigere; ex quo sequitur ex vitio processisse hanc interrogationem. Ista responsio parum accommodata est, nihilque veritatis habet: sciebat enim Petrus cum Discipulis, se ad altiora vocatum supra ceteros homines, vnde & reliquerant omnia, vt Christum sequerentur, quod ceteri non fecerant; non ergo igno-

rabat ad plura, ac grauiora se teneri; nec molestum illi erat grauiora subire supra alios pro Christo, qui dixit, etiam si alij scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor.

Quidam alij recentiores respondent, Petrum sciuisse se cum Discipulis vocatum, electumque esse ad officium Patrisfamilias, cuius officium est domui custodiendæ inuigilare, ideo interrogat, an sibi soli cum condiscipulis hæc, an potius etiam omnibus dicta sint. Hæc autem responsio non videtur soluere difficultatem dubitationis, nec satisfacere.

Posset

Posset alicui videri huius interrogationis alia causa, nempe, nondum enim Petrus intelligebat Christi aduentum secundum, idcirco eius primum aduentum considerans, & animaduertens se iam cum condiscipulis Dominum aduentantem excepisse, arbitratur hæc non tam ipsis, quam aliis; qui Christum nondum receperant, nec in eum crediderant, conuenire; idcirco interrogat, si forsan à Christo aliquid, quod ipse non intelligebat, audiret. Huic autem obstat textus Euangelicus: dicendum enim tunc erat, ad nos dicis hanc parabolam, an ad alios? Cum autem dictum sit, an etiam ad omnes? nempe non ad nos solos, sed etiam ad ceteros nobiscum,

non separauit, nec excepit se Petrus ab hoc mandato, sed cupiebat scire, an solis ipsis, an omnibus simul, nempe credentibus in Christum datum esset. Idcirco dicendum est, cum nouisset Petrus se cum Discipulis prædicaturum esse ceteris Christi Euangelium ac doctrinam, iamque id expertus esset, cum missus fuit cum aliis ad prædicandum, idcirco scire cupit, an hæc Christi mandata sint sibi cum omnibus communia, vt, si talia essent, ipse ceteris omnibus prædicaret, ac annuntiaret, vt postea fecit, & scripsit. Huic responsioni consonant sequentia.

Dixit autem Dominus.

C O M M E N T A R I A .

Respondet Dominus Petro, non quidem expresse, sed tacite, & responsio est, eos non ad ea solum, quæ in parabola sunt significata, teneri, sed ad alia maiora, vtpote qui Dispensatores sint, & aliorum cura eis sit demandata, & ad quos spectat seruare illa omnia, & aliis seruanda tradere. Hæc autem noua quadam parabola de fideli, & prudenti dispensatore docet.

A N N O T A T I O L X X I .

Quidam recentiores existimant Dominum non respondisse Petri interrogationi, quia vitiosa erat, vt in annotatione præcedenti retulimus ex quorundam sententia; errant tamen isti: non enim interrogationis causa ea est, quam illi putabant, immo non priuat Christus Petrum responsione, & quidem copiosa, dum docet, quid ipsi amplius ceteris debeant obseruare, qui non pro se, sed pro alijs etiam inuigilare teneantur. Euthymius arbi-

tratur Christum significasse parabolam dictam esse de ipsis Discipulis; at vero accommodatus Ambrosius censet parabolam, de qua Petrus interrogat, pro omnibus dictam, quæ vero sequitur, pro Apostolis, & iis, quibus aliorum cura incumbit: respondet enim Christus, non ad prædicta, sed ad alia etiam maiora teneri. Hoc autem in expositione sequentium fiet manifestius.

Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?

C O M M E N T A R I A .

Respondet Christus Petro, eos non solum quæ dicta sunt, sed adhuc maiora seruare debere: nam priora sunt communia cum seruis omnibus; at ipse Petrus cum Discipulis non simpliciter erant serui, sed primarii serui, quibus aliorum cura demandata est. dicit igitur per parabolam: Quisnam est dispensator fidelis, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, id est super alios seruos, vt distribuatur eis mensuram tritici suo tempore debito, quasi diceret, Vos estis sicut illi dispensatores serui, fideles, & prudentes; fideles, id est, voluntatem Domini facientes, & quæ imposita sunt ab illo exequentes; prudentes vero, qui disponunt omnia debitum suis temporibus, & iuxta personarum qualitatem faciunt; quos Paterfamilias constituit, vt curam aliorum seruorum gerant, & debitum, ac necessarium cibum opportune distribuunt: non igitur solum pro vobis inuigilandum est, sed etiam pro alijs. Vtitur autem Dominus interrogatione ad commendandum, & magnificandum talem dispensatorem: habet enim hæc interrogatio quandam excellentiæ significationem, quæ sequenti sententia indicatur: Beatus, inquit, est, & super omnia bona constituetur. Forsan autem singulari vtitur numero, ad indicandum Petri primatum super omnes. Est autem Prælatorum pabulo spirituali multiplici subditos pascere.

A N N O T A T I O L X X I I .

Copiosius explicatur verba Lucae præcedentia.

Hanc parabolam refert etiam Matthæus alio quidem tempore dictam à Domino, ibi autem dicitur: Quis putas est fidelis seruus? hic autem, Dispensator: oportet tamen utrobique intelligere de seruo primario, qui super alios seruos con-

stituitur, vt curam illorum gerat, ideo & seruus, & dispensator dicitur. Apud Matthæum autem verbum (constituit) est præteriti temporis; apud Lucam autem in nonnullis Græcis, & Latinis exemplaribus est futuri, sensus tamen non mutatur. Illud

autem, familiam, Græce *οικονομιας*, famulorum, ac seruatorum est, non filiorum, quod etiam paulo inferius declaratur: dicitur enim: si seruus ille incipiat percutere seruos, & ancillas, quo significat hanc dici familiam, quidam vertunt famulitium. Illud autem: Tritici mensuram, Græce *σπυριου*, id est cibum, seu frumentum demensum significat, quasi singulis mensibus, aut certis temporibus seruis pro suo victu distributum; nam *σπυριου* Græce aliquando frumentum, aliquando mutato genere quemlibet cibum significat. Matthæus habet (vt det illis cibum in tempore.) Erat autem dispensatoris munus, singulis seruis debitis temporibus demensum diuidere frumentum, aut cibum. Interpres vertit triticum. Refert autem Donatus in Phoracionem, seruos quaternos modios frumenti accepisse in singulos menses, idque vocari demensum. Hæc quoad verba dicta sint.

Quod vero ad rem spectat, qualitatibus primarij

A N N O T A T I O L X X I I I .

Car Christus Interrogauit, Quis putas &c.

Chrysostomus hom. 78. in Matthæum, notat Christum interrogasse non ex ignorantia: Quis putas, inquit, est seruus? sed ne curiosius Discipuli interrogarent; aut vt raritatem talium seruatorum indicaret: raro enim tales inueniuntur. Possemus hæc eadem huic Lucæ loco applicare; ego vero existimo vsum esse interrogatione ob eam causam, quæ in commentario est expressa: similisque est illa locutio supra cap. 1. Quis putas puer iste erit? admirationis est, & magnæ commendationis sententia. Notat etiam ibidem Chrysostomus non doctoribus solum hanc parabolam conuenire, sed etiam diuitibus, qui sunt diuitiarum dispensatores. At

Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus, inuenerit ita facientem.

C O M M E N T A R I A .

Ecce præmium dispensatoris fidelis, ac prudentis, qui dat familiæ Domini in tempore mensuram tritici: Beatus, inquit, seruus ille, quem Dominus veniens inuenerit ita facientem, vt dictum est. Non autem dicitur, ita fecisse, sed facientem, quia oportet in incepto bono perseverare vsque ad diem, & horam aduentus Domini. Multi fecerunt, at quia non perseverarunt, Dominus non inuenit eos facientes, ideo nec beatos effecit. Beatitudo promittitur illi, danda in Domini aduentu. Quem autem prius dispensatorem, nunc seruum appellat, vt intelligat dispensatorem etiam seruum esse, supra alios tamen conseruos constitutum.

Vere dico uobis, quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum.

C O M M E N T A R I A .

Magnitudo præmij exprimitur, vt maiori labori maior etiam respondeat merces; erit ergo beatus, non quouis modo, sed excellenti: constituet enim eum Dominus, non super conseruos, vt prius, sed super omnia, quæ possidet. Sub quibus verbis parabolicis Christus significat magnitudinem, & excellentiam præmii, & beatitudinis, quam confert Prælati fideliter, prudenter, ac diligenter munus eis impostum implentibus. Recte autem similitudo procedit: nam Deus beatificat sui fruitione: beatitudo enim in visione, ac fruitione essentia diuinæ, eiusque perfectionis posita est, ideo dicitur super omnia bona sua.

serui explicat Dominus, quales esse debeant, qui in Ecclesia alijs præficiuntur, vt eorum gerant curam. Dispensatores enim sunt, vt intelligant non esse se dominos. 1. Corin. 3. Sic nos existimet homo quasi ministros, & dispensatores. 1. Pet. 5. neque vt dominantes in cleris. Præterea fideles esse debent, nempe Domino, vt iuxta ipsius præscriptum omnia disponant, non quod suum est, sed quod Domini querentes, idque faciant, quod Dominum velle eos facere sciunt. Hæc est illa fidelitas Pauli 2. Tim. 4. Fidem seruauit. Rursus prudentes, vt distinguant tempora, personas, circumstantias, omniaque ordinate exequantur. Est autem multis modis prudentia obseruanda Prælati in pascendo populo: non enim idem modus erga omnes est tenendus. Demum diligentes, & vigilantes esse debent, vt operi incumbant. 2. Tim. 4. Tu vero vigila, in omnibus labora. Hæc singula persequi longum esset, & ab instituto nimium recedere.

Prælati quales esse debeant.

accommodatius Hilarius can. 27. in Matth. & Ambrosius hoc in loco eam de Prælati interpretantur, vt in commentario diximus. Illa autem duo, nempe (fidelis, & prudens) recte Chrysostomus explicat: Fidelem, inquit, appellat, quia nihil ex rebus Domini sibi attribuit, nec incassum quidquam expendit. Prudentem autem, quia dispensare nouerit: opportune siquidem vtraque re nobis opus est, ne scilicet quæ Domini sunt ad proprios vsus rapiamus, & vt opportune omnia dispensemus: nam si alterum horum absit, eius absentia alterum omnino claudit. Hæc ille. quæ quamuis diuitibus applicet, Prælati etiam accommodari conuenienter possunt.

Quod si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & ceperit percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari.

C O M M E N T A R I A .

NON solum præmio, sed etiam poena exhortatur Dominus suos ad vigilantiam, & ad perfectum administrationis munus exhibendum, propterea describit vitam mali dispensatoris, ac poenam ei inferendam. Malus ergo dispensator primo quidem vitæ longitudinem sibi promittit, ac in corde suo cogitat Dominum non ita cito venturum; deinde huic pessimo fundamento nixus, ac confusus, eos, qui ipsius curæ traditi sunt, male tractat, conseruos, & ancillas percutiens: sibi autem indulget, bibendo, edendo, se inebriando, quodque aliis erat distributurus, in luxum proprium conuertendo. Sic se gerit iniquus dispensator, quod aliis verbis Ezechiel. cap. 34. significauit de malis Pastoribus, sic dicens: Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos; nonne greges à Pastoribus pascentur? lac comedebatis, & lanis operiebamini; & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis: quod contractum erat, non alligastis. Hæc & alia ibi. Profecto qui sibi longam vitam promittit, ac Dominum tardaturum persuadet, omne scelus committendi periculo se exponit, sicut e contrario, omni bono incumbit, qui Dominum iam iam aduentantem cogitat.

Veniet dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua nescit.

C O M M E N T A R I A .

Ecce poena mali illius dispensatoris, correspondens ipsius vitæ: Primo quidem ille moram facturum Dominum confidebat, veniet igitur Dominus inopinato, rapietque talem seruum de hoc mundo, die, quam non ille sperabat, & hora, quam ignorabat, hoc est, inueniet illum impræparatum; quod magna profecto poena est, ac radix, & initium tormentorum æternorum, cum homo, qui vitæ incumbit, impræparatus inuenitur, & ab hoc seculo sic euocatur. Et nota duo simul, nempe diem, & horam: sunt enim qui, etsi diem ignorant, non tamen horam, id est, sunt qui vitam sibi persuaserunt longam, tamen morti proximi cogitant Domini aduentum, & resipiscunt, quod magnum Dei beneficium est. Alij vero, qui vsque ad extremum instans aduentum non animaduertunt, corripiunturque in peccatis à Domino, hi nec diem, nec horam nouerunt, hæcque est poena serui mali. Illud, hora, qua nescit, idem est, quod non cogitare de Domini aduentu, etiam in ultimo vitæ.

Et diuidet eum.

C O M M E N T A R I A .

Prosequitur poenam mali serui exprimere. quem ergo Dominus impræparatum inueniet, diuidet, id est separabit, & præcidet à se, excludendo eum à numero seruatorum suorum, & de familia sua: hoc est illud, quod apud Matth. in alia parabola dictum est: Discedite à me maledicti.

A N N O T A T I O L X X I V .

Quæ sic hæc diuisio verbis Euangelij significata.

Origenes lib. 2. Periarchon cap. 11. interpretatur sic: Diuidet à dono Spiritus sancti; diuidet etiam à consortio, & custodia Angelorum. Hilarius can. 27. in Matth. interpretatur sic: Diuidet eum à bonis promissis. Hieronymus autem Matth. 24. Separabit, inquit, à consortio Sanctorum. Euthymius vero, separabit eum à dignitate. Hæc omnia vera sunt; tamen prima omnium separatio, à qua cæteræ emanant, ea est, qua reprobus ab ipso Deo, & Christo separatur, quia gratia, donis, & omnibus spiritualibus bonis, ac virtutibus, diuinis auxilijs, ac spe omni salutis priuatur. Hinc sepa-

ratur ab Ecclesia, à consortio fidelium, ac Sanctorum; tam hominum, quam Angelorum; hinc manet sine Dei visione, ac fruitione promissarum bene operantibus, exclusus à regni cælestis hæreditate. Diuidet ergo eum Dominus primo à se, secundo à corpore suo, quod est Ecclesia militans, & triumphans; tertio à beatitudine, & cælestis regni promissa hæreditate. Hæc diuisio est omnium malorum pessimum: priuari enim Deo in sempiternum est supra omnia tormenta, ac mala poenæ.

Partemque eius ponet cum infidelibus.

C O M M E N T A R I A.

Hæc etiam est pœna infligenda malo dispensatori, non solum diuidet eum Dominus, sed etiam ponet eius partem cum infidelibus, id est, cum infidelibus coniunget, eisdem cum illis pœna, & tormento puniendum. Quod Matthæus cap. 24. explicat dicens: Ibi erit fletus, & stridor dentium; separatus ergo ac diuisus punietur. Infideles hic dicuntur, qui Domino fidelitatem non seruant.

A N N O T A T I O L X X V.

Pars quid hoc loco significet. **O**rigenes lib. 2. Periarchon. cap. 11. partem interpretatur animam, quæ diuiditur à donis Spiritus, & ab Angelorum custodia, & meretur in ignem Inferni. Euthymius apud Matthæum dupliciter interpretatur Partem. Vno modo ipsum seruum, qui cum diuisus sit, pars appellatur. Altero modo, partem, id est sortem eius: sunt enim sortes diuersæ iustorum, & impiorum, hædorum, & agnorum: collocabit ergo inter hædos, & damnatos. Alij partem intelligunt, portionem, seu mercedem: hanc enim dabit Deus seruo huic, quam dare solet infidis seruis, & qui fidem Domino non seruauerunt. Si de aduentu particulari hæc intelligamus, nimirum quando dies mortis singulorum est, tunc posset quispiam hæc duo verba sic interpretari: Diuidet eum, quia animam separat à corpore, & par-

tem eius, id est animam, damnat pœnis addictam Inferni. Rectius tamen, & accommodatius est, quod dictum est prius: nam hoc in loco, Diuidet, ad vindictam pertinet, illo autem modo non esset vindicta: talis enim diuisio, quæ per mortem fit, communis etiam est sanctis, & piis hominibus, ac seruis, qui fideles fuerunt Domino. Aduertendum est autem apud Matthæum legi (partem eius ponet cum hypocritis) nec mirum est: nam hæc parabola bis à Domino prolata est, ut supra diximus, & notat hic Euthymius. Vnde potuit illo, & hoc uti vocabulo; si tamen sensum attendamus, in idem tendunt: nam seruus infidelis, & infidus est, qui, quod munere proficitur, non efficit opere, proficitur fidelem se esse officio, vita autem infidelis est, hæc autem hypocrisis est.

Ille autem seruus, qui cognouit uoluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis.

C O M M E N T A R I A.

Distinguit duo genera seruorum infidelium. Vnum est eorum, qui uoluntatem sui Domini exploratam habuerunt, & non se præpararunt præcingendo lumbos, nec lucernas in manibus tenendo; nec fecerunt secundum uoluntatem illius dando familiæ mensuram tritici. Hi serui infideles cadentur multis plagis, id est, grauius torquebuntur: eorum enim peccatum, & infidelitas ex malitia est; nouerunt enim quid Dominus uellet. Hac sententia excitat Christus suos Discipulos ad debitam uigilantiam, & dispensationem, quippe qui uoluntatem Domini non ignorarent, quin potius proprio ore didicerint: perseverat in eadem metaphora seruorum, quorum est uapulare.

Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis.

C O M M E N T A R I A.

Alterum genus est eorum, qui non habuerunt exploratam Domini uoluntatem, & tamen non se præpararunt, nec fecerunt secundum uoluntatem Domini; quod quidem dignum est plagis. Hi uapulabunt paucis, id est, minorem recipient pœnam, quam priores: punientur tamen, quia potuerunt nosse Domini uoluntatem.

A N N O T A T I O L X X V I.

Basiliius reg. breu. respon. 267. notat ex his uerbis, paucis, & multis, plagis, deduci pœnarum Inferni diuersitatem, quidam enim acrius, quidam leuius torquentur; non autem deducendam esse temporis, aut durationis distinctionem, cum utraque sint æternæ, tam leuiore, quam acriore; multaque ibi dicit contra eos, qui pœnas Inferni sciendas censuerunt, ibi lege. In hoc etiam loco Titus Bostrenus interrogat, cur seruus, qui uolup-

tatem Domini non cognouit, digna autem plagis fecit, rationem reddere, pœnamque subire compellitur? Respondet sic, quia cum Domini uoluntatem scire potuisset, discere neglexit. Iam ergo, si is, qui Domini uoluntatem compertam non habuit, promeritam pœnam non euadet, quomodo ille diuina uerba euasurus est, qui certo exploratam facere non uoluit. Hæc ille.

Omne

Omne autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo.

C O M M E N T A R I A.

Acumulat Dominus argumenta ad uigilantiam, & ad debitam dispensationem inducentia Discipulos, & utitur etiam metaphora, ac similitudine: Cui, inquit, multum datum est à Domino, multum etiam repetetur ab eo; maiorque ratio exigetur, ubi maius est acceptum, id est, cui multa pecunia committitur ad negotiandum, multum etiam lucrum ab eo repetetur, ratioque maior exigetur. Ad eos pertinet hæc sententia, qui ad altiores gradus, & dignitates uocati sunt: hi enim ad maiora, & plura tenentur opera. Discipuli igitur, qui ad Apostolatam erant promoti, & totius orbis magisterium, ac gubernationem suscepturi, supra cæteros tenebantur sanctitatis opera præstare. Sic etiam Prælati, qui ad altiore gradum sunt promoti, tenentur maiora obsequia Deo exhibere, uitæque excedere, quos superant dignitate. Potest etiam extendi sententia ad quoscumque etiam priuatos, eosque, qui à Deo plura beneficia siue temporalia, siue spiritualia acceperunt: debent enim hi pro acceptorum proportionem recte operari: omnium enim, quæ accepimus, reddenda est ratio: accepimus enim ea, ut Deo inseruiremus, nostræque salutis acquirendæ incumbere, & horum ratio exigetur.

A N N O T A T I O L X X V I I.

Titus Bostrenus hanc sententiam de Prælati interpretatur, sicut & nos, dilucidiusque scribit, dicens: Hæc clare indicant Doctorum, Pastorumque iudicium cæterorum non parum grauius, periculosiusque fore. At qualia, inquis, ea sunt, quæ Dominus ab huiusmodi hominibus deposcit? inter cætera deposcit ab illis fidem modis omnibus rectam: doctrinam ab omni errore alienam: ipem

erectam, & firmam: inconcussam in rebus aduersis patientiam: infractam Spiritus fortitudinem: in omnibus denique præclaris uirtutibus, & actionibus promptum, expeditumque animi studium, quo Evangelicæ conuersationis exemplum alijs præbere queant. Hæc ille. De eisdem etiam interpretatur Cyrillus lib. 4. de Adoratione in Spiritu.

Et cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.

C O M M E N T A R I A.

Prosequitur, cui etiam plura negotia commissa sunt, plurimum ratio ab eo exigetur. Sic etiam à Prælato, cui non sua tantum, sed aliorum salus commissa est, aliorum etiam ratio reposcetur. Ad idem spectat hæc sententia, sed ratione diuersa: prior enim procedit de iis, quæ Prælatus recipit in se; hæc autem posterior, de his, qui eius curæ, ac gubernationi commisi sunt, quorum etiam ratio ab eo exigetur, iuxta illud Hebr. 13. Obedite præpositis uestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus uestris reddituri. Dicitur autem plus petendum ab eo, non quidem plus, quam commendatum sit ei. Priori ergo sententia significatur ratio reddenda à Prælato pro se, pro ratione muneris, ac dignitatis acceptæ; in posteriori uero, ratio etiam reddenda pro aliis eius curæ demandatis: punietur enim pro ijs, qui culpa sua perierunt; contra uero mercedem accipiet pro iis, qui eius opera saluati sunt.

Ignem ueni mittere in terram.

C O M M E N T A R I A.

Postquam Discipulos officij, & muneris eorum admonuit, explicat nunc proprium suum officium, ad quod ipse uenit; tum ut magis ostendat, & clarificet officium Discipulorum, quorum opera id, ad quod uenit, magna ex parte complendum erat; tum ut suo exemplo illos hortetur ad exercendum ut oportet sibi commissam dispensationem. Veni, inquit, mittere ignem in terram, qui accendendus est, & extendendus per orbem: idque per uos fieri debet. Ignis hic Spiritus sanctus est, prædicatione Evangelij per fidem, penitentiam, dilectionemque accendendus, ac diffundendus in hominum corda per totum orbem, ut illustrentur, purgentur, mudentur, fortificentur, ac inflammentur. ad hoc uenit Christus: idcirco missurus per Mundum Discipulos, non solum post resurrectionem dedit eis Spiritum sanctum, sed etiam post ascensionem misit in illos Spiritum hunc in specie ignis replentem corda eorum gratiarum plenitudine, ut ualeant eum ignem per orbem deferre, & accendere.

in cordibus hominum. Ignis corporeus hæc præstat, illuminat, vrit, & vrendo emundat, & purgat; fortificat etiam, quia consumit corpora obstaculum præbentia; quæ per similitudinem quandam Spiritus sanctus operatur: nam illustrat mentem erroribus depulsis, vrit per penitentiam, purgat à peccatorum maculis, inflammat, & fortificat ad subeunda omnia pericula, & mortem ipsam propter Deum.

ANNOTATIO LXXVIII.

Quid hic per ignem intelligatur. V Ariz sunt expositiones in explicando hoc igne: nam per similitudinem multa sunt, quæ igni comparantur, & in Scriptura dicuntur ignis. Primo loco, quidam hunc ignem interpretantur Spiritum sanctum, per quem corda illuminantur, & purgantur, quem Christus venit dare, & communicare hominibus; interpretationem hanc sequitur Origenes, quem Hieronymus lib. 2. Apologiae aduersus Ruffinum citat, hunc locum Lucae sic exponentem, ignem veni mittere in terram, & quam volo ut ardeat, id est omnes cupio agere penitentiam, & excoquere Spiritu sancto vitia, & peccata. Eodem modo interpretatur Athanasius lib. de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Cyrillus lib. 5. in Leuit. similiter Isechius lib. 7. in Leuit. confirmans illo Ioann. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, quasi tunc ignem Christus mitteret. Diffusus eandem interpretationem profequitur Gregorius hom. 5. in Ezech. & hom. 30. in Euang.

sti continens veritatem Dei, præcepta, ac Sacramenta, ignis est, quia per ipsum acceduntur corda. Omnes hæc sententiæ mihi visæ sunt veræ, & ad sensum huius sententiæ spectantes. Sunt enim hæc tria ignis similitudinem habentia, quamuis differenter: Spiritus sanctus enim ignis est primus, incensens, & inflammans, non autem ab alio incensus, nec dependens. Euangelium autem velut instrumentum, per quod corda ignescunt, & incenduntur. Interna autem dilectio, & fides ignis accensus, quod immediate corda ardent, & incensa sunt. Omnia hæc Christus operatus est: Venit enim, ut Spiritum sanctum, communicaret, Euangelium traderet, ut sic corda hominum fidem, & charitatem conciperent, ac purgarentur, emundarentur, & inflammarentur, ac fortificarentur: si enim non venisset, nullatenus hominibus vllus ex his ignis datus esset. Adde Christum ipsum ignem esse accendentem: virtute enim sua corda purgat, illustrat, ac fortificat; sicque Hieronymus Malach. 3. illa verba de Christo (sedebit quasi ignis constans) iuxta hæc verba Saluatoris præsentia, interpretatur. At vero germana huius ignis interpretatio est prima, ut ignis hic sit Spiritus sanctus, qui & per verbum Christi, & per dona sua, & gratias, ac virtutes corda ignita reddit, qui tunc accendi dicitur, cum corda nostra possidet per dona, ac virtutes suas: tunc in nobis extinguitur, quando priuamur eis, iuxta illud. 1. Thessal. 5. Spiritum nolite extinguere.

Ultimo loco, Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 29. aliam quandam interpretationem huius ignis profert: putat enim ignem hunc esse, quod alio verbo Mattheus cap. 10. appellat gladium, nempe odia, & inimicitias, ac dissensiones, quæ increduli contra credentes Euangelij causa excitarunt, de quibus dicitur, veni separare hominem aduersus Patrem suum, & filiam aduersus matrem; & inimici hominis domestici eius. At vero licet tribulationes soleant etiam dici ignis per similitudinem, tamen ea significatio non accommodatur huic sententiæ: nam quæ sequitur sententia, eam rem continet, vnde superflua esset, si ista præiens de tali gladio intelligeretur.

Et quid uolo, nisi ut accendatur?

COMMENTARIA.

Connectitur sententia hæc præcedenti, per quam explicat Christus, quantum sibi cordi sit hunc ignem accendi in terra, hominumque corda eo cremari, & inflammari. Sensus est, cum venerim ad mittendum ignem in terram, quid volo, nisi ut accendatur? id est, nihil aliud magis, aut æque cupio, quam hunc ignem iam accendi in terra, hominesque fide, penitentia, dilectione purgari, ac mundari. Qui enim venit aliquod negotium peragere, summopere cupit id perficere, ac complere; qui ergo venit mittere ignem, maxime cupit ipsum ignem accendi, & ardere. Hoc exemplo excitat Discipulos ad desiderium dispensationis per eos administrandæ.

ANNOTATIO LXXIX.

Varia lectio præcedentis sententiæ, & quæ sit eius sensus exponitur. M Vltiplex est lectio, & interpretatio huius sententiæ, quod ergo ad lectionem spectat. Qui-

dam primo loco legunt sic: Et quid volo, si iam accensus est? sic habent Hilarius in Psal. 119. Theophylactus,

lactus, & Euthymius, & Cyrillus citatus in catena, Græcæque multa exemplaria huic lectioni faciunt. Secundo loco, Hieronymus ad Nepotianum de vita clericorum legit: Quam volo, ut ardeat? similiter etiam lib. 2. apologiæ aduersus Ruffinum; & hæc lectio habetur apud versionem Origenis hom. 1. in Ezech. Quam, inquit, volo, ut accendatur. hom. vero 5. in eundem, habet, vtinam accendatur. Tertio, Isechius, si interpreti credimus, lib. 7. in Leuit. legit, & volo, ut accendatur. Quarto Philaster lib. de hæresib. cap. vltimo, legit, quam volo accendatur ocyus. Quinto vetus noster interpres legit, ut dictum est, quid volo, nisi ut accendatur, sicque legit etiam Gregorius hom. 5. in Ezech. quamuis hom. 30. in Euang. loco (accendatur) legat, ardeat. Hæc lectionum varietas antiqua indicat varias fuisse lectiones Græcorum exemplarium.

Quod vero ad sensum pertinet, qui primam lectionem amplectuntur, varie etiam exponunt, seu sensusque diuersos habent. Euthymius sic interpretatur: Si iam iste ignis, quem veni mittere, iam accensus

est, ut vere accensus est in vobis, nec vnquam extinguatur, sed per orbem percurrat, quid amplius in mundo expecto? nihil aliud est, quod iam optem, nisi transire de hoc seculo. Cyrillus autem in quadam catena aliter interpretatur, supplendo sententiam, nimirum, si iam accensus est ignis hic, quid volo nisi ut per vos extendatur in vniuersum orbem?

Theophylactus vero aliter intelligit: nimirum, si iam accensus est, quid aliud volo: hoc enim cupiebam, nimirum ut accenderetur, cum ergo sit iam accensus, non est aliud, quod velim. His tribus modis hæc sententia iuxta lectionem primam explicatur. Tres autem lectiones, nempe secunda, tertia, & quarta eundem sensum habent, nimirum, veni mittere ignem in terram, quid volo, nisi ut accendatur, id est, summopere cupio eum accendi, & ardere iam in cordibus hominum, in quos veni eum mittere. Hunc Hieronymus sensum, similiter & Origenes intendunt legentes, vtinam accendatur, aut, quantum cupio accendi iam. Sicque cum vulgato in commentario legimus, & exponimus.

Baptismo autem habeo baptizari.

COMMENTARIA.

Docet hunc ignem non esse accendendum in terram, nisi postquam ipse mortem, ac passionem passus fuerit, quam ideo perficere iam, ac complere desiderabat: baptismo, inquit, habeo baptizari, nempe prius quam ignis hic in terram emittatur, & accendatur. Mortem suam appellat baptismum, quia sanguinem suum effusus erat, ipsoque perfundendum corpus suum, iuxta illud Genes. 49. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vix pallium suum. Vtitur autem verbo præsentis temporis, quia cum hæc loquebatur, imminebat tempus passionis, ac mortis eius, postquam per Apostolos in orbem totum ignis hic extensus est.

Et quomodo coarctor usquedum perficiatur?

COMMENTARIA.

Quomodo coarctor, id est, multum affligor præ desiderio perficiendi baptismum, & passionem subeundi, per quam ignis est accendendus in terram, & salus hominum efficienda. Non propter mortem, aut passionis dolorem coarctabatur Christus, sed propter tarditatem: desiderabat enim iam iam se offerre pro nobis, & ignem accendere in cordibus hominum.

ANNOTATIO LXXX.

Recte notat Ambrosius, si anxius erat Christus, ut mortem perficeret, non propter mortem, sed ob perfectionem eius; igitur mors illi fuit absolutio anxietatis, non coarctatio doloris, id est, liberavit eum ab anxietate, non autem anxietatem cumulavit. Illud, quomodo, aduerbium est augmenti, id est, valde, seu multum. Ioan. 14. Ecce quo-

modo amabat eum, id est, valde amabat eum. Coarctari autem est constringi, coangustari, & affligi, quo verbo vltus est Paulus Philip. Coarctot, inquit, à duobus; præmebatur, & affligebatur Paulus desiderio videndi Christum, eoque fruendi, ac desiderio salutis hominum.

Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem.

COMMENTARIA.

Ignis huius, qui post baptismum passionis eius mittendus erat in terram, efficaciam ostendit, quæ tanta est, ut vincat omnem naturalem affectum, & patres à filiis, ac matres à filiabus separet, omnemque sanguinis coniunctionem soluat, dum fides Christi, dilectio Dei, ac Euangelij obedientia illis omnibus præponuntur. Dicit ergo: putatis ne vos me venisse ad pacificandum homines inter se, id est, futurum esse, ut meo aduentu pax sit, & consensus hominum inuicem? profecto non sic fiet; immo erit magna dissensio, & separatio, dum patres in filios, & contra, filij in parentes

tes propter Euangelium meum insurgent, & dissentientes mutuo contendent, tan-
taque erit vis, & fortitudo ignis mei, vt affectus naturalis conculcetur, & postpona-
tur. Cur autem non dixerit absolute, non veni mittere pacem, sed vsus sit prius in-
terrogatione: Putatis, inquit, quod veni mittere pacem? sequens annotatio expli-
cat. Particula, Quia, non causalis, sed declaratiua est, posita loco, Quod.

A N N O T A T I O L X X X I.

Quomodo
Christus hoc
loco dicitur
venisse no-
pacem, sed se-
parationem
causaturus.

O pponet quispiam, quia Christus prænunciatus
est per Prophetas pacem allaturus mundo: di-
citur enim psal. 71. orietur in diebus eius iustitia,
& abundantia pacis. & Isa. 9. vocabitur Princeps
pacis; multiplicabitur eius imperium, & pacis non
erit finis. Multa sunt huiusmodi testimonia in vete-
ri testamento: In nouo autem legimus: In natiui-
tate eius Angelos cantasse, In terra pax hominibus,
ipsum autem Christum morti proximum dixisse: Pa-
cem relinquo vobis, cumque resurrexit, eam annun-
cians protulit: Pax vobis, quomodo ergo nunc ne-
gat se venisse ad mittendum pacem. Respondetur
facile pacem multiplicem esse, vt diximus Luc. 1.
Venit Christus ad faciendam pacem inter hominem,
& Deum, auferendo peccata, & reconciliando ho-
minem Deo, cuius pacis dictus est Princeps, quam-
que annunciarunt Angeli, vnde Ephes. 2. dicitur,
Ipse est pax nostra: Similiter venit ad diffundendam
inter homines charitatem, qua se mutuo diligenter,
ac iuuarent adeo, vt inimicos proprios amarent:
Non autem sermo est hic de hac pace, sed de tempo-
rali quadam pace, quæ solet inter eos esse, inter quos
non est contentio, nec dissensio, quæ pax non est in-
ducta in mundo à Christo nunc in hoc seculo; immo
ex eius aduentu occasio orta est contentionum, &
dissensionum multarum: nam religionis causa multi
in alios insurrexerunt, factæque sunt persecutiones
plurimæ, & odia concepta contra fideles Christi, non
quod Christus talia intenderit, nec eo fine venerit,
vt hæc fierent, sed quod ex eius aduentu hominum
malitia occasionem ea perpetrandi arripuerit. Venit
enim Christus trahere ad se homines, eosque saluare;
dum autem multi sequuntur eius vocationem, pluri-
simis nolentibus obedire Euangelio, actum est, vt
fiat separatio horum ab illis, & hi in illos insurgant;
in quo ostenditur potentia, & efficacia Euangelij,
quæ trahit ad se plurimos, victa coniunctione contra-
ria carnis, & sanguinis, ac postposito affectu, ac ti-
more cuiusque persecutionis. Hoc est quod nunc

dicitur: Non veni pacem mittere, sed separationem,
quam Matthæus cap. 10. appellat gladium secantem,
& diuidentem quemcumque carnalem affectum.
Recte autem notat hic Ambrosius per hoc non tolli
parentum in filios, & filiorum in parentes amorem,
sed præferri amorem Dei amoris quorumcumque con-
iunctorum, vnde Matth. 10. dicitur: Qui amat pa-
trem plusquam me, non est me dignus. Hinc collige-
re licet duos effectus Euangelij, seu Spiritus san-
cti, seu fidei, & dilectionis: nam dicitur ignis, &
gladius, diuersis quidem rationibus; ignis quidem,
quia abtergit maculas peccatorum, illustrat mentes,
& inflammat voluntates, vt ante dictum est; Gla-
dius vero, quia dissecat, & diuidit omnem affectum
humanum resistentem, & obuiantem veritati, ac di-
lectioni: propter hoc enim matres filias, & patres fi-
lios, & contra filiarum matres, filij patres reliquerunt,
ac postposuerunt. Vnde recte Origenes hom. 5. in
Ezech. hunc locum Lucae allegans vritur exemplo
romphæ igneæ, quam habebat Angelus custodiens
Paradysum, & similitudine nouacula igneæ, qua
sæpe vritur medicus in curandis tumoribus: gladius
est, vt diuidat; igneus autem, vt putrefacta consu-
mat. Sic se habet nunc Christus, ignem affert, &
gladium ignem ad consumenda peccata, & sanan-
da putrefacta; gladium autem ad diuidendum con-
trarios affectus, & superanda, ac remouenda omnia
impedimenta. Ex his facile intelliges cur Christus
non dixerit absolute, non veni mittere pacem, cau-
sa hæc est, quia Apostoli, qui eum audierant sæpe
de pace tractantem, & ex Prophetis nouerant ipsum
pacem allaturum, facile existimare possent nihil horum
futurum: idcirco, velut eos dedocens, interro-
gatione vritur, qua error significatur, & veritas tra-
ditur, dum negatur talis pax futura in hoc eius ad-
uentu. apud Matth. 10. hoc idem legitur, sine
interrogatione tamen: ad aliud enim tempus, & lo-
cum ea pertinet historia.

Euangelij duo
effectus.

Erunt enim ex hoc quinque in domo una diuisi, tres in duos, & duo in tres.

C O M M E N T A R I A.

Explicat hanc separationem, causam reddens, cur dixerit se non venisse vt mit-
teret pacem, sed separationem; hæc autem est: nam inter habitatores vnus do-
mus erit dissensio, & contentio causa mei, & ob Euangelium meum: ex vna enim
parte erunt duo, ex alia tres; inter quinque ergo habitatores erit contentio, & sepa-
ratio, inuicem contradicentes sibi: aliquando duo erunt pro Christo contra tres, ali-
quando tres pro Christo contra duos. Ecce vna separatio inter coniunctos habitatione.

A N N O T A T I O L X X X I I.

Cur numeri
imparis exem-
plum positum
à Christo.

C VR autem numeri imparis exemplum propo-
suerit, causam exultimo esse, quia sic magis ex-
primebatur efficacia verbi Christi: nam aut plures
sunt contra Christum, & tunc duorum virtus apparet
resistens pluribus; aut duo sunt contra Christum, &
tunc etiam eadem virtus ostenditur, dum plures ad se
trahit, nempe tres ex quinque. Non autem meminit
vnus, nempe vnus contra quatuor, quia maior dis-
sensio, & contentio est, dum multi sunt ex vtraque par-

te. Cur vero quinque potius mentionem fecerit, qui-
dam ad causas spirituales referunt, quas Ambrosius,
& Euthymius narrant. Mihi ad literam id facere vi-
detur; tum quia is est primus impar, qui in plures ex
vtraque parte diuiditur; tum quia idem numerus est
conueniens simul habitantibus, vt sequenti senten-
tia explicatur. vide quæ supra diximus de quinque
passeribus, qui vno alle veniunt.

Diui-

Diuidentur, pater in filium, & filius in patrem suum: mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

C O M M E N T A R I A.

Exemplum ponit separationis eorum, quos in vna domo habitare dixerat: Pater
enim insurgit in filium, nempe quando pater est incredulus, filius vero credit:
contra etiam filius incredulus in Patrem credentem; sic etiam mater, & socrus incre-
dulæ in filiam, & nurum credentes; aliquando hæc incredulæ in matrem, & socrum
credentes: diuiditurque vnio & coniunctio, dum veritas Euangelij recipitur, ac tene-
tur à credentibus, postpositis sibi coniunctis. Sub his coniunctionibus intelliguntur
viri, & vxoris: maior enim est coniunctio Patrum, & filiorum; & matrum, & filiarum.
Intelliguntur etiam coniunctiones amicorum: hæc enim sunt minores narratis. Causa
ergo fidei hæc separationes factæ sunt, vicitque efficacia Spiritus naturales affectus
omnes. Dices, hæc personæ sunt sex, quomodo igitur prius dixerat quinque? Respon-
deo matrem respectu vxoris filij esse socrum, vxorem vero nurum, sicque sunt quin-
que in vna domo.

A N N O T A T I O L X X X I I I.

P Otest hæc sententia duobus modis exponi. Vno,
vt sit separata à priori, quasi sit duplex diuisio,
nempe quinque in vna domo commorantium, &
horum, qui nunc numerantur. Altero modo, vt sit
eadem sententia, & hæc sit explicatio illorum quin-
que. Hæc posterior interpretatio accommodatior
est, quam Ambrosius sequi videtur, qui ad eandem

personam refert matrem, & socrum: nam mater est
respectu filij, socrus vero respectu vxoris filij, sic-
que sunt quinque in vna domo. Non fit mentio Pa-
tris vxoris: non enim in vna domo solet cohabitare;
sed vxor in domo mariti habitat cum patre, & ma-
tre viri, sicque fiunt quinque personæ, vt dictum est.

Dicebat autem ad turbas.

C O M M E N T A R I A.

C VM de suo aduentu, & de iis, quæ facturus esset, suis Discipulis præsentibus
turbis loqueretur, ad turbas ipsas se conuertit arguens, & increpans eas incu-
riæ, ac imprudentiæ, quæ cum ex signis quibusdam naturalibus obseruatis nouerint
multa ventura, non obseruauerint signa eis à Deo data futuri aduentus sui, nec eum
agnouerint: quæ sequenti exemplo declarat. Loquitur autem hæc ad turbas, non
autem ad Discipulos, quoniam hi nouerant eum esse Christum, non autem illæ.

*Cum uideritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbis uenit: & ita fit. & cum
austrum flantem, dicitis: Quia astus erit: & fit.*

C O M M E N T A R I A.

Explicat exemplo illorum prudentiam, ac prouidentiam, obseruationemque in-
rebus naturalibus: Cum, inquit, videtis nubem ab occasu surgentem, statim
præuidetis tempestatem futuram, & ita euenit. Erat enim mare terræ promissionis
ad Occidentem, ideo nubes ab Occasu oriens signum erat pluuiæ, & nimbi. Simili-
ter cum ventus Auster, qui est à meridie, flat, prædicatis calorem, & æstum futurum,
& reuera ita fit: ex obseruatione enim frequenti ista prænosse turbæ didicerant. Ex
hoc sumit argumentum reprehendendi turbas, quod facit in sequenti sententia.

A N N O T A T I O L X X X I V.

T Erra illa promissionis habebat mare ad Occiden-
tem, inde nubes ab Occasu orta signum erat il-
lis pluuiæ, quod alijs prouincijs, ac terræ sitibus non
est, quibus mare non est ad Occasum. Inde Elias 3.
Reg. 18. tempore siccitatis, quæ per tres annos cum
dimidio durauerat, cum à puero suo intellexisset
nubeculam ortam ab Occasu, prædixit pluuiam, & ita

facta fuit. Alio tempore, & loco Dominus vsus est
simili argumento, licet ex alijs signis sumptum: nā Ma-
th. 16. aduersus Phariseos, & Saduceos dixit sic: Ve-
spere facto dicitis, serenum erit, rubicundum est
enim Cælum. Et mane: hodie tempestas, rutilat
enim cælum triste. Faciem ergo cæli diiudicare no-
stis: signa autem temporum non potestis.

Hypocri-

Hypocrita, faciem cali, & terra noſtis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis?

COMMENTARIA.

Argumentatur ex poſitis exemplis reprehendens turbas: ex ſignis quibusdam ſenſibus probatis, & examinatis quale ſit futurum tempus, & dignoſcitis tempus, an ſit pluuiolum, an ſiccum, & calidum; & tamen hoc tempus aduentus mei non probaſtis, nec examinaſtis, nec nouiſtis quale ſit; cum multo plura, & certiora ſigna acceperitis à Deo per Prophetas temporis aduentus mei. Vtitur interrogatione, quaſi exprobrans, & quaſi iudicio contendens contra eos, quod non examinauerint tempus aduentus eius tot, ac tantis ſignis demoſtratum. Appellat autem hypocritas, quia volebant prudentes videri iudicio ſignorum cali & terræ, cum reuera eſſent imprudentiſſimi, qui quod maioris erat momenti non obſeruarunt. Similiter quia videbantur ſtadium addiſcendi præ ſe ferre, venientes ad Chriſtum audiendum, cum reiſſa negligentiffimi eſſent in conſiderandis iis, per quæ ipſum agnoſcere potuiſſent, & debuiffent.

ANNOTATIO LXXXV.

DE Iudæorum imprudentia ac ſtultitia in non agnoſcendo Chriſto, cum ſigna plurima aduentus eius accepiſſent à Deo, diximus ſupra cap. 1. in explicatione illius ſententiæ (vt conuerteret incredulos ad prudentiam iuſtorum) diximus etiam plura in commentarijs in Ioannem cap. 1. idcirco hic ſuperſedemus nunc. Fuit apud Deum graue hoc peccatum, quod ſatis conſtat inferius cap. 19. Nam à Chriſto proponitur tamquam cauſa punitionis illius ſeueriſſimæ, ac vindictæ factæ per Romanos:

poſt vaſtationis enim narrationem cauſam expreſſit dicens, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Nec eſt quod quiſpiam opponat turbas fuiſſe ignaras ſignorum, cum non legiſſent prophetas: nam frequentiffima erat in Synagogis explicatio Prophetarum, vt vix eſſet, qui non noſſet plura ex ijs, quæ data erant ſigna. Adde inter turbas multos ad fuiſſe peritos, & doctos, qui nomine etiam turbæ nunc ſignificantur.

Quid autem & a vobis ipſis non iudicatis quod iuſtum eſt?

COMMENTARIA.

Alterius imprudentiæ eos arguit: Cur, inquit, ex ijs rebus, quæ vobis ipſis in ſunt, non facitis quod iuſtum eſt, quaſi diceret, non iam vobis loquor, nec vos reprehendo à ſignis extra vos, quæ ſunt cali, & terræ, ſed ab ijs ipſis, quæ voſmet agitis: cur non ex iſtis diſcitis ſimilia agere in iis, quæ plurimi ſunt, ac maximi momenti? ſi enim ea ageretis, tempus hoc aduentus mei agnoſceretis. Particula, &, id eſt etiam, indicat hanc ſententiam cum præcedenti connecti, vt in annotatione explicatur.

ANNOTATIO LXXXVI.

Eda connectit hanc ſententiam cum præcedenti ſic: Quia non omnes ex turba poterant legere Prophetas, qui ſigna aduentus Chriſti prænotarunt, excuſareque ſe nunc poterant, ſi tempus hoc non probaſſent, idcirco ad ea redigit illos, quæ communia ſunt, nempe ratione naturali vti. Eſt ergo ſenſus: ſi non potuiſtis ſigna hæc noſſe, quia idiotæ eſtis, cur non ratione ipſa naturali, quæ vobis in eſt, non agnoſcitis me ex operibus mirabilibus, quæ feci. Hæc connexio difficultatem habet: nam, vt diximus in præcedenti annotatione, etiamſi non omnes Prophetarum libros legiſſent, nec intellexiſſent omnia in illis contenta, tamen quæ ad aduentum Chriſti pertinebant, erant ſingulis valde nota ex frequentiffimis concionibus, & explicationibus factis per Scribas, & Doctores Iudæorum in eorum ſynagogis: ſaltem excuſare ſe vix poterant, quod non adhibuiſſent diligentiam interrogando peritos eorum. Præterea, quia ſtatim ſimilitudine quadam explicat, quid ſit illud, ex quo poterant iudicare iuſtum, nihilque dicitur de operibus mirabilibus Chriſti, ſed de eo, qui componit cum ſuo aduerſa-

rio, antequam accedat ad iudicem, vnde clare patet hanc ſententiam ſenſum habere ex ſimilitudine ſequenti, quaſi diceret: Cur non iudicare iuſtum noſtis ex negotijs veſtris, quæ inter vos ſunt, quale vnum eſt, quod componitis cum aduerſario opportuno tempore. Euthymius arbitratur hanc cum ſequenti ſententia diſiunctam à præcedenti, aliumque continere ſermonem; cui expoſitioni obſtat particula (&) quæ coniunxit hanc cum præcedenti accumulando, & augendo argumenta imprudentiæ eiufdem ex nouo exemplo. Puto igitur ſententiam hanc cum ſimilitudine præcedenti ſic connecti cum priori: cur etiam ex negotijs veſtris, ac rebus per vos geſtis non iudicatis, & iudicare nouiſtis, quod iuſtum eſt erga mei aduentus tempus? vos enim tempus opportunum iudicatis in negotijs gerendis: nam componitis cum aduerſario veſtro antequam iudici accedatis, ne poſtea eueniat vobis detrimentum à iudice. Profecto ſi vos eodem modo tempus veſtras componendi quaereretis in hoc ſeculo, priuſquam ante Dei tribunal compareretis, veſtræque ſalutis, ac conſcientiæ ſolliciti eſſetis, me agnoſceretis,

ſceretis, ad meque veniretis, quem ſcitis cauſam Dei agere, operaque facere, quæ non facerem, niſi à

Deo miſſus. Hanc connexionem, & ſenſum magis explicabimus in ſequenti ſententia.

Cum autem vadis cum aduerſario tuo, ad principem in uia.

COMMENTARIA.

HOC eſt, quod homines in negotijs ſecularibus faciunt, nimirum cum ab aduerſario debiti cauſa ad iudicem deferuntur, dum in via ſunt, priuſquam iudicium ſubeant, liberari ſe ab aduerſario procurant, rem, ac litem componendo, ne, ſi ad iudicem trahantur, grauiora detrimenta patiantur, & totum integrum ſoluant, quod minori detrimento, & minori pecunia componere poſſent. Hoc prudentiæ eſt, tempus nempe diſcernere negotium gerendi. Sic proſecto agendum eſt in negotio ſpiritali, vt ante tempus iudicij Dei, ad cuius tribunal debemus omnes aſſistere, ſtudeamus liberari ab aduerſario, ſcilicet peccatis noſtris, & diabolo, ſub cuius poteſtate per peccatum tenemur. Si enim præueniamus iudicium illud, facile, & minima expenſa liberabimur per pænitentiam; at ſi expectemus iudicij tempus, vtique cogemur, & detrudemur in damnationis carcerem, à quo nemo liberabitur, niſi toto ſoluto pretio; quod quia numquam fiet, æternus erit carcer, & perpetua damnatio. Intendit Dominus Iudæos arguere, quod non quaerant tempus opportunum liberandi ſe a peccatis: ſi enim huic ſtudio incumberent, facile agnoſcerent tempus aduentus ſui: venit enim ad tollendum peccata mundi, & aduerſarium diabolum debellandum, ac ſpoliandum. Vtitur autem modo imperatiuo, loco indicatiui, vt per parabolam moneat eos ad componendum rem ſuam cum Deo hoc tempore, quod illis datum eſt. Hæc eſt tota parabola, cuius pars eſt propoſita ſententia: Cum vadis, inquit, ad principem cum tuo aduerſario, nempe vt ad iudicium traharis, procura in via liberari ab eo, re compoſita ante acceſſum Principis.

ANNOTATIO LXXXVII.

Verborum præcedentium diſcuſio.

Græca loco, autem, habent ὅρα, id eſt, enim, quæ particula, cauſalis cum ſit, indicat ſententiam hanc, & parabolam connexam cum præcedenti ſententia, quaſi demoſtrans, quomodo ex vobis ipſis, id eſt, ex humanis negotijs debemus quod iuſtum eſt in ſpiritalibus diſcernere, & exhibere. Nec obſtat, quod Dominus non vtitur indicatiuo, ſed imperatiuo, ſcilicet, Da operam, cum dicendum videretur, das operam: hoc enim factum eſt, quia reſpexit ad ſignificationem parabolæ, iuxta quam exhortatur, vt id ipſum faciamus in negotio ſpiritali cum Deo, quod facere ſolemus in eo, quod per parabolam exprimitur. Loco, Principis, quidam legunt, Magiſtratum, Græce ἀρχον, quod nomen ſignificat eum, qui præſt iudicibus, iudiciorumque eſt moderator; Apud Romanos erat Prætor, per quem Ambroſius dicit ſignificari Deum ipſum, vt paulo inferius dicemus.

Quis dicatur hoc loco aduerſarius.

Quis autem dicatur Aduerſarius, varie exponitur. Euthymius enim interpretatur diabolum, de quo ſcriptum eſt. 1. Pet. 5. Aduerſarius veſter Diabolus. Quidam interpretantur Deum ipſum, quem inimicum facimus per peccatum. Ambroſius autem aliter: cum enim hæc parabola ſit etiam apud Matthæum. c. 5. alio tempore, & loco à Domino prolata, diſtinguit ille dicens, parabolam apud Matthæum ſignificare, debere nos rem componere

cum proximo, liberarique ab aduerſario; at apud Lucam generaliter accipitur, nempe debere nos componere rem cum Deo per pænitentiam, & reconciliationem. Hinc Aduerſarium apud Matthæum interpretatur Diabolum, apud Lucam vero lapſum, & peccatum noſtrum, quod nos accuſat apud Deum. Baſilius autem locum Matthæi interpretans. Reg. breu. reſp. 222. eum dictum aduerſarium conſeſ, qui aliquid à nobis curat adimere quod ad noſtrum ius pertinet; illi autem conſentientes ſumus, ſi illud præceptum impleamus, qui vult tecum contendere iudicio, & tunicam tuam tollere, relinque ei & pallium. Hæc Baſilius. Quidquid autem ſit de loco Matthæi, quem puto alium habere ſenſum & ſcopum, vt Ambroſius recte dicit, apud Lucam arbitrator aduerſarium ad literam dicit creditorem, eumque, qui aduerſus alterum querelam habet. Iuxta hanc autem ſignificationem, recte intelligimus & peccatum, ac diabolum: nam ſub eorum iugo traditus eſt, qui peccat, iuſto Dei iudicio, donec per pænitentiam liberetur ab ipſo, Deoque reconcilietur. Vnde recte dicitur, liberari ab eo, non autem reconciliari cum eo, quia Deus eſt, cui reconciliatio, & ſatiſfactio debetur: ea facta, diabolus nihil iuris habet contra nos, cui traditi eramus à Deo propter peccatum.

Ne forte trahas te ad iudicem.

COMMENTARIA.

Proſequitur parabolam: liberari enim quaerit homo ab aduerſario, ne, ſi re non compoſita Aduerſarius trahat eum vi per Principis poteſtatem in iudicium, & in manus iudicis veniat, ab eo peius recipiat, quam ſi à principio liberari curaffet ab aduerſario.

A N N O T A T I O L X X V I I I .

Q Vis fit is, qui tradere dicatur, notū est, nēpe aduersarius ipse, quod apud Matthæū distinctius legitur: ne, inquit, Aduersarius tradat te iudici. Ambrosius non legit sicut nos, sed sic: Ne condemnet te apud iudicem. Aliter enim legunt Græci, quam vetus interpres, sensus tamen idem est. Quis autem iudex sit, maior est dubitatio. Quidam enim putant idem esse iudicem, & principem, seu magistratum; at vero rectius Ambrosius distinguit, interpretans, Principem, Deum ipsum, iudicem vero, Dominum Christum vt hominem, qui constitutus est iudex viuorum, & mortuorum,

& cui Pater iudicium omne hominum tradidit. Cui explicationi consentiens dico Principem esse ipsum primarium Magistratum, qui omnibus præest, vti in præcedenti annotatione ostendimus: Iudicem autem, illum, cui causa traditur discutienda, & iudicanda à magistratu supremo. Matthæus autem non meminit Principis, sed solius iudicis, & merito, quia non agebat nisi de re componenda, cum proximo; at Lucas distinxit, quia intendebat reconciliationem cum Deo, priusquam ad iudicium Christi trahamur, distinguenda igitur ista sunt.

Et iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.

C O M M E N T A R I A .

P Rōsequitur parabolam, exponitque detrimenti grauitatem, quæ sequitur, nisi præueniatur iudicium: nam Principis auctoritate, ante quem querela defertur ab aduersario, ipse aduersarius trahet te nolentem, & inuitum ad iudicem; iudex autem causa cognita iudicium proferet condemnationis, & tradet te exactori, nempe ministro, cui incumbit iudicata executioni demandare, & exigere, quæ iudicata sunt; hic autem mittet te in carcerem, donec soluas.

A N N O T A T I O L X X I X .

H Aec quinque genera personarum, nempe Principis, iudicis, aduersarij, exactoris, & eius, qui traditur iudici, diffuse interpretatur Ambrosius, singulasque partes parabolæ explicat docte, vtiliter, ac spiritualiter; multa etiam Euthymius dicit. Nobis autem in præsentī satis esse visum est, si id, quod per parabolam intenditur, exponamus: non enim necessarium est singulas partes parabolæ accommodare, cum aliqua interferantur in similitudinibus, vt ipsarum similitudinum & parabolarum series conficiatur, vt alias notauimus.

Parabolæ huius scopus.

Quod igitur in hac parabola intenditur, vti diximus in commentario, id est, scilicet demonstrare, quo pacto sint homines prudentes in negotijs suis tractandis, quæ huius seculi sunt: cum enim litem aliquam super debitum habent, & iniustitiam sciunt, procurant potius rem componere, quam ad tribunalia deferri, ne se exponant periculo grauiora patienti:

hoc idem agendum esset cum Deo, quem inimicum per peccata in eum commissa habemus, idcirco opportune componendum cum eo est, sicque ab aduersario dæmone liberabimur, qui Deo pacato nihil habet contra nos exigendum. Hæc autem fieri debent priusquam ad eius tribunal vocemur, vbi negotium exacto iustitiæ rigore agetur; at ante tribunalis tempus, magne misericordiæ locus est quam impetrandi opportunum tempus Iudæi affectui erant, negligentiaque sua amittebant: Christus vero reprehendit, & exhortatur eos, vt vtantur tempore oblato, sicut faciunt in negotio seculari. Hoc idem, alia tamen occasione docuit, & monuit Ioann. 12. Adhuc, inquit, modicum in vobis lumen est, ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant. Se appellat lumen, ac lucem; tempus autem hoc, aduentum, & præsentiam suam. Hic est scopus, & sensus huius parabolæ

Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.

C O M M E N T A R I A .

C O n n e x a est præcedenti ista sententia, significans, maius, ac grauius detrimentum debitorem passurum esse, si res in iudicium deferatur: conicietur enim in carceres, è quibus non liberabitur, nisi toto debito restituto vsque ad minimam monetam: sic fiet in tribunali Dei cum eo, qui in hoc seculo non curauerit componere conscientiam suam cum Deo per penitentiam. Misericordia enim large patet in hoc seculo, in illo autem iudicium seuerum exercetur. Minutum idem est, quod quadrans, nempe minima pars assis.

A N N O T A T I O X C .

Particula, Donec, quomodo hoc loco sumpta.

A Duertendum est posse hanc sententiam dupliciter intelligi, Vno modo vt particula, donec, significet tantum non liberandum à carcere, nisi reddito toto debito, non autem quod reddito debito postea egrediat a carcere, in qua significatione viurpatur apud Matthæum cap. 1. Non, inquit, cognouit eam, donec peperit filium, vbi notat Hic-

ronymus particulam hanc non significare, quod postquam filium peperit, cognouit, sed id solum, quod non fuit factum, nempe ante partum cognitam non fuisse. Sic in præsentī accipi potest, minutum debitorem non exiturū à carcere, donec totum debitum soluat, non quod soluat totum, & postea exeat, sed id solum, quod non aliter exibat. Conformis

formis est huic locus ille Matth. 18. Ille enim debitor, qui debebat decem millia talenta, nec habebat unde redderet, quia conserui non est misertus, missus dicitur in carcerem, quousque redderet vniuersum debitum: non significatur hic, quod reddiderit, & postea sit egressus, nam dictum est non habuisse, unde redderet, sed tantum significatur, non aliter egressurum: ita nunc in præsentī dictum est. Et hac ratione applicatur ei, qui ante tribunal Dei comparebit sine penitentia, peccatique remissione in hoc seculo facta; mittetur profecto in carcerem Inferni, quousque satisfaciatur debito, non quod aliquando satisfaciatur, id enim numquam fiet, nec eripietur in æternum, sed id solum dicitur, quod non aliter liberabitur: & iste sensus est germanus, & accommodatus parabolæ. Altero modo particula, Donec, non tantum significat, quod non fiet, sed etiam, quod postea fiet, ita vt neget, & simul affirmet, in qua significatione vsurpatur. Dan. 4. Septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Altissimus. hoc in loco particula, donec, nō solam negationem, sed etiam affirmationem habet: nam post illa septem tempora sciuit Nabuchodonosor dominari Altissimus, & veniam, ac misericordiam consecutus est. Iste sensus si accommodatur huic loco, significabitur, quod iste debitor tenebitur in carcere, donec soluat totum debitum, quod vere soluet, & liberabitur; tuncque accommodatur ho-

minibus, qui, etiam si in hoc seculo per penitentiam remissionem culparum obtinuerunt, non tamen diligentes fuerunt in satisfactione pro poenis relictijs per opera bona; nec adhibuerunt ea remedia, quibus omnino purgarentur, tam ab illis, quam à culpis venialibus; hi, si tales in iudicio compareant, tradentur carceri Purgatorij, à quo non exibunt, nisi omni debito exacte, & ad rigorem iustitiæ soluto; eo tamen reddito liberabuntur; quibus etiam consilium vtilissimum est, vt in hoc seculo componant: nam quæ potuerunt facili opere reddere, & satisfacere in hoc seculo, si futurum expectent, non reddent, nisi per pœnas inexplicabiles, quarum vel minima vincit tormenta omnia, quæ in hoc seculo excogitari, & inferri possunt. Tam ergo iis, qui penitentiam non faciunt, & peccant, quam illis, quos penitet, sed satisfacere negligunt, vtilissimum est in hoc seculo componere: Prioribus valde necessarium ad salutem æternam assequendam, & euadendam æternam damnationem, ac mortem; Posterioribus vero vtilissimum, non tantum ad merita augenda, ad citiusque Deo fruendum sine detentione carceris Purgatorij, sed etiam ad euitandas poenas, & tormenta illa, quæ ab homine mortali sustineri non possunt. Vterque sensus accommodatus est huic sententiæ, & non improbabiler affirmare licet simul vtrumque significatum, & intentum esse à Domino.

F I N I S C A P I T I S D V O D E C I M I .



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI VEL EXPLICANTVR, VEL CITANTVR.



Genesis.

- Cap. 1. **B** Actum est vespere & mane dies unus. 353. an. 31. col. 1. Benedixit eis dicens: Crescite et multiplicamini. 567. com. 5. Ascendebat fons de terra. 488. an. 68. col. 2.
- 3 In sudore vultus tui vesceris pane tuo. 669. an. 10. col. 1. Maledicta terra in opere tuo, tribulos & spinas germinabit tibi. 443. an. 84. col. 1. Maledixitq; terræ, & serpenti. 414. an. 44. col. 2. Aperti sunt oculi eorum. 304. an. 34. col. 1. Adam ubi es? Et: Vbi est Abel frater tuus? 543. an. 93. in fi. col. 2. Ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagesies septies. 279. com. 2.
- 8 Sensus & cogitatio cordis humani in malum prona sunt ab adolescentia sua. 514. an. 29. col. 2.
- 9 De manu hominis, & de manu viri, & de manu fratris requiram animam hominis. 720. an. 98. col. 1. Maledictus Chanaan, seruus seruorum eris. 144. an. 44. col. 2.
- 13 Homines Sodomitæ pessimi erant, &c. 131. an. 16. col. 1.
- 14 Da mihi animas, cætera tolle tibi. 616. an. 124. col. 2.
- 17 Delebitur anima illa de populo. 616. an. 124. col. 2.
- 24 Pone manam tuam super femur meum. 529. an. 62. col. 1. Bibe Domine. 453. an. 10. col. 1.
- 28 Cunctorum, quæ dederis mihi decimas offeram tibi. 714. an. 89. col. 1.
- 42 Peccaui in fratrem, videntes angustias illius, cum deprecaretur nos, & non audiuimus. 719. an. 96. col. 2.
- 49 Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vultus pallium suum. 789. com.
- 50 Loquimini ad aures Pharaonis, &c. 529. annot. 62. col. 1.

Exodus.

- Cap. 2. **V**ocate eum, ut comedat panem. 669. an. 10. col. 1.

- 2 Quid proximum tuum percutisti? 55. annot. 29. col. 1.
- 3 Ego mittam te ad Pharaonem. 720. an. 97. col. 2.
- 12 Reues vestros præcingetis. 777. an. 62. col. 2.
- 12 Sexcenta fere millia virorum absque paruulis, &c. 566. an. 28. col. 2.
- 15 Magnificatus est in nobis, equum, & ascensorem proiecit in mare. 667. an. 6. col. 1.
- 19 Britis mihi in pecuniam de cunctis populis. 669. an. 11. col. 1.
- 20 Non loquatur nobis Deus, &c. 587. annot. 64. col. 1.
- 21 Qui percusserit seruum suum, vel ancillam virga. 556. an. 6. col. 2.
- 23 Si videris asinum inimici tui iacentem, ne prætereas, nisi prius alleues illum. 412. an. 4. col. 2. in fin.
- 28 Principem populi non maledices. 414. an. 44. col. 2.
- 32 Orabat Moyses, dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populum, quem eduxisti de terra Aegypti in fortitudine magna, & manu robusta? 677. an. 24. col. 1. 2.
- 32 Aut dimitte noxam populo huic, aut dele me de libro vitæ. 749. an. 20. col. 1.

Leuiticus.

- Cap. 1. **O** Portebat ergo ut conspexerit Sacerdotis se leprosus offerret. 349. com. 2.
- 14 Hic est ritus leprosi quando; mundandus est, adducetur ad Sacerdotem. 351. an. 27. col. 1.
- 18 Turpitudinem patris tui non reuelabis. 277. an. 159. col. 2. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex matre, &c. 277. 59. col. 2.
- 19 Diliges amicum tuum, sicut teipsum. 652. an. 52. col. 1. & 653. an. 55. col. 2. Postquam messueritis segetem terræ, non secabis eam usque ad solum, &c. sed pauperibus, & peregr. &c. dimittetis eas. 364. vel 384. 2. col. 2. & 1.
- 24 Educ blasphemum extra castra, et lapidet eum omnis populus. 313. an. 49. col. 1.
- 27 Omnes decima terræ, siue de pomis arborum siue de frugibus, Domini sunt. 715. annot. 90. col. 1.

Numer.

- Numeri,
- Cap. 1. **A**ccipite summam omnis cognationis filiorum Israel per cognationes suas, & per domos familiarum suarum, &c. 639. an. 28. col. 1.
- 5 Adiurabit eam sacerdos dicens: si declinasti a viro tuo, &c. 529. an. 62. col. 1.
- 11 Descendit Dominus per nubem, & locutus est ad eum, &c. 612. an. 115. col. 1.
- 22 Veni, & maledic Iacob. 414. annotatione 44. col. 2.
- 30 Si vouerit, ut per ieiunium, vel aliarum rerum abstinentiam affligat animam suam. 376. an. 70. col. 1.
- 36 Quia unusquisque in hereditate Tribus sue patriæ adhærebunt filij Israel, &c. 275. an. 58. col. 1.

Deuteronomium.

- Cap. 5. **I**nterfectis viris, mulieribus, & paruulis. 566. an. 28. col. 2.
- 6 Non tentabis Dominum Deum tuum. 296. com. 3.
- 6 Dominus Deus solus adorandus est, eique soli est seruiendum. 294. com. 3.
- 14 Ut sitis ei in populum peculiarem. 669. an. 11. col. 1. Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis, quæ nascuntur in terra per cunctos annos. 715. an. 90. col. 2.
- 18 Prophetam de gente tua, &c. 587. annotat. 64. col. 1. Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo, &c. 596. com. 1. Prophetam suscitabo eis de medio. 592. comment. 1. Qui non audierit verba, quæ loquatur in nomine meo, ego ultor existam. 643. an. 35. col. 1. Prophetam suscitabit tibi Dominus, &c. 465. an. 31. col. 1. & 562. an. 18. col. 2. & 570. an. 36. col. 2.
- 19 In tribus testibus stat omne verbum. 582. an. 54. col. 1.
- 22 Non arabis in boue, & asino simul, &c. 379. com. 2.
- 24 Non occidentur patres pro filijs, neque filij pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur. 720. an. 98. col. 1.
- 25 Pondus habebis iustum, & verum, &c. modius aqualis & verus erit tibi. 435. com. 2. Si habitauerint fratres simul, & unus ex eis absque liberis, &c. 273. annotatione. 56. col. 2.
- 27 Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, &c. 506. an. 18. col. 2.
- 31 Congregato omni populo, tam viris, &c. 566. an. 28. col. 2.
- 32 Seruierunt Demonij, & non Deo. 764. an. 42. col. 1.

Iosue.

- Cap. 2. **I**nnoxij erimus a iuramento quo adiurasti nos. 529. an. 62. col. 1.
- 10 Sol contra Gabaonem ne moueare, & Luna contra uallem Aialon. 362. an. 44. col. 1. Ite & inuocate Deos vestros, quos elegistis, &c. 371. an. 64. col. 1.

Iudicum.

- Cap. 6. **S**i inuenigratiam coram te, da mihi signum quod tu sis. 701. an. 67. col. 1.

Lib. 1. Regum.

- Cap. 1. **N**omen eius Helcana filius Ieroboam, &c. 275. an. 57. col. 2. Sicque faciebat per singulos annos, &c. 488. an. 68. col. 2.
- 2 Veniebat puer sacerdotis. 449. an. 1. col. 2. Si delinquendo peccet vir aduersus virum, orabunt pro eo dominum; si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo? 741. an. 17. col. 2. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? 741. an. 17. col. 2. & 751. an. 22. col. 1.
- 3 Dominus est, quod bonum est ante oculos suos faciat. 640. an. 31. col. 2.
- 8 Non te abiecerunt, sed me. 638. an. 27. col. 2. & 341. an. 63. col. 1. Greges vestros addecimabit. 714. an. 89. col. 1.
- 14 Adiurauit Saul populum dicens: Maledictus qui comederit panem, &c. 529. an. 62. col. 1.
- 17 Tulit lapides, & misit illos in peram suam. 557. an. 8. col. 1.
- 18 Spiritus Domini irruebat in Saul. 297. an. 25. col. 1.
- 21 Fugiens enim Dauid a Saul venit in Niobe ad sacerdotem Achimelech, & cum esuriret Dauid, &c. 385. com. 3.

Lib. 2. Regum.

- Cap. 1. **V**ocauit Dauid unum de pueris suis, 449. an. 1. col. 2.
- 8 Filij Dauid sacerdotes erant. 276. an. 58. col. 2.
- 12 Mortuo puero surrexisti. 449. an. 1. col. 2.
- 13 Noli frater mi, noli opprimere me, quin potius loquere ad Regem, &c. 277. an. 59. col. 2.
- 14 Deleamus heredem, & quarunt scintillam meam, &c. 462. com. 2.
- 16 Sinite illum, Dominus enim precepit illi, &c. 426. an. 59. col. 2. & 434. an. 70. col. 1.
- 22 Misit fulgura, & consumpsit eos. 637. an. 25. col. 2.
- 25 Dixit Dauid, Benedictus Deus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal. 642. an. 35. col. 2.

Lib. 3. Regum.

- Cap. 2. **A**ccessit enim Bersabee petens Salomonem, ut Adonia fratri Abisai Sunamitem in uxorem daret, &c. 341. an. 14. col. 2.
- 5 Non est Satan, neque occurfus malus. 685. an. 39. col. 1.
- 14 Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo. 650. an. 50. col. 2.
- Dormiuitq. Roboam cum patribus suis. 547. an. 106. col. 1.
17. Cum venisset Elias ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua, &c. 312. an. 46. col. 1.
- Ingressus es ad me, ut rememorarentur peccata mea. 339. an. 11. col. 2.
- 18 Exaudi me Deus, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & cecidit ignis, &c. 362. an. 44. col. 2.
- 19 Domine prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt. 719. an. 96. col. 1.

Lib. 4. Regum.

- Cap. 1. **S**i homo Dei sum, ignis descendat de caelo, & deuoret te, &c. 414. an. 44. col. 2. 362. an. 44. col. 2.
- 4 Eliseus Sunamitidi hospita sua sterili filium impetrauit, &c. 337. com. 1.
- Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, &c. 626. an. 8. col. 1.
- Venit vir de Baalsalis, deferens viro Dei panes, &c. 557. an. 8. col. 1.
- Aperi oculos pueri. 304. an. 34. col. 1.
- 17 Coluerunt immunditias, de quibus praeceperat Deus, ne facerent verbum hoc. 547. an. 100. col. 2.
- Iofias conuersus est ad Deum in omni corde suo, et in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysis. 651. an. 50. col. 2.
- 23 Iofias contaminauit Tophet, quod est in valle filiorum Ennon, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam suam per ignem Moloch. 733. an. 8. col. 2.

Lib. 1. Paralipomenon.

- Cap. 21. **C**onfurrexit Satan aduersus Israel. 685. an. 39. col. 1.

Tobias.

- Cap. 2. **F**ilij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est illis, qui fidem suam numquam mutant ab eo. 650. an. 48. col. 1.
- 4 Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. 714. an. 88. col. 1.
- 5 Inuenit Tobias Iuuenem splendidum stantem praecinctum, quasi paratum ad ambulandum. 777. an. 62. col. 2.

- 10 Misimus baculum senectutis nostrae. 556. an. 6. col. 2.
- 12 Eleemosyna a morte liberat, & ipsa est, quae purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam aeternam. 650. an. 48. col. 1.

Iudith.

- Cap. 4. **V**t offerrent Deo sacrificia praecincti cilijs. 777. an. 62. col. 2.
- 8 Iudith vidua filia Merari, filij Idox, filij Ioseph, &c. 276. an. 58. col. 1.
- 13 Iussit ut mitteret caput Holofernis in peram suam. 557. an. 8. col. 1.

Iob.

- Cap. 8. **D**onec impleat os suum risu, & labia sua iubilo. 401. com.
- 14 Non dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius. 414. an. 44. col. 2.
- 15 Condemnabit te os tuum, non ego. 705. an. 74. col. 2.
- 24 Ad nimium calorem transiet ab aquis niuium, & usque ad infernum peccatum illius. 733. an. 8. col. 2.
- 34 Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. 293. an. 18. col. 2.
- 38 Accinge sicut vir lumbos tuos. 777. an. 62. col. 2.
- 39 Qui preparat coruo escam suam, &c. 767. an. 48. col. 2.

Liber Psalmorum.

- Psal. 1. **I**n lege Domini voluntas eius, & in lege Domini meditabitur die, ac nocte. 650. an. 49. col. 1.
- 2 Reges eos in virga ferrea. 556. an. 6. col. 2.
- 2 Postula a me, & dabo tibi gentes in hereditatem tuam; & possessionem tuam terminos terra. 644. an. 38. col. 2.
- 4 Filij hominum usquequo graui corde. 363. an. 45. col. 2. in fi.
- A fructu vini & olei sui. 305. an. 35. col. 2.
- 6 Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. 485. an. 64. col. 1.
- 7 In eo parauit vasa mortis. 690. an. 51. col. 1.
- 8 Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum, &c. 444. com. 2.
- 9 Desiderium pauperum exaudiuit Dominus. 355. an. 30. col. 2.
- 10 Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. 409. an. 37. col. 1.
- 13 Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. 358. an. 39. col. 2.
- 15 Prouidebam Deum in conspectu meo semper. 663. com. 2.
- Non derelinques animam meam in inferno, etc. 467. an. 34. col. 1.
- 16 Ut non loquatur os meum opera hominum. 571. an. 38. col. 1.
- 17 In die, qua eripuit eum de manu omnium inimicorum

- micorum eius, & de manu Saul. 747. an. 19. col. 1.
- Misit fulgura, & conturbauit eos. 637. an. 25. col. 2.
- Populum humilem saluum facies. 469. an. 38. col. 2.
- Praecinxisti me virtute ad bellum. 777. an. 62. col. 2.
- 21 Deus Deus meus respice in me. 599. com. 1.
- 22 Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. 556. an. 6. col. 1.
- Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me, &c. 484. an. uotatione 63. col. 2.
- 23 Dominus fortis, & potens, Dominus potens in praelio. 690. an. 53. col. 1.
- 26 Diriget mansuetos in iudicio, &c. 469. an. 38. col. 2.
- 28 Vox Domini preparantis ceruos. 637. an. 26. col. 1.
- 29 Conuertisti gaudium meum in planctum. 480. an. 56. col. 1.
- 30 Quoniam respexisti humilitatem meam, &c. 599. com. 1.
- 31 Firmabo super te oculos meos. 613. an. uotat. 118. col. 2.
- 32 Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino. 640. an. 30. col. 1.
- 33 Accedite ad eum, & illuminamini. 449. an. 3. col. 2.
- 34 Humiliabam in ieiunio animam meam. 650. an. 49. col. 2.
- 37 Qui tribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi. 413. an. 42. col. 2.
- 39 Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem, &c. 372. an. 64. col. 1.
- 42 Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me. 761. an. 37. col. 1.
- 43 Humiliata est in puluere anima mea. 650. an. 49. col. 2.
- 44 Diffusa est gratia in labiis tuis. 308. an. uotat. 40. col. 2.
- Virga equitatis, virga regni tui. 556. an. uotat. 6. col. 2.
- Obliuiscere populum tuum, &c. 621. an. 132.
- 48 Confitebitur tibi cum benefeceris ei. 640. an. 30. col. 1.
- 50 Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. 303. com. 1.
- 54 Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si is, qui oderat me malignus locutus fuisset aduersus me, &c. 413. an. 43. col. 1.
- 55 Letabitur iustus cum viderit vindictam. 643. an. 36. col. 2.
- 58 Conuertentur ad vesperam. 546. an. 100. col. 2.
- 61 Diuitiae si affluant, nolite cor apponere. 764. an. 42. col. 2. 399. an. 27. col. 1.
- 67 Aethiopia praeueniet manus eius Deo. 546. an. 100. col. 1.
- 68 Tempus beneplaciti Deus. 596. an. 81. col. 2. 305. an. 36. col. 1.
- Fiat mensa eorum ipsis in scandalum, obscuren-

- tur oculi eorum, ne videant. 697. an. 61. col. 2.
- Obscurentur oculi eorum, ne videant, &c. 415. an. 44. col. 1. 509. an. 23. col. 2.
- 71 Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. 790. an. 81. col. 1.
- Reges Arabum, & Saba dona adducent. 705. an. 74. col. 1.
- 75 Factus est in pace locus eius. 546. an. 99. col. 1.
- 77 Non crediderunt mirabilibus eius. 700. an. 65. col. 2.
- 78 Effuderunt sanguinem tanquam aquam in circuitu Hierusalem. 719. an. 96. col. 1.
- Redde inimicis nostris septuplum in sinu suo. 435. com. 2. in fine.
- 79 Domine virtutum conuerte nos, ostende faciem tuam, & salui erimus. 667. an. 7. col. 2.
- 81 Imple facies eorum ignominia, & quarent nomen tuum. 311. an. 44. col. 1.
- 84 Ponet in via gressus suos. 502. an. 12. col. 1.
- 85 Respice in me, & miserere mei. 599. com. 1.
- 88 In beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. 305. an. 36. col. 1.
- Visitabo in virga iniquitates. 556. an. 6. col. 2.
- 90 Angelis suis mandauit Deus de te, &c. 296. com. 2.
- Super aspidem & basiliscum ambulabis, &c. 296. an. 23. col. 2.
- 96 Nubes, & caligo in circuitu eius. 592. an. 73. col. 1.
- 102 Benedic anima mea Domino. 761. an. uotat. 37. col. 1.
- 103 Ponis nubem ascensum tuum. 592. an. uotat. 73. col. 1.
- 105 Memento nostri Domine in beneplacito tuo. 596. an. 81. col. 2.
- Dominati sunt eorum, qui oderunt eos, & tribulauerunt eos inimici eorum. 413. an. 43. col. 1.
- 106 Confitemini Domino quoniam bonus. 640. an. 30. col. 1.
- Errare fecit in inuio, &c. 764. an. 42. col. 1.
- 111 In memoria aeterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. 639. an. 28. col. 1.
- Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi. 775. & 776. com.
- 117 Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. 661. an. 72. col. 1. & 771. an. 64. col. 1.
- Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. ibid.
- Confitebor tibi Domine, quoniam exaudiisti me. 640. an. 30. col. 1.
- 118 Beati immaculati in via. 502. an. 12. col. 1.
- Confitebor tibi in directione cordis mei, & deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, & exquisiui te in toto corde meo. 651. an. 50. col. 2.
- Latum mandatum tuum nimis. 411. an. uotat. 39. col. 1.
- Ignitum eloquium tuum vehementer. 788. an. 78. col. 1.
- Redime me a calumnijs hominum ut custodiam mandata tua. 415. an. 45. col. 1.

- 122 Propter proximos meos loquebar pacem de te, 488.an.68.col.2.
 124 Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. 556. annotatione 6. col.2.
 131 De fructu ventris tui ponam super sedem tuam 276. annotat. 58. col.1. & 278. annotatio. 56. col. 2.
 138 Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. 781.com.
 144 Iustitia tua exultabunt. 643. an. 36. col.2.
 146 Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. 303.com.1.
 Qui alligat contritiones eorum. 303. annot. 33. com.1.
 Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis cornuorum inuocantibus eum. 767. annotat. 48. col.2.
 Non in tibiis viri beneplacitum est Domino. 305.an.36.col.1.
 148 Laudate Dominum ligna fructifera, & omnes cedri. 770.an.51.col.2.
 149 Beneplacitum est Domino in populo suo. 270.a. 51.col.1. & 305.an.36.col.1.

Prouerbiorum.

- Cap.11. **Q**VI parit baculo odit filium suum. 555.an.6.col.2.
 14 Putredo ossium inuidia. 311.an.44.col.1.
 15 Non amat pestilens eum, qui se corripit. 313.com.1.
 Cor gaudens exultat faciem. 407. annot. 35. col.2.
 19 Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis. 764.an.43.col.2.
 22 Diues, & pauper obuiauerunt sibi, utriusque operator est Dominus. 760.an.36.col.2.
 24 Septies in die cadit iustus. 499.an.6.col.1.
 25 Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit da ei aquam bibere. 412.an.40.col.2.
 30 Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, sed victui meo tantum tribue necessaria. 669.a. 10.col.1.
 31 Ridebit in die nouissimo. 401.com.

Ecclesiastes.

- Cap.2. **R**isum reputaui errorem. 407. an. 35. col.2.
 3 Tempus flendi, & tempus ridendi. 407.a. 35.col.2.
 5 Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis, & hoc ergo vanitas. 761.com.
 7 Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. 407. an. 35. col.2.
 Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. 782..an.69.col.1.

Cantica.

- Cap.2. **A**diuro vos filie Hierusalem per capreas, &c. 529.an.62.col.2.

Sapientia.

- Cap.2. **I**nuidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. 527.an.57.col.2.
 4 Condemnat iustus mortuus impios viuos, & iuentus celerius consummata longam vitam iniusti. 705. an. 74. col.2.
 5 Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transferunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuncijs, &c. 762.an.39.col.1.
 9 Per sapientiam sancti sunt, quicumque tibi placuerunt, &c. 596.an.81.col.2.
 11 Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter penitentiam. 748. annotat. 20. col.2.
 14 Creaturae Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in miscipulam pedibus insipientium. 689. annotat. 48. col.2.

Ecclesiasticus.

- Cap.2. **F**ili accedens ad seruitutem Dei, prepara animam tuam ad tentationem. 673.a.16. col.1.
 12 Da bono, & noli recipere peccatorem. 420.a.51. col.1.
 18 Ecce verbum super datum bonum. 312.ann.46. col.2.
 Ne verearis usque ad mortem iustificari. 653. ann.55.col.2.
 19 Corripe amicum, ne forte non intellexerit. 509. an.23.col.1.
 20 Quam bonum est arguere, quam irasci. 661. an.72.col.2.
 22 Super mortuum plora; defecit enim lux eius. 463.com.2.
 23 Aufer a me concupiscentias ventris, &c. 673. an.15.col.2.
 24 Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. 650.an.48.col.1.
 28 Memorare testamenti altissimi, & despice ignorantiam proximi. 434. annotatio. 70. col.1.
 29 Qui facit misericordiam fœneratur proximo suo. 425.an.57.com.2.
 Absconde eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo, &c. 759. & 776.com.
 30 Zelus, & iracundia minuunt dies. 311. an. 44. col.1.
 35 Septies reddet tibi, &c. 499. an. 6. col.1.
 36 Sicut in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis ab eis. 666.an.6.col.2.
 38 In mortuum produc lachrymas. 463.com.2.
 41 Sapientia abscondita, & thesaurus occultus, 627.an.9.col.1.

Isaias.

- Cap.1. **D**erelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & ciuitas, quæ deaestatur. 725. a. 101.col.1.
 Audite verbum Domini principes sacerdotum, &c. 631.com.1.
 Erunt ut terebinthus decidentibus folijs. 440.a. 79.col.1.
 2 Repleta est terra eorum auro, & argento. 400. an.27.col.2.
 Incurauit se homo, & humiliatus est vir, ne ergo dimittas eis. 749.an.20.col.1.
 3 Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, &c. 720.
 Quid est quod debui facere vineæ meæ, & non feci? 429.com.3.
 Diruam maceriem eius, & erit in conculcationem, auferam sepem eius, & erit in direptionem, &c. 697.an.61.col.1.
 6 Audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere, &c. 508. an.22.col.2.
 7 Si non credideritis, non intelligetis. 511.an. 25.col.2.
 Pete tibi signum à Domino Deo tuo, & dixit Achaz: Non petam. dictum est ei: Non satis vobis est molestos esse hominibus, &c. 701.an.67.col.1. 683.an.35.col.2.
 Vocabitur nomen eius fortis. 690. annotatio. 53. col.1.
 8 Adhibui mihi testes fideles, Vriam, & Zachariam filium Barachia. 723. annotatio. 100. col.1.
 Vocabitur princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. 790. ap. 81.col.1.
 11 Egredietur virga de radice Iesse. 278. an. 59. col.2.
 11 Requiescet super eum spiritus Domini. 596. an.81.col.1.
 14 Contrivit Dominus baculum impiorum, & virgam dominantium. 556.an.6.col.2.
 Quomodo cecidisti Lucifer. 636. annotat. 25. col.1.
 15 Lumbus Moabitidis clamat. 777. annot. 62. col.1.
 17 Viuificat spiritum humilium. 469. ann. 38. col.2.
 23 Mulieres opulente surgite, & audite vocem meam, filiae confidentes percipite auribus eloquium meum. 498.an.4.col.2.
 26 Viuent mortui, & interfecti mei resurgent. 469.an.37.col.2.
 In alijs linguis, & in alijs labijs loquar populo huic, &c. 509.an.23.col.1.
 29 Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, &c. 697.an.61.col.2.
 30 Væ filij desertores, dicit Dominus. 405. ann. 33. col.1.
 Cum alligauerit Dominus vulnera populi sui.

303. annotatione 33. columna 1.
 Preparata est ab heri Tophet; a rege preparata, profunda, & dilatata, nutrimentum eius ignis est. 733.an.8.col.2.
 31 Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium. 405.nu.33.col.1.
 35 Ipsi videbunt gloriam Dei, & decorem Dei nostri, confortate manus dissolutas, &c. & nolite timere. 364.an.48.col.1. in prin.
 Ecce Dominus veniet, & saluabit vos, tunc aperientur, &c. 468.an. 79.col.1. & 644. an. 37. col.1.
 Aperientur oculi caecorum. 304.an.34.col.1.
 42 Dedi spiritum meum super eum. 300. ann. 30. col.1.
 Posui te in fœdus, & in lucem Gentium, &c. 304.an.34.col.1.
 43 Ego sum qui deleo iniquitates tuas. 358. an. 41. col.2.
 45 Mibi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. 706.an.77.col.1.
 48 Deus redemptor tuus, sanctus Israel. 644. ann. 37.col.1.
 49 Tempore placito exaudiui te, &c. 305. ann. 36. col.2.
 52 Ecce qui loquebar, adsum. 501.com.2.
 Recede a me, noli me tangere, quia mundus sum. 486.an.66.col.2.
 53 Brachium Domini cui reuelatum est. 687. an. 43.col.2.
 Absconditus vultus eius, & non erat ei species, neque decor. 580. an. 51.col.1.
 Nos autem putauimus eum quasi leprosum, etc. 395. an. 80.col.1.
 Oblatus est, quia ipse voluit. 588.com.1. 606.an. 105.col.1.
 55 Ecce testem populis dedi eum, ducem, & præceptorem Gentibus. 644.37.col.2.
 58 Omnes debitores vestros repetitis. 421. ann. 53. col.2.
 59 Timebunt, qui ab occidente, nomen Domini. 464.com.5.
 61 Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, &c. 282.an.1.col.2. 300.com.4.
 Ad annunciandum mansuetis misit me. 469. an.38.

Hieremias.

- Cap.1. **T**ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego precipio tibi. 777.an.62.col.2.
 2 Maculata es in iniquitate coram me. 547. ann. 100.col.2.
 4 Væ nobis, qui vastati sumus. 405.an.33.col.1.
 5 Propheta prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. 408. com.1.
 7 Misi ad vos omnes seruos meos prophetas per diem, consurgens diluculo, & mittens, &c. 719.an.96.col.1.
 10 A signis celi nolite metuere, quæ timent Gentes ab eis. 772.an.54.col.2.

- 14 Noli orare pro populo isto. 750. an. 21. col. 1.
 15 Si Moses, & Elias steterint coram me, non exaudiam. 411. an. 39. col. 2.
 22 Non plangent eum, & frater, & soror. 405. an. 33. col. 1.
 23 In nouissimis diebus intelligetis consilium eius. 546. an. 100. col. 2.
 25 Iudicium Domini cum gentibus. 707. an. 77. col. 1.
 31 Redemit Dominus Iacob, & eripuit eum de manu fortioris eius. 689. an. 47. col. 1.
 43 Tollens viros, mulieres, & paruulos. 566. an. 28. col. 2.

Thren,

- Cap. 1. V Ide Domine quoniam tribulor. 599. com. 1.
 3 Occidisti, nec pepercisti. 749. annot. 20. col. 1.
 4 Maior effecta est iniquitas filia populi mei peccato Sodomorum. 631. com. 1.
 5 Vae nobis, quia peccauimus. 405. an. 33. col. 1.

Ezechiel,

- Cap. 2. S Cripta erant in eo lamentationes, & carmen, & va. 405. an. 33. col. 1.
 16 Cinxisti te bysso. &c. 777. an. 62. col. 1.
 Iustificasti sorores tuas in omnibus peccatis tuis. 481. an. 58. col. 2.
 18 Anima, que peccauerit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris. 720. annot. 398. col. 1.
 Nunquid voluntatis mea est mors impij, & non magis ut conuertatur, & uiuat? 748. an. 20. col. 2.
 Vna Domini non est aqua: patres enim peccauerunt, & dentes filiorum obstupuerunt. 772. an. 98. col. 2.
 33 Sanguinem eius de manu tua requiram. 720. an. 98. col. 1.
 34 Vae pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, &c. 406. an. 33. col. 1. & 775. com.
 39 Comburent arma, clypeum, & hastam, arcum, & sagittas, baculos manuum, & contos. 556. an. 6. col. 2.

Daniel.

- Cap. 2. O Mnia in quibus habitant filij hominum dedit in manu tua. 363. annotat. 45. col. 1.
 4 Septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Altissimus. 795. an. 90. col. 1.
 Cognoscant viuentes, quoniam excelsus dominatur, &c. 293. an. 18. col. 2.
 Peccata tua elemosynis redime. 423. an. 58. col. 1. 714. an. 88. col. 1.
 7 Ecce in nubibus cali, quasi filius hominis ueniebat. 363. an. 45. col. 2.
 9 Non erit populus eius, qui eum negaturus est. 696. an. 60. col. 2.

- 12 Euigilabunt, alij in vitam aeternam, alij in opprobrium. 650. an. 48. col. 1.

Osee.

- Cap. 1. V Oca non populum meum, quia vos non populus meus, & ego non ero uester Deus. 696. an. 60. col. 2. & 697. an. 61. col. 1.
 2 Vocabo non plebem meam, plebem meam, seu non populum meum populum meum. 547. annot. 100. col. 2.
 3 Multos dies expectabis me, non fornicaberis, & non eris viro. 696. an. 61. col. 1.
 Dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod. &c. 725. an. 101. col. 2.
 Reuertentur ad Dominum Deum suum in nouissimo dierum. 546. an. 100. col. 2.
 6 Misericordiam uolo, & non sacrificium. 388. an. 8. col. 1.
 13 Perditio tua Israel. 579. com. 1.

Ioel.

- Cap. 2. D Eus benignus, & prestabilis super malitia. 748. an. 20. col. 2.
 Filia Sion exultate, & letamini in Domino Deo uestro; quia dedit uobis doctorem iustitiae. 498. com. 1.
 Dedit uobis doctorem iustitiae. 644. annotat. 37. col. 2.
 3 In tempore tribulationis peccata dimittis. 749. an. 20. col. 1.

Habacueh.

- Cap. 1. O Pus fiet in diebus uestris, quod nemo credet, cum narrabitur. 365. an. 49. col. 2.
 3 In medio duorum animalium cognosceris. 585. an. 59. col. 2.
 Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius. 690. an. 53. col. 2.

Zacharias.

- Cap. 3. S Atan stabat aduersus eum, ut aduersaretur ei. 685. an. 39. col. 2.
 4 Duae oliuae super illud, &c. 585. annotat. 59. col. 2.
 8 Apprehendunt fimbriam uiri Iudai. 542. an. 91. col. 1.
 9 Tu quoque in sanguine testamenti tui. 467. an. 34. col. 1.
 13 Et erit in die illa, disperdet Dominus nomina Idolorum de terra, &c. 530. annot. 63. col. 1.
 Spiritum immundum auferam de terra. 316. an. 53. col. 2.

Malachias.

Malachias.

- Cap. 1. S I pater ego sum, ubi est honor meus? dicit Dominus. Si ego Dominus, ubi timor meus? 664. com. 3.
 3 Sedebit quasi ignis constans. 788. an. 78. col. 2.
 4 Mittam uobis Eliam Thesbytem, &c. 587. an. 64. col. 2.

1. Machabæorum.

- Cap. 2. D Ecreuerunt pugnare sabbato contra aduersarios irruentes, ne dum occiderentur, ab illis occiderentur. 388. an. 8. col. 2. 5. pen.
 10 Deprecabantur Deo praecincti cilicij. 777. an. 62. col. 2.

2. Machabæorum.

- Cap. 11. M Achabæus, & qui cum ipso erant, rogabant Deum. &c. 455. an. 15. col. 1.

Matthæus.

- Cap. 1. Q Vodenim in ea natum est de Spiritu sancto est. 746. an. 18. col. 2.
 Non cognouit eam, donec peperit filium. 794. an. 90. col. 1.
 2 Ioseph audiens quod Archelaus regnaret pro patre suo, timuit illuc ire. 732. an. 7. col. 1.
 3 Appropinquabit regnum calorum. 687. an. 45. col. 2. & 498. an. 2. col. 2.
 Esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre. 472. com. 1.
 Baptizabantur in Iordane, confitentes peccata sua. 640. an. 30. col. 1.
 Qui post me ueniet fortior me est. 473. annot. 44. col. 2.
 Hic est filius meus. 269. annot. 50. col. 1. & 596. an. 82. col. 1.
 4 Ductus est spiritu in desertum. annot. 2. col. 1.
 Cum ieiunasset 40. diebus, & 40. noctibus, postea esuriit. 400. an. 28. (deberet esse sed pro ea posita est 46.) col. 2.
 Relicta ciuitate Nazareth, uenit, & habitauit in Capharnaum. 353. an. 30. col. 1. in fi.
 Capit Iesus predicare, & dicere: pœnitentiam agite. 370. com. 1.
 Circuibat Galilaam, docens in Synagogis eorum, &c. 299. com. 2.
 Obtulerunt ei omnes male habentes, &c. 600. an. 89. col. 1.
 5 Videns turbas ascendit in montem. 349. com. 1.
 Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, 469. an. 38. col. 2.
 Cum dixerint omne malum aduersum uos mentientes. &c. 415. com.
 Merces uestra copiosa est. &c. 403. an. 31. col. 1.
 Vos estis lux mundi. 779. an. 66. col. 2.
 Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, &c. 371. annot. 64. col. 2.
 Qui petit a te, da ei, & uolenti mutare a te

- ne auertaris. 421. an. 53. col. 1.
 Dicitur est antiquis, diliges amicum tuum, odio habebis inimicum tuum. 409. an. 38. col. 1. & 659. an. 55. col. 2.
 Diligite inimicos uestris, & benefacite ijs, qui oderunt uos, ut sitis filij patris uestri. 411. & 412. an. 40. col. 2. & 1.
 Publicani hoc faciunt. 423. an. 58. col. 1.
 Si salutaueritis fratres uestris tantum, quid amplius facitis, nonne & Ethnici hoc faciunt? 409. annot. 38. col. 2. & 772. an. 55. col. 1.
 Estote perfecti, sicut pater uester, &c. 409. an. 37. col. 2. 428. an. 63. col. 2.
 6 Amen amen dico uobis receperunt mercedem suam. 405. an. 32. col. 1.
 Nolite multum orare, sicut Ethnici faciunt. 772. an. 55. col. 2.
 Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus. &c. 431. an. 68. col. 2.
 Libera nos a malo. &c. 43. an. 3. col. 1. 1. 1.
 Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet uobis pater uester caelestis, &c. 432. an. 68. com.
 Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocrita tristes, &c. 374. an. 67. col. 1.
 Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra. 764. an. 42. col. 1.
 Thesaurizate uobis thesauros in caelo, ubi ne erugo, nec tinea demolitur, &c. 404. anno. 31. col. 2.
 Si lumen, quod in te est, tenebrae sunt, tenebrae quante erunt? 709. an. 80. col. 1.
 Non potestis Deo seruire, & Mammona. 764. an. 42. col. 2.
 Nolite esse solliciti in crastinum; & nolite. &c. 556. an. 8. col. 1.
 7 Quam mensuram mensi fueritis, remetietur uobis. 425. an. 73. col. 1.
 Nolite condemnare, & non condemnabimini. 705. an. 74. col. 2.
 A fructibus eorum cognoscetis eos. 429. an. 65. col. 2.
 Non omnis qui mihi dicit domine domine intrabit in regnum calorum, sed qui facit, &c. 444. an. 86. col. 2.
 Multi dicent in illa die, Domine nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus? &c. 638. com. 3.
 Descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, &c. 445. annot. 88. col. 1.
 Admirabantur turba super doctrina; erat enim docens eos, &c. 315. annotatione 52. col. 1.
 8 Iacet paralyticus, & male torquetur. 448. com. 2.
 Vespere autem factio obtulerunt ei multos demonia habentes. 326. an. 72. col. 1.
 Salua nos, perimus. 458. an. 21. col. 1.
 Imperauit uentis, & mari. 325. an. 70. e. 4. col. 1.
 Homines mirati sunt, dicentes, Qualis est hic, E e e 4 quia

quia venti, &c. 315. annot. 51. col. 1. & 456. an. 18. col. 2.

9 Impone manum super illam. 458. an. 21. col. 2. In principe demoniorum eijcit demonia. 682. ann. 34.

Messis quidem multa, operarij autem pauci. 624. an. 4. col. 1.

10 Dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos. 554. an. 2. col. 1. In viam gentium non abieritis, &c. 537. ann. 81. col. 2.

Euntes predicare dicentes, appropinquavit regnum calorum. 554. an. 3. col. 1.

Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. 638. an. 27. col. 2.

Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri. 371. annot. 63. col. 1. & 638. annot. 27. col. 2.

Non est discipulus super magistrum, &c. 437. an. 76. col. 2.

Si patres familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? 686. annotat. 42. col. 1.

Nihil est opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non sciatur. 730. an. 4. col. 1.

Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt. 736. an. 12. col. 1.

Qui amat patrem plusquam me, non est me dignus. 790. an. 81. col. 2.

11 Caci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, &c. 308. an. 41. col. 2.

Pauperes euangelizantur. 469. an. 38. col. 1. & 302. com. 1.

Adiebus Ioannis Baptiste vsque nunc regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, &c. 477. an. 52. col. 1.

Cui similem estimabo generationem istam. 479. an. 55. col. 1.

Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens. 376. an. 61. col. 1. 480. an. 57. col. 2.

Venit filius hominis manducans, & bibens. 376. an. 70. col. 2.

Vae tibi Bethsaida, vae tibi Corozaim. 405. an. 33. col. 1.

Si signa, & virtutes, quae facta sunt in te, facta erant in Tyro, & Sidone, &c. 505. an. 16. col. 2.

Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. 469. an. 38. col. 2.

Onus meum suaue est. 427. an. 62. col. 2.

12 Esurientes coperunt vellere spicas. 384. ann. 2. col. 1.

Non legistis quid fecerit Dauid quando esuriit. 371. an. 64. col. 1.

Non legistis in Lege quia sabbatis sacerdotes, &c. 371. an. 64. col. 1.

Exeuntes Pharisei consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. 392. an. 15. col. 1.

Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, &c. 270. an. 51. col. 1.

Oblatus est ei demonium habens cecus, & mu-

tus, &c. 315. an. 51. col. 1.

Omnis ciuitas, vel domus aduersum se diuisa non stabit. 684. an. 38. col. 1.

Si ego in nomine Beelzebub eijcio demonia, &c. 611. com. 2.

In Spiritu Dei eijcio demonia. 746. an. 18. col. 1.

Qui non est mecum, contra me est. 612. a. 116. 1.

Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, &c. 444. an. 86. col. 1.

Quomodo potestis loqui bona, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. 439. com. 1.

Magister volumus a te signum videre. 683. an. 35. col. 1.

Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, &c. 703. an. 71. col. 1.

Sic erit generationi huic pessima. 479. ann. 55. col. 1.

13 Exiens Iesus de domo sedebat secus mare, & congregatae sunt ad eum turbae multae, &c. 501. an. 9. col. 1.

Alia ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam, &c. 503. an. 13. col. 1.

Alia ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, &c. 505. an. 17. col. 1.

Quare in parabolis loqueris eis? 507. a. 19. col. 1.

Quia vobis datum est nosse mysteria regni calorum, illis autem non est datum. 507. ann. 20. col. 1.

Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes, videbitis, & non videbitis. 508. ann. 22. col. 2.

Vestri oculi beati, quia vident, & aures, quia audiunt. 647. ann. 44. col. 1.

Sollicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. 759. ann. 33. col. 2.

Nonne bonum semen seminasti? 504. annot. 15. col. 1.

Ediffere nobis parabolam zizaniorum. 507. an. 18. col. 2.

Messis consummatio seculi est, messores autem Angeli sunt. 624. an. 4. col. 2.

Nonne fratres eius sunt, nonne sorores? 520. an. 40. col. 2.

14 Audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu, &c. 562. an. 20. col. 1.

Quod cum audisset, secessit inde in nauicula, &c. 564. an. 22. col. 2.

Modicae fidei quare dubitasti? 524. annot. 50. col. 1.

Obtulerunt ei omnes male habentes, &c. salui facti sunt. 545. an. 96. col. 1.

Multi rogabant Christum, ut vel simbriam vestimenti tangerent. 542. an. 91. 1.

15 Accesserunt scribae, et Pharisei, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur, &c. 710. an. 83. col. 2.

Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. 371. an. 64. col. 2.

Quod

Quod intrat per os non coinquinat hominem. 346. an. 21. col. 2.

Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus eradicabitur. 711. an. 84. col. 2.

Caci sunt, & duces caecorum, audite & intelligite, non quod intrat per os, coinquinat hominem, &c. 711. an. 84. col. 2.

Ediffere nobis parabolam istam. 507. a. 18. col. 2.

Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt domus Israel. 537. ann. 81. col. 2. 331. com. 1. 555. ann. 5. col. 1.

O Mulier magna est fides tua. 458. an. 21. col. 1.

Vnde nobis in deserto panes tantos, &c. 565. an. 25. col. 1.

16 Accesserunt ad eum Pharisei, & Saducei tentantes, & rogauerunt eum, ut signum de caelo ostenderet eis. 702. an. col. 2. & 983. anno. 35. col. 2.

Vespere facto dicitis, serenum erit: rubicundum enim est caelum. 790. an. 81. col. 2.

Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus. 642. an. 33. col. 2.

17 Surgite, nolite timere. 592. an. 73. col. 1.

Increpauit illum, & exiit ab eo demonium. 693. an. 57. col. 1.

Hoc genus Damoniorum non eijcitur nisi in ieiunio, &c. 376. ann. 70. col. 2.

Magister vester non soluit didrachma, &c. 609. an. 110. col. 1.

Petrus hamo traxit piscem illum, in cuius ore, &c. inuentus est nummus ille. sol. &c. 341. an. 12. col. 2.

18 Quis putas maior erit in regno calorum. 609. an. 110. col. 1.

Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem, aut claudum, quam duas manus, aut duos pedes habentem mitti in ignem aeternum, &c. 661. an. 72. col. 2.

Non dico tibi septies, sed septuagesies septies. 279. com. 2.

Omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me. 671. an. 13. col. 1.

Si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. 431. an. 68. col. 2.

19 Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. 668. an. 8. col. 1.

Si vis perfectus esse, vende quae habes, & veni sequere me. 399. an. 27. col. 2.

Diues difficile intrabit in regnum calorum. 399. an. 27. col. 2.

20 Quod iustum fuerit dabo vobis. 403. a. 31. col. 2.

Amice non facio tibi iniuriam. 546. an. 98. col. 1.

Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis. 606. an. 105. col. 2.

21 Inuenietis asinam alligatam. 535. an. 76. col. 2.

Numquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium, &c. 371. an. 64. col. 1.

Venit ad vos Ioannes in via iustitiae, & non credidistis ei, &c. 478. an. 54. col. 1.

Auferetur a vobis regnum Dei. 687. an. 45. c. 2.

22 In his duobus mandatis vniuersa lex pendet. 652. an. 53. col. 2.

Christus quando venerit, cuius filius est? 327.

ann. 74. col. 2.

23 Omnia opera sua faciunt, ut ab hominibus videantur. 407. an. 36. col. 2.

Secundum opera eorum nolite facere. 443. com. 1.

Alligant onera grauiora, & importabilia, & imponunt in humeris hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. 717. an. 93. col. 1.

Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. 439. an. 79. col. 2.

Clauditis regnum calorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. 682. au. 33. col. 2.

Mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina, et immunditia. 711. an. 84. col. 1.

Cace munda prius quod intus est calicis, & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est mundum. 713. an. 87. col. 2.

Vae vobis Scribae, & Pharisei hypocrite, quia similes estis sepulchris dealbatis, &c. 443. com. 2. & 716. an. 91. col. 1.

Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, &c. 306. an. 37. col. 1. & 520. an. 65. col. 1.

Relinquetur domus vestra deserta. 697. an. 61. col. 1.

24 Predicabitur Euangelium regni in vniuerso mundo. 352. an. 28.

Videbunt filium hominis venientem, &c. 580. an. 50. col. 1.

25 Ecce sponsus venit, & quae paratae erant intrauerunt cum eo ad nuptias. 780. an. 65. col. 2.

Ne forte non sufficiat vobis, & vobis ite ad videntes, & emite vobis. 506. an. 17. col. 1.

Nescio vos. 543. an. 93. col. 2.

Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. 778. com.

Venite benedicti patris mei, possidete vobis paratum regnum a constitutione mundi. 773. an. 57. col. 1.

26 Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam. 606. an. 105. col. 2.

Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille. 310. an. 43. col. 2.

Pater mi, si non potest calix hic transire. 663. an. 5. col. 2.

Orate, ne intretis in tentationem. 672. ann. 15. col. 2.

Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 606. com. 2.

Amice ad quid venisti? 546. an. 98. col. 2.

Adiuuro te per Deum viuum, ut dicas nobis, &c. 529. an. 62. col. 2.

Videns Iudas, qui tradidit eum, quod damnatus esset, &c. 607. an. 105. col. 1.

Prater euntes blasphemabant eum. 358. an. 39. col. 1.

Quae lucescit in prima sabbati. 353. an. 31. col. 1.

28 Qui audientes a militibus Christum resurrexisse, pecuniam dederunt eis suadentes, ut dicerent Discipulos venisse, & furatos esse corpus. 702. an. 70. col. 2.

Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, &c. 269. an. 50. col. 2. 779. an. 64. col. 2.

Expulit

Marcus.

- Cap. I. **E**Xpult eum spiritus in desertum. 283. an. 2. col. 1.
 Erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, &c. 284. an. 3. col. 1.
 2 **A**uditum est, quod in domo esset, & confestim conuenerunt tunc multi, &c. 354. a. 32. col. 1.
 Venerunt ad eum ferentes paralyticum. 355. an. 35. col. 1.
 Erant quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis, &c. 358. an. 39. col. 1.
 Egredius est rursus secus mare. 365. annot. 50. col. 1.
 Cœperunt progredi, & vellere spicas. 384. a. 2. col. 1.
 Nunquid legistis, quid fecerit Dauid, quando habuit necessitatē, & esuriit? 386. an. 4. col. 1.
 Sabbatum propter hominem factum est, non autem homo propter sabbatum. 387. an. 7. col. 1.
 3 **E**xcentes Pharisei statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum, &c. 392. an. 15. col. 1.
 Vocauit ad se quos voluit ipse. 393. an. 18. col. 1.
 Fecit ut essent duodecim cum illo, &c. 394. a. 19. col. 1.
 Dedit potestatem curandi infirmos, & eiicendi demonia. 554. an. 2. col. 1.
 Conuenit ad eum turba, ita ut nec posset manducare panem, 349. com. 1. & 669. an. 10. col. 1. 557. com. 1.
 Beelzebub habet: & quia in principe demoniorum eijcit demonia. 682. an. 33. col. 1.
 Conuocatis eis in parabolis dicebat illis. 684. a. 37. col. 1.
 Si domus super semetipsam dispartiat, non potest domus illa stare. 684. an. 38. col. 2.
 Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, &c. 358. an. 40. col. 2.
 Ecce mater tua, & fratres tui foris quarunt te. 518. an. 38. col. 1.
 Qui fecerit voluntatem Dei, hic meus frater est. 668. an. 8. col. 1.
 4 **I**terum cœpit docere ad mare, et congregata est ad eum turba multa, &c. 501. an. 19. col. 1.
 Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt. 507. an. 20. col. 2.
 Vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant, &c. 509. an. 23. col. 1.
 Non est aliquid absconditum, quod non manifestetur, nec factum est occultum, quod non veniat in palam. 730. an. 4. col. 1.
 Magister non ad te pertinet, quod perimus? 659. an. 69. col. 1.
 5 **L**egio mihi nomen est, quia multi sumus. 422. an. 68. col. 1.
 6 **A**dmirabantur in doctrina eius. 308. an. 40. col. 1. & 315. an. 51. col. 2.
 Excentes predicabant, ut penitentiam agerent.

554. an. 3. col. 1.
 Quem ego decollavi Ioannem, ipse a mortuis surrexit. 562. an. 20. col. 1.
 Ait illis: Venite seorsum in desertum locum, etc. 563. Ann. 22. col. 1.
 Erant qui veniebant, & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant. 518. an. 37. col. 2.
 7 **C**onueniunt ad eum Pharisei, & quidam de Scribis venientes a Hierosolymis, & cum vidissent quosdam ex Discipulis eius communibus manibus, &c. 719. annotatione 83. col. 2.
 In vanum me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum. 711. an. 74. col. 2.
 8 **Q**ui perdidit animam suam propter me, &c. saluam faciet eam. 403. an. 30. col. 1.
 9 **S**i quid potes, adiuua nos. 458. An. 21. col. 2.
 10 **Q**ui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut agros propter me. &c. 403. an. 30. col. 1.
 Venit Filius hominis, ut ministraret, & daret animam suam in redemptionem pro multis. 644. ann. 37. col. 1.
 12 **N**ec Scripturam hanc legistis: lapidem quem reprobauerunt &c. 371. An. 64. col. 1.
 16 **M**aria Magdalene, de qua eiecerat septem demonia. 499. com. 2.
 Dicite discipulis eius, & Petro. 747. a. 19. col. 1.

Lucas.

- Cap. I. **S**piritus sanctus superueniet in te, & quod nascetur ex te sanctum. 746. ann. 18. col. 2.
 Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. 413. an. 43. col. 1.
 2 **V**t profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore. 278. Annot. 59. col. 2.
 4 **A**gebatur spiritu in desertum. 283. Annot. 2. col. 1.
 Reuersus est in Galileam in virtute spiritus. 746. an. 18. col. 1.
 Euangelizare pauperibus misit me. 469. Ann. 38. col. 2.
 5 **Q**uis est hic, qui loquitur blasphemias. 494. an. 78. col. 1.
 6 **V**irtus de illo exibat, & sanabat omnes. 544. an. notat. 96. col. 2.
 Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. 469. an. 38. col. 1.
 7 **C**um appropinquaret portæ Ciuitatis. 527. com. 2.
 Remittuntur tibi peccata tua. 677. ann. 24. col. 2. 749. an. 20. col. 1. & 754. an. 26. col. 1.
 8 **E**xierunt ab eo demonia, & intrauerunt in porcos. 693. ann. 57. col. 1.
 Noli vexare Magistrum, mortua est puella. 458. ann. 21. col. 1.
 Ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt. 458. an. 15. col. 1.
 9 **S**anauit puerum, & reddidit matri sue. 449. an. 1. col. 1.

- 10 **I**n quamcumque ciuitatem intraueritis, &c. 538. an. 81. col. 1.
 Qui vos audit, me audit. 593. com. 1.
 Dedi vobis potestatem calcandi serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici. 779. an. 64. col. 2.
 Multi reges, &c. voluerent audire, quæ vos auditis, & non audierunt, &c. 506. an. 18. col. 2.
 11 **C**um eiecisset demonium, locutus est mutus. 469. an. 36. col. 2.
 Peruenit in vos regnum Dei. 498. an. 2. col. 2.
 Mulier extollens vocem dixit: Beatus venter, qui te portauit. 315. an. 52. 2.
 Beatus venter, qui te portauit, & vbera; quæ suxisti. 648. an. 44. col. 2.
 Cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus. 597. an. 83. col. 2.
 12 **P**recinget se, & transiens ministrabit illis. 777. an. 62. col. 2.
 Quis putas est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam? 394. an. 19. col. 1.
 13 **Q**uam alligauerat Satanas ecce decem & octo annis. 304. com. 2.
 14 **C**um introisset Iesus manducare panem. 557. com. 1.
 Beatus qui manducabit panem in regno. 557. com. 1.
 Qui non odit patrem, & matrem, &c. 309. an. 42. col. 1. & 503. an. 13. col. 1. & 2.
 15 **G**audium est super uno peccatore penitentiam agente, &c. 370. an. 63. col. 2.
 16 **F**acite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. 776. com.
 Recipient vos in æterna tabernacula. 435. an. 72. col. 2.
 Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, 653. an. 55. col. 1.
 Recepisti bona in vita tua, Lazarus vero mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. 401. com. & 405. an. 32. col. 1.
 17 **S**i septies in die peccauerit in te. 499. annot. 6. col. 2.
 Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicitis huic arbori moro, &c. 455. an. 16. col. 1. & 356. an. 36. col. 1.
 Præcinge te, & ministra mihi. 777. annot. 62. col. 2.
 Numquid gratiam habet seruo illi, etc. 422. an. 56. col. 2.
 Regnum Dei intra vos est, quia medius vestrum stetit, quem vos nescitis, 687. an. 45. col. 2.
 18 **D**ecimas do omnium, quæ possideo. 714. an. 89. col. 2.
 Descendit iustificatus ab illo. 481. an. 58. col. 2.
 Gaudium est in celo super uno peccatore, &c. 371. an. 63. col. 2. & ibid. a. 64. col. 1.
 Cum audiret turbam prætereuntem. 461. com.
 19 **N**on poterat præ turba, quia statura pusillus erat. 461. com. 1.
 Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

642. annotatione 33. columna 1.
 Non relinquent in te lapidem super lapidem, &c. 306. an. 37. col. 1.
 21 **N**on præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. 697. an. 61. col. 1.
 22 **E**untibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo, &c. 482. an. 61. col. 1.
 Va homini illi, per quem filius hominis tradetur. 405. an. 33. col. 1.
 Ecce satanas expetiuit cribrare vos sicut triticum. 692. an. 54. col. 1.
 Quando misi vos sine sacculo, & pera, &c. 558. an. 9. col. 2.
 Orate, ne intretis in tentationem. 673. annot. 16. col. 1.
 Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. 296. com. 4. & 692. an. 54. col. 1.
 Mulier non noui illum, &c. 357. an. 37. col. 2.
 23 **H**unc inuenimus subuertentē gentem nostram. 328. an. 74. col. 1.
 Vere hic filius Dei erat. 702. an. 70. col. 2.
 24 **V**na sabbati valde diluculo, &c. 353. annot. 31. col. 1.
 Oportebat Christum pati. &c. 587. com. 1.
 Conturbati, & conterriti, existimabant se visum videre. 524. an. 50. col. 2.

Ioannes.

- Cap. I. **F**uit homo missus a Deo. 473. com. 2.
 Quotquot receperunt eum, &c. 595. anno. 78. col. 2. 640. an. 31. col. 2.
 Dedit eis potestatem filios Dei fieri. 474. com. 2.
 Nemo Deum vidit unquam, Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse reuelauit. 646. com. 1.
 Ipse est, qui post me venturus est. 473. an. 44. col. 2.
 Super quem videris spiritum descendentem, &c. 466. an. 34. col. 1.
 Ecce qui tollit peccata mundi. 494. com. 1.
 Tu vocaberis Cephæ. 572. an. 38. col. 2.
 2 **Q**uod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Soluite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud. 702. an. 70. col. 2.
 3 **Q**uomodo potest homo nasci denuo, cum sit senex? 315. an. 52. col. 2.
 Quomodo possunt hæc fieri? &c. 502. annot. 12. col. 2.
 Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. 646. an. 41. col. 2. & 647. an. 42. col. 2.
 Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. 269. com. 2.
 Non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, &c. 429. an. 64. col. 1.
 Misit Deus filium suum, ut mundus saluetur per ipsum. 644. an. 37. col. 1.
 Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, &c. 503. an. 12. col. 1. & 2.
 Qui facit veritatem, venit ad lucem. 628. an. 10. col. 1.
 Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum, &c. 375. com. 1.
 Pater diligit filium, & omnia dedit in manus eius

644. annotat. 38. col. 2. 269. com. 2.
 Iesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. 453. an. 11. col. 2.
 Discipuli in via accesserunt ciuitati, ut cibos emerent. 558. an. 9. col. 1.
 Alius est, qui seminat, alius, qui metit, &c. 624. an. 4. col. 1.
 Cum venisset in Galileam, exceperunt eum Galilaei. 296. com. 1.
 Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis, operibus credite. 458. an. 21. col. 1. & 701. an. 67. col. 1.
 Domine descende, priusquam moriatur filius meus. 453. an. 10. col. 2. 458. an. 21. col. 1.
 Domine hominem non habeo. 453. annotat. 10. col. 2.
 Iesus declinauit a turba constituta in loco, &c. 348. com. 2.
 Pater meus usque modo operatur, et ego operor. 746. an. 18. col. 1.
 Sicut pater habet vitam in semetipso, sic & filio dedit, &c. 315. an. 52. col. 2.
 Qui non honorificat filium, non honorificat patrem. 310. an. 43. col. 1.
 Qui verba mea audit, & credit ei, qui me misit, habet vitam aeternam. 356. ann. 27. col. 1. in princ.
 Veniet hora, in qua mortui audient vocem, etc. 464. com. 2.
 Scrutamini Scripturas, illa testimonium, &c. 586. an. 64. col. 2. 678. an. 25. col. 2.
 Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quae a solo Deo est, non quaritis? 408. annot. 36. col. 1. & 443. com. men. 2.
 Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, &c. 586. an. 64. col. 2.
 Vnde ememus panes, ut manducent isti? 558. an. 9. col. 1.
 Discubuerunt viri quasi quinque millia. 566. an. 28. col. 1.
 Hic est propheta, qui venturus est in mundum. 465. an. 31. col. 1.
 Cum cognouisset, quod venturi essent, ut raperent eum, &c. 348. com. 2.
 Descendi de caelo, ut non faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. 668. an. 8. col. 1.
 Ego sum panis viuus, qui de caelo descendi. 669. an. 10. col. 2.
 Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit illum. 487. an. 66. col. 1. 576. annot. 44. col. 2. & 642. an. 33. col. 2.
 Erunt omnes docibiles Dei. 502. ann. 12. col. 1. & 510. com. 1.
 Qui credit in me, habet vitam aeternam. 310. an. 43. col. 1.
 Sciebat Iesus ab initio, qui essent non credentes. 505. an. 16. col. 1.
 Verba vitae aeternae habes. 510. com. 1.
 Ambulabat Iesus in Galileam. 331. ann. 79. c. 4.
 Nondum credebant in eum fratres eius. 518. an. 37. col. 1.

Mirabantur Iudaei, dicentes: Quomodo hic literas scit. 315. an. 51. col. 2. 309. annotat. 41. col. 1.
 Hic est vere propheta. 465. an. 31. col. 1.
 Ego testimonium perhibeo de meipso. 746. an. 18. col. 1.
 Quaretis me, & in peccato vestro moriemini. 509. an. 23. col. 2.
 Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. 296. com. 1.
 Nisi credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 310. 43. col. 1. & 642. ann. 35. col. 2.
 Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. 702. an. 70. col. 2.
 Quae placita sunt ei facio semper. 596. annot. 81. col. 1.
 Haece loquente, multi crediderunt in eum. 611. an. 114. col. 2.
 Vos ex patre diabolo estis, &c. 296. com. 4. 589. an. 68. col. 1.
 Qui ex Deo est, verba Dei audit. 596. com. 1.
 Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes? 719. an. 96. col. 2.
 Ego non quero gloriam meam; est qui quarat, & iudicet. 643. an. 35. col. 1.
 Abraham exultauit, ut videret diem meum; vidit, & gauisus est. 648. an. 45. col. 2.
 Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. 726. an. 102. col. 2.
 Maledixerunt ei, tu ex discipulis eius sis. 415. an. 44. col. 2.
 In hoc enim mirabile est, quod vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos, scimus autem, quia Deus peccatores non exaudit. 304. ann. 34. col. 1. & 745. an. 18. col. 2.
 In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, caeci fiant. 642. an. 32. col. 2.
 Veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. 371. an. 62. col. 2.
 Nemo tollit animam meam a me, ego pono eam. 606. an. 105. col. 1.
 Potestatem habeo ponendi animam meam, &c. 588. com. 1.
 Ego vitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum, & nemo rapiet eas de manu mea. 639. com. 1.
 Multa bona opera ostendi vobis a patre meo, propter quod horum vultis me lapidare? 413. an. 42. col. 2.
 Homo cum sis, facis te ipsum Deum. 458. an. 21. col. 2.
 Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, &c. 310. an. 43. col. 1. & 349. an. 24. col. 1. & 456. an. 18. col. 1. & 458. an. 21. col. 1.
 Multi crediderunt in eum. 611. annot. 114. col. 2.
 Infirmetas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, &c. 310. 43. col. 1.
 Nunc querebant te Iudaei lapidare, &c. 625. an. 6. col. 1.

Lazarus dormit, vado ut a somno excitem illum. 547. an. 106. col. 2.
 Domine, si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus. 458. an. 21. col. 2.
 Quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. 345. an. 19. col. 2. 5. vlt.
 Ecce quomodo amabat eum. 789. annotat. 80. col. 1.
 Nonne dixi tibi, quod si credideris, videbis gloriam Dei. 719. an. 96. col. 2. & 327. annot. 74. col. 2.
 Haec dixi propter populum, qui circumstat, ut credant, &c. 310. an. 43. col. 1.
 Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tolerant gentem nostram, &c. 399. annot. 27. col. 2.
 Iudas oculos habebat, & ea, quae mittebantur, portabat. 558. an. 9. col. 1.
 Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. 692. an. 54. col. 1. & 306. an. 37. col. 2.
 Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. 702. an. 70. col. 2.
 Adhuc modicum in vobis lumen est, ambulate dum lucem habetis, ne tenebrae vos comprehendant. 794. an. 89. col. 2.
 Non poterant credere, quia Isaias dixerat. 511. an. 25. col. 2.
 Propter metum Iudeorum multi ex principibus non confitebantur, & dilexerunt magis gloriam hominum. 399. an. 27. col. 2. 408. an. 36. col. 1.
 Cum diabolus misisset in cor, ut traderet eum Iudas. 296. com. 4. & 511. annotatio. 26. col. 1.
 Sciens, quia omnia dedit Pater in manus. 644. an. 38. col. 2.
 Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. 507. com. 3.
 Vos vocatis me Magister, & bene dicitis. 644. an. 37. col. 1.
 Creditis in Deum, & in me credite. 356. an. 36. col. 1.
 Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. 646. an. 41. col. 2.
 Pater in me manens ipse facit opera. 746. an. 18. col. 1.
 Qui credit in me, opera, quae ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. 362. anno. 44. col. 1.
 Qui seruat mandata mea, ille est, qui diligit me. 651. an. 50. col. 2.
 Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. 692. an. 54. col. 1. 286. ann. 7. col. 2.
 Ut cognoscat mundus, quia diligo patrem &c. 606. an. 105. col. 1.
 Sine me nihil potestis facere. 668. an. 8. col. 1. 510. an. 24. col. 2.
 Diligetis inuicem, sicut dilexi nos. 408. ann. 37. col. 2.
 Maiorem dilectionem nemo habet, quam ut ponat quis animam suam pro amicis suis. 411.

annot. 39. col. 2. & 732. an. 6. col. 2.
 Vos dixi amicos, quia quaecumque audiui a Patre meo, nota feci vobis. 732. annotat. 6. col. 2.
 Si mundus vos odit, scitote quoniam me priorem vobis odio habuit, &c. 402. ann. 29. col. 2. in fin.
 Si non venissem, & lecutus fuisset peccatum non haberent. 697. an. 61. col. 1.
 Si opera non fecissem, quae nemo alius fecit, &c. 310. an. 43. col. 2.
 Odio habuerunt me gratis. 412. an. 41. col. 1.
 Quem ego mittam vobis a patre. 302. annot. 32. col. 2.
 Absque Synagogis facient vos, &c. 403. ann. 30. col. 2. 402. com. 2.
 Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium prestare Deo. 736. an. 12. col. 1.
 Multa habeo vobis dicere, 608. an. 107. col. 1.
 Non dico vobis quod ego rogabo Patrem. 750. an. 21. col. 2.
 Exiui a patre, & veni in mundum, &c. 613. an. 117. col. 2.
 Dedit ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. 644. an. 38. col. 2.
 Haec est vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum, &c. 349. an. 24. col. 1. 310. an. 43.
 Pater ego te clarificauit super terram. 310. annot. 43. col. 1. & 666. an. 6. col. 2.
 Rogo pro ijs, quos dedisti mihi, quia tui sunt: mea omnia tua sunt: & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis. 643. an. 35. col. 2.
 Sinite hos abire. 635. an. 76. col. 2.
 Ego palam locutus sum mundo, & cetera. 299. com. 4.
 Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi. 606. an. 105. col. 2.
 Ego veni ut testimonium perhibeam veritati. 644. ann. 37. col. 1.
 Tradidit eum illis, ut crucifigeretur. 607. an. 105. col. 1.
 Vna autem sabbathi Maria Magdalene. 353. an. 31. col. 1.
 Domine, si tu sustulisti eum. 453. an. 10. col. 1.
 Vade ad fratres meos, & dic eis; ascendo ad patrem meum, & Patrem vestrum. 665. an. 5. col. 2.
 Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, &c. 359. an. 41. col. 1. & 788. an. 78. col. 1.
 Dominus meus & Deus meus. 453. annot. 10. col. 2.
 Beati, qui non viderunt, & crediderunt. 648. an. 44. col. 2. & 547. an. 100. col. 2.
 Pasce oves meas, pasce agnos meos. 572. an. 38. col. 2.
 Sic eum volo manere, donec veniam. 581. an. 51. col. 2.

- Cap. I.** **I**lis praecepit Hierosolymis ne discederent, sed expectarent, &c. 574. an. 42. col. 2.
 Accipietis virtutem superuenientis in vos Spiritus sancti, &c. 574. an. 42. col. 2. 746. a. 18. col. 2.
 Nubes suscepit eum ab oculis eorum. 592. ann. 73. col. 1.
 3 Hic Iesus, qui assumptus est a vobis, &c. 613. com. 1.
 Quemadmodum vidistis eum ascendentem in caelum, &c. 581. ann. 52. col. 2.
 Omni tempore, quo intrauit, & exiuit ad nos Dominus Iesus, &c. 271. annot. 54. col. 1.
 3 Argentum & aurum non est mihi. 557. ann. 9. col. 1.
 4 Fideles illi, qui possessores erant agrorum, aut domorum, ea vendentes afferebant pretia, & ponebant ante pedes Apostolorum. 775. an. 60. col. 1.
 5 Praecipiendo praecepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, &c. 631. an. 15. col. 1.
 Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilij, quomodo digni habiti sunt, &c. 404. an. 31. col. 2. in fi.
 6 Non est equum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. 756. an. 28. col. 1. 661. ann. 72. col. 2.
 7 Dura ceruice, & circumcisi cordibus, &c. 602. com. 1.
 Vos Spiritui sancto restitistis. 745. an. 18. col. 1. 700. an. 65. col. 2.
 Factum est, quando predicante Stephano Iudaei aures continuerunt. 697. an. 61. col. 1.
 8 Pecunia tua tecum sit in perditionem. 414. an. 44. col. 2.
 Spiritus Domini rapuit Philippum, & inuentus est in Azoto. 291. an. 15. col. 1.
 13 Habebatur autem lectio prophetarum, etc. 300. com. 1.
 Post lectionem autem legis, & prophetarum miserunt principes Iudaei, &c. 300. anno. 29. col. 1.
 Crediderunt, quotquot erant praedesignati ad vitam aeternam. 628. an. 10. col. 2.
 Excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium. 560. an. 14. col. 1.
 14 Per multas tribulationes oportet nos, &c. 577. com. 1.
 15 Quid tentatis Deum? imponere iugum super ceruices, &c. 380. com. 2.
 19 Adiuro vos per Iesum, quem Paulus praedicat. 529. an. 62. col. 2.
 20 Non subterfugi quo minus annunciarer vobis omne consilium Dei. 478. an. 54. col. 2.
 Oportet meminisse verbi Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est dare, quam accipere. 434. com. 719. an. 96. col. 2.
 23 Percutiet te Deus paries dealbate. 414. ann. 44. col. 2.
 24 Docebat eos Paulus de continentia, de iustitia, & spe vitae aeternae. 779. an. 64. col. 1.

28 Vade ad populum illum, & dic: Aure audietis, & non intelligetis, &c. 506. an. 18. col. 2.

Ad Romanos.

- Cap. I.** **Q**ui factus est ei ex semine David secundum carnem. 278. an. 59. col. 2.
 Non erubescio Euangelium. 580. annotat. 50. col. 2.
 Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. 535. com. 1.
 Non solum qui agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. 719. an. 96. col. 1.
 2 In quo alium iudicas, teipsum condemnas, etc. 430. com. 431. an. 67. col. 1.
 Reddet unicuique iuxta opera sua. 404. annot. 31. col. 1.
 Iis qui sunt ex contentione, &c. 628. annot. 10. col. 2.
 3 Est Deus verax, sicut scriptum est, ut iustificeris in sermonibus tuis. 478. an. 53. col. 2.
 Arbitramur hominem iustificari per fidem, sine operibus legis. 641. an. 31. col. 1.
 5 Gloriamur in spe filiorum Dei. 664. com. 3.
 Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem. 514. an. 70. col. 1.
 Commendat Deus charitatem suam in nobis, &c. 411. an. 39. col. 2.
 Delictum ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. 491. an. 72. col. 1.
 Sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam. 667. an. 7. col. 1.
 6 Existimate vos mortuos esse peccato. 340. ann. 12. col. 2.
 Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius. 667. ann. 7. col. 1. 651. an. 50. col. 2.
 Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. 689. an. 48. col. 2.
 Exhibete membra vestra, arma iustitiae Deo. 650. an. 49. col. 2.
 Gratia Deo, quod serui fuistis peccati, nunc autem obedistis in eam formam doctrinae. 641. an. 35. col. 1.
 7 Seruiamus in nouitate Spiritus, & non veteri seruituti litterae. 381. an. 78. col. 2. in fi.
 Mente seruite legi Dei, carne autem legi peccati. 651. an. 50. col. 2.
 8 Qui spiritu Dei aguntur, filij Dei sunt. 283. an. 2. col. 2.
 Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. 474. com. 2. 595. an. 80. col. 2. 269. annot. 50. col. 1. 664. com. 3.
 Si filij, & haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. 666. ann. 5. col. 1. & 667. com. 1.
 Intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes redemptionem corporis nostri. 667. com. 1. & ann. 7. col. 2.
 Spe enim salui facti sumus. 779. com.

Quid

- Quid oremus, sicut oportet, nescimus. 674. an. 18. col. 537. com. 2. 664. com. 1.
 Qui proprio filio non pepercit, &c. 606. ann. 105. col. 1.
 Neque mors, neque vita, nec Angeli, neque principatus poterunt nos separare a charitate Dei, quae est in Christo. 739. annot. 16. col. 2.
 Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. 371. an. 63. col. 1.
 9 Numquid dicet figmentum ei, qui se finxit, Cur sic me fecisti? numquid non habet figulus potestatem lutum, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? 640. an. 31. col. 2.
 10 Quis descendet in abyssum. 533. annotatione 69. col. 2.
 Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. 738. an. 15. col. 1. 640. an. 30. col. 1.
 Deus diues in omnes. 764. an. 43. col. 2.
 Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt, &c. 510. an. 24. col. 2.
 Quomodo enim credent, nisi audierint, quomodo audient sine praedicatione. 505. a. 16. col. 1.
 Quomodo praedicabunt nisi mittantur. 694. com. 2. 624. com. 1.
 11 Diminutio eorum diuitiae sunt gentium, amissio eorum reconciliatio est mundi, &c. 509. an. 23. col. 2.
 Vide seueritatem, & bonitatem Dei: seueritatem in ijs, qui ceciderunt; bonitatem autem in te. 642. an. 35. col. 2.
 Cum intrauerit plenitudo gentium; tunc Israel saluus fiet. 546. an. 100. col. 1.
 O altitudo diuitiarum sapientiae, & scientiae Dei. 642. an. 35. col. 2.
 12 Benedicite, & nolite maledicere. 414. an. 44. col. 1.
 Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. 407. an. 35. col. 2. in fi.
 Non vos defendentes, sed date locum ira. 417. an. 48. col. 2.
 Si inimicus tuus esurierit, ciba illum. 413. an. 43. col. 1.
 Vince in bono malum, hoc enim faciens carbones congeres in caput eius. 434. an. 70. col. 2.
 13 Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. 554. an. 2. col. 1.
 Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; &c. 421. com. 2.
 Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. 432. an. 68. col. 1. in fi.
 Qui diligit proximum, legem impleuit. 425. an. 59. col. 2. & 652. an. 53. col. 2.
 Nox praecessit, dies autem appropinquauit. 393. com. 1.
 Curam carnis non feceritis in desiderijs. 576. an. 45. col. 2.
 14 Qui non manducat, manducantem non iudicet. 429. an. 65. col. 2. in fi.
 Omnes stabimus ante tribunal Christi. 706. an. 77. col. 1.

Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. 667. an. 7. col. 1.

1. Corinth.

- Cap. I.** **P**erdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. 503. an. 12. col. 1.
 Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, &c. 303. an. 32. col. 2.
 Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. 372. an. 65. col. 2.
 Quam nemo principum huius seculi cognouit, &c. 290. an. 13. col. 2.
 2 Oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. quae preparauit Deus iis, qui diligunt illum. 404. a. 31. col. 2.
 Nemo nouit quae sunt Dei, nisi Spiritus Dei. 645. an. 40. col. 1.
 Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, &c. 502. ann. 12. col. 2.
 3 Non enim, qui plantat, neque qui rigat, aliquid facit, sed qui incrementum dat Deus. 769. an. 49. col. 1.
 Si quis superaedificat super fundamentum hoc, &c. 445. an. 87. col. 2.
 Si, cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse saluus erit; sic tamen, quasi per ignem. 579. an. 49. col. 1. 750. an. 21. col. 1.
 Si quis est inter vos sapiens in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens. 641. an. 32. col. 2.
 Mercedem accipient secundum laborem suum. 403. an. 31. col. 2.
 4 Sic nos existimet homo, quasi ministros, & dispensatores. 784. an. 72. col. 2.
 Mihi pro minimo est, ut a vobis iudicer. 430. a. 65. col. 1.
 Nolite ante tempus iudicare. 430. a. 65. col. 2.
 Illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & consilia cordium. 730. an. 3. col. 2.
 Maledicimur, & benedicimus. 414. com. 1.
 Blasphemamur, & obsecramus. 358. an. 39. e. 1.
 Etsi decem millia pedagogorum habeatis, sed non multos patres: nam in Christo, &c. 519. an. 40. col. 2.
 In virga venia ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? 555. an. 6. col. 2.
 5 Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu iam iudicavi ut praesens eum. 429. ann. 55. col. 2.
 Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, &c. 369. an. 62. col. 2.
 6 Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare. 756. ann. 28. col. 1.
 Maledici, & rapaces regnum Dei non possidebunt. 414. an. 44. col. 1.
 7 Dico non nuptis, & viduis, bonum est, si sic permanserint. 661. an. 72. col. 1.
 Qui habent uxores, tamquam non habentes, & qui flent, tamquam non flentes, &c. 778. an. 62. col. 2.

Qui

Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo. 513. an. 29. col. 2.

9 *Nunquid non habemus potestatem mulieres, sorores circumducendi, sicut & ceteri Apostoli faciunt?* 498. an. 4. col. 2.

Si nos Spiritualia nostra seminauimus, magnum est, si nos carnalia uestra metamus. 628. com. 2. 771. an. 53. col. 1.

Vt mihi, si non euangelizauero. 621. a. 132. c. 2.

Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium. 404. an. 31. col. 1.

10 *Petra erat Christus.* 509. com.

Non in pluribus beneplacitum est Domino. 270. an. 51. col. 1.

Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. 691. an. 54. col. 1. 297. an. 25. col. 1. 672. an. 15. col. 2.

11 *Qui manducauerit panem hunc, & biberit calicem, &c.* 454. an. 13. col. 1.

Dormiunt multi. 547. an. 106. col. 1.

Si nos ipsos iudicauerimus, non utique iudicemur. 429. an. 65. col. 2.

12 *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* 510. an. 24. col. 2. 639. a. 29. c. 1.

13 *Charitas benigna est, patiens est, &c.* 425. an. 59. col. 2.

14 *Quoniam æmulatores estis spirituum ad ædificationem Ecclesiæ, querite ut abundetis.* 404. an. 31. col. 2.

Nolite pueri effici sensibus, &c. 610. a. 111. c. 2.

Occulta cordis eius manifesta fiunt. 360. an. 42. col. 1.

Quidam dormierunt. 547. an. 106. col. 1.

15 *Gratia eius in me vacua non fuit.* 515. a. 31. c. 1.

Abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. 510. an. 24. col. 2. 371. an. 64. col. 2.

Non ego sed gratia Dei mecum. 422. com. 1.

Sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes uiuificabuntur. 547. an. 106. col. 1. & 706. an. 77. col. 1.

Hæc est mortis victoria, & mors mortis. 547. an. 106. col. 1.

2. Corinth.

Cap. 3. *SI ministratio damnationis in gloria est, &c.* 586. an. 63. col. 1.

Non sicut Moyses ponebat uelamen super faciem suam, &c. 592. an. 74. col. 2.

Nos autem reuelata facie gloriam domini speculantes. 592. an. 74. col. 2.

4 *Habemus thesaurum istum in uasis fictilibus, &c.* 634. an. 21. col. 1.

5 *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in calis.* 641. a. 31. c. 2.

Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque, &c. 404. an. 31. col. 1. 506. a. 17. col. 1. & 706. a. 77. c. 2.

6 *Exhortamur ne gratiam Dei in vacuum recipiatis.* 510. an. 24. col. 2. & 515. an. 31. col. 1.

Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? &c.

318. an. 56. col. 1.

7 *Tristitia huius sæculi mortem operatur.* 401. an. 29. col. 2.

8 *Abundatis fide, sermone, & scientia.* 458. an. 21. col. 1.

9 *Qui parce seminat, parce & metet, &c.* 436. an. 73. col. 1. 510. an. 24. col. 1.

10 *Arma militiæ nostra non carnalia sunt, &c.* 626. an. 6. col. 2.

12 *Parco autem, ne quis me existimet supra id, quod uidet in me, aut audivit aliquid ex me.* 772. an. 54. col. 2.

Non quero, quæ uestra sunt, sed vos. 771. an. 53. col. 1.

Et luceam multos ex ijs, qui ante peccauerunt. 401. an. 29. col. 1. (pro qua an. post. est 401.)

Galathas.

Cap. 1. *SI hominibus placerem, seruus Christi non essem.* 407. com. 2.

Cum placuit ei, qui me segregauit ab utero matris meæ, &c. 366. an. 54. col. 1.

Vt reuelaret filium suum in me. 642. a. 53. c. 1.

2 *Per legem legi mortuus sum, ut Deo uiuam.* 380. com. 3.

Dilexit me, & tradidit, &c. 606. an. 105. col. 2.

Si per legem esset iustitia; ergo Christus gratis mortuus est. 381. an. 79. col. 2.

3 *O insensati Galatæ, quis vos, &c.* 712. an. 85. c. 1.

Lex pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificaremur. 381. an. 79. col. 1.

Non est Iudeus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, &c. 449. com. 1.

4 *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differat a seruo, cum sit dominus omnium, &c.* 381. an. 79. col. 1. 165. an. 4. col. 1.

Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, &c. 269. an. 50. col. 1. 640. an. 31. col. 2. & 665. an. 4. col. 1.

5 *Si circumcidamini, Christus uobis nihil proderit.* 380. com. 3.

Desideria carnis non perfeceritis. 576. a. 45. c. 2.

Caro concupiscit aduersus spiritum, & Spiritus aduersus carnem. 403. an. 31. col. 2.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitijs, & concupiscentijs. 576. an. 45. col. 1.

Si spiritu uiuimus, spiritu ambulemus. 779. a. 63. col. 1.

6 *Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus, &c.* 778. com.

Ephesios.

Cap. 1. *IN laudem gloriæ gratiæ suæ.* 270. com. 2.

Vt notum faceret nobis sacramentum uoluntatis suæ, &c. 270. com. 2.

Secundum beneplacitum eius, quod posuit in eo. 305. an. 36. col. 2.

Christus omnia instaurauit, quæ in calis, & quæ in terris. 644. an. 38. col. 2.

Deus det uobis Spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitione eius, &c. 513. an. 28. col. 2.

Ipsæ

2 *Ipsæ est pax nostra.* 790. an. 81. col. 1.

3 *Christum habitare per fidem in cordibus uestris radicati in charitate, &c.* 513. a. 28. c. 2.

4 *Et ipse quosdam dedit Apostolos, quosdam prophetas.* 720. an. 97. col. 2.

Omnis amaritudo, ira, &c. blasphemia tollatur a uobis. 358. an. 39. col. 1.

5 *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate, &c.* 428. com. 1. 411. an. 34. al. 40.

Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, &c. 606. an. 105. col. 1.

Fructus lucis est in omni bonitate, iustitia, & ueritate. 510. com. 1.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. 680. an. 28. col. 1.

6 *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, &c. sed aduersus principes, & potestates.* 403. an. 31. col. 2.

Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare; state ergo succincti lumbos uestris in ueritate. 778. an. 62. col. 1.

Philipp.

Cap. 2. *QUI sincera affectione pro uobis sollicitus sit.* 766. an. 44. col. 2.

3 *Factus obediens patri usque ad mortem.* 606. an. 105. col. 2.

Ad destinatum persequor, ad supernæ uocationis brauium. 403. an. 31. col. 1.

Multi ambulat, &c. & stens dico, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus uenter est, qui terrena, &c. 503. an. 12. col. 1.

Quorum Deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. 761. cõ.

Conuersatio nostra in calis est. 666. an. 5. col. 2. 780. an. 64. col. 1.

4 *Nihil solliciti sitis.* 766. an. 44. col. 1.

7 *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* 667. com. 1.

Colossenses:

Cap. 1. *POSTulantes ut impleamini agnitione uoluntatis in omni sapientia, &c.* 513. an. 28. col. 1.

In omni uirtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia, &c. 513. an. 28. col. 2.

3 *Quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, &c.* 771. an. 53. col. 1.

Mortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. 341. an. 12. col. 1.

Mortificate membra uestra, quæ sunt super terram, immunditiam, libidinem, &c. 666. a. 5. col. 2. 778. an. 62. col. 1.

Expoliantes ueterem hominem cum operibus suis. 576. an. 45. col. 2.

Supportantes inuicem, & condonantes uobismetipsis, &c. 431. com. 2.

Verbum Christi habitet in uobis abundans. 515. an. 31. col. 2.

4 *Sit sermo uester semper in gratia, sale conditus.* 308. an. 40. col. 2.

1. Thessalonic,

Cap. 2. *CV M audissetis uerbum auditus Dei, accepistis illud, non ut uerbum hominum, sed uerbum Dei.* 511. an. 25. col. 2.

4 *Nolumus uos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, &c.* 547. an. 106. col. 1. 772. an. 55. col. 2.

5 *Adueniet dies Domini, ut fur.* 782. an. 68. col. 1. *Spiritum nolite extinguere.* 788. an. 78. col. 2.

2. Thessalonic.

Cap. 1. *SUPERcrescit fides uestra; & abundat charitas, &c.* 458. an. 21. col. 1.

3 *Qui non uult operari, non manducet.* 766. an. 44. col. 1.

Si quis non obedit uerbo nostro per epistolam. 370. an. 62. col. 2.

1. Tim.

Cap. 1. *B Laspemus fui, & cõtumeliosus, sed ignorans feci in incredulitate.* 747. a. 19. c. 2.

Ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. 749. an. 20. col. 1.

4 *Reddat illi Dominus secundum opera eius.* 414. an. 44. col. 2.

5 *Nemini cito manus imposueris.* 393. an. 17. c. 1.

6 *Qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, &c.* 405. a. 32. col. 2. & 764. an. 42. col. 2.

Radix omnium malorum cupiditas. 400. a. 27. 2.

2. Tim.

Cap. 1. *CV pio te uidere memor lachrymarum tuarum.* 485. an. 65. col. 1.

2 *Nemo militans regno Dei implicat se negotijs secularibus.* 755. an. 27. col. 2.

Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. 403. an. 31. col. 2.

Si sustinebimus, & conregnabimus, præterea cum patrem habeamus Deum, ipsius faciem desideramus. 667. com. 1.

Erit uas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum. 778. a. 62. col. 2.

Seruum Dei oportet esse mansuetum, ad omnes docibilem, patientem, &c. 509. an. 23. col. 1.

3 *Omnis, qui pie uiuere uoluit in Christo persecutionem patientur.* 577. com. 1.

Ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, &c. 516. an. 32.

4 *Tu uero uigila, in omnibus labora.* 774. a. 72. 2.

Fidem seruauit, &c. 774. com.

Reposita est mihi corona iustitiæ. 422. a. 56. c. 2. 403. an. 31. col. 1.

Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, &c. 558. an. 10. col. 2.

Alexander aerarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundum opera eius, quem & tu deuita, &c. 742. an. 17. col. 1.

Tit.

Cap. 1. *SECUNDUM spem uitæ æternæ, quam promissit, qui non mentitur, &c.* 404. an. 31. col. 1.

Fff

Ad He-

Ad Hebræos.

- Cap. 1.** **M**ultifariam, multisque modis Deus olim loquens, &c. 595. an. 78. col. 2.
 Nouissime locutus est nobis in Filio. 646. a. 41. col. 2.
 Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. 269. com. 1.
 5 Nec quisquam sibi bonorem assumit, nisi qui vocatur a Deo. 393. com. 2.
 6 Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c. 743. an. 17. col. 1.
 9 Noui testamenti mediator est, &c. 588. a. 65. 2.
 10 Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis, &c. 514. com.
 11 Quibus mundus non erat dignus. 559. a. 13. c. 2.
 13 Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram, &c. 779. com.
 Talibus hostiis promeretur Deus, &c. 371. an. 64. col. 2.
 Obedite præpositis vestris, &c. 787. com.

Iacob.

- Cap. 1.** **P**ostulet in fide, nihil hesitans. 356. a. 37. 1.
 Vnusquisque, cum centatur, a propria concupiscentia tentatur. 672. an. 15.
 Estote factores verbi, & non auditores tantum, nã si quis est auditor, &c. 504. a. 14. c. 1.
 Si quis auditor est verbi, & non factor comparabitur viro. &c. 446. com. 2.
 2 Quid prodest fratres, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, &c. 504. a. 14. c. 1.
 Ego ostendam tibi meam fidem ex operibus. 356. an. 36. col. 2.
 Demones credunt, et contremiscunt. 290. a. 13. 2.
 5 Patientes estote fratres usque ad aduentum Domini. 515. an. 30. col. 2.
 Multum valet deprecatio iusti assidua. 676. an. 22. col. 1.

1. Petri.

- Cap. 1.** **S**uccincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate, &c. 778. an. 62. col. 1.
 1 Obsecro vos, abstinete a carnalibus desiderijs, quæ militant, &c. 779. an. 64. col. 1.
 Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet, &c. 422. an. 56. col. 1.
 Si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. 422. an. 56. col. 1.
 Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum. &c. 433. an. 70. col. 2.
 Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. 640. an. 30. col. 1. & 2.
 Qui cum malediceretur non maledicebat. 414. an. 44. col. 1.
 3 Non reddentes maledictum pro maledicto. 414. an. 44. col. 1.
 5 Neque ut dominantes in Cleris. 784. an. 72. c. 2.
 Omnem sollicitudinem projicientes in ipsum, quoniam ipse est cura de vobis. 766. an. 44. col. 1.
 Sobrii estote, & vigilate, et resistite fortes, &c. 779. an. 64. col. 1.
 Aduersarius vester diabolus circuit querens quem deuoret. 685. an. 39. col. 1. 793. a. 87. c. 1.

778. com.

Resistite fortes in fide. 513. an. 28. col. 2.

2. Petri.

- Cap. 2.** **M**elius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnit. &c. 505. an. 16. col. 2. 310. an. 43. col. 2.

1. Ioan.

- Cap. 1.** **S**i dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. 650. an. 50. col. 1.
 2 Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, &c. 748. an. 20. col. 1.
 Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 494. com. 1.
 Qui diligit fratrem, Deus in illo manet. 408. an. 37. col. 2.
 Qui odit fratrem suum, in tenebris est. 409. an. 38. col. 2.
 Quicquid est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis aut superbia vitæ. 402. an. 29.
 3 Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & simus. 640. an. 31. col. 2. 665. an. 4. col. 1.
 Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. 409. an. 38. col. 2.
 Qui viderit fratrem suum necessitatem habere & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo. 714. com.
 4 In hoc apparuit charitas Dei, in nobis, &c. 270. com. 1.
 Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet. 640. an. 30. c. 1.
 5 Hæc est charitas, si mandata eius custodiamus. 651. an. 50. col. 2.
 Qui non accipit testimonium eius, mendacem facit Deum. 746. an. 18. col. 2.
 Est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut roget quis. 749. an. 21. col. 1.
 Mundus totus in maligno positus est. 674. an. 17. col. 2.

Apocalypsis.

- Cap. 12.** **V**AE secundum abijt, & venit tertium. 405. an. 33. col. 1.
 14 Ut requiescant a laboribus suis. 403. an. 31. c. 1.
 16 Vidi de ore Draconis, & de ore bestiae, & de ore pseudoprophetae exire, &c. 317. c. 4. an. 53. col. 1. error talidus pro talibus. com. 1.
 Sunt Spiritus demoniorum facientes signa. 316. an. 53. col. 1.
 Vidi Angelum descendentem de celo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem, &c. 691. an. 54. col. 1.
 20 Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, etc. 674. an. 17. c. 1.
 Qui non est inuentus in libro vite scriptus, missus est in stagnum ignis. 639. com. 1.
 22 Qui iustus est, iustificetur adhuc. 653. an. 55. col. 2.

F I N I S. INDEX



I N D E X
 R E R V M, E T V E R B O R V M
 C O P I O S I S S I M V S.



A



Bel quomodo Propheta dictus, & cur eiusdem mentio facta sit Luc. 11. 723. annot. 99. col. 1.
 Abia princeps fuit octauæ familæ inter 24. in quas diuisi fuerunt sacerdotes. 10. an. 4. col. 1.
 Abnegare seipsum ex Patrum sententia quid sit. 576. an. 45. col. 1.
 Aborsus sexto mense non contingit à causa intrinseca. 101. com. 2.
 Abrahæ, non autem omnibus, concessum est nosse præcisum diem aduentus Christi. 649. ar. 45. col. 2.
 Abraham duplicem habuit posteritatem. 81. an. 90. col. 1.
 Abraham vidisse diem Domini, quid significet. 649. an. 45. col. 1.
 Abcondere quid sit; quid vero reuelare, in illo Euangelij (Confiteor tibi Pater, &c.) 642. an. 33.
 Abconditum ad quid referatur; ad quid vero apertum. Luc. 12. 730. an. 3. col. 2.
 Abyssus quid sit, & pro quo in scriptura accipitur. 533. an. 69. col. 1.
 Actio peccatricis mulieris spiritualis interpretatio, & significatio. 486. an. 65. col. 1.
 Adam primus sicut exterius tentatus fuit, sic & secundus Adam. 286. an. 7. col. 1.
 Adam accommodatur parabola hominis descendens de Hierusalem in Hierico, qui incidit in latrones. 657. an. 63. col. 1.
 (Ad Virginem) verbum Euangelicæ est, & magna mysteria continet. 46. an. 52. col. 1.
 Adiurare quid sit, & quomodo in sacra scriptura accipitur. 529. an. 62. col. 1.
 Admiratio non semper est eorum, quæ ignorantur, sed eorum etiam quæ captum nostrum excedunt, etiam si nobis notificata sint. 199. an. 51. col. 2.
 Admiratio dupliciter fit. 198. an. 51. col. 1.
 Admirationis origo quæ sit, & cur Christus admiratus dicatur. 457. an. 19. col. 1.
 Adoratio quid in Scriptura significet. 295. an. 21. col. 1.
 Aduentus Magorum quando fuerit. 211. an. 64. col. 2.
 Aduentus duo Christi, & quam diuersi. 580. an. 50. col. 1.
 Aduentus sui diem cur aduentui furis comparauerit Dominus. 782. com.
 Aduentus Christi quis significetur illis verbis: qua hora non putatis Filius hominis veniet. 782. an. 69. col. 1.
 Aduerbum, donec, quomodo in scriptura accipitur. 794. an. 90. col. 1.
 Aduersarius quis dicatur Luc. 12. ibi. Cum autem vadis cum aduersario tuo, &c. 793. an. 87. col. 1.
 Adulator inuidio contrarius. 311. an. 44. col. 1.
 Adulterium illud incestuosum ab Herode admissum quale fuerit. 263. an. 41. col. 1.
 Aedificator bonus quomodo à malo differat. 446. an. 89. col. 1.
 Aegyptiacæ seruitutis liberatio figura fuit liberationis generis humani. 35. an. 38. col. 2.
 (Aequalia) vox explicatur. 424. an. 57. col. 1.
 Aequitas, bonitas, & liberalitas Dei, quibus orationis dominique

verbis manifestetur. 671. an. 14. col. 2.
 Aequitatem præcepti dimittendi quatuor commendant. 433. an. 70. col. 2.
 Aetas Iosephi, quando B. Virginis sponsus factus est, quæ fuerit. 51. an. 59. col. 2.
 Aetatis nomine quid hic significetur. 228. an. 87. col. 1.
 Affectio compassionis in Maria Virgine dolorem corporeæ longe excessit. 206. an. 57. col. 1.
 Affectuum animi philosophicus discursus insignis. 642. a. 74. col. 1. & 2.
 Agnum Paschalem extra Hierusalem edere nulli licebat. 213. an. 68. col. 2.
 Agnus, seu in pauperibus turtur, vel pullus vnus columbarum, in holocaustum offerebatur. 190. an. 38. col. 1.
 Alabastrum quale fuerit, & vnde confectum. 484. annotat. 63. col. 1.
 Alberti Magni explicatio de particula (ex hoc) reijcitur. 122. an. 127. col. 1.
 Alligatio, seu ligatio Dæmonis, de qua Luc. 11. quomodo differat ab illa de qua in Apocalypsi. 692. an. 54. col. 1.
 Almath cum emphatica littera puram virginem significans, ter solum in Scriptura reperitur. 104. an. 11. col. 1.
 Alzare thymiamatis extra velum erat. 17. com. 2.
 Altissimi nomine quænam Trinitatis persona intelligatur. 147. an. 157. col. 1.
 Altissimus sæpe in Scripturis vocatur Deus, & quare. 77. an. 88. col. 1.
 Ambitioni non est tribuendum Christi, quod miracula fecerit. 310. an. 43. col. 1.
 Ambrosij de gladio sententia magis est spiritualis, quam litteralis. 205. an. 56. col. 1.
 Ambrosij de Centurione verba sane intelligenda. 451. an. 8. col. 1.
 Ambrosius notat quosdam hamo, quosdam vero reti ad Ecclesiam trahi. 341. an. 12. col. 2.
 Amencia Pharisæorum. 392. an. 15. col. 1.
 Amici, parentes, familiares secundum carnem non raro nos à Christo auerunt. 217. an. 72. col. 2.
 Amici nomine quid ostendatur ibi Amice commoda mihi tres panes. 674. com.
 Amici plus sunt diligendi, quam inimici. 411. an. 39. col. 1.
 Amicorum est in necessitatibus mutuo se iuuare. 674. com.
 Amicos cur vocet Christus suos Discipulos. 731. com. & 732. an. 6. col. 1.
 Amicum cur appellet ille, de quo Lucas in illis verbis (Amice, commoda mihi tres panes) 674. com.
 Amicum, an inimicum diligere verum maius sit. 412. an. 34. col. 40. col. 1.
 Amicitia plus est, quam dilectio. 732. an. 6. col. 1.
 Amoris, & gratiæ differentia. 57. an. 66. col. 1.
 (Ancilla) humilitatem Deiparæ profundam declarat. 107. annot. 113. col. 1.
 Andronici, & Seueriani hæreici feminam satanz opus esse astringebant. 46. an. 53. col. 2.
 Angeli quomodo Deo fruuntur, & maiestatem eius considerent, & bonitatem eius delectentur. 125. com. 1.
 Angeli quomodo locum mutant. 174. an. 22. col. 1.
 Angeli claritas quid significauerit. 168. an. 16. col. 1.

F f f 2 Angeli

Angeli boni potestate à Deo data bene vtuntur, mali male. 18. an. 15. col. 2.
Angeli boni apparitio quomodo à mali angeli apparitione dignoscatur. 19. an. 17. col. 1.
Angeli duplici modo cum hominibus locuti sunt. 55. an. 64. col. 1.
Angeli multis modis corporali visione se manifestant. 54. an. 62. col. 1.
Angeli corpus illud, in quo apparent, ex materia externa constant, condensatis humoribus &c. 54. an. 62. col. 2.
Angeli tribus modis hominibus manifestant, quæ Deo præcipiente eis reuelant. 53. an. 62. col. 1.
Angeli, quando hominibus apparent, non habent, sed sumunt corpus. 54. an. 62. col. 2.
Angeli & spiritus, & flamma ignis ob diuersa genera officiorum vocantur. 39. an. 42. col. 1.
Angeli verba filij incarnationem significant. 92. an. 100. col. 1.
Angeli ab officio, cui deseruiunt, nomen sortiti sunt. 40. an. 46. col. 1.
Angeli in hominum iudicio Dei sunt exactores. 763. com.
Angelorum trium Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis Explicatio. 40. an. 46. col. 2.
Angelorum sanctorum proprium est, quando nunciant, quæ lætitiæ sunt, vt verbo, Nolite timere. 67. com. 2.
Angelis inferioribus Deus manifestat per superiores suam voluntatem. 41. an. 47. col. 1.
Angelum salutantem vtrum B. Virgo nouerit, necne, & affirmatiue soluitur. 64. an. 73. col. 1. & 2.
Angelus, qui pastoribus apparuit, Gabriel fuit. 167. an. 15. col. 1.
Angelus quatuor assignat causas, quare pastores non debeant timere. 168. com. 3.
Angelus, bonus, & malus, Domini Angelus vocatur triplicem ob causam. 18. an. 15. col. 1.
Angelus, & Elisabeth eadem prorsus B. Virgini annunciarunt. 118. an. 123. col. 1.
Angelus, & Isaias quomodo conueniant, cum hic Emmanuelem, ille vero Iesum dicat Dominum appellandum. 74. an. 86. col. 1.
Angelus, est idem quod nuncius. 38. an. 42. col. 1.
Angelus quatuor causas, cur pastores gaudere debeant, adfert. 169. com. 1.
Angelus Domini in Scriptura, tam pro malo, quam pro bono accipitur. 18. an. 15. col. 1.
Angelus non vtitur exemplo Elisabeth, vt Mariam inducat ad credendum. 98. an. 107. col. 1.
Angelus ter locutus est B. Virgini. 108. an. 113. col. 2.
Angelus vsus est exemplo Elisabeth ad maiorem confirmationem eorum, quæ dicebantur. 99. an. 107. col. 1.
Angelus quæ hora diei B. Virgini apparuerit, ex scriptura non potest cognosci, sed doctorum auctoritate, & rationibus probatur. 55. an. 63. col. 1.
Angelus cur in salutatione B. Virginem proprio nomine compellauerit. 68. an. 78. col. 1.
Angelus in annunciatione B. Virginis quatuor præstitit comment. 1.
Angelus se B. Virgini per species visibiles præsentauit. 54. an. 62. col. 1.
Angelus multis de causis adiunxit verbum illud, (in vtero) 69. an. 81. col. 1.
Angelus quatuor de causis non solum filij conceptionem, sed etiam partum nunciat. 70. com.
Angelus cur non dixerit, Deus tecum, sed Dominus tecum. 62. an. 70. col. 1.
Angelus cur dixerit (vocabitur Altissimi filius) & cur non dixerit (erit Altissimi filius). 77. an. 88. col. 2.
Angelica natura circumscripta est. 30. an. 31. col. 1.
Anima mea) nemo, præter Christum, ita perfecte dicere potuit, ac B. Virgo. 119. an. 124. col. 2.
Anima per id, quod intus est; corpus vero per id, quod de foris est, significatur. Luc. 11. 713. an. 87. col. 2.
Anima quomodo, & a quibus peccatis per elemosynas munde- tur. 713. an. 88. col. 1.
Anima Christi eodem temporis instanti, quo caro Christi organizata est, creata, & infusa, & illi carni vnita fuit. 90. com.
Anima quomodo magnificare dicatur, spiritus autem exultare. 120. an. 125. col. 2.
Anima, & spiritus in quo differant. 120. an. 125. col. 1.
Anima quid significet in illo loco Luc. 12. Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, &c. 766. an. 46. col. 1.
Anima quid significet Luc. 12. ibi: Anima habes multa bona posita in annos plurimos &c. 761. an. 37. col. 1.

Anima quietis, ac perturbationis præcipua est causa. 761. com.
Anima diuitis Luc. 12. cur nocte reperatur. 763. an. 40. col. 1.
Anima cur cibis attribuatur Luc. 12. dum dicitur: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis. 767. an. 46. col. 2.
Animæ iniorum ante corporum reasumptionem cur in inferno torquentur. 734. an. 9. col. 1.
Animam perdere propter Christum quid sit. 578. an. 48. col. 1.
Animam a Deo factam putant Manichæi, non autem corpus. 712. an. 85. col. 2.
Animam nostram incorpoream, ac spiritualem esse certa fide tenendum. 734. an. 9. col. 1.
Animam rationalem corpoream esse, subtiliorem tamen quis senserit. 733. an. 9. col. 2. & 734. col. 1.
Animi passiones quid in homine efficiant, & quomodo generentur. 64. an. 74. col. 1.
Animus oratione, corpus ieiunio Deo seruit. 209. com. 3.
Animus, & intentio maledicentis in maledictionibus obseruanda. 415. an. 44. col. 1.
Animalia multa nascuntur sine sexus admixtione 103. an. 111. col. 2.
Anna, & Caiphas num eodem tempore fuerint Pontifices. 233. an. 5. col. 1.
Anna, quæ prius prophetissa erat, nato iam Christo facta est eius Apostola. 210. com. 2.
Anna per excellentiam vocata est prophetissa. 208. an. 59. col. 2. (Antefaciem præire) Grægorius spiritualiter videtur explicare. 147. an. 158. col. 1.
Anna particula vicissitudinem significat. 210. com. 1.
Anxietas auaræ quanta sit. 759. an. 33. col. 1.
Apochryphis libris quæ continentur non semper sunt falsa. 724. an. 100. col. 2.
Apochryphis idem quod describere. 159. an. 3. col. 1.
Apostoli quales, & quomodo serui fuerint. 783. com.
Apostoli quomodo à Christo instructi sint ante professionem ad prædicandum. 555. an. 5. col. 1.
Apostoli quomodo omnia vidisse dicantur, quæ de Christo tradiderunt. 5. an. 6. col. 1.
Apostoli quinam dicti sint. 720. com. & an. 97. col. 2.
Apostoli, & Prophetæ, etiam in Veteri Testamento, quidam dicti sunt. 720. an. 97. col. 1.
Apostoli omnes fuerunt Prophetæ non contra. 720. com.
Apostoli cur multas legis obseruantias cum doctrina Euangelij obseruent. 380. an. 76. col. 2.
Apostolus quid sit. 394. an. 20. col. 1.
Apostolus quid significet. 720. an. 97. col. 2.
Appetitus vindictæ quando, & quomodo non sit contra præceptum diligendi inimicos. 410. an. 39. col. 1.
(Apud Deum & homines) explicatur. 229. an. 89. col. 1.
Aquæ diluuij undecim menses durarunt. 35. an. 38. col. 1.
Aquæ diluuij mense Martio intra suos antiquos terminos conclusæ fuerunt. 35. an. 38. col. 1.
Arbitrij vsus an in Ioanne perseverauerit etiam postquam natus fuit. vbi affirmatiue asseritur. 113. an. 118. col. 1.
Arbitrium hominis terræ comparatur. 515. an. 31. col. 1.
Arborem bonam malos fructus non posse facere, nec malam bonos quomodo verum sit. 442. an. 82. col. 2.
Archifynagogus Christum Deum esse non credebat, quamuis in ipso diuinam virtutem agnoscebat. 540. an. 87. col. 1.
Aræ nomine quid intelligatur. 261. an. 38. col. 1.
Argumentatio ex impossibili efficax est, & vna ex elenchis Aristotelis. 390. an. 12. col. 1.
Argumenta quinque, quibus Christus Pharisæorum calumniam repellit. 388. an. 8. col. 1.
Argumenti, quo hominum timor nobis prohibetur, efficacia ex quibus sumatur. 737. an. 13. col. 1.
Argumenti, quod ex illis Christi verbis (si in digito Dei eicio Dæmonia &c.) oriri potest, solutio. 688. an. 46.
Argumentis quinque demonstratur, Elisabeth non commemorasse exultationem infantis in vtero, vt B. Virginem ad firmius Angelo credendum induceret. 116. an. 121. col. 2.
Argumentis quatuor Ioannes Baptista Iudæos ad penitentiam adducere conatur. 251. com. 1.
Argumentum quo vtitur Christus ad probandum se in Beelzebub non eijcere dæmonia. 684. com.
Argumentum philosophicum Paganorum contra Virginitatem maris Dei, eiusque philosophica solutio. 103. an. 111. col. 2.
Argumentum a statura corporis augenda ad etas prouidendas, quo Christus vsus est Luc. 12. an. valeat a minori ad maius. 768. an. 49. col. 1.
Argumentum quodnā scripturæ sacræ familiare. 772. an. 55. col. 1.
Argumentum

Argumentum quadruplex, quo sibi panes amicus ab amico impetrare conatur Luc. 11. 675. com. 1.
Argumentum a minori, probans Deum orantibus tantum quæ bona sunt concedere, est illud Luc. 11. (Si ergo vos cum sitis mali &c.) 679. com. & 680. an. 28. col. 2.
Argumentum probans omnes homines esse proximos. 656. a. 62. col. 1. & com.
Ariani, & Nestoriani refutantur. 226. an. 86. col. 1.
Ariani reprehenduntur, qui ex illis verbis (Et erat subditus illis) Christum secundum diuinam naturam Patre inferiorem dicebant. 224. an. 84. col. 1.
Ariani verbis D. Pauli abutentes filium patre minorem dicunt, eorumque confutatio. 82. an. 91. col. 2.
Ariani, quo scripturæ loco abusi sint, ad probandum Filium esse minorem Patre. 644. an. 38. col. 1.
Arianorum argumentum optime ab Augustino solutum. 225. an. 84. col. 1.
Arius Filium Patris instrumentum in rerum creatione esse dicebat, quod impium est. 89. an. 98. col. 2.
Aristotelis, & aliorum philosophorum de vipera opinio. 246. an. 22. col. 2.
Aristoteles columbam fel habere dicit, sed exiguum admodum. 268. an. 48. col. 2.
Arma Diaboli quæ sint. 688. com. & 689. an. 48. col. 1.
Arma fortis quomodo Christus abstulit, vasa diripuit, & spolia diuisit. 692. an. 55.
Armatus, & fortis cur dicatur Dæmon, ibi (Cum fortis armatus, &c.) 688. com. & 689. an. 48.
Artificium Euangelistæ in describenda pastorum vigilia ostenditur. 165. an. 13. col. 2.
A seculo, quid sit, explicatur. 139. an. 148. col. 1.
Asini, & bouis nomine, qui in stabulo erant, quid intelligatur. 163. an. 10. col. 2.
Assarium quid sit. 735. an. 11. col. 1.
Assertiones ad explicandam difficultatem de blasphemia in Spiritum sanctum. 744. an. 18. col. 1.
Assumptionis nomine quid hoc loco intelligatur. 613. annot. 117. col. 1.
Athanasij, & Hieronymi de blasphemia in Spiritum sanctum sententia eadem sunt. 743. an. 17. col. 1.
Athanasij Symboli sententia declaratur. 94. an. 102. col. 1.
Atria fuerunt tria in templo. 724. an. 100. col. 1.
Atrium dæmonis quod sit. 690. an. 50. col. 1.
Atrium quid sit. 689. an. 50. col. 2.
Auctoritas prælatorum quanta sit, & quanta debeant pollere sanctitate. 634. an. 21. col. 1.
Auctoris sententia de blasphemia, quæ a venia excluditur. 745. an. 18. col. 2.
Auctoris expositio illorum verborum, Nolite in sublimi tolli, Lucæ 12. vnde optima esse probetur. 773. annotatio. 56. col. 1.
Auctor quidam deceptus, arbitrans Augustinum sensisse Lucam B. Mariæ generationem texuisse. 274. an. 56. col. 2.
Auctores, qui his verbis (quid est, &c.) Christum parentes reprehendisse arbitrantur, reiciuntur. 222. an. 80. col. 1.
Auaritia quomodo ab omni sit cauendum. 757. annot. 30. col. 1.
Auaritia, de qua Christus Luc. 12. quomodo Græce exprimitur, & ratio nominis. 757. an. 30. col. 1.
Auari diuitis quanta sit miseria. 759. an. 33. col. 1.
Auarus quis dicatur. 757. an. 30. col. 1.
(Aue) verbum gaudij, & congratulationis est. 56. an. 65. col. 1.
Augustinus, quod sentiat dici peccatum ad mortem, & quod alij Doctores. 750. an. 21. col. 1.
Augustinus quatuor distinguit modos productionis hominis. 86. an. 95. col. 2.
Augustinus contra hæreticos huius temporis explicatus. 65. an. 50. col. 1.
Augustinus quam censuerit blasphemiam in Spiritum sanctum dici. 742. an. 17. col. 2.
Augustinus cuiusnam, quæstionis difficultatem fateatur se in conuentione semper vitasse. 740. an. 17. col. 1.
Augustinus quomodo limiter illa Dominicæ orationis verba (Dimitte nobis, &c.) 672. an. 14. col. 2.
Augustus Cæsar secundus Romanorum Imperator fuit, cuius ab interfectione Iulij Cæsaris 21. an. 42. natus est Christus. 157. com. secundo.
Auxilia diuina. 632. an. 18. col. 1.
Azymorum dies septem erant. 214. com. 2.

B.

Alaam cur loco maledictionis benedictionem impertitus sit populo Dei. 753. an. 24. col. 1.
Bastropertæ philosophi dicto Euangelico quomodo reprehendantur. 557. an. 8. col. 2.
Baptismi forma cur sub iis verbis (In nomine Patris, &c.) instituta sit. 665. an. 4. col. 1.
Baptismum penitentia prædicare quid sit. 236. annotatione 9. col. 1.
Baptismatum variæ differentia. 260. an. 37. col. 1.
Baptismum Ioannis quomodo consilium Dei interpretetur Euthymius. 478. an. 54. col. 1.
Baptismum cur appellet Christus mortem suam. 789. com.
Baptismus Christi, & Ioannis in quibus conueniant. 258. an. 35. col. 1.
Baptismus Ioannis quare baptismus penitentia sit dictus. 236. an. 10. col. 1.
Basilius quid thesauri nomine intelligat. 443. annotatione 57. al. 85. col. 1.
Beatissima Virgo an fidem verbis Angeli habuerit, quadruplex doctorum sententia. 98. an. 107. col. 1.
Beata Virgo duplici beneficio a Deo affecta super omnes homines. 122. com. 2.
B. Virgo cur non dixerit, cuius nomen sanctum est. 123. commento 1.
B. Virgo cur se ancillam Domini vocet, cum Elisabeth appellet eam matrem Domini. 115. an. 120. col. 1.
B. Virgo, cum altiora mysteria nouerit, quomodo filii sermonem non intellexerit. 223. an. 82. col. 2.
B. Virgo quid a Pastoribus didicerit. 177. an. 27. col. 2.
B. Virgo sicut in reliquis virtutibus quotidie crescebat, ita etiam crescebat in fide, & quomodo. 223. an. 82. col. 2.
B. Virgo cur festinanter dicatur iuisse in montana, plures dantur causæ. 110. com.
B. Virgo, & Ioseph num negligentia sint reprehendendi, quod Christum quæruerint. 223. an. 81. col. 2.
B. Virgo sciuit filium, vel sponte a via aberrasse, vel a se, & Ioseph recessisse. 216. an. 71. col. 2.
B. Virgo quomodo per diem integrum non viderit filium. 215. an. 70. col. 1.
B. Virgo vtrum Christum tamquam mater corripuerit. 220. a. 78. col. 1.
B. Virgo quando cum infante in Aegyptum fugerit. 210. annotat. 64. col. 2.
B. Virgo de quo doluerit. 221. an. 79. col. 1.
B. Virgo recte cum Christo sola locuta est, & qua re. 20. commento primo.
B. Virgo quando visitauerit Elisabeth. 109. an. 115. col. 2.
B. Virgo sine dolore peperit. 162. an. 9. col. 1.
B. Virgo integritate seruata per eum locum, quo cæteræ feminae, emittit filium. 161. an. 7. col. 1.
B. Virgo vtrum asino vecta fuit, dum iret, vt describeretur, incertum est. 161. an. 6. col. 1.
B. Virgo in die iudicii nihil patitur. 205. an. 56. col. 1.
Beata Virgo in singulis virtutibus excelluit. 59. annotatione 67. col. 2.
B. Virgo in passione filii vt in dilectione vehementissima, ita fuit & constantissima. 205. an. 56. col. 1.
B. Virgo non habuit Ioseph vix socium, quando in montana abiit. 110. 115. col. 2.
B. Virgo quare præ cunctis mulieribus benedicta dicatur. 62. an. 71. col. 1.
B. Virgo multis de causis gratia plena vocata est. 57. an. 67. col. 1.
B. Virgo cur non statim Angelo salutanti responderit. 67. an. 77. col. 1.
B. Virgo miraculorum virtute in hoc sæculo vsa non est. 58. an. 67. col. 1.
B. Virgo præ omnibus Deo grata fuit. 60. an. 67. col. 1.
B. Virgo & Ioseph vterque de stirpe Dauid erant. 160. commento secundo.
B. Virgo cur matrimonium voluerit contrahere, cum virginitatem conseruare decreuisset. 50. an. 57. col. 1.
Beata ex hoc solo dici potuit Maria Virgo, quod Dei mater effecta sit. 699. an. 64. col. 1.

B. Virginis in itinere sedulitas. 216. com. 2.
B. Virginis turbatio vnde orta fuerit, & Doctorum de ea opinio. 66. an. 74. col. 1.
B. Virginis in respondendo prudentia commendatur. 82. commen-
 to primo.
B. Virginis integritatem negantes hæretici reprehenduntur. 105.
 111. col. 2.
**B. Virg. nem etiam post partum conseruasse virginitatem, aliquot
 rationes congruentes suadent.** 86. annotatione 96. columna
 secunda.
B. Virginitatem diem, & horam partus præsciuisse, probabile est. 160.
 com. 4.
**B. Virginitatem esse matrem Dei, quo fundamento Nestorius ne-
 gauit.** 69. an. 80. col. 2.
**B. Virginitatem vouisse virginitatem ex eius verbis tripliciter dedu-
 citur.** 84. an. 94. col. 1.
Beati, in Scriptura, variis de causis appellantur. 648. annot. 44.
 col. 2.
Beatos, cur suos Discipulos vocet Christus. 647. com.
**Beatitude quare in Euangelio vocata sit merces, brauium, corona,
 hæreditas.** 403. an. 31. col. 1.
Beatitude electorum quibus verbis significetur. 781. com.
**Beatitudines illæ (Beati pauperes, quia vestrum, &c.) diuersæ sunt
 ab illis, quas Mathæus refert.** 499. an. 399. an. 27. col. 1. & ibid.
 patrum sententiæ. 400.
Beatitudinis magnitudo, quam boni prælati habiuri sunt, ostendit.
 784. com.
Beelzebub quid sit. 682. an. 33. col. 2.
**Benedictio non ad solos sacerdotes pertinet, sed ad maiores etiam
 non sacerdotes.** 199. an. 52. col. 2.
Benedictio Christi super quinque panibus qualis fuerit. 568. 2. 32.
 col. 1.
**Benedictionem loco maledictionis cur populo Dei impertitus sit
 Balaam.** 753. an. 24. col. 1.
Beneficia non sunt danda, vt ea recipiamus. 426. annotatione 60.
 col. 1.
Beneficentia proprie, & perfecta, quæ sit. 424. com. 1.
Beneficio duplici super omnes homines B. Virgo a Deo affecta est.
 122. com. 2.
**Beneficiorum commemorationem a Beata virgine factam ad com-
 munita beneficia referentes refelluntur.** 124. annotatione 129.
 col. 1.
**Beneficiorum libera collatio vsque ad Dei similitudinem nos extol-
 lit.** 478. an. 63. col. 1.
**Beneficium nemo perfecte agnoscit, nisi qui suam indigentiam no-
 uit.** 675. com.
Benignitas, ac clementia Christi. 487. an. 66. col. 1.
Benignitas in quo consistat. 427. an. 62. col. 1.
**Bernardi sententia de verbis B. Virginis, Quomodo fiet istud, pro-
 bat.** 84. an. 93. col. 2.
**Bethlehem non solum ciuitas David vocata est, sed etiam arx
 Sion, quia ibi habitabat David, ciuitas David vocata est.** 160.
 com. 1.
**Bernardi sententia de tempore natiuitatis Ioannis baptiste expen-
 ditur.** 34. an. 36. col. 1.
Blasphemia in Spiritum sanctum cur ita dicatur. 746. annot. 18.
 col. 1.
**Blasphemia in Spiritum sanctum, quæ sit. Item quid verbum in
 filium hominis, variæ sententiæ.** 740. an. 17. col. 1.
Blasphemia in Spiritum sanctum, ex Augustini sententiâ, quæ sit.
 742. an. 17. 2.
**Blasphemia omnis in Christum hominem an sit verbum in filium
 hominis, de quo Luc. 12. 747. an. 19. col. 2.
 Blasphemia in spiritum sanctum, de qua agitur Luc. 12. quæ sit pro-
 prie.** 745. an. 18. col. 2.
**Blasphemia in Spiritum sanctum, & peccatum in Spiritum san-
 ctum, sunt longe diuersa.** 744. an. 18. col. 1.
**Blasphemia in Spiritum sanctum, etiam ante baptismum com-
 mitti potest.** 744. an. 18. col. 1.
**Blasphemia hæreticorum Spiritus sancti diuinitatem negantium,
 cur non sit blasphemia, de qua agitur Lucæ 12. 745. annot. 18.
 col. 2.
 Blasphemia in Spiritum sanctum quare, & quomodo difficulter di-
 ci possit remitti.** 749. an. 20. col. 1.
**Blasphemia cum non remittenda dicitur, de qua remissione agatur
 749. an. 20. col. 1.
 Blasphemia in Spiritum sanctum non est negare ipsum esse Deum.**
 752. an. 23. col. 2.

**Blasphemia in spiritum sanctum, & peccatum ad mortem, nam
 idem sint.** 751. an. 21. col. 2.
**Blasphemia in Spiritum sanctum, & peccatum in Deum, num
 idem sint.** 752. an. 22. col. 2.
**Blasphemiam in Spiritum sanctum, neque in hoc, neque in futu-
 ro seculo remittendam: peccatum vero in Filium hominis re-
 mittendum esse, quomodo intelligatur.** 749. annotatione 20.
 col. 2.
**Blasphemiam hanc Luc. 11. (In Beelzebub principe Dæmonio-
 rum, &c.) quinam protulerint.** 682. an. 33. col. 1.
**Blasphemantes ipsum in Beelzebub eicere dæmonia cur minus
 acriter reprehenderit Christus, quam petentes signa.** 701. anno-
 tat. 68.
Blasphemare quid significet, & quibus modis Deus blasphemetur.
 358. an. 40. col. 1.
Bona minora quandoque ob maiora præmittenda. 620. com-
 mento 2.
Bona quænam appellabat diues, Luc. 12. 760. com. & annotat. 36.
 col. 1.
Bona temporalia cur malis, & reprobis concedantur in hoc seculo
 758. an. 32. col. 1.
**Bona temporalia Regnum Dei quærentibus cur adijcienda, non
 autem danda dicantur in Euangelio.** 774. com.
**Bonitas, liberalitas, & æquitas Dei, cur his verbis (Sicut & nos di-
 mittimus debitoribus nostris, &c.) manifestentur.** 671. an. 14.
 col. 2.
**Bona uentura triplicem horum verborum, Dispersit superbos, ad-
 tert significationem.** 124. an. 130. col. 1. & 2.
Bouis, & asini nomine, qui in stabulo erant, quid significetur. 163.
 an. 10. col. 2.

C.

**Cæli, & terræ nominibus, in illo Euangelij loco (Confiteor
 tibi Pater, &c.) tria mytheria significantur.** 641. annotat. 31.
 col. 1.
Cæli nomine quid intelligatur, cum Luc. 11. petunt signa de cælo.
 683. an. 35. col. 1.
**Cælum, dum Christus baptizaretur, cur, & quomodo apertum fue-
 rit.** 267. an. 47. col. 1.
Cæsaris edictum nato Ioanne Baptista promulgatum est. 157.
 com. 1.
**Cain cur septuplum tantum; Lamech vero septuagesies septies pu-
 niri, aut puniendi dicantur.** 721. an. 98. col. 1.
**Cainam quomodo à Luca enumeretur, cum nec in Hebræo textu,
 nec apud Lxx. reperitur.** 279. an. 61. col. 1.
Caiphas, & Anna num eodem tempore fuerint Pontifices. annot.
 5. col. 1.
Calcei a sandaliis differunt, & quomodo. 559. an. 11. col. 1.
Calumniæ Phariseorum. 374. an. 67. col. 1.
Calumniæ Marcionis contra Euangelium exploditur. 420. annot.
 51. col. 1.
Calumniæ graue malum est. 415. an. 39. al. 45. col. 1.
**Calumniæ Iudæorum respondentes Patres, quomodo intelligi de-
 beant.** 80. an. 89. col. 2.
Capharnaum cur vsque ad cælum dicatur exaltata. 633. annotat.
 20. col. 2.
Carnem de Virgine quinque de causis Christus sumere voluit.
 47. an. 54. col. 1.
**Carnem de muliere quatuor ob causas conueniens fuit Christum
 assumere.** 46. an. 53. col. 1.
Caro omnis quomodo Christum sit visura, explicatur. 245. annot.
 20. col. 1.
**Castellum, de quo agitur apud Lucam illis verbis (factum est au-
 tem dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum) quidnam
 fuerit.** 657. com. 2. & an. 64. col. 1.
Caii instrumenti quando præpositio additur, Hebraismus est. 116.
 commento.
Causa timoris discipulorum triplex ob vocem in monte auditam
 597. an. 84. col. 1.
**Causa quadruplex, cur pueris in circumcissione soleret nomen im-
 poni.** 131. an. 124. al. 139. col. 1.
**Causa quænam sit, quod quædam terræ pars trigessimus, alia
 sexagesimus, alia centesimus fructum profert.** 515. annot. 31.
 col. 1.
**Causæ quatuor dantur ab Angelo, quare non debeant timere præ-
 flores.** 168. com. 3.

Causæ

**Causæ adducuntur, ob quas Christus in montem ascenderit, &
 qualis mons iste fuerit.** 582. an. 55. col. 1.
**Causæ ob quas Christus sæpe Petrum, Ioannem, & Iacobum
 assumpsit.** 548. an. 104. col. 1.
**Causæ variæ dantur, cur Romani nomen infantibus non die so-
 lerent imponere.** 130. an. 138. col. 2.
**Causæ dantur, ob quas homo ille Euangelicus prohibetur ire ad
 sepeliendum patrem suum.** 619. an. 129. col. 2.
**Causas varias assignant Doctores, cur Christus de Virgine de-
 sponsata nasci voluerit.** 47. an. 55. col. 2.
Causis naturalibus aliquando infantes contingit in vtero moueri.
 116. an. 121. col. 1.
Catholica doctrina ex verbis Angeli (ideo quod) traditur. 96. an.
 106. col. 2.
Catholica, & notatu digna doctrina de anima, & corpore Christi.
 109. an. 114. col. 1.
**Centesimi, sexagesimi, & trigesimali fructus nomine quid intelli-
 gatur.** 506. an. 18. col. 1.
Centurio quo sensu dixerit Christum solo verbo posse sanare.
 455. an. 15. col. 1.
Centurio vtrum fide leprosum superauerit. 460. annotatione 23.
 col. 1.
Centurio Iudæus ne, an Gentilis fuerit. 448. annotatione 1.
 col. 1.
Centurio credit Christum esse Deum. 455. annotatione 16.
 col. 1.
**Centurio quomodo Christum roget, vt veniat, si iam venien-
 tem precetur, vt non accedat.** 450. an. 4. col. 1.
Centurionis historia a Mathæo copiosius tractata quam a Luca.
 460. an. 24. col. 1.
Centurionis fides quatuor modis magna fuit. 458. annotatione 21.
 col. 1.
**Centurionis comparatio de suorum subditorum obedientia qua-
 lis sit, & quare ea vsus.** 456. an. 18. col. 1.
Centurionis modestia, & prudentia. 455. an. 15. col. 2.
**Centurionis fides, quare cæterorum Israelitarum fidei sit præpo-
 sita.** 458. an. 22. col. 1. & 2.
Centurionis virtutes a sanctis patribus commendatæ. 453. an. 12.
 col. 1.
**Centurioni puer ille, pro quo Christum orabat, aliquot de causis
 carus erat.** 449. an. 2. col. 1.
Christi clementia, ac benignitas. 487. an. 66. col. 1.
Christi, & Ioannis baptismus, in quibus conueniant. 258. an. 35.
 col. 1.
Christi patria secundum Mathæum, quæ fuerit. 353. annot. 30.
 col. 1.
Christi, ac parentum eius paupertas. 188. com.
Christi regnum optime cornu comparatur. 138. an. 146. al. 147.
 col. 2.
Christi passiones naturales, & supernaturales fuisse. 285. annot. 6.
 col. 1.
**Christi conceptio cur toti Trinitati non tribuatur, sed Spiritui san-
 cto.** 90. an. 99. col. 2.
**Christi matrem, non Christum, beatificant illa verba: Beatus ven-
 ter, &c.** 698. com.
**Christi anima eodem temporis instanti, quo caro Christi organi-
 zata est, creata, & infusa, & illi carni vnita.** 90. com.
**Christi duo officia fuerunt, Redemptoris nimirum, seu Saluatoris,
 & Doctoris, seu Magistri.** 643. com. & an. 37. col. 1. & 2. & 644.
 an. ead. col. 1.
**Christi aduentus quis significetur illis verbis: Qua hora non pu-
 ratis filius hominis veniet.** 782. an. 69. col. 1.
Christi munus, ad quod venit, proprium. 787. com.
**Christo, Elia, & Moyse in nubem inrarrantibus, cur discipuli timue-
 rint.** 593. an. 76. col. 2.
Christo quare nunciatum fuerit matrem, & fratres adesse. 518. an.
 38. col. 1.
Christo vt homini, reuelatio de ipso facta cur fuit beneficium.
 643. an. 35. col. 1.
**Christum fuisse baptizatum initio anni trigesimali, quomodo probe-
 tur.** 273. an. 55. col. 2.
Christum vix inuenit, qui parentum affectui indulget. 217. an. 72.
 col. 2.
**Christum demissis oculis solitum concionari asserentes refellun-
 tur.** 398. an. 26. col. 1.
Christum sequi quomodo intelligatur. 577. an. 47. col. 1.
**Christum veram matrem, & veram carnem habuisse cur probetur
 etiam illis verbis: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei,
 &c.** 699. an. 63. col. 1.
Christum negare ore, dummodo non corde licitum esse, qui asse-

ruerint. 739. an. 16. col. 1.
Christum cur alii Ioannem putauerint, alii vnum ex prophetis.
 570. an. 36. col. 1.
Christum quare ore, & corde teneamur confiteri. 739. annot. 16.
 col. 1.
Christum opere etiam confiteri quomodo teneamur. 739. an. 16.
 col. 1.
**Christum non sequentes, sed ipsi aduersarii, in nomine tamen
 Christi quinam dæmonia eiecerint.** 686. annotatione 41. co-
 lumna 1.
Christum quo pacto anxium reddebat mors futura. 789. com. & 2.
 80. col. 1.
**Christum cur interrogauerit Petrus Luc. 12. his verbis: Domine,
 ad nos dicis hanc parabolam, &c.** 782. an. 70. col. 1.
**Christum quando negauit Petrus, an blasphemauerit, seu dixerit
 verbum in Filium hominis.** 752. annotatione 23. columna se-
 cunda.
**Christus quoties illam sententiam: Qui dixerit verbum in filium
 hominis, &c. protulerit & eiusdem cum superioribus verbis
 connexio.** 752. an. 23. col. 1.
**Christus quomodo venisse dicatur non pacem, sed separationem
 missurus.** 790. an. 81. col. 1.
**Christus quomodo, & cur in suo secundo aduentu sponso compa-
 retur.** 780. com. & an. 65. col. 1.
**Christus cum caput sit Ecclesie triumphantis, & militantis, quam
 ad vtramque rationem habeat.** 780. annotatione 65. columna
 prima.
Christus cur aliquando interrogatione vsus sit. 783. com. 784. an.
 73. col. 1.
**Christus cur in Euangelio dicitur transiens ministraturus; & cur
 se præcincturus.** 781. commento, & annotatione 66. colum-
 na prima.
**Christus cur Luc. 12. quem prius dispensatorem, postea seruum ap-
 pellat.** 784. com.
Christus cur aduentus sui diem furis aduentui comparet. 782.
 commento.
**Christus an verbis illis: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid
 manducetis, &c. prohibuerit curam victus ac vestitus, aut aser-
 uari cibos in posterum.** 766. an. 44. col. 1.
Christus cur parabolis fuerit vsus. 758. com.
**Christus, cum, quia Deus erat, potestatem super omnes haberet,
 quomodo potestatem suam in hæreditate diuidenda negauit.**
 755. an. 26. col. 1. & an. 27. col. 1.
**Christus cur de diuisione hæreditatis inter fratres rogatus interro-
 gatiue responderit.** 754. com. & an. 26. col. 2.
Christus vitæ puritatem in Ioanne commendat. 472. annotat. 43.
 col. 1.
Christus qualiter manus Nazaræorum euaserit. 314. annotatio.
 50. col. 1.
Christus quare inconsultis Maria, & Ioseph remanserit in templo.
 274. an. 69. col. 2.
Christus in stabulo animalium natus est. 163. annotatione 10.
 col. 1.
Christus cur noluerit de lapidibus panes facere. 289. annotat. 13.
 col. 1.
Christus quos iustos vocare non uenerit. 370. an. 63. col. 1. & de
 eo Parrum sententiæ. ibid.
Christus merito famis mentionem facit, quæ tempore Elisei fuit.
 312. an. 46. col. 1.
**Christus quare prius animæ peccata remisit, quam corpori sani-
 tatem contulerit.** 357. an. 38. col. 1.
Christus cur semetipsum filium hominis vocauerit. 363. annot. 45.
 col. 2.
**Christus cur rogauerit nauem a terra reduci, qui non rogauit, vt
 eam ingrederetur.** 334. an. 3. col. 2.
Christus quibus de causis orauerit. 392. an. 16. col. 1.
**Christus dum cordium cogitationes cognouit, diuinam in se ha-
 bere virtutem insinuauit.** 360. an. 42. col. 1.
**Christus interrogans, quis me tetigit, vtrum ex ignoratione hoc
 dixerit.** 543. an. 93. col. 2.
**Christus quare leproso præceperit, ne miraculum factum manife-
 staret.** 349. an. 24. col. 1.
Christus cur leproso præceperit, vt se sacerdoti ostenderet. 350.
 an. 25. col. 11.
**Christus baptizatus aqua a Ioanne, Ioannem baptizauit in Spi-
 ritu sancto.** 270. an. 52. col. 1.
**Christus non necessitate, sed voluntate parentibus obediebat in
 rebus communiibus.** 215. an. 69. col. 1.
Christus quorsum post baptismum orauit. 266. annotatione 46.
 col. 1.

Christus quare leprosum tetigerit, cum id lege prohiberetur, 346. an. 21. col. 1.
Christus pluribus de causis paupertatem commendat, 400. an. 27. col. 2.
Christus puer cum inter doctores federet, cur interrogatione vsus sit. 218. an. 27. col. 1. & 2.
Christus cur circumcidi voluerit. 179. an. 30. col. 1.
Christus cur pastorem, non autem Scribis, aut Phariseis, aliisve nobilibus natiuitatem suam annuneiari voluerit. 166. an. 14. col. 1.
Christus cur Spiritu sancto plenus dicatur. 282. an. 1. col. 1.
Christus cur non indigerit circumfisione, nec sub circumfisionis signo fuerit comprehensus. 179. an. 30. col. 2.
Christus cur reliquarum beatitudinum, quarum apud Matthæum meminit, hic nullam mentionem faciat. 402. annotat. 49. al. 29. col. 1.
Christus quare mercedis nomine vsus sit. 404. an. 31. col. 1.
Christus ratione humanitatis benedictus dicitur. 115. annot. 119. col. 1.
Christus variis de causis Spiritu sancto agi, & duci dicitur. 283. an. 2. col. 2.
Christus fructus ventris vocatur, vt vera eius caro indicetur contra blasphemiam Phariseorum, & reliquorum hæreticorum. 115. an. 119. col. 2.
Christus, vt alios instrueret, propriam deseruit matrem. 215. anno. 69. col. 2.
Christus mirabilis in verbis, & operibus. 315. an. 51. col. 1.
Christus dicendo paralytico (Surge) an se Deum esse voluerit probare. 362. an. 44. col. 1.
Christus multoties sanitatem contulit ægrotis ob petentium fidem. 356. an. 36. col. 1.
Christus homo obediens patri debebat, non matri, nec legi, & quare. 225. an. 84. col. 2.
Christus cur inter ludæos pastorem, inter Gentes Regibus primum annuncietur. 166. an. 14. col. 2.
Christus cur opera patris ea vocet, quæ ipse vt Redemptor exercebat. 223. an. 81. col. 1.
Christus quare præcipiat inimicos diligere, & odientibus benefacere. 413. an. 43. col. 1.
Christus perfectissimam dilectionem insinuat. 421. annotation. 51. col. 1.
Christus cur ieiunare voluerit. 285. an. 6. col. 2.
Christus an fuerit primogenitorum lege comprehensus. 185. an. 36. col. 1.
Christus risisse nusquam legitur in Euangelio. 407. annotatione 35. col. 2.
Christus nomine Saluatoris intelligitur. 196. an. 48. col. 1.
Christus cur quem a legione dæmonum liberauerat, secum ire non permisit. 538. an. 83. col. 1.
Christus qua ætate baptizatus fuerit, tripliciter Patres sentiunt. 272. an. 55. col. 1.
Christus sine opera matris, ac obstetricis egressus est. 162. anno. 8. col. 2.
Christus quare Gentium lumen, & Hebræorum gloria dicatur. 197. an. 50. col. 1.
Christus cur hominibus paucis, & non plurimis statim innotescere voluerit. 165. com. 1.
Christus variis de causis a sexto mense natiuitatis Ioannis conceptus est. 37. an. 40. col. 2.
Christus cur dæmoni silentium imposuerit. 320. annotatione 60. col. 1.
Christus secundum carnem ex sola matre substantiam accepit. 206. an. 57. col. 2.
Christus quare panes multiplicandos propriis manibus accepit. 567. an. 30. col. 1.
Christus cur non dicatur regnaturus in domo Abrahamæ, aut Isaac, sed in domo Iacob. 81. an. 90. col. 1.
Christus cur voluerit baptizari, varias dant rationes sancti Patres. 265. an. 45. col. 1.
Christus cur primo dæmonem permisit loqui, quem postea prohibuit. 321. an. 60. col. 1.
Christus quo anno Augusti natus sit. 157. com. 2.
Christus cur mensẽ Martium ad suam conceptionem elegerit. 35. an. 38. col. 1.
Christus cur quid de se discipuli sentiunt, exquirat. 571. an. 37. col. 1.
Christus cur tres tantum discipulos secum assumpserit in montem. 582. an. 54. col. 1.
Christus pastor vocatur. 36. an. 38. col. 1.
Christus iustus, & iustificans. 36. an. 38. col. 1.
Christus discipulos suos defendens, Ioannis non damnat. 374. ann. 68. col. 1.
Christus quare a Spiritu sancto vnctus dicatur, & non a Patre, & Filio. 302. an. 31. col. 2.
Christus vt homo, & vt Deus est, potest considerari. 95. an. 105. col. 1.
Christus longe aliter, quam homines magnus est. 76. annotat. 87. col. 1.
Christus solus Ecclesiæ Rex est, Pontifices, & prælati vicarij solum sunt. 81. an. 90. col. 2.
Christus quomodo dicatur conceptus de Spiritu sancto, vnde sensus articuli fidei intelligitur. 89. an. 98. col. 1.
Christus quamuis nunc in Ecclesia regnet, tamen post seculi finem perfectus regnaturus est. 82. an. 91. col. 1.
Christus quomodo, & de Bethlehem, & de Nazareth fuerit. 44. an. 51. col. 2.
Christus vt Deus, quatuor ob causas filius Dei est. 95. annot. 105. col. 1.
Christus quinque de causis carnem de virgine sumere voluit. 47. an. 54. col. 1.
Christus omnibus modis sanctissimus fuit. 95. an. 104. col. 2.
Christus tribus modis legem impleuit. 42. an. 49. col. 1.
Christus cur vermis sit dictus. 105. an. 111. col. 1.
Christus cur in Abraham non sit decimatus. 85. annotatione 95. col. 2.
Christus cur de Virgine desponsata nasci voluerit, varias Doctores causas assignant. 47. an. 55. col. 1.
Christus e Virgine desponsata nasci voluit, vt dæmonibus celaretur. 48. an. 55. col. 1.
Christus, quomodo seminator vocetur. 501. an. 10. col. 2.
Christus conceptus fuit in æquinoctio verno, & Ioannes in æquinoctio hiemali. 33. an. 36. col. 1.
Christus vt homo, & vt Deus est, filius Dei est. 95. annotat. 105. col. 1.
Christus quare ex rationibus allatis inimicorum, & non amicorum dilectionem commendat. 425. an. 58. col. 1.
Christus a quo dicatur in manus hominum tradendus. 606. an. 105. col. 1.
Christus vt homo habuit dominum, & potestatem supremam in omnes creaturas. 535. an. 76. col. 1.
Christus cur sine viri copula conceptus sit. 85. an. 95. col. 1.
Christus num de corporis, an vero de mentis auribus loquatur. 506. an. 18. col. 1.
Christus tribus de causis loculum tetigit. 463. annotatione 30. col. 1.
Christus cur etiam Euangelium prædicare voluerit non parituris. 505. an. 16. col. 1.
Christus sanctitas superexcellens. 95. an. 304. col. 1.
Christus Ioannis stabilitatem, constantiamque commendat. 471. an. 42. col. 1.
Christus cur voluerit Moysen, & Eliam adesse in sua transfiguratione. 586. an. 64. col. 1.
Christus quomodo in parabolis locutus sit Iudæis, vt videntes non viderent. 507. an. 21. col. 1.
Christus quare absentibus discipulis Ioannem laudauerit. 470. an. 40. col. 1.
Christus suscitaturus puellam, cur manum eius tenuerit. 550. an. 107. col. 2.
Christus cur præcepit mysterium Transfigurationis celari vsque post resurrectionem. 598. an. 85. col. 1.
Christus cur non miserit Apostolos in Iudæam. 625. annotat. 6. col. 2.
Christus quorsum illis verbis vsus est, (Inter natos mulierum.) 475. an. 49. col. 1.
Christus quare Apostolis virgam prohibuerit. 557. annotatione 7. col. 1.
Christus futuræ tempestatis præscijs quare obdormiuit. 521. an. 43. col. 1.
Christus vere dormiebat inter nauigandum, sed aliter quam nos. 521. an. 43. col. 1.
Christus cur eos, qui verbo Dei obediunt, non patrem, sed matrem & fratres appelleret. 519. an. 40. col. 1.
Christus cur multiplicatus panes in cælum suspexerit. 567. an. 31. col. 1.
Christus cur tempestatem maris permisit. 521. annotatione 46. col. 1.
Christus cur cum puellam suscitaret, omnes inde, præter quinque ei eiecerit. 550. an. 107. col. 1.
Christus per cucurbitæ radicem arefactam significatur, qui veterem legem aboleuit. 105. an. 111. col. 1.

Christus vnica persona diuinam, & humanam habens naturam, modo ratione vnus loquitur, modo ratione alterius. 647. an. 42. col. 2.
Christus, præterquam quod ratione vnionis ad Verbum peccati expertus fuerit, etiam plane sanctam habuit conceptionem. 88. annot. 97. col. 1.
Christus in Ecclesia, quæ est domus Iacob, regnat modo particulari, quod comparatione ostenditur. 81. an. 90. col. 1.
Christus quos coram Patre confiteatur. 739. an. 15. col. 1.
Christus cur discipulos præmiserit. 623. an. 3. col. 1.
Christus a Scribis, & Phariseis legis transgressor repurabatur. 649. com.
Christus quo argumento probet Luc. 11. Deum petentibus tantum bona concedere. 679. com. & 680. an. 28. col. 2.
Christus cur cum Apostolos mitteret, ipsis non diceret (ecce ego mitto vos, &c.) sed discipulis reliquis solum dixerit. 625. an. 6. col. 1.
Christus quamobrem a Gerarfenis discesserit. 537. an. 81. col. 1.
Christus varias ob causas voluit a dæmone tentari. 284. annot. 5. col. 1.
Christus etiam ante ascensionem Dei filius vocatus est. 77. an. 88. col. 2.
Christus quando, & quibus verba hæc dixerit: Beatius est dare, quam accipere, non inuenitur. 719. an. 96. col. 2.
Christus quomodo tortor dicitur, & quid fecerit aduersus Dæmonem fortem. 690. an. 53.
Christus cur Nazareth infidelibus miracula negauerit, qui Capharnaitis non credituris ea concessit. 310. annotat. 43. col. 2.
Christus vtrum solam paralytici fidem, an portantium respexerit. 355. an. 36. col. 1.
Christus quomodo hic Apostolis pecuniam prohibeat, quam alias concessit. 558. an. 9. col. 1.
Christus cur sexto mense à conceptione Ioannis concipi voluerit. 37. an. 40. col. 1.
Christus duas ob causas de Spiritu sancto secundum carnem dicitur conceptus. 89. an. 98. col. 1.
Christus quorsum Samaritanis miserit nuncios. 613. annot. 119. col. 1.
Christus plures ob causas huius viduæ miserus est. 462. an. 29. col. 1.
Christus quare mulierem hæmorrhoidalem vocet filiam, & quantum eius fides apud Christum valuerit. 545. annotat. 98. col. 1.
Christus Regiam potestatem habuit ab instanti incarnationis. 97. an. 89. col. 2.
Christus lumine Euangelij vmbra legis, & tenebras gentium dispulit. 36. an. 38. col. 2.
Christus ter hac similitudine vsus est in Euangelio (non est arbor bona, &c.) 441. an. 81. col. 1.
Chusæ vxor Ioanna de consensu mariti Christum sequuta. 500. an. 7. col. 1.
Chrysostronus cur hunc paralyticum Lucæ contendat non esse eundem cum illo Ioannis 5, 354. an. 34. col. 1.
Ciborum multitudo taxatur illis verbis (Porro vnum est necessarium) 660. com.
Cibos multiplices providere cum maius sit, quam corpus augere, cur tamen hominum respectu minus appareat illud opus, quam istud. 768. an. 49. col. 1.
Cingulorum, seu præfectorum genera quot legantur in Scriptura. 777. an. 62. col. 2.
Cingulum quodnam præcipue intelligatur in illis Domini verbis: sunt lumbi vestri præcincti, 778. an. 62. col. 2.
Circumcisio antiquitus non in Synagoga, sed in domibus, vbi natus erat infans, solebat fieri. 129. annotat. 137. columna 1.
Circumcisio cur octaua die fieret. 130. an. 138. col. 1.
Ciuitas Iuda, in quam abiit B. Virgo quæ sit, varie Doctores sentiunt. 111. an. 116. col. 1.
Ciuitas illa, in qua mulier peccatrix cum alabastro ad Christum accessit, quænam fuerit. 482. an. 61. col. 1.
Ciuitatis nomine non metropolis Tribus, sed illa significatur, in qua alicuius familiaris caput habitabat. 159. annot. 2. col. 2.
Clamor in puero illo Lunatico, & ad dæmonem, & ad puerum potest referri. 600. an. 90. col. 1.
Clavis scientiæ quæ sit. Luc. 11. 725. com. & an. 102. col. 1.
Clementia, & mansuetudine summa cur responderit Christus calumniantibus, ipsum in Beelzebub eijcere dæmonia. 184. annot. 37.
Clementia, ac benignitas Christi. 487. an. 66. col. 1.

Cœnæ, in qua ministrabit Dominus Beatis triplex qualitas. 781. com.
Cogitatio quid significet. 609. an. 109. col. 1.
Cognatio inter B. Virginem, & Elisabeth multis modis à Catholicis Doctores explicatur. 99. an. 108. col. 2.
(Cognosco) omne tempus complectitur. 84. an. 94. col. 2.
Columba, quæ Spiritus sancti signum erat, quare super Christum descenderit. 267. com. 2.
Columba ex doctrina Aristotelis fel exiguum habet. 268. annot. an. 48. col. 2.
Commendatio, qua apud Lucam Christus legisperito dixit (Recte respondisti) quid effecerit. 653. an. 55. col. 2.
Commodandi verbum ad quæ proprie referatur. 675. annot. 19. col. 1.
Communicatio cum peccatoribus quomodo, & quando licita. 369. an. 62. col. 1.
Compassio aliquando virtus est, aliquando non. 149. annot. 161. col. 2.
Compassionis affectio B. Virginis dolorem corporeum longe excessit. 206. an. 57. col. 1.
Conceptio factus in generatione naturali quot diebus communiter perficiatur. 88. an. 97. col. 2.
Conceptio, ac Natiuitas Christi commendatur verbis illis. Beatus venter, &c. 698. com.
Conceptio Ioannis Baptistæ mirabilior fuit conceptione Isaac. 16. an. 12. col. 1.
Conceptio Christi in æquinoctio verno fuit, Ioannis vero in hiemali. 33. an. 36. col. 1.
Conceptio Christi quid ex superuentione Spiritus sancti, & ex Altissimi obumbratione habuerit. 96. an. 106. col. 1.
Conceptio Ioannis Zachariæ nunciata antequam fieret: Christi vero Iosepho, postquam facta esset, & quare. 73. annotat. 84. col. 1.
Conceptio Christi quomodo differat à conceptione B. Virginis, & Ioannis Baptistæ. 94. an. 103. col. 1.
Conceptio Christi cur Spiritui sancto tribuatur, cum sit opus totius Trinitatis. 89. an. 98. col. 1.
(Concipies) quam vim habeat. 69. an. 80. col. 1.
(Concipies) quatuor hæreses confutantur. 69. an. 80. col. 2.
Conclusa, & sterilis in quo differant. 101. an. 109. col. 1.
Concordia Euangelistarum de spiritu, à quo Christus in desertum ductus est. 283. an. 2. col. 1.
Concordia Euangelistarum de morte filii Archisynagogi. 540. an. 89. col. 1.
Concordia Euangelij cum historia libri 1. Reg. de comestione panum p. oppositionis Davidis 386. an. 5. col. 1.
Concordia scripturæ de præcepto Diligendi Deum. 651. annot. 51. col. 1.
Concupiscentiæ motu prorsus carere homo non potest, non consentire vero, nec secundum eam ambulare potest per gratiam. 651. an. 50. col. 2.
Condemnatio quot modis fieri possit. 705. an. 74. col. 2.
Condonatio qualis debeat esse, & quid à debitoribus repetendum. 432. an. 68. col. 1.
Confessio Christi, quo modo, & quid sit. 640. com. & columna 2.
Confessio in Scripturis quotuplex legatur. 640. annotat. 30. col. 1.
Confidentia quædam erga Christum, quæ in Martha fuit, perfectis quibusdam sanctæ Ecclesiæ operarijs quare conueniat. 659. an. 69. col. 2.
Consistendi triplex modus in Scriptura. 210. annotat. 62. col. 1.
Confiteri Christum quomodo ore, & corde teneamur. 739. an. 16. col. 1.
Conformitas humanæ voluntatis Christi cum Diuina in quo exprimitur. 643. an. 36. col. 1.
Confortari, & crescere spiritu quomodo differant 154. an. 166. col. 1.
Confutatio errorum variorum circa illa Domini verba: Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, &c. 703. an. 71.
Congrulari alicui quid sit. 129. an. 136. col. 1.
Connexio, & ordo tempestatis, qua discipuli iactati fuere, ostenditur. 524. an. 51. col. 1.
Contentum B. Virginis quare requisierit Deus. 107. annot. 112. col. 2.
Consideratio duplex columbæ, & paternæ vocis. 268. annot. 49. col. 1.
Consolatio Israel à Simeone prædicta quænam fuerit. 191. annot. 40. col. 1.
Coniunctio vetus lauandi pedes hospitem. 489. an. 70. col. 1.

Con-

Confectudo scripture cur sit post generale explicare particulare. 747. an. 19. col. 1.
 Continentium vita cur plerumque (vt ait Greg.) secularium actione confundatur. 655. an. 60. col. 2.
 Contumelia quid sit, & quomodo a conuicio differat. 716. an. 92. col. 1.
 Contemplatio Dei, quæ in altera etiam vitæ perdurat, fuit pars Mariæ. 661. an. 73. col. 1.
 Conuersio gentium, & repulsa Iudæorum indicatur. 104. an. 11. col. 2.
 Conuersio mulieris peccatricis plurima continet admiratione digna. 484. an. 64. col. 1.
 Conuicium, & contumelia qui differant. 716. an. 92. col. 1.
 Copula non est de substantia matrimonij. 49. an. 56. col. 2.
 (Coram Domino adfite) quid sit. 30. an. 31. col. 1.
 Coram Domino, variè explicatur. 22. an. 20. col. 1.
 Cor terræ quid dicatur apud Marthæum. 704. an. 72.
 Cor aliquando pro mente, aliquando pro voluntate accipitur in scriptura. 651. an. 51. col. 1.
 (Corda patrum conuocare ad filios) quid significet. 28. an. 26. col. 1.
 Corde bono & optimo verbum retinentes qui dicantur. 514. an. 30. col. 1.
 Corde, voce, & opere Deus magnificatur. 119. an. 124. col. 2.
 Cornu salutis cur Deus erexerit, plures dantur causæ. 141. com. 1. com. 2. & 142. com. 2.
 Cornu salutis ecclesiasticam potest significare potestatem. 139. an. 146. al. 147. col. 2.
 Cornu salutis quid dicatur. 138. an. 146. al. 147. col. 1.
 Cornu aliquando pro interitu ponitur. 138. an. 146. al. 147. col. 2.
 Cornu in scriptura pro potentia & robore sumitur. 138. an. 146. al. 147. col. 1.
 Cornu pro Regia potestate cur vsurpatur. 138. an. 146. al. 147. col. 1.
 Cornu illud modicum à Daniele visum Antichristi potestatem denotat. 138. an. 146. al. 147. col. 2.
 Corporis ablutio animam non lauat, vt male putant Iudæi. 711. com.
 Corpus pro quo accipitur ibi: si ergo corpus tuum lucidum fuerit, &c. 11. 709. an. 81.
 Corpus, quod ab Angelis assumitur, quale sit, & quomodo fiat. 54. an. 62. col. 2.
 Corpus ieiunio, anima oratione Deo seruit. 209. com. 3.
 Corpus Luc. 11. significatur per id, quod deforsis est; anima vero per id, quod intus est. 713. an. 87. col. 2.
 Corpus augere cum minus sit respectu Dei, quam nutrire, cur tamen maius illud appareat, quam illud. 768. an. 49. col. 2.
 Correctio quomodo differat a contumelia, & conuicio. 716. an. 92. col. 1.
 Correlatiua simul esse necessarium est. 656. an. 62. col. 1.
 Corui quomodo Eliam pauertine tempore famis. 768. an. 48. col. 1.
 Corui natura ex Aristotele. 767. an. 48. col. 2.
 a Coruis cur exemplum sumperit Dominus Luc. 12. vt Discipulos a cibi felicitate amoueret. 768. an. 48. col. 2.
 Coruorum cur potius, quam aliorum altitudo mentio fiat. Luc. 12. dum dicitur: Considerate coruos, &c. 767. an. 48. col. 1.
 Creatio Patri, sanctificatio Spiritui sancto tribui solet, licet opus sit totius Trinitatis. 92. an. 100. col. 2.
 Crescere, & confortari spiritu quomodo differant. 154. an. 166. col. 1.
 Ciimen incredulitatis admisit Zacharias, querendo ab Angelo modum, & signum, quo sibi filius nasceretur. 29. an. 29. col. 2.
 Crucem tollere quid sit. 577. an. 46. col. 1.
 Crudelitatem prætereuntis, in illo Lucæ (Homo quidam descendebat de Hierusalem &c.) quomodo exprimat Christus. 654. com.
 Cubiti cur meminerit Dominus ibi Luc. 12. quis autem vestrum cogitando &c. 768. an. 49. col. 1.
 Cucurbita radice arefacta significatur Christus, qui veterem legem aboleuit. 105. an. 111. col. 1.
 Culpam originale quomodo homines contrahunt, & Christus quomodo eam non contraxerit. 85. an. 95. col. 1.
 Culpæ grauitas eorum, qui non suscipiunt Euangelium. 560. an. 15. col. 2.
 Culpæ reus efficitur nemo peccato alterius. 722. an. 98. col. 1.
 Culpæ, & peccati ratio vnde magis attenditur. 696. an. 61. col. 2.

Curæ, seu prouidentia, & sollicitudo quomodo differant. 765. an. 44. col. 2.
 Cyrinus Syriæ Præses Iudæam cum Syria descripsit. 158. com.

D

DAEMON quomodo, & vbi ligatus dicatur a Christo, & qualis fuerit hæc alligatio variè sententiæ. 690. 691. & 692. an. 54.
 Dæmon qui vni peccato præest, cur in tentando adiuuetur ab alio, qui alteri præsit peccato. 695. an. 59. col. 2.
 Dæmon quomodo armatus dicatur, & fortis, ibi (cum fortis, armatus &c.) 688. com. & 689. an. 48.
 Dæmon vbi dicatur non inuenire requiem. 694. an. 57. col. 1.
 Dæmon unus alterum expellere quot modis possit. 682. an. 34. col. 1.
 Dæmon qua ratione tentauerit obscurare Virginitatem Deiparæ. 103. an. 111. col. 1.
 Dæmon quando hominem dicatur arripere. 531. an. 65. col. 2.
 Dæmon pluribus de causis dicitur Christo, (line). 318. com. 2. & 319. com. 2.
 Dæmon quid significet. 316. an. 53. col. 1.
 Dæmon quomodo tentet. 286. an. 6. col. 1.
 Dæmon cur in corpora humana seruiat. 317. an. 54. col. 1.
 Dæmonis domus quæ dicatur. 689. an. 49. & quod eius atrium. p. eadem. an. 50.
 Dæmonis vasa quæ sint. 690. an. 51. col. 1. & 2. & quæ eiusdem spolia. p. eadem. an. 52.
 Dæmonis regnum quomodo adhuc duret, nec omnino sublatum sit per Christi regnum. 688. an. 46. col. 1.
 Dæmonis confessio de Christo qualis. 529. an. 60. col. 1.
 Dæmonis mendacium detegitur. 293. an. 18. col. 1.
 Dæmoni nomen Satan, quod aduersarium significat, quomodo approprietur. 685. an. 39. col. 2.
 Dæmone vexari non semper sunt in peccato. 695. an. 59. col. 1.
 Dæmone possideri quot modis possit aliquis. 695. annotat. 59. col. 1.
 Dæmones occultis de causis delectantur magis in vno, quam in alio loco. 533. an. 71. col. 1.
 Dæmones primo spoliunt hominem virtutibus, deinde peccatorum fauciant vulneribus. 654. an. 57. col. 1.
 Dæmones non omnes æqualiter peccarunt. 695. annot. 59. col. 2.
 Dæmones humana corpora ingredi certum est. 317. an. 54. col. 1. vbi reprehenditur eorum error, qui humoribus melancholicis id tribuunt. ibid.
 Dæmones vtrum nouerunt Christum esse Messiam. 328. an. 75. col. 1.
 Dæmones singuli, qui multos sub se inferiores habent, singulis præstant peccatis. 695. an. 59. col. 2.
 Dæmones alij alijs potentiores, sceleratiores, & nequiores sunt. 695. an. 59. col. 2.
 Dæmones cum mutuo se odio habeant, quomodo tamen sint concordēs. 695. an. 59. col. 2.
 Dæmones non omnes ad omnia peccata tentant. 695. an. 59. col. 1.
 Dæmones ter Iesum confessi numquam Christum vocarunt. 327. an. 74. col. 1.
 Dæmones multipliciter cruciantur. 529. an. 61. col. 1.
 Dæmones an nouerint Christum esse Filium Dei. 328. an. 75. col. 1.
 Dæmones potestate in rectum finem à Deo sibi data abutuntur. 534. an. 74. col. 1.
 Dæmones nouisse Christum esse Filium Dei, ratione probatur. 329. an. 75. col. 1.
 Dæmones plures in vno homine esse possunt, & quare id Deus permittat. 532. com. 2.
 Dæmones cur duos illos homines à se possessos in sepulcris detinuerunt. 527. an. 57. col. 1.
 Dæmones cur in porcos ingredi petierint, & cur Christus id nisi petentibus permisit. 533. an. 72. col. 1. item. 534. an. 73. col. 1.
 Dæmones habent superiores, & inferiores, vt inter se homines, nec omnes habent æqualem virtutem. 681. com. 3.
 Dæmonia septem verè à Maria eiecia. 499. an. 6. col. 1.
 Dæmonia eiecia a Christo in principe dæmoniorum, cur fieri non poterat. 685. an. 40. col. 2.
 Dæmonia eiecia raro in infernum detruduntur. 694. an. 57. col. 1.

Dæmonia

Dæmonia nomen plurale, cur ponatur ibi: In Beelzebub principe dæmoniorum, &c.) 685. an. 40. col. 2.
 Dæmonia in inferno magis torquentur. 694. an. 57. col. 2.
 Dæmonia eiecere in principe dæmoniorum an quisquam possit. 682. an. 34. col. 1.
 Dæmonio aliquem corporaliter, & spiritualiter vexari quomodo contingat. 695. an. 59. col. 1.
 Dæmonium quomodo dicatur mutuum. 680. & an. 30.
 Dæmonium vnum ab altero expelli non potest sine diuisione, & ruina illorum regni. 685. an. 40. col. 1.
 Dæmonium, Luc. 11. quando eiecerit Christus, & an illud idem fuerit cum eo, de quo Matt. 9. 680. an. 29.
 Dæmoniorum, cum sint in statu damnationis, quæ sit requies. 694. an. 57. col. 2.
 Damnatis quænam maius inferant tormentum, quam ignis. 762. an. 39. col. 1.
 Damnatorum planctus, ac querimoniz, 762. an. 39. col. 1.
 (Daurum se nobis) difficulter explicatur ob varias Doctorum opiniones. 143. an. 153. col. 1.
 Dauid an solus, vel cum socijs fuerit, quando comedit panes propositionis. 386. an. 6. col. 1.
 Dauid quomodo ab Irenzo sacerdos dicatur. 386. an. 4. col. 1.
 Dauid duas ob causas puer vocatur. 138. com. 1.
 Debita nostris debitoribus a nobis dimitti cur velit Deus, prius quam ipse nobis dimittat, & vbi alias idem præcepit. 671. an. 14.
 Debita, id est, peccata in orat. dom. cur non prius nobis dimitti, quam victum quotidianum petamus. 670. an. 13. col. 1.
 Debitis quinam maioribus Deo obligentur. 787. com. & an. 77. col. 1.
 Debitorum dimissionis petitionem, qua lege Dominus coarctauerit. 671. com. & an. 14.
 Debitorum nomine in orat. dom. quid significetur. 670. com. & an. 13. col. 2.
 Decimarum minutorum, vt mentæ, rutæ, &c. an fuerint lege præceptæ. 715. an. 90.
 Decimarum mentionem, in minimis quidem, sed bene olentibus, cur fecerit Christus. Luc. 11. 715. an. 89. col. 2.
 Decimare quid significet ibi: Qui decimatis mentam, & rutam, &c. Luc. 11. 714. com. & an. 89. col. 1.
 Dei miracula, quibus mundum regit, cur homines non mirentur. 769. an. 49. col. 1.
 Dei misericordia erga diuitem illum Luc. 12. vnde appareat. 763. an. 41. col. 1.
 Dei actores in hominum iudicio sunt Angeli. 763. com.
 Dei nomen sanctificare quid sit. 666. com.
 Dei voluntas quænam semper impleatur, quæ vero non semper. 668. an. 9. col. 1.
 Dei largitas erga iustos precantes. 21. an. 19. col. 2.
 Deipara, nec ante conceptionem filij, nec post partum eius, mensura passa est. 185. an. 35. col. 1.
 Deipara non fuit comprehensa lege purificationis. 183. an. 35. col. 1.
 Deipara cur plusquam martyr fuerit. 206. an. 57. col. 1.
 Deipara inter cruciatus Christi semper integra sensibus permansit. 206. an. 57. col. 1.
 Deipara quid crediderit, & quid ab Angelo interrogauerit. 83. an. 93. col. 1.
 Deipara quando in montana abierit. 109. an. 115. col. 1.
 Deiparæ responsum variè exponunt patres. 107. an. 112. col. 1.
 Deiparam, moriente Christo, in fide dubitasse asserentes reijciuntur. 204. an. 56. col. 2.
 Deiparam dolore mortuum reuixisse non est temere, & sine auctoritate asserendum. 206. an. 57. col. 1.
 Deo in lege Evangelica coram ipso seruimus. 145. com. 1.
 Deo, cum sit omnium dominus, facere licet quodcumque vult absque vlla iniustitia. 640. an. 31. col. 2.
 Deo diues quis dicatur, & quid sint diuitiæ in Deum. 363. com. & 764. an. 43. col. 1.
 Deos duos Hæretici quidam slexerunt. 722. an. 98. col. 2.
 Deum alium noui, alium veteris testamenti esse qua Euangelij sententia probauerit Marcion hæreticus. 755. col. 1.
 Deum tentare quid sit. 296. com. 4.
 Deum, & verbis, & factis magnificamus. 119. an. 124. col. 1.
 Deum carnem de muliere assumere quatuor de causis conuenientissimum fuit. 46. an. 53. col. 1.
 Deum diligere corde, anima, viribus, & mente, quid sit. 650. an. 49. col. 1.
 Deum quis sanctificet. 666. an. 6. col. 2.
 Deum accedentibus, vt oremus, quid nobis faciendum. 975. com.

Deum Patrem Christi non esse Deum veteris testamenti, sed alium, quomodo probabat Marcion. 646. an. 42. col. 1.
 Deus cur Deus Israel voluerit appellari. 136. an. 145. col. 1.
 Deus quomodo hominem magnificet. 119. an. 124. col. 1.
 Deus inducere in tentationem quomodo dicatur. 673. an. 15. col. 1.
 Deus cur dicatur pater in cælo, & de cælo. 679. an. 28. col. 1.
 Deus qua ratione a Iudæis; qua vero a Gentibus sanctificabatur. 666. an. 6. col. 2.
 Deus tribus modis respicere dicitur. 121. an. 126. col. 1.
 Deus quando castiget in quartam generationem. 717. annot. 94. col. 2.
 Deus si sacrificijs honoretur, cur misericordiam proximis exhibitam illis præferat. 372. an. 64. col. 1.
 Deus quare misericordiam sacrificio præferat. 372. annot. 64. col. 1.
 Deus corde, voce, & opere magnificatur. 119. an. 124. col. 2.
 Deus merito visitasse, & redemptionem plebis suæ fecisse dicitur. 136. com. 2.
 Deus quando maxime nos exaudiat; & si nobis exaudiri non videatur. 674. com. & 678. an. 26. col. 2.
 Deus quantam vim contulerit verbis matris suæ. 112. an. 117. col. 1.
 Deus aliquando etiam per malos & infideles operatur miracula. 611. an. 114. col. 2.
 Deus quomodo visitauerit plebem suam. 465. annotatio. 32. col. 1.
 Deus varijs de causis per veram generationem factus est homo. 71. an. 83. col. 1.
 Deus quomodo Angelis loquatur. 39. an. 42. col. 2.
 Deus cur in scripturis sæpissime Altissimus vocetur. 77. an. 88. col. 1.
 Deus quia nobis beneficia præstat, docemur & proximis benefacere. 429. an. 64. col. 1.
 Deus cum hominibus esse tripliciter dicitur in Scriptura. 61. an. 70. col. 1.
 Deus quatuor de causis noluit nouam carnem, quam assumeret, creare ex nihilo, sed iam creatam assumere. 46. an. 52. col. 1.
 Deus quare Virginis consensum requisierit. 107. an. 112. col. 2.
 Deus quæ, & quando in oratione petita neget. 678. com. & an. 26.
 Deus cur non per hominem, sed per Angelum Beatæ Virginis annunciationem miserit. 40. an. 44. col. 1.
 Deus aliter quam homines nomina imponit. 73. an. 84. col. 1.
 Deus cur potius virilem sexû, quam muliebrem assumpserit multæ causæ assignantur. 71. an. 82.
 Deus cur dæmones in humana corpora permittat intrare. 317. an. 54. col. 2.
 Deus inferioribus Angelis per superiores manifestat voluntatem suam. 41. an. 47. col. 1.
 Deus quo sine det alicui diuitias. 760. an. 36. col. 2.
 Demensum quid dicatur. 784. an. 72. col. 1.
 Descriptio misericordiz. 149. an. 161. col. 1.
 Descriptio orbis quando facta fuerit. 158. an. 1. col. 1. & 158. com.
 Descriptio hæc prima dicitur, quia nulla alia præcesserat. 158. an. 2. col. 1.
 Desertum, in quo ad Ioannem factum fuit verbum, quodnam fuerit. 234. an. 7. col. 1.
 Diabolus quomodo hac tentatione Christi diuinitatem explorauerit. 288. an. 24. col. 1.
 Diabolus in his tentationibus hominem, Angelum Lucis, & denique Satanam se ostendit. 288. an. 24. col. 1.
 Diabolus quo sine Christum tenuerit. 287. an. 9. col. 1.
 Diabolus quomodo potuerit regna orbis terræ ostendere. 291. an. 16. col. 2.
 Diabolus tribus hoc loco nominibus nuncupatus. 511. an. 25. col. 1.
 Diabolus cur in homines seruiat. 512. an. 27. col. 1.
 Diabolus qua ratione tollere dicatur verbum de cordibus audientium. 511. an. 26. col. 1.
 Diabolus vnde suspicatus sit Christum Deum esse. 287. an. 8. col. 1.
 Diaconos olim electos, qui pauperum ministerio incumbere pater Act. 6. 661. an. 72. col. 2.
 Dicta Sanctorum Patrum de responsione sancti Petri. 571. an. 38. col. 1.
 Dicta Patrum de hypocritis. 440. an. 79. col. 1.
 Dictum grauissimum Hilarij de sacræ Scripturæ lectoribus. 148. an. 160. col. 2.
 Diem Domini vidisse, & vidisse Dominum, multum differunt. 649. an. 45. col. 1.

Diem

Diem aduentus sui cur aduentui furis comparet Christus. 782. commento.
Dies purgationis quot fuerint. 183. an. 34. col. 1.
Dies Azymorum septem erant. 214. com. 2.
Diebus Herodis, pro tempore Herodis Hebraismus est. 9. ann. 1. col. 1.
Differentia multiplex inter baptismum Ioannis & Christi. 258. an. 35. col. 1.
Differentia inter superbos, & humiles. 107. an. 113. col. 1.
Differentia inter Christi, & ceterorum hominum gratiam. 228. an. 88. col. 2.
Differentia multiplex est inter sex illa missionum genera, quæ in Scriptura commemorantur. 38. an. 41. col. 1.
Differentia variæ baptismatum. 260. com. 1.
Difficultas duplex circa hæc verba (In quamcumque ciuitatem, &c.) & resolutio. 629. an. 14. col. 1.
Difficultas enata ex verbis Domini apud Lucam (Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, &c.) soluitur. 656. an. 62. col. 2.
Difficultas horum verborum (Quia Dominus &c.) ex verbis Marci soluitur. 387. an. 7. col. 1.
Difficultates duæ circa verba (Et dicebant, nonne hic est filius fabri?) tractantur. 308. an. 41. col. 1.
Digitus Dei quis intelligatur, ibi (si in digito Dei eiicio Dæmonia.) 687. an. 44. col. 1.
Dignitas duplex potest in Eucharistiam suscipiente considerari. 454. an. 13. col. 2.
Dilectio inimici latior, purior, & perfectior est dilectione amici. 411. an. 39. col. 1.
Dilectio amicorum num sit meritoria. 422. an. 57. col. 1.
Dilectio mulieris peccatricis quomodo intelligenda. 492. an. 75. col. 1.
Dilectio inimicorum quomodo sub præcepto fit. 427. an. 61. col. 1.
Dilectio inimicorum partim sub præcepto, partim sub consilio cadit. 410. an. 38. col. 1.
Dilectio a Deo præcepta omnibus excellentior. 409. an. 37. col. 2.
Dilectio, quæ in martyribus dolorem minuebat, in B. Virgine agebat. 206. an. 57. col. 2.
Dilectio non solo affectu, sed etiam effectu est exhibenda. 411. an. 34. al. 40. col. 1.
Dilectionis genus triplex. 423. an. 57. col. 1.
Dilectionum genera quatuor sunt. 409. an. 37. col. 1.
Diligere Deum toto corde, tota anima, &c. quid sit. 651. annot. 50. col. 1.
Diluuij aquæ vndecim mensibus durarunt. 35. an. 38. col. 1.
Diluuij aquæ mense martio intra suos antiquos terminos conclusæ fuerunt. 35. an. 38. col. 1.
Diluuium cur secundo mense anni, id est, in Aprili factum sit, pulchra ratio. 35. an. 38. col. 1.
(Dimittere contractos in remissionem) vnde sumptum sit, cum in Hebræo non habeatur. 303. an. 35. col. 1.
Dioscori impius error de duabus Christi naturis. 94. annotat. 102. col. 2. 1.
Dipondium quid sit. 735. an. 11. col. 1.
Discessus Dæmonis a puero, qui Lunaticus erat, quomodo intelligendus. 601. an. 92. col. 1.
Discipuli cur timuerint interrogare de verbo a Christo prolato. 608. an. 108. col. 1.
Discipuli quomodo ignorauerint verba Christi de sua morte loquentis. 607. an. 106. col. 1.
Discipuli vellentes spicas immerito arguuntur transgressionis legis. 384. an. 2. col. 1. & 2.
Discipuli cur audita voce (Tu es filius, &c.) in monte, timuerint, & non quando eandem in baptismo audierunt. 597. an. 84. col. 2.
Discipuli quales serui fuerint. 783. com.
Discipuli quare in faciem dicantur cecidisse. 597. annotatione 84. col. 1.
Discipuli tempestate perterriti quomodo ad Christum accesserint. 522. an. 46. col. 1.
Discipuli quomodo modicæ fidei a Christo arguantur. 523. an. 49. col. 1.
Discipulis cur potissimum (licet omnibus fidelibus communia sint) tradiderit Christus tria præcepta ad Regnum Dei, seu aduentum suum expectandum. 779. an. 64. col. 2.
Discipulorum fides quare ob Christi præsentiam non fuerit minor. 648. an. 44. col. 2.
Discipulos volentes igne cælesti ciuitatem Samaritanorum comburi, Christus increpat. 615. an. 123. col. 1.

Discipulos cur amicos vocauerit Christus. 731. com. & 732. an. 6. col. 1.
Discipulos suos Christus quo maxime beneficio volebat gaudere. 637. an. 25. c. 2. & p. 638. com.
Discipulos vt a cibi corporalis solitudine amoueret, cur coruorum exemplo vsus sit Dominus. 768. an. 48. col. 2.
Discipulus quis fuerit, de quo cap. 11. agitur, ibi (Vt cessauit, dixit vnus ex Discipulis, &c.) 664. an. 2.
Discussio in iudicio quatuorplex sit. 706. an. 77. col. 2.
Dispensatorem quem prius vocauit Christus Luc. 12. cur postea seruum appellat. 784. com.
Dispensatoris mali poena. 785. com. 2.
Dispensatoris mali vita, & mores. 785. com.
Dispensatoris munus quod fuerit. 784. an. 72. col.
(Disperdit superbos) triplicem B. Bonauentura adfert significationem. 124. an. 130. col. 1. & 2.
Dissidia feminare diabolus cum. 368. an. 59. col. 1.
Diuersitas odientium quadruplex. 413. an. 42. col. 1.
Diuersorium quid significet. 164. an. 11. col. 1.
Diuinitas humanitati Christi non ex meritis, sed ex dono gratiæ fuit vnita. 96. an. 106. col. 2.
Diuisio quæ, & quotuplex significetur Luc. 12. ibi. & diuidet eum, &c. 785. an. 74. col. 1.
Diuisionem hæreditatis, quam a Christo frater aduersus fratrem postulabat, solus narrat Lucas. 754. an. 25. col. 1.
Dives ille Luc. 12. cur peccauerit fructus in futurum referuando. 761. an. 37. col. 2.
Dives superflua in elemosynam non erogando quomodo peccet. 760. an. 36. col. 2.
Diuitem esse in Deum quid sit, & quæ in Deum diuitiæ dicantur. 763. com. & 764. an. 43. col. 1.
Diuitis illius Luc. 12. plura vitia. 762. an. 39. col. 2.
Diuitis auari miseria, & anxietas quanta sit. 759. annot. 33. col. 1.
Diuitiæ quam sint periculose. 405. an. 32. col. 2.
Diuitiæ in Deum quæ dicantur, & quid sit diuitem esse in Deum. 763. com. & 764. an. 43. col. 1.
Diuitias quo sine det alicui Deus. 760. an. 36. col. 2.
Diuitijs ac thesauris accumulandis incumbere an absolute sit malum. 764. an. 42. col. 1.
(Docete in potestate) quid sit patres diuersimode declarant. 315. an. 62. col. 1.
Doctrina Ioannis non solum militibus conuenit, sed etiam omnis generis statibus. 255. an. 32. col. 1.
Doctrina præclara Gregorij Prælati necessaria. 256. annotatione 33. col. 2.
Doctrina Catholica, & notatu digna de anima & corpore Christi. 109. an. 114. col. 1.
Doctrina moralis notanda. 605. an. 102. col. 1.
Doctrina moralis Gregorij de non portando sacco, calceamentis, &c. 627. an. 9. col. 1.
Doctrinam Christi multis de causis admirabantur Iudæi. 315. an. 52. col. 2.
Doctrina Catholica ex verbis Angeli (ideo quod) traditur. 96. an. 106. col. 1.
Doctores, & concionatores aliquando locos quosdam pro se allegant, qui contextui Scripturæ, illiusque sensui literali non conueniunt. 207. an. 58. col. 1.
Doctores varie explicant verba illa (daturum se nobis) eiusque difficultis explicatio. 143. an. 253. col. 1.
Doctores substantias spirituales in tres diuidunt hierarchias. 40. an. 45. col. 1.
Doctores aliter de gratiæ, quam sapientiæ profectu loquuntur. 228. an. 88. col. 1.
Doctores, qui B. Virginem & Ioseph Christum quæ sisse dicunt, tam quam alio migrasset, reselluntur. 216. an. 71. col. 4.
Doctores quidnam eo tempore, quo puer Iesus inter ipsos sedit, egerint. 218. an. 275. col. 1.
Doctores aliqui antiqui, Spiritum sanctum velut semen, ex quo Christus est conceptus, dicentes explicantur. 89. an. 98. col. 1.
Doctorem antiquorum varia opinio cur Elisabeth quinque mensibus se occultarit. 34. an. 37. col. 1.
Doctorem varia opinio, de præsentia B. Virginis in natiuitate Baptistæ. 127. an. 134. col. 1.
Doctorem varia explicatio circa hæc verba (rectas facite semitas eius.) 241. an. 17. col. 1.
Documenta ad mores spectantia. 297. an. 25. col. 1.
Documentum morale ex interrogatione Christi inter Doctores sedentis desumptum ad prædicatores spectans. 218. annot. 75. col. 1.

Documentum morale Origenis. 225. an. 84. col. 2.
Documentum triplex morale. 217. an. 71. col. 1.
Dolor in partu ex duplici causa prouenit. 162. an. 9. col. 2.
Dolor, quem B. Virgo in passione Christi sustinuit, cur vehementissimus fuerit. 206. an. 57. col. 1.
Dominus cur in Euangelio dicitur transiens ministraturus, & cur se præcincturus. 781. com. & an. 66. col. 1.
Dominus cur in præsepe sit reclinatus. 164. an. 10. col. 1.
Dominus Deus, cur sapius dicatur in veteri, quam in nouo testamento. 26. an. 24. col. 1.
(Dominus tecum) duo caute notanda continet. 61. an. 69. col. 1.
Dominus quare permiserit mulieres cum sequi. 498. an. 4. col. 1.
Dominus cur binos misit discipulos simul. 623. an. 2. col. 1.
Domus Iacob omnes tribus complectebatur. 80. com.
Domus in Scriptura aliquando familiam, aliquando Tribum significat. 160. an. 4. col. 1.
Domus Simonis, de qua Euangelista loquitur, quare in Capharnaum fuerit. 24. an. 67. col. 1.
Domus ornata Dæmoniorum respectu, quæ dicatur. 694. an. 58. col. 2.
Domus Diaboli quæ dicatur. 689. an. 49. & quod eiusdem atrium, ead. p. an. 50.
Domus scopolis mundata Luc. 11. quid significet. 694. com. & annotat. 58.
Druthmari interpretatio horum verborum (Ne nos inducas in tentationem, &c.) cur reiecta. 673. an. 16. col. 2.
Dubitatio, cur Euangelista sermone de Christi profectu repetat, cum ante dixerit, crescebat, & confortabatur. 229. annotat. 90. col. 1.
Dubitatio duplex de timore, de quo Zacharias loquitur, & quid Doctores de eo sentiant. 145. an. 154. col. 1.
Dubitatio B. Virginis non infirmitas fidei, sed reram visarum admiratio, stuporque fuit. 205. an. 56. col. 1.
Dubitatio, quomodo B. Virgo fuerit cognata Elisabeth. 99. an. 108. col. 1.
Dubium, & eius solutio, vtrum præsentem Angelo, Verbum caro factum sit. 108. an. 114. col. 1.
Dubium, vtrum B. Virgo Angelum salutantem nouerit, affirmatiue soluitur. 64. an. 73. col. 1. & 2.
Duodenarius numerus Apostolorum multis figuris præsignatus. 394. an. 19.
Duplici via potest agi contra paganos pro virginitate Deiparæ. 103. an. 111. col. 2.

E.

E Bionitæ Christum de viro, & muliere, vt ceteros homines, natum asserunt. 203. an. 55. col. 1.
(Ecce) particula explicatur. 68. an. 80. col. 1.
Ecclesia per domum Iacob designatur. 81. an. 90. col. 1.
Ecclesia cur domus vocetur. 81. an. 90. col. 2.
Ecclesia quomodo verba Cenonionis in Eucharistiæ distributione vsurpet. 454. an. 13. col. 1.
Ecclesiæ prælati quantus sit habendus honor. 350. annotatio. 16. col. 1.
Ecclesiæ Rex solus Christus est: Pontifices vero, & Prælati solum Vicarii sunt. 81. an. 90. col. 2.
Ecclesiæ ministri quales esse debeant. 393. an. 17. col. 1.
Ecclesiæ, tam triumphantis, quam militantis cum sit caput Christus, quam ad vtramque rationem habeat. 780. an. 65. col. 1.
Eder, gregem sonat, aut collectionem pecorum. 165. annot. 12. col. 1.
Edictum Cæsarum promulgatum est nato Ioanne Baptista. 157. commento 1.
Effectus diuersi in animis Iudæorum ex eisdem Christi miraculis. 682. an. 35. col. 1.
Effectus inuidiæ tres sunt. 311. an. 44. col. 1.
Electorum beatitudo, quibus verbis significetur in Euangelio. 781. com.
Elemosyna arbori comparatur. 776. com.
Elemosyna quomodo, & a quibus peccatis animam mundet. 713. an. 88. col. 1.
Elemosynæ bonum quintuplex deductum ex illis Domini verbis Luc. 12. facite vobis sacculos, &c. 775. 776. & 777. com.
Elemosynam superfluum, & abundantem cum non dant diuites, quomodo peccent. 760. an. 36. col. 2.
Elemosynam cur præ cæteris operibus commendauerit Christi-

flus Discipulis. 775. com. & an. 60.
Eliam quomodo pauerint corui. 768. an. 48. col. 1.
Elisabeth, & Zachariam tria impediabant, quo minus filium possent habere. 16. an. 12. col. 1.
Elisabeth a Spiritu sancto potius, quam a Zacharia fuisse de filij nomine edoctam, probabilis est. 132. an. 139. al. 140. col. 1.
Elisabeth idem sonat, quod Dei iuramentum. 11. an. 6. col. 1.
Elisabeth, & Angelus eadem prorsus B. Virgini nunciauerunt. 18. annot. 123.
Elisabeth non ex exultatione pueri in vtero, sed reuelatione Spiritus sancti cognouit B. Virginem esse Dei matrem. 116. an. 129. col. 1.
Elisabeth cur se occultarit quinque mensibus, varie Doctores anti- qui docent. 34. an. 37. col. 1.
Emendationis difficultas non semper supponit grauius esse peccatum. 697. an. 61. col. 1.
Energia verborum illorum Luc. 12. Quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 775. com.
Engumeni qui dicantur, & cur sic dicantur. 695. annotat. 59. col. 1.
Eos particula, quam vim Græcis habeat. 209. an. 60. col. 1.
Epiphanius de matrimonio B. Virginis verba explicantur. 49. an. 56. col. 2.
Epiphanius opinio, arbitrans Ioseph, quædo cum B. Virgine nuptias celebrauit, viduum fuisse, & ex alia muliere filios generasse, qui fratres Domini sunt appellari, resellitur. 51. an. 59. col. 1.
Episcopi successores sunt Apostolorum, cæteri autem sacerdotes aliorum discipulorum. 623. an. 1. col. 2.
Error Macedonianorum refutatur. 645. an. 40. col. 1.
Error scriptorum legentium Melchi pro Mathæo, demonstratur. 274. an. 56. col. 1.
Error quorundam, qui cum reuera male agant, & Christum infensum habeant, bene tamen se agere arbitrantur. 217. annotat. 72. col. 1.
Error Iudæorum de aduentu, & temporali Messie Regno. 80. an. 89. col. 1.
Error eorum, qui Deiparam, moriente Christo, in fide dubitasse dicunt, reiectur. 204. an. 56. col. 2.
Error Pelagij de gratia. 97. an. 107. col. 1.
Error Origenis de creatione animarum cauendus. 109. an. 114. col. 1.
Error Nestorij damnatus duas in Christo naturas, & personas ponens. 94. an. 102. col. 2.
Error quorundam hæreticorum natiuitatem Christi negantium confutatur. 91. an. 100. col. 2.
Error Timothei presbyteri Constantinopolitani, B. Virginem martyrio affectam asserentis, exploditur. 204. an. 56. col. 1.
Error Iosephi in constituendo duas descriptiones. 158. col. 2.
Error Iuliani Pelagiani damnabilis, negantis verum matrimonium fuisse inter B. Virginem, & Ioseph. 49. an. 56. col. 1.
Error impius Priscillianistarum exploditur, asserentium Christum necessitati stellarum, & fato subditum fuisse. 36. annotatione 38. col. 1.
Error quorundam hæreticorum, solos viros a Christo redemptos asserentium. 46. an. 53. col. 2.
Error Manichæorum dicentium aliquas animas natura esse malas. 441. an. 82. col. 1.
Errores varij circa hæc Domini verba: Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, &c. 603. an. 71.
Esuries corporalis apud Lucam; apud Mathæum vero Spiritus laudatur. 400. an. 46. al. 28. col. 1.
(Et ipse Iesus erat incipiens, &c.) quomodo Patres legant. 271. an. 53. col. 1.
(Et diem retributionis) diuersis modis Patres explicant. 305. an. 37. col. 1.
**(Et subditis in terram, &c.) vtrum eadem sit historia cum illa Matthæi 4. & Marci 1.34.2. an. 15. col. 1.
(Et agebatur Spiritu, &c.) Spiritus nomine vtrum Spiritus sanctus sit intelligendus. 283. an. 2. col. 1.
(Et Mater eius conseruabat, &c.) quidnam sit intelligendum. 226. an. 85. col. 1.
(Et erat pater eius, &c.) diuersimode ab aliis legitur, & quot hæretici in eo errarint. 198. an. 51. col. 1.
(Et in signum, &c.) varie legunt Doctores. 203. an. 55. col. 1. item diuersimode exponunt ibid.
(Et videbit omnis caro, &c.) quomodo explicetur. 244. an. 20. col. 1.
(Et erunt praua in directâ, &c.) explicatur. 244. an. 19. col. 1.**

Etymologia Sanctissimi nominis Iesu, quatuor diuersæ sententiæ, & explicationes reijciuntur. 73. an. 85. col. 1.
Etymologia Nazareni. 43. an. 50. col. 1.
Etymologia tres sacrosancti nominis Mariæ. 53. an. 61. col. 1.
Euangelij duo esse. 790. an. 81. col. 2.
Euangelij locum quem assumant hæretici nostri temporis vt probent Prælatos ecclesiasticos non debere se negotijs secularibus immiscere. 756. an. 28. col. 1.
Euangelij lumine Christus vmbra legis, & tenebras Gentium depulit. 36. an. 38. col. 2.
Euangelista cur principatus Gentium, & Iudæorum meminerit. 233. an. 5. col. 2.
Euangelista cur in prædicatione Ioannis meminerit Imperatoris Romani. 231. an. 1. col. 1.
Euangelista cur Herodis meminerit in principio Euangelij. 9. ann. 1. col. 1.
Euangelista cur non dixerit mense primo anni, sed sexto a conceptione præcursoris. 36. an. 39. col. 1.
Euangelista artificium in perscribenda pastorum vigilia ostenditur. 165. an. 13. col. 2.
Euangelista non omnia semper narrans. 214. annotatione 68. col. 1.
Euangelista cur nõ B. Mariæ genealogiam scripserint, sed Ioseph. & quomodo illa ad Christum pertineat. 275. an. 58. col. 1. & sequenti pag.
Euangelistarum in hoc textu (Quia nemo commissuram, &c.) ostenditur. 377. an. 73. col. 1. & 2.
Euangelistarum concordia in illis verbis (at illi dixerunt ad eum.) 373. al. 3. 13. an. 66. col. 1. & 2.
Euangelistarum concordia de homine obfesso, qui Christo egredienti e nauis occurrit. 526. an. 55. col. 1.
Euangelistarum concordia de Spiritu, a quo Christus in desertum ductus est. 283. an. 2. col. 1.
Euangelistarum concordia in narratione historię de aduentu Martiris, & fratrũ Christi. 518. an. 38. col. 1.
Euangelium quomodo quomodo ignis, & quomodo gladius dici possit. 790. an. 81. col. 2.
Euangelium quomodo lege sit antiquius. 381. an. 79. col. 2.
Euangelium quomodo Iudæis fuerit, & Gentibus via ad consequendam pacem. 153. an. 165. col. 1.
Euangelium cur inuitis etiam sit prædicandum, cum tamen nemo debeat cogi ad credendum Euangelium. 630. an. 15. col. 1.
Euangelium cur non sit annunciatum omnibus non credituris, sed quibusdam tantum. 505. an. 16. col. 2.
Euangelium cur non prædicetur multis, qui si audirent, crederent. 505. an. 16. col. 2.
Euangelium non suspiciendum quomodo sit maius peccatum, quam Sodomorum. 631. an. 16. col. 2.
Euangelium cur in Iustis medium sit inter statum legis, & statum glorię. 665. an. 4. c. 2.
Eunomij error impius. 476. an. 51. col. 1.
Euthymij sententia de cordium reuelatione reprobata. 207. a. 58. col. 1. 2.
Euthymius quomodo iustitiam, & sanctitatem interpretetur. 146. an. 155. col. 1.
Euthymius quomodo sit intelligendus, quædam peccata hic, & in futuro mundo puniri afferens. 631. an. 16. col. 1.
Eutycheis, & Diocleti impius error de duabus Christi naturis. 94. an. 102. col. 2.
(Ex hoc) explicatur. 122. an. 127. col. 1.
Exemplo coruorum cur vsus sit Dominus Luc. 12. vt Discipulos a cibi sollicitudine amoueret. 769. an. 48. col. 2.
Exorcista apud Iudæos, quomodo eiecerunt dæmonia. 685. com. & 686. an. 41. col. 1.
Exorcista ante Christi aduentum fuerunt in populo Iudaico. 686. an. 41. col. 1.
Exorcistas futuros Iudices calumniatorum Christi, quomodo intelligatur, ibi (Ideo ipsi Iudices vestri erunt, 686. com. & an. 42.)
Explicatio loci illius Luc. 12. Non in abundantia cuiusquam vitæ eius est, &c. 758. an. 31. col. 1.
Explicatio sententiæ illius 1. Reg. 2. (Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo?) 751. an. 22. col. 1.
Explicatio loci illius (suscepit Israël puerum suum) vbi reijciuntur aliquot diuersæ expositiones. 126. annot. 131. col. 1. & 2.
Explicatio mystica, & litteralis de tempore pariendi Elisabeth. 128. an. 135. col. 1.

Explicatio verborum Christi de visione cadentis de cælo Satanæ. 636. an. 25.
Explicationes variæ horum verborum (hic est filius meus) adducuntur. 594. an. 79. col. 1.
Expositio loci, (Sicut locutus est ad Patres nostros,) & relectio aliarum explicationum. 127. an. 133. col. 1.
Exultatio Ioannis in vtero fuit præ gaudio præsentis Saluatoris, & matris eius. 116. an. 121. col. 1.
Exultatio Christi, quæ ostenditur illis verbis (In ipsa hora exultauit in Spiritu sancto, &c.) qualis, & quibus de causis fuerit. 639. com. & an. 29. col. 1.
Exultandi verbum quid significet. 120. an. 125. col. 2.
Evangelia significatio. 174. an. 125. col. 2.

F.

Facies Christi quomodo dicatur altera facta in transfiguratione. 583. an. 47. al. 57. col. 1.
Facta Hebræis verba solent vocari. 134. com. 2.
Familia de quibus proprie dicatur. 784. annotatione 72. column. 1.
Famis mentionem tempore Elisæi factæ merito Christus mentionem facit. 312. an. 46. col. 1.
(Fecit redemptionem plebis suæ, & non plebi suæ, cur dicat Scriptura 137. an. 146. col. 2.
Femina, & vir quidnam in naturali generatione præbeant. 88. an. 97. col. 2.
Femina non minus quam viri descripiæ sunt. 160. annotatione 5. col. 1.
Femina plures inter mulieres benedictæ pronuntiatæ sunt, & quomodo sint illæ benedictiones inferiores benedictione B. Virginis. 63. an. 71. col. 1.
Fermentum, de quo Luc. 12. diuersum est ab eo, de quo Matth. 16. & Marc. 3. loquitur Dominus. 729. an. 2. col. 1.
Feruorem & perseverantiam in oratione vbi doceamur. 675. an. 19.
Festuca quid sit, & trabs. 438. an. 79. col. 1.
Fidei nostræ a fide illorum veteris testamenti discrimen. 650. an. 48. col. 2.
Fidelium congregatio cur a Domino pusillus grex appelletur. 774. an. 59. col. 1.
Fidem Christi non abiicit Petrus, cum ipsum negauit. 752. an. 23. col. 2.
Fides quomodo accipiatur ibi Luc. 11. Pusillæ fidei, &c. 770. an. 52.
Fides æque illis testamenti veteris necessaria fuit, ac nobis. 650. an. 48. col. 2.
Fides Naaman in multis ostenditur 312. annotatione 47. column. 1.
Fides nec sine operibus, nec opera sine fide sufficiunt ad salutem, sed vtræque est necessaria. 652. an. 54. col. 1.
Fides Centurionis quatuor modis magna fuit. 158. annotat. 21. col. 1.
Fides Centurionis cur ceterorum Israelitarum sit præposita. 458. an. 22. col. 1. & 2.
Fides dupliciter dicitur, & vtroque modo eam habuerunt portatores paralytici. 356. an. 37. col. 1.
Fides, ob cuius modicitatem discipuli reprehenduntur. 524. an. 50. col. 1.
Fides aliorum corporis & animæ salutem impetrauit alijs, sed non eodem modo. 356. an. 36. col. 2.
Fiduciam vt in aliquo habeamus, quæ in eo requirantur. 773. com. 1.
Fœnum Luc. 13. ibi, si autem fœnum, quod hodie est, &c. quid significet. 770. an. 51. col. 1.
Filiationes duæ in Christo sunt. 96. an. 105. col. 2.
Filij hominis nomine Christus in Euangelio significatur. 747. an. 19. col. 1.
Filij sponsi, vel nuptiarum, vel thalami qui dicantur. 375. an. 69. col. 1.
Filiorum nomine quid intelligatur ibi (filij vestri in quo eiiciunt.) 686. an. 41. col. 1.
Filius pacis quis dicatur. 627. an. 10. col. 1.
Fimbria quid sit, & cur mulier fluxum sanguinis patiens solam fimbriam tetigerit. 542. an. 91. col. 1.
Fimbriæ tactum mirabilis effectus sequutus. 542. annot. 92. col. 1.
Fixare faciem in aliquem locum quid significet. 613. an. 118. c. 1.
Fœtus

Fœtus conceptio in naturali generatione, aut quadraginta, aut octoginta diebus perficitur. 88. an. 97. col. 2.
Fomes peccati variis modis excitat carnis appetitum contra mentem, & ea, quæ legis Dei sunt. an. 58. an. 67. col. 2.
Fomes peccati etiam ante conceptionem filij in B. Virgine extinguitur. ibid.
Fortis, & armatus cur dicatur Dæmon ibi (Cum fortis armatus, &c.) 688. com. & 689. an. 48.
Fragilitate quoniam peccent, qui vero ignorantia, & qui malicia. 744. an. 18.
Fructus penitentis qui dicantur. 249. an. 25. col. 1.
Fructus nomine quid hic intelligatur. 442. an. 82. col. 1.
(Fructus ventris) filij solent vocari. 114. com. 4.
Furis aduentui cui Christus aduentus sui diem comparet. 782. commento.
Furtum, cum restitutio sit necessaria, quomodo elemosynis munitari dicatur. 714. an. 88. col. 2.
Futurum pro præterito, siue perfecto vsurpat Hebræa phrasis. 488. an. 69. col. 2.

G.

Gabriel Pastoribus apparuit in natiuitate Christi. 167. an. 15. col. 1.
Gabriel cur potius quam alius Angelus ad nuncium B. Virgini deferendum in electus. 40. an. 26. col. 1.
Gabriel Latine dicitur fortitudo Dei. 20. an. 31. c. 2.
Gabriel angelus ex infimæ hiera. chiæ secundo ordine est. 40. an. 45. col. 2.
Gablæa pars est Palæstinæ, quæ sorte obtigit duabus tribubus Zabulon, & Nephthalim. 42. an. 48. col. 1.
Galilæa transmigratione vocatur, & mytica eius interpretatio. 42. an. 49. col. 1.
Galilæa duplex est. 42. an. 48. col. 1.
e Galilæa in Hierusalem euntes, cur ascendere dicantur, & contra. 654. com.
Galilæa quasi reuolutio dicitur, & de mirabilibus reuolutionibus a Christo patris. 42. an. 49. col. 2.
Galilæa populus cur in tenebris dicatur federe. 152. annot. 164. col. 1.
Galilæa nomine mysteria aliquot designata fuerunt. 42. annot. 49. col. 1.
Gastrimargia reprehenditur. 406. com. 1.
Gaudium quod p. ohibeatur a Christo suis Discipulis. 638. com. & an. 27. col. 1.
Gaudium discipulorum ob electionem Dæmonum. 635. an. 23. c. 1. & an. fuerit laudabile. ibid. an. 24. col. 1.
Gedeone contra Madianitas pugnante milites in manibus lampades tenebant. 780. an. 64. col. 2.
Gehenna quid sit. 733. an. 8. col. 1.
Gehennæ nominis interpretatio. 733. an. 8. col. 1.
Gehennæ duæ, vna ignis, altera frigoris. 733. an. 38. col. 2.
Gehennon vbi & quid fuerit. 733. an. 8. col. 1.
Genera præcætorum, seu cingulorum quot in scriptura legantur. 777. an. 62. col. 2.
Genera missionum a Christo facta sex in scriptura legantur. 37. an. 41. col. 1.
Generatio, itemq. generatio mala, & adultera cur Scribæ, & Pharisæi dicantur a Christo. 700. an. 65. col. 1.
Generationis nomine hoc loco quid intelligatur. 479. annot. 55. col. 1.
Gentes olim verba Christi de percussione maxillæ, & de ablatione tunicæ legibus contraria esse, & moribus asserbant. 419. an. 50. col. 1.
Gentes, & Iudæi diuersimode in tenebris sedebant. 151. commento.
Gentium conuersio, & repulsa Iudæorum indicatur. 164. annot. 11. col. 2.
Gentiles, & Hæretici refutantur, falsa de Christo sentientes, quia filius hominis diceretur. 363. an. 45. col. 1.
Gentilis ignorantia, quæ sit, & quæ Iudæi. 697. annotat. 61. col. 1.
Geræsenorum, & Geræsenorum regio eadem. 526. an. 54. col. 1.
Gladii, & ignis nomina quomodo Euangelio aptentur. 790. an. 81. col. 2.
Gladius quid significet hoc loco ex patrum sententia. 205. a. 56. r.
Gladius, qui B. Virginis inimam pertansit, idem fuit, qui Christi fuit ex patrum consensu. 205. an. 56. col. 2.

Gladius potius est id, quod est causa doloris, & cruciatus, quam ipse dolor. 205. an. 56. col. 2.
Gladius a Simeone prænunciatus, varie accipitur a Patribus. 204. an. 56. col. 2.
Gladius a Simeone pro cruce positus est, in qua Christus erat honoratus. 204. com.
(Gloria in excelsis Deo, & in terra, &c.) quomodo intelligatur. 173. an. 21. col. 1.
Gratia opus fuit Christo ad munus suum obtinendum, & quæle id munus fuerit. 212. com. 2.
Gratia Dei qua ratione in Christo esse dicatur. 213. annotat. 67. col. 2.
Gratia Dei in homine, cum homine, & super hominem esse dicitur. 213. an. 68. col. 1.
Gratia tria significat. 57. an. 66. col. 1.
Gratiæ aguntur pro beneficiis acceptis. 642. an. 35. col. 2.
Gratiæ nomine quid significetur in istis verbis (& in verbis gratiæ) 308. an. 40. col. 1.
Gratiæ partes in duplici sunt differentia. 88. an. 67. col. 1.
Gratiæ & amoris differentia. 57. a. 66. col. 1.
Gratiæ hoc loco significatio. 422. an. 56. col. 1.
(Gratiæ inuenire) quid sit, explicatur. 68. an. 79. col. 1.
Gregorii pulchra in illa verba (Dignus est enim operarius, &c.) expolitio. 629. an. 13. col. 1.
Gregorii & Hieronymi sententia de tentationibus Christi cæteris præferenda. 291. an. 15. col. 1.
Gregorii præclara doctrina, prælati necessaria. 256. an. 33. col. 2.
Gregorius, qui videtur sentire, Martham non sedisse ad pedes Domini docentis, explicatur. 659. an. 68. col. 1.
γῶν Hebræum nomen appellatiuum, & proprium esse solet. 74. an. 85. col. 1.

H.

Hæreditatis diuisionem, quam a Christo frater aduersus fratrem postulat, Lucas solus narrat. 754. an. 25. col. 1.
Hæreditatis diuisionem potestatem se habere quomodo negauerit Christus. 755. an. 26. col. 1. & an. 27. col. 2.
Hæretici nostri temporis quo Euangelij loco abutantur, vt probent prælatos ecclesiasticos non debere se negotijs temporalibus immiscere. 756. an. 28. col. 1.
Hæretes quorundam circa Christi conceptionem Lucæ testimonio conuincuntur. 96. an. 106. col. 1.
Hæretis Marcionis verbis Euangelistæ conuincitur. 36. annot. 39. col. 1.
Hæretis illa triplex, quæ se virginitati Deiparæ opposuit, vnico Angeli verbo conuincitur. 106. an. 111. col. 1.
Hæretis eorum, qui non aqua, sed igne baptizabant, refellitur. 259. an. 36. col. 1.
Hæretici B. Virginis Virginitatem post partum permanisse negantes refutantur. 105. an. 111. col. 2.
Hæretici negantes B. Virginem in partu permanisse Virginem, refutantur. 105. an. 111. col. 2.
Hæretici votum virginitatis reiicientes conuincuntur. 85. an. 94. col. 2.
Hæretici aliqui solos viros fuisse redemptos asseruerunt, & non feminas. 46. an. 53. col. 2.
Hæretici hoc loco (fides tua saluam te fecit) ad suam impietatem abutenes confutantur. 495. an. 79. col. 1.
Hæretici, & Gentiles falsò de Christo sentientes, quia filius hominis diceretur, refutantur. 363. an. 45. col. 1.
Hæretici, negantes Christum veram sumpsisse carnem, refutantur. 519. an. 39. col. 1.
Hæretici prius suos cogunt errores, & postea conantur verba Scripturæ ad eos detorque. 148. an. 160. col. 2.
Hæretici nostri temporis in quo condemnentur a Legisperito, de quo Lucas. 650. an. 48. col. 2.
Hæretici quidam duos Deos finxerunt. 722. an. 98. col. 2.
Hæretici cur peioris sint conditionis, quam gentiles. 696. an. 61. col. 2.
Hæretici reprehenduntur ob negatam B. Virginis integritatem. 105. an. 111. col. 2.
Hæreticorum Spiritus sancti diuinitatem negantium blasphemias cur non sit blasphemia, de qua agitur Luc. 12. 745. annotat. 18. col. 2.
de Hæreticis, & Schismaticis quinam interpretati sint locum illum Luc. 11. (Qui non est mecum contra me est, &c.) 693. an. 56. col. 2.

Hæreticorum de ieiunio praua persuasio. 209. an. 61. col. 1.
Hæreticorum vesania, & impugnatione contra salutationem Angelicam. 53. an. 71. col. 1.
Hæreticorum expositio super hæc verba (Et aliud cecidit in terram bonam, &c.) Exploditur. 505. an. 17. col. 1.
Hæreticorum sectæ circa Virginitatem Deiparæ tres sunt. 105. an. 111. col. 2.
Hæreticorum aliquorum verbis illis (quod in ea natum est) suum errorem defendentium confutatio. 95. an. 103. col. 1.
Hæreticorum quorundam error, natiuitatem Christi negantium, explicatur, & confutatur. 91. an. 100. col. 2.
Hebræa phrasis futurum pro præterito, siue perfectio ponit. 488. an. 69. col. 2.
Hebræi, cum personam familiarem, ac communem compellant, qua voce vtantur. 754. an. 26. col. 1.
Hebræi in quot vigilias noctem diuidebant. 781. com.
Hebræi quomodo vocem, Nazâr, explicent. 43. an. 50. col. 2.
Hebraismus est, quando casui instrumenti apponitur præpositio. 116. com.
Hebron ciuitas fuit sacerdotum. 111. an. 116. col. 2.
Helcheitarum hæreticorum error. 739. an. 16. col. 1.
Heluidij error. 49. an. 56. col. 1.
Hermiani, & Seleuciani igne baptizantes refelluntur. 259. an. 36. col. 1.
Herodes, & puella Herodias puniti ob necem Ioannis, & quænam fuerit ea punitio. 263. an. 42. col. 1. & 2.
Herodes cur dictus sit Tetrarcha. 561. an. 17. col. 1.
Herodes tres fuerunt, & de quo Lucas loquatur. 9. annotatio. 2. col. 1.
Herodes cur Ioannem in carcerem coniecerit. 264. an. 43. col. 1.
Herodes non adulteri solum, sed aliorum etiam scelera a Ioanne arguebatur. 262. an. 40. col. 1.
Herodes quomodo dicatur a Luca Rex, à Matthæo, & Marco Tetrarcha. 561. an. 17. col. 2.
Herodes, quia precarij regnum ab Augusto acceperat, ideo Iudeos censeri passus est. 158. col. 2.
Herode mortuo, Regnum eius in prouincias fuit à Romanis diuisum. 232. an. 2. col. 1.
Herodis de Christo opinio. 651. an. 20. col. 1.
Herodis stultitia, & obstinatio. 563. an. 20. col. 2.
Hieronymi verba contra Heluidium explicantur. 184. annot. 35. col. 1.
Hieronymi & Gregorii sententia de tentationibus Christi cæteris præferenda. 291. an. 15. col. 1.
Hieronymi, & Athanasij de Blasphemia in Spiritum sanctum sententia eadem sunt. 743. an. 17. col. 1.
Hierusalem ciuitas est Iudææ, Hierico vero Galilææ, 653. commento 2.
Hilarii dictum grauissimum de sacræ Scripturæ lectionibus. 148. an. 160. col. 2.
Hilarii, Epiphaniij, & Theophylacti verba de matrimonio B. Virginis explicantur. 49. an. 56. col. 2.
Hippolyti sententia de cognitione inter B. Virginem, & Elisabeth ab Auctore probatur. 100. an. 108. col. 2.
Historia hæc de orando Lucæ 11. sitne eadem cum illa Matth. 667. an. 2.
Historiæ series ex tribus Euangelistis de paralytico. 353. an. 30. col. 1.
Historiæ series de baptismo Christi à Ioanne in Iordane suscepto. 265. an. 45. col. 1.
Historiam aduentus Matris, & fratrum ad Christum Matthæus, & Marcus ordine, Lucas vero non descripsit. 517. annotat. 36. col. 1.
עלמה virginem significans, quam a Iudæis explicetur malitiose. 104. an. 111. col. 1.
הרה varie septuaginta interpretes verterunt. 69. annotatio. 8. col. 1.
נערה Naara adolescentulam significat, siue virgo sit, siue corrupta. 104. an. 111. col. 2.
Hodie, in orat. Dom. cur dicatur, variæ expositiones. 670. com. & an. 12.
Homicida, licet grauius peccet, tamen facilius conuerti potest, quam carnalis. 696. an. 61. col. 2.
Homini verbum multis modis fallax. 102. an. 110. col. 1.
Homini arbitrium terræ comparatur. 155. an. 31. col. 1.
Homini partes quorundam, & quæ sint. 650. an. 49. col. 1.
Homines illi, quos Matthæus miratos dicit ex timore, quinam sint. 525. an. 52. col. 1.
Homines quomodo culpam originalem contrahunt, & Christus

eam non contraxerit. 85. an. 95. col. 1.
Homines illi, qui in nomine Christi dæmonia eiiciebant, vtrum essent ex numero credentium. 611. an. 114. col. 1. & 2.
Homines cur maligne dicantur a Christo. 679. annot. 28. col. 2.
Homines quo pacto rerum temporalium agendarum prudentiam ad spirituales conferre debeant. 793. com. & ann. 87. col. 1. & 794. an. 89. col. 1.
Homines Dei miracula, quibus totum vniuersum regit, cur non admirentur. 769. an. 49. col. 1.
Homines seculi huius quam valde decipiantur. 763. annotat. 41. col. 2.
Homini descendenti de Hierusalem in Hiericho quatuor mala intulerunt latrones. 654. com.
Homini vocatio quorsum capturæ piscium comparata. 340. an. 12. col. 1.
Homini duplex genus semini secus viam lapso comparatur. 502. an. 12. col. 1.
Homini dæmones cur primum virtutibus spoliarent. 654. annot. 57. col. 2.
Homo liberatus a peccato si recidit, grauius recidit. 695. an. 59. col. 2.
Homo infidelis quotupliciter possit esse peioris conditionis, quam alter, etiam infidelis. 696. an. 61. col. 2.
Homo ille, qui se offert Christum sequi, quis fuerit, & quare spreus, & alter vocatus. 617. an. 20. col. 1.
Homo, quia ratione Deum iustificare dicatur. 477. an. 253. col. 1. ibidem Patrum sententia.
Homo per gratiam a peccato liberatus quidnam præstare debeat. 552. an. 109. col. 1.
Homo, quantumcumque iustus, non est, qui sine peccato uiuat. 651. an. 5. col. 1.
Homo ille non vocatus à Christo, & tamen accedens quis fuerit. 620. an. 131. col. 1.
Hora mortis incerta innuitur. 781. com.
Hospitalitas magna virtus. 658. com.
Hospicio Marthæ ad quid vsus sit Dominus. 661. an. 73. col. 2.
Hospitem pedes lauandi vetus consuetudo. 489. annotatio. 70. col. 1.
Hostes quatuor acerrimi virginitatem matris Dei impugnare conati sunt. 103. an. 111. col. 1.
Humanitas Christi est velut instrumentum coniunctum, nos vero velut instrumentum separatum Dei secundum Theologos. 213. an. 67. col. 2.
Humanitati Christi diuinitas quomodo vnita fuerit. 96. an. 106. col. 2.
Humilitas, vt est virtus animi, Græce semper ταπεινότητα vocatur: quando afflictionem, aut abiectionem significat, ταπεινότης. 121. 126. col. 1.
Humilitatis verbum triplicem habet in Scriptura significationem. 121. an. 126. col. 1.
Humilitatem B. Virginis varie Doctores interpretantur. ibidem col. 2.
Humilium, & superbiorum differentia. 107. an. 113. col. 1.
Hypocrita quis dicatur. 716. an. 91.
Hypocritæ significatio quæ. 439. an. 79. col. 1.
Hypocritarum mos. 730. com.
Hypocritas cur turbas Christus appellet. Luc. 10. ibi: Hypocrita faciem cæli, &c. 792. com.

I.

Iacob cur vasa iniquitatis vocauerit Simeon, & Leui. Genes. 49. 690. an. 51. col. 2.
Iacobus, & Ioannes an fuerint missi nuncij ad Samaritanos. 614. an. 122. col. 1.
Idolo Moloch vbinam immolabant filios, filiasque suas Iudæi. 733. an. 8. col. 1.
Ieiunii tempus nullum veteri legi indictum fuit, quamuis fuerit frequens vsus. 376. an. 70. col. 1.
IESVS adhuc puer inter Doctores confedit diuino consilio. 218. an. 74. col. 1.
IESVS apud Hebræos idem sonat, quod Latinis salus. 72. com. & 73. an. 85. col. 1.
Ignem, quo Christus venturus baptizaturus dicebatur multis modis explicant Doctores. 260. an. 36. col. 1.
Ignis quomodo animas, & dæmones cruciet. 734. an. 9. col. 2.
Ignis corporei proprietates. 688. com.

Ignis quid significet. Luc. 12. ibi: Ignem veni mittere in terram, &c. 787. com. & 788. an. 78. col. 1.
Ignis post Christi passionem in terram mittendi efficacia. 789. com.
Ignis similitudinem quænam habeant spiritualiter. 788. annot. 78. col. 2.
Ignis spiritualis, qui Spiritus sanctus est, cum corpore collatio. 788. com.
Ignis, & gladii nomina quomodo Euangelio aptari possint. 790. an. 81. col. 2.
Ignorantia Iudæi quæ sit, & quæ Gentilis. 697. an. 61. col. 1.
Ignorantia quinam peccent, qui vero fragilitate, & qui malitia. 744. an. 18. col. 2.
(Illuminare) dubios reddit auctores. 151. an. 163. col. 1.
Immunditia legalis qua lepræ specie contraheretur. 344. an. 16. col. 1.
Impenitentia finalis non est blasphemia in Spiritum sanctum. 752. an. 23. col. 2.
Impenitentia, siue finalis, siue non finalis, non est blasphemia in Spiritum sanctum. 745. an. 18. col. 1.
Impiorum animæ ante reuersionem corporum in Inferno cur torquentur. 734. an. 9. col. 1.
Improbis quid significet in parabola. Luc. 11. 676. annotat. 22. col. 1.
Improbis effectus est impudentiæ. 676. an. 22. col. 1.
Imprudencia, ac incuria turbatum cur reprehendatur. 791. & 792. com. & an. 86. col. 1.
Impudentia, vt non semper est vitium, ita pudor aliquando est vitiosus. 676. an. 22. col. 1.
(In brachio) Hebraismus est. 124. com.
In mysterio Incarnationis tria sponsaliorum genera celebrata fuerunt. 39. an. 43. col. 1.
In, præpositio loco propter, seu, per, in Scriptura vsitata. 150. an. 162. col. 1.
(In remissionem) variè legunt, & explicant Doctores. 148. an. 160. col. 1.
(In spiritu, & virtute) quid sit, & vtrum idem sit. 27. annot. 25. col. 1.
(In te complacuit mihi) diuersimode legunt Patres, sed idem est sensus. 270. an. 51. col. 1.
(In testimonium illis) quæ de his verbis sit Patrum sententia. 351. an. 28. col. 1.
(In vtero) multis de causis Angelus adiunxit. 69. an. 81. col. 1.
Incarnatio Verbi sumum Dei beneficium est. 126. com. 1.
Incarnationis mysterium tribus modis potuit manifestari. 39. an. 42. col. 1.
Incarnationis mysterium per Angelum cur sit B. Virgini annunciatum. 39. an. 43. col. 1.
Incarnationis mysterium prius Angelis, quam hominibus innouit. 39. an. 42. col. 1. & 2.
(Incedere sine querela) quid sit. 15. an. 11. col. 1.
Incredulitas Zachariæ in quo consistat. 30. an. 30. col. 2.
Incredulitas Zachariæ vtrum peccatum mortale fuerit. 32. an. 33. col. 1.
Incredulitas Phariseorum, & Scribarum omnino damnanda. 478. an. 54. col. 1.
Incredulitatis crimen admittit Zacharias, ab Angelo modum, & signum querendo, quo sibi filius nasceretur. 29. annotatio. 29. col. 2.
Increduli qui dicantur, & qui prudentes. 28. an. 27. col. 1.
Increpare mare quid sit. 523. an. 38. col. 1.
Increpare quid sit. 604. an. 100. col. 1.
Infantes aliquando in vtero contingit moueri causis naturalibus. 116. an. 121. col. 1.
Infantes etiam nonnulli a Dæmonio vexantur. 695. annotat. 59. col. 1.
Infantes quomodo intelligantur aliquando puniti pro parentum delictis. 722. an. 98. col. 1.
Infantium vita in magno versatur periculo vsque ad octauum diem, tum ob causas particulares, tum ob impressionem orbium cælestium. 130. an. 138. col. 2.
Infideles, & impij quomodo resurrecturi sint. 706. an. 77. col. 2. & 707. eiusdem an. 2.
Infidelis vnus quotupliciter possit esse peioris conditionis, quam alter. 696. an. 61. col. 2.
Ingrati qui sint. 427. an. 62. col. 1.
Inimicis quæ bona sint optanda, & qua de causa diligendi. 408. an. 37. col. 1.
Inimicis quomodo mala optare liceat. 410. an. 39. col. 2.

Inimicos diligendi præceptum partim naturale, partim supernaturale. 410. an. 38. col. 2.
Inimicos diligere maxime est rationi consonum, & facile. 425. an. 59. col. 1. & 426. an. eadem. col. 1.
Inimicorum dilectio partim sub præcepto, partim sub consilio cadit. 410. an. 38. col. 1.
Inimicorum dilectionis veritas. 425. an. 59. col. 2.
Inimicum an amicum diligere vtrum maius sit. 412. an. 34. al. 49. col. 1.
Inimicus, & odio habens quo differant. 413. an. 43. col. 1.
Iniustitiæ in Deo cur nihil esse possit, faciendo quicquid vult. 640. an. 31. col. 2.
Insidiantes Christo cur dicantur Iudæi. Luc. 11. 726. com. & an. 105. col. 1.
Intellectus operatio duplex ad fidem requiritur. 97. annot. 107. col. 1.
Intellectus vtraque operatio ad fidem donum Dei est, & gratia. 97. an. 107. col. 1.
Intercësor a tribus circumstantijs solet commendari; quibus B. Virgine prædictam fuisse ostenditur. 72. an. 83. col. 2.
Interpretatio mytica horum verborum, (surge, & tolle lectulum tuum) 363. an. 46. col. 1.
Interpretatio nominis trium Angelorum Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis. 40. an. 46. col. 2.
Interpretatio Tertulliani de Domino Sabbati probatur. 387. an. 7. col. 2.
Interpretatio varia vocis huius, partem, Luc. 12. ibi: Partemque eius poneret, &c. 786. an. 75. col. 1.
Interpretatio quam auctor attulit illorum verborum. Nolite in sublime tolli. Luc. 12. vnde optima omnium probetur. 773. an. 56. col. 1.
Interpretatio varia verborum illorum: sint lumbi vestri præcincti. 777. com. & an. 62. col. 1.
Interpretationes variæ Patrum super his verbis (Quia nemo somnifurum &c) 278. an. 74. col. 1.
Interrogatio sapiens aliquando fortissimum est argumentum veritatis. 218. com. 2.
Interrogatio quænam sit commendabilis. 649. com.
Interrogatio discipulorum an statim post parabolam sit facta. 507. an. 19. col. 1.
Interrogatione cur nonnunquam Dominus vtatur. 783. com. & 784. an. 73. col. 1.
Interrogationem, qua Legisperitus apud Lucam Christum interrogat. (Et quis est meus proximus) quidam in bonam, quidam vero in malam partem interpretantur. 653. an. 55. col. 1.
Interrogationes diuersis modis in Scripturis fieri consueuerunt. 220. an. 78. col. 2.
Inuidiæ natura quæ sit. 310. an. 44. col. 1.
Inuidia effectus tres sunt. 311. an. 44. col. 1.
Inuidus adulatori contrarius. 311. an. 44. col. 2.
Ioanna vxor Chusæ Christum de cõsensu mariti sequebatur. 400. an. 7. col. 1.
Ioannes multis de causis Angelus dictus. 239. an. 16. col. 2.
Ioannes quomodo vox dictus sit. 238. an. 13. col. 1.
Ioannes Baptista Iudæis grauitatem, & antiquitatem peccatorum obijcit. 245. com. 2.
Ioannes cur baptizaret, si per eius baptismum non remittebantur peccata. 237. an. 19. col. 1.
Ioannes optimè sic vocatus fuit ab euentu. 133. com. 5.
Ioannes merito lucerna appellatus est. 240. an. 16. col. 1.
Ioannes quomodo eos increpauerit, quorū vitam, & mores ignoraret. 227. an. 23. col. 1.
Ioannes cur prænuncietur magnus futurus. 22. an. 20. col. 1.
Ioannes Baptista paucis verbis misericordiam proximo exhibendam comprehendit. 252. com. 3.
Ioannes vocatus est Angelus, lucerna, & vox ob tria munera, quibus functus est. 239. an. 16. col. 1.
Ioannes quomodo maior cæteris dicatur. 474. an. 47. col. 1.
Ioannes cur in deserto prædicare cœperit. 239. an. 15. col. 1.
Ioannes quid voluerit clamans indicare. 238. an. 14. col. 1.
Ioannes quomodo baptismum penitentia prædicauerit in remissionem peccatorum. 236. an. 11. col. 1. & 2.
Ioannes semper se negans Christum esse, suum baptismum Christi baptismo cur postponat. 257. an. 34. col. 1.
Ioannes singulari modo propheta; Altissimi dictus est, & quare. 147. an. 156. col. 1.
Ioannes vtrum ab infantia in desertum secesserit. 154. annot. 167. col. 1.
Ioannes Baptista cur plura propheta dicatur. 648. an. 44. col. 1.

Ioannes tamen a Christo baptizatus fuit, tamen statum, & conditionem filij non fuit adeptus. 476. an. 50. col. 2.
Ioannes Baptista fuit etiam Apollolus. 720. an. 97. col. 2.
Ioannes Baptista cur non filius sponsi, sed amicus dictus sit. 376. an. 71. col. 1.
Ioannes cur loco filij B. Virgini fuerit, moriente Christo. 206. an. 57. col. 2.
Ioannes quomodo pararet Domino plebem perfectam. 29. annot. 28. col. 1.
Ioannes cur a vino, & sicera abstinuerit. 23. an. 22. col. 1.
Ioannes cum exultavit in vtero, vtrum acceperit gratiam, reliquasque virtutes, & vsum arbitrij, & nouerit Saluatorem. 113. an. 18. col. 1.
Ioannes gratia Dei dicitur. 21. com. 1.
Ioannes varijs de causis magnus erat coram hominibus. 22. an. 21. col. 1.
Ioannes quomodo Christum venturum prænunciauerit. 473. an. 44. col. 1.
Ioannes quibus rebus ceteros superaerit, ita vt illis maior dici meruerit. 175. an. 48. col. 1.
Ioannes qua ratione propheta, & plusquam propheta dicatur. 473. an. 44. col. 1.
Ioannes Baptista quorsum (quasi dubius de Christo) quærat quod nouerat. 466. an. 34. col. 1.
Ioannes ob triplex munus triplici a Christo nomine insignitus fuit. 28. com.
Ioannes cur nullum miraculum fecerit. 27. an. 25. col. 2.
Ioannes Baptista cur plusquam propheta dictus sit. 36. an. 39. c. 2.
Ioannis, & Christi baptizatus in quibus conueniat. 258. an. 35. col. 1.
Ioannis Baptiste stabilitatem, & constantiam laudat Christus. 477. an. 42. col. 1.
Ioannis conceptio cur Zacharia reuelata sit, antequam ferretur conceptio verò Christi, Ioseph, postquam iam facta esset. 73. an. 84. col. 1.
Ioannis Baptiste interfectionis cur non meminerit Christus. Luc. 11. 25. an. 100. col. 2.
Ioannis in vtero exultatio quare facta. 116. an. 121. col. 1.
Ioannis Baptiste personam, & munus plurima commendant. 234. an. 6.
Ioanne Baptista nato promulgatum est edictum Cæsaris. 157. com. 1.
Iob fuit sacerdos. 191. an. 39. col. 1.
Jonas quomodo fuerit figura Christi. 703. an. 71. col. 2.
Isaia locus cap. 61. explicatur. 302. an. 32. col. 1.
Jordanus è duobus fontibus oritur, & a mari mortuo absorbetur. 235. an. 8. col. 1.
Ioseph, & B. Virgo vterque de stirpe Dauid erant. 160. com. 2.
Ioseph idem quod auctus, seu accrescens. 51. an. 58.
Ioseph non senex, sed maturæ ætatis fuit, quando B. Virginis sponsus factus est. 51. an. 59. col. 2.
Ioseph erat de domo Dauid. 52. an. 60. col. 1.
Ioseph cur a pictoribus senex pingatur. 52. an. 59. col. 2.
Ioseph semper virgo permansit. 1. an. 59. col. 1. & 2.
Ioseph quomodo Christi pater sit dicitur. 198. an. 51. col. 1.
Ioseph error in constituendo duas descriptiones. 158. an. 1. col. 2.
Iosias Rex Iudæ cur contaminauerit Tophet. 733. an. 8. col. 2.
Irruere hoc loco quid significet. 333. an. 1. col. 1.
Isaias, & Angelus, quomodo conueniant, cum ille Emanuelem; hic vero IESVM Dominum appellandum dicat. 74. an. 86. col. 1.
Isai Dauidis pater Bethlehemita erat. 159. com. 1.
Itineris ratio apud Iudæos. 214. an. 58. col. 2.
Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non manducant. 710. an. 83. col. 2.
Iudæi multis de causis doctrinam Christi admirabantur. 315. an. 52. col. 2.
Iudæi quare Christum extra ciuitatem eiecerint, dum volebant ipsum præcipitare. 313. an. 49. col. 1.
Iudæi cur Christo fuerint irati. 313. an. 48. col. 1.
Iudæi, quod signa petant, cur a Christo reprehendantur. 701. an. 67. col. 1.
Iudæi quot modis Christo contradixerunt. 202. com.
Iudæi quare surrexissent dicantur, qui in Christum crediderunt. 202. an. 54. col. 2.
Iudæi mixtim habitare potuerunt, prout libuit, sed possessiones mutare non poterant. 42. an. 48. col. 1.
Iudæi quare viperarum sint gemina vocati. 246. an. 22. col. 1.
Iudæi nomē (יהודאי) virginem significans, malisiose interpretantur. 104. an. 111. col. 1.

Iudæi, & gentes diuersimode in tenebris sedebant. 151. com.
Iudæi Virginitatem B. Virginis negantes, septuaginta interpretum auctoritate refelluntur. 104. an. 111. col. 2.
Iudæi Virginitatem Deiparæ negantes sacram scripturarum testimonij, & auctoritate conuincuntur. 104. an. 111. col. 1.
Iudæi tribus anni solemnitatibus in Hierusalem ascendebant ex Dei præcepto. 213. an. 68. col. 1.
Iudæi immerito Christum reijciunt, quia Nazarenus est. 44. an. 51. col. 1.
Iudæi Virginitatem B. Virginis negantes quomodo conuincantur. 104. an. 111. col. 1.
Iudæi vbinam filios filiasque suas immolabant. 73. an. 8. col. 1.
Iudæis grauitas, & antiquitas peccatorum a Ioanne Baptista obiecta. 245. com. 2.
Iudæi mensẽ Martium primum anni habebant. 35. com.
Iudæi, in veteri testamento, vitæ æternæ notitiam, promissionem, & spem habuerunt. 650. an. 48. col. 1.
Iudæi ignorantia quæ sit, & quæ Gentilis. 697. an. 61. col. 1.
Iudæi quamobrem puniendi dicantur pro omnibus homicidijs, quorum plurima non commiserunt, variæ sententiæ. 720. an. 98. col. 2.
Iudæi, cum & dixerint, & cogitauerint Christum in Beelzebub eiecere dæmonia, cur ipse ad cogitationes eorum tantum responderit. 683. com. & an. 36. col. 1.
Iudæi etiam, & alij increduli, qui Christum visu corporeo, & auribus viderunt, & audierunt, cur comprehendantur illis verbis (Beati qui vident, &c.) 648. an. 44. col. 1.
Iudæi quoties a Christo petierint signum. 702. an. 70. col. 2.
Iudæi increduli quomodo nunc in peiori statu esse dicantur, quam fuerint in idololatriæ statu. 696. an. 61. col. 1. & 697. col. 1.
Iudæis cur vere dictum sit (Erunt nouissima hominis illius peiora prioribus. 697. an. 61. col. 2.
Iudæis mos fuit populos per familias describere. 159. an. 3. col. 1.
Iudæis cur signum Ionæ solū promittat Christus; cum tñ multa alia ediderit. 702. an. 69. c. 2. & an. 70. c. 2. 703. c. 6 & 704. an. 73. de Iudæis quomodo explicetur verba illa. Luc. 11. (Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus, &c.) 696. an. 60. col. 1.
Iudæorum stulta opinio de Dæmonibus. 682. an. 33. col. 2.
Iudæorum error de temporali Messie Regno. 80. an. 89.
Iudæorum, & Gentium in Dei sanctificatione discrimen. 666. an. 6. col. 2.
Iudæorum ruina diuersis vocibus in scriptura notatur. 199. com. 3.
Iudæorum calumniæ respondentes Patres, quomodo intelligendi. 80. an. 89. col. 2.
Iudæorum incredulitatem Christum non recipientium, quia Nazarenus erat, nullo modo posse excusari, multis rationibus probatur. 45. an. 51. col. 2.
Iudæorum conuersionis difficultas ex scripturis ostenditur. 697. an. 61. col. 1.
Iudæorum, qui Christum non receperunt, duo genera. 706. an. 76. col. 1.
Iudæorum malignitas in quo longè maior ostendatur, quam Magorum Pharaonis. 682. com. 1.
Iudæorum malitiam reprehendens Christus cur patrum eorundem meminerit. 700. an. 66.
Iudæorum graue peccatum quod fuerit. 792. an. 85. col. 1.
Iudæus legem veteris testamenti non obseruans cur peccet, cum tamen ea sit ipsi mortifera. 697. an. 61. col. 2.
Iudaici populi status quadruplex. 696. an. 60. col. 1.
Iudam cur Christus elegerit, quem proditorem nouerat. 396. an. 33. col. 1.
Iudas vnde sit dictus Iscariotes. 395. an. 23. col. 1.
Iudas, & ceteri Apostoli quare non sint ob vnam vnctionem indignati, vt ob aliam. 487. an. 67. col. 1.
Iudex quis intelligatur, quis vero Princeps. Luc. 12. ibi: Cum autem vadis cum aduersario tuo, &c. 794. an. 88. col. 1.
Iudices calumniatorum Christi quomodo futuri intelligantur ipsorum filij. ibi (Ideo ipsi iudices vestri erunt.) 686. com. & an. 42.
Iudicia, iustitiæ, mandata, & testimonia quomodo in scriptura differant. 14. an. 10. col. 1.
Iudicij tempore omnes etiam infideles, comparebunt. 706. an. 77. col. 1.
Iudicij duplex, vnum discussionis, alterum sententiæ. 706. an. 77. col. 2.
Iuliani Pelagiani error damnabilis, negatis verum matrimonium inter B. Virginem, & Ioseph fuisse. 49. an. 56. col. 1.
Iulianus, & Porphyrius Marthæi vocationem irridentes, refelluntur. 366. an. 55. col. 1.

Iura-

Iuramentum Abrahæ præstitum quodnam fuerit. 143. an. 152. col. 2.
Iuramentum quomodo a testamento distinguatur. 142. com. 2. (Iurandum) sine verbo positum varias inuexit explanationes recentiorum. 142. an. 152. col. 1. & 2.
Iustificandi verbum in scriptura quomodo sæpe accipiat. 653. an. 55. col. 1.
Iustificare in illo Lucæ (volens iustificare seipsum, &c.) quid significet. 653. an. 55. col. 2.
Iustus Spiritum sanctum ipsum filiū Dei vocat. 87. annotat. 97. col. 1.
Iustitia, & sanctitas parentum quatuor modis filijs prodest. 13. an. 9. col. 1.
Iustitia Regni Dei cur bona opera dicantur. 774. com. & annot. 58. col. 2.
Iustitia est triplex. 14. com.
Iustitia duplex est, alia ex lege, alia ex fide Christi. 12. annotat. 8. col. 1.
Iustitiæ est, quod vni Deus lumen suum neget; quod vero alteri infundat, misericordiae. 642. an. 35. col. 1.
Iustitiæ, & sanctitatis nomine quid intelligatur. 145. com.
Iustitiæ mandata, iudicia, & testimonia in Scriptura quomodo differant. 14. an. 10. col. 1.
Iustitiam moralem, aut legalem nemo potest perfecte sine fidei iustitia assequi. 14. com.
Iusti ante Euangelium in statu seruorum erant. 665. annotat. 4. col. 1.
Iusti cur vtribus comparentur. 380. an. 29. al. col. 1. & 2.
Iustorum opera quomodo alijs profint. 404. an. 31. col. 1.

L.

Laborem improbus quid sit. 676. an. 22. col. 1.
Lampades in manibus tenebant milites, Gedeone aduersus Madianitas pugnante. 780. an. 64. col. 2.
Lancea, quæ Christi aperuit latus, ille est gladius, qui B. Virginis animam pertranxit. 205. an. 56. col. 2.
Lapis offensionis, & petra scandali quomodo inter se differant. 201. an. 53. col. 1.
Lapidis, Serpentis, & Scorpionis nominibus quid significetur. Luc. 11. 678. com. & 679. an. 27.
Lapidum nomine quidnam intelligatur. 250. an. 27. col. 1.
Largitas Dei erga iustos peccantes. 21. an. 19. col. 2.
Latrones sunt, qui in vijs deprædantur. 654. com.
Laudare, gratias agere, benedicere quomodo differant. 195. an. 46. col. 1.
Laus, & benedictio hominum quænam improbetur. 407. an. 36. col. 1.
Laus est manifestatio quædam virtutis. 642. an. 35. col. 2.
Lazari cur mentio non fiat apud Lucam, ibi (Et mulier quædam Martha nomine excepit eum, &c.) 658. an. 65. col. 1.
Lectio varia sententiæ illius. Luc. 12. Et quid volo, nisi vt accendatur. 788. an. 79. col. 1.
Lectio, & interpretatio varia illius loci (si in digito Dei eiecio dæmonia, &c.) 687. an. 43.
Lectio varia Euangelistarum circa verba (Patris, & sanctorum Angelorum) 580. an. 51. col. 1. eorumque verborum explicatio. 581. an. 52. col. 1.
Lectio varia in textu Græco de annis viduitatis Annæ prophetisæ. 209. an. 60. col. 1.
Lectio varia huius loci (Imperauit febr.) 325. an. 77. col. 1.
Lectiones variæ de istis verbis (quem dicunt esse turbæ) citantur. 570. an. 35. col. 1.
Lege purificationis non fuit comprehensa Deipara. 183. an. 35. col. 1.
Legem veteris testamenti non nosse cur Iudæo melius esset. 697. an. 61. col. 2.
Legis transgressor a Scribis, & Phariseis Christus reputabatur. 649. com.
Legio quid sit, & quid per eam hoc loco significetur. 532. an. 67. col. 1.
Legisperiti responsio apud Lucam cur a Christo commendetur. 652. com. 1. Idem quomodo rectè responderit. pag. eadem. an. 53. col. 1.
Legisperiti historia, quam Lucas refert, an sit eadem cum ea, quæ Matthæus, & Marcus referunt de Legis doctore. 649. an. 46. col. 1.
Legisperitus, de quo Lucas, quo animo ad Christum accesserit.

649. com. & an. 47. col. 1.
Legisperitus, apud Lucam, sapienter post primum legis præceptum, secundum exposuit. 651. com.
Legisperitus, apud Lucam, quos putabat solum proximos esse. 656. an. 62. col. 1.
Lepra aliquis duplici modo esse potest plenus. 344. an. 16. col. 1.
Leprosi reuerentia fuit vera adoratio. 344. an. 18. col. 1.
Leprosi prudentia multis circumstantijs declaratur. 346. an. 20. col. 1.
Leprosi verborum duplex sensus, & vter textui accommodatus. 345. an. 19. col. 1.
Leprosus cur Iudæis fuerit prohibitum tangere, donec lepra totum corpus non occupasset, naturalis ratio datur. 130. annotat. 38. col. 1.
Leprosus cur tetigerit Christus, cum id lege prohibitum esset. 346. an. 21. col. 1.
Leprosus iste Christi diuinitatem credit. 344. an. 19. col. 1.
Leprosus quomodo non violauerit Christi præceptum, eius miraculum reuelando. 352. an. 29. col. 2.
Leprosus vtrum solo Christi verbo, vel solo tactu, an vtroque simul sanus sit factus. 348. an. 23. col. 1.
Leprosus cur miraculum manifestauerit, quod Christus manifestare prohibuerat. 352. an. 29. col. 1.
Leuitica tribus nullam certam possessionem in diuisione terræ promissionis obtinuit. 111. an. 116. col. 2.
Leui, & Iuda tribus nobilissimæ fuerunt. 111. com.
Lex vetus cur cessauerit adueniente Euangelio. 381. annotat. 79. col. 1.
Lex non prohibuit tangere leprosum, sed tangentibus indixit immunditiæ pœnam. 347. an. 21. col. 1.
Lex, & Euangelium ab eodem spiritu profecta, sed diuerso fine, & effectu. 615. an. 123. col. 1.
Lex vetus numero quinario cur fuerit comprehensa. 37. an. 40. col. 1.
Lex Deuterion. 24. quid prohibeat. 722. an. 98. col. 1.
Lex naturalis, & eorum, quæ facere oportet, notior est Iudæo, quam Gentili. 697. an. 61. col. 2.
Lex veteris testamenti cur Iudæo sit mortifera, eam tamen si non obseruet, peccet. 697. an. 61. col. 2.
Liberatio a seruitute Aegyptiaca figura fuit liberationis generis humani. 35. an. 38. col. 2.
Ligatio, seu obligatio, qua Luc. 11. dicitur a Christo ligatus Dæmon, quomodo differat ab illa, de qua in Apocalypsi. 692. an. 54. col. 1.
Ligatus Dæmon quomodo, & vbi dicatur a Christo, & qualis fuerit eius alligatio, variæ sententiæ. 690. 691. & 692. an. 54.
Liliorum exemplo ad amouendam vestimentorum a Discipulis sollicitudinem cur vltus sit Dominus. 769. an. 50. col. 2.
Littera T. mysterium crucis indicat. 74. an. 85. col. 2.
Loca iniqua Luc. 11. siue arida, vt est apud Matth. quid significet. 693. & 694. an. 57.
Loci illius Luc. 12. Nolite in sublime tolli, variæ interpretatio. 772. an. 54. col. 1.
Loci illius (Videbam Satanam, &c.) variæ expositio. 637. an. 25. col. 1.
Loci illius: Veruntamen quod superest date elemosynam, &c. Luc. 11. variæ expositio. 712. an. 87. col. 1.
Loci illius Luc. 11. (Cum immundus spiritus exierit, &c.) expositio. 693. com. & an. 57.
Locus Haia 61. exponitur. 302. an. 32. col. 1.
Locus Pauli de regno Christi explicatur. 82. an. 91. col. 1.
Locus Marci de vnctione infirmorum explicatur. 561. annot. 16. col. 1.
Locutio Christi comparatiua est in his verbis (non veni vocare iustos) 371. an. 63. col. 1.
Locus Marthæ 11. (Inter natos mulierum) explicatur. 202. an. 54. col. 2.
Locus Lucæ (venisti perdere nos) explicatur. 319. an. 57. col. 1.
Locus Numer. 11. explicatur. 612. an. 115. col. 1.
Locus Petri 1. de voce, explicatur. 594. an. 77. col. 1.
Locus Ithie septimo explicatur. 511. an. 25. col. 2.
Locus ille (Porro vnum est necessarium) variè interpretatus, & quæ interpretatio optima sit. 660. an. 71.
Locus ille Luc. 11. (qui non est mecum, &c.) explicatur. 692. com.
Locus ille (& cum proiecisset, &c.) quomodo Doctores exponant. 321. an. 62. col. 1. & 2.
Loculum tribus de causis tetigit Christus. 463. an. 30. col. 1.
Locutiones Patrum de vnitatis personæ Christi cum limitatione legendæ. 94. an. 102. col. 2.

Lotiones varias cur spreuerit, ac reprehenderit Christus in Pharisæis. 711. an. 84. col. 1.
Lotiones ante cibos facientes Iudæos quoties reprehenderit Christus. 711. an. 84. col. 1.
Lucas cur seriem generationis Christi vsque ad Adam produxerit. 280. an. 62. col. 1.
Lucas cur dæmonium vocauerit immundum. 316. an. 53. col. 1.
Lucas multa dicitur a B. Virgine didicisse de infantia Saluatoris. 5. an. 6. col. 2.
Lucas quam particulam omiserit orationis dominicæ. 665. an. 5. col. 1.
Lucas multa scripsit, quæ alij Euāgelistæ reliquerant, & quænam ea sint. 6. an. 9. col. 1.
Lucas cur vnus tantum Gentium Imperatoris, & quatuor Principum Iudæorum meminisset. 23. an. 4. col. 2.
Lucas cur non, vt Matthæus, dicit Mathat genuit Heli, sed tantum asserat, qui fuit Heli, &c. 275. an. 57. col. 1.
Lucas his verbis (Anno quintodecimo Imperij, &c.) tres prophetias de Christi aduentu esse completas indicat. 231. an. 1. col. 1.
Lucas cur post baptismum Christi eius genealogiam recensuerit; Matthæus vero ante natiuitatem. 275. an. 57. col. 2.
Lucas cur ascendendo, Matthæus vero descendendo Christi scripserint genealogiam. 275. an. 57. col. 1.
Lucas solus cur præfatione vtatur. pag. 3. col. 1.
Lucas cur suum Euangelium a Ioannis Baptistæ conceptione, & natiuitate exordietur. 9. col. 1.
Lucas cur dicat multos conatos esse Euangelium scribere, & de hac re Doctorum opiniones. 3. col. 1.
Lucas solus narrat historiam diuisionis hæreditatis, quam a Christo frater aduersus fratrem postulat. 754. an. 25. col. 1.
Lucernæ accensæ, de qua in Euangelio, varia interpretatio. 707. an. 78. col. 1.
Lucernæ parabolam quoties, & cur protulerit Christus. 707. an. 78. col. 1.
Lucernæ ardentes habere in manibus quid sit. 778. com. & an. 63. col. 2.
Lucus, de quo Lucas loquitur, diuersus ab eo, quem Matthæus refert. 401. an. 49. al. 29. col. 1.
Lumen quid significet ibi: Vide ergo ne lumē, quod in te est, &c. Luc. 11. 709. an. 80.
Lumine Euangelij Christus vmbra legis, & Gentium tenebras depulit. 36. an. 38. col. 2.
Lunaticum esse, & spiritum malum habere vtrum idem sit. 600. an. 89. col. 1.
Lyfania, cuius Euangelista facit mentionem, quis fuerit, non constat. 233. an. 4. col. 1.

M.

Macedoniani hæretici quo scripturæ loco abusi sint, ad probandum Spiritum sanctum minorem esse Patre, nec eiusdem substantiæ cum eo. 645. an. 40. col. 1.
Machabæos, qui mortem elegerunt potius, quam porcinis vescerentur, cur inter Martyres reponit Ecclesia. 739. an. 16. col. 1.
Magi Pharaonis quid intellexerint per digium Dei. 687. an. 44. col. 2.
Magistratus, Potestas, & Synagoga quomodo differant. 753. com. Magorum aduentus quando factus sit. 211. an. 64. col. 2.
Magna quomodo quædam dicantur, cum sint parua. 689. an. 48. col. 1.
Magnificandi modus triplex est. 119. an. 24. col. 1.
(Magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa) phrasis Hebræa est, eiusque significatio. 129. com. 1.
Magnus tribus modis aliquis dici potest. 22. an. 21. col. 1.
Mala sine gratia, & ex nobis facimus; bona vero in gratia, & virtute Christi. 738. an. 14. col. 2.
Maledicere quot modis contingat. 414. an. 44. col. 1.
Maledicere quando alicui liceat. 414. an. 44. col. 2.
Maledicere quid significet. 114. com.
Maledictionis loco cur benedictionem populo Dei impertitus sit Balaam. 753. an. 24. col. 1.
Mali cur homines vniuersaliter dicantur a Christo. 679. an. 28. col. 2.
Malis, & reprobis cur in hoc seculo bona temporalia concedantur. 758. an. 32. col. 1.
Malitia quinam peccent, qui vero fragilitate, & qui ignorantia. 744. an. 18. col. 2.
Malitiam Iudæorum reprehendens Christus cur patrum eorum-

dem meminerit. 700. annotatio. 66.
Malum omne tentatio est. 674. an. 17. col. 2.
Malum in petitione septima Orationis dominicæ quid significet. 674. an. 17.
Mandata, iustitiæ, iudicia, & testimonia quomodo in scriptura differant. 14. an. 10. col. 1.
Manichæi, Valentinus, & alij hæretici falso suum errorem loco illo Matthæi (quod in ea natum est) defendunt, eorumque confutatio. 95. an. 103. col. 1.
Manichæorum error. 712. an. 85. col. 2.
Manichæorum error, dicentium aliquas animas esse natura malas. 441. an. 82. col. 1.
Manus, id est, virtus Domini, multis modis in scriptura vsurpatur. 135. an. 143. col. 1.
Manus cur non abluerit Christus ante prandium, cum esset inuitatus a Pharisæo. 710. com. & 711. an. 84. col. 2.
Manuum, aliasque lotiones cur spreuerit, ac reprehenderit Christus in Iudæis. 711. an. 84. col. 1.
de Manuum, aliisque lotionibus ante cibos quoties Pharisæos reprehenderit Dominus. 711. an. 84. col. 1.
Marcion hæresis conuincitur. 640. an. 31. col. 1.
Marcion Euangelistæ auctoritate conuictus. 350. an. 26. col. 1.
Marcion alium Deum noui, alium veteris testamenti asserens exploditur. 380. an. 76. col. 1.
Marcion hæreticus qua Euāgelij sententia probabat alium Deum esse noui, alium veteris testamenti. 755. an. 27. col. 1.
Marcion Hæreticus quæ Euāgelij verba eraserit, & cur. 722. an. 99. col. 1.
Marcion hæreticus, probans Christum Veteri Testamento contrarium, confutatur. 347. an. 22. col. 1.
Marcionis calumnia contra Euangelium exploditur. 420. an. 51. col. 1.
Marcionis error verbis Lucæ conuincitur. 36. an. 39. col. 1.
Marcionis hæretici stolidissimus error varie confutatus. 646. an. 42. col. 1.
Marcionitæ Christum omnino de muliere generatum negat. 203. an. 55. col. 1.
Marci verba ex Isaia sumpta cap. 6. quomodo sint intelligenda. 509. an. 23. col. 1.
Marcus, Matthæo, & Lucæ de virga loquentibus concordatur. 555. an. 6. col. 1.
Marcus, & Lucas, quomodo conueniant, cum hic dicat dæmonem discerpisse hominem, ille vero ei nihil nocuisse. 322. an. 63. col. 1.
Maria Magdalenz foror fuit Lazari, & peccatrix. 499. an. 5. col. 1.
Maria, & Ioseph vterque erant de domo Dauid. 52. an. 60. col. 1.
Mariam Virginem toto vitæ tempore nullum actuale peccatum habuisse, dogma est fidei. 671. an. 13. col. 2.
Martha cur prudenter ad Christum, non ad sororem sermonem conuertit. 659. com.
Martha, cur sola dicatur recepisse Christum in domum, non autem Maria. 658. com.
Martha Martha, vox hæc sic geminata quid significet. 660. com. & an. 70. col. 2.
Martha suum præferens officium petebat Mariam a proposito remoueri. 661. an. 72. col. 1.
Martha non inculcat Christum, sed sorores illis verbis (Domine non est tibi curæ.) 659. com. 2. & an. 69. col. 1.
Marthæ conquerentis verba vnde processerint. 659. an. 69. col. 2.
Marthæ cur præparadi conuiuij cura magis incūbebat. 658. com.
Marthæ ob quid reprehenderit Christus, ibi (Martha, Martha, &c.) variæ sententiæ. 660. an. 70. col. 1.
Martham discurrendo, & transeundo vidisse Dominum, non legitur in Euangelio, quod autem sederit insinuat habemus. 659. an. 68. col. 2.
Martham etiam cum Maria ad pedes Domini docentis confedisse vnde colligatur. 658. com. & an. 66. col. 1.
Martius mensis cur a Domino electus sit ad conceptionem suam secundum carnem. 35. an. 38. col. 1.
Martius primus fuit mensis anni secundum computationem Iudæorum. 35. com.
Martyrium B. Virginis quomodo contrarium fuerit martyrio Satorum. 206. an. 57. col. 1.
Martyriū baptismus sanguinis appellatur a Patribus. 738. an. 15. c. 2.
Mater Dei sine peccato concepta fuit ex privilegio, non autem natura propagationis. 115. an. 119. col. 2.

Mater Christi, non autem Christus ipse, beatificatur illis verbis. Beatus venter, &c. 698. com.
Marris felicitatem, quod eum genuerit, vtrum neget Christus verbis illis: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, &c. 699. an. 64. col. 1.
Matthæi locus (inter natos mulierum) exponitur. 202. an. 54. col. 2.
Matthæo conuiuium exhibente cur tot Publicani eo conuenerunt. 367. an. 57. col. 1.
Matthæus cur maxillæ dexteræ mentionem faciat, non vero Lucas. 418. an. 49. col. 1.
Matthæus, & Lucas quomodo conciliandi in hac Christi sententia (vt videntes non videant.) 508. an. 21. col. 1.
Matthæus, & Marcus circa prohibitionem calceorum concordantur. 558. an. 11. col. 1.
Matthæus si omnia reliquerit, quomodo Christo conuiuium face-re poterit. 367. an. 56. col. 1.
Matthæus cur Christo conuiuium fecerit. 367. an. 56. col. 1.
Matthæus tentationes Christi eo ordine, quo factæ sunt, describit. 290. an. 15. col. 1.
Matthæus cur descendendo, Lucas vero ascendendo Christi scripserint genealogiam. 275. an. 57. col. 2.
Matthæus, & Lucas, quomodo in Ioannis Baptistæ verbis conueniant. 245. an. 21. col. 1.
Matthæus cur non simul cum alijs Apostolis vocatus sit. 365. an. 54. col. 1.
Matthæus cur ante Natiuitatem Christi, Lucas vero post Baptismum eius genealogiam recensuerit. 275. an. 57. col. 2.
Matthæus, & Lucas, quomodo in proxima sententia conueniant, (& stetit in loco cæpestri.) 396. an. 13. al. 24. col. 1. & 397. an. eadem, auctoris sententia.
**Memoria Dei eorum, quos in ciues cælorum elegit; cur liber dicatur, in quo illi scripti sunt pag. 639. an. 28. col. 1.
Mendacium dæmonis detegitur.** 293. an. 13. col. 1.
Mercenarius dignus est mercede, &c.) quomodo sit intelligendum. 559. an. 12. col. 1.
Messias Iudæi quomodo soliti erant appellare. 681. an. 32.
Messias appellatur a Iacob, desiderium collum æternorum. 648. an. 45. col. 1.
Metaphora messis cur Christus sit vsus, & quæ sit hæc messis. 624. an. 4. col. 1.
Milites, Gedeone contra Madianitas pugnante, lampades in manibus habebant. 780. an. 64. col. 2.
Milites tribus plerumque peccatis obnoxij sunt, & quæ nam illa sint. 255. com. 3.
Militiæ cælestis in scriptura duplex acceptio. 171. an. 19. col. 1.
Ministri Ecclesiæ quales debeant esse. 373. an. 17. col. 1.
Minor in regno cælorum quomodo maior Ioanne dictus sit. 476. an. 50. col. 1.
Minutum quid sit. 79. col. 1.
Mirabilia tria mense Martio acciderunt. 35. an. 38. col. 1.
Miracula eadem Christi quàm diuersos in Iudæorum animis effectus produxerint. 682. an. 35. col. 1.
Miracula cur signa appellerentur. 700. com. 2. & 702. an. 69. col. 2.
Miraculorum virtute cur in hoc seculo non sit vsa B. Virgo. 58. an. 67. col. 1.
Miseria diuitis auari quanta sit. 759. an. 33. col. 1.
Misericordia Dei erga diuites illum Luc. 12. in quo appareat. 763. an. 41. col. 1.
Misericordia Christi in tactu leprosi elucet. 347. an. 21. col. 2.
Misericordia Samaritani in eum, qui incidit in latrones, licet conditionem Samaritani longe superet, nomini tamen optime respondet. 655. com.
(Misericordia volo non sacrificiū.) quid sit. 371. an. 64. col. 1. & 2.
Misericordiae est, quod vni Deus lumen suum infundat; quod autem alteri neget, Iustitiæ. pag. 642. an. 35. col. 1.
Misericordiae mentionem, & non dilectionis potius, cur scriptura sæpe faciat. 150. an. 161. col. 1.
Misericordiae descriptio. 149. an. 161. col. 1.
Missionum genera a Deo facta sex in scriptura referuntur. 37. an. 41. col. 1.
Modestia, & prudentia Centurionis. 455. an. 15. col. 2.
Modestiae causa nõ dixit Christus, qui me videtis, sed, qui videtis, quæ vos videtis. 647. com.
Modum sese mundandi quem doceat Christus Pharisæos. 712. com.
Montana Iudææ quæ nam illa fuerint, in quæ abiit B. Virgo. 110. an. 115. col. 2.
Montani Hæretici quadragesima exploditur. 376. an. 72. col. 1.

Mors in scriptura somnus, & mori dormire vocatur. 549. annot. 106. col. 1.
Mors futura quomodo anxium reddebat Christum. 789. com. & an. 80. col. 1.
Mortem suam cur baptismum appellerentur. 789. com.
Mortis hominum hec incerta vbi nam in Euangelio significetur. 781. com.
Mortis nomine regio significatur a gentibus idolatris habitata. 152. an. 164. col. 1.
Mortui mortuos sepelientes qui sint. 619. an. 129. col. 1.
Mortui illi tres a Christo suscitati quid significent. 461. annot. 27. col. 1.
Mortuorum suscitatio quomodo fuerit signum aduentus Messie. 469. an. 37. col. 1.
Mos fuit Iudæis populos per familias describere. 159. annotat. 3. col. 1.
Mos scripturæ cur sit post generale explicare particulare. 747. annot. 19. col. 1.
Moyles, & Elias an locuti sint cum Christo de eius excessu. 587. an. 65. col. 2.
Moyles, & Elias quomodo in transfiguratione Domini dicti sint vni a Discipulis. 586. an. 62. col. 1.
Moyles fuit Propheta, & Apostolus. 720. an. 97. col. 1.
Moyles, & Elias a quibus sint visi, & quomodo in transfiguratione apparuerint. 585. an. 61. col. 1.
Moyles, & Elias quare loquerentur de morte cum Christo. 588. an. 65. col. 1.
Moylis præceptum de oblatione pro Leprosi emundatione quomodo intelligendum. 351. an. 27. col. 1.
Mulier alabastrum habens, vt Christum vngeret, quomodo peccatrix fuerit. 482. an. 61. col. 2.
Mulier post partum cur diceretur immunda. 183. an. 34. col. 1.
Mulier peccatrix, quomodo multum dilexerit, antequam scierit peccata sibi remissa. 492. an. 74. col. 1.
Mulier peccatrici quando sua peccata fuerint remissa. 494. an. 76. col. 1.
Mulieres Christum sequentes Christo, & Apostolis inferiebant. 500. an. 8. col. 1.
Mulieris hæmorrhoiæe gratitudo. 546. an. 99. col. 2.
Mundus in Martio creatus fuit. 35. an. 38. col. 1.
Munus, & personam Ioannis Baptistæ plurima commendant. 234. an. 6. col. 1.
Muri omnes naturaliter surdi sunt. 31. an. 32. col. 1.
Mucinum semper etiam turdi. 680. an. 30. col. 2.
Murum cur dicatur Dæmonium. 680. & an. 30.
Murus Luc. 11. an ad solam expulsionem Dæmonis locutus sit. 481. an. 31.
Mytheria, quæ sub hoc Patris testimonio. (Tu es filius meus) continetur. 269. an. 50. col. 2.
Mytheria plurima in nomine I E S V includuntur. 74. an. 85. col. 1.
Mytheria diuina quibusdam reuelari; alijs vero abscondi; quodque hi credat; illi autem non, vnde procedit. pag. 642. an. 35. col. 1.
Mytheria aliquot Galilææ nomine insinuatæ fuerunt, & quænam sint. 42. an. 49. col. 1.
Mytheria quatuor præcipua, ob quæ Christus in Martio concipi voluit. 35. an. 38. col. 2.
Mytherium incarnationis tribus modis potuit manifestari. 39. an. 42. col. 1.
Mytherium miraculo sanationis hæmorrhoiæe inclusum quodnam sit. 46. an. 100. col. 1.
Mytherium incarnationis prius angelis, quam hominibus innotuit. 39. an. 42.
Mytherium incarnationis cur per Angelum Deus Beatæ Virginis nunciauerit, & non per se. 39. an. 43. col. 1.
Mythica significatio nauis Petri. 334. an. 1. col. 1.

N.

Naaman fides in multis ostenditur. 312. an. 47. col. 1.
Nascendi verbum apud Philosophos necessario significat. 95. annot. 103. col. 2.
Nasci, duplici modo in scriptura accipitur. 94. annotatio. 103. col. 1.
Natiuitas dupliciter accipitur. 25. an. 23. col. 2.
Natiuitas Ioannis cur timore hominibus incusserit; Natiuitas autem Saluatoris gaudium. 134. com. 1.
Natiuitas Christi cur pastoribus, & non Pharisæis annunciata sit. 166. an. 14. col. 1.

Natura Angelica circumscripta est. 30. an. 31. col. 1.
Natura inuidiæ quæ sit. 30. an. 44. col. 1.
Naturalis via conceptionis secundum philosophos. 34. ann. 36. col. 1.
Navis Petri mystica significatio. 334. an. 2. col. 1.
Navis reductio à terra quid significet. 334. an. 3. col. 1.
Navis in altum mystica reductio. 335. an. 5. col. 1.
Nauium submersio quid indicet. 338. an. 10. col. 1.
Nazar explicatio Hebræorum. 43. an. 50. col. 2.
Nazareni etymologia. 43. an. 50. col. 1.
Nazarenorum manus qualiter Christus euaserit. 314. an. 50. col. 1.
Nestorij error damnatus, duas in Christo naturas, & personas ponens. 94. an. 102. col. 2.
Nestorius, quo fundamento nixus, negauit B. Virginem matrem Dei esse. 69. an. 80. col. 2.
Nestoriani, & Ariani refutantur. 226. an. 86. col. 1.
Nocte cur reperatur animæ diuinitas. Luc. 12. 763. an. 40. col. 1.
Noctem in quot vigilias diuiserent Hebræi. 781. com.
Noctis uigilia cū sint quatuor, cur quartæ non meminerit Christus. 781. an. 67. col. 2.
Noctis in quatuor uigiliis diuisio, & quot horas singulæ uigiliæ haberent. 165. com. 2.
(Noli timere) propria locutio Angelorum bonorum, quando læti aliquid nunciaturi sunt. 67. com. 2.
Nomen cur pueris in circumcissione imponeretur, causa quadruplex datur. 131. an. 124. al. 139. col. 1.
Nomen quid hoc loco significet. 403. an. 30. col. 1.
Nomen sanctum eius, Hebraismus est. 122. com. 2.
Nomen Græcum ἱερός tripliciter sumitur. 556. an. 6. col. 2.
Nomen sacrosanctum Mariæ tres habet etymologias. 53. an. 61. col. 1.
Nomen vxoris non aufert uirginitatem. 160. com. 3.
Nomen, I E S V S, quomodo nouum dici possit. 75. annot. 86. col. 1.
Nomina hæc, panem, piscem, & ouum, Luc. 11. quid significant. 679. an. 27. col. 1.
Nomina uestra scripta sunt, & non potius, vos scripti estis, cur dicat Christus. 639. an. 28. col. 1.
Nominis illius (stulte) quo Deus Luc. 12. diuitem compellat, energia. 762. com.
Nominis sanctissimi IESV etymologia: quatuor de ea diuersæ sententiæ reijciuntur. 73. an. 85. col. 1.
Nominis Tophet interpretatio. 733. an. 8. col. 2.
Nominis Gehennæ interpretatio. 733. an. 8. col. 1.
Nominibus his, Pater, & Domine cæli, & terræ, cur Christus usus sit, eorūque uaria interpretatio, & discrimen. 640. annotat. 31. col. 1.
Nominibus lapidis, serpentis, & Scorpionis Luc. 11. quid significetur. 678. com. & 679. an. 27.
(Non in solo pane,) diuersis modis explicant. 289. annotat. 12. col. 1.
Non maledicere præceptum est, benedicere uero maledicentibus consilium. 414. an. 44. col. 1.
Non omnes uirgines stuprum admittentes comburi solebant, sed solæ sacerdotum filię. 47. an. 55. col. 1.
Nouatianus ueniam petentibus dari negabat. 739. annotat. 16. col. 2.
Nubes illa in monte Tabor, an à terra fuerit eleuata. 593. an. 76. col. 1.
Nubes, quæ Christum, Moysen, & Eliam circumdedit, cur sit facta lucida. 592. an. 74. col. 1.
Nubes illa, quæ Christum Moysen, & Eliam circumdedit, cur, & ex qua materia sit facta. 592. an. 73. col. 1.
Nubes ab occafu surgens cur pluuia signum esset Iudæis. 791. com. & an. 84. col. 1.
Numeri imparis cur ponat exemplum Christus, separationem explicans ob Euangelium futuram. 790. an. 82. col. 1.
Número quinario cur lex uetus fuerit comprehensa. 37. an. 40. col. 1.
Numerus quadragenarius in scripturâ mysterijs refertus est. 284. an. 3. col. 1.
Numerus senarius primus numerus perfectus est. 39. annotat. 40. col. 1.
Numerus duodenarius Apostolorum multis figuris præsignatus. 394. an. 19. col. 2.
Nutritio pueri, dum est in utero, per umbilicum fit. 130. an. 138. col. 2.

O.

Obedientia puerorum duodecimo anno perfecta est. 215. an. 69. col. 2.
Obiectio duplex, quod non fuerit opus sine uirili copula Christum concipi, earumque solutio. 85. an. 95. col. 2.
Obiectio triplex ex scriptura contra hanc sententiam (orate pro calumniatoribus uos.) 416. an. 47. col. 1.
Oburgatio Christi dæmonem increpantis qualis fuerit. 320. an. 59. col. 1.
Obligationem erga Deum quinam habeant maiorem. 787. com. & an. 77. col. 1.
(Obumbrabit tibi) diuersimode Patres exponunt. 91. an. 100. col. 1.
Obumbrare hoc loco idem quod fecundare. 92. an. 100. col. 2.
Oculi corporei, & aures corporeæ intelliguntur illis uerbis (Beati qui uident, &c.) non autem spirituales. 648. an. 44. col. 1.
Oculus, quid significet, ibi, si oculus tuus fuerit simplex, & uariæ sententiæ. com. & an. 79. col. 1.
Odio habere quid sit. 413. an. 42. col. 1.
Odiensium diuersitas quadruplex. 413. an. 42. col. 1.
Odiensibus benefacere an præceptum sit, uel consilium. 413. an. 43. col. 2.
Officium Christi, ad quod uenit, proprium. 787. com.
(Omnia petenti a te tribue) utrum absolute, uel cum limitatione accipiendum. 419. an. 51. col. 1.
(Omni petenti a te) utrum Ecclesiasticarum rerum œconomos etiam comprehendat. 420. an. 52. col. 1.
(Omnia uallis implebitur, &c.) uarie explicant Patres. 242. ann. 18. col. 1.
Onera, siue sarcinæ, de quibus Luc. 11. quæ sint. 717. annotat. 93. col. 1.
ὄφελος uiuo, emolumentum capio. 579. an. 49. col. 1.
Opinio eorum, qui B. Virginem præ dolore mortuam dicunt, reijcitur. 205. an. 57. col. 1.
Opinio dicentium Christum demissis oculis solitum concionari, refellitur. 398. an. 26. col. 1.
Opinio uaria Doctorum de presentia B. Virginis in natiuitate Baptistæ. 127. an. 134. col. 1.
Opinio eorum, qui Zachariam ex stupore mutum euasisse arbitrantur, refutatur. 31. an. 33. col. 1.
Opinio Epiphanijs de uita Ioseph, quando cum B. Virgine nuptias celebravit. 51. an. 59. col. 1.
Opinio recentiorum de occultatione B. Elisabeth refellitur. 35. an. 37. col. 2.
Opiniones uariæ Patrum de Ioseph, quem Matthæus filium Iacob, Lucas filium Heli appellat. 272. an. 56. col. 1.
Opiniones aliquot Patrum de ruina à Simeone prædicta reijciuntur. 200. an. 53. col. 2.
Opera bona, & fructus, & semen dicuntur. 510. an. 24. col. 1.
Opera quæ, quando, & quo animo facere liceat, etiam si nobis in detractionem incutiendam sciamus. 673. an. 16. col. 1.
Opera iustorum quomodo alijs profint. 404. an. 31. col. 1.
Opere, corde, & uoce Deus magnificatur. 119. annotat. 124. col. 2.
Opere etiam Christum confiteri quomodo teneamur. 739. ann. 16. col. 1.
Operatio utraque intellectus ad fidem necessaria donum, & gratia Dei est. 97. an. 107. col. 1.
Operatio duplex intellectus ad fidem requiritur. 97. annotat. 107. col. 1.
Operationum Christi quædam cum alijs hominibus erant communes, quædam propriæ Redemptoris. 215. an. 69. col. 1.
Opertum ad quid referatur; ad quid uero absconditur. Luc. 12. 730. an. 3. col. 2.
Oppositio trium, quæ in malorum perpeffione sunt, tribus, quæ in mercede reperiuntur. 403. com. 2.
Opus bonum ex se, quando sit uitiosum. 709. an. 79. col. 1.
Opus præcipuum ad iusticiam regni pertinet quod sit. 775. com.
Opus augendi corporis quomodo sit minimum ipsi Deo. 769. an. 49. col. 2.
Orandi qualitas, & modus. 678. com. & an. 26.
Orans si quæcunque petit, accipit, ad quid quærendum, & pulsandum sit. 677. an. 25.
Oranti pro calumniatoribus quid sit petendum. 416. an. 46. col. 1.
Orare pro peccatoribus impenitentibus quomodo liceat. 751. an. 21. col. 1.
Orare quomodo intermiserit aliquando Christus, cum in perpetua fuerit Dei contemplatione. 663. com. 1.

Orare

Orare pro calumniatoribus an ex præcepto, uel consilio teneamur. 416. an. 39. al. 45. col. 2.
Orare pro calumniatoribus multis modis iubemur. 415. an. 39. al. 45. col. 2.
Oratio Zachariæ quænam fuerit, quando Angelus ei apparuit. 20. an. 18. col. 1.
Oratio duo obseruanda continet. 674. com.
Oratio quæ, & quando petita a Deo non obtinet. 678. com. & an. 26.
Oratio, quam Ioannes Baptista docuit, quænam fuerit, cur scriptura non dicat. 664. an. 3.
Orandum pro reprobis, & quomodo. 416. an. 46. col. 1.
Orationis dominicæ uerbis (Sicut & nos dimitimus, &c.) quid manifestetur. 671. an. 14. col. 2.
Orationis necessitas, efficacia, & antiquitas. 664. an. 3.
Orationis assiduitas tanti fructus est, ut, qui petit, maiora quam petat, obtineat. 676. com.
Orationis Christi uis. 663. com.
Orationis uehementer constantis, ac perseuerantis, eiusque efficacitæ exempla ex Scriptura. 677. an. 24.
Orauerit cur frequenter Christus. 663. com.
Orbis totus in hac descriptione synecdochice accipitur pro orbe Romano. 157. com. 3.
Orbis descriptio quando facta fuerit. 158. an. 1. col. 1.
Ordo narrationis diuersus non mutat ueritatem. 698. an. 62. col. 1.
Ordo duplex in scientijs est, doctrinæ, & rei, seu naturæ. 7. an. 10. col. 2.
(Oriens) uarie Doctores interpretantur. 150. an. 16. col. 1.
Origenes explicans illud (sine timore) refellitur. 145. ann. 154. col. 1.
Origenes, arbitrans Ioannem Baptistam more cæterorum infantium non esse nutritum lacte, reijcitur. 128. an. 134. col. 2.
Origenes fuit deceptus, arbitrans Leui non esse Matthæum. 365. an. 52. col. 1.
Origenes Beatissimam Virginem in passione Domini non fuisse constantem asserens refutatur. 205. an. 56. col. 1.
Origenes, & Chrysofomus quid de aduentu Matris, & fratrum Christi sentiant. 517. an. 37. col. 1.
Origenis sententia de oblatione turturæ, & pullorum columbarum refutatur, & quod aues a B. Virgine oblatæ non fuerint alterius naturæ. 190. an. 38. col. 1.
Origenis error de creatione animarum cauendus est. 109. an. 114. col. 1.
Origo admirationis quæ sit; & cur Christus admiratus esse dicatur. 457. an. 19. col. 1.
Ornata domus respectu Dæmoniorum, quæ dicatur. 694. an. 58. col. 2.
Os opprimere Luc. 11. quid significet. 726. an. 104. col. 1.
Os Zachariæ cur non in natiuitate Ioannis, sed in circumcissione apertum fuerit, plures dantur causæ. 133. annotat. 140. al. 141. col. 1.
Osculæ uerborum a Christo prolatorum sensus. 371. an. 64. col. 2.

P.

Pacem non missurus, sed separationem, quomodo uenisse dicatur Christus. 790. an. 81. col. 1.
Pacem quam non missurus uenisse dicatur Christus. 790. an. 81. col. 1.
Pacis cuiusnam princeps dicatur Christus. 790. an. 81. col. 1.
Pænitentia sacramentum peccantium post baptismum dari, de fide est tenendum. 743. an. 17. col. 1.
Pænitentia fructus qui dicantur. 249. an. 25. col. 1.
Pænitentibus ueniam dari negabat Nouatianus. 739. annotat. 16. col. 2.
Pagani impossibilitatem uirginitati Deiparæ opposuerunt. 103. an. 111. col. 1.
Paganorum argumentum philosophicum contra uirginitatem Deiparæ, eiusque philosophica solutio. 103. an. 11. col. 2.
Panes tres in parab. Luc. 11. quomodo quidam interpretentur. 676. an. 23.
Panes amicus ab amico, Luc. Vndecimo, quibus argumentis impetrare conetur. 675. com. 1.
Panis nomine in orat. dominica, & passim in Scriptura quid intelligatur. 669. an. 10.
Panis, piscis, & oui nominibus, quid significetur. Luc. 11. 679. an. 27. col. 1.
Παρεπιπροpositio dandi casui iuncta, Latinis, iuxta, seu prope signi-

ficat. 68. an. 79. col. 2.
Parabola de missione manus ad aratrum ex Patrum doctrinâ declaratur. 621. an. 132. col. 1.
Parabolæ Luc. 11. scopus quis sit. 676. com.
Parabolæ hominis descendens de Hierusalem in Hierico, qui incidit in latrones uariæ expositiones. 657. an. 63. col. 1.
Parabolis, seu similitudinibus cur usus fuerit Christus. 758. com.
Paradisus quid dicatur. 703. an. 71. col. 2.
Paralytico salus animæ & corporis data propter portantium fidem. 357. an. 38. col. 1.
(Parate uiam Domini) & (rectas facite semitas eius) pro eodem accipienda. 241. an. 17. col. 1.
Parentes quid in Christo admirati fuerint. 219. an. 77. col. 1.
Parentes, amici, familiares secundum carnem non raro a Christo nos auertunt. 217. an. 72. col. 2.
Parentes honorandi, sed Deo postponendi. 619. an. 129. col. 1.
Parentes Christi quomodo ascendere aui sint in Hierusalem uiuente Archelao; & num ascenderint istis annis, quibus in Aegypto morati sunt. 214. an. 68. col. 1. & 2.
Pariendi tempus a natura præscriptum non est semper nouem mensium completorum. 128. an. 134. col. 1.
Pars Mariæ, quam dominus ab ea non auferendam dicit, quæ sit. 661. com. & an. 73.
Pars quid significet Luc. 12. ibi; Partemque eius ponet cum infidelibus. 786. an. 75. col. 1.
Partes gratiæ in duplici sunt differentia. 58. an. 67. col. 1.
Partes illæ tres terræ Euangelicæ conuenienti ordine sunt positiuæ. 504. an. 14. col. 1.
Particula (intra se) quo sensu interelligenda. 358. an. 39. col. 1.
Particula (Sanctificetur nomen tuum) uarie exposita. 666. an. 6.
Particula (&) aliquando loco (etiam) ponitur. 101. com. 1.
Particula, (Noster) in oratione dominica, quid significet. 665. an. 5. col. 1.
Particula, (donec,) quomodo accipiat in Scriptura. 794. an. 90. col. 1.
Particula (ex te) confutantur nonnulli errores cum B. uirginis maternitate pugnantibus. 94. an. 103. col. 2.
Particula (solicite) explicatur. 450. an. 5. col. 1.
Particula (ue) quatuor modis in Scriptura sumpta. 405. an. 33. col. 1.
Particulæ (quasi) explicatio. 128. an. 134. col. 1.
Particulæ (Sicut & nos) in orat. dom. uaria lectio. 671. an. 14. col. 1.
Particulæ (Qui es in Cælis) uaria expositio. 666. an. 5. col. 1.
Particulæ (Sicut in cælo, & in terra) expositio uaria. 668. an. 9. col. 1.
Particulam orationis dom (Fiat uoluntas tua) Lucas omisit. 668. an. 8. col. 1.
Paruos quos appellet Christus; quos uero sapientes, & prudentes. 641. com. & an. 32. col. 1.
Passeres duos asse uendi quomodo dixerit Dominus apud Matthæum. apud Lucam uero quinque duobus assibus. 735. an. 11. col. 1.
Passionem suam cur baptismum appellet Christus. 789. com.
Passiones animi quid in homine efficiant, & quomodo generentur. 64. an. 74. col. 1.
Passiones Christi naturales, & supernaturales fuere. 285. a. 6. c. 1.
Pastores quomodo Christi præsepe inueniant. 170. annotat. 18. col. 2.
Pastores quatuor de causis iubentur gaudere. 169. com. 1.
Pastores quid cognouerint de uerbo ipsi nunciato. 176. a. 26. c. 2.
Pastores ubi uigilarint. 165. an. 12. col. 1.
Pastoribus Angelus, Magis uero stella cur apparuerit. 167. an. 15. col. 2.
Pater in cælo, & de cælo cur dicatur Deus. 679. an. 28. col. 1.
Pater quis uere dicatur. 89. an. 99. col. 2.
Pater mi dicere Christi est; nostrum autem, pater noster. 665. an. 5. col. 2.
Pater, & Domine, in illo Euangelij (Confiteor tibi, &c.) ad quid referantur, & quomodo legenda sint. 640. an. 31. col. 1.
Pater a Filio, & Filius a Patre aliter cognoscuntur, quam a nobis. 646. an. 42. col. 2.
Pater quando proprie dicatur tradidisse omnia filio. 644. a. 38. 2. (Patrem habemus Abraham, &c.) quomodo intelligatur. 449. an. 26. col. 1.
Patrem de quibus laudet, & commendat Christus, illis Euangelij uerbis (Confiteor tibi pater, &c.) 641. com. & 642. an. 35. col. 1.
Patrem esse, aut filium, in Deo, cur sit maius, quam esse Dominum. 640. an. 31. & col. 2.
Patres, Iudæorum calumnia de regno Christi respondentibus, quomodo

modo sint intelligendi. 80. an. 89. col. 2.
Patres Ioannem in limbo etiam præcurforis officio functum esse afferentes, quomodo intelligendi. 467. an. 34. col. 1.
Patres, qui Christum ex duabus naturis compositum appellant, quomodo sint explicandi. 94. an. 102. col. 2.
Patres multis modis verba illa Simeonis (Tuam ipsius animam &c.) exponunt, quorum aliqui rejiciuntur. 204. an. 56. col. 1.
Patres, quibus Deus locutus est, sunt Abraham, Isaac, Jacob, & Dauid. 126. com. 2.
Patres ruinam a Simeone prædictam diuersimode interpretantur. 200. an. 53. col. 1.
Patri creatio, Spiritui sancto sanctificatio tribui solet, licet opus totius sit Trinitatis. 92. an. 100. col. 1.
Patris nomine vt Deum appellemus cur iubeat Christus. 655. an. 4. col. 1.
Patris nomen in oratione dominica cur optimum sit orandi principium, & quæ ex eo bona colligamus. 664. com.
Patria Christi secundum Mattheum quæ fuerit. 353. annotat. 30. col. 1.
Patrum peccatis consentire cur dicantur Pharisei Luc. 11. quod Prophetarum sepulchra ædificarent. 717. com. & annot. 95. col. 2.
Patrum aliquot opiniones de ruina a Simeone prædicta rejiciuntur. 200. an. 53. col. 2.
Patrum diuersa interpretatio horum verborum, (Et iustificata est sapientia, &c.) 48. an. 58. col. 1.
Patrum sententiæ de progressu Christi in sapientia referuntur, & explicantur. 226. an. 86. col. 1.
Patrum sententiæ de homine promptum se adsequendum Christum offerente. 616. an. 125. col. 1.
Patrum diuersa horum verborum (Et dimittemini) explicatio. 432. an. 69. col. 1.
Pauli locus de Regno Christi explicatur. 82. an. 91. col. 2.
Pauli verba ad Rom. 8. (Quid oremus, sicut oportet, nescimus) quomodo explicentur. 674. an. 18.
Pauli locus Corinth. 9. explicatur. 735. an. 11. col. 2.
Paulus cur vas electionis dicatur act. 9. 690. an. 51. col. 2.
Paulus quid vocet Spirituality nequitia. 695. an. 59. an. 2.
Paupertas Christi ac parentum eius. 188. com.
Paupertatem pluribus de causis commendat Christus. 400. an. 27. col. 2.
Pauperum nomine quid intelligatur. 303. an. 32. col. 1.
Pavor super timorem addit admirationem. 322. an. 64. col. 1.
Pax multiplex est. 790. an. 81. col. 1.
Pecuniæ nomine quid Apostolis sit prohibitum. 557. an. 9. col. 1.
Peccantem vtrum ille, qui in peccato est, debeat corrigere. 440. an. 56. al. 80. col. 1.
Peccantium ad mortem duo genera. 750. an. 21. col. 1.
Peccata cur debita dicantur in orat. dom. 671. an. 13. col. 1.
Peccata aliorum puniuntur sæpe in alijs, qui non sunt illa imitati, immo & quibus ignota fuerunt. 721. an. 98. col. 1.
Peccata qui habet occulta, & bona opera facit manifesta, quando peccat, & quando non. 716. an. 91.
Peccata, quæ significantur per verba in orat. dom. 671. annotat. 13. col. 1.
Peccata, etiam ea, quæ non sunt blasphemia in Spiritum sanctum, non semper dimitti hominibus vnde constat. 748. an. 20. col. 2.
Peccata licet omnia sint contra totam Trinitatem, diuersimode tamen attribuntur personis. 744. an. 18. col. 2. & 746. col. 1.
Peccata quædam habent excusationem, & quasi causam imperandi veniam. 749. an. 20. col. 1.
Peccata quædam in Deum dicantur, & quæ in hominem. 751. an. 22. col. 1.
Peccati, & culpæ ratio vnde præcipue attendatur. 656. annot. 61. col. 2.
Peccati grauitas maior non semper est ex maiori difficultate emendationis. 697. an. 61. col. 1.
Peccati fomes carni ad malum irritat. 8. an. 57. col. 2.
Peccati fomes etiam ante conceptionem filij Dei in B. Virgine extinctus fuit. 8. an. 67. col. 2.
Peccatis patrum cur dicantur Pharisei consentire, quod Prophetarum sepulchra ædificarent. 717. com. & an. 95. col. 2.
Peccatis singulis singuli dæmones præfunt, qui multos sub se inferiores habent. 695. an. 59. col. 2.
a Peccato liberatus, si recidit, grauius recidit. 695. an. 59. col. 2.
Peccato vni prædens Dæmon cur ab alio Dæmone, qui alteri peccato prædet, plerumque in tentando adiuetur. 695. an. 59. 2.
Peccator, seu culpæ reus peccato alterius nemo efficitur. 722. an. 98. col. 1.

Peccatores quos exaudiat Deus. 676. an. 22. col. 2.
Peccatores, non solum iustos, a Deo etiam exaudiri, quibus Euangelij verbis ostendatur. 676. an. 22. col. 2. & 677. an. 23. col. 2.
Peccatoribus impenitentibus, & perseuerantibus in peccato quomodo pro eis orare liceat. 751. an. 21. col. 1.
Peccatorum remissionis petitio quibus necessaria sit. 671. an. 13. col. 2.
Peccatorum grauitatem, & antiquitatem Iudæis obijcit Ioannes Baptista. 245. com. 2.
Peccatorum remissio num ex dilectione, an dilectio ex peccatorum remissione prouenerit. 491. an. 73. 1. ibid. Patrum sententiæ.
Peccatorum nomine qui accipiuntur, & quomodo difficultas huius sententiæ soluenda. 423. an. 56. col. 1.
Peccatorum duo genera sunt, sicut & præceptorum. 751. an. 22. col. 1.
Peccatum in Filium hominis remittendum; Blasphemiam vero in Spiritum sanctum, nequaquam, neque in hoc seculo, neque in futuro quomodo intelligatur. 749. an. 20. col. 2.
Peccatum ad mortem quod dicatur a Sancto Ioan. 1. ep. 3. 749. an. 21. col. 1. & 750. col. 1.
Peccatum graue Iudæorum quod fuerit. 792. an. 85. col. 1.
Peccatum ad mortem, & blasphemiam in Spiritum sanctum num sint idem. 751. an. 21. col. 2.
Peccatum in Deum, & blasphemiam in Spiritum sanctum, num idem sint. 652. an. 22. col. 2.
Peccatum pro quo pullus columbarum offerebatur, quomodo fuerit. 189. an. 38. col. 1.
Peccatum nullum a Reale B. Virginem habuisse toto vite tempore, dogma est fidei. 671. an. 13. col. 1.
Peccatum in Spiritum sanctum, & Blasphemiam in Spiritum sanctum sunt longe diuersa. 744. an. 18. col. 1.
Peccatum omnino nullum a venia excludi in hac vita probatur varijs rationibus. 748. an. 20. col. 1.
Peccatum rapinæ, cum reddenda sit res aliena, quomodo elemosyna muneretur. 714. an. 88. col. 2.
Peccatum vnus quot modis in altero viadicari possit. 721. an. 98. col. 2.
Peccatum quomodo in omnibus iustis dicatur habitare, non tamen regnare. 58. an. 66. col. 1.
Peccatrici mulieris conuersio plurima admiratione digna continetur. 484. an. 64. col. 1.
Peccatrici nomen consuetudinem peccati indicat. 482. an. 61. 2.
Pedes hospitum lauandi vetus consuetudo. 489. an. 70. col. 1.
Pelagij error de gratia. 97. an. 107. col. 1.
Pera quid sit, & quomodo eam Christus Apostolis prohibuerit. 557. an. 8. col. 1.
Personæ publicæ maxime ab alijs inquirere debent, quæ de se spes sit. 570. an. 35. col. 2.
Personam, & munus Ioannis Baptistæ plurima commendat. 234. an. 6. col. 1.
Personarum tria genera in Scriptura commendantur. 469. a. 38. 1.
Perseuerantia non solum vti in oratione, sed etiam contentione, & sermone maiori vbi doceamur. 675. an. 19.
Perseuerantiæ ac constantiæ vehementis in orando, eiusque efficacitæ exempla ex scriptura. 677. an. 24.
Personas sex quomodo nominet Christus de diuisione ob Euangelium futura loquens; cum paulo ante quinque tantum meminisset. 791. com. & an. 83. col. 1.
Persuasio praua hæreticorum de ieiunio. 209. an. 61. col. 1.
Petere cur non sufficiat, sed querendum, & pulsandum sit in oratione; si, quicumque petit, accipit. 677. an. 25.
Petite, querite, & pulsate. Luc. 11. num eadem; an vero distincta sint. 678. an. 25.
Petitio septima orationis Dominicæ, cur non perfecte in hoc seculo compleatur. 674. an. 17. col. 1.
Petitio septima orat. dom. (Sed libera nos a malo, &c.) a Luca omiſſa, & eius expositio. 673. an. 17.
Petitio quinta (Dimitte nobis &c.) in orat. Dom. quibus necessaria sit. 671. an. 13. col. 2.
Petitionis sextæ orat. dom. (& ne nos inducas, &c.) multiplex expositio. 672. an. 15.
Petitionis, inquisitionis, & pulsationis in orando fructus. 677. com. 2.
Petra scandali, & lapis offensionis quomodo differant. 201. an. 25. col. 1.
Petri verba de ædificando in monte tabernaculo quo sensu sint prolata. 589. an. 68. col. 1.
Petri confessio de Christo multa dogmata complectitur. 572. an. 39. col. 2.

Petri nauis mystica significatio. 334. an. 2. col. 1.
Petro soli cur sit dictum (eris homines capiens.) 341. an. 13. col. 1.
Petro soli cur dicatur (duc in altum) & non soli, sed cæteris etiam (laxate retia.) 336. an. 74. al. 7. col. 1.
Petrus quare Dominum recedere precetur. 339. an. 11. col. 1.
Petrus timore magis quam reuerentia præsentiam Domini recusat. 339. an. 11. col. 1.
Petrus cum suo socio cur socios nutibus, non vocibus vocarit. 337. an. 8. col. 1.
Petrus quomodo dicatur nesciuisse quid loqueretur. 591. an. 71. col. 1. ibid. an. 72. col. 1.
Petrus quomodo illos viros, qui Christo adstant in transfiguratione, nouerit fuisse Moysen, & Eliam. 590. an. 70. col. 1.
Petrus a Doctoribus arguitur ob verba in monte prolata. 590. an. 69. col. 1.
Petrus cur in recensendis Apostolis semper prior ab Euangelistis numeretur, in cæteris autem ordo variatur. 395. an. 21. col. 1.
Petrus quomodo exauditus sit rogans Dominum vt a se exiret. 341. an. 14. col. 1.
Petrus, cum Christum negauit, an dixerit verbum in Filium hominis, seu blasphemauerit. 752. an. 23. col. 2.
Petrus cur Dominum interrogauerit Luc. 12. his verbis: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? 782. an. 70. col. 1.
Pharisæi, & magistrum, & discipulos reprehendere conantur. 369. 60. col. 1.
Pharisæi, quod Prophetarum sepulchra ædificarent, cur patrum peccatis consentire dicantur. 717. com. & an. 95. col. 2.
Pharisæorum amentia. 392. an. 15. col. 1.
Pharisæorum calumnia. 374. an. 67. col. 1.
Pharisæorum, & Scribarum incredulitas omnino damnanda. 478. an. 54. col. 1.
Pharisæos quoties reprehenderit Christus de lotionibus in cibis capiendis. 711. an. 84. col. 1.
Pharisæus multis modis peccat, dum Christum, & peccatricem temere iudicat. 486. an. 66. col. 1.
Pharisæus Luc. 11. quo animo Christum ad prandium inuitauerit. 710. an. 82. col. 2.
Philosophi in affectibus animi duo distinguunt. 64. an. 74. col. 1.
Philosophorum opinio de vipera. 246. an. 22. col. 2.
Philosophicus discursus insignis de affectionibus animi. 64. an. 74. col. 1. & 2.
Phrasîs hebræa (magnificauit Dominus misericordiam cum illa) eiusque significatio ibidem. 129. com. 1.
Phrasîs est Scripturæ vñtata, ponere (in) loco (propter) seu (per) 150. an. 162. col. 1.
Pictores cur Iosephum senem pingant. 52. an. 59. col. 2.
Pilatus cur Christum Iudæis ostenderit. 206. an. 57. col. 2.
Plebs Domini quinquam sint vocati. 148. an. 159. col. 2.
Πληρωσθητε vox quomodo exponenda. 212. an. 67. col. 1.
Πληρωσθητε duplicem in Scriptura significationem habet. 4. a. 3. c. 1.
Plures sunt hæretici, qui Christum penitus a prophetis non prædicatum asserunt. 203. an. 53. col. 2.
Pœna demonum triplex. 530. an. 63. col. 2.
Pœna alterius quo pacto gaudere liceat. 643. an. 36. col. 2.
Pœna mali dispensatoris. 785. com.
Pœnam timere malum non esse quomodo probetur. 734. com.
Pœnarum inferni diuersitas, ex quibus Euangelij verbis deducatur. 786. an. 76. col. 1.
Ponere in corde quid significet. 134. an. 142. col. 1.
(Ponere in corde) Hebræorum more dicitur. 134. an. 142. col. 1.
Populi Iudaici status quatuor. 696. an. 60. col. 1.
Populi nomine tam Gentes, quam Iudæi intelliguntur. 168. an. 17. col. 1.
Populus Galilææ cur dicatur in tenebris sedere. 152. annot. 164. col. 1.
Populus Gentium plures ob similitudines mulieri Hæmorrhoidis comparatur. 547. an. 100. col. 1.
Populus Iudaicus mense Martio a seruitute Aegyptiaca liberatus fuit. 35. an. 36. col. 2.
Populus Iudaicus quomodo nunc in peiori statu esse dicatur, quam fuit in idololatriæ statu. 696. an. 61. c. 1. & 697. col. 1.
Porphyrius, & Iulianus Matthei vocationem irridentes, reselluntur. 366. an. 55. col. 1.
Positum pro comparatiuo sæpe sumi in Scriptura patet varijs auctoritatibus. 661. an. 72.
Possessionem nullam in diuisione terræ promissionis obtinuit Leuitica tribus. 111. an. 116. col. 2.
Potestas, Magistratus, & Synagoga quomodo differant. 753. com. 2.

Potestas faciendi miracula duplex est. 358. an. 41. col. 1.
Potestas regia multo perfectius fuit in Christo, quam in Dauide. 78. an. 89. col. 2.
Potestas spiritualis, & temporalis ad eam ordinata, est in Romano Pontifice. 80. an. 89. col. 1.
Potestatem Regiam habuit Christus ab instanti generationis. 79. 89. col. 2.
Potestatem se habere in hæreditate diuidenda quomodo negauerit Christus. 755. an. 26. col. 1. & an. 27. col. 2.
Portio quæ seruis assignari solita sit apud antiquos. 784. annot. 72. col. 1.
Præcepta diligendi Deum, & diligendi proximum quomodo inter se differant. 652. an. 52. col. 2.
Præcepta tria, seu triplicem præparationem ad regnum Dei, & aduentum suum expectandum, quibus potissimum tradiderit Christus. 779. an. 64. col. 2.
Præceptorum vt duo genera sunt, ita & peccatorum. 751. an. 22. col. 1.
Præceptum diligendi inimicos partim naturale, partim supernaturale. 410. an. 38. col. 2.
Præceptumne sit, an consilium Christi sententiæ de percussione maxillæ. 418. an. 49. col. 2.
Præceptum de diligendis inimicis quomodo implendum. 409. an. 28. al. 38. col. 1.
Præceptum diligendi inimicos quænam sub se comprehendat. 412. an. 41. col. 1.
Præceptum Christi, qui etiam irrationalibus imperabat, quale fuerit. 321. an. 61. col. 1.
Præceptum Moysis de oblatione pro leprosi emundatione quomodo intelligendum. 351. an. 27. col. 1.
Præceptum Christi de dilectione Dei, de impossibili esse intellexerunt nostri temporis hæretici. 651. an. 50. col. 1.
Præceptum quotuplex in Euangelio tradatur ad Christi aduentum, seu Dei regnum expectandum. 779. com. & an. 64. col. 1.
Prædictorum, seu cingulorum genera quot in Scriptura legantur. 777. an. 62. col. 2.
Prædicatores verbi Dei ab humana laude maxime debent abhorrere. 408. an. 36. col. 2.
Prælati quales esse debeant. 784. an. 72. col. 1. & an. 73. col. 2.
Prælati boni quantum beatitudinem habituri sint ostenditur. 784. com.
in Prælati quæ requirantur. 787. an. 77. col. 1 & com. seq.
Prælati Ecclesiæ quantus sit honor habendus, 350. annotat. 26. col. 1.
Prælatos ecclesiasticos administrare temporalia, nec Christus, nec Apostolus viderunt. 756. an. 28. col. 1.
Præmij ac beatitudinis bonorum prælatorum futura excellentia ostenditur. 784. com.
Præparatio ad Dei regnum quotuplex in Euangelio tradatur. 779. com. & an. 64. col. 1.
Præparationis triplicem modum, ad Regnum Dei, seu aduentum suum expectandum, quibus potissimum tradiderit Christus. 779. an. 64. col. 2.
Præsepj nomen quid significet. 162. com.
Prandium Pharisæi cur Dominus acceptauerit. 709. com.
Præputium Saluatoris nostri, vbi, & quando fuerit inuentum, & quæ miracula ediderit. 180. an. 31. col. 1. & 2.
Primogenita quare in veteri lege offerebantur. 185. com. 2.
Primogeniti omnium tribuum primo præsentabantur Deo, postmodum quinque siccis redimebantur. 194. an. 44. col. 2.
Primogenitus quis dicatur. 161. com. 2.
Primogenitus omnibus, excepto Christo, commune est vuluam matris aperire. 188. an. 36. col. 1.
Princeps quis intelligatur, quis vero Iudex Luc. 12. ibi: Cum autem vadis cum aduersario tuo, &c. 794. an. 88. col. 1.
Princeps sacerdotum non est idem qui Pontifex, vel Summus Sacerdos. 10. an. 3. col. 2.
Principis nomine reliqui, qui sub eo militant, aut militarunt, intelliguntur. 637. an. 25. col. 2.
Priscillianistarum impius error exploditur, qui Christum fato, aut stellatum necessitati subditum arbitrabantur. 30. an. 38. 1.
Præiugio, non natura propagationis Mater Dei sine peccato concepta fuit. 115. an. 119. col. 2.
Productionis hominis quatuor modi ex Augustino. 86. an. 95. col. 2.
Prohibitio, qua Christus Apostolis prohibuit, ne cui dicerent, se esse Christum Dei, qualis sit. 573. an. 41. col. 1.
Prohibitioane sint, an vero instructiua verba illa (Verumtamen in hoc nolite, &c.) opin. variæ. 638. an. 27. col. 1.

Promissio Diaboli qualis fuerit. 292.com.2.
 Promissio Diaboli qualis, ibid.
 Pronomina, hic, & meus, quid significant. 594. an. 78. col. 1.
 Prophecia hic magnus, de quo populus Iudaicus dicebat, quis fuerit. 665. an. 31. col. 1.
 Prophecia quare non sit acceptus in patria sua. 311. an. 44. col. 2.
 Prophecia non fuerunt Apostoli; Apostoli vero omnes fuerunt prophetae. 720. com.
 Propheciae & Apostoli, etiam in veteri testamento, quidam dicti sunt. 720. an. 97. col. 1.
 Propheciae, & iusti multi, qui Christum secundum carnem antecesserunt, fide, & visu spirituali ipsum viderunt. 648. an. 44. col. 1.
 Propheciae quinam dicti sint. 719. com.
 Pro, hanc tam occisorem sanguinis quo pacto a Iudaeis exquirendus, v. an. modi. 725. an. 101. col. 1.
 Prophecia Zachariae omnes temporis differentias complexa est. 136. an. 14. col. 2.
 Proprietas, ac virtus elemosynae quintuplex deducta ex illis Domini verbis: Facite vobis sacculos, &c. Luc. 12. 775. 776. & 777. com.
 (Propter quod vixit me) diuersimode legitur. 301. an. 31. col. 1.
 Propter quod quas habeat significationes. 256. an. 33. col. 1.
 Proverbio illo (Non est discipulus super &c.) duplici, & diuerso modo vsus est Christus. 437. an. 76. col. 1.
 Providentia Dei probatur. 735. com.
 Providentiae, seu curae, & sollicitudinis discrimen. 765. an. 44. col. 2.
 Proximi nomine qui comprehendantur. 652. an. 52. col. 1.
 Proximi nomen multipliciter in Scriptura accipitur. 653. a. 55. 2.
 Proximos esse omnes homines, etiam extraneos, & aduersarios, quae ratione ostendit Christus. 656. an. 62. & com.
 Proximus quis magis iudicandus sit. ibid. col. 2.
 Proximus non tantum quoad affectum, sed etiam, quando opus est, quoad effectum diligendus. ibid.
 Prudentia in secularibus negotiis quomodo ad spiritualia conferenda sit. 793. com. & an. 87. col. 1. & 794. an. 89. col. 1.
 Prudentia, & modestia Centurionis. 455. an. 15. col. 2.
 Prudentia B. Virginis in respondendo commendatur. 82. com. 1.
 Prudentia in sacra Scriptura pro sapientia ponitur. 213. com. 2.
 Psalmus XC. non de Christo, sed de iustis intelligendus. 296. an. 23. col. 1.
 Publicani nunc Iudaei, an ex Gentilibus fuerint. 253. an. 30. col. 1.
 Pudor ut aliquando est vitiosus, ita impudens non semper est vitium. 676. an. 22. col. 1.
 Puella Herodias, & Herodes puniti ob necem Ioannis, & quae ea punitio fuerit. 263. an. 42. col. 1.
 Puella Archisynagogi quomodo Iudaicam legem significauerit. 551. an. 112. col. 1.
 Puer autem crescebat, &c.) varie legunt Doctores. 211. an. 65. c. 1.
 Puer, dum est in utero, per umbilicum nutritur. 130. 138. col. 2.
 Puerum perfecta obedientia est duodecimo aetatis anno. 215. an. 69. col. 2.
 Puerorum nomine in parabola illa Luc. 11. quid intelligatur. 675. an. 21.
 Pueris olim ab euentu, vel re ipsa nomina imponebantur. 131. an. 124. 139. col. 2.
 Pullus columbarum pro quo peccato soleat offerri. 189. an. 38. c. 1.
 Pullatio cur vocibus addita in parab. Luc. 11. 676. coaa.
 Pulueris excussio a Christo praecipitur quid significet. 560. an. 14. 1.
 Puniti pro aliis multi quomodo intelligantur. 722. an. 98. col. 2.
 Purgationis dies quot fuerint. 183. an. 34. col. 1.
 Puritatem vitae in Ioanne commendat Christus. 472. an. 43. col. 1.

Q.

Quadragesimus numerus in Scriptura mysteriis plenus est. 284. an. 3. col. 1.
 Quadragesima Moysi haeretici exploditur. 376. a. 72. 1.
 (Quae cum audisset) varie expenditur. 63. an. 72. col. 1.
 (Quae Patris sunt) quomodo intelligenda. 223. an. 82. col. 1.
 Quamnam sint ea, quae B. Virgo cum Ioseph sit admirata. 198. an. 51. col. 2.
 Quaestio, cur rete piscium multitudine ante Christi resurrectionem rumpere, postea vero non. 337. an. 7. col. 1.
 Quaestio, vtrum eadem sit Maria, cuius Euangelistae meminerunt. 483. an. 62. col. 1.
 Quaestio proponitur, vtrum miraculum maius sit paralyticum sanare, an peccata dimittere. 363. an. 47. col. 1.
 Quaestio est, vtrum generale fuerit praecipuum de celebrandis

matrimonii cum feminis eiusdem Tribus. 277. an. 59. col. 1.
 Quaestio, vtrum maius sit donum Dei, peccata dimittere, an praeseruire, ne committantur. 493. an. 75. col. 2.
 Quaestio quomodo verum sit minus diligere, cui minus dimittitur, & cui magis, magis diligere. ibid. col. 1.
 Quaestio, vtrum sola Christi facies, an vero totum corpus fuerit transfiguratum. 584. a. 58. col. 1.
 Quaestionem quam difficillimam censeat Augustinus. 740. an. 17. col. 1.
 Qualitas triplex coenae, in qua beatis ministrabit Dominus. 781. commento.
 (Quasi) particula exponitur. 128. an. 134. col. 1.
 Quatuor acerrimi hostes virginitatem matris Dei impugnare conati sunt. 103. an. 111. col. 1.
 Quatuor sunt, quae aequitatem praecipii dimittendi commendant. 433. an. 70. col. 2.
 Quatuor ex parte nostra sunt, quae nos ad dimittendum suadent. 434. an. 70. col. 2.
 Quatuor in conceptione Christi sunt simul facta. 90. com.
 (Quia impleta est hodie scriptura, &c.) laus explicatur. 307. an. 38. col. 1.
 (Qui expectabant redemptionem Israel) varie legitur. 210. an. 63. col. 1.
 (Quid est quod me quaerebatis, &c.) tria insinuant. 221. an. 79. com. 2.
 Quid per inimicos, & eos, qui nos oderunt, significetur. 140. com.
 Quinarii numeri cur potius meminerit Christus, quam vnus, separationem explicans ob Euangelium sururam. 790. annot. 82. col. 1.
 Quinque argumentis demonstratur Elisabeth non commemorasse exultationem infantis, vt beatam Virginem ad firmius Angelis credendum induceret. 116. an. 121. col. 2.
 (Quis ostendit vobis fugere, &c.) diuersimode patres explicant. 248. an. 24. col. 1.
 (Quod nasceretur ex te) & cur non dicatur (qui nasceretur ex te) copiose explicatur. 93. an. 102. col. 2.
 (Quomodo fiet istud) varie Doctores antiqui interpretantur. 83. a. 92. col. 1.
 (Quotidianum) in orat. Dom. quot, & quam varias habeat interpretationes. 669. an.

R.

Radices, quarum defectu verbum Dei non fert fructum, quae sunt. 513. an. 28. col. 1.
 Radix sollicitudinis bonorum temporalium quae sit. 774. com.
 Rapinae peccatum, cum restitutio facienda sit, quomodo elemosynis mundeatur. 714. an. 88. col. 2.
 Ratio naturalis istius praecipii diuini de non tangendo leprosum, donec lepra totum corpus occupasset. 130. an. 138. col. 1.
 Ratio triplex, ob quam angelus bonus, & malus Angelus Domini vocentur. 18. an. 15. col. 1.
 Ratio itineris apud Iudaeos. 214. an. 58. col. 2.
 Ratio pulchra, cur diluuium secundo mense anni, id est in Aprili est factum. 35. an. 38. col. 1.
 Ratione humanitatis Christus benedictus dicitur. 115. an. 119. col. 1.
 Rationes aliquot a Doctoribus assignatae, cur Christus baptizari voluerit. 265. an. 45. col. 1.
 Rationes dantur nonnullae, ob quas Ioannes puerulus in desertum abiit. 234. an. 7. col. 2.
 Rationes, ob quas Ioannes baptizaturus in Iordanem descendit. 235. an. 8. col. 2.
 Rationes adducuntur, ob quas Dominus noluit a daemonibus Christus nuncupari. 327. an. 74. col. 1.
 Rationes diuersae, ob quas Christus a daemone voluit tentari. 284. an. 5. col. 1.
 Recentiores reprehenduntur, qui illud (ex te) legendum esse negant. 93. an. 101. col. 1.
 Recentiores refelluntur aliqui, qui commemorationem beneficiorum a B. Virgine factam ad communia beneficia referunt. Recentiorum opinio de occultatione Elisabeth refellitur. 35. an. 37. col. 2.
 Recentiorum opinio (signum) pro portento interpretantium refellitur. 203. an. 55. col. 2.
 Redimere in Scriptura duo significat. 137. an. 146. col. 1.
 Reductio mystica nauis in altum. 335. an. 5. col. 1.
 Reductio nauis in terram quid denotet. 234. an. 3. col. 1.

Reges Christi Domini vocantur. 192. an. 42. col. 2.
 Regina Austri, de qua Luc. 12. quae fuerit 705. an. 74. col. 1.
 Regnam Austri saluam esse cur deducendum non sit ex illis Christi verbis (Regina Austri surget in iudicio, &c.) 706. an. 75.
 Regio vmbrae mortis Iudaorum est eorum, qui proxime habitabant Gentilibus. 152. an. 164. col. 1.
 Regio a Gentibus habitata mortis nomine significatur. 152. an. 164. col. 1.
 Regni huius seculi tempus ob breuitatem dies vocatur. 9. a. 11. c. 1.
 Regna orbis terrae quamquam intelligantur. 291. an. 16. col. 1.
 Regnum Herodis post mortem eius a Romanis in prouincias diuisum. 232. an. 2. col. 1.
 Regnum Dei quid hoc loco significet. 498. an. 2. col. 1.
 Regnum, de quo in orat. Dom. agitur, cur non bene de regno spirituali Dei in nobis interpretetur. 667. an. 7. col. 2.
 Regnum Sathanae quid sit. 685. an. 40. col. 1.
 Regnum Dei quid significet eo loco (Peruenit in vos regnum Dei) 687. & 688. an. 45.
 Regnum Daemonis quomodo adhuc duret, nec sublatum sit per Christi regnum. 688. an. 46.
 Regnum quod sit, quod petatur in orat. Dom. variae sententiae. 667. an. 7.
 Regnum caeleste cur merito petatur in Euangelico statu. ibid. com.
 Regnum Dei adipiscendi quod sit medium. 668. an. 8. col. 1.
 Regnum Christi optime cornu vocatur. 138. an. 146. a. 147. c. 2.
 Regnum caeleste cur petere nos voluerit Christus. 667. a. 7. col. 2.
 Regnum Dei in Scriptura plures habet significationes. 773. an. 57. col. 1.
 Remissio peccatorum ex dilectione, an dilectio ex remissione peccatorum prouenerit. 491. an. 73. col. 1. ibid. Parrum sententiae.
 Renunciare quid significet. 620. an. 31. col. 1.
 Reprehensio Christi (O generatio infidelis, &c.) ad quos sit referenda. 602. an. 94. col. 1. & an. 95. col. 1.
 Reprehensio digni, qui non vocati ad dignitates Ecclesiasticas accurrunt. 393. an. 19. col. 1.
 Requies daemoniorum quae sit, cum sint in statu damnationis. 694. an. 57. col. 2.
 Requiem non inuenire vbi dicatur daemones. ibid. col. 1.
 Respicere tribus modis dicitur Deus. 121. an. 126. col. 1.
 Responsum Deiparae varie a patribus exponitur. 107. an. 112. c. 1.
 Responsum frequenter in Scriptura pro quocumque sermone vsurpatur. 219. an. 36. col. 1.
 Resurrectio omnium erit, tam infidelium, quam fidelium; non autem sic immutatio. 706. an. 77. col. 1.
 Resurrectione in vltima non resurgent superflua capillorum, & vnguium sesecata. 736. an. 12. col. 2.
 Resurrectionem a Simeone dictam varie doctores accipiunt. 201. an. 54. col. 1.
 Rete piscium multitudine refertum ante Christi Resurrectionem, cur rumpere, postea vero non. 337. an. 7. col. 1.
 Reuerentia leprosi vera fuit adoratio. 344. an. 18. col. 1.
 Rex Iuda aliud est, quam Rex Iudae. 9. an. 2. col. 2.
 Ritus qualis a Christo damnetur. 407. an. 35. col. 2.
 Rogari, ac peti a nobis cur Deus velit. 676. an. 22. col. 2.
 Romani cur non die solent imponere nomen infantibus, plures dantur causae. 130. an. 138. col. 2.
 Rusticus ignoranter errans melioris est conditionis, quam vir doctus similiter errans, etiam in paucioribus. 696. an. 61. col. 2.
 Ruina Iudaeorum diuersis vocibus in Scriptura significatur. 199. com. 3.
 Ruinam a Simeone praedictam Patres explicant. 200. annot. 53. col. 1.

S.

Saba quotuplex, & quae fuerit Regina Saba, de qua in Scriptura. 705. an. 74. col. 1.
 Sabbatum secundoprimum quid. 383. an. 1. col. 1.
 Sabellij Gregales ab Athanasio refutati. 645. an. 40. col. 2.
 Sacerdos, & Leuita cur deflexerint a via inuento illo, qui in latrones inciderat, seminiuo, de quo Lucas. 654. an. 58. & 655. an. 59.
 Sacerdotibus valde necessaria abdicatio amoris erga cognationem, & amicos secundum carnem. 217. an. 72. col. 2.
 Sacrificium curturum, aut pallorem columbarum non pro filio, sed pro matris parentis purgatione offerebatur. 189. an. 37. c. 1.
 Salathiel, & Zoobabel a Matthaeo, & Luca numerati vtrum iidem sint. 278. an. 60. col. 1.
 Saluatoris praecipuum vbi, & quando inuentum fuerit, & quae mi-

racula ediderit. 180. an. 31. col. 1.
 Salus animae & corporis paralytico data propter fidem portantium. 357. an. 38. col. 1.
 Salutatione peracta, tria in B. Virgine facta sunt. 63. com.
 Samaritani cum Deo Israel vero, falsos Deos colebant. 655. com.
 Samaritanus vinum, & oleum, in plagas infundens, quid non aliter significet, ex Greg. 655. an. 61. col. 1.
 Samaritanus in parabola illa (Homo quidam descendebat de Hierusalem in Hiericho, &c.) In cuius rei signum ponatur. 655. an. 60. col. 1.
 Samaritanus, custos interpretatur. 655. com.
 Idem cur Christum significet. 657. an. 63. col. 1.
 Samson figura Christi fuit. 43. an. 50. col. 1.
 Sanctificatio Dei cur primo petatur in oratione Dominica. 666. com.
 Sanctitas Christi superexcellens. 95. an. 104. col. 1.
 Sanctitas cultus, ac religionis nomen est. 666. an. 6. col. 2.
 Sanctitas, & iustitia parentum quatuor modis prodest filijs. 13. an. 9. col. 1.
 Sanctitatis, & iustitiae nomine quid intelligatur. 145. com.
 Sanctorum beatitudo, quibus verbis significetur in Euangelio. 781. com.
 Sanguinem alicuius requirere, vel inquirere ab altero quid sit in scriptura. 720. an. 98. col. 1.
 Sanguis Abel quare a Iudaeis exquirendus dicatur. 723. an. 99. col. 1.
 Sanguis occisorum Prophetarum, quopacto a Iudaeis exquirendus. 725. an. 101. col. 1.
 Sapientes quos appellet Christus; quos vero paruulos. 641. com. & an. 32. col. 1.
 Sapientia Dei summa in quo eluceat. 642. a. 35. c. 2.
 Sapientia admirabilis Saluatoris in illius hominis vocatione, quem Lucas refert, elucet. 618. an. 128. col. 1.
 Sapientia in Christo nunquam creuit, etsi corpus eius cresceret. 212. com. 1.
 Sapientia Dei in illis verbis: Propterea & sapientia Dei dixit, Luc. 11. quid significet. 719. com. & an. 96. col. 1.
 Sarcinae, siue onera, de quibus. Luc. 11. quae sint. 717. an. 93. col. 1.
 Satan, quod significat aduersarium, quomodo approprietur Daemoni. 785. an. 39. col. 2.
 Satan cur fulguri a Christo comparetur, variae sententiae. 637. an. 25. col. 1.
 Satan nomine cur caeteri Angeli prauis intelligantur in illis verbis (Videbam Satanam sicut fulgur, &c.) 637. an. 25. col. 2.
 Satan regnum quid sit. 685. an. 40. col. 1.
 Satan nomen varie interpretatum. 684. an. 39.
 Satanam, & omnes eius milites, cur serpentum, & scorpionum nomine appellet Christus. 537. com.
 Satisfactio quamdam damnatur. 406. an. 34. col. 1.
 (Scientia salutis) phrasia Hebraica est pro scientia salutari. 148. an. 159. col. 2.
 Scelus graue est in homines sanctos seruire. 264. an. 44. col. 1.
 Scopis mundata domus Luc. 11. quid significet. 694. comen. & an. 58.
 Scribae, & Pharisei cur a Christo dicantur generatio, itemque generatio mala, & adultera. 700. an. 65. col. 1.
 Scribarum error circa verba (Quis potest dimittere peccata) ostenditur. 359. an. 41. col. 1.
 Scriptura facta multa refert, quasi ante dicta, quae tamen scripta non sunt. 719. an. 96. col. 2.
 Scriptura sacra quo argumento plerumque vtatur. 772. annot. 55. col. 2.
 Scriptura cur dicat (Fecit redemptionem plebi suae) & non plebis suae. 137. an. 146. col. 2.
 Scriptura, quae gratiae sunt, Spiritui sancto tribuit. 90. an. 99. co. 2.
 Scripturae mos cur sit post generale explicare particulare. 747. a. 19. col. 1.
 Scripturae factae, quomodo impedimento sint Iudaeis ne conuertantur. 697. an. 61. col. 2.
 Scripturae concordia de praecipio dilectionis Dei. 951. an. 51. col. 1.
 Sectae haereticorum circa virginitatem Deiparae tres sunt. 111. col. 2.
 Sedulitas B. Virginis in itinere 216. com. 2.
 Seleuciani, & Hermiani, igne, non aqua baptizantes, refutantur. 259. an. 36. col. 1.
 Semen naturale tria habet. 88. an. 98. col. 2.
 Semen secus viam lapsum quod intelligatur. 502. an. 11. col. 1.
 Semen super petram lapsum, quos homines significet. 503. an. 13. col. 1.

Semen materiale tria requirit, vt fructificet. 15. an. 3. col. 1.
 Semiuino legatur, siue, Semimortuo in illo Lucae (Et plagis impo-
 sitis, &c.) idem sensus est. 65. an. 57. col. 2.
 Senarius numerus primus numerus perfectus est. 37. an. 40. col. 1.
 Seniorum ratio expenditur. 45. an. 7. col. 1.
 Sensus sententiae illius i. Reg. 2. (Si peccauerit vir in virum, placari
 ei potest Deus; Si autem in Dominum peccauerit, quis orabit
 pro eo?) 75. an. 22. col. 1.
 Sensus verborum Christi (Et qui auferit quae tua, &c.) tripliciter
 potest exponi. 42. an. 53. col. 1.
 Sensus verborum Ofese a Christo prolatorum. 37. an. 64. col. 2.
 Sensus spiritualis horum verborum (exi a me Domine) 339. an. 1. r.
 col. 2.
 Sensus articuli fidei explicatur in illis verbis (Conceptus de Spi-
 ritu sancto.) 89. an. 98. col. 1.
 Sensus eorum verborum, (Si quis vult venire post me) latius ex-
 plicatur. 575. an. 44. col. 1.
 Sensus duplex horum verborum (quia magno timore teneban-
 tur) exponitur. 57. an. 80. col. 1.
 Sensus litteralis, & spiritualis horum verborum (Nemo autem
 Lucernam accendens, &c.) eruitur. 516. an. 32. col. 1.
 Sensus literalis quando ex propria verborum significatione habe-
 ri potest, non est ad figuram recurrentum. 637. an. 25. col. 1.
 Sensus sententiae illius Luc. 12. Et quid volo, nisi vt accendatur.
 788. an. 79. col. 1.
 Sensus illorum verborum, Nolite in sublime tolli, ab Auctore
 allatu; vnde verissimus appareat 773. an. 56. col. 1.
 Sententia Patrum triplex de Christi aetate quando baptizatus fuit.
 272. an. 55. col. 1.
 Sententia Patrum de filijs sponsi. 375. an. 70. col. 1.
 Sententia illa i. Reg. 2. (Si peccauerit vir in virum, placari ei po-
 test Deus; si autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro
 eo?) varie explicata. 75. an. 22. col. 1.
 Sententia illa: Qui dixerit verbum in Filium hominis, &c. quo-
 ties a Domino prolata, & connectio eiusdem cum superioribus,
 752. an. 23. col. 1.
 Sententia D. Bernardi de tempore natiuitatis Ioannis Baptistae
 expenditur. 34. an. 36. col. 2.
 Sententia Patrum de non salutando quempiam per viam. 626. an.
 8. col. 1.
 Sententia illa (scio te quis sis, &c.) varie interpretata. 319. an.
 59. col. 1. & 2. auctoris vero de ea opinio. 320. an. 58. col. 1. & 2.
 Sententia Ambrosij de gladio, spiritualis potius, quam litteralis.
 205. an. 56. col. 1.
 Sententia Bernardi de verbis B. Virg. (quomodo fiet istud) proba-
 tur. 84. an. 93. col. 2.
 Sententia eorum, qui Christum per quadraginta dies variis ten-
 tationibus vexatum fuisse a Demone dicunt, rejicitur. 284.
 an. 4. col. 1.
 Sententia Patrum, dicentium Christum matris vuluam non apetu-
 iisse, probatur. 187. an. 26. col. 1.
 Sententia Hieronymi, & Gregorij de tentationibus Christi ceteris
 praeferenda. 291. an. 15. col. 1.
 Sententia illa Luc. 12. Quia complacuit Patri vestro dare vobis re-
 gnum, verbotenus explicata. 775. com.
 Sententiae Patrum de progressu Christi in sapientia explicantur,
 & referuntur. 226. an. 86. col. 1.
 Sententiae illius Luc. 12. Nolite in sublime tolli, varia expositio.
 772. an. 54. col. 1.
 Sententiae illius (sint lumbi vestri praecincti) varia expositio. 777.
 com. & an. 62. col. 1.
 Sententiae illius, Et quid volo, nisi vt accendatur Luc. 12. varia le-
 ctio. 788. an. 79. col. 1.
 Sententiae illius Luc. 12. Non in abundantia cuiusquam vita eius
 est, &c. explicatio. 758. an. 31. col. 1.
 Sententiae illius, Nolite felicitate esse, animae vestrae quid manduce-
 tis, &c. Luc. 12. explicatio. 765. com. & an. 44. col. 1.
 Sententiam eorum verborum (quod in spinas cecidit, hi sunt, &c.)
 Patres quomodo explicent. 513. an. 29. col. 1.
 Sententiam de quinque panibus quomodo Euangelista tenuerint.
 565. an. 37. col. 1.
 Separatio qualis futura ob Euangelium. 790. com.
 Separationem, non pacem missurus quomodo venisse dicatur
 Christus. 790. an. 81. col. 1.
 Separationem ob Christi Euangelium futuram explicans Chri-
 stus, cur numeri imparis exemplum adferat. 790. an. 82. col. 1.
 Sepulchra Prophetarum edificare cum laudabile sit, cur id Chri-
 stus in Paritibus reprehendat. 717. com. & 718. an. 95. col. 2.
 Series historiae de baptismo Christi a Ioanne in Iordane suscepto.

265. al. 268. annotat. 45. col. 1.
 Sermonis nomine non Christus, sed praedictio intelligitur. 6. an.
 7. col. 2.
 Sermones isti, quos Dominus praecipit discipulis mente retinere,
 qui sunt. 606. an. 104. col. 1.
 Serpentes, & scorpionum nomine quid significet Christus, cum
 dicit (Ecce dedi vobis potestatem calcandi, &c. 637. a. 26. c. 1.
 Serui mali diuitio quae, & quotuplex significetur Luc. 12. ibi. Et di-
 uider eum. 785. an. 74. col. 1.
 Seruis, quae poeio assignari solita apud antiquos. 784. a. 72. c. 1.
 Seruorum infidelium quot genera, & quae cuiusque poena futura
 sit. 786. com.
 Seruus infidelis quis sit. 786. an. 75. col. 2.
 Seueriani, & Andromici haeretici semjnam Satanæ opus esse affe-
 rebant. 46. an. 53. col. 2.
 Sex sunt in regno Christi completa, quae de Regno David erant
 praenunciata. 78. an. 89. col. 1.
 Sexagesima, centesima, & trigesima fructus nomine quid intelligen-
 tur. 506. an. 18. col. 1.
 Sexum virilem, cur potius Deus assumpserit, quam femininum,
 multae dantur causae. 71. an. 82. col. 1.
 Sexus uterque de Christo in templo testificatus est, quia sexum
 utrumque venerat libere. 208. com. 1.
 Sicera nomen Hebraeum omne illud, quod inebriare potest, signifi-
 cat. 23. an. 22. col. 1.
 Signa in scriptura alia sunt cognitionis, alia probationis. 170. an. 18.
 col. 1.
 Signa petentes Iudaei cur a Christo reprehendantur. 701. annot. 67.
 col. 1.
 Significatio duplex militiae caelestis in Scriptura. 171. an. 19. col. 1.
 Significatio triplex verborum (disperit superbos) a Bonauentura
 adferitur. 124. an. 130. col. 1. & 2.
 Significatio mystica nauis Petri. 334. an. 1. col. 1.
 Signum Iona solum cur Iudaeis promittat Christus; cum tamen
 multa alia ediderit 702. an. 69. col. 2. & an. 70. col. 2. & 703. com.
 & 704. an. 73. col. 1.
 Signum quod a Christo perierit Iudaei 702. an. 70. col. 2.
 Signum Iona quod fuerit. 703. an. 70. col. 2.
 Signum de caelo cur petant a Christo Iudaei. 682. com. & 683. an.
 35. col. 1.
 Simoon, & Leui cur vasa iniquitatis dicantur Gen. 49. 690. an. 57.
 col. 2.
 Simeon quia sacerdos erat, B. Virginis, & Ioseph benedixit. 199. an.
 52. col. 1.
 Simeon sacerdos fuit. 194. an. 45. col. 1.
 Simeon multiplici parte donatus fuit. 196. an. 47. col. 1.
 Simeonem fuisse sacerdotem valde probabile est. 190. an. 39. col. 1.
 Simeonis prophetia per partes explicatur. 200. com.
 Similitudinibus, seu parabolis cur vsus fuerit Christus. 758. com.
 (Sine qua re la incedere) explicatur. 15. an. 11. col. 1.
 Sociorum nomine quid mystice significetur. 338. an. 9. col. 1.
 Sodomi quomodo tancantur in vltimo iudicio remissius puniendi,
 quam illi, qui Euangelio non crediderunt. 632. an. 16. col. 2.
 Sol cur non sit parte multorum animalium e terra productorum.
 98. an. 99. col. 2. & 99. col. 1.
 Sol in signo Arietis creatus est. 35. an. 33. col. 1.
 Sollicitudo rerum temporalium quantum noceat. 514. a. 29. col. 1.
 Sollicitudo quid sit. 765. an. 44. col. 1.
 Sollicitudo quomodo differat a cura, & prouidentia. 765. a. 44. col. 2.
 Sollicitudo quotuplex, & quoniam prohibita sit. 766. an. 44. col. 1.
 Sollicitudo licet non in corporali, in spiritali tamen cibo esse debet.
 ibid. col. 2.
 Sollicitudinem victus, & vestitus cur ad solos Discipulos, non au-
 tem ad turbas conuersus prohibuerit Dominus. 765. com. &
 766. an. 44. col. 2.
 Sollicitum esse, & quærere an sint idem. 770. com. & 771. a. 53. col. 1.
 Somnus discipulorum in transfiguratione qualis fuerit. 588. an. 66.
 col. 1.
 Spes aliquid recipiendi in mutuo vtrum inducat vsuram. 426. a. 60.
 Spelunca, in qua Christus natus est, intra urbem, non extra fuit,
 vbi obiectiones reselluntur. 163. an. 10. col. 2.
 Spinae cur semen, & non potius semen spinas suffocet. 514. an. 29.
 col. 2.
 Spiritualia nequitiae quid vocet Paulus. 695. an. 59. col. 2.
 Spiritus sancto cur Christi conceptio tribuatur, cum sit opus totius
 Trinitatis. 89. an. 98. col. 1.
 Spiritum sanctum negare esse Deum, non est blasphemia in Spiritum
 sanctum. 752. an. 23. col. 2.
 (Spiritus Domini super me) auctor late explicat. 300. an. 30. col. 2.
 Spiritus

Spiritus sanctus quot modis in aliquo esse dicatur. 192. an. 41. col. 1.
 Spiritus quomodo exultare, anima vero magnificare dicatur. 120.
 an. 125. col. 2.
 Spiritus sanctus in B. Virginem superuenit, & quantum ad gratiam
 & quantum ad naturae opera. 88. an. 97. col. 2.
 Spiritus sanctus superuenit, vt sine mora incarnationis opus perficeret.
 88. an. 97. col. 2.
 Spiritus malus vtrum a Christo fuerit increpatus, an puer Lunaticus.
 604. an. 107. col. 1.
 Spiritus solet pro dono isto Spiritus sancti accipi. 27. annotat. 25.
 col. 1.
 Spiritus sanctus superueniens viri vices suppleuit. 88. annotat. 97.
 col. 1.
 Spiritus boni nomine quid intelligatur Luc. 11. (Quanto magis Pa-
 ter vester dabit, &c.) 679. an. 28. c. 2.
 Spiritus sanctus vnus est, ob cuius donorum multitudinem multi
 dicuntur spiritus. 615. an. 123. col. 1.
 Spiritus sanctus non est dicendus pater Christi secundum carnem.
 89. an. 99. col. 1.
 (Spiritus sanctus superuenit in te,) explicatur. 87. an. 97. col. 1.
 Spiritus, & animae differentia. 120. an. 125. col. 1.
 Spiritus sanctus in scriptura digitus Dei cur appelletur. 687. an.
 44. col. 1. & 2.
 Spiritus sanctus aliter in B. Virginem, aliter in Apostolos superue-
 nit. 87. an. 97. col. 2.
 Spolia Daemonis quomodo Christus diuit, arma abstulit, & vasa
 diripuit. 692. an. 55.
 Spolia Daemonis quae sint. 690. an. 52.
 Sponsus, quomodo, & cur comparetur Christus in suo secundo ad-
 ventu. 780. com. & an. 65. col. 1.
 Status quatuor populi Iudaici. 696. an. 69. col. 1.
 Sterilis & conclusa in quo differant. 101. an. 109. col. 1.
 Stultitia diuitis Luc. 12. ac aliorum diuitum. 762. com. & 763.
 com. & an. 41. col. 1.
 Stultus quomodo Pharisaos appellet Christus. 712. an. 85.
 Submersio nauium quid significet. 338. an. 10. col. 1.
 Substantiae spirituales in tres diuiduntur hierarchias a Doctori-
 bus. 40. an. 45. col. 2.
 Suffocandi verbo merito vitur Christus. 504. an. 14. col. 2.
 Superborum & humilium differentia. 107. an. 113. col. 1.
 Superiores, & inferiores sunt inter daemones, sicut inter homines.
 681. com. 3.
 Superuentio Spiritus sancti in B. Virginem quatuor continet. 87.
 an. 97. col. 2.
 Supplicia diuersa inter peccatores, pro peccatorum grauitate. 731.
 an. 16. col. 1.
 Sufcitatio mortuorum quomodo fuerit signum aduentus Messiae.
 469. an. 37. col. 1.
 Syllogismus, seu argumentum quo refutat Christus calumniantes
 ipsum in Beelzebub eijcere Daemones, quomodo suppleudus.
 684. com.
 Symboli Athanasij sententia explicatur. 94. an. 102. col. 1.
 Synagoga, Magistratus, & Potestas quomodo differant. 753.
 comen.

T.

T littera mysterium Crucis designat. 74. an. 85. col. 2.
 Tactum simbriae mirabilis effectus sequutus est. 542. an. 92.
 col. 1.
 Tactus triplex insinuat hoc Christi verbo (quis me tetigit)
 543. an. 95. col. 1.
 Talitha cumi vox Hebraea quid significet. 550. annotatione 108.
 col. 1.
 Telonium quid sit. 366. an. 53. col. 1.
 Temperantia, & frugalitas panis folijs mentione in orat. dom.
 commendatur. 669. com. & an. 10. col. 1.
 Templi reedificatio quando completa sit. 724. an. 100. col. 2.
 Templum tria habuit atria. 724. an. 100. col. 1.
 Temporalia administrare Praelatis Ecclesiasticis, nec a Christo,
 nec ab Apostolo est veritum. 756. an. 28. col. 1.
 Temporalia cur Regnum Dei quaerentibus adijcenda, non autem
 danda Luc. 12. Christus dixerit. 774. com.
 Tempore praesenti cur vitur Dominus, ibi; Beatus ille seruus,
 quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem. 784. com.
 Tempus ieiunij in veteri lege nullum fuit indictum, quamuis fre-
 quens fuerit vsus. 376. an. 70. col. 1.
 Tempus regni huius saeculi dies vocatur ob breuitatem eius.

9. annotat. 1. vel 5. col. 1.
 Tempus pariendi a natura praescriptum non est semper nouem
 mensium completorum. 128. an. 134. col. 1.
 Tempus praesens pro praeterito positum. 490. an. 72. col. 1.
 Tempus pariendi Elisabeth cur impletum dicatur, mystica, &
 litteralis explicatio. 128. an. 135. col. 1.
 Tentandi verbum apud Euangelistas quando in malam partem
 accipiat. 649. an. 47. col. 2.
 Tentandi munera Daemonibus esse diuisa, nec omnes ad omnia
 tentare peccata. 695. an. 59. col. 1.
 Tentatio non omnis a Diabolo est. 672. an. 15. col. 1.
 Tentatio quoniam intelligatur in orat. dom. 672. an. 15. col. 1.
 Tentationum genus duplex. 673. an. 15. col. 2.
 Tentationis effectus varij. 672. com. & quid per eam intelligatur.
 an. 15. col. 1.
 Tentationem vt aggrediatur homo rarissimum est: eam autem
 pati, & inferri, frequentissimum. 672. an. 15. col. 2.
 Tentationem aliquam a nobis auferri, aut, ne proueniat, quando
 liceat petere a Deo. 673. an. 16. col. 1.
 Tentationem inducere quomodo dicatur Deus. 673. an. 15. c. 2.
 Tentationem vt omnem impediatur, & vt nullam permittat, cur
 neutrum a Deo petendum sit. 673. an. 16. col. 2.
 Tentationes Christi eo ordine, quo factae sunt, a Matthaeo descri-
 buntur. 290. an. 15. col. 1.
 Tentat aliquis aliquando vt discat, non vt calumniecur. 649. an.
 47. col. 2.
 Tentator cur praecipue diabolus dicatur. 672. an. 15. col. 1.
 Terrae triplicis triplicis hominum generis comparantur inimici.
 504. an. 15. col. 2.
 Tertulliani interpretatio de Domino Sabbati probatur auctori.
 387. an. 7. col. 2.
 Tertullianus tract. in orat. dom. legens prius (Fiat voluntas tua)
 quam (adueniat regnum tuum) quam rationem adducere pos-
 sit, & quomodo illi respondendum. 668. an. 8.
 Tertullianus, aiens B. Virginem in partu virginem non mansisse,
 refutantur. 187. an. 36. col. 2.
 Testamenti veteris legem non nosse cur Iudaeis melius foret. 697.
 an. 61. col. 2.
 Testamenti noui, & veteris discrimen, quoad filiorum adoptio-
 nem. 665. an. 4. col. 1.
 Testamenti, & iuramenti differentia. 142. com. 2.
 Testamentum sanctum quid sit. 142. an. 15. col. 2.
 Testimonia, iustitiae, mandata, & iudicia quomodo in Scriptura
 differant. 14. an. 10. col. 1.
 Tetrarcha, & Tetrarchia quid significant explicatur. 232. a. 3. c. 1.
 Theologorum recentiorum doctrina de triplici Christi scientia ex-
 plicatur. 227. an. 86. col. 1.
 Thomas cur, eo quod viderit, postponitur ijs, qui non viderunt,
 & crediderunt. 648. an. 44. col. 2.
 Theophilus ille, cui suum Euangelium d edicauit Lucas, quis fue-
 rit, varia est Doctorum opinio. 7. an. 11. col. 1.
 Theophylacti verba de matrimonio B. Virginis elucidantur. 49.
 an. 56. col. 2.
 Theophylacti error circa paradysum. 703. an. 71. col. 2.
 Theauri verbo duo significantur. 443. com. 2.
 Theauri nomine quid intelligat Basilius. 443. an. 57. al. 85. col. 1.
 Theauris ac diuitijs accumulandis incumbere an absolute repro-
 beatur. 764. an. 42. col. 1.
 Theaurizari sibi quid significet Luc. 12. 764. an. 42. col. 2.
 Tibicines qui dicerentur. 548. al. 588. an. 105. col. 1.
 Timor vtrum causa incredulitatis, vel incredulitas fuerit Discipu-
 lis causa timoris. 524. an. 50. col. 1.
 Timor quis, & quando malus non sit. 734. an. 10. col. 1.
 Timor cur inuaserit hominem in natiuitate Ioannis, in ortu au-
 tem Saluatoris gaudium. 134. col. 1.
 Timorem an prohibeat Christus, cum dicit, ne terreamini ab his
 qui occidunt, &c. & de quo timore hic agatur. 732. com. & an.
 7. col. 2.
 Timothei presbyteri Hierosolymitani error, qui B. Virginem mar-
 tyrio affectam esse asserbat, exploditur. 204. an. 56. col. 1.
 Tophet pro inferno in scriptura accipitur. 733. an. 8. col. 2.
 Tophet cur a Iosia Rege sit contaminatum. 733. an. 6. col. 2.
 Tophet in sacra scriptura quid sit. 733. an. 8. col. 1. & 2.
 Tunicae duplicis prohibitio, quomodo intelligenda. 558. an. 10.
 col. 1.
 Traditionis verbum, ibi (omnia Mihi tradita sunt, &c.) quomo-
 do intelligendum. 644. an. 38. col. 1.
 Transgressorem legis se non esse quomodo ostendat Christus.
 650. com.

Tres dies, & tres noctes, quibus Christus in corde terræ, fuisse dicitur; quomodo interpretentur Doctores. 704. an. 71. col. 1.
Tria intercessorem commendant, & quod B. Virgo tribus illis prædita sit, ostenditur. 72. an. 83. col. 2.
Tria sunt ex parte proximi, quæ nos ad dimittendum inuitant. 434. an. 70. col. 1.
Tria sunt ex parte Dei, quibus admonemur, vt dimittamus. 433. an. 70. col. 1.
Tria impediabant Zachariam, & Elisabeth, quo minus filium possent habere. 16. an. 12. col. 1.
Tria solent impedire, quo minus dicenti credamus. 98. a. 107. c. 2.
Tribus Iuda, & Leui nobilissimæ fuerunt. 11. com.
Tribus Leuitica nullam certam possessionem in diuisione terræ promissionis obtinuit. 111. an. 116. col. 2.
Tribus, a Patribus, & non a matribus sumebantur. 100. a. 103. c. 1.
Tribus Iuda, & Aaron solitè fuerunt commiseri, non autem tributum hereditates. 100. an. 108. col. 2.
Tributum Iudæorum in singula capita, quod Romanis pendebatur, quantum fuerit. 158. an. 1. col. 1.
Triduum quomodo intelligendum. 217. an. 73. col. 1.
Trigesimali, sexagesimali, & centesimali fructus nomine quid intelligatur. 506. an. 17. col. 1.
Triticum, de quo Luc. 12. vt det illis in tempore tritici mensuram, &c. quid significet. 784. an. 72. col. 1.
Turbationum imprudentia, & incunctia cur reprehensa. 791. & 792. c. & an. 86. col. 1.
Turbatio B. Virginis vnde orta fuerit: & Doctorum de ea opinio. 66. an. 75. col. 1.
Turbatio B. Virginis qualis fuerit. 65. an. 74. col. 1.
Turbationes, quibus Zacharias, Deipara, & Christus turbati fuerunt, in quibus conueniant, & differant. 65. an. 74. col. 1.
Turbationes tres in Sacra Scriptura commemorantur. 65. a. 74. 1.

V.

Vade in pace, varie explicatur. 495. an. 80. col. 1.
Væ particula quatuor modis in scriptura sumpta. 405. a. 33. col. 1.
Vasa Dæmonis quæ sunt. 690. an. 51. col. 1. & quæ spolia. pag. ead. annot. 52.
Vasa Dæmonis quomodo Christus diripuit, arma abstulit, & spolia diuisit. 692. an. 55.
Ventus, & mare quomodo Christo obedire dicuntur. 526. a. 53. 1.
Ventilabrum quid significet. 261. com. 1.
Verba singula prophetæ Simeonis explicatur. 200. com.
Verba illa: Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Luc. 11. quomodo intelligantur. 736. com. & an. 12.
Verba illa Luc. 11. (Domus supra domum cadet) quomodo intelligenda. 684. an. 38.
Verba de Domino messis Euangelicæ latius explicantur. 624. an. 5. col. 1.
Verba, & sensus (quia filius Dei es tu) explicantur. 327. a. 73. c. 1.
Verbi incarnatio summum Dei beneficium est. 126. com. 1.
Verba illa (Qui non est aduersum vos, &c.) explicantur. 612. an. 116. col. 1.
Verba illa, Nihil opertum est, quod non reueletur, neque absconditum, &c. quoties a Christo prolata sunt, & quis eorum sensus. 730. an. 1. col. 1.
Verba Christi (Et te percute in maxillam vnā, &c.) quomodo Patres interpretentur. 417. an. 48. col. 1.
Verba illa (Et non iudicabimini) diuersimode a Doctoribus explicantur. 430. an. 66. col. 1.
Verba Christi (Beatus qui non fuerit scandalizatus in me) quorsum dicta. 470. an. 39. col. 1.
Verba Luca de præcipitatione porcorum in stagnum clarius explicantur. 535. an. 75. col. 1.
Verba Matthæi (venisti ante tempus torquere nos) explicantur. 530. an. 63. col. 1.
Verba Christi, (Nam noui virtutem de me exisse) latius explicantur. 544. an. 56. col. 1.
Verba hæc: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, &c. cur ad solos Discipulos conuersus pronunciauerit Dominus. 765. an. & 766. an. 44. col. 2.
Verba illa (quod enim habet, dabitur illi, &c.) bis in huius parabolæ explicatione vsurpantur. 517. an. 35. col. 1.
Verba illa (Et Iustitiam eius) Luc. 12. quinam legant, qui vero non. 774. an. 58. col. 1.
Verba singula sententiæ illius Luc. 12. (Quia complacuit Patri ve

stro dare vobis regnum. explicata. 775. com.
Verba Christi (quæ est Mater mea, &c.) non sunt increpationis, vt Chryostomus, & Tertullianus opinantur. 519. a. 39. 2.
Verbi (expectandi) duplex significatio. 210. an. 63. col. 2.
Verbi Dei prædicatores maxime ab humana laude debent abhorerere. 408. an. 36. col. 2.
Verbis, Quærite, & Pulsate Luc. 11. quid significetur, varia explicatio. 677. ann. 24.
Verbis illis: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, &c. an prohibuerit Dominus, curam victus, & vestitus, aut cibos in posterum afferuari. 766. an. 44. col. 1.
Verbis, & factis Deum magnificamus. 119. an. 24. col. 1.
Verbis illis (Nolite iudicare) quid prohibeatur. 429. an. 65. c. 1.
Verbo præsentis cur vratur Christus ibi: Beatus ille seruus, queq; cum venisset Dominus inuenerit ita facientem. 784. com.
Verborum illorum Luc. 11. (Qui non est mecum, contra me est; &c.) sensus. 692. com. & 693. an. 56.
Verborum illorum (Cum immundus spiritus exierit de homine, &c.) Luc. 11. sensus. 693. com. & an. 57.
Verborum Leprosi duplex sensus, & vrer textui accommodatus. 345. an. 19. col. 1.
Verborum eorum difficultas (Quia Dominus est, &c.) ex verbis Marci soluitur. 387. an. 7. col. 1.
Verborum illorum Luc. 12. et quid volo, nisi vt accendatur, varia lectio. 788. an. 79. col. 1.
Verborum illorum: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, &c. Luc. 12. sensus. 765. com. & an. 44. col. 1.
Verborum illorum: Nolite in sublime tolli. Luc. 12. varia explicatio. 772. an. 54. col. 1.
Verborum illorum Luc. 12. Non in abundantia cuiusquam vita eius est, &c. explicatio. 758. an. 3. col. 1.
Verborum illorum Luc. 12. (Sint lumbi vestri præcincti) varia interpretatio. 777. com. & an. 62. col. 1.
Verbum, hoc loco quid significet. 323. an. 66. col. 1.
Verbum humilitatis triplicem habet in Scriptura significationem. 121. an. 126. col. 1.
Verbum fructum non faciens vnde impediatur. 504. an. 15. col. 1.
Verbum illud (iurandum) cum sine verbo sit positum, a quo regatur, varias interpretationes redentiorum inuexit. 142. an. 152. col. 1 & 2.
Verbum quædam ambiguum est. 254. an. 31. col. 1.
Verbum in filium hominis quod sit. 746. an. 19. col. 1. & 747. ann. eadem col. 1.
Verbum an præsentis Angelo caro factum sit, dubitatur, & soluitur. 108. an. 114. col. 1.
Verbum illud (Ancilla) insignem Deiparæ humilitatem declarat. 107. an. 113. col. 1.
Verbum Dei quid sit in illis verbis: Beati, qui audiunt verbum Dei, &c. 699. an. 64. col. 2.
Verbum Dei cur semen vocatum sit. 510. an. 24. col. 1.
Verbum auditum quidnam intelligatur. 511. an. 25. col. 1.
Verbum hominis multis modis fallax. 102. an. 110. col. 1.
Verbum duobus modis accipitur. ibid.
Verbum hoc de morte Christi diuina prouidentia Discipulis fuit occultatum. 608. an. 107. col. 1.
Verbum (Virum non cognosco) perpetuam B. Virginis virginitatem indicat. 86. an. 96. col. 1.
Verbum commodandi ad quæ proprie referatur. 675. an. 19. col. 1.
Verbum in Filium hominis remitti, Blasphemiam vero in Spiritum sanctum non remitti quid sit, aut quomodo intelligatur. 747. an. 20. col. 1.
Veritatem non mutat ordo narrationis diuersus. 698. an. 62. col. 1.
Veritas rei ex intentione pendet. 718. an. 95. col. 2.
Vesania hæreticorum in oppugnando salutationem Angelicam. 63. an. 71. col. 1.
Via naturalis conceptionis secundum philosophos. 34. an. 36. c. 1.
Vicium corporis in orat. Dom. cur prius petamus, quam peccatorum remissionem. 670. an. 13. col. 1.
Videbam, non, video, cur dictum sit ibi (Videbam satanam sicut fulgur, &c. 637. an. 25. col. 2.
Videndi verbum generale est cognitioni auditus. 5. an. 6. col. 1.
Vigilia noctis cum quatuor sint, cur Christus quartæ non meminerit. 781. an. 67. col. 2.
Vigilias quatuor inuenit illa Christi verba: Et si in secunda vigilia, & in tertia vigilia veneris, &c. 781. an. 67. col. 1.
Vigilias quor habuerit nox apud Hebræos. 781. com.
Vim vi repellere licitum. 412. an. 41. col. 2.
Vim maximam contulit Deus verbis matris sue. 112. a. 117. c. 1.
Vincere posse, & vincere longe distincta sunt. 672. an. 15. col. 2.
Vindicta

Vindicta quomodo beneficium esse possit, & pro ea gratiæ agi. 642. an. 35. col. 2.
Vindictam sumi in tertiam, & quartam generationem quomodo intelligatur. 722. an. 98. col. 1.
Vindictam a Deo contra calumpniantes exorare non licet. 416. an. 39. al. 45. col. 1.
Vir, & femina quid in naturali generatione conferant. 88. a. 97. 2.
Virgines non quæuis stuprum admittentes solebant comburi, sed solæ filia sacerdotum. 47. an. 55. col. 1.
Virginatam matris Dei, quæ uor accerrimi hostes impugnare conati sunt. 103. an. 11. col. 1.
Virginatatis vo, am reijcietes hæretici confutantur. 85. a. 94. c. 2.
Virginatatis vox tria significat. 208. com. 3.
Virgo B. cur, nisi nullum habuit actuale peccatum, vsa sit tamen hac oratione (Dimitte nobis, &c.) 671. an. 13. col. 2.
Virgo B. quomodo mater, & ancilla fuerit. 108. an. 113. col. 1.
Virtus naturalis est finita, & in tempore agit; virtus vero Spiritus sancti infinita, & in momento agit. 88. an. 97. col. 2.
Virtutem quomodo interpretentur Doctores, ibi (Ecce dedi vobis potestatem calcandi, &c.) 638. an. 26. col. 1.
Virtutem de Christo exire quid sit. 544. an. 96. col. 1.
Virtutis nomine quid hic intelligatur. 92. an. 100. col. 1.
Virtutis, & potestatis hoc loco quæ sit differentia. 554. an. 2. col. 1.
Vis illius vocabuli (dilectus) elucidatur. 595. an. 80. col. 1.
Vis, ac proprietates elementarum quintuplex deducta ex Domini verbis Luc. 12. Facite vobis sacculos, &c. 775. 776. & 777. com.
Viscera misericordiæ Dei, cur memorentur, & non ipsa misericordia. 149. an. 161. col. 1.
Visitare in bonam, & malam partem accipitur. 136. com. 2. & 127. an. 46. col. 1.
Vita hæc terrena, cum absq; peccatis, saltem venialibus, esse non possit, quæ sunt præter voluntatem Dei, quomodo intelligitur illud: Sicut in celo, & in terra. 608. an. 0. col. 1.
Vita in terram vsque ad octauum dem, in magno versatur perlo, tam ob causas particulares, tum ob celestium orbium presuras. 130. an. 138. col. 2.
Vita, ac mores in hoc disparatoris. 788. com.
Vita generum quodam perfectissimum sit. 661. an. 73. col. 1.
Vitæ genera duo in Martha, & Maria significantur, & quæ. 661. an. 73. col. 1.
Vita puritatem commendat Christus in Ioanne. 472. an. 43. c. 1.
Vitam æternam consequendi inter nos, & illos veteris testamenti discrimen. 650. an. 48. c. 2.
Vmbra ortus quid significet. 152. an. 164. col. 2.
(Vna dierum) quid intelligatur. 353. an. 31. col. 1.
Vnicus, & vnigenitus quomodo differant. 462. an. 28. col. 1.
Vocabitur Aluisimus filius) cur dixerit Angelus, & non (erit Aluisimus filius). 777. an. 88. col. 2.
Vocatio hominū quorsū capturæ pisciū comparata. 340. an. 12. c. 1.
Vocatio quorundam Apostolorum cur scripta sit, aliorum non. 372. an. 65. col. 1.
Voce illa (conspicies) quatuor hæreses confutantur. 69. a. 80. c. 2.
Voce, corde, & opere Deus magnificatur. 119. an. 24. col. 2.
Vocis huius, partem, Luc. 12. ibi (Partemque eius ponet cum infidelibus) varia interpretatio. 786. an. 75. col. 1.
Vocis illius (Sulte) qua Deus Luc. 12. Diuitem compellat, emphasis. 762. com.

Vocis istius, Donec, significatio in Scriptura. 794. an. 90. c.
Voluntas Dei cum semper fiat, tam si mala fiant, quam bona, culpetatur eius voluntatem fieri. 668. an. 9. col. 1.
Voluntatem Dei fieri cur iustus, & melius petamus, quam vt nostra fiat. 608. an. 3. col. 2.
(Vox clamantis in deserto, &c.) duobus modis explicatur. 238. al. 218. an. 13. col. 1.
Vox (magnificat) explicatur. 118. com. 2.
Vox illa in monte Tabor facta est a tota Trinitate, & quomodo Patri tribuatur. 594. an. 77. col. 1.
Vox illa (sanctum) quomodo cum antecedentibus, & consequentibus conuenitur. 95. an. 104. col. 1.
Vox illa (crede) quomodo hic intelligenda. 548. an. 103. col. 1.
Vfus arbitrij an persequeretur in Ioanne, etiam postquam natus fuit, arbitriæ asseritur. 113. an. 118. col. 1.
Vtilitas dilectionis inimicorum. 425. an. 59. col. 2.
Vultures solent aliquando sine sexus commixtione concipere, & prolificare. 103. an. 111. col. 2.
Vxoris nomen non auferit Virginatatem. 160. com. 3.

Z.

Zacharias cur gaudens Christum recipiat; Centurio vero Christi ingressum prohibeat. 454. an. 12. col. 2.
Zachariæ propheta omnes temporis differentias complexa est. 136. an. 144. col. 2.
Zachariæ os cur non in natiuitate Ioannis, sed in circumfisione aperitum fuerit, plures causas assignantur. 133. a. 140. al. 141. 1.
Zachariæ temporibus mos erat nomina parentum filijs imponere. 131. an. 124. al. 139. col. 2.
Zachariæ quæ nomen in Scriptura. 723. an. 100. col. 1.
Zachariæ nomen interpretatur. 724. al. 100. col. 1.
Zachariæ incredulitas in quo consistat. 50. an. 30. col. 2.
Zacharia non fuisse summum sacerdotem probatur ex tempore conceptionis Ioannis Baptistæ. 34. an. 36. col. 2.
Zachariam ex stupore natum fuisse arbitantes refelluntur. 31. an. 33. col. 1.
Zachariam non solum mutum, sed & surdum fuisse probabile est, ex pluribus argumentis. 31. an. 32. col. 1.
Zachariam, & Elisabeth tria impediabant, quo minus filium possent habere. 16. an. 12.
Zachariam filij nomen scripsisse negandum non est. 133. an. 140. al. 141. col. 1.
Zacharias de quo timore loquatur, dubitatur, & quid de eo Doctores sentiant. 145. an. 154. col. 1.
Zacharias, de quo Luc. 11. quis fuerit. 724. an. 100. col. 2. Idē cur, & a quo occisus fuerit, variæ sententiæ. 723. an. 100. col. 2.
Zacharias quare sermonem ad filium conuerterit. 146. a. 156. c. 1.
Zacharias vtrum ad aliquem locum alludat. 152. a. 164. c. 2.
Zacharias idem quod memoria Dei est. 11. an. 6. col. 1.
Zacharias vtrum pro filio obtinendo orauit, quando Angelus ei apparuit. 20. an. 18. col. 1.
Zacharias in penam, non in signum mutus factus est. 31. a. 32. 1.
Zacharias quærendo modum, & signum ab Angelo, quo sibi filius nateretur, incredulitatis crimen admittit. 29. an. 29. col. 2.
Zorobabel, & Salathiel a Matthæo & Luca enumerati vtrum iudæi sint. 278. an. 60. col. 1.

E R R A T A.

P Ag 27. an. 25. col. 1. haberi, lege habere. 35. a. 38. c. 1. terminos l. terminos. 37. a. 41. c. 2. creatura l. creaturæ. 38. an. 41. c. 1. pe l. de.
ibid. v. 2. nisi iij. l. nisi iij. 41. a. 46. c. 1. confirmare, l. confirmari. 43. com. undata l. fundata. 74. a. 50. c. 1. fuisse, l. fuisse. 48. a. 55. c. 1. esse.
lester. 55. a. 62. c. 1. nutrire, l. nutrire. 56. a. 65. c. 1. Nise. l. Nysen. idq; sapius. 57. a. 66. c. 1. l. xij. a. 170. mēn, & xapitō. 113. a. 118.
c. 1. acceleratum l. acceleratum. 131. a. cxxiv. l. cxxxix. 132. a. cxxxix. l. cxli. 133. a. cxli. l. cxli. 138. a. cxlvj. l. cxlvj. 140. a. clxviii. l. clxix.
162. a. 9. c. 1. Cyprian. l. Cyprian. 165. a. 106. l. 13. 168. a. cxvj. l. cxvi. 178. a. 28. c. 2. complabat. l. comparabat. 185. com. 1. oporebat, l. oportebat.
190. a. xxxix. l. xxxix. 196. a. 48. c. 1. Saluatoris l. Salutaris. 198. a. 51. c. 1. obstupisses l. obstupuisse. 288. a. xxiii. & xxv. l. x. & xi. 309. a.
xxv. l. xxxii. 383. cap. 5. l. 6. 387. cap. 5. l. 6. 389. cap. 5. leg. 6. ibid. a. 73. l. 11. 396. a. 13. l. 23. 409. a. 28. l. 38. 410. a. 39. c. 1. appetui l. appetitui.
422. 56. l. 55. & ita consequenter vnitatem deme. 432. a. 70. l. 69. 440. a. 56. l. 80. 443. a. 57. l. 85. 480. a. 28. l. 56. 487. a. 67. c. 2. vnguentū.
vnguentum. 493. cap. 8. l. 7. 689. a. 48. c. 1. absolute l. absolute. 692. a. 55. c. 2. erat l. erant. 693. a. 56. c. 1. dispargit l. dispergit. 695. a. 59.
c. 2. tenebarum l. tenebrarum. 696. in marg. applicatus l. applicatum. 699. in marg. Christum l. Christus. 700. a. 66. c. 1. videntur l. videantur.
705. a. 74. c. 2. cap. l. sap. 713. a. 88. c. 1. moralia l. mortalia. 714. a. 89. c. 1. fit l. fit. 720. a. 98. c. 1. nempe. l. neque. 726. in fi. duodecimi,
l. vndecimi 731. a. 5. c. 1. illaius. l. illarius. 736. com. fit. l. fit. 738. a. 14. c. 2. interpretationum l. interpretationem. 738. in marg. tentamur l.
teneamur. 744. a. 17. c. 1. onisse. l. com. misisse. 745. a. 18. c. 1. inuidential. l. inuidetam. 746. a. 18. c. 1. fecit. l. facit. 747. an. 19. c. 1. descende.
cruce. l. descende de cruce. 755. a. 17. c. 1. optimi l. optimi. 757. com. ob. l. ab. 760. an. 98. l. an. 36. 787. in tit. com. l. omni.